Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/antiquitatesit02mura

The Institute of Mediaeval Studies
LIBRARY
Toronto

ANTIQUITATES
ITALICÆ
MEDII ÆVI.
TOMUS SECUNDUS.

ARNALDO FORNI EDITORE
BOLOGNA

Proprietà letteraria e artistica riservata
Tiratura limitata a 200 esemplari

ANTIQUITATES
ITALICÆ
MEDII ÆVI,
SIVE
DISSERTATIONES

De Moribus, Ritibus, Religione, Regimine, Magiſtratibus, Legibus, Studiis Literarum, Artibus, Lingua, Militia, Nummis, Principibus, Libertate, Servitute, Fœderibus, aliiſque faciem & mores Italici Populi referentibus poſt declinationem Rom. Imp. ad Annum uſque MD.

OMNIA ILLUSTRANTUR, ET CONFIRMANTUR

INGENTI COPIA DIPLOMATUM ET CHARTARUM VETERUM,

Nunc primùm ex Archivis Italiæ depromtarum,

ADDITIS ETIAM

NUMMIS, CHRONICIS, ALIISQUE MONUMENTIS

NUMQUAM ANTEA EDITIS.

AUCTORE

LUDOVICO ANTONIO MURATORIO

SERENISSIMI DUCIS MUTINÆ BIBLIOTHECÆ PRÆFECTO.

PALATINIS MEDIOL. SOCIIS

EDITIONEM CURANTIBUS.

TOMUS SECUNDUS



MEDIOLANI, MDCCXXXIX.

EX TYPOGRAPHIA SOCIETATIS PALATINÆ

IN REGIA CURIA.

SUPERIORUM FACULTATE.

The Institute of Mediaeval Studies
LIBRARY
Toronto
MAR 1 1968
29460

SERENISSIMO
FRIDERICO,
REGIO POLONIAE,
ET
ELECTORALI SAXONIAE
PRINCIPI.

CLementiſſimo Poloniae Regi AUGUSTO Parenti tuo Tomum Primum hujus Operis dicatum qua par erat veneratione obtuli. Sine nunc quaeſo, Regie ac humaniſſime Princeps, ut alterum hunc praeclariſſimo Nomine tuo ſignatum, tibi ſiſtam, quo palam teſtari pergam, quale ſit meum erga tuam quoque Regalem Celſitudinem obſequium. Ex quo enim Italiam ingreſſus ad nobiliſſimum Siciliae ac Neapolis Regem CAROLUM adduxiſti elegantiſſimam Conjugem & Reginam MARIAM AMALIAM, Sororem tuam, omnium oculi, aut animi, meus vero potiſſimum, in te converſi fuerunt. Mirata autem fuit magnificentiſſima Urbs Neapolis, mirata deinde eſt egregias tuas dotes vel ipſa Urbium princeps Roma. Nempe hic ille eſt (concordi voce omnes ajunt) qui Catholicae Religionis documenta alte in praecordiis infixa tenens, tam accuratè Pietatis ubique officia implet, ut reliquis exemplo in cultu, reverentia, ac timore Numinis eſſe jam poſſit. Hic ille, qui paſſim ſplendida Munificentiae ſuae veſtigia relinquit. Hic etiam, cui, quamvis numquam praecelſae Dignitatis ſuae modum oblito, ea tamen eſt ſuavitas morum, comitas affabilitaſque ſermonis, quae omnium ſecum colloquentium animos ſibi conciliet, egregiaeque formae vultus ſui lineamentis probe reſpondeat. Neque mihi aliunde petendi teſtes tum tui feliciſſimi ingenii, tum animi meliora quaeque aemulantis. Te egomet teneo, quantaque ſit Virtutum tuarum ubertas ac ſoliditas, experimento meo edoctus, aliis teſtari jam poſſum. Quum enim Mutinam deductus XI. Kal. Decembris, atque a Sereniſſimo FRANCISCO Duce hero meo ſumma cum exſultatione exceptus, incomparabiles Picturas, Statuas, Numiſmata, Bibliothecam, ceteraque Eſtenſis Palatii, & Mutinenſis Urbis ornamenta, non curſim, ſed mirabili attentione perpenderes, & memoriae ſingula mandares, me quoque ad alloquium tuum non ſemel pro tua benignitate admiſſum voluiſti, ac diſcedens mihi illuſtre Liberalitatis tuae pignus reliquiſti.

Proinde haec omnia, Sereniſſime Princeps, tibi gratulor, ſed illud potiſſimum, quod te noverim etiam erga Literas amore ferri, eiſque operam dare lubenti animo. Scilicet mature jam agnoviſti, illas, quoties in Principes coëant, plurimum laudis conferre, atque ad bene regendos Populos grandi illis adjumento eſſe poſſe. Ad eas vero addiſcendas nihil certe tibi Natura negavit. Non Mentis perſpicaciam, cujus adeo frequenter tum in quotidiano ſermone, tum in arduis quaeſtionibus intelligendis ſpecimina praebes; non Memoriam, quum jam praeter maternam Theutonicam Linguam, familiares tibi effeceris Italicam, Gallicam, & Polonam; Latinam quoque non lento gradu proſequaris. Reliqua praetereo ornamenta, viro Principe, & ad grandia nato, perquam digna, quae aut tibi egregia educatio a praeſtantiſſimo Comite de Wackerbart adhibita, aut bonae indolis cultura pepererunt.

Sed quando apud nos verſaris, ut mores Italicorum, ampliſſimique Regni hujus amoenitates ac magnificentiam, non ex ore aliorum, ſed tuis ipſe oculis addiſcas: liceat mihi in laudabile conſilium tuum me quoque ingerere. Jam tot antiquae Italiae pretioſa ſplendidaque monumenta, in Urbe aeterna praeſertim, ſpectaſti, a Romanis olim rerum dominis ad nos uſque profecta. Quale ſit etiam praeſentis Italiae decus, quotidie intueris. Quid ſi & ego te adducam ad dignoſcendum, qualis quoque fuerit Italiae facies temporibus iis, quae Barbarica nunc appellamus? Non injucundum profecto fuerit, neque inutile tibi, hanc etiam Eruditionis Hiſtoricae partem perſpexiſſe: eâ praecipue de cauſsâ, quod ubi Italiam ſpectaveris, inconditis rudibuſque moribus olim viventem, non alium Germaniae tuae aſpectum tunc fuiſſe, certum tibi futurum ſit. Eadem vero tempora qui cum noſtris componit, oblectetur neceſſe eſt, dum tantam rerum mutationem animadvertit in Literis, in Militia, in Artibus, aliiſque humanae vitae commodis ac virtutibus. Et quamvis ne nos quidem vitiis, improbiſque moribus careamus: innumera tamen ſunt, quae Saeculum noſtrum prae antiquis commendant, noſque gaudere jubent, quod aevo illo nati ſumus, quo & Virtuti majus pretium, & moribus temperantia uberior atque elegantia acceſſit. Reliquum ergo eſt, clementiſſime Princeps, ut qua ſoles benignitate Librum hunc, ejuſque argumentum excipias. Si non in Gloriae tuae augmentum (quod tamen ante oculos habui) meum hoc Opus, qualecumque ſit, redundabit: praeſentes ſaltem ac poſteros monebit, me tui Nominis, tuarum Virtutum, tuaeque Regalis gentis, non poſtremum fuiſſe admiratorem atque cultorem. Haec autem venerabundus, & omnia tibi e Caelo fauſta precatus, ſcribebam

REGIAE CELSITUDINIS TUAE

Mutinae Prid. Non. Junias. A. C. MDCCXL.

Humillimus, Obſequentiſſimus, & perpetuus famulus
Ludovicus Antonius Muratorius.

ELENCHUS
TOMI SECUNDI.

DISSERTATIO XIX.

De Tributis, Vectigalibus, aliiſque oneribus publicis Medii Ævi. pag. 1.

DISSERTATIO XX.

De Actibus Mulierum. pag. 109.

DISSERTATIO XXI.

De Italiæ Statu, Habitatorum affluentia, Agrorum cultu, mutatione Civitatum, felicitate, ac infelicitate temporibus Barbaricis. pag. 147.

DISSERTATIO XXII.

De Legibus Italicorum, & Statutorum origine. pag. 233.

DISSERTATIO XXIII.

De moribus Italicorum poſt arreptam à Barbaris Italiæ dominationem. pag. 295.

DISSERTATIO XXIV.

De Artibus Italicorum poſt inclinationem Romani Imperii. pag. 349.

DISSERTATIO XXV.

De Textrina, & Veſtibus Sæculorum rudium. pag. 399.

DISSERTATIO XXVI.

De Militia Sæculorum rudium in Italia. pag. 441.

DISSERTATIO XXVII.

De Moneta, ſive jure condendi Nummos. pag. 547.

DISSERTATIO XXVIII.

De diverſis Pecuniæ generibus, quæ apud Veteres in uſu fuere. pag. 769.

DISSERTATIO XXIX.

De Spectaculis, & Ludis publicis Medii Ævi. pag. 831.

DISSERTATIO XXX.

De Mercatibus, & Mercatura Sæculorum rudium. pag. 865.

DISSERTATIO XXXI.

De Placitis & Mallis. pag. 927.

DISSERTATIO XXXII.

De origine Linguæ Italicæ. pag. 989.

DISSERTATIO XXXIII.

De origine, ſive Etymologia Italicarum vocum. pag. 1083.

CATALOGUS complurium vocum Italicarum, quarum origo inveſtigatur. pag. 1121.

DE
TRIBUTIS,
VECTIGALIBUS,
ALIISQUE
ONERIBUS PUBLICIS
MEDII ÆVI.

DISSERTATIO
DECIMANONA.



DE TRIBUTIS, VECTIGALIBUS, ALIISQUE ONERIBUS PUBLICIS MEDII ÆVI.

DISSERTATIO DECIMANONA.

SEd quibuſnam quæſo Fiſcus olim alebatur? Nemini umquam Principum libris aut magiſtris opus fuit, ut rationem addiſcerent exigendæ colligendæque a Populo pecuniæ, tum ad ſuſtinendam dignitatem, tum ad belli neceſſitates, ac tutelam Regni. Ars hæc facilis unicuique, dum Populos habeat ſubjectos atque morigeros, & ferendo jugo adſuetos. Idcirco uti olim, ita & tempore Langobardorum, Francorum, aliorumque Italiæ dominantium in uſu fuere *Tributa*, quæ a Populo vel in pecunia numerata, vel in agrorum fructibus exſolvebantur. Præterea *Vectigalia*, quæ ex mercium, rerumque venalium invectione & exportatione capiebantur, ſive ad portus & portas, ſive in viis, pontibus, & ad flumina: quæ etiam *Portoria* veteres appellarunt. Ad hæc, ut in præcedenti Diſſertatione oſtendi,

A *Multæ* non leves, nec paucæ ad Ærarium Principis deferebantur. Quibus adde *Cenſus* & *Fundos*, qui in privato aut publico Regum patrimonio numerabantur, non ſecus ac privatorum Allodia, uti Cortes, Silvæ, Prata, aliaque id genus prædia, tum Salinæ, Metallorum fodinæ, Lacus, & Flumina piſcoſa &c. Denique alia erant *Onera publica*, quæ nil ſane pecuniæ Fiſco pariebant, nihilo tamen ſecius multum auri & argenti, aut multum incommodi ac laboris e Populo extorquebant. De ſingulis nunc aliquid eſt nobis diſſerendum. Romani Populi Vectigalia qui reſcire cupit, adeat Librum hac de re editum a Cl. V. Petro Burmanno. Ad *Capitationem* ſive *Cenſum*
B *capitum* quod attinet, ſive ex animalium, ſive ex ipſorum hominum capitibus exigeretur, ea certe ſub Romanis rerum dominis nota ac uſurpata fuit, uti viri docti jamdiu animadverterunt, quos enumerare ſuperfluum puto. Ejuſmodi oneris ne noſtris quidem temporibus ignota eſt gravitas in quibuſdam Populis. Plebeji tantùm ejuſmodi tributo olim obnoxii. Sed & Nobiles ab iis minime immunes, Apollinaris Sidonius ævo ſuo oſtendere videtur. An autem & Sæculis poſterioribus Italia, ſub Barbaris poſita, obnoxia eidem tributo fuerit, mihi ſane ſub nubilo res eſt: nihil enim horum habent Langobardicæ Leges, & nimis pauca

ejus rei monumenta ad nos pervenere. Certe Græci non ignorarunt. Namque Anaſtaſius in Vita Vitaliani Papæ de Conſtantino, ſeu Conſtante Auguſto ad Annum DCLXVIII. hæc habet: *Habitavit in Civitate Syracuſana, & talem afflictionem poſuit in Populo, ſeu habitatoribus Calabriæ, Siciliæ, Africæ, Sardiniæ, per diagrapha, ſeu capita, atque nauticationes per annos plurimos, quales a ſæculo numquam fuerant.* Tributum a Bonifacio VIII. Papa Lib. 4. Epiſt. 217. memoratum, idem eſt atque Capitatio. Ad hæc affirmare non auſim, an ſub Langobardis & Francis *Tributa* a terrarum poſſeſſoribus in Italia penderentur. Exſtitit quidem Ludovici Pii Auguſti Lex Langobardica 31. his verbis concepta: *Quicumque Tributariam terram, unde Tributum ad partem noſtram exire ſolebat, vel ad Eccleſiam, vel cuilibet alteri tradiderit, is, qui eam ſuſcepit, Tributum, quod inde ſolebat ſolvere, omnimodis ad partem noſtram ſolvat, niſi fortè talem firmitatem habeat de parte noſtra, per quam ipſum Tributum ſibi perdonatum poſſit oſtendere.* Sed hæc *tributaria terra* nil aliud eſt quàm *cenſualis terra*, in ſubſequenti Lege 22. ejuſdem Auguſti memorata, hoc eſt, quæ colonis tradebantur, ut annuum cenſum redderent. Incolendæ autem terræ dabantur aut Servis, aut Aldionibus, interdum quoque Liberis hominibus, annuo Cenſu conſtituto. Cujus conſuetudinis exempla habentur complura in Chronicis Vulturnenſi, & Farfenſi, atque in his ipſis Libris. Statutum fuit in Lege Salica Tit. 43 de homicid. ingenuor. Cap. 8. *Si quis Romanum tributarium occiderit, millecentingentis Denariis culpabilis judicetur.* Pithoeus in Gloſſar. Leg. Salicæ inde hauſit, *Romanos tributarios* fuiſſe appellatos; *nec enim Franci ingenui pendebant Tributum.* Gregorium Turonenſem teſtem adducit, qui Lib. VII. Cap. XV. Hiſtor. Francicæ ſcribit: *Ipſe multos de Francis, qui tempore Childeberti Regis ſenioris ingenui fuerant, publico tributo ſubegit.* Pithoeo ſubſcribit Du-Cangius. An Romani tantùm, hoc eſt deſcendentes ex iis, qui ante Francorum adventum Galliam incolebant, Tributo obnoxii fuerint, Franci verò Ingenui omnes immunes ab eo, ſat firmis rationibus nondum fortaſſe demonſtratum eſt. Unum ego nunc contendo: nempe ex eo Salicæ Legis loco nihil certi effluere ad confirmandam ejuſmodi ſententiam. *Romanus tributarius* ibi, ſi quid video, hominem tantummodo ſignificat Romanæ Legi addictum, a quo *tributarium* aliquod prædium excolebatur. *Beneficiarii* quoque appellabantur, qui Cenſum ſeu Tributum domino prædii reddebant. Heic autem Aldiones ſignificari, non verò Liberos & ingenuos homines, Lex anterior ſatis indicat. Nam *Romani tributarii* cædes luitur *quadraginta quinque Solidis. Si verò Romanus homo poſſeſſor, hoc eſt qui res proprias poſſidet* (id autem ſignificat Nobilem ſeu ingenuum) occiſor, *Solidis centum culpabilis judicetur.* Ergo non hinc inferendum, Romanos quoslibet in Regno Francorum *Tributarios* fuiſſe, hoc eſt tributa perſolviſſe, a quibus Franci ingenui abſoluti forent; ſed *Tributarii* vox illic explicanda eſt, ut modò dictum eſt *de terra Tributaria*. Poſſem hoc aliis Auctoribus confirmare, ſed illud dumtaxat, quod ſupra ſtatui de *terra tributaria*, ſive *cenſuali*, exemplo uno roboratum volo, videlicet Placito, cujus apographum olim vidi in Archivo Capituli Canonicorum Cremonenſium, ſimulque in vetuſto Regeſto Epiſcopii ejuſdem Urbis. Contendebat Advocatus Fiſci Regii, Curtem Auce obnoxiam eſſe tributo, ſeu cenſui annuo decem Solidorum auri. Tunc Landus Epiſcopus in Placito coram Miſſo Berengarii Regis exeruit Diploma Caroli Craſſi Auguſti, per quod eadem Curtis ab omni Tributo immunis oſtendebatur.

Landus Epiſcopus Cremonenſis coram Gauſone Miſſo Berengarii Regis in Placito Cremonenſi ſententiam obtinet, ne cenſum annuum pro duabus Curtibus perſolvat Cameræ Regiæ, Anno 910.

DUm in Dei nomine Civitate Cremonæ, hubi Domnus Berengarius glorioſiſſimus Rex preerat, ad domum Epiſcopii ipſius Cremonenſis Eccleſie .... *reſideret Gauſo Vaſſus & Miſſus Domni Regis ex hac cauſa conſtitutus, reſidentibus cum eo Ambroſius Cancellarius, Gualbertus, Sichardus Judex* ..... *Cremonenſis, Leo Archipresbyter, Petrus, Lambertus, Rampertus Presbiteris, Lupus Archidiaconus, Al'o, Oldebertus Diaconis, Cardines ipſius Epiſcopii, Rodelandus, Vulmanus* ..... *& reliqui plures* .... Landus Epiſcopus ejuſdem Sedis, *una Adelbertus Vaſallo & Advocato ſuo, & oſtendit ibi Preceptum unum, ubi continebatur in eo ab ordine, ut hic ſubter legitur*: In nomine ſancte & individue Trinitatis. Karolus divina favente clementia Imperator Auguſtus. Si petitionibus Sacerdotum juſtis & rationabilibus annuimus, & neceſſitudinem injuſtam ſublevamus, id nobis procul dubio ad eternam beatitudinem capeſſendam pertinere confidimus, quia decet Imperiale faſtigium ſibi ſubditam partem oppreſſam pravitate ...... erigendo, & ad proprium Deo favente ſtatum redintegrando perducere. Quapropter omnium Sanctæ Dei Eccleſiæ fidelium, noſtrorumque preſentium ſcilicet ac futurorum comperiat induſtria, quia venientibus nobis Ravennam ad colloquium ſpiritalis Patris noſtri Domni Johannis videlicet ſummi Romani Pontificis *&c.* (1) Data XI. Kalendas Martii, Anno Incarnationis Domini DCCCLXXXII. Indictione XV. Anno verò Imperii Domni Karoli Secundo. Actum Ravenna Civitate in Dei nomine feliciter. Amen. *Eſtat Preceptum ipſum firmatum manu propria idem Domni Karoli Imperatoris, & ad ejus anulum ſigilatum. Preceptum ipſum hoſtenſum, & ab ordine relectum. Interrogati ſunt ipſi Landus Epiſcopus & Adelbertus Advocatus, pro quod Preceptum ipſum hoſtendiſſet: qui dixit*: Ideo Preceptum ipſum hic veſtri preſentia hoſtenſi, ut nec quiſlibet dicere poſſit, quod pars hujus Epiſcopii Cremonenſis eum ſilens aut occulte aut conludioſe abuiſſem aut detenuiſſem; & quod plus eſt, ut audivimus, iſte Lupus filius quondam Ariperti, abitator hujus Ci-

(1) Ut in Privilegio Arretii exiſtente, & ſupra edito in Diſſert. XV.

Civitatis Cremonenſis, Advocatis Curtis Domni Regis Auce, que dicitur Magiore, & Caſtenedulo, qui hic preſens eſt, querit nobis Cenſum Solidorum Septem & dimidio, pro ſilvis & terris a parte ipſius Curtis Auce, que dicitur Magiore, ſeu Caſtenedulo annualiter perſolvendum; quod nos juſta ſupraſcriptum Preceptum da pars ipſius Epiſcopii nullum Cenſum nec ullam redibitionem dare nec perſolvere debemus. Querimus, ut dicat, ſi ipſum Cenſum a pars ipſius Curtis Auce, que dicitur Magiore, & Caſtenedulo aliquod pertinet, an non. *Qui & ipſe Lupus Advocatus dixit, & profeſſus eſt:* Vere Preceptum ipſum, quam hic oſtendiſti, bonum & verax eſt; & Cenſum ipſum Solidorum ſeptem & dimidio, quod vos dicitis, a parte ipſius Curtis Caſtenedulo, nec jam dicta Curte Auce, que dicitur Magiore, juſta ipſum Preceptum nihil pertinet ad querendum, nec pertinere debet cum lege: & ipſum Cenſum da pars ipſius Epiſcopii ne queſivimus, ne querimus, quia cum lege non poſſumus. *His peractis, & manifeſtatio ut ſupra facta, paruit ſupradictis Auditoribus eſſe recte, & judicaverunt, ut juſta eorum altercationem, & eidem Luponi Advocatori profeſſione & manifeſtatione, ipſe Lupus Advocatus, & pars Regia, & ipſius Curtis Auce, que dicitur Magiore, & Caſtenedulo, maneant de predictum Cenſum juſta ipſum Preceptum taciti & contenti, & pars ipſius Epiſcopii ſint exinde ſoluti & indempnes. Et finita eſt cauſa. Et hac notitia pro ſecuritate parte ipſius Epiſcopii fieri juſſimus.*

Quidem & ego Rotifredus Notarius Domni Regis ex juſſione Domni Regis, & ammonitione ſupraſcriptorum Judicum ſcripſi, Anno Regni Domni Berengarii Regis Deo propitio Vigeſimo Tertio, Menſe Novembris, Indictione Quartadecima.

Andreas Diaconus & Capellanus Domni Regis interfuit.

Johannes Clericus de Verona interfuit.

Ego Ambroſius Diaconus & Cancellarius Domni Regis interfui & ſubſcripſi.

Gauſus interfui.

Gualpertus Judex Domni Regis interfui.

Sichardus Judex Domni Regis interfui.

Biſonius Judex Domni Regis interfui.

Petrus Notarius interfui.

✠ ✠ ✠ *Signum manibus ſupraſcriptorum Bernardi, & Pagani, ſeu Reginerii Vaſſi Domni Regis, qui interfuerunt.*


✠ ✠ *Signum manibus ſupraſcriptorum Beboni, & Miloni item Vaſſi Domni Regis, qui interfuerunt.*

✠ ✠ *Signum manibus ſupraſcriptorum Oderici, Ingelrimi, ſimilique Vaſſi Domni Regis, qui interfuerunt.*

A Chartæ hujus ope Chronologiam Epiſcoporum Cremonenſium apud Ughellium Tom 4. Ital. Sacr. vitiatam reſtituere licebit. Exhibet ille nobis ab Anno DCCCCIV. uſque ad Annum DCCCCXIII. *Landulphum* Epiſcopum Cremonenſem, qui, ut is ait, *ab Hugone Italiæ Rege retulit confirmationem omnium Privilegiorum*. Heus bone Ughelli: poruitne Landulphus, ut putas, Anno DCCCCXIII. e vivis ſublatus, impetrare Privilegia ab Hugone, qui Anno tantùm DCCCCXXVI Rex Italiæ renuntiatus fuit? Ughellius tamen agnovit & ipſe *Landonem* Cremonenſem Antiſtitem, eumque Cathedram aſcendiſſe cenſuit Anno DCCCLXXVI & circiter Annum DCCCCIV. naturæ debitum perſolviſſe. Fallitur tamen. B En *Landonem* Anno quoque DCCCCX. viventem: ac proinde *Landulfus* ille Epiſcopus inter Landonem & Johannem ab eo memoratus, aut idem fuit atque Lando, aut Epiſcopus eſt per errorem confictus; & ſi verus is fuit, alio in loco reponendus. Ceterum *Glandatici*, *Herbatici*, *Eſcatici* &c. ſcilicet Cenſus, non verò tributi, mentio eſt in veterum Chartis: quem cenſum reddebant in terris alienis aut publicis colligentes glandem, ſeu eſcam pro ſuis animalibus. In Capitulari Sicardi Principis Beneventani apud Peregrinium, Caput Vigeſimum nonum jam deperditum ita inſcribitur: *Ut non tollatur a Tertiatoribus Excuſaticum & Porcos*. C Sunt qui legendum ibi cenſeant *Excuſſaticum*: alii *Excluſaticum*, conjecturis ægre probandis. Reſtituendum ibi *Eſcaticum & Porcos*. Nam *eſca* pro glande & porcorum cibo ab antiquis uſurpata eſt; & *Eſcaticum* ſæpe occurrit. In Chronico Vulturnenſi Charta Anni DCCCCLXXII. pag 435. habet: *Qui verò porcos habuerint, ex eis dent Eſcaticum de undecim porcos unum*. Qui ad etiam *paſcua publica*, hoc eſt ad Fiſcum Regis ſpectantia, ſuos porcos, aliave ſua animalia ducebat, Cenſum exinde, ſeu vectigal perſolvere cogebatur. Ab ipſo onere Farfenſes Monachos immunes reddidit Ludovicus Pius, ut in Chronico ejuſdem Cœnobii legitur, Part. II. Tomi II. Rer. Italicar. D pag. 380. Scilicet ait Scriptor Monachus, *omnia animalia hujus Monaſterii in finibus Ducatus Spoletani per paſcua publica omni tempore pabulare debeant vel nutriri (ſimiliter hominum noſtrorum) ſine Datico, Herbatico, Eſcatico, vel Glandatico*. In Diplomate Ottonis Magni Auguſti pro eodem Monaſterio Monachis iis conceditur jus pabulandi *ſine omni Datione* (nunc *Dazio*) *Caſtaldatico*, cenſu nempe: quem pro ſe expoſcebant Caſtaldii Regii, *Eſcatico*, *Erbatico*, *Glandatico*. Eſt etiam mentio *Alpatici* in monumentis Eccleſiæ Piſtorienſis, unde ſubſequens Diploma hauſi.

Ottonis III. Auguſti Præceptum, quo jura ac Privilegia cuncta confirmat Antonino Epiſcopo Piſtorienſi, ejuſque Eccleſiæ, Anno 998.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Otto Dei gratia Romanorum Imperator Auguſtus. Omnibus noſtris fidelibus notum ſit, quomodo nos pro Dei amore, noſtræque animæ remedio, Epiſcopatui Piſtorienſi in honore Sanctorum Zenonis, Rufini, & Felicis, omnes res & proprietates ſibi pertinentes, hoc eſt, terram vacuam, ubi Mercatum eſt infra Civitatis, quæ tenet unum caput in Gardingo & aliud caput in via Regia; unum latus in terra caſa Sancti Zenonis, & in terra terſimannatika; aliud latus in Via Regia, Villam de Pavana; & Montem Lemnſi, & Curtem in Saturnana; Curtem Sanctæ Mariæ in Brana; Curtem Vinaclianam; Curtem Wiſiaræ; Villam de Runco; Curtem Cellori; Curtem Camugnanum; Curtem de Fabiana; Curtem de Tabiano; Curtem de Sarano; Curtem in Nievre; Curtem in Piſcia; Curtem de Lizano; Curtem de Mucille; Curtem Sanctæ Criſtinæ, Curtem in Sena, ubi Medini & Viceconsi habitatur; Curtem in Brajanico; Curtem de Sero; Curtem a Burgo Cornio; Curtem ad Sanctum Juſtum; cum omnibus pertinentiis & adjacentiis earum: Plebes etiam de Tabiano, de Sancto Stefano in Urbaria, in Cretis, in Artimino, Sacane, in Quarrata de Sancto Paulo, de Sancto Juſto, de Lavore, de Burgo, de Sancto Laurentio, de Sancto Ypolito, quæ vocatur Viſia, de Saturnana, de Sancto Georgio, de Celle, de Maſſa, de Furſalo, de Lizano, de Sancto Johanne de Villiano: & ubicumque inventæ fuerint, cum omnibus pertinentiis & adjacentiis earum; cum ſervis & ancillis, pratis, paſcuis, campis, ſilvis, ſtalareis, terris cultis & incultis, aquis aquarumque decurſibus, molendinis, piſcationibus, ripaticis, toloneis, mercatis, ſibi & Antunino ejuſdem Sedis Epiſcopo ſuiſque ſucceſſoribus omnia, ſicut ſupra ſcripta ſunt, vel Deus in futuro augeri ibidem voluerit, noſtra Preceptali auctoritate roboramus, & penitus in proprium ſtatum confirmamus: eo videlicet ordine, ut ita permaneat ſine omnium hominum contradictione, moleſtatione, & diminoratione. Precipientes denique jubemus, ut nullus Dux, Archiepiſcopus, Epiſcopus, Marchio, Comes, Vicecomes, Sculdaſius, Kaſtaldio, nullaque noſtri Regni magna parvaque perſona, prædictam ſanctam Dei Eccleſiam, vel Epiſcopos per tempora ibidem ordinatos, inquietare, moleſtare, aut de omnibus, quæ ſupra leguntur, diſveſtire; vel ſupra terram ejuſdem reſidentibus fodrum, aut toloneum, vel ripaticum, vel Alpaticum tollere preſumat. Si quis igitur hujus noſtræ donationis, & confirmationis Præceptum rumpere temptaverit, componat mille Libras auri optimi, medietatem Camere noſtræ, & medietatem jamdicte Eccleſiæ, ſuiſque Rectoribus. Quod ut verius credatur, & ut diligentius ab omnibus obſervetur, manu propria roborantes, ſigillo noſtro ſigillare juſſimus.

Signum Domni Ottonis  *invictiſſimi Imperatoris Auguſti.*

Eribertus Cancellarius vice Petri Cumani Epiſcopi recognovit.

Data V. Kalendas Marcii, Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXCVII. Indictione XI. Anno Tertii Ottonis Regni XV. Imperii II.

Actum Romæ feliciter.

Ego Ranuccius cauſarum Patronus, & Judex, Tabellioque Imperialis vidi & legi autenticum ſcriptum, & ex eo hoc aliud probabiliter exemplavi, in tempore Ildibrandi Epiſcopi.

Ego Ildibrandus Notarius & Judex autenticum illud vidi & manu mea ſubſcripſi.

Pro Anno DCCCCXCVII. ſcribendum utique eſt DCCCCXCVIII. Nam iſto Anno decurrebat Indictio XI. & Annus Secundus Ottonis Tertii. *Terraticum* vero Cenſus fuit, quem ex cultura agri alieni reddebant villici, puta tot modios tritici, hordei, milii &c. Interdum tamen tributi publici genus fuit. Comes Rogerius de Ariano, uti Falco Beneventanus tradit ad Annum MCXXXVII. Tomo V. Rer. Italicar. pag. 123. jurejurando pollicitus eſt, ſe a Beneventanis non ablaturum deinceps *de cunctis eorum hereditatibus fidantias, angarias, Terraticum, olivas, vinum, ſalutes, nec ullam Dationem ſcilicet de vineis, terris aſpris, ſilvis, caſtanetis, & Eccleſiis. Et liberam facultatem tribuit in hereditatibus Beneventanorum venandi, aucupandi* &c. Refert idem Falco Privilegium eiſdem Beneventanis a Rogerio Rege Anno ipſo MCXXXVII. conceſſum, in quo eis dimittit *fidantias, videlicet denariorum redditus, ſalutes, angarias, Terraticum, Herbaticum, Carnaticum, Kalendaticum, vinum, olivas, relevum* &c. Ita Anno MXXIX. Conradus I. Auguſtus, ut eſt in Tom. V. Ital. Sacr. Æmonienſi Epiſcopo *Villam Sancti Laurentii* confirmat *cum Placitis & Diſtrictibus, Collectis & Angariis, Foro, Suffragio, Herbatico, Eſcatico, ceteriſque publicis fructuationibus* (legendum opinor *functionibus*) *& pertinentiis*. Quot genera Angariarum, Vectigalium, ſive Tributorum tunc in uſu forent, hinc intelligas. *Arimani* etiam, ſeu *Milites*, *quartum* de terris ſuis perſolviſſe deprehenduntur, ut infra videbimus in Privilegio Friderici I. Auguſti. Fuit & *Plateaticum*, tributum videlicet, quod pendebatur a venumdare volentibus in Platea, quamquam ea vox translata fuerit ad alias tributorum ſpecies. Ejus mentio eſt in Charta, quam decerpſi e MSto Codice Cencii Camerarii, ubi agitur de præſtandis Romano Pontifici a Civibus Caſtelli Nimphæ. Hæc autem dicitur excerpta e *Regeſto Paſcalis II.* Pontificis.

Char-

Charta de fidelitate & ſervitiis a Nimphiſinis Romanæ Eccleſiæ faciendis. Circiter Annum 1108.

HÆc ſunt, quæ facient Nimphiſini. Fidelitatem facere beato Petro & Domno Paſchali Papæ, ejuſque ſucceſſoribus, quos meliores Cardinales & Romani elegerint. Hoſtem & Parlamentum, cum Curia præceperit. Servitium, quod aſſueti ſunt facere, & Placitum & Bannum faciant beato Petro & Papæ. Quartam, quam reddere debent, deinceps reddant ad menſuram Romani modii: & ſi Miniſter præcipit, conducant eam uſque Tiberiam, vel Ciſternam. Glandaticum ſolvant in feſto Sancti Martini. Bradones bonos bonos in feſto Sancti Thomæ. De carico uniuſcujuſque ſandali ſolvant denarios ſex. Fidantiam in unoquoque anno. In Menſe Madio Libras triginta de Papia bonorum. Platiaticum, quod extranei debent ſolvere Curiæ, ſolvatur. Foderum, quod debuerant A Domno Papæ uno die, dent duobus. Molendina, quæ Dominus Papa nunc tenet, ſcilicet duodecim, quæ ſunt extra, & unum, quod eſt ſupra Lacum, quieta dimittant. Murum Civitatis deſtruant ſecundùm præceptum Curiæ, nec ſine ejus licentia eum ædificent.

Teſtes ſunt hi: Dominus Petrus Leonis: Petrus de Franco: Leo de Domino Petro de Leo: Ubicio Seni Miles: Beneincaſa Piſcatore: Conſtantius Dapifer: Zoffo de Cajaze: Giſalfo Romanus de Calvo: Ugizone de Johanne Tinioſo: Paganus.

Sed præcipue intelliges, quid jus Plateæ, ſive Plateaticum fuerit, ex Charta, quam e Tabulario Monaſterii Cavenſis depromtam exhibeo.

Giſulfi II. Principis Salernitani Diploma, per quod Alphano I. Archiepiſcopo Salernitano omnia jura ac bona confirmat, Anno 1058.

IN nomine Sancte & individue Trinitatis. Giſulfus divina favente clementia Longobardorum gentis Princeps. Nos ab omnium Conditore dignas mercedes credimus accepturi, ſi ſanctis ac venerabilibus locis curam & ſolicitudinem impenderimus, & quod ab eorum cultoribus poſtulati fuerimus, in eiſdem ſanctis locis, pro ut poſſumus, adimpleverimus. Idcirco amore & timore ipſius Conditoris ac noſtri Redemtoris compulſus, qui pro ſalute noſtra mortem ſumere & pativulum Crucis ſubire non dedignatus eſt, ut nos a morte liberaret, & propriam vitam tribueret, & pro ſalute hujus noſtre Salernitane Patrie, & per interventum tuum, o Domne Archiepiſcope Alfane reverendiſſime ipſius Salernitani Archiepiſcopatus ſpirituali patri noſtro, & per poſtulationem Domne Gemme cariſſime Genitricis noſtre, confirmamus in ipſo Archiepiſcopio integram Eccleſiam Sancti Martiris Viti, que conſtructa eſt intra hanc Civitatem ſecus Plateam, que pergit ad Portam, que Elinus dicitur, & in ipſa Platea mercimonium conficitur. Et omnes terras & caſas ipſi Eccleſie pertinentes intra hanc Civitatem: & omnes res ſtabiles ipſi Eccleſie pertinentes foris hac Civitate, cum omnibus, que intra ipſas Eccleſias, terras & caſas & res ſunt, cunctiſque earum pertinentiis, & cum vice de Plateis, & viis & anditis ſuis, & cum muniminibus ex eo continentibus. Et cum omnibus rebus mobilibus ipſi Eccleſie pertinentibus, ea ratione, ut totum, quod dictum eſt, ſemper ſit in poteſtate tua Domni Alfani & ſucceſſorum tuorum, & pars ipſius Archiepiſcopii; & tu, & ſucceſſores tui, & pars jam dicti Archiepiſcopii licentiam habeatis de eo facere quod volueritis. Et confirmamus in eodem Archiepiſcopio omnes terras & caſas & potechas, ipſi Archiepiſcopio quomodocumque pertinentes intra hanc Civitatem juxta ipſam Plateam, in qua, ut dictum eſt, ipſum mercimonium conficitur, cum omnibus, que intra eas ſunt, cunctiſque earum pertinentiis, & cum vice de ipſa Platea, & de anditis ſuis; ut ſemper ſit in poteſtate tua, Domne Archiepiſcope, & ſucceſſorum B tuorum, & pars ipſius Archiepiſcopii, ad faciendum de eo tu & ſucceſſores tui, & pars ipſius Archiepiſcopii quod volueritis. Et concedimus in eodem Archiepiſcopio, ut quando tu & ſucceſſores tui & pars jam dicti Archiepiſcopii volueritis intra ipſas terras & caſas & potechas in ipſa Platea plancas, & ſecus eas ponere faciatis & habere quantas volueritis, & in ea ligamina rigere & habere, & ſuper eas edificia qualiter volueritis; & in ipſis terris & caſis & potechis & plancis, quot volueritis, homines ordinare licentiam habeatis: & carnes & alia mercimonia in eis mercimoniare & vendere & emere, qualiter tibi, tuiſque ſucceſſoribus & pars ipſius Archiepiſcopii placuerit. C Et ullo tempore a pars noſtre Reipublice aliquod Tributum vel Cenſum aut Servitium ſeu Penſionem illis ominibus tollere aut exigere querat vel imponere faciat: neque Portaticum ſeu Plateaticum in hac noſtra Civitate, & foris per totum noſtrum Principatum Salerni non dent. Sed omne Tributum & Cenſum & Servitium, Portaticum & Plateaticum & Penſionem, quod per annum pars ipſius noſtri ſagri Palatii illi, qui in eis, ut dictum eſt, mercimoniaverint & vendiderint & emerint, facere & perſolvere debuerint, tibi tuiſque ſucceſſoribus & parti ipſius Archiepiſcopii faciant & perſolvant. Et confirmamus in eodem Archiepiſcopio omnia, que per Romanorum Pontificum D Privilegia ac Decreta, & per Imperatores & Reges ac per Principes predeceſſores noſtros anteceſſoribus veſtris, vobis, & in ipſo Archiepiſcopio confirmata & conceſſa per quemlibet modum fuerunt, & omnia, que in ipſo Archiepiſcopio ab aliis hominibus per quemlibet modum data fuerunt, ut ſemper ſint in poteſtate tua & ſucceſſorum tuorum, & pars ipſius Archiepiſcopii, ad faciendum ex eo quod volueritis. Et neque a noſtris Judicibus, Comitibus, Caſtaldeis, neque a quibuſcumque actoribus noſtre Reipublice, & quolivet tempore tu & ſucceſſores tui & pars ipſius Archiepiſcopii habeatis ex hoc, quod in dicto Archiepiſcopio conceſſimus & confirmamus, aliquam contrarietatem. Et ſemper

per

quæ & in perpetuum illud tu & ſucceſſores tui, & pars ipſius Archiepiſcopatus ſecuriter habeatis & faciatis ex eo quod volueritis.

Textum verò harum confirmationum & conceſſionum ſcribere præcepimus tibi ..... prandum Levitam & Scribam hujus noſtri ſacri Palatii. Anno nobis a Deo conceſſi Principatus Septuageſimo, menſe Majo concurrente, Indictione XI.

Quod extra in Diſſertat. XXXIII de Origin. Ital. Dialect. dicam, hoc eſt, enatam videri vocem noſtram Panca, ſive Banca, non ex Abaco, ſed ex Planca apud veteres Latinos uſurpata, hinc etiam confirmari poteſt. Occurrunt hic Plancæ, ſuper quibus in Mercato homines conſidebant, aut ſuas merces exponebant. Eaſdem nunc appellamus Panche, Banchi &c. Redeo ad Plateaticum Salernitanæ Eccleſiæ datum. Penſionem perſolvebant negotiatores, quicumque in Mercato exponebant merces ſuas. Ejuſdem verò Plateatici mentio eſt in Diplomate, quod Johannes Baptiſta Bolvitus a ſe viſum tradit in Archivo Cathedralis Eccleſiæ Sancti Andreæ Amalphiæ, adhuc Sigillo plumbeo munitum, & Anno Domini MLXXX ſcriptum: in quo *Dominus Marinus Sebaſtos Dux Amalphitanorum conceſſit Sergio filio Johannis, filii Landonis Comitis de Prato, conſanguineo ſuo, totum Plateaticum de omnibus piſcibus, & ſeptem loca pro conſtruendis Planchis juxta locum, ubi carnes & piſces venduntur in Amalfia: & apothecam cum ſua via ſuper Flumine majori ſubtus ejus Palatium prope mare.* Plateatici quoque mentio eſt in altera Charta Romana, ex prælaudato Cencii Camerarii MSto Codice excerpta, in qua enumerantur alia Tributa, ac multæ, quæ in Fiſcum Pontificium inferebantur. Præ ceteris verò ibi commemorantur *Forfituræ*, ideſt, *Foriſfacturæ*, quo nomine ſignificantur multæ, quæ pro delictis criminalibus exigebantur: & *Scadentiæ peregrinorum & extraneorum: & Scadentia Beneventanorum tota*. Du-Cangius *Excadentiam* ita interpretatur: *Bona caduca, quæ in Fiſcum cadunt, ſeu ex commiſſo, ſeu aliá quavis ratione*. Mihi tantummodo ea vox ſignificat Hereditates hominum ſive Civium, ſive Peregrinorum atque advenarum, decedentium ſine poſtremis tabulis, & ſine heredibus a Lege præſcriptis. Hæc Fiſco deferebantur.

Proprietas quæ remanſit Curiæ de Regalibus Beneventanis.

HÆc ſunt, quæ in Dominicatu Papæ remanſerunt. Quatuor Molendina de Donna: Duo Molendina de Sancta Barbara, & Molendina de Burgo: Turres, & Plateaticum *Portæ ſummæ: Hortos, & de Turre Corvuli*. Plaza de Pontemajori, & omnes Plancas cum Plateatico piſcium & foliorum. *Tignta Judæorum*. Plateaticum de Ponticello & Pontili. *Domos, quæ ſunt circa Palatium: Alnetum totum & Salicetum totum de Ponte Lepreſo, & Vineas Scullis, & vineam de Narciſi, & vineas de Carlo, & vineas Principis: Iſclas de Cellarulo: Cumpoſta: Pratum Dominicum: Viridarium: Balneum & Furnum:* Planca Piſcium, *& Curatura de Brudo Portæ Rufinæ: Vineam de Cantaro: Terra de Vinea Veterana: Eccleſias omnes: Vineam de Cellarulo medietatem: Donum Chriſtiani de Burgo Portæ Aureæ; Monetam & Electam, ideſt bannum: Medietas redituum de Placitis*, de Forfaturis & Scadentiis Peregrinorum & Extraneorum. Scadentia Beneventanorum tota.

Et profectò qui ſine *Heredibus* a Lege ſtatutis, ac ſine poſtremis tabulis decedebant, Fiſcum ſucceſſorem habebant. Non unum exemplum bonorum ad Fiſcum devolutorum, ex eo quod homines *ſine herede* ſuum obiiſſent diem, habes in Chronico Monaſterii Beneventani apud Ughellium Tomo 8. Durior autem Peregrinorum olim atque Exterorum fuit conditio. Si enim ſine poſtremis tabulis decedebant, Fiſcus in eorum bona ſtatim involabat, atque ex illius unguibus eripere raró Heredes a legibus vocati poterant. Quod tamen minime mirandum, quum noſtris quoque temporibus non Urbes dicam & Caſtella, ſed Regna ſint, in quibus nullus exteris perſonis relinquitur locus ad hereditatem Agnatorum ſive Cognatorum, & quidem etiamſi teſtamento heredes ſcribantur, Fiſco omnia vorante. Quum Sutrii olim Sacerdotes Peregrinis ægrotantibus falſum rumorem inſuſurrarent, a Fiſco eorum res capiendas, ſi ſine teſtamento decederent, ſuaſque ea occaſione Eccleſias curarent heredes ab iis inſtituendas: quomodo conſultum fuerit ejuſmodi avaritiæ ſequens Chartula edocebit, ex eodem Codice Cencii Camerarii deprompta.

Conſuetudines & jura, quæ habet Dominus Papa in Burgo Sutrino. Circiter Annum 1220.

IStæ ſunt conſuetudines & jura, quæ Dominus Papa habet in Burgo Sutrino. Quum aliquis Peregrinus in Burgo Sutrino fuerit infirmatus, ſi Sacerdos pro danda ſibi pœnitentia vocatus ad ipſum acceſſerit, debet ſecum habere Caſtaldum Curiæ. Quem ſi habere nequiverit, duos ad minus legales Vaſſallos Eccleſiæ Romanæ ſecum habebit, in quorum præſentia peregrinus de ſuis bonis pro ſua voluntate diſponat. Si aliter actum fuerit, peregrini diſpoſitio non valebit. Quod ideo noſcitur eſſe ſtatutum, quoniam Sacerdotes ſolitarii peregrinos adeuntes, proponebant eis, quod niſi de rebus ſuis omnia diſponerent, Curia ſibi omnia judicaret.

Quod tamen omnium maxime barbaricam crudelitatem Sæculorum præteritorum arguit, impia illa conſuetudo fuit, qua plurimis in locis naufragorum bona Fiſcus capiebat. *Lagan* ſeu *Laganum*, iniquum jus iſtud appellabatur, ad quam vocem conſule Du-Cangium in Gloſſario Latino, qui erudite oſtendit, pravum hunc morem & Græcis & Romanis antiquis, ac deinde reliquis fere Nationibus familiare fuiſſe. Ego ejus veſtigia in Italia quoque deprehendi, quæ tamen mitius quàm reliqua Regna hac in re ſemper ſe habuit. Accipe Chartam, quam ex Tremetenſis Monaſterii Canonicorum Regularium Lateranenſium Tabulario deſcriptam ad me miſit pro ſuo erga me amore doctiſſimus P. Pompejus Alexander Bertius Lucenſis e Congregatione Matris Dei.

Dona-

Donatio Civitatis Gaudiæ facta a Teſſelgardo Comite Larinenſi Alberico Abbati Monaſterii Tremetenſis, Anno 1045.

IN *nomine Domini . Anno Quadrageſimo primo Principatus Domini Pandolfi glorioſi Principis , & Septimo Anno Principatus Domini Landolfi filii eximii Principis filii ejus, menſe Julii , XIII. Indictione . Poſtquam a Paradiſi gaudiis humanum genus in primo Parente expulſum eſſet , & caſibus atque ruinis plurimis crebreſcentibus una mors rapit homines mille modis , & nonnumquam prævenit mors languorem , antequam languor præveniat mortem ; & quidem , ut experimento cognovimus , eſt ordo naſcendi , & non moriendi : hæc tamen omnia pertractans ego* Teſſelgardus Comes *filius bonæ memoriæ* Teſſelgardi Comitis ex Civitate Benevento , *ex corde ſollicito cogitare cepi , & ante oculos mei cordis hæc omnia jugiter conſtitui . Et cum eſſem incolumes & ſanam ..... habens mentem , & recte loqui me profiteor ... ... Edicti tenorem , ſubito inſpiratus divina clementia , compunctuſque mente conſideravi , qualiter mea commiſſa celare non valerem , niſi elemoſinis & miſericordiarum operibus . Quapropter ego predictus Teſſelgardus bona mea voluntate ante preſentiam Johannis Judicis aliiſque ſubter ſchriptis teſtibus offero atque concedo in Monaſterio , quod ſitum eſt in Inſulis , quæ vocantur Tremiti , cujus vocabulum eſt ſanctæ Dei genitricis Mariæ , & cujus regimen annuente Domino gubernat , & regit* Domnus Albericus *venerabilis & religioſus* Abas, *ipſam* Civitatem , *quæ vocatur* Gaudia , *quæ videtur eſſe pertinentem noſtri Comitatus Larinenſis , habente hos fines . De prima parte incipit ab fonte fluminis Fortoris cum medietate aquæ , & ſicut pergit per lictorem maris , & vadit uſque ad Stagnum Fantinæ , quæ facit Vallonem de Vena de Cauſa , & aſcendit per ipſum Vallonem per medietatem aquæ uſque in Caſtellaro vetere de Vena de Cauſa , & deinde revolvente per ipſam viam Carraram , & pervenit in ipſo Caſale Geniſtrino , & deſcendente in ipſo Colle Petri ...... eo quo modo deſcendit per ipſam viam & pervenit in ipſo Molino Roffrinæ fratris mei , & vadit in vetere Ponte Fortoris flumine , & deſcendit per medietatem ipſius fluminis uſque in foce maris .* Et *cum omnibus ſuis pertinentiis, & cum tranſitis & exitis ſuis , & cum terris cultis & incultis , vineis , vinealis , cum arboribus fructiferis & infructiferis , ſilvis , aquis , pratis , paſcuis cum inferioribus & ſuperioribus , & cum omnibus infra ſe habentibus . Et hæc omnia offero & trado prædictæ Eccleſiæ , & tibi Domno Alberico venerabilis Abbas & tuis ſucceſſoribus , & omnibus Fratribus tecum degentibus , quantum pertinens eſt mibi ; tali igitur ordine , ut perpetuis temporibus poteſtatem habeas tu , & tuis ſucceſſoribus conducere homines ibi ad habitandum , & Civitatem conſtruendam , & Molina in ipſa aqua fluminis facienda , & vineas propagandum , & paſtinandum .* Et *omnia , quæ & qualiter veſtra voluntas fuerit , ſine contrarietate mea , meiſque heredibus , & de omnibus hominibus ; excepto portum Fortoris , quod reſervavi in mea poteſtate hoc tenore : ut ſi voluntate Dei ex hoc migravero ſeculo ego Teſſelgardus , & ſi filios relinquero, & ſi filii mei filios dimiſerint,*

A *habeant illum ; ſi autem filios non habuerint , revertatur ad ſupradictam Eccleſiam . Parentes verò alii nullam ibi habeant poteſtatem loquendi ex eo aut ereditandi .* Et ſi naufragium patiatur quelibet navis in ipſo mare , quantum pertinet in noſtræ offertionis, obligo me ego Teſſelgardus , ut nullam exinde tollam , ſed tuæ ſit poteſtati, tuiſque ſucceſſoribus, liberos eos dimittere abſque omni leſione .

Et hanc noſtram offertionem , ſicut ſuperius legitur , & cum omnibus, quæ ſupra diximus , optulimus & offerimus pro anima patris mei Teſſelgardi, & genitricis *meæ* Mariæ , & Bertæ Materteræ *meæ, & pro anima mea, qui ſupra,* **B** *Teſſelgardi , mearumque uxorum mortuis & vivis ; quarum nomina ſunt ,* Marada , & *pro anima* filiorum *meorum* Teſſelgardi & Bernardi , & Potum : *necnon* & fratrum *meorum* Roffria & Malfria . *Et ex his omnibus nihil eis , vel nobis reſervavimus poteſtatem , ſed omnia tradimus tibi ſupradicto Domino Abbati tuiſque ſucceſſoribus ad poſſidendum & dominandum & faciendum quæcumque volueritis . Excepto hoc , quod volumus , ut quotieſcumque neceſſe nobis fuerint equitantes ad prœliandum vel ad loquendum ab iſta parte fluminis , in qua habitamus nos , omni tempore ſequantur nos quanti equitantes inventi fuerint contra Græcos* **C** *vel contra Apulos & finitimas Civitates . Obligo me meoſque heredes aliquando illos non querere .... quando uxor mea Beneventum itura eſt , omnibus temporibus habitatores Civitatis illius dent illis duos equos pro iſto itinere, quos iterum recipient apud . Quoniam ego mulier nomine* Alarada Comitiſſa *filia* Magenolfi Comitis , *quæ ſum* uxor *prædicti* Teſſelgardi Comitis *ſimiliter offero atque concedo coram preſcripto Judice & teſtibus , qui ſubter ſchripti ſunt , totam & integram meam Cartulam , quam & in præfatam Civitatem & pertinentiis ejus habere videor , conſentiente mihi & una mecum tradente ipſo prædicto Viro & Mundual-* **D** *dum meum , in qua legitur præphata noſtra offertione , quam pro ſalute animæ noſtræ , noſtrorumque parentum fecimus . Nec ego Teſſelgardus Comes , nec ego Alarada Comitiſſa reſervavimus aliquam poteſtatem nec noſtris heredibus , neque quibuſcunque hominibus , ſed totam & integram, ſicut ſuperius legitur , hanc noſtram offertionem , ſecuro nomine habere & poſſidere valeatis . De qua igitur ante ipſum præphatum Joannem Judicem , & aliis bonis hominibus, qui ſubter ſchripti ſunt, Gaudia dedimus nos Teſſelgardo & Alverada tibi Domino Alberico Abbati, & una tecum aſtantibus atque recipientibus Sifredo filius Adammi Advocatore* **E** *tuo , & mediatorem tibi poſuimus Roffria & Malfria fratres meos pro eadem Gaudia , & jam dicto Mediatore poſito obligamus nos qui s. Teſſelgardus & Alarada & noſtros heredes tibi Domino Alberico , tuiſque ſucceſſoribus , ut ipſa ſupradicta noſtra offertione ab omnibus hominibus anteſtemus & defendamus eam vobis . Quod ſi anteſtare vel defendere eam non potuerimus , aut ſi nos ex eadem noſtra offertione vobis accuſaverimus, aut veſtris ſucceſſoribus contendere voluerimus , vel de predicto Monaſterio ſub-*

ſubtrahere voluerimus, omni tempore inter noſtras quaeſtiones ſint tacitae. Et inſuper nos & noſtros heredes vobis veſtriſque ſucceſſoribus Ordo Monachorum centum Libras auri componamus, obligamus, & omnia adimpleamus, ſicut ſuperius legitur. Unde ipſi qui ſ. mediatores obligaverunt ſe & ſuos heredes ad pignorandum tibi Magnifico Domino Alberto venerabili Abbati, tuiſque ſucceſſoribus, vel cui ipſam Cartulam noſtrae offertionis in manu erit pro parte veſtra, ſanctique Monaſterii omnia ſuorum pignora legitima & illegitima per appoſitas homines ſive caballos, ſervi vel ancillae, caſis & vineis, ſi nos qui ſ. Teſſelgardus & Alarada obligavimus nos noſtroſque heredes ad pignorandum ſupradictos Mediatores eoſque heredes ad pignorandum, donec perveniatis ad verum finem. Et hanc Cartulam offertionis ſubſcripſi ego Petrus Diaconus & Notarius eo quod interfui.

Acta ſunt in Caſtello de Serra, Menſe & Indictione ſuperius ſcriptis feliciter.

✠ *Signum manus Teſſelgardi Comitis, qui hanc Cartulam offertionis fieri rogavi.*
✠ *Ego Dauferius Comes.*
✠ *Ego Simualdus Judex.*
✠ *Ego qui ſupra Joannes Judex ſignavi manu mea.*
✠ *Ego Bernardus Pater me ſubſcripſi.*
✠ *Signum manus Iſebardi filius Comiteni.*

Civitatem iſtam *Gaudiam* quiſpiam ſuſpicetur non aliam ab ea, quae ab Anonymo Ravennate Lib. 4. Cap. 33. appellatur *Gaudium*, hoc eſt *Caudis* Hirpinorum Oppidum. Sed quum Civitas maritima cenſenda ſit, ejuſmodi ſuſpicio inanis deprehenditur. An *Civita a Mare* hoc nomine deſignetur, alii inquirant. Interim tu verba illa perpende, quibus Teſſelgardus Comes ait: *Et ſi naufragium patiatur qualibet navis in ipſo mare, quantum in noſtrae offertionis, obligo me ego Teſſelgardus, ut nullam exinde tollam, ſed tuae ſit poteſtati, tuiſque ſucceſſoribus libere eos dimittere abſque omni laeſione.* Haec ſatis produnt, renuntiaſſe Comitem in finibus Civitatis dono datae nefando juri ſuo in naufragorum bona. Verùm tanta vi Romani Pontifices & Concilia in adeo inhumanam conſuetudinem invecti ſunt, ut melius ſapere didicerint Saecula poſteriora. Nunc autem in Bulla Coenae Domini pergunt iidem Pontifices anathema dicere in naufragantium ſpoliatores. Regredior ad juſtos reditus, quos olim Principes percipiebant. Atque heic producenda Charta Romana, per quam diſcimus, quos e Reatinis Civibus olim colligeret Camera Pontificia, hoc eſt *Placita*, *Banna*, *Forisfacta*, *Sanguinem*, *Plazam*, & *Scorta*, & *Paſſagium*. *Paſſagii* nomine neſcio an ſignificetur tributum exolvendum tranſitu mercium aut viatorum, an pro recuperanda aut conſervanda Terrâ Sanctâ. *Plazae* autem vox ambiguum ſenſum exhibet. Du-Cangius meminit quidem in ſuo Gloſſario Latino *Placiae*, & *Plaziae*: ſed quid ſignificarit, decernere auſus non eſt. Certum eſt, fuiſſe reditum Fiſcalem. Utrum verò *Plaza* fuerit *Piazza*, an *Piaggia*, dubitare quiſquam poſſit. Mihi veriſimilius eſt, ſignificatam fuiſſe hac in Charta *Plateam*: nam Italicum *Piazza* non rectâ ad nos venit e Latino ſive Graeco *Platea*, ſed ex Germanico *Platz*, idem ſignificante. Quod an efformatum fuerit ex ipſa Latina voce, aliis inquirendum relinquo. Pro *Platz* Itali dixere primo *Platza*, tum *Plaza*, denique *Piazza*: uti & Galli ac Britanni *Place*, & Hiſpani *Plaza*. Aliunde autem, hoc eſt a *Plagia*, deſcendit vocabulum *Piaggia* & *Spiaggia*. Domino autem *Plateae* conferebatur tributum, quod, ut nuper vidimus, *Plateaticum* appellatum fuit. En Chartam ipſam.

Inſtrumentum de juribus, quae debent Eccleſiae Reatini. Anno 1198.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Anno ſuae Incarnationis Milleſimo Centeſimo Nonageſimo Octavo, Indictione Prima, Anno Primo Pontificatus Domini Innocentii III. Papae, Menſis Auguſti die XIV. Judex Berardus Spanigenus Poteſtas Reatinae Civitatis, de communi conſilio & voluntate Matthaei Sinibaldi, Dodonis Berardi, Pifinelli, Rainucii Montis Garmari, Sinibaldi Hurtelli, Raynaldi Adamiganis, Marmontis & aliorum bonorum virorum Reatinae Civitatis, ſolvit Domino Papae treſdecim Solidos parvorum & triginta denarios Lucenſium, de juſtitiis Curiae Romanae, & promiſit de cetero reddere Domino Papae & Eccleſiae Romanae medietatem de Placitis, & Bannis, & Forisfactis, & de Sanguine, & de Plaza, & Scorto, & Paſſagio, & *Ponte Reatinae Civitatis. Quod vice Domini Papae Frater Ricardus Domini Papae Camerarius recepit, & in ſcriptum redigi juſſit, praeſentibus & rogatis teſtibus, ſcilicet Judice Romualdo, Bonojohanne Vercellenſi Domini Papae Subdiacono, Bartholomaeo Pallianenſi, Johanne Franciſco, & Sarzo.*

Et ego Albertinus ſanctae Romanae Eccleſiae Scriniarius de mandato ejuſdem Domini Papae, & Camerarii ſcripſi, & ſolito ſigno ſignavi.

Quod eſt ad *Vectigalia*, *Portoria*, atque alia ejuſmodi, quae nunc *Pedaggi*, *Gabelle*, *Dazj* &c. appellantur, certe illa vetuſtis Saeculis minime defuere. Diverſi autem generis extitere. *Telonei* vox generale fuiſſe videtur nomen vectigalis cujuſcumque. *Gabella* nunc nobis idem ſignificat, vox e Saxonicâ vel Arabicâ Linguâ ad nos derivata. *Pedagii* vocabulum (nam & haec vox antiqua eſt) etſi videatur Vectigalia quaeque olim complexum fuiſſe, attamen ſingulari ſignificatione Tributa deſignabat pendenda a tranſeuntibus per vias publicas, pontes, & flumina. Vectigal verò ad pontes perſolvendum *Pontaticum* appellari conſuevit: *Portaticum* ad portas. Sed quando *Pedatici* facta mentio eſt, ejus ſignificationem tibi explicabit Cardinalis Aragonius in Vita Sancti Gregorii VII. Papae, Tomo III. Rer. Italicar. pag. 305. ubi de Cencio Romano ſcribit: *Hic ſupra Pontem Sancti Petri conſtruxerat excelſam Turrim, & a tranſeuntibus de novo Pedaticum jugiter extorquebat.* Appellatum fuit *Pedaticum*, quod aliis eſt *Pedagium*. In Diplomate Ottonis II. Auguſti Anno DCCCCLXXXIII. pro Vulturnenſi Coenobio pag. 464. Part. II. Tomi I. Rer. Italicar. legitur: *Neque Placiaticum* (pro Platea) *Portaticum* (pro Portis) *Pontanicum* (pro Pontibus) *Caſaticum* (pro Domibus) *quiſquam homo, aut publicae rei exactor tollere aut exigere praeſumat.* In Diplomatis verò Francorum Auguſtorum

ſtorum memorata video *Rotaticum* , *Pulveraticum* , *Ceſpitaticum* , *Excluſaticum* , *Nautaticum* , *Roliaticum* , *Modiaticum* , *Viaticum* , *Salutaticum* , *Tranatisum* , *Cœnaticum* , *Foraticum* , *Mutaticum* , *Laudaticum* , aliaque Vectigalium aut Tributorum hiſpida nomina , quæ libens prætereo , quod neſciam, an in Italiam invecta umquam fuerint . Certe *Paſcuarium* vectigal fuit Fiſco perſolvendum , neque diſſimile , ut reor , ab *Eſcatico* aut *Herbatico* , A ob animalium paſturam in Regiis nemoribus , aut cenſus domino ſylvæ pendendus . *Agrarii* quoque mentio eſt , nempe tributi ſeu cenſus , perſoluti , ut videtur , a Paſtoribus ob ovium paſcua in agris publicis aut privatis , dum eas itineri longo committerent . Vectigalis aut Oneris iſtius mentio eſt in ſubſequenti Diplomate , quod mihi procuravit bonarum Literarum amantiſſimus Comes Ludovicus Caiſſottus , Senatus Taurinenſis Præſes .

Immunitas a publicis Vectigalibus conceſſa hominibus Monaſterii Novalicienſis a Carlomanno Francorum Rege Anno Ch. 768. aut 769.

„ *Carlomannus* gratia Dei Rex Francorum , Vir illuſtris , omnibus Epiſcopis , Abbatibus , Comitibus , Vicariis, Centenariis, vel omnes Miſſos noſtros ubique diſcurentibus. Illud enim ad ſtabilitatem „ Regni noſtri proficere credimus , ſi id quod „ Sacerdotes per opportunitatem auribus Serenitatis noſtræ ſuggeſſerint , libenti animo „ obtemperamus , & ad effectum perducimus . „ Igitur omnium fidelium noſtrorum magnitudo comperiat , qualiter nos pro mercedis „ noſtræ augmentum taliter ad petitionem venerabili viri *Domno Aſinario Abbati ad Caſa Sancti Petri Novalicio Monaſterii* conceſſimus , ut infra Regna Deo propicio noſtra , „ ubicunque ipſi homines Monaſterii pro ejus „ utilitatem negotiandum perexerint , aut de „ quocumque loco aliquid pro neceſſitatem „ ipſis Monachis conferre ad ipſo Monaſterio , „ aut adducere videntur , nullo Theloneo nec „ Pontatico , aut ulla redibitione de hoc , „ quod Fiſcus noſter recipere vel ſperare poterat , tam de Curru , quamque de Saumas , ſive de Navali Remigio, & quod ad „ dorſa uſu homines comportare videntur , „ aut de eorum pecora , vel de quibuslibet „ cauſis nulla , ut diximus , exinde ſolvere nec „ reddere non debeant . Propterea per præſentem auctoritatem noſtram jubemus , atque omnino præcipimus , ut nullus quisli- B „ bet de vobis aut de Judiciaria poteſtate , ſive „ de Miſſis noſtris , ut diximus , ipſos homines „ memorato Abbati , ejuſque Succeſſoribus , „ qui ad ipſo Monaſterio aſpiciunt , nullo , ut „ diximus, Teloneo, nec Pontatico , ſive Portatico , aut quod in Saumas , vel in dorſa comportare videntur , requirere nec exactare non faciatis, nec de eorum ovibus pro „ paſcuis diſcurentibus Pontatico nec Agrario „ non exactetis , ſed nec ad ambulandum aut „ revertendum pro ipſa paſcua eis contrarietatem non faciatis , niſi ſicut in noſtra elemoſina ipſum beneficium ad prædicta Eccleſia conceſſimus , ita abſque ullius repetitione noſtris & futuris temporibus ad ipſum C „ Monaſterium perduretur . Et ut hæc auctoritas firmior habeatur , vel in antea melius „ conſervetur , de annulo noſtro ſubtus ſigillare ſtuduimus .

„ Signum Carlomanno glorioſiſſimo Rege.

„ Maginarius recognovi .

„ Data in Menſe Octobris in Anno Primo „ Carlomanno glorioſiſſimo Rege .

„ Actum Codmoniaco , Palatio publico , in „ Dei nomine feliciter .

Alterum ejuſdem Regis Diploma addere heic juvat , pro ipſo Monaſterio Novalicienſi , ſed erroribus fœdatum innumeris , quos in vetuſtum deſcriptorem rejiciendos unuſquiſque fatebitur . Ego nihil immutatum volui .

Ejuſdem Carlomanni Francorum Regis Diploma , per quod Aſinario Abbati Monaſterii Novalicienſis immunitates, jura, ac bona quæque confirmat . Anno Ch. 769. aut 770.

Carlomannus *gratia Dei* Rex Francorum , *Vir illuſtris . Opportet enim clementiæ Regale* , *ut interceſſorum petitionis Sacerdotibus debeat begnigna accomodare aurem* , *ut quod pro timorem divini nominis poſtulatur* , *ponatur procul dubium ad effectum* , *ut fiat in mercedem conjunctio* , *dum pro quiete ſervorum Dei congrua præſtolatur petitio*, *quia fides perfecta non dubitat ad Altiſſimi gratiam pertinere* , *quod ſecundùm ſacro colloquio præcipui ad domeſticis fidei devota mente impenditur*, *quia ſcriptum eſt* : Beati pauperes ſpiritu , quoniam ipſorum eſt Regnum Cœlorum . *Ergo dum &* Abbo *una cum conſenſu & adjutorium* Valcuni Epiſcopi , Monaſterio *in honore beatorum Apoſtolorum Petri & Andreæ* , *ſeu ceterorum Sanctorum* , *in loco nuncupante* Novalicis in Valle Siguſina , *in proprietatis ſuæ* D *viſi ſunt edificaſſe* , *ubi ad præſens venerabilis vir* Aſinarius Abbas *una cum Congregatione Monacorum ſub Regula Sancti Benedicti* , *ſeu ceterorum Sanctorum Patrum* , *preeſſe dignoſcitur* , *miſſa petitione clementiæ noſtre* , *pro quietem ipſorum ſervorum Dei* , *præceptionem vigoris noſtri placuit propalare* ; *ſub quo tranquilitatis ordine* , *Domino protegente ipſi Monachi juxta Religionis normam perpetui valeant reſidere* , *elegimus* , *ut unica ſeries debeat plenius declarare* , *quia nihil de Canonica inſtitutione convellitur* , *quidquid ad domeſticis fidei pro tranquilitatis pace concidetur* , *ne nobis aliquis detrahendum eſtimet in id nova decernere carmina* , *dum antiquitus juxta conſtitutionem Pontificum per Regalem ſanctionem Monaſteria Sanctorum in Regno noſtro ſub libertatis privilegium videntur conſiſtere* , *etiam & iſte ad præ-* E *ſens*,

ſtro, adjuvante Domino, valeat conſiſtere. Et, ut aſſolet humana fragilitas, quandoquidem Abbatem de ipſo Monaſterio de hac luce Dominus migrare juſſerit, tunc de ipſa Congregatione monachorum competentem Regulæ & vitæ meritis congruentem ipſa Congregatio elegerit, ipſum præmittant Abbatem. Et ſi quæ rebus in Villis, agros, mancipias, vel reliquas quaſcumque, atque corporibus, aut Regis munere, ſeu ſupradictis Abbone, vel a quibuſcumquelibet hominibus eſt dellegatum, aut deinceps fuerit additum ad præfato Monaſterio, juxta quod eorum continetur Privilegium, unde ipſe Aſinarius Abbas confirmationem Domno & bonæ memoriæ Genitore noſtro Pipino quondam glorioſiſſimi Regis, *nobis protulit ad recenſendum, ſanctitum eſſe cognovimus, nullus Epiſcoporum, ut diximus, nec præſens neque futuris Succeſſoris, ſeu Archidiaconum, vel eorum Ordinatores qualibet perſona poſſit quoque de loco ipſo aliquid contra rationis ordine auferre, aut aliqua Poteſtate de ipſo Monaſterio, vel rebus ibidem aſpicientibus præter id, quod ſcriptum eſt, adeptare, ſeu aliquid quaſi pro commutationis modo munificat minuere, aut de Monaſterio ornamentorum aſſertionem in Altario indicite tollere, nec ad ipſo Monaſterio Celulas quoque uſu, niſi tantum pro largienda * orationem, aut ſacris benedictionibus, vel Altaria conſecrando, ſi invitati fuerint, abſque diſpendio vel commodo de ipſo Monaſterio accidat, penitus non præſumant: quod facilius ſolvendum dellegationibus votum ipſius firmæ auctoritatem ad ipſo Monaſterio, abſque illius inquietudine, ibidem cuncta proficiant in augmentis adcreſcentis; ut nulli penitus Judicum cujuslibet & hominum licentia ſit de rebus præfatis Monaſteriis abſque voluntatem ipſorum ſervorum Dei in aliquos iniqua cupiditate defraudare, aut temerario ſpiritu ſuis uſibus uſurpare, nec quam primitus eſt Dei iram incurrat & noſtrum offenſam, & a Fiſco grave damnum ſuſtineat. Illud nos pro integra mercede nobis placuit addendum ſerenitas, ut tamquam ex noſtra largitate, quàm deliberationem ipſius ſupradicto Abbone, aut a quibuſcumquelibet hominibus ad ipſo ſancto loco fuerit colatum quoquam tempore, nulla judiciaria Poteſtas nec preſens nec ſuccidenda temporum ad cauſas audiendum, vel aliquid exactandum ibidem non præſumant ingredere, ſed ſub omni emunitate, quot a noſtris meruerunt oraculis, hoc ipſum Monaſterium vel Congregatio ſua ſibimet cum omnibus fredus conceſſis valeant poſſidere. Et quidquid exinde Fiſcus noſter forſitan de eorum hominibus, aut de ingenuos, aut ſervitores, vel publicis in eorum agros commanentes, vel ad ipſo ſancto loco aſpicientes, undique poterat ſperare, ex indulgentia noſtra in luminaribus ipſius ſancti loci in ſtipendia ipſorum, tam noſtris in Dei nomine temporibus quam & futuris ſuccidentibus, pro mercedis compendium debeant cuncta proficere, ut pro æterna ſalute, pro ſælicitate Patriæ, ſeu Regum ſtabilitate delectetur ipſis Monacis immenſam Domini pietatem jugiter implorare. Quam Præceptum decretus noſtri, Chriſto in omnibus ſuffragante, ut firmior habeatur, & perenniter conſervetur.*

Signum Carlomanno glorioſiſſimi Regis.

Maginarius recognovi.

Datum ſub die quod felicis Menſis Junius dies Viginti, & eſt Anno Secundo regnante Domno Carlomanno Rege.

Neungo in Palatio publico in Dei nomine feliciter.

De navibus autem *Ripaticum* ſolvebatur, *Tranſitura*, ſive *Traſtura*, *Palifictura*, *Portonaticum*. Sunt & alia nomina, quæ idem fortaſſe ſignificant, ut *Navium ligatura &c.* Scilicet nautis vectigal erat pendendum in certis locis, quoties tranſibant, aut ad ripas navem conſiſtendi cauſsâ advehebant, ibique palos ad eam continendam figebant. In Tomo V. Ital. Sacr. Berengarii I. Italiæ Regis Diploma legitur, in quo is largitur Rigoldo Epiſcopo Cenetenſi *portum* in fluvio *Liquentia*, *& de ambabus partibus ripæ per quindecim pedes pro palifictarum* (ideſt, *Palifictaturam*) *Ripaticum*, *Toloneum &c.* Ibi verò Ughellii negligentiam excuſare non poſſum, dum Diploma hoc datum ſcribit *IX. Auguſti*, *Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXCVI. Regni Domni Berengarii piiſſimi Regis XXI. Indictione IX.* Et diſertis verbis monet, *Rigoldum* ſucceſſiſſe in Epiſcopatu Cenetenſi *Siccardo*, qui Anno DCCCCLXII. floruit. Vel tyrones noſcere poſſunt, Diploma illud referendum eſſe ad prælaudatum Berengarium ineunte Sæculo Decimo regnantem, atque ibi ſcribendum *Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCVI.* non verò DCCCCXCVI. Si numeros Romanos retinuiſſet Ughellius, quales in antiquis Diplomatis occurrunt, non verò numeris, ut appellare ſolemus, Arabicis uti voluiſſet, errorem e veſtigio deprehendiſſet, nec annum 906. in 996. tam facile convertiſſet. *Ripaticum* verò explicatum videas in Diplomate Caroli Magni, quod non ſine mendis pro more ſuo protulit idem Ughellius in Epiſcopis Veronenſibus. Ibi præcipitur, ut Monachi Sanctæ Mariæ ad Organum *neque Navalia telonia, quæ Ripaticos vocant, atque terreſtria, neque in tranſitibus Portarum, vel Pontis Urbis Veronæ, &c. perſolvere cogantur*. Me autem nunc ad ſe invitat Regeſtum MStum Epiſcopii Cremonenſis, in quod olim curâ Sichardi Epiſcopi circiter Annum MCCXX. illata fuere Diplomata & Chartæ præcipuæ ad illum Epiſcopatum ſpectantes. Ibi Conſtitutionem Caroli Magni ego legi, ſimulque deſcripſi, quam publici juris nunc facio.

Caro-

Caroli Magni Francorum & Langobardorum Regis Conſtitutio de Cenſu a Comaclenſibus ſolvendo per varios Italiæ portus, Anno 787.

Conſtitutio Karoli de Cenſu Portorum inſtituto per Regem Liuthprandum.

KArolus gratia Dei Rex Francorum & Langobardorum, ac Patricius Romanorum. Omnibus Epiſcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus, Actionariis, & reliquis Fidelibus noſtris tam præſentibus, quam & futuris, compertum ſit; qualiter vir venerabilis Vitalis Epiſcopus Comaclenſis, *ſeu & ceteri homines fideles noſtri Comaclo Civitate commanentes Regni noſtri ſuggeſſerunt, eo quod .... per* Portora noſtra infra Regnum *a Deo nobis conceſſum & datum Italiæ in tali tenore, ſicut per anteriores Reges Anteceſſoribus noſtris negotia * avertant, minime habuiſſent licentiam negotiandi, quia dixerant inlicitas occaſiones, vel violentias multas per homines noſtros paſſi fuiſſent ad Mantuam Civitatem, quamque per reliqua loca, & ut majorem modium de ipſis exactare * recenſint, quam illius ſueti fuiſſent per Libras quadraginta quinque. Nos vero audientes eorum altergationes, pertractavimus, qualiter Miſſos noſtros per* Portora *nos mittere deberemus, ut in omnibus veritatem nobis exinde indicare debent, ſicut viſi ſunt feciſſe. A veteribus autem Miſſi noſtri omnia quomodo aut qualiter temporibus anteceſſorum noſtrorum* Liuthprandi *& ceterorum conſuetudinem habuerant, nobis id ipſum ſignificaſſe. Unde cognovimus veritatem, & quod homines noſtri Mantuenſes de ſupraſcripto modio, ſicut conſuetudinem ipſi Comaclenſes habuerant dandi, ita, ſicut fuit veritas, dixerunt. Tamen nos pro mercedis noſtræ augmento conceſſimus eis, in elemoſinam videlicet noſtram, ut in tali tenore ipſum modium dare deberent, ſicut & illi a noſtris hominibus accipiebant, & nullatenus majorem, ideſt per Libras triginta. Et hoc nos viſi ſumus una cum ipſis Comaclenſibus inſtituiſſe, ut*

A *quandocumque homines noſtri eis juſtitiam habuerint querendum, ut placitum ab eis inſtitutum ſuper noctes viginti una, aut per quatuordecim, vel, quod minus eſſet, ſuper ſeptem, eorum, ut diximus, juſtitiam ſecundùm legem accipere debeant. Et ſi aliter fuerit, tunc præcipimus, ut licentiam habeant Co.......... i Comaclenſes pignorandi .... juſtitiam pleniter ſecundùm legem accipiant. Propterea hanc præceptionem noſtram conſcribere juſſimus, per quam omnino jubemus, ut nullus quislibet ex fidelibus noſtris, ſeu de Judiciaria poteſtate, præfatos Comaclenſes de cauſis ſuperioribus inſertis inquietare, aut calompniam generare quoquo tempore præſumant: ſed, ut diximus, ubi-*
B *cumque infra Regnum noſtrum Italiæ negotiandum convenerint, quod ſuperius intimavimus, abſque cujuslibet impedimento licentiam habeant negotiandi, & a nemine violentiam nec inquietudinem habere non debeant; ſed in omnibus conſervati, ſicut ſuperius ſcripſimus, eſſe debeant. Et ut hæc præceptio noſtris futuriſque temporibus inviolabilis valeat perdurare, de anulo noſtro ſubterius ſigillare præcepimus.*

Data Idibus Martii, Tertiodecimo, & Septimo Regni noſtri.

Actum Parmæ in Dei nomine feliciter.

Ego Johannes Sacri Palatii Notarius illius exemplar exempli vidi & hic ſcripſi.

Ego Girardus Notarius hujus exempli exem-
C *plar vidi, & ſententiâ non mutatâ rogatus ſcripſi & deſcripſi.*

Præcedentem alteram Conſtitutionem Liutprandi Regis memoratam heic vides: & quoniam in ſupra laudato Regeſto Cremonenſi eadem quoque legitur, ipſam adtexo.

Liutprandi Langobardorum Regis Decretum, quo ſtatuuntur Cenſus perſolvendi a Comaclenſibus in Sale advehendo per Portus Langobardiæ, Anno 715. vel 730.

*IN nomine Domini Dei Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, die X. menſis Magii, Indictione XIII. Ticino, tempore Liutprandi Regis. Capitolare porrecta a nobis cunctis ſphi * Langobardorum, vobis Lupiano venerabili Presbitero, ſimulque* Bertarenæ Magiſtro Militum, Mauro & Stephano Comitibus, *& pro vobis conctis habitatoribus Comaclo, qualiter debeatis veſtrum peragere negotium homines veſtri in partibus noſtris, ſeu in modiis, quamque in preciis, ſimulque* Ripatico, *pro quod antiqua conſuetudo ab Actoribus noſtris præſeram * Judicia homines noſtri pararunt. Nunc quidem Deo auxiliante remota ſunt, ut pacis temporibus pars parti perfruamur. In primis* Porto Mantuano *providemus confirmare Riparios tres; & quicquid Miles habuerit ad veſcendum, hoc & Riparii cum eis comedere debeant.* Modio *verò* penſato Libras triginta, *cum quod ſuum*

D *peragat negotium.* Decimas *verò dare debeant* Sale Modios Decem & octo, *&* tremiſſe uno palo ſolvendum tantummodo. *Item* in Campo Marcio *tranſitura debeat dare* binos tremiſſes per ſingulas Naves. Scaramantico *verò nihil providemus dare, ſed libenter tranſire præcipimus. Item in* Porto Brixiano *Riparios IV. inſtituimus ſequundum antiquum.* Decimas *verò dare debeant* Sale Modios Quindecim, *&* palo ſolvendum tremiſſe uno, *& Modio penſato de Libris triginta cum ipſa Decima dare debeant. Item in* Porto, *qui vocatur* Cremona, *providemus confirmare duos Riparios.* Decimas *verò dare debeant* Sale Modios Quindecim, & tremiſſe uno palo ſolvendum. *Et qui vult ſurſum aſcendere, debet* Tranſitura *ſolito* medio
E tremiſſe Modia duo. *Et ſi venundaverit ad ſex Modia, det tria. Nam amplius non debetur, niſi quod precia poſita fuerit. Et cum* qua-

quod Milites remanserint, cum ipſo Decimas dare, tantum eſt. Item Portu, qui appellatur Parmiſiano, precepimus dare confirmare Riparum. Ripatico vero & palo ſolutura ſimul omnes dare precepimus Solido uno, Oleo verò Libra una, Garo Libra una, Piper Onzias duas. Item Portu, qui dicitur Addua, Riparum confirmare precepimus dare. Decima verò dare debent Sale Modios Duodecim, & tranſitio palo ſolvendum . . . . Similique Portu, qui dicitur Lambro, & Placentia, qualiter Adda laboravit, hoc & ipſi conſequire debeant ſive in Ripariis, quamque in Decimis tantummodo.

Ego Johannes Notarius hujus exempli exemplar vidi & hic ſubſcripſi.

Ego Gerardus Notarius hujus exempli exemplar vidi, & ſententiâ non mutatâ hic ſcripſi, & dictum eſt.

Ego Sychardus Dei gratia Cremonenſis Epi*ſcopus has duas inſtitutiones Comaclenſibus a Liuthprando & a Karolo factas, ideo ſcribi fecimus, quoniam ex eis colligitur, quod Cremonenſis Portus, de quo ſæpe in ſupraſcriptis Privilegiis agitur, ſit Portus antiquus a Liuthprando Rege antea inſtitutus, & per Karolum confirmatus: & quia de his inſtitutionibus mentio continebitur in ſequentibus.*

Vide apud Ughellium Tom. 4. Ital. Sacr. in Epiſcop. Cremonenſ. mentionem ejuſmodi Diplomatum, in Diplomate Ludovici II. Auguſti Anno DCCCL. primo Imperii ejuſdem Ludovici, ubi *Milites Comaclenſes debitum Reipublicæ, quod eſt Ripaticum & Paliſicturam* perſolvere jubentur *in Portu Cremonæ*. Qui vero *Portus* heic appellantur, & *Portora*, locum ſignificant, in quo naves per Padum, & alia flumina advectæ conſiſtere, & mercatum Salis facere conſueverunt. Erant autem *Portus Mantuanus*, & *Campus Martius*, quo nomine an *Portus Veronenſis* deſignetur, alius inquirendum relinquo: tum *Portus Brixienſis*, *Cremonenſis*, *Parmenſis*, & *Abdua*, ideſt *Laudenſis*, & *Placentinus*. Quid ergo vectigalium pro Salis mercatura pendendum foret, heic ſtatutum habes. Nam pro *Scaramanticis* nihil ſolvebatur, quo nomine quid ſignificetur, ignoro. Hoc unum novi, pannos fuiſſe olim, e quibus veſtes conficiebantur, *Scaramangæ* appellatæ. Proventus autem, qui ex Cremonenſi Portu percipiebantur, donati ſubinde fuerunt Epiſcopis illius Urbis ab ipſo Carolo Magno: ideoque ad hoc ipſum argumentum ſpectant alia duo Diplomata, unum Ludovici II. Auguſti, & alterum Lotharii I. Auguſti ejus patris, eodem Anno data, a quibus curavit Benedictus Epiſcopus Cremonenſis, ut eadem donatio ac Privilegium confirmaretur. Ergo & hæc ipſa accipe depromta e ſæpe laudato Regeſto Cremonenſis Epiſcopii.

Ludovicus II. Imperator Benedicto Cremonenſi Epiſcopo ſententiam confirmat a Judicibus promulgatam pro jure Cremonenſis Epiſcopatus in Portum Padi, & in alia loca, Anno 852.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Dei eterni. Hludovicus gratia Dei Imperator Auguſtus, invictiſſimi Domni Imperatoris Hlotharii filius. Si enim ea, que Dei miniſtri noſtre pietati noteſcunt, effectuosá deliberatione ſuſcipimus, id nobis eternale premium manſurum non dubitamus. Quapropter cunctorum Fidelium Sancte Dei Eccleſie, noſtrorumque comperiat ſolercia, quia vir venerabilis Benedictus *ſancte* Cremonenſis Eccleſie Preſul *noſtris obtutibus oſtendit Precepta antiquorum Regum* Hliutprandi, *& venerande memorie* Karoli *Attavi noſtri*, *necnon* Hludovici *ſereniſſimi Imperatoris, Avi ſcilicet noſtri, & Domni Genitoris noſtri* Hlotharii *preſtantiſſimi Imperatoris. Que dum recognoviſſemus, omni ſanctione ſue Eccleſie confirmatum comperimus Portum Cremonenſem & Vulpariolus. De quibus dum a quibuſdam loci conſiſtentibus oriretur intentio, & ad hoc ſubtiliter inquirendum ſtrenuos dirigere Miſſos Theodoricum ſacri Palacii noſtri Obtimatem, omni inquiſitione adinvenimus eundem Portum ſub omni integritate eidem Eccleſie pertinere, & cujuſcumque loci vel gentis ripa* palum figere, *quandoque devenerit in ſortem ſtare, & Riparios juxta Portum paſcere, & debere reddere per unamquamque navem* decimum Modium Salis, *&* Paliſifictura Denarios quatuor. Venetici *etenim ſuum cenſum, ſicut conſueti ſunt*, reddere debeat. Tranſitus *enim* navium *debita exactione* perſolvantur. *De qua & querela juſta . . . . terminationes ſententiam Judicatum bonorum hominum manibus roboratum, adſcriptum eſt. Sed pro integra firmitate petiit eundem Judicatum noſtram confirmare auctoritatem, ſicuti & fecimus. Quapropter per hanc noſtram auctoritatem precipimus, ut abſque alicujus refragatione aut contrarietate pars predicti Epiſcopii deinceps juxta predicta Precepta & eundem Judicatum, quod legibus vindicavit in eiſdem* Portoris, *& Molinis* de Porto *fine Vulpariolis tranſitorio uſque Caput Adde* cenſum *& poteſtatem potiatur, nulla contradicente perſona tam de Comaclenſis, quamque de cujuſcumque gentis, ſeu de tranſeuntibus navibus, vel de Veneticorum adventantibus, vel tranſeuntibus. Et ut hec noſtre auctoritas pleniorem in Dei nomine obtineat vigorem, manu propria ſubter eam firmavimus & anuli noſtri impreſſione adſignari juſſimus.*

Signum Hludovici glorioſiſſimi Auguſti.

Raberius Notarius Domni Imperatoris ad vicem Druclemiri recognovi.

Data IV. Kalendas Februarii, Anno Chriſto propicio Imperii Domni Hlotharii pii Imperatoris XXXII. & Hludovici glorioſiſſimi Auguſti in Italia II. Indictione XV.

Actum Sex Pilas Curte Regia, in Dei nomine feliciter. Amen.

Lotha

Lotharius I. Auguſtus Benedicto Cremonenſi Epiſcopo Portum in Pado confirmat, poſtquam inquiſitione facta deprehendit, ipſum revera pertinere ad Eccleſiam Cremonenſem, Anno 852.

IN *nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Dei eterni . Hlotharius divina ordinante providentia Imperator Auguſtus . Si rationabilibus precibus Sacerdotum diligenter clementie noſtre aurem accommodamus , miſericordiam divinam nobis propitiandam minime diffidimus , omniumque noſtrorum fidelium animos in noſtris obſequiis promtiores reddimus . Quapropter omnium fidelium ſancte Dei Eccleſie noſtrorumque preſentium & futurorum noverit induſtria , quia venerabilis ſancte* Cremonenſis Eccleſie Epiſcopus Benedictus *nomine per Miſſum ſuum ſignificare ſtuduit manſuetudini noſtre, quod* Domnus *& piiſſimus* Avus noſter Carolus Auguſtus *per emolumentum anime ſue Portum in ipſa Civitate conſiſtentem ad eamdem Eccleſiam eo modo condonaſſet ac delegaſſet , ut quicquid pars publica inde ſperare poterat, totum in luminaribus ipſius Eccleſie deveniret . Set interveniente quadam occaſione ipſa delegatio poſtea a non religioſis viris dirupta extitit . Unde nos a* Panchoardo *quondam* ipſius Eccleſie Epiſcopo *moniti , noſtre ſerenitatis Legatum inquiſitionem veridicam facere juſſimus . Qui inquiſita rei veritate nobis manifeſtare curavit , eundem Portum ad ipſum ſanctum locum , ſecundum predictam conceſſionem legibus pertinere . Nos vero divino tacti amore illud ad prefatam Eccleſiam reddidimus , & per Preceptum noſtrum confirmavimus , ſicut noſtre celſitudini intimatum eſt , idem Epiſcopus a quibuſdam hominibus contra noſtram auctoritatem non modicas exinde patitur controverſias . Quamobrem obnixe petiit idem Benedictus Epiſcopus clementiam noſtram , ut nos iterum ei noſtre confirmationis auctoritatem inde fieri juberemus . Cujus peticioni pro amore Dei & reverentia ipſius ſancti loci libenter adquieſcentes , has noſtre ſerenitatis Literas fieri decrevimus : per quas ſtatuentes decernimus atque jubemus , ut nullus Judex publicus , vel quislibet Reipublice Miniſter , vel alia quelibet perſona de predicto* Portu *memorato Epiſcopo , aut ſucceſſoribus ſuis ullam deinceps inferre preſumat moleſtiam aut contrarietatem : ſet ſecundum pactum , quod olim tempore* Liutprandi Regis Longobardorum *inter Comaclenſes & Longobardos actum eſt , & noſtram inquiſitionem , ipſe & ſucceſſores ſui per hanc noſtram auctoritatem ad partem ipſius Eccleſie teneant , & pro ſuo lubitu abſque ullius contradictione diſponant . Et ut hec noſtre confirmationis auctoritas rata ac ſtabilis perſeveret , manu propria ſubter firmavimus , & anuli noſtri impreſſione aſſignari juſſimus.*

Signum Hlotharii ſereniſſimi Auguſti .

Erconbaldus Notarius ad vicem Hilduini recognovi .

Data VI. Idus Septembris , Anno Chriſto propitio Imperii Domni Hlotharii piiſſimi Auguſti in Italia XXXII. in Francia XII. Indictione XV.

Actum Gundulfi in Villa Palacio Regio *in Dei nomine feliciter . Amen .*

Alio etiam nomine deſignabatur olim vectigal , quod e Mercatis exigebatur , nempe *Curaturæ* . Atque ea vox in vetuſtis Chartis interdum occurrit . Apud Ughellium in Catalog. Epiſcopor. Cremonenſ. Tom. 4. legitur Diploma Berengarii I. conceſſum Johanni Cremonenſi Epiſcopo , & erroribus pro more ſcatens . Ibi ſcriptum *curatam publiciter exigere* : ſed ſcribendum *Curaturam publiciter exigere* . Infra illic ſcriptum eſt *quidquid creaturæ, telonei , aut portatici* . Sed ſcribendum *Curaturæ*. Ita apud Puricellium in Monumentis Baſilicæ Ambroſianæ pag. 519. legitur *Colonen , quod vulgo Turadia dicitur , ſive Portenaticum* . At emendandum ita : *Toloneum quod Curadia*, ſeu potius *Curatura , dicitur* . *Portenaticum* verò quod neſcio fuerit ne vectigal perſolvendum ad *Portus*, an ad *Portas*, quod poſtremum *Portatici* nomine , ut jam monui , ſignabatur , ſolutumque fuit ab invehentibus in Urbem per *Portas* comeſtibilia , merces , aliaſve res vectigalibus obnoxias : cujus vocis exempla congeſta habes apud Du-Cangium in Gloſſario Latino . In Diplomate Ottonis II. Auguſti pag. 454. Chronici Vulturnenſis habetur : *Neque Placiaticum* (fortaſſe *Plateaticum* , aut *Plagiaticum* a *Plagia*) *Portaticum , Pontanicum , Caſatitum , quiſquam homo , aut publicæ Rei Exactor tollere aut exigere præſumat* . Inde verò *Curaturæ* nomen emerſiſſe conjicio , quod homines in loco mercatus ſtatuerentur , qui curarent & cuſtodirent mercatorum merces : aut quod conſtitutæ forent ædes ac officinæ , in quibus earumdem mercium cura & cuſtodia haberetur . Hujus *Curaturæ* , quæ a *Teloneo* & *Ripatico* diſtincta videtur , mentio eſt in Placito Cremonenſi , quod ex eodem Regeſto ego olim deſcripſi .

Odel-

Odelricus Cremonenſis Epiſcopus coram Ceſſone Miſſo Ottonis III. Imperatoris in Placito Cremonenſi tuetur jura ſua in Ripam Padi, & cauſam obtinet contra quoſdam ſibi reluctantes, Anno 998.

D*Um in Dei nomine, Civitate Cremona, in Domo ipſius Civitatis in laubia majore ipſius Domus, per datam licentiam* Domni Odelrici Epiſcopi *ejuſdem* Cremonenſis Eccleſie, *in judicio reſideret* Domnus Ceſſo Diaconus & Miſſus Domni Ottonis Imperatoris, *ſingulorum hominum juſtitias faciendas ac deliberandas, reſidentibus cum eo Autecherius, Johannes, Leo, Arbezo, Radaldus, Judices ſacri Palatii, Johannes, Auderulfus, Albertus, Odelio, Lampertus de ſupraſcripta Cremona, & reliqui plures. Ibique venerunt preſentia ipſe Domnus Odelricus Epiſcopus, & Rotcherius ipſius Epiſcopi Advocatus retulerunt:* ,, Habemus & detinemus a parte ipſius Epiſcopii proprietatem fluvio Padi da caput fluvio Addua uſque ad Vulpariolo ſeu Ripa juxta ipſo fluvio, non longe ad iſtam Civitatem Cremone, ubi in ipſa Ripa antiquo Mercato eſſe videtur cum Teloneo, & Curatura, ſeu Ripaticum de ipſa Ripa tam de navis & omnibus aliis negotiis, ſeu molatura de omnibus molendinis, que in ipſo fluvio Padi eſſe videntur a parte ipſius Epiſcopii. Unuſquiſque annum data & collecta fiunt, & ſicut actenus fuit per unuſquiſque molendinum granum modias quinque, & per unamquamque navem Salis Orales quattuor, ſeu & de aliis conſuetudinis vel rectitudo Eccleſiarum, que ad ipſius Epiſcopii pertinet vel pertinere debet. Si ullus homo versùs nos, ſeu pars ipſius Epiſcopii aliquid dicere vult, parati ſumus cum eo ad rationem ſtandum & exinde legitime finiendum. Et quod plus eſt, querimus ut dicant iſti Petrus filius quondam Leoni & Marcus filius Gariverti, ſeu Benedictus Sadenelli, quod Lanzo filio Rezani, & Ubertus, & reliqui plures, qui hic preſentes ſunt, ſi jam dicto fluvio Padi da capud fluvio Addue uſque ad Vulpariolum, ſeu ipſa Ripa cum Teloneo & Ripaticum &c. ſi proprii ipſius Epiſcopii ſunt & eſſe debent cum lege &c. (a) *Eo modo finita eſt cauſa. Et hanc notitiam pro ſecuritate ejuſdem Domni Odelrici Epiſcopi, ſuorumque ſucceſſorum, ſeu partis ipſius Epiſcopii fieri ammonuerunt.*

Quidem & ego Dominicus Notarius ex juſſione prefati Miſſi & Judicum ammonitionem ſcripſi, Anno Imperii ipſius Domni Ottonis Tertii Imperatoris Tertio, menſe Octuber, Indictione XII.

Ceſſo glorioſiſſimi Ottonis Romanorum Imperatoris Miſſus atque Diaconus ſubſcripſi.

Autecherius Judex Sacri Palatii interfui.

Leo, qui & Bento, Judex Domni Imperatoris interfui.

Saxo Judex Domni Imperatoris interfui.

Lectorem verò non pigebit ediſcere, quid olim Ferrarienſis Populus pro *Ripatico* a Mercatoribus per Padum navigantibus exigeret, quoties iſti mercandi cauſâ ad ripam appellerent. Hac de re Anno MCCXXVIII. exortæ ſunt controverſiæ, occaſione, ut opinor, nundinarum, & ſubinde compoſitæ ſunt Decreto, quod Archivum Eſtenſe mihi ſuppeditavit.

Concordia Ripatici ſolvendi a mercatoribus extraneis ad Ripam Ferrariæ, facta Anno 1228.

A*Nno Domini Milleſimo Ducenteſimo Vigeſimo Octavo, tempore Gregorii Papæ, & Federici Imperatoris, die Mercurii XI. intrante menſe Octubri, Indictione I. Ferrariæ. Nos Orlandinus de Bononia, Pax de Gualetta, Bancius de Guzla, Bonusmercatus de Guidone Scaglola, Gigolus Albergitti de Gigolo, Cyprianus Zapulini, & Petricinus Guidonis Roboſæ, electi pro Communi Ferrariæ ad providendum ſuper ordinamentis Ripæ Ferrariæ, quibus multæ oriuntur diſcordiæ inter Ferrarienſes & Commune Ferrariæ, & habitatores aliarum Civitatum & locorum, in melius reformandis, cum ſacramento noviter facto teneamur, ne de cetero aliquod peſſimum paſſagium ſive toloneum extorqueatur, ſed idoneum & honeſtum, ita ſuper his providimus & firmavimus videlicet. Quod* Francigena *undecumque venit ſive de zuſum, ſive de ſurſum cum quacumque negotiatione, in ſuo adventu, quocumque veniat aut vadat,* ſolvat de avere a Soma ſuperius. *Et dicimus quod ſi ſemel de eo ſolverit, quod de eodem non plus ſolvat; nec etiam de mercadandaria emta de denariis habitis de illo avere & inveſtitis. Si verò majorem inveſtitionem fecerit*, ſolvat pro parte illius inveſtitionis, *quod credatur ſacramento ipſius: & valeat illud ſacramentum* Francigenæ *per totum annum. Et ſi minus de Soma fuerit avere*, ſolvat duos Solidos Imperiales, *vel ſi fuerit Soma. Et ſi de una nave faceret plures naves, ſi de priori ſolutum fuerit, non ſolvatur de aliis*, nec ſolvat *niſi tantùm de* una nave. *De* Theotonicis, Januenſibus, & Piſanis *hoc idem dicimus. Papienſes veniendo Ferrariam, & vendendo ibi ſuum avere*, ſolvant de fundo navis. *Si vadunt Romagnam, aut Tuſcanam*, ſolvant de qualibet Soma duodecim Imperiales. *Et ſi vadunt Venetias*, de fundo navis *tantùm. Et ſi de una nave facerent plures naves, ſi de priori ſolviſſent, ut dictum eſt, nihil ſolvant de aliis navibus. De inveſtitione mercadandariæ, & ſolutione, & de ſacramento ipſorum, idem dicimus, quod in Francigenis diximus.* Placentini, *ſi veniunt Ferrariam*, ſolvant de fundo navis. *Et ſi Romagnam aut Tuſcanam*, de qualibet Soma ſolvant duodecim Imperiales. *Et ſi vadunt Venetias*, ſolvant duodecim Imperiales. *De carro rationando duo milliaria ſubtilia unum car-*

(a) Formulam adjudicationis cauſſæ eidem Epiſcopo Odelrico omiſi, quum eadem ſit ac illa, quam toties in aliis hujuſmodi documentis repetitam legimus in hoc ipſo Opere.

carrum. A Papia in ſurſum ſolvant, ſicut Papia uſque Seguſiam. Et in ſua reverſione niſi duxerint majus avere quàm portaverint, ſolvant *tantùm* duodecim Imperiales *de fundo navis pro avere quod portaverint, aut de alio quod emerint. Si verò majorem quantitatem haberent, ſolvant iterum, ſicut ante ſolverunt pro illa majori quantitate. Quod credatur ſacramento* Placentini *in facto navium idem, quod in Papienſibus*. Mediolanenſes *quocumque vadant, aut veniant*, ſolvant duodecim Imperiales de carro. *Et ſi venderent in Ferraria*, ſolvant tantùm duodecim Imperiales de fundo navis. *In facto navium & inveſtitionis mercadandariæ & ſolutione & præſtatione ſacramenti, idem dicimus, quod in Francigenis*. Cremonenſes *veniendo Ferrariam*, ſolvant duodecim Imperiales de fundo navis. *Et ſtando Ferrariæ, vel eundo Venetias, de avere nihil ſolvant. Si verò irent in Tuſciam vel Romagnam vel Marchiam*, ſolvant de Soma duodecim Imperiales. *Et ſi de una nave facerent plures naves, & ſolviſſent de priori nave, non ſolvant de fundo aliarum. De inveſtitione averis, quam feciſſent, & ſolutione & ſacramento idem dicimus, quod in Francigenis*. De Parmenſibus *idem dicimus quod de Cremonenſibus. De* Bergamaſchis *dicimus, quod* de quolibet Torſello ſolvant, *eundo verſus Venetias vel Ravennam. Si vadunt Bononiam*, de fundo navis duodecim Imperiales. *Et in Romaniam per Galeriam ſive per Duglolum*, de Torſello alios duodecim Imperiales. *Et hoc debent ſolvere in Ferraria. De inveſtitura facta prius & ſolutione & de navibus & de ſacramento, hoc idem quod in Theotonicis & Francigenis*. Homines de Regio ſolvant de quolibet fundo navis, *quam ducerent*, octo Imperiales *tam in reverſione, quàm in eundo. Et ſi irent in Romagnam aut Tuſciam*, de qualibet Soma ſolvant duodecim Imperiales, & de fundo navis octo Imperiales. *De navibus & inveſtitione & ſolutione & de ſacramento idem quod in Francigenis*. Brixienſes *quocumque vadant aut veniant*, de fundo navis ſolvant duodecim Imperiales, & de carro averis ſex Imperiales *tam in reverſione, quàm in adventu, & de quacumque navi facerent. Et in reverſione dicimus de navi. Et ſi facerent plures naves, & de una ſolviſſent, non ſolvant de aliis, ſed tantùm de una*. Veronenſes ſolvant *tantùm* tres Veronenſes de fundo navis, *& non aliud*. Tota Marchia Triviſana ſolvat tres Solidos Veronenſes de carro, *& non plus*. Bononienſes, *quando veniunt cum vino de ſuo diſtrictu*, ſolvant octo Imperiales de fundo navis, & unum ſtarium vini de qualibet vegete. *Si veniunt de ultra mare, aut de Lombardia*, ſolvant de Soma octo Imperiales, & octo Imperiales de fundo navis, *vadant quocumque volunt, & in reverſione* octo Imperiales. *Et ſi de una navi facerent plures naves, ſi de priori ſolviſſent, non ſolvant de aliis. In facto inveſtitionis, ſi quam fecerint, & ſolutione, & ſacramento ipſorum idem quod in Francigenis*.

Imolenſes ſolvant duodecim Imperiales de fundo *navis in eundo & redeundo*, & duodecim Imperiales de ſoma *tantùm in veniendo. Et ſi portant vinum*, de qualibet vegete duodecim Imperiales, *ſi portatur a Ferraria ſupra. In facto inveſtitionis, & in facto navium & in ſacramento, idem quod in Francigenis*. Faventini *ſimiliter, & tota* Romagna. Ariminenſes de fundo navis ſolvant octo Imperiales *in eundo*

A *do & redeundo. Tota* Tuſcana ſolvat duodecim Imperiales de fundo navis *in eundo & redeundo*, & de ſoma octo Imperiales, *quando veniunt. Et ſi ſemel ſolverint de avere, quod non plus ſolvant de eodem, nec de avere emto de denariis illius averis, de quo ſolviſſent prius. Si majorem inveſtitionem feciſſent, ſolvant de illa majori inveſtitione. Quod credatur ſacramento ipſius per totum annum, & ſolvant tantùm de una nave. Tota* Marchia Anconæ ſolvat de fundo navis duodecim Imperiales *in eundo & redeundo*, & unum orceum olei de viginti quinque Libris, *quando veniunt, de qualibet navi, & de quolibet avere. Tota* Apulia ſolvat pro qualibet nave duos orceos olei

B de viginti quinque Libris pro urceo. *De quolibet avere autem* Bizantium unum, & duas caligas: *& hoc in electione Rivariorum*; & decimam de nappis & ſcutellis, *exceptis illis* de Matera. Veneti, *ſi vadunt a Ferraria ſupra*, ſolvant de milliario ſex Imperiales. *Et ſi veniunt in Ferrariam*, de fundo navis tres Venetos *tantùm. Omnis* extraneus ſolvat unum Imperialem de centenario Piſcium, *quocumque emit, præter illos, quibus remiſſum eſt a Communi Ferrariæ*. Romani ſolvant unum Lucenſem de omni avere, *quod emunt in Ferraria, aut ducunt. Quicumque emit ficus Ferrariæ*, ſolvat de centenario unum Imperialem. *Quicumque emit Vallaniam, ſive Foglam, aut*

C *ſemen Lini*, ſolvat quatuor Imperiales de modio, *præter illos, quibus remiſſum eſt. Quicumque ducit beſtias minutas aut groſſas Ferrariam*, ſolvat de qualibet beſtia unum Imperialem. *Item omnis Forenſis, qui emit avere da penſo, aut ad ſtaderam*, de quocumque avere ſolvat de centenario unum Imperialem. *Et omnis Forenſis debet facere rationem ſub Miſſo Domini Papæ, & ſub Rivariis Communis Ferrariæ, &* ſolvat *Rivariis, Canonicis, & Epiſcopo* duodecim Imperiales de Libra, & de Libra fracta unum Imperialem de Soldo. *Et a ſententia ipſius Miſſi Domini Papæ & Rivariorum nemo ſe appellet. Et de judicaturis fori Olivarum habeat Epiſcopus & Canonici medie-*

D *tatem; & de alia medietate de Octo Denariis habeat Nuntius Domini Papæ tres Denarios, & Commune Ferrariæ Denarios tam ab eo, qui amittit, quàm ab illo qui obtinet. Et de Stazonatico de foro Sancti Martini nil habeat Epiſcopus & Canonici, ſed Commune habeat quinque Denarios de octo Denariis cum Miſſo Domini Papæ. Omnis forenſis, qui facit ſtationem in Mercatis Ferrariæ, & diſcarigat ſuum havere, non ſolvat Ripaticum ſed* Stazonaticum. *Item quod una Statio fiat pro Rivariis in foro, ubi Nuntius Domini Papæ, & Rivarii faciant rationem tam forenſibus quàm Civibus: & nullus Judex ſe intromittat, niſi pro Domino Papa & ipſis Rivariis. Item pla-*

E *cet, quod omnis forenſis, qui venerit Ferrariam cum avere in duobus majoribus Mercatis annualibus pro quindecim diebus ante forum, & ad forum ſteterit cum ipſo havere, nihil ſolvat pro Ripatico; & quod quilibet poſſit recedere a mercatis ſine Ripatico, & ſine ſigillo Rivariorum. Item quod de lignamine, lapidibus, maſinis, blava & vino non auferatur Ripaticum pro ſoma vel carro, ſed* ſolvatur de fundo navis, *ut dictum eſt. Si qua queſtio orietur inter forenſem & Rivarium de facto Ripæ, & ſententia lata fuerit contra Rivarium, Rivarius teneatur reficere forenſi expenſas, quas pro lite pro illo facta feciſſet. Quæ omnia valeant, ſalvis tamen*

non poſſet eum aliquis Civitate facere. In eodem Milleſimo & Indictione, die Jovis XII. intrante Octubri, in pleno Conſilio generali ad campanam, ſuperius expreſſa omnia firmata ſunt, concorditer Domino Guidone de Bilino Milite Poteſtate, in præſentia Domini Salinguerræ, Uberticelli, Johannis de Henricis de Contrada Sancti Johannis, Guidonis Vicedominus, Ladaini, Georgii, & aliorum multorum.

Et ego Armannus Dei gratiâ imperialis Aulæ, & tunc Communis Ferrariæ Notarius, ut ſtatutum fuit per prædictos, ita ſcripſi, in Poteſtaria Domini Jacobi de Prendiparte.

Atqui inter Mutinenſes ac Ferrarienſes cauſa ipſius *Ripatici* ac Telonei complures antea fuerant controverſiæ. Hiſce in Iſnardum Contrarium compromiſſis, is Decretum ſuum Anno MCLXXIX promulgavit, quod e vetuſtiſſimo Regeſto Reipublicæ Mutinenſis excerptum, nunc publici juris facio.

Compromiſſum & Laudum inter Commune Mutinæ & Commune Ferrariæ pro Ripatico & Toloneo, Anno 1179.

IN Chriſti nomine. Anno Dominicæ Nativitatis MCLXXIX. tempore Alexandri Papæ & Frederici Imperatoris, die XII°. intrante Menſe Novembri, Indictione XII. in Eccleſia Sancti Stephani de Ferraria. Ego Iſnardus Contrarius electus a Domino Guidone de Landriano Ferrarie Poteſtate, & a Conſulibus ejuſdem Civitatis, videlicet a Bonajohanne de Ravenna, & a Vitaliano, & a Hugone de Tiſſonia pro ſe & pro aliis Conſulibus Ferrarie ex una parte, & a Domino Gerardo Rangune Mutine Poteſtate pro ſe & Conſulibus ſue Civitatis ex altera parte, de lite, que vertebatur inter eos per Ferrariam & Mutinam de Tolloneo & Ripatico, *quod accipiebatur Mutinenſibus in Ferraria & in Bondeno. Quod Tolonum & Ripaticum Guido de Landriano Ferrarie Poteſtas & Conſules ejuſdem Civitatis dicebant, quod ipſi debebant eum accipere in Ferraria & in Bondeno. Et e contrario Gerardus Rangune Mutine Poteſtas dicebat, quod nec Ferraria nec Bondeno aliquid Mutinenſibus auferre debet. Unde Guido de Landriano Ferrarie Poteſtas & ejuſdem Civitatis Conſules, & Gerardus Rangune Mutine Poteſtas pro ſe & Conſulibus ſue Civitatis, in me Iſnardum Contrarium per concordiam ſe poſuerunt ad audiendum & obſervandum, quod inter eos per concordiam dicerem. Unde habito conſilio multorum Sapientum per concordiam Mutinam a* Toloneo & Ripatico Bondeni *abſolvo, & eos per unamquamque navem venientem Ferrarie cum avere, vel pergentem a Ferraria ſurſum cum avere, tres* Imperiales Communi Ferrarie dare *condempno, ſalvo eo tantum quod accipitur pro Sale & Piſce. Et quia per teſtes datos ex parte Girardi Rangune Mutine Poteſtatis cognovi, quod Ferrarienſes nullum Datium vel Teloneum aliquo tempore in Mutina vel in diſtrictu Mutine dederant, ideo ab omni Datione & ab omni Tolloneo in Mutina vel in diſtrictu Mutine dare Ferrarienſes abſolvo: & quod Ferrarienſes nullum Datium in Mutina vel in diſtrictu Mutine tribuant, per concordiam conlaudo. Et ita attendere ſub pena centum librarum Imperialium inter Ferrarienſes & Mutinenſes precipio. Que omnia attendere per ſuum Commune Guido de Landriano Ferrarie Poteſtas, & Johannes de Albaro Ferrarie Conſul, pro ſe & aliis Conſulibus Ferrarie, Gerardo Rangune Mutine Poteſtati & Rainerio de Boccabadata Mutine Conſuli pro ſuo Communi ſub pena centum Librarum Imperialium promiſerunt. Et Gerardus Rangune Poteſtas & Rainerio Conſul Mutine ſub pena centum Librarum Imperialium pro ſe & ſuo Communi omnia ſupradicta attendere Guidoni de Landriano Ferrarie Poteſtati, & Johanni de Albaro Ferrarie Conſulo pro ſuo Communi promiſerunt. Ad hec preſentes fuerunt teſtes Preſbiterinus Ferrarienſis, Guillielmus de Marcheſella, Albericus de Funtana, Adegerius Tarcurolus, Can .... petrus Comadator pro Guillielmo de Ato, Saracinus de Guillielmo, Stephanus Judex, Petrus de Pacifico, Rolandus de Richelmo, & alii quamplures, & Albertus de Aldigerio.*

Et ego Magiſter Preſbiterinus Dei gratia Imperialis Aule Notarius & Scriba Poteſtatis, ad hec omnia preſens voluntate Poteſtatum & Conſulum utriuſque Civitatis, ut audivi, ſcripſi atque complevi.

Deſtinati verò ad colligenda cuncta hæc Vectigalia fuere *Telonearii*, quorum frequens mentio in antiquis Diplomatis. *Actionarii* quoque pro Fiſci reditibus vigilaſſe videntur. Immo & ad ipſos *Duces* atque *Comites* ſpectabat cura Fiſcalium redituum colligendorum, eorumque in Regis ærarium inferendorum. Sed pergendum eſt. De *Multis*, ſive *Mulctis*, hoc eſt pœnis pecuniariis, quæ etiam *Freda* appellabantur, uti & *Leudis*, ſive *Leudum* interdum nuncupata eſt compoſitio pro Homicidio: etſi in præcedenti Diſſertat. XVII. aliquid indicatum eſt, adhuc tamen res poſcit, ut fuſius agatur. Si quid enim video, ex hoc fonte non mediocre emolumentum Regalis olim Fiſcus percipiebat. Quod enim præcipue animadvertendum eſt, pluribuſque ſtupori erit, conferentibus leges & mores noſtrorum temporum cum antiquis: olim vix ullum delictum capitale fuit. Certe ſi pauca in Regem aut Rempublicam patrata, & cædem domini aut mariti ſui, excipias, cetera crimina *componere* licebat; hoc eſt pecuniâ ſtatutâ in Legibus redimebantur; ita ut qui *Preſbyterum* occidiſſet, DC. Solidis, qui *Epiſcopum*, DCCCC. Solidis perſolutis, liber & illæſus evaderet, uti habetur in lege 101. Langobard. Caroli Magni, & in Legibus Ludovici Pii. Ita & homicidia nobilis viri, aut uxoris *immerentis*, aut *Sculdaſcii*, ſive *Auctoris* Regii &c & incendiarius, & fur, & latro ad compoſitionem admittebantur, aut Fiſcus non ſolventium bona capiebat. Hæc autem conſuetudo non Langobardis tantum, ſed omnibus ferme Populis e Septemtrionali plaga in Meridionalem illapſis placuit. Vide Legem Salicam, Ripuariam, Bajoaricam, & alias. Immo poſterioribus etiam Sæculis mitiſſimas pœnas a Fiſco exactas pro Homicidio ac Furto deprehendes. In Bulla Gregorii IX. Papæ, dumtaxat Solidi Provenienſes ſive Proveſini XX. Fiſco Pontificio exſolvebantur pro

pro Homicidii crimine, relictâ domino homicidæ facultate faciendæ contra eum juſtitiæ & vindictæ. Pro Furto diurno Solidi V. tantùm accipiebantur: pro nocturno X. Digna eſt, A quæ in lucem efferatur Charta illa, utpote quæ alias eorum temporum conſuetudines nobis ſervavit. Hanc autem exſcripſi e ſæpe laudato MSto Regeſto Cencii Camerarii.

Gregorii IX. Papæ Bulla, per quam decernit Tributa & Cenſus Cameræ Apoſtolicæ perſolvendos, nec non & pœnas pro delictis, ab hominibus Caſtri Serronis, circiter Annum 1230.

B *Gregorius &c. Hominibus de Serrone fidelibus noſtris. Juſtis petentium &c. Conſuetudines Terræ veſtræ hactenus obſervatas, auctoritate vobis Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti pagina communimus. Ne vero de conſuetudinibus ipſis valeat dubitari, eas fecimus præſenti inſeri; quæ ſunt tales. Quilibet habitator de* qualibet Manſa debet ſolvere annuatim Curiæ Serronis duas minulas de frumento. *Quod Frumentum Nuntius Curiæ accipiat ab eo melius quod voluerit ipſe Nuntius. Item quilibet* pro Manſa debet ſolvere unum Utrem muſti puri & boni: *& in collum ſuum portare uſque ad vegetem Curiæ, & mittere in vegetem Curiæ. Item quilibet* pro Manſa debet reſpondere Curiæ annuatim in C una opera *in metendo vel tritulando, &* alia *in ſeminando perſonaliter cum duobus bubus. Et Curia debet dare ſibi prandium & merendam, ſi voluerit ille, qui dat operam. Sed cœnam non debet dare ei. Item quilibet extraneus emens* debet ſolvere Curiæ de duobus Solidis unum Denarium pro Plateatico. *Nec ullus habitator dicti Caſtri poteſt emere, ut vendat alicui extraneo ſine licentia Curiæ. Item Curia* pro qualibet Manſa debet accipere de Vinenis unam ciſtram inter uvas & alios fructus. *Item olim quando Curia ibat in exercitum, recipiebat ab hominibus Serronis ſex Caſtratos; ſed modo Curia debet ab eis* recipere D annuatim viginti Solidos Provenienſes *pro Caſtratis ipſis, ſive Curia vadat in exercitum, ſive non, quia ita ordinatum fuit inter Curiam & ipſos. Item ſi porcus invenitur in damno, debet occidi porcus ab illo, cui damnum fit & me*dietas porci debet per eum mitti ad Curiam, *& alia medietas cum capite debet remanere penes eum, qui paſſus eſt damnum. Item ſi bos, aſinus, equus, vel alia beſtia damnum dat cum voluntate illius, cujus eſt beſtia*, debet ipſe ſolvere Curiæ XII. Denarios. *Si autem ſine voluntate illius*, debet ſolvere Curiæ VI. Denarios. *Si vero capra vel ovis in damno invenitur, Curia capit eam; & ille cujus eſt capra vel ovis*, componit cum Curia *ſecundùm Curiæ voluntatem. Item ſi aliquis committit homicidium, vel facit alicujus membri inciſionem*, debet ſolvere Curiæ XX. Solidos Provenienſes. *Et ille, qui eſt ſpecialis Dominus ejus, debet facere inde juſtitiam & vindictam. De ſanguine vero* debet ſolvere Curiæ X. Solidos. *Item ſi aliquis committit furtum intra Caſtrum de die*, debet ſolvere Curiæ V. Solidos: *ſi de nocte* X. Solidos. *Si autem extra Caſtrum*, V. Solidos. *Item ſi quis furatur uvas vel conſimilia*, debet ſolvere Curiæ XII. Denarios. *Nulli ergo &c.*

Tanta Legum indulgentia, & efferi tunc atque adeo turbulenti hominum mores, quot criminibus ac delictis aditum aperirent, nullo negotio quiſque intelligat. Ita reorum ſpoliis Fiſcus longe lateque ditabatur. Et non ſolùm pecuniæ, ſed & fundi, & Cortes integræ, & Caſtella ærario Regis identidem adjungebantur. Ad hæc e rebellantium bonis non modicum roris Fiſco obveniebat. In Antiquitat. Eſtenſ. Par. I. Cap 14. pag 113. memoratum mihi Diploma fuit, quod huc inferendum reor, deſumtum ex antiquo apographo exiſtente in Archivo Eſtenſi.

Henricus I. Imperator Curtem Trecentulæ & alia, quæ Fiſcus abſtulerat Berengario & Hugoni filiis Sigefredi Comitis, Imperii rebellibus, concedit Richildæ Comitiſſæ, Anno 1016.

E *In nomine Sancte & individue Trinitatis. Henricus Dei favente clementia Romanorum Imperator Auguſtus. Legibus cautum & jure ſtatutum eſſe conſtat, quod hi, qui Imperatori ſuo rebelles exiſtunt poſt promiſſam fidem, ſub expoliatione omnium bonorum, qua poſſidere videntur, publica proſcriptione debent condempnari; in fide verò promiſſa perſeverantes ſit digniſſimum exaltari. Quapropter omnibus Sancte Dei Eccleſie, noſtriſque fidelibus, preſentibus ſcilicet ac futuris notum fieri volumus, quod interventu ac digna peticione* Henrici *venerabilis* Parmenſis Epiſcopi, *noſtrique fidelis dilectiſſimi, hac noſtri Precepti pagina conceſſimus* Richilde Comitiſſe *medietatem Cortis Trecentule, cum medietate Caſtelli & Capelle & Campi Ducis, Campique de Credario, hac Rupteobſcure, & Foſſe Muclene, cum ſilvis & aquis, aquarumque decurſibus, molendinis, piſcationibus, campis, vineis, buſcalibus, pratis, & omnibus ad medietatem predicte Cortis pertinentibus, ſicut a* Berengario & Hugone filiis Sigefredi Comitis, noſtro Imperio rebellantibus *hactenus viſa ſunt poſſideri. Ea videlicet ratione, ut predicta Richilda Comitiſſa, ejuſque heredes ac proheredes dehinc licentia hac per hoc noſtre auctoritatis & conceſſionis Preceptum habeant tenendi, poſſidendi, perfruendi, ac donandi, vendendi, commutandi, ac pro anima judicandi, & quicquid voluerit faciendi. Precipientes itaque firmiter jubemus, ut nullus Dux, Marchio, Archiepiſcopus, Epiſcopus, Comes, Vicecomes, Sculdaſcio, Gaſtaldio, nullaque totius Regni noſtri magna parvaque perſona ſupranominatam Richildam Comitiſſam diſveſtire, inquietare, vel moleſtare preſumat, ſuoſque heredes ac proheredes qualibet contentione moleſtet. Si quis vero,*

quod futurum minime credimus, tamen si quis [illegible] *hoc nostrae* [illegible] *Praeceptum infringere aut aliquo* [illegible] *praeſumpſerit, ſciat ſe compositurum auri optimi Libras centum, medietatem Kamerae noſtrae, & medietatem ſupra* A *dictae* [illegible] *Richildae Comitiſſae, ejuſque heredibus ac proheredibus. Quod ut verius credatur, atque diligentius ab hominibus obſervetur, manu noſtra inſcriptione roborantes, Sigilli noſtri impreſſione juſſimus inſigniri.*

Signum Domni Henrici  *Invictiſſimi & ſereniſſimi Imperatoris Auguſti.*

Henricus Epiſcopus & Cancellarius vice Everardi Epiſcopi & Archicapellani recognovi.

Datum Anno Dominicae Incarnationis Milleſimo Decimo Sexto, Indictione XIV. Anno Domni Henrici Regni XIII. Imperii vero ejus III.

Actum Vercellis feliciter. Amen.

Richildis Comitiſſa eadem fuit, quae Bonifacio Marchioni & Duci Tuſciae nupſit. *Berengarius & Hugo filii Sicardi Comitis* in aliis veterum monumentis occurrunt, uti in eodem Cap. 14. Par. I. Antiquitat. Eſtenſ. monui. Ita Curtem Ubiani *Willae Reginae*, uxori ſuae, Be- B rengarius II. Italiae Rex contulit, quam Fiſcus neſcio cui Rogo rebelli abſtulerat. Autographum, ut videbatur, extat in Archivo antiquiſſimi Monaſterii Benedictinorum Ticinenſium Sancti Salvatoris.

Berengarius II. & Adelbertus Italiae Reges Curtem Ubiani concedunt Willae Reginae ejuſdem Berengarii uxori, Anno 960.

IN nomine Sanctae & individuae Trinitatis. Berengarius & Adelbertus divina providente clementia Reges. Si [illegible] *noſtrorum fidelium petitionibus praebemus aſſenſum, fideliores eos fore minime dubitamus. Quocirca omnium ſanctae Dei Eccleſiae fidelium, noſtrorumque, praeſentium ſcilicet ac futurorum* [illegible]*, qualiter interventu ac petitione* Widonis Marchionis, *noſtri* [illegible]*, ſeu Rabonis Judicis noſtri fidelis, per hoc noſtrum Praeceptum, prout juſte & legaliter poſſumus, concedimus, donamus atque largimur* Willae Reginae noſtrae *dilectae* conjugi & conſorti Regni noſtri, *Curtem Ubiani cum omnibus rebus mobilibus & immobilibus eidem Curti pertinentibus, una cum* [illegible]*, vineis, terris, campis, ſilvis, ſtalariis, montibus, vallibus, planitiebus, aquis, aquarumque decurſibus, molendinis, piſcationibus, aldionibus, & aldianis, ſervis & ancillis, omnibuſque rebus, quae dici vel nominari poſſunt ad praedictam Cortem integre pertinenti-* C *bus, nec non & a noſtro jure & dominio in ejus jus & dominium omnino transfundimus ac delegamus. Eo ſcilicet tenore, ut habeat, teneat, firmiterque poſſideat ipſa ſuique heredes, habeantque poteſtatem tenendi, donandi, vendendi, commutandi, alienandi, pro anima judicandi, & quicquid eorum decreverit animus faciendi, omnium hominum contradictione remota. Ideo* [illegible] *hanc praedictam Cortem noſtrae* [illegible] *Conjugi, quia volumus omnibus noſtris fidelibus eſſe notum*, hunc Rogum, cujus hec hereditas legaliter viſa fuit, in noſtri fidelitatem omnino decidiſſe, quodque ſtatum Regni noſtri, noſtraſque perſonas, tractando penitus conſenſit in nihilum redigere, noſtriſque ſe copulavit inimicis; ab hujus Regni D volens poteſtate pellere. *Si quis igitur hujus noſtri Praecepti violator extiterit, ſciat ſe compoſiturum auri optimi Libras mille, medietatem Kamerae, & medietatem praefatae Conjugi noſtrae, ſuiſque heredibus. Quod ut verius credatur &c.*

Signa ſereniſſimorum  *Berengarii & Adelberti Regum.*

Locus Sigilli ✠ cerei deperditi.

Hubertus Cancellarius ad vicem Widonis *Epiſcopi & Archicancellarii recognovi & ſubſcripſi.*

Data VIII. die Kalendis Novembris, Anno Dominicae Incarnationis DCCCCLX. *Indictione* IV. *Regni verò Domnorum Berengarii & Adelberti Regum* X.

Actum verò Papiae feliciter. Amen.

Profecto ſi qui cornua in Regem, ſive Auguſtum, erigebant, Fiſcus in eorum ſive Beneficia, ſive Allodia manus injiciebat. Quod quum Tarviſinus Comes auſus fuiſſet, bona illius *ſub Banno Regio poſita* fuere, quamquam E poſtea reſtituta, ut fidem faciet ſubſequens Charta ex Archivo praeſtantiſſimi viri Antonii Rambaldi Comitis de Collalto invictiſſimi noſtri Caeſaris intimi Conſiliarii depromta.

Hen-

Henricus V Rex, IV. Imperator, Anſediſio & Guidoni filiis Rambaldi Comitis Tarviſienſis ſuam gratiam reſtituit, & eorum jura confirmat, Anno 1116.

IN *nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis*. *Henricus divina favente clementia Quartus Romanorum Imperator Auguſtus*, *Omnibus Chriſti*, *noſtriſque fidelibus tam futuris*, *quàm præſentibus notum fieri volumus*, *qualiter nos ob interventum dilectæ conlateralis noſtræ* Mathildis Reginæ, *& aliorum Principum noſtrorum*, *Epiſcoporum* Gevehardi Tridentini Epiſcopi, Gumboldi Tarviſienſis Epiſcopi, Turingi Vicentini Epiſcopi, Rainaldi Beluinnenſis Epiſcopi, Arſonis Feltrenſis Epiſcopi, *Ducum quoque* Henrici Ducis de Carinthia, Henrici fratris Welfonis Ducis, *nec non & Comitum* Henrici Comitis, Alberti Comitis de Verona: Anſediſio & Widoni, *fratribus filiis* Raimbaldi Tarviſienſis Comitis *gratiam noſtram reddidimus*, *& quicquid pater eorum*, *vel ipſi erga* patrem noſtrum *beatæ memoriæ* Imperatorem Henricum, *vel erga nos deliquerunt*, *eis* A *condonavimus*, *& omnem querimoniam*, *quam ſuper eos uſque nunc habuimus*, *eis remittimus*. *Inſuper omnia bona*, *quæ Pater eorum*, *dum vixit*, *habuit & tenuit*, quæ etiam ſub Banno noſtro poſita, vel aliquo modo deventa fuerunt, *per hoc ipſum Præceptum reddidimus*, *& eis tenendum*, *poſſidendum*, *vel quicquid deinceps inde voluerint*, *faciendum conceſſimus cum omnibus appenditiis ſive pertinentiis ſuis*, *Caſtris*, *Turribus*, *Villis*, *Eccleſiis*, *& utriuſque ſexus familiæ*, *terris*, *maſſaritiis*, *ſilvis*, *venationibus*, *pratis*, *paſcuis*, *aquis*, *piſcationibus*, *acquiſitis & acquirendis*, *cum omnibus etiam finibus & terminis earum*, *& cum omni utilitate*, *quæ inde ulterius exire vel pervenire poterit*. B *Præcipimus itaque*, *ut nullus Epiſcopus*, *Dux*, *Marchio*, *Comes*, *Vicecomes*, *Sculdaſius*, *Gaſtaldio*, *aut aliqua Regni noſtri &c.*

Signum Domni Henrici  *Quarti Romanorum Imperatoris invictiſſimi*.

Burchardus Cancellarius & Monaſterienſis Epiſcopus recognovi.

Datum . . . . . *Indictione IX. Anno Dominicæ Incarnationis MCXVI. Regnante Henrico Quarto Rege Romanorum*, *Anno X. Imperante V.*

Actum eſt Terviſii in Chriſto feliciter. *Amen*.

Sed & alia emolumenta hauriebat Fiſcus ex *Bannis*, hoc eſt pœnis impoſitis aut criminibus, aut violantibus Privilegia. Alia quoque lucra capiebat ex privatorum hominum hereditatibus. Id ſupra innui. Nunc eum morem aliqua ratione confirmatum volo. Decretum eſt in Lege 158. Rotharis Regis, ut ſi quis moriens poſt ſe filias legitimas & filios naturales relinquebat, *proximi parentes*, ideſt conſanguinei, *uncias duas* ex illius aſſe perciperent. *Et ſi parentes non fuerunt*, *Curtis* C *Regia ipſas duas uncias ſuſcipiat*. Præterea ex Lege 224. ejuſdem Rotharis, moriente aliquo *ſine heredibus*, *res ipſius ad Curtem Regis* perveniebant. Heredes autem erant uſque ad *ſeptimum geniculum*, ſive gradum. Hujus moris, quem adhuc tempora noſtra ſervant, aut mitiorem, aut duriorem ſecundùm Statuta ac Leges diverſas, exemplum dabo ex Archivo eximii Monaſterii Cavenſis depromtum.

Donatio facta a Guaimario I. Principe Salernitano Eccleſiæ Sancti Maximi in Civitate Salernitana ſitæ, Anno 886.


IN *nomine Domini Dei Salvatoris Jeſu Chriſti*. *Conceſſimus nos vir glorioſiſſimus Guaimarius*, *Dei providentiá Langobardorum gentis Princeps*, *per poſtulationem* Domine Landaſaiche matris mee, *in Eccleſia Sancti Maximi*, *quam* Dominus Guaiferius Princeps, pater meus *intus hanc Civitatem Salerni a novo conſtruxit fundamine*, integras res Benenati & Ademarii, *cum omnibus illorum pertinentiis*, *ubicumque exinde fuerint inventum*, eo quod ſine heredibus mortui ſunt, & Sacri ... ſtri Palatii D pertinent, *de loco ſupra ipſam Fiſtulam*, *ubi proprie Puteo-regente vocitur*, *Nucerie finis*, *& pertinet de Acto Salernitano*. *In ea videlicet*, *ut amodo & deinceps per hoc noſtrum roboreum Preceptum cuncta ea*, *que ſupra leguntur*, *in eadem ſancta Sede permaneant*, *ejus Rectoribus dominanda in perpetuum*; *& a nullo ex noſtris Judicibus*, *ideſt Comitibus*, *Gaſtaldis*, *vel a quibuſcumque agentibus numquam habeat aliquam requiſitionem*, *ſed perpetuo tempore in ſupradicta ſancta Eccleſia permaneat*.

Quod

Quod vero Preceptum commeſtionis ex juſſione ſupraſcripte Poteſtatis ſcripſi ego Dodedi Notarius.

Actum Salerni, Decimo Anno, menſe Magius, Quarta Indictione.

Sigillum cereum Guaimarii



Ceterum nemo non intelligit, magnam prædiorum vim fuiſſe Regibus Italicis, ſive quod ea ſpectarent ad Fiſci jus, ſive quod empta, aut permutata, aut per hereditatem, aut per alios titulos eſſent conquiſita. Propterea in Eccleſiarum Archivis, quæ ferme una e vetuſtis injurias temporis evaſere, tam ſæpe occurrunt donationes Cortium ab Imperatoribus ac Regibus factæ locis Deo ſacratis, aut etiam Sæcularibus viris. *Cortes* autem (quod nomen adhuc in hiſce regionibus, atque eâdem ſignificatione uſurpatum perdurat) complecteA bantur multa prædia, ac ſæpe Caſtellum, itaut nunc multa, ne dicam innumera, Caſtella, immo & Oppida, olim *Cortes* tantummodo appellarentur. Quamquam iſtius rei veritatem in prope innumeris, atque in ipſis Operis hujus Chartis, ac præcipue in Diſſert. XI. de Allodiis, quiſque vel me tacente perſpicere poſſit, attamen exemplo rem ipſam confirmare placet, nempe Diplomate, quod debeo inſigni Placentino Archivo Monachorum Caſinenſium Sancti Sixti, ubi archetypum venuſtum, ac prorſus illæſum adſervatur.

Rodulphi Italiæ Regis Diploma pro Monaſterio Monialium Sancti Syxti Placentini, Anno 924.


IN *nomine Domini Dei æterni. Rodulphus divina favente clementia Rex. Si petitionibus fidelium noſtrorum libenter annuimus, devotiores eos ad noſtræ fidelitatis obſequia reddimus. Quocirca omnium univerſalis Eccleſiæ fidelium noſtrorum, videlicet præſentium ac futurorum noverit induſtria, qualiter* Lantpertus Mediolanenſis Archiepiſcopus, *&* Adalbertus *ſanctæ* Sedis Bergomenſis Epiſcopus, *nec non & B*onifacius Marchio *inclitus, noſtram ſuppliciter exoraverunt Majeſtatem, quatenus ob amorem ſupernæ remunerationis, per noſtri Præcepti paginam quoddam Monaſterium infra* Civitatem Placentinam, *a beatæ videlicet memoriæ* Angilberga Imperatrice *conſtructum, & in honorem Sancti Xyſti dedicatum,* Bertæ *gloriosiſſimæ* Abbatiſſæ Conſanguineæ noſtræ, *cum omnibus ſuis pertinentiis confirmare dignaremur, ſimul quoque roborantes, & in perpetuum concedentes eidem Monaſterio quaſdam* Curtes, Wardeſtallam ſcilicet, Luzariam, Lectora Palodana, Villolæ, Piguniarias *cum adjacentiis earum, & omnia quæcunque memorata Imperatrix per inſtitutionis ſuæ paginam ubique idem Cœnobium deffinivit habendum. Quorum petitionibus tota devotione faventes, id fieri annuimus, hoc noſtrum Præceptum ſcribi jubentes, per quod prælibatæ Bertæ idem Monaſterium confirmamus, quatenus in ſua ſit poteſtate & dominio, quouſque vixerit, & ibidem dominatrix & ordinatrix atque rectrix invigilet ac permaneat, donec ejus fuerit vita. Per quod etiam jam præſcriptis venerabili loco concedimus, ac confirmamus omnes res ac poſſeſſiones mobiles ac immobiles, tam per Cartulas, quam*B *que extra Cartulas, vel cuicumque inſcriptionis titulo ad partem ipſius Monaſterii legibus adquiſitas & adquirendas, ſeu quidquid per Regum vel Imperatorum anteceſſorum noſtrorum Præcepta ad eumdem ſacrum locum collatum eſt: adque Cellulam quamdam, quæ antiquitus Monaſterium dicebatur, non procul a Placentina Urbe ſitum, loco qui Caput Trebiæ vocatur, in qua Eccleſia Apoſtolorum Principis honore dicata conſiſtit, cum omnibus inibi pertinentibus, quemadmodum* Karlomannus *ſereniſſimus* Rex *antiquitus eamdem Cellulam cum univerſis ſuis appendiciis eidem Monaſterio proprietario jure largitus eſt, prænominato venerabili loco* C *per hoc noſtræ Regalis auctoritatis Præceptum ex integro perdonamus, largimur, confirmamus, ac modis omnibus corroboramus. Familias quoque utriuſque ſexus & conditionis cum Curtibus & Capellis, earumque appendiciis cum omnibus Caſtellis, Caſis, vineis, campis, paſcuis, pratis, ſilvis, ſalectis, ſationibus, paludibus, aquis, aquarumque decurſibus, molendinis, fluminibus, piſcationibus, ripis, rupinis, montibus, collibus, vallibus, ac planitiebus, cultis & incultis, diviſis & indiviſis, mercationibus, vectigalibus, diſtrictionibus, ſervis & ancillis, Aldiis & Aldianis, & omnibus, quæ dici & nominari poſſunt, ad* D *idem Monaſterium juſte & legaliter reſpicientibus, in integrum confirmamus. Ita videlicet, ut prælibata Abbatiſſa Bertha, quouſque vixerit, hac noſtra auctoritate roborata, de præſcriptis rebus eidem Monaſterio pertinentibus tam per Præceptorum paginam, ut diximus, quamque aliarum Inſtrumenta Cartarum,*

&

& adquiſitis & adquirendis, poteſtative faciat, omnium magnarum parvarumque perſonarum moleſtatione remota. Si quis verò hanc noſtram auctoritatem violare temptaverit, centum quinquaginta Libras auri optimi componere co-

A

gatur, medietatem Cameræ noſtræ, & medietatem ſæpe fatæ Berthæ Abbatiſſæ. Quod ut verius credatur, diligentiuſque ab omnibus obſervetur, manu propria roborantes de anulo noſtro juſſimus inſigniri.

Signum Domni  *Rodulfi piiſſimi Regis.*



Manno Cancellarius ad vicem venerabilis Beati Epiſcopi & Archicancellarii recognovi & ſubſcripſi.

Data pridie Idus Novembris, Anno Incarnationis Dominicæ DCCCCXXIV. Domini Rodulfi piiſſimi Regis in Italia III. Indictione XII.

Actum Veronæ in Chriſti nomine feliciter. Amen.

Certum teſtem habes, quo confirmetur Chronologia Rodulphi Regis, quum conſtet hinc, ipſum Anno Chriſti DCCCCXXII. Regem Italiæ contra Berengarium Auguſtum fuiſſe a factione ſua renuntiatum. Anno quippe DCCCCXXIV. *Annus Tertius Regni* ei decurrebat. Antea vero, atque eodem Anno DCCCCXXIV. Veronæ (ubi Rodulphus Rex

B

Diploma hoc dedit) ſublatum e vivis fuiſſe Berengarium Imperatorem, non autem Anno DCCCCXXIII. ut Sigonius tradidiſſe videtur, recte Flodoardus ſcripſit, quem Valeſius & Pagius ſequuti ſunt. Liceat & mihi Chronologiæ Regum Italiæ lucem aliquam heic adjungere, productâ Chartâ, quam autographam vidi in Tabulario Archiepiſcopii Lucenſis.

Charta permutationis bonorum factæ inter Petrum Epiſcopum Lucenſem & Flaipertum Scabinum, præcedente inquiſitione facta a Miſſis Widonis Ducis Tuſciæ, Anno 924.

IN *nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Dei eterni. Regnante Domno noſtro Berengarius gratia Dei Imperator Auguſto, Anno Imperii ejus Nono, XII. Kalendas Aprilis, Indictione XII. Manifeſtus ſum ego* Flaiperto Schabino *filio bone memorie Flaiperti Clerici, quia convenit mihi una tecum* Petrus *gratia Dei hujus* ſancte Lucane Eccleſie *humilis* Epiſcopus, *ut inter nos de aliquantis caſis & rebus chomutationem facere deberemus, ſicut & factum eſt. Proinde ego qui ſupra Flaiperto Schabino in chomutationem dare & tradere videor tibi ad pars Eccleſie veſtre Sancti Petri ſito infra Civitate iſta Lucenſe, que dicitur ad Vincula, & ad pars Eccleſie Sancti Thome ſimiliter infra Civitate iſta Lucenſe, que ſunt de ſub poteſtatem ipſius Epiſcopatui veſtro Sancti Martini, ideſt Caſa mea illa, quam abeo in ipſa Civitate iſta Lucenſe prope Eccleſiam Sancti Petri, & prope ſupraſcriptam Domum Epiſcopatui veſtro Sancti Martini, cum fundamenta ſeu Curte & Caſalino, in qua fuit caſa ſive terra & puteo*

C

inſimul amembratas, tenentes uno caput cum uno lato in via publica, alio caput tenet in fundamento de caſa, que fuit quondam Teudimundi Presbiteri, alio lato tenet in claſſe & in Curte, que fuit jam dicti quondam Teudimundi Presbiteri; Caſa ipſa quod eſt ſolario cum fundamento & edificio ſuo, ſeu fundamento in quo fuit caſa & Curte ſeu puteo inſimul amembratas, qualiter cartulata eſt per deſignatas locas, quod eſt per menſura ad juſta pertiehas menſuratas Siſtariorum tres cum petie que ſunt ſuper ipſa terra in integrum tibi eas in chomutationem dare & tradere videor ad pars predicte Eccleſie veſtre Sancti Petri & Sancti Thome, ſive predicti Epiſcopatui veſtri Sancti Martini una petia de terra mea illa, quam abeo prope Silice, &

D

prope Eccleſiam Domini & Salvatoris, qui uno caput tenet in terra Chunimundi, alia caput tenet in terra Teuperti lato uno tenet in terra ſupraſcripti Chunimundi, & in terra Domni Regi, & in terra predicti Teuperti, alio lato tenet in terra Friderici, de ſupraſcripta petia de ter-

terra, qualiter dato eſt per deſignatas locas, tibi cui ſupra in chomutationem dare & tradere videor ad pars predicte Eccleſie veſtre Sancti Petri, & Sancti Thome, ſive predicti Epiſcopatus veſtre Sancti Martini Subtertianum decem & novem, & Schala una per menſuratas ad juſta pertica menſuratas, cum ſepis ſuis in integro, & pro ſuprascripta caſa, quod eſt ſolario cum fundamento & edificio ſuo ſeu fundamento in qua ſunt Caſa & Curte ſeu terra & orto ſive predicta petia de terra, quas tibi in chomutationem dedi ad pars predicte Eccleſie veſtre Sancti Petri, & Sancti Thome, ſive predicti Epiſcopatui veſtre Sancti Martini recepi ad te in chomutationem de pars ſuprascripte Eccleſie Sancti Petri & Sancti Thome Apoſtoli ſeu predicto Epiſcopatui veſtre Sancti Martini, ideſt Caſa illa hic infra Civitate iſta Lucenſe prope Eccleſia Sancti Thome Apoſtoli, & prope muro iſtius Civitatis, ubi prope muro iſtius Civitatis flumen Auſerclo modo percurrit, quas Caſa ipſe cum terra & orto pertinere videatur ſuprascripte Eccleſie veſtre Sancti Petri, que dicitur ad Vincula, & eſt tenentes Caſa ipſa cum fundamento & edificio ſuo ſeu Curte & orto inſimul amenbratas uno caput cum uno lato in muro iſtius Civitatis, alio caput tenet in terra & orto, que dicitur Curte Cicula, quod eſt pertenentes de Monaſterio illo ſita .... que dicitur Sancti Julii, & in terra Eccleſie veſtre Sancti Thome Apoſtoli, que eſt de ſup poteſtate ipſius Epiſcopatui veſtro Sancti Martini: quas ipſas petia de terra per hanc Cartula in chomutationem ad te recepiſſe videor, & alio lato tenet in via publica, Caſa ipſa cum fundamenti & edificia ſua ſeu Curte & orto inſimul amenbratas, qualiter circumdata eſt ab omnis parte per deſignatas locas, quod eſt menſura ad juſta pertica menſuratas ſchalas triginta una & dimidia, in integrum ad te eas in chomutationem recepi de pars ſuprascripte Eccleſie veſtre Sancti Petri & predicti Epiſcopatui veſtro Sancti Martini. Seu & recepi ad te in chomutationem de pars ſuprascripte Eccleſie Sancti Thome Apoſtoli & predicti Epiſcopatus veſtro Sancti Martini, ideſt ſuprascripta petia de terra, quod eſt orto infra Civitate iſta Lucenſe, qui uno caput tenet in ſuprascripta petia de terra, quas ad te in chomutationem recepi, alio caput tenet in via, quod percurrit ad ſuprascripta terra, que dicitur Curte Cicula lato uno tenet in predicta terra, que dicitur Curte Cicula, ex alio lato tenet in via, petia ipſa de terra, quod eſt orto, qualiter circumdata eſt per deſignatas locas cum ſepis & arboribus ſuis, quod eſt menſura ad juſta perticha menſuratas Sibarii tres, & ſchala una in integrum ad te eas in chomutationem recepi de pars predicte Eccleſie Sancti Thome Apoſtoli, & ſuprascripti Epiſcopatui veſtro Sancti Martini, adque te recepi ad te in chomutatione una alia petia de terra, quod eſt orto infra Civitate iſta Lucenſe prope ſuprascripta terra, quas ad te in chomutationem recepi, pertinentes ſuprascripte Eccleſie Sancti Petri, que dicitur ad Vincula, qui uno caput cum uno lato tenet in via, alio caput tenet in terra Sancti Alexandri, alio lato tenet in terra Eccleſie Sancti Gervaſii, petia ipſa de terra qualiter circumdata eſt per deſignatas locas, quod eſt per menſura ad juſta perticha menſuratas ſchalas tres in integrum, mihi ad te in chomutationem dediſti de pars ſuprascripte Eccleſie Sancti Petri, & ſuprascripti Epiſcopatui veſtro Sancti Martini. Ubi ſuper hanc chomutationem ſecundum legem tu ipſe, qui ſupra Petrus Epiſcopus direxiſti Miſſos tuos, ideſt Ghiſelſuit filio bone memorie Georgii Notarii, Johanne filio bone memorie Adalberti Schabini, ſeu Durant Notario & Schabino filio Repaldi Schabini, & Wido Dux direxit Miſſos ſuos Ghiſalperto Schabino filio bone memorie Petri Notarii, & Adalmundo germano ipſius Ghiſalperti Schabini, ſive Aſridi filio bone memorie Ghiſalfi, una cum alios bonos & credentes homines ad .... chomutationem dedi ad pars predicte Eccleſie veſtre Sancti Petri, & Sancti Thome .... & omni tempore hanc chomutationem noſtram firmam & ſtavilem permaneat. Unde ego promitto .... tibi, qui ſupra Petrus, & ſucceſſoribus tuis, aut cui vos ſuprascripta Caſa & res, quas tibi in chomutatione dedi, dederitis, vel abere decreveritis ab omni homine defendere &c.

Et chomutationis Chartula Teutpaldum Notarium ſcribere rogavimus.

Actum Luca.

Ego Flaipertus Schavinus in hac comutationis Cartula a me facta manus mea ſubſcripſi.

Ego ..... erto Schabinus, ſicut de me ſupra legitur, me ſubſcripſi.

Signum manus Ghiſalperti Schabini, ſicut ſupra legitur, Miſſus fui.


Ego Teutpaldus Notarius poſt tradita complevi & dedi.

Animadverte heic originem nominis *Serchio*, ut ad deducendas etymologias exemplo iſto utaris. *Auſer* fluvius pone Lucam defluens, *Auſerculus* poſtea appellatus eſt, tum *Auſerclo*, ut in iſta Charta: deinde abjectâ ſyllabâ priori *Au*, *Serclo*, & denique more Italicæ Linguæ evaſit *Serchio*. Sed quod in primis heic perpendas velim, Pagius V. Cl. in Critic. Baroniana ad Annum DCCCCXXIV. Liutprandi Ticinenſis auctoritate fretus ſcribit, *Rege Berengario defuncto*, Hungaros flammis dediſſe Ticinum, idque accidiſſe *Anno DCCCCXXIV. ſexto Idus Martias, Indictione XII.* proinde ſtatuens, Berengarii Auguſti necem contigiſſe *ante diem XII. Martii* ejuſdem Anni. Sed heic mihi nutat Liutprandi narratio, aut in ejus textu mendum ſuſpicari licet. Ut ille ſcribit: *Berengario defuncto, Hungarorum rabies totam per Italiam dilatatur, adeo ut muros Papienſis Civitatis vallo circumdaret* &c. Hæc omnia non uno die abſolvi potuere, atque adeo longe ante diem *XII. Martii*, quo *Ticinum* captum dicitur, obitus Berengarii eveniſſet. Sed Lucenſis Charta ſcripta *die XXI. Martii* ejuſdem Anni, Berengarium adhuc in vivis fuiſſe prodit, aut certe nondum nuntius mortis ejus Lucam adlatus fuerat. Quare vivente adhuc Berengario par eſt credere, Ticinenſem Urbem ab Hungaris preſſam, & in extremas calamitates adductam. Redeo ad nuper editum Diploma Rodulphi Regis, in quo memoratum videre potuiſti *Bonefacium Marchionem*, illum videlicet, qui ductâ Waldradâ ejuſdem Rodulphi ſorore, Spoletanis & Camerinis præfuit, uti Liutprandus nuper memoratus Lib. 3. Cap. 18. certos nos facit. Illic autem recenſentur *Curtes Wardeſtalla*, quæ nunc *Guaſtalla* Civitas, & *Luzaria*, nunc nobile Caſtellum, ut reliqua omittam. Duplex ergo, uti nunc, ita & olim bonorum genus Regibus Italiæ fuit: alterum ad Fiſcum, ſive ad Coronam, ut nonnulli ajunt, pertinens; alterum patrimoniale, ſive, ut ajebant, *domnicatum*. De hiſce *domnicatis rebus* ſæpe mentio occurrit in veterum Char-

Chartis, ac praecipue Eccleſiarum. Sed ut exemplum etiam adferatur de ſpectantibus ad Imperatores & Reges, en Diploma, quod in Tabu- A lario antiquiſſimi Monaſterii Veronenſis Sancti Zenonis archetypum ſub oculis habui.

Caroli Craſſi Imperatoris Diploma, quo Curtem Mauriaticam cum Eccleſia Sanctorum Firmi & Ruſtici largitur Johanni Presbytero, Anno 883.

I*N nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Dei æterni. Karolus opitulante divina clementia Imperator Auguſtus. Ad promerendam probationem celeſtis miſericordiæ nobis prodeſſe confidimus, ſi ſervorum Dei precibus aſſenſum præbentes, eorum neceſſitati conſulimus, atque largimur preſenti Johanni Presbitero dudum Rome inclauſo Curtem noſtram cum Baſilica dedicata in honore Sanctorum Martyrum Firmi & Ruſtici, ſita in loco, qui dicitur Mauriatica, cum ſuis certis finibus terminatam. Hii ſunt Cona, Ponzovigulo, ac Padulemala, & Foſſato Gianandoni, necnon & via nuncupante Cava*, in mediis noſtris Domnicatis rebus poſitam, *cum decimis a priſcis temporibus ad eandem Baſilicam pertinentibus, cum diſtrictis de* omnibus noſtris *ſupradictis* domnicatis rebus, *ibique nobis remanentibus & pertinentibus: ſicut noſtra Regni poteſtas ex integro intra & extra ipſam Curtem actenus tenuit: una cum caſis & ſilvis, cortis, areis, vineis, terris, campis, paſcuis, pratis,* B *ſalectis, aquis, rivis, aquarumque decurſibus, cum omnibus ſupradictis noſtris rebus pertinentibus a priſcis temporibus ad eandem Curtem vel Baſilicam pertinentibus, cum ſuis uſibus & certis inter adfinibus eidem Johanni Presbitero concedimus habendum, & in perpetuum poſſidendum, cuicumque donaverit, vel quolibet modo per ſcripture paginam reliquerit, firmum & ſtabile permaneat. Quatenus exinde pro nobis & ſtabilitate Imperii noſtri totiuſque Chriſtianitatis divinitus nobis commiſſæ Majeſtatem etheream jugibus votis atque diebus videat exorare. Et ut hoc noſtre munificentiæ largimentum ad ſecuritatem prædicti Johannis Presbyteri, aut cuicumque dederit, firmiorem in Dei nomine obptineat* C *vigorem, videlicet ea ratione, ut nullus Archiepiſcopus, Epiſcopus, Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, Sculdachio, ſeu aliqua magna vel parva Regni noſtri perſona hanc noſtri Præcepti oblationem aliquomodo violare preſumat. Si quis igitur &c.*

Signum  *Karoli ſereniſſimi Imperatoris.*



Liutfredus Notarius ad vicem Liutwardi Archicancellarii recognovi.


Data XVII. Kalendas Julii, Anno Incarnacionis Domini noſtri Jeſu Chriſti DCCCLXXXIII. *Anno Imperii noſtri hic in Italia III. Indictione Prima. Feliciter.*

Animadverte, nullum heic memorari locum, ubi datum fuerit Diploma. Alia verò bona Regibus ac Imperatoribus erant, propria Coronæ, D ſive Fiſci; quod in altero Diplomate expreſſum intuebere. Illud ego authenticum vidi in Archivo ſacrarum Virginum *de Poſterla* Ticini.

Donatio Villæ Lavegii facta a Ludovico III. Imperatore Herrado Vaſſo, Anno 901.

I*N nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Dei eterni. Hludowicus divina favente clementia Imperator Auguſtus. Omnium fidelium ſanctæ Dei Eccleſie noſtrorumque, preſentium ſcilicet ac futurorum comperiat induſtria, quoniam* Leotoardus *venerabilis* Epiſcopus, *dilectuſque* Archicancellarius noſter, *noſtram adiens excellentiam enixius poſtulavit, quatenus cuidam fideli viro nomine* Herrado Vaſſo . . . . . . *ima*- E *quandam Villam nomine Lavegium pariter cum Capella in honore Sanctæ & intemeratæ Virginis Mariæ ipſo in loco conſtructa, quæ ſiunt in totum Manſa ſex*, pertinentem actenus de Fiſco Imperiali Coriano, *conjacentem in Comitatu Tartonenſe, cum omnibus pertinentiis & adjacentiis ad jam dictam Villam juſte & legaliter pertinentibus, per Preceptum noſtræ auctoritatis jure proprietario concederemus. Cujus precibus*

A *hoc afflictum prohemio, hoc noſtræ firmitatis Præceptum fieri decrevimus, per quod prædictus fidelis noſter Herradus eandem Villam, quæ vocatur Lavegiam, cum Capella inibi in honore beatæ ſemper Virginis Mariæ conſtructa, quæ ſunt in totum Manſis Sex; & cum omnibus adjacentiis ac pertinentiis, rectè & legaliter eidem pertinentibus, videlicet diverſis territoriis, campis, vineis, pratis, paſcuis, ſilvis, ſtalareis, ripis, rupinis, montibus, planitiebus, molendinis, piſcationibus, aquis, aquarumque decurſibus, ſervis & ancillis, & familiis utriuſque ſexus, aldionibus & aldionabus, omnia omnium quicquid ad prefixam Villam, quæ vocatur Lavegiam,* pertinentem actenus de Fiſco Imperiali *Curiam pertinet cum Capella jam ſuperius comprehenſa, vel pertinere videtur, totum & ad integrum futuris temporibus tam ipſe Herradus quàm ſui heredes ac proheredes abſque ullius contradictione perpetualiter poſſideant liberam quoque & firmiſſimam in omnibus habeant* poteſtatem donandi, ordinandi, comutandi, vendendi, ſeu quovis titulo inſcriptionis alienandi, remota totius publicæ poteſtatis inquietudine. *Si quis autem contra hoc noſtræ inſtitutionis Præceptum in aliquo violare aut irrumpere temptaverit, ſciat ſe compoſiturum auri optimi Libras ſexaginta, medietatem Palatio noſtro, & medietatem præfato Herrado, ſuiſque heredibus ac proheredibus. Et ut verius credatur ac diligentius ab omnibus obſervetur, manu propria ſubter roborantes, anuli impreſſione inſigniri juſſimus noſtri.*

Signum Domni Hludowici  *ſereniſſimi Imperatoris Auguſti.*

Locus Sigilli ✠ cerei deperditi.

Arnulfus Notarius ad vicem Leotcardi Archicancellarii recognovi & ſubſcripſi.

Datum VII. Kalendas Octobris, Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCI. Anno verò Primo Imperante Domno Hludowico Imperatore Auguſto.

Actum Papiæ in Dei nomine feliciter.


Jamdiu conſignavit Pagius coronationem Romanam Ludovici III. Imperatoris ad Annum Chriſti DCCCC. Hanc autem fuiſſe peractam poſt Menſem Auguſtum ejuſdem Anni is opinatur, quum Benedictus IV. Papa, a quo Ludovicus coronam accepit, Pontificatum ipſo menſe inierit. Verùm animadverti ego, etiam longe poſt fuiſſe ipſi Romanum diadema collatum. Jam ex hoc Diplomate intelligis, *Annum Primum Imperii* Ludovici adhuc in curſu fuiſſe *VII. Kalendas Octobris Anni DCCCCI.* Ergo removenda eſt ab Auguſto Menſe Anni præcedentis DCCCC. Romana Ludovici coronatio. Nunc addo, in Tabulario Archiepiſcopi Lucenſis ſeſe mihi obtuliſſe Chartam, in qua Petrus Epiſcopus illius Urbis bona quædam in emphyteuſim concedit. Exarata autem fuit *Anno Primo Ludovici Auguſti, VII. Idus De-* B *cembris, Indictione V.* hoc eſt die ſeptima Decembris Anni DCCCCI. ac proinde ne ineunte quidem Decembri Anni præcedentis DCCCC. Ludovicus III. inunctus fuerat Imperator. Id ergo referendum videtur vel ad Natalem Domini ejuſdem Anni, vel ad Februarium aut Januarium Anni DCCCCI. uti luculentius infra oſtendam in Diſſertat. XXI. *de Italiæ Statu*. Sed & nunc ajo, idem ſublucere poſſe ex mora, quam in ipſa Urbe traxit novus ille Auguſtus: plerique enim Imperatorum abſolutâ coronatione, non diu poſt Româ recedere conſueverunt; ipſe verò adhuc Menſe Martio Anni DCCCCI. Romæ verſabatur. Habeo in hanc rem Diploma luce dignum, quod archetypum vidi in Chartario Capituli Canonicorum Aretii, & nunc profero.

Renovatio Privilegiorum Eccleſiæ Aretinæ facta a Ludovico III. Imperatore, Anno 901.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Hludovicus divina favente clementia Imperator Auguſtus. Si petitionibus Sacerdotum Dei & Procerum noſtrorum juſtis & rationabilibus annuimus, id nobis procul dubio ad æternam beatitudinem capeſcendam pertinere confidimus, quia decet Regale faſtigium Eccleſiarum Dei anteceſſorum noſtrorum dona tam Regum quàm & Imperatorum ad proprium ſtatum affectumque etiam earum redintegrando renovare. Quapropter omnium fidelium ſanctæ Eccleſiæ, noſtrorumque, præſentium ſcilicet & futurorum comperiat in- C *duſtria, quia venientibus nobis Romam* ad ſanctiſſimum & coangelicum Patrem noſtrum Domnum Benedictum Papam, *adiit* Petrus *venerabilis* Epiſcopus *ſanctæ* Aretinæ Eccleſiæ, *per eundem ſummum Pontificem & univerſalem Papam, innotuit, quatinus res Aretinæ Eccleſiæ a præceſſorum noſtrorum, Regum videlicet & Imperatorum conceſſione, donacione, necnon confirmacione, atque Romani Privilegii ſanctione conceſſas, noſtra auctoritate conſervare & renovare ibidem ſtuduiſſemus. Ideoque prædicti patris noſtri ſummo Pontifici deprecatione benivo-*

le

le moti, ob Dei omnipotentis ac præfatæ Eccleſiæ reverentiam amoremque ſupraſcripti patris noſtri ſummo Pontifici Benedicti, concedentes concedimus, & conſentientes conſentimus &c. (a)

Signum  *Domni Hludovici glorioſiſſimi Imperatoris Auguſti.*



Arnulfus Notarius ad vicem Liutuardi Epiſcopi & Archicancellarii recognovi & ſubſcripſi.

Data VI. Nonas Martii, Anno Incarnationis Dominicæ DCCCCI. Indictione IIII. Anno verò Imperii Domni Hludovici glorioſi Imperatoris Auguſti Primo.

Actum Romæ.

Et heic animadvertere juvat, quomodo ſcriptum ſit nomen *Liutuardi Epiſcopi* & *Archicancellarii*, quum tamen in ſuperiori Diplomate legatur *Leotoardi Archicancellarii*. Si unus Arnulfus Notarius utrique Diplomati ſubſcripſit, cur diversâ ratione idem nomen expreſſit? Atque hic eſt ille Epiſcopus, de quo Annaliſta Saxo ad hunc Annum DCCCCI. Reginone præeunte ſcribit: *Lintwardus Vercellenſis Epiſcopus, aſſumtis theſauris, quibus ſupra modum abundabat, fugiens incidit ſuper eos* (ſcilicet Hungaros) *moxque interficitur* &c. Scribe *Liutwardus*. Vidimus nuper *Curtem Lavegii*, a Ludovico III. conceſſam *Herrado Vaſſo*. Nullum ibi *Feudalitatis*, ut appellant, ſeu *Vaſſallagii* veſtigium. Immo conceſſioni adjungitur *poteſtas donandi, ordinandi, vendendi, ſeu quovis titulo inſcriptionis alienandi, remotâ totius Publicæ poteſtatis inquietudine*. Hoc eſt jure Allodii, non Feudi, conceditur eadem Villa. Adſervatur autem Diploma illud apud Sanctimoniales Ticinenſes, quod fortaſſis in earum ditionem eadem Villa deinde tranſlata fuerit. Hac enim de cauſsâ aliquot veterum Secularium Chartæ ad nos uſque pervenerunt, in ſacris Tabulariis incolumes. Venio ad *Onera publica*, *Angarias*, *Parangarias*, *Factiones publicas*, & horum ſimilia, quibus pariter, ne quid diſſimulem, Sæcula barbarica multum profectò abundarunt. Illud in primis grave, quod omnes homines ad arma apti in exercitum coire ac militare cogebantur, quoties aut tutela Regni contra exteros hoſtes, & adversùs inteſtinas ſeditiones, aut cupiditas proferendi imperii poſcebat. Sæpe verò difficillimis iis temporibus contingebat, ut ad arma conſurgere opus foret. Qua ex re immenſa incommoda in cultores agrorum, atque in artifices conſequebantur, quum durante expeditione bellicâ eorum opera & negotia quæque quieſcerent, & modica proinde agris cultura adhiberetur. Rigidiſſimæ autem Leges in hanc rem promulgatæ inter Langobardicas exſtant, uti infra in Diſſertat. XXVI. *de Militia* monebo: ita ut pauciſſimi exciperentur, qui tamen, dum Judices, ſive Comites, & Sculdaſcii, & Saltarii in expeditione erant, eorum familiæ, aut ipſis in itinere, operas ſuas commodare cogebantur. Si quis proclamatâ expeditione parere detrectabat, *Heribanni* pœnâ multabatur; quod Miſſi Regii in Lege XXIII. Langobard. Caroli Magni *amodo exactare fideliter* jubentur, *abſque ullarum perſonarum gratia, vel blanditia, ſeu terrore*. Et graviſſima quidem ea pœna fuit. Nam pro modo facultatum eadem multa exigebatur: & cui erant ſex Libræ in *auro & argento, bruneis* (ideſt armis) *ferramento, pannis, caballis, bobus, vaccis, aut peculiis*, tres Libræ auferebantur; ſed ſubditur, *ita ut uxores aut infantes non fiant exſpoliati pro hac re de eorum veſtimentis*. Verùm ne Comites Fiſcum in ejuſmodi negotio fraudarent, Miſſi Regii ſtatuebantur, quibus requirendi *Heribanni* cura eſſet, ut eſt in Lege 95. Langobard. Caroli Magni. Qui verò multas haſce colligebant, *Heribannatores* appellati ſunt. Nullus tamen dubito, quin ſenſim plures ſibi immunitatem procuraverint, aut emerint, atque inter cetera Privilegia hoc præcipue impetrarint ſacra Loca, quæ Regibus ac Reginis ſuam fundationem debebant. Cujus rei exemplum appono. Erexerat Hirmingardis Auguſta, conjux Lotharii I. Imperatoris Monaſterium Domini Salvatoris in Alina: quo in loco ſitum, alii quærant. Eidem Cœnobio multa per eam impetrata fuiſſe Privilegia, nemo non intelligit. Præſertim verò curavit eadem Auguſta, ut Advocatis, Cancellariis, ſive Notariis, quibus Monaſterium utebatur, atque inſuper duodecim liberis hominibus, videlicet excolentibus agros, aut eidem ſacro

(a) Ut in altero Diplomate ejuſdem Ludovici Auguſti, edito in hoc Opere.

[illegible] locis [illegible], immunitas a Militia concederetur. Ex [illegible] Diploma, quod apud Monachos Benedictinos Sancti Sixti Placentiæ aſſervatur, cui non ſubſcribit Imperator, immu- neque Cancellarius; quod poſtremum rarum re[illegible] videatur. Sed [illegible] illis id tribuendum tenuitati rei.

Immunitas ab exercitali expeditione, aliiſque publicis oneribus, conceſſa per Lotharium I. Auguſtum Advocatis, Cancellariis, & duodecim liberis hominibus Monaſterii Sancti Salvatoris in Alina, Anno 848

I*N nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Dei æterni. Hlotharius divina ordinante providentia Imperator Auguſtus. Notum eſſe volumus cunctis fidelibus noſtris, ſeu omnibus Rempublicam adminiſtrantibus, quia dilecta Conjux noſtra* Hirmingardis *deprecata eſt nos pro duobus Advocatis ſuis, qui curam rerum Monaſterii ſui, quod eſt in Alina in nomine Domini Salvatoris conſtructum habetur, ſeu* totidem Cancellariis, & duodecim liberis hominibus, ut eos ab exercitali expeditione ſeu publicarum rerum functione immunes eſſe permitteremus. *Cujus petitionem, ut dignum eſt, adimplere ſtatuentes, hoc excellentiæ noſtræ decrevimus fieri apices circa memoratum Monaſterium, per quos* duobus *ſuis* Advocatis, *quibus idem Conjunx noſtra querelam ejuſdem Monaſterii commiſſam habet, &* duobus Cancellariis, *atque* duodecim liberis hominibus, *ab eo, ſeu Miſſis ejus electis* concedimus omnem exercitalem expeditionem, *ſeu* publicarum rerum functionem, quatinus deinceps immunes exercitali expeditione, *ſeu* ceteris functionibus conſiſtere, *per hanc noſtram auctoritatem liceat illis quiete reſidere, & utiliter ejuſdem Monaſterii in omnibus procurare. Et ut hæc noſtræ conceſſionis auctoritas firmior habeatur, de anulo noſtro ſubter eam juſſimus ſigillari.*

Locus Sigilli ✠ cerei.

Data XIII. Kalendas Aprilis Anno Chriſto propitio Imperii Domni Hlotharii pii Imperatoris in Francia IX. & in Italia XXIX. Indictione XI.

Actum Aquiſgrani Palatio Regio in Dei nomine feliciter. Amen.

Ad iſta accedat onus *Heribergi*, unde Italica vox *Albergo*, nempe hoſpitium præſtandi aut Regi, aut Judicibus & Actoribus Reipublicæ, aut militibus, quoties occaſio exigebat. *Albergarium* noſtri olim appellabant. Quam qui negabat, *Heribannum*, ſive multam nuper memoratam pendere cogebatur. In Lege 128. Langobard. Caroli Magni ſtatuitur, *ut nec pro wacta &c. nec pro heribergare, nec pro alio banno, Heribannum Comes exactare præſumat, niſi Miſſus noſter prius Heribannum ad partem noſtram recipiat* &c. Sed præcipue *Manſionatica* & *Manſiones*, *Parata* & *Paratæ* appellatæ ſunt expenſæ, quas Populi facere ex præcepto Regis conſueverunt ad recipiendos Reges, eorumque Miſſos ſeu Legatos. *Paſtus* & *Repaſtus* etiam commemoratos videas ad excipiendum Imperatorem aut ejus Miniſtros. Quæ voces ideo uſurpatæ, quod Miſſis iis eſſet jus *Manſionis*, ubicumque ſibi commodius videbatur. Ex hoc vocabulo efformatum fuit Gallicum *Maiſon*, atque Italicum *Magione*. Simul etiam *Paratæ* vox in uſu fuit, quòd Populi parare juberentur ſupra memoratis Miſſis non ſolùm domum, ſed & viaticum. *Hoſpitationis* etiam nomen in uſu erat. *Metatum* & *Stativa* apud Romanos idem ſignificarunt; vetuſtiſſimum quippe eſt onus illud, atque illius meminit Livius Lib. 42. Hiſtoriar. Hoc autem ad univerſum Populum pertinebat, ſive in Urbibus, ſive ruri juſtitiam Miſſi ipſi miniſtrarent. Hoſpitium unus præbebat: reliqui illius Civitatis, aut pagi incolæ *conjectum* faciebant, hoc eſt pro ſua quiſque virili parte conferebant ad perſolvendas opportunas expenſas. *Colletta* & *Contribuzione* vim vocis *Conjecti* exprimere nunc poſſe videntur. Eſt in hanc rem Lex 54. Langobard. Ludovici Pii, ubi decernitur, ut quoties Miſſi (ſive Epiſcopi, ſive Abbates, ſive Comites ii ſint) *intra ſuam Judiciariam vel terminum fuerint, nihil de aliorum Conjectu accipiant. Poſtquam verò inde longè receſſerint* (hoc eſt extra ſuum Comitatum aut Diœceſim) *tunc accipiant ſecundùm quod in ſua Tractoria continetur. Vaſſi verò noſtri, & Miniſtri alii, qui Miſſi ſunt, ubicumque venerint, inde Conjectum accipiant.* Durum profecto viſum fuerit Miſſis intra ſuam Judiciariam nihil exigere potuiſſe a Populo pro ſuo itinere ac labore. Atque hinc habes, in eorum *Tractoria* (quam vocem a Romanis mutuati ſunt Franci: nos verò nunc *Patente* appellamus) hoc eſt in Regiis Literis, ſigillatim expreſſum fuiſſe, quid Legatis contribuendum eſſet. Marculſus Lib. I. Formulâ undecimâ, exemplum Tractoriæ nobis ſervavit, quod repetitum heic Lector, ut ſpero, libenter accipiet. Ante tamen meminerit velim, ſententiam fuiſſe Cl. V. Hieronymi Bignonii, Marculſum floruiſſe circiter Annum Chriſti DCLX. Seriùs ipſum vixiſſe, ſuſpicatus eſt Baluzius. Perpendendum, ævo-ne Merovingico, an Carolino ejuſmodi Tractoria conveniat.


Ille Rex (*N. N.*) *omnibus agentibus. Dum & nos in Dei nomine Apoſtolico viro illo* (*N.N.*) *nec non & inluſtre viro illo* (*N. N.*) (a) *partibus legationis causâ direximus: ideo jubemus, ut locis convenientibus, eiſdem a vobis Evectio ſimul & humanitas miniſtretur. Hoc eſt Veredos, ſive Paraveredos tantos, Pane nitido modios tantos, Vino modios tantos, Cerviſa &c. lardo &c. carne, porcos, porcellos, vervices, agnellos, aucas, faſianos, pullos, ova, oleo, garo, melle, aceto, cymino, pipere, coſto, gariofile, ſpico, cinamo, granomaſtice, dactilis, piſtacias, amandolas, cereos librales, caſeo, ſalis, olera, legumina, ligna carra tanta, faculas tantas, itemque victum ad caballos eorum, fœno carra tanta, ſuffuſo modios tantos. Hæc omnia diebus ſingulis tam ad ambulandum, quàm ad nos in Dei nomine revertendo, unuſquiſque veſtrum per loca conſuetudinaria eiſdem miniſtrare*

ſtrare & adimplere procuretis : qualiter nec moram habeant , nec injuriam perferant , ſi gratiam noſtram optatis habere .

Nemo ſibi perſuadeat , omnes haſce rerum ſpecies Legatis Regiis contributas fuiſſe . Marculfus cuncta recenſuit , ut quæ poſtea aut neceſſaria , aut opportuna dignitati perſonarum , locis , ac tempori forent , ſeligerentur . Non negandum tamen , quin utilis , atque alibi a me laudata conſuetudo Legatos iſtos mittendi , in Populorum incommodum , atque illud non leve , ex hac parte vergeret . Erant etiam , qui onus ejuſmodi , ingratum ſane , detrectabant . Quare Ludovicus Pius Legem 24. inter Langobardicas promulgavit hiſce verbis : *Si quis Literas noſtras , ideſt Tractorias , quas propter Miſſos noſtros recipiendos dirigimus : aut honorem , quem habet* (ideſt Beneficia & Miniſteria) *amittat ; aut in eo loco , ubi prædictos* A *Miſſos recipere debuit , tamdiu ſedeat , & de ſuis rebus Legatos illuc venientes ſuſcipiat , quouſque animum noſtrum ſatisfactum habeat* . Alia addit , quæ omitto . Hæc autem Comites etiam reſpiciunt ac feriunt , quibus interdum perquam moleſtus erat Miſſorum adventus atque auctoritas . Fortaſſis etiam Monachos iſta reſpiciunt, ceteroſque Eccleſiaſticos viros , in quorum Monaſteriis & ædibus , uti ſine injuria temporum illorum opinari licet , ardentius quàm alibi manſionem Legati Regii eligebant atque ſtatuebant. Ut ergo hanc a ſe moleſtiam depellerent tam Epiſcopi , quàm Abbates , ſolicite ab Auguſtis & Regibus immunitatem a *Manſionibus* ac *Paratis* ſibi procurabant . Cujus rei etſi exempla non pauca proſtent , duplex tamen adferre in præſentia juvat , quorum primum , ad Epiſcopum pertinens , archetypum vidi in Archivo Capituli Canonicorum Patavii .

Ludovicus II. Imperator Rorigo Epiſcopo Patavino ejuſque Eccleſiæ vetera Privilegia & jura confirmat, Anno 855.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Dei æterni . Hludovicus gratia Dei Imperator Auguſtus , invictiſſimi Domni Imperatoris Hlotharii filius . Cum petitionibus ſervorum Dei juſtis & rationabilibus divini cultus amore faveamus , ſuperna gratia nos muniri non diffidimus . Igitur omnibus Chriſti fidelibus ſanctæ Dei Eccleſiæ ac noſtris , preſentibus ſcilicet & futuris notum ſit , quia adiens ſerenitatem culminis noſtri vir venerabilis Rorigus Epiſcopus & Eccleſiæ Sanctæ Juſtinæ Patavenſis , *noſtris oſtendit optutibus beatæ memoriæ* Karoli *Avi noſtri , nec & piiſſimi Genitoris noſtri auctoritates , in quibus continebatur , qualiter predeceſſores ejus cum rebus & omnibus ad eandem Sedem reſpicientibus , ſub ſua receperit tuitione ac inmunitatis defenſione . Unde pro firmitatis ſtudio ſua etiam illis Precepta contulerunt inmunitatis . Deprecatus itaque eſt clementiam noſtram prefatus Epiſcopus , ut pari modo ſuo quoque tempore memoratam Sedem ſub noſtre recipcremus tuitionis defenſionem , noſtramque etiam inmunitatem fieri juberemus . Cujus precibus ob ſui devotionem ſervitii libentiſſime adquieſcentes, hoc noſtræ ſublimitatis Preceptum fieri decrevimus , per quod jubemus , modiſque omnibus ſancimus ſtabiliendum , ut nullus Comes , Gaſtaldius , vel Judex , ſeu quislibet Reipublicæ Miniſter , vel quiſpiam ex judiciaria poteſtate in Aecclæſias , Senodochiis , aut loca vel agros , ſeu reliquas poſſeſſiones memoratæ Aecclæſiæ , quas moderno tempore in quibuslibet pagis ac territo-* B *riis infra dicionem Imperii noſtri juſte & legaliter poſſidet , vel ea quæ deinceps in jure ipſius ſancti Loci voluerit divina pietas augeri , ad cauſas judiciario more audiendos,* aut freda exigenda , aut Manſiones , vel Paratas faciendas , *aut fidejuſſores tollendos , aut homines ipſius Sedis tam ingenuos quam & ſervos diſtringendos , nec ullas redibitiones aut inlicitas occaſiones requirendas ullo unquam tempore ingredi audeat , vel ea quæ ſupramemorata ſunt, penitus exigere preſumat . Sed liceat memorato Epiſcopo ejuſque ſucceſſoribus res prædictæ Aecclæſiæ ſuæ cum Eccleſiis baptiſmalibus , Oratoriis, Senodochiis, cum omnibus rebus & hominibus ad eam juſte & legaliter aſpicientibus quiete vivere ac reſidere , qualiter Præſules ejuſdem Aecclæſiæ cum* C *Clero & omni Populo ſibi ſubjecto pro nobis atque ſtabilitate totius Imperii noſtri, Domini miſericordiam obnixius exorare delectet . Quod ſi quis huic noſtræ auctoritati contradictor extiterit & præfatæ Aecclæſiæ vel Rectoribus ejus quamlibet intulerit contrarietatis dampnietatem, in rebus videlicet mobilibus & inmobilibus in Aecclæſiis , Oratoriis , Senodochiis , ſeu hominibus vel agris ipſius Sedis bannum inmunitatis noſtræ, hoc eſt triginta Libras argenti ſe compoſiturum ſciat. Et ut hæc noſtræ inmunitatis auctoritas pleniorem in Dei nomine obtineat vigorem , & inconvulſam firmitatis ſtabilitatem , manu propria eam ſubter firmavimus , & anuli noſtri inpreſſione aſſignari juſſimus .*

Signum  *Hludovici glorioſiſſimi Auguſti .*

Locus Sigilli ✠ cerei deperditi.

Rainus Notarius ad vicem Druclemiri recognovi & ſubſcripſi .

Data VI. Idus Februarias , Anno Chriſto propitio , Imperii Domni Hlotharii pii Imperatoris XXXVI. & Hludowici glorioſiſſimi Auguſti in Italia VI. Indictione III.

Actum Mantuæ Palatio Regio in Dei nomine feliciter . Amen .

Hinc

Hinc habes, unde Chronologiam Patavinorum Præsulum apud Ughellum Tomo V. Ital. Sacr. novarum poteris. Scribit ille, Hercevaldum eum Urbis Epiſcopum circiter Annum DCCCLII electum, e vivis exceſſiſſe Anno DCCCLX aut DCCCLXI cui ſucceſſor datus fuit Rorio. Ughelli errorem, hoc ipſo Diplomate fretus, emendavit Sertorius Urſatus in Hiſtor. Patav. pag. 178. Sed & ipſe in alterum prolapſus eſt, Roſium ſeu Rorium Epiſcopum nobis exhibens ad Annum DCCCXLIX. qui tamen, ut nuper vidimus, tantummodo memoratur ad Annum DCCCLV. Aberravit autem Urſatus, quod Sigonio ſine ulla dubitatione adhæſerit, a quo hujus ipſius Diplomatis fragmentum adfertur ad eumdem Annum DCCCXLIX. Sed fucum Sigonio fecit, qui vitiatum apographum ad eum miſit, quaſi datum Privilegium fuerit *Rorio Epiſcopo*, ut is

A ſcribit, *Anno VI. Ludovici Auguſti*, *Indictione XII.* quum revera in archetypo mihi inſpecto diſcerde ſcriptum ſit *Indictione III.* Et fallax quidem ejuſmodi Indictio in cauſſa fuiſſe videtur, cur Sigonius tradiderit, Ludovicum II. Anno DCCCXLIV. Imperiali corona decoratum fuiſſe; quod tamen falſum eſt, quum id Anno tantùm DCCCL contigerit. Itaque ſtatuendum jam tamdem vides, *Rorium*, non verò *Rorum*, aut *Roſium*, Anno DCCCLV. Patavinæ Eccleſiæ præfuiſſe; & ex hoc ipſo Diplomate firmari veram Epocham Imperii Ludovici II. Accedat nunc alterum exemplum immunitatis a *Manſionatico* & *Paratis*, conceſſæ Ticinenſi Parthenoni Sanctæ Mariæ Theodatæ, nunc *de Poſterla*. Apud eas Sanctimoniales autographum ego inſpexi; atque hinc ſuppetet, unde Epocham Hugonis & Lotharii Regum Italiæ luculentius intelligas.

Privilegiorum Monaſterii Sanctæ Mariæ Theodotæ Ticinenſis confirmatio facta ab Hugone & Lothario Regibus Italiæ, Anno 932.


IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Hugo & Lotharius divina favente clementia Reges. Si circa ſervos & ancillas Dei in venerabilibus locis famulantes, tuitionis noſtræ magnificentiam, noſtros prædeceſſores imitantes, clementiam impendimus, & apud Deum veniam promereri, & Regni noſtri ſtatum divina ope fulciri non ambigimus. Omnium igitur fidelium ſanctæ Dei Eccleſiæ, noſtrorumque, præſentium ſcilicet ac futurorum noverit induſtria, qualiter Sigefredus *venerabilis Epiſcopus, & Samſon, noſtri dilectiſſimi Conſiliarii obtutibus noſtræ Maieſtatis obtulerunt Preceptum divæ memoriæ* Hlodovici Imperatoris *noſtri pietate collatum in* Rixindam Abbatiſſam Monaſterii, *quod dicitur* Theodatæ, *ſito infra Urbem Ticinenſem, ſuppliciter poſtulantes, ut iterum in* Rixindam, *quæ nunc eſt in eodem Cœnobio* Abbatiſſa *ſimiliter noſtrum emitteremus Preceptum. Quorum precibus noſtre celſitudinis animum inclinantes, hoc immunitatis noſtræ Preceptum conſcribi juſſimus, per quod omnino precipientes jubemus, ut eadem Abbatiſſa degens ſub regula Sancti Benedicti id Monaſterium cum omnibus adjacentiis jure & legaliter pertinentibus mobilibus atque immobilibus rebus adquiſitis & adquirendis uſque in finem vitæ ſuæ teneat atque poſſideat. Inſuper etiam confirmamus omnes res quaſcumque idem Monaſterium longo tempore dinoſcitur poſſediſſe a Gregorio ipſius Monaſterio fundatore, ideſt inter ceteras res Curtem Zivani, quem ipſe quondam ejuſdem Monaſterii fundator comparavit a Tromo & Laurentio cum Eccleſia in honore Sanctæ Mariæ, quæ dicitur Carbellaria, & alia Eccleſia in honore Sancti Vincentii, in loco, qui dicitur Venerosa[illegible], cunctiſque aliis rebus in omnibus locis atque vocabulis eidem ſancto Cœnobio a tanto fundatoris inſtitutore conceſſis de jure parentum, ſeu & donatione, traditione Regum, aliorumque hominum comparatione atque quarumcumque legalium conſcriptione Cartarum, aut poſtea pretaxatum venerabilem Monaſterium a donis Regum atque Imperatorum predeceſſorum noſtrorum, aliorumque diverſorum hominum emptione, donatione, fidelium quoque oblatione, traditione, comparatione, commutatione, libellariorum, cartarum-*

B *que conſcriptione adqueſitis; ac deinceps juſte & legaliter adquirere potuerit, tranquillo jure per hoc noſtræ auctoritatis Preceptum poſſideat, & ut liceat idem Cœnobium ſecundùm regulam Sancti Benedicti de propria Congregatione Abbatiſſam eligere. Sintque omnes res eidem Monaſterii tam homines liberi & ſervi, quamque omnes res aliæ ſub noſtra Regali defenſione munitæ atque defenſæ. Et ſi neceſſe fuerit de rebus & familiis ipſius Monaſterii per inquiſitionem circa manentium bonorum hominum, ſicut de noſtris regalibus veritas adprobatur. Hoc quoque ſtatuimus, ut nullus Reipublice Miniſter, neque aliquis ex Judiciaria poteſtate, homines ejuſdem Monaſterii liberos aut ſervos deinceps inquietare preſumat, vel loca,*

C *ad cauſas audiendas*, freda exigenda aut tributa, aut Manſionaticum faciendum, vel Paratas faciendas, *vel fidejuſſores tollendos, aut homines ejuſdem Eccleſiæ ingenuos vel ſervos ſuper terram ipſius Cœnobii commanentes diſtringendos, vel ullas redibiciones aut inlicitas hoccaſiones requirendas ingredi audeat: & quidquid exinde Fiſcus noſter, vel Pars Publica ſperare potuerit in eodem Monaſterio ſecundum conceſſionem & confirmationem Regum & Imperatorum & predeceſſorum noſtrorum, ſolemniter perpetua ſtabilitate firmamus pro mercede ac remedio animæ noſtræ, parentorumque noſtrorum.*

D *Damuſque ei licentiam de Silva noſtra Carbonaria & Gigio materiamen ad reparationem ipſius Monaſterii ſuſcipere, ac ligna, ſive cerros ad uſum ignis habere juxta temporis oportunitatem, quantum neceſſe fuerit, & quandocumque neceſſitas . . . . . naves ejus per Ticinenſem Portum, tam per Portum Buricum, quàm per quemlibet alium diſcurrere poſſint abſque alicujus contradictione, vel telonei exactione. Et quia contra voluntatem Dei aliquanta Monaſteria a publica poteſtate propter navigium datio ad Regiam utilitatem inquietantur, huic ſancto loco funditus concedimus & largimur, ut deinceps in antea de ipſis navibus & de omnibus publicis functionibus quietus atque ſecurus permaneat abſque alicujus hominis inquietudine, & omnes rerum commutationes, quas predicta Abbatiſſa Rixinda juſto ordine fecit, maneant inconvulſæ. Hæc autem omnia ſuperius alligata, ſicuti*

A *ti a predeceſſoribus noſtris Regibus & Imperatoribus conceſſa & confirmata ſunt, concedimus & confirmamus eidem venerabili Cœnobio perfruendum temporibus perpetuis jure firmiſſimo poſſidenda, ut ſub tuicionis noſtræ mundiburdo ſecure perſeverent. Inſuper confirmamus prefato Monaſterio pro remedio animæ noſtræ vadum unum in Padum ad piſcandum, ubi nominatur Caputlacti, habentem in terminum ſuperiorem in quo Cuzogepidaſco inde percurrit ad eundem locum, ubi Agonia influit Padum. Stabilimus etiam predicto Monaſterio Inſulas juxta prædictam piſcationem ex utraque parte Padi, quidquid antiquo tempore idem Monaſterium ſeu moderno obtinuit vel Padum invaſit, aut in futurum ruperit, de propriis ipſius* B *Monaſterii rebus ſine Nebiaſco uſque ad fluvium Agonia. Deinde ipſe finis deſcendit in Padum a termino, qui vocatur Grindolato, percurrit in Melum inſitum, deinde ad Portum Capudlacti, quantum ipſo vado tenente uſque ad rium, qui nominatur Alto, & ubi ſuperius & inferius portum anticum fuit, uno capite tenente in viam publicam, ſicut modò ipſum vadum ad piſcandum manet vel in antea evenerit. Et alterum vadum juxta runco, que nominatur Sancti Petri, uno capite tenente in runco ipſo, & alio ad locum, que nominatur retrorſum, ſicut modò ipſum vadum manet vel in antea evenerit, ut habeat pars ipſius Monaſterii ipſos vados & piſcationem in integrum quecumque voluerit faciendi, dumque ad homines ipſius Monaſterii in predicto fluvio Pado & Ticino in quocumque loco voluerint, aut in vados noſtros cum noſtris piſcatoribus licentiam piſcandi ſine aliqua contradictione. Precipientes ergo jubemus, ut nemo ex fidelibus noſtris neque preſentibus neque abſentibus prædicti Monaſterii de his omnibus, que ſupra inſerta ſunt, ullam preſumat inferre moleſtiam aut contrarietatem; ſed ſub omni integritate ſicut a nobis confirmata ſunt perhenniter ibidem ad utilitatem Monaſterii ipſius ſine aliqua diminoratione permaneat. Si quis autem contra hujus noſtri Precepti ſecuritatem aliquam violentiam aut invaſionem inferre temptaverit, ſciat ſe compoſiturum auri optimi Libras centum, medietatem Palatio noſtro, & medietatem partibus ejuſdem Monaſterii. Et ut verius credatur, ac diligentius ab omnibus obſervetur, manibus propriis ſubter roborantes, anuli noſtri impreſſione inſigniri juſſimus.*

Signum ſereniſſimorum  *Hugonis & Lotharii Regum.*

Locus Sigilli cerei ✠ deperditi.

Recco Cancellarius ad vicem Gerlanni Abbatis & Archicancellarii recognovi & ſubſcripſi.

Data IV. Kalendas Madii, Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXXXII. Regni verò Domni Hugonis VI. Lotharii filii ejus II. Indictione V.

Actum Papiæ in Dei nomine, feliciter. Amen.

C In Charta Comitiſſæ Mathildis ſcripta Anno MCIX. apud Bacchinium in Appendice Hiſtor. Monaſt. Padolironenſis, pag. 85. memoratur *Albergatio Villanorum*, & infra *Albergaria Villanorum*. Quid oneris, quid juris illud fuerint, alii inquirant. Ego onus ruſticis impoſitum ſuſpicor, ut hoſpitium darent (nunc *il Quartiere*) militibus Comitiſſæ, aut eidem, aut ejuſdem Miniſtris. Vide ſubſequentem Chartam, quam Eſtenſe Archivum mihi ſuppeditavit.

Dodo Epiſcopus Mutinenſis homines Maſſæ immunes ab Albergariis Comitiſſæ Mathildis præſtat, Anno 1107.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jheſu Chriſti. Anno ab Incarnatione ejuſdem Milleſimo Centeſimo Septimo, D *Kalendis Martii, Indictione XV. Cum Matilda gratiâ Dei* Comitiſſa filia quondam Bonifacii Ducis & Marchionis, *apud Sancti Benedicti Cœnobium inter Padum & Larginem ſita eſſet una cum ſuis Nobilibus Militibus, quorum nomina hic ſubter leguntur, & ibi ſecum* Ugo Mantuanus Epiſcopus *eſſet, venit ad eam* Dodo Mutinenſis Epiſcopus, *cum Ardicione filio Borelli, & cum quibuſdam viris Maſſæ antiquioribus, eam deprecantibus, ut* in Curte Maſſæ Albergarias non faceret: *quia dicebant, ſe hoc non uſi eſſe, neque temporibus ejus, neque patris vel matris; & volebant inde juſjurandum ei facere. Sed ipſa renuit propter* E *Quadrageſimam accipere, & predicti viri valde inde doluerunt. Et illa dixit, tranſactâ Quadrageſimâ ſe eſſe ſuſcepturam, ſi ipſi facere vellent. Et tranſacto Quadrageſimali tempore ipſi parati fuerunt ad jurandum. Sed ipſa pro amore & timore Dei, ſanctique Geminiani dimiſit juſjurandum ad illos, & per Cartulam in manu ſupraſcripti Epiſcopi Dodonis, & Ardicionis, atque illorum vicinorum Maſſe ſupradictorum, qui ibidem cum Epiſcopo & cum Ardicione ac de cauſa venerant tam pro ipſis quàm pro omnibus vicinis eorum, qui in ſupraſcripta Corte Maſſa habitant, conceſſit,* quod neque per ſe, neque per aliquem ab ea miſſum, eis Albergarias inferret. *Si contra hæc faceret, ſtatuit, ſe penam compoſituram quinquaginta Libras Lucenſium Denariorum, & poſt pœnæ ſolutionem maneat hæc pagina firma, quia ſic inter eos convenit.*

Lecta in ſupraſcripto loco Sancti Benedicti feliciter

MA-

MA	TIL
DA	DEI
GRA	SI
QID	EST

Alteram Chartam pertinentem ad ipſam Comitiſſam & ad Albergarias profero, cujus antiquum apographum vidi in Tabulario Capituli Canonicorum Regienſium. *Wibertus* de Gonzaga in ea memoratus, unus e Vaſſis Comitiſſæ Mathildis fuiſſe videtur: ejuſque mentio ſæpe occurrit in aliis Comitiſſæ Cartis apud nuper laudatum Bacchinium. Fortaſſe recenſendus eſt inter Majores ampliſſimæ Familiæ Gonzagæ, quæ olim Mantuæ, nunc Waſtallæ dominatur.

Mathildis Comitiſſæ Decretum, quo abſolvit Guibertum de Gunzaga ab onere Albergariæ in Corrigio. Anno 1109.

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Anno ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti Milleſimo Centeſimo Nono. Reſidente Comitiſſa Matilda apud Sanctum Ceſarium, conqueſtus eſt Wibertus de Gonzaca, *quod ipſa injuſte* oſpitaret ſuos homines, *ſcilicet* Viencium & confratris ejus de Canuſia, commorantes in Corrigio. *At ipſa promiſit ei juſtitiam facere. Et mittens Odaldum Judicem ſuum ut cum eis Miniſtris ejuſdem loci, & bonis hominibus inquireret & inveniret ei veritatem. Qui juſſa complens, venit in eodem loco, & fecit ad ſe venire* Girardum Comitem *illuſtrem, & Rolandum, & Manfredum Boniſenverii, juratores ejuſdem loci, & Coſbertum, & Albizum de Vallepútrida, & Alegro Johannis Rabaldi, & Radulfus de Canuſia, & requiſivit ab eis juſtitiam & veritatem ujus rei. Qui omnes teſtificati ſunt, quod* contra juſtitiam oſpitati fuerunt, & non recte eos oſpitare *debere. Experta ac veritate, Comitiſſa promiſit, ſe ita obſervare, &* omnibus ſuis Miniſtris mandavit & *dedit preceptum*, numquam amplius *eos oſpitare*

Signum manus. EGO COMITISSA MATILDA.

Signa manuum Girardi de Placia, Rolando, Manfredus, Segnorecti, Giſberto de Miliarina, Albezo, Alegro. Alii interfuere teſtes.

Ego Ato Notarius ſcribere poſtradita complevi & dedi.

Nuper in formula Marculfi memoratos vidimus *Veredos & Paraveredos*. Et hoc inter publica onera nunc mihi enumerandum. Scilicet hiſce vocibus tam equi deſignantur, in quibus equitatur, quàm qui ad ſarcinas deferendas neceſſarii erant, quos provinciales ſuppeditare cogebantur Regi, ejuſque comitivæ, aut Miſſis Regiis, aut Comitibus, aliiſque Reipublicæ Miniſtris, quoties ineundum erat aliquod iter. Ludovicus II. Auguſtus in mandatis ad Legatos, Part. II. Tomi I. Rer. Italicar. pag. 159. inquirendum jubet: *Ubi quum iter dictaverit, Dominus Imperator recipi debeat per ſingula miniſteria. Ubi ab eo directi Legati. Unde eis amminiſtrentur obſequia* (ideſt expenſæ ad viaticum & tectum) *Unde Paraveredæ*. De his crebra mentio eſt in Codice Theodoſiano, & in Capitularibus Regum Francorum. Præterea currus ab equis, aut ſaltem a bobus, ut opinor, trahendos, conferre oportebat in idem opus. Ab hujuſmodi onere quum ſe immunes (qua de cauſſa neſcio) contenderent Clerici Cremonenſis Diœceſis, *tam de Plebibus*, hoc eſt de Eccleſiis Parochialibus, ruri ſitis, *quamque & de Oraculis*, vel *Oratoriis*, hoc eſt Eccleſiis non baptiſmalibus, ad Lotharium I. Imperatorem ſuas querelas ac preces detulere, eidem ſignificantes *Parafreda* (idem eſt ac *Paraveredi*) *& carra ad Cameram deportandam* ſibi injuſte fuiſſe extorta. Controverſiam iſtam poſt maturum examen diremerunt Ructaldus ſacri Palatii Capellanus, Maurinus Comes Palatii, & Adalgius Comes, ut ex ejuſdem Lotharii Diplomate patebit, quod e Regeſto Epiſcopalis Palatii Cremonenſis deſcripſi.

Lotharius I. Imperator Clericos Diœceſis Cremonenſis conquerentes, quod parafreda & currus præſtare coacti fuiſſent ad ſervitium Cameræ Imperialis, factâ inquiſitione juſtitiæ, ab hujuſmodi onere abſolvit, Anno 835.

In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Dei eterni. Hlotharius divina ordinante providentia Imperator Auguſtus. Si petitionibus ſervorum Dei, in quas noſtris auribus patefecerint, libenter annuimus, & eas ad effectum perducimus, hoc nobis procul dubio ad mercedis noſtre augmentum & eternam beatitudinem capeſcendam pertinere confidimus. Igitur notum ſit omnibus fidelibus ſancte Dei Eccleſie, noſtrorumque, preſentibus ſcilicet & futuris, quia omnes Presbiteri & Parochia Cremonenſis tam de Plebibus quamque & de Oraculis, *ante noſtram venientes preſentiam, noſtre innotuerunt celſitudini*, quod Parafreda & Carra ad noſtram Cameram deportandam *injuſte dediſſent. Quam cauſam diligenter* Ructaldo ſacri Palatii Capellano noſtro, *nec non &* Maurino Comiti Palacii noſtri, *ſeu &* Adalgiſo Comiti *inquirere precepimus, ſi per juſtitiam ipſa* Parafreda *vel ipſa* Carra ad noſtrum ſervicium *peragendum dare debuiſſent, an non. Set diligentiſſime hoc perquirentes nobis renuntiaverunt, quod contra juſtitiam ſupra memorata Parafreda vel eadem Carra ipſi Sacerdotes*

dediſ-

dediſſent. Quapropter omnibus fidelibus noſtris precipimus, *ut* nullus deinceps eis de ipſis Parafredis vel Carris nullam contrarietatem inferre preſumat, nec ad noſtrum peragendum ſervitium, nec etiam alicui perſone: *ſed liceat eis quidem poſſidere, & pro noſtra, & Uxoris & filiorum noſtrorum incolumitate Domini clementiam delectabilius exorare. Et ut hec noſtra auctoritas omni in tempore firmior habeatur, & per futura tempora inviolabiliter conſervetur, de anulo noſtro ſubter ſigillari juſſimus.*

Non adeſt ſubſcriptio Imperatoris.

Dructemirus Subdiaconus atque Notarius ad vicem Abumari recognovi.

Data Nonas Martii, Anno Chriſto propitio Imperii Domini Hlotharii pii Imperatoris XVII. Indictione XIII.

Actum Sexpilas Palacio regio, in Dei nomine feliciter. Amen.

Neque infelicitati dumtaxat temporum illorum tribuendum hoc onus. In uſu fuit & ſub Romanis Imperatoribus, atque ab ipſius Auguſti tempore, *Curſus vehicularius*, quem *Fiſcalem* & *Publicum* alii appellant. Nobis nunc *la Poſta* dicitur. Diſpoſiti nempe erant ad certa paſſuum millia equi & carpenta, ut literę e provinciis quamcitius ad Principem deferrentur, & Magiſtratus diligentius iter abſolverent. Aurelii Victoris ſunt verba in Trajano: *Noſcendis ocius, quæ e Republica gerebantur, admota media publici curſus.* Reliquos teſtes omitto, uti & Leges Codicis Theodoſiani ac Juſtinianei, ubi ejuſmodi Angariæ mentio non ſemel occurrit. Equos ejuſmodi ac vehicula Provinciales fere ſemper præſtare coacti. Interdum verò id onus a probis Imperatoribus remiſſum, & a Fiſco ſuſceptum. Poſt declinationem Imperii Romani ſub Langobardis & Francis idem Curſus perduravit; ac dominantibus in Italia Gothis nihil de ejuſmodi more immutatum. *Veredos* & *Paraveredos* ad hoc deſtinatos, ſumtibus quidem Provinciarum, Capitularia Regum Francorum inſinuare videntur. At olim minime licuit (quod nunc in uſu eſt) privatis perſonis *vehicularii curſus* diligentiâ uti: & ſi quiſquam eſt uſus, peculiari dono ac privilegio Principis id illi concedebatur. In eam rem eſt Lex Honorii Auguſti jubentis: *Ne quis ſibi deinceps Curſum publicum privatus uſurpet, niſi quum aut a nobis evocatur, aut a clementiæ*

A *noſtræ veneratione diſcedit.* Erant & ad hoc opus parata navigia (*Dromones*, & *Naves curſorias* appellabant, eorumque mentio eſt apud Sidonium Lib. I. Epiſtola V.) quibus, ſi opus erat, per fluvios, per lacus, per ſinus advehebantur Tabellarii, Magiſtratus, aliive in officio Principis poſiti: quem ritum barbaricis quoque temporibus obſervatum, neceſſitas aut utilitas publici regiminis perſuadet. Ulpianus *inexcuſabilia onera* hæc appellat l. *fideicommiſſum* ff. *de judiciis*. Ita in formulis Lindebrogii Cap. 12. Epiſcopo conceditur immunitas a *Navali vel Carrali evectione*: quæ verba indicant, tunc onere iſto gravatum fuiſſe Populum. Accedat ad iſta onera & *Fodrum*,
B quo nomine, ut notum eſt, deſignabatur annona præſtanda militibus, aut Imperatori ipſi, ſive Regi, ac ejus familiæ, dum in itinere eſſet. In Vita Ludovici Pii Auguſti hæc habentur: *Inhibuit a plebejis ulterius annonas militares, quas vulgo Foderum vocant, dari*. Neque tantùm hac voce ſignificabatur commeatus militibus contribuendus, ſed & alimentum equorum, ut fœnum, palea &c. unde Italicum & Gallicum *Foraggio* & *Fourage*. Fridericus I in celebri Pace Anno Domini MCLXXXIII. cum Lombardis Conſtantiæ ſtabilitâ: *Nobis*, inquit, *intrantibus in Lombardiam Fodrum conſuetum & Regale, qui ſolent & debent, & quando ſolent & debent, præſtabunt*.
C Non fruſtra ibi dictum, *qui ſolent & debent*: erant enim, quibus ab ejuſmodi onere immunitas concedebatur, non ſine gravi ceterorum incommodo, in quorum humeros credere par eſt exoneratum fuiſſe pondus aliis detractum. Certe ad *Fodrum* præſtandum tum Sæculares tum Eccleſiaſtici tunc adigebantur: Hadrianus ipſe IV. Papa, controverſiâ excitatâ cum eodem Friderico I. Auguſto, ut eſt apud Radevicum Lib. 2. Cap. 30. de Geſt. Friderici I. contendebat, *de dominicalibus* (hoc eſt patrimonialibus, ſive prædiis propriis) *Apoſtolici* (ideſt Papæ) *Fodrum non eſſe colligendum, niſi tempore ſuſcipiendæ Coronæ*: quod etiam mirum videatur. Sed non
D defuiſſe, quibus ex Privilegio Tributum ejuſmodi remittebatur, cum alia exempla, tum unum indicabit, quod mihi ſuppeditavit vetuſtiſſimum Veronenſe Cœnobium Sanctæ Mariæ ad Organum, a Monachis Olivetanis excultum, ubi auctographa membrana adſervatur.

Exemtio a Fodro, Placito, aliiſque publicis functionibus, conceſſa ab Henrico Rege II. Imperatore I. Monaſterio Veronenſi Sanctæ Mariæ ad Organum, Anno 1014.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Heinricus divina favente clementia Romanorum Imperator Auguſtus. Si petitionibus fidelium noſtrorum aſſenſum prebuerimus, fideliores eos nobis inde fore non dubitamus. Quapropter omnium fidelium Sanctæ Dei Eccleſiæ, noſtrorumque, preſentium ſcilicet ac futurorum ſollertia comperiat, qualiter nos pro Dei amore noſtræque remedio animæ, eciam interventu ac peticione Cunigundæ Imperatricis, noſtræque *dilectæ* Conjugis, *perdonamus, & per hoc noſtrum Imperiale Preceptum in eternum*
E *ſtabilimus Monaſterio Sanctæ Mariæ in Organo, ſito Veronæ*, omne Fodrum, & Placitum, reddibicionem, angariam, ſeu quamcumque publicam functionem, *quam famuli ejus hactenus noſtræ Reipublicæ perſolvere viſi ſunt. Eo videlicet ordine, ut ab hac die & deinceps quiete, pacifice remaneant atque perſiſtant, & nulli mortali* de Placitis, aut Fodro, aut de publica functione *aliquid perſolvere cogantur. Proinde jubemus, ut nullus Reipublicæ Miniſter vel Exactor eos de ſupraſcriptis cauſis moleſtare* ulterius *preſumat. Si quis igitur &c.*

Signum Domini Heinrici sereniſſimi  *& invictiſſimi Imperatoris Auguſti,*

Locus Sigilli ✠ cerei deperditi.

Heinricus Cancellarius vice Everardi Epiſcopi & Archicancellarii recognovit.

Data IX. Kalendas Junii, Indictione XII. Anno Dominicæ Incarnationis MXIV. Domni verò Heinrici Imperatoris Regnantis Anno XII. Imperii verò ejus Primo.

Actum Liciana feliciter.

Accedat & alterum ejuſmodi immunitatis exemplum, hoc eſt Diploma, quod ex Archivo Monaſterii Ravennatis Sanctæ Mariæ in Portu deſcriptum ad me miſit Rugerius Calbius, vir tum profeſſione Medicinæ, tum literarum humaniorum ſtudio, editiſque etiam Libris commendandus.

Friderici II. Imperatoris Diploma, quo Eccleſiæ & Monaſterio Sanctæ Mariæ in Portu Ravennatenſi omnia illius bona & jura confirmat, Anno 1223.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Fridericus Secundus divina clementia Imperator ſemper Auguſtus Romanorum, & Rex Siciliæ. Tranſitoria Regni dignitas, & Imperialis poteſtatis ac ſublimitatis ad hoc potiſſimum ab omnium Regum Domino nobis conceſſa eſt, ut ſuos, militeſque Chriſti, quos propria voluntas propter amorem Dei omnipotentis inopes fecit exiſtere, atque in præſenti Seculo abjectos remanere, attentius debeamus defendere, & ſub noſtræ Imperialis protectionis conductus honoribus refovere. Hoc etenim ſi fecerimus, cum Regnum terrenum defecerit, cæleſtis & indeficientis Regni culmina procul dubio ſublimiter obtinere non ambigimus. Quapropter omnium Chriſti, Regnique fidelium noverit induſtria, qualiter nos intuitu & petitione venerabilis ac dilecti Principis noſtri Alberti *Sanctæ* Magdeburgenſis Eccleſiæ Archiepiſcopi, *tunc*, Imperii ſacri Legati, *Eccleſiam Sanctæ Mariæ in Portu cum omnibus ſuis obedientiis ad inſtar divæ memoriæ Avi noſtri Romanorum Imperatoris Auguſti, quod in ſuis Privilegiis eidem Eccleſiæ conceſſo ſolemniter declaratur, ſub noſtræ auctoritatis defenſione, & Imperialis dignitatis tuitione & mundiburdio ſuſcipimus. Statuentes, ut quaſcumque poſſeſſiones ſeu jura poſſeſſionum, quæcumque bona in præſentiarum poſſidet, aut in futurum largitione Imperatorum aut Regum, conceſſione Pontificum, Principum, Marchionum, oblatione aliorum quorumlibet fidelium, ſeu aliis quibuſcumque juſtis & legitimis modis poterit adipiſci, noſtra Imperiali auctoritate confirmata & corroborata uſibus memoratæ Eccleſiæ & Fratribus ibidem Deo pro tempore famulantibus proficiant, de quibus quædam propriis duximus exprimenda vocabulis. Inſulam ſcilicet, in qua ipſa Eccleſia fundata eſt, quæ eſt juxta littus Maris: & aliam Inſulam, quæ eſt poſita ultra flumen Bidentis. Primum latus Bidens: ſecundum latus Badalenum: tertium latus Caſtelli & deſcendens a via, quæ eſt inter murellos de Civitate Claſſis in eodem Badaleno: quartum latus eadem via uſque ad Portum Cæſaris: quintum latus a Portu Cæſaris uſque in Bidentem, & locum qui vocatur Cirizolus, cum terris, vineis &c. Silvam, quam habent in Comitatu Comaclenſi ab Epiſcopo & Communi. Et quidquid acquiſierunt ab Abbate Sancti Andreæ ex partibus Iſtriæ, ſive in Bagnacaballo, ſive in aliis locis. Et quidquid habent apud Gatulam. Quidquid etiam habent in* Civitate Ravennæ, & in ejus Exarchatu, Ceſenæ, Cerviæ, Faventiæ, Popilienſi, Imolenſi, Livienſi, Ariminenſi, Piſaurenſi, Fanenſi, Senogallienſi, & in Monte de Cruce a Federico & Guarnerio Marchionibus, *ſeu ab aliis*, Ferrarienſi, Bononienſi, Mantuano, & Paduano, *tam in Civitatibus, quàm in earum Epiſcopatibus, ſeu in quibuslibet aliis locis, cum domibus, caſis, terris &c. Addimus etiam & Imperiali beneficio perpetuo dono concedimus, ut ſit libera facultas hominibus Sanctæ Mariæ in Portu omnibus temporibus de Silva Medicinæ ligna pro reſtauratione domorum ſuarum, & neceſſitate ignis accipere, quotieſcumque voluerint, ſine omni hominum contradictione. Præterea concedimus & Imperiali auctoritate decernimus, ut ſupradictæ Eccleſiæ Fratres liberam facultatem habeant a quolibet adipiſcendi poſſeſſiones & recuperandi: videlicet, ſi poſſeſſiones quomodocumque pertinentes ab aliquo vel aliquibus injuſte detineantur, & tertio a Fratribus, vel ab aliis ex nomine ſæpe dictæ Eccleſiæ, vel jam dicto peremptorio edicto a noſtro Judice commonitus, ſi juſtitiam facere noluerit, liceat Fratribus ejuſdem Eccleſiæ Imperiali Privilegio munitis cum omni juſtitia & jure, nulla lege contradicente ipſas ingredi poſſeſſiones. Inſuper indulgemus, & Imperiali edicto ſtatuimus, ut nulla præſcriptio niſi centum annorum eis opponatur. Ad hæc decernimus, & Imperiali lege irretractabiliter ſancimus, ut nulli Clerici, nulli Laici Canonicæ Sanctæ Mariæ in Portu, neque cujuſcumque ſuæ Obedientiæ, per ſe aut per ſuos Advocatos, Sindicos, vel Oeconomos de cetero in quacumque controverſia jusjurandum compellantur aliqua ratione ſubire: ſed noſtra Imperiali Lege ab omni juramento omnes perpetuo immunes exiſtant, non obſtante lege de jurejurando edita, qua cavetur ſacramentum calumniæ debere præſtari, & non poſſe remitti:* Sed ipſa Eccleſia cum ſuis Obedientiis ab omni infeſtatione, ſeu moleſtia immunis exiſtens,

neç

nec Civitati nec alicui Poteſtati Collectas, Fodrum, Albergariam perſolvat, ſive ad muniendam Civitatem, ſive ad Caſtrum ædificandum, ſed nec pro adventu Imperiali, Regali, vel etiam alicujus Principis. *Nulla denique gravamina alicujus occaſionis obtentu ſentiant. Nec in tota Inſula, in qua eſt Eccleſia, nec in toto Portu perſona aliqua capiatur: nec res alicujus violenter auferatur, prout circumdantur a Flumine, Candiano ſcilicet, Iſidento, Badaleno, & mari, nec in ipſorum littoribus, nec infra mare, ſeu à littoribus Fluminum ad unum miliarium. Præterea ex noſtra gratia Imperiali hoc indulgendum duximus Fratribus antedictis, ut fructus poſſeſſionum ſuarum, in quocumque loco fuerint, Civitatibus, Caſtris, vel Villis, ad Eccleſiam ſuam, vel quocumque voluerint, ſine omni dacione & ſacramenti præſtatione libere deferant & ſecure, non obſtante Civitatis alicujus juriſdictione, privilegio, vel ſtatuto. Hæc autem omnia ſæpe dictæ Eccleſiæ & ſuis Obedientiis & Fratribus ibidem Deo pro*

A *tempore ſervientibus, omni contradictione procul remota, uſibus proficere æternaliter, ſtatuentes Imperiali auctoritate jubemus, & ſub pæna centum Librarum auri puriſſimi prohibemus, ut nullus Archiepiſcopus, Epiſcopus, Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, Capitaneus, Valvaſſor, Conſul, Rector &c. adhibitis teſtibus, quorum nomina hæc ſunt:* Rodulfus Patriarcha Jeroſolymitanus, Albertus Magdeburgenſis Archiepiſcopus, Bernardus Panormitanus Archiepiſcopus, Albertus Tridentinus Epiſcopus, Henricus Gatmaſienſis Epiſcopus, Conradus Hildenſemenſis Epiſcopus, Engelardus Hiwembernenſis Epiſcopus, Gernandus Brandeburgenſis Epiſcopus, Mainardus Ymne-
B lemenſis Epiſcopus, Joannes Rex Jeroſolimitanus, Robertus Magiſter Templi Jeroſolimitani, Comes Henricus de Eneſter, Comes Guido de Modiliana, Comes Thadeus de Carpigna, Guilielmus Marchio Montisferrati, Dropindus Marchio de Vobur, Comes Thadeus de Montefeltrario.

Signum Domini Frederici Secundi Romanorum Imperatoris ſemper Auguſti, & Regis Siciliæ inclitiſſimi.




Hæc acta ſunt apud Capuam in Anno Dominicæ Incarnationis MCCXXIII. & Tertio Anno Imperii ejus, Menſe Februarii, Indictione XI.

Antea quoque Fridericus I. Auguſtus par eidem Monaſterio Privilegium indulſerat, cujus partem hanc tantùm exhibeo.

Friderici I. Imperatoris Diploma pro Eccleſia Sanctæ Mariæ in Portu Ravennate, Anno 1155.

C IN *nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Fridericus Primus divina clementia Imperator ſemper Auguſtus Romanorum & Rex Siciliæ. Tranſitorii Regni dignitas, & Imperialis poteſtatis ac ſublimitatis ad hoc potiſſimum &c. Quapropter omnium Chriſti Regnique fidelium noverit induſtria, qualiter nos interventu & petitione dilectorum Principum noſtrorum* Arnaldi Colonienſis Archiepiſcopi Italiæ noſtri Regni Archicancellarii, & Anſelmi Ravennatis Eccleſiæ Archiepiſcopi & Exarchi, *Eccleſiam videlicet Sanctæ Mariæ in Portu, cum omnibus ſuis Obedientiis, ſub noſtræ auctoritatis defenſione &c.* (a) Sed ipſa Eccleſia cum ſuis Obedientiis ab omni infeſtatione ſeu moleſtia immunis exiſtens, nec Civitati nec alicui Poteſtati Collectas, Fodrum, Albergariam perſolvat,

ſive ad muniendam Civitatem, ſive ad Caſtrum ædificandum: ſed nec pro adventu Imperiali, Regali, vel etiam alicujus Principis. *Nulla denique gravamina &c. adhibitis teſtibus, quorum nomina hæc ſunt:* Peregrinus Aquilejenſis Patriarcha, Hilerinus Treverenſis Archiepiſcopus, Anſelmus Ravennas Archiepiſcopus, Everardus Bambergenſis Epiſcopus, Enricus Leodienſis Epiſcopus, Hermannus Colat. Epiſcopus, Ordib. Baſilienſis Epiſcopus, Ubaldus Calezen. & Stabulen. Abbas, Torquatus Valdenſis Abbas, Berſous Dux Saxoniæ, Bertholdus Dux de Zaringia, Henricus Dux Carintiæ, Otto Palatinus de Bavaria, Odoacher Marchio de Stiria, Herimannus Marchio Vero-
D nenſis, Bertoldus Comes de Ardet.

Signum Domini Friderici  *Imperatoris Auguſti.*

Ego Arnoldus Colonienſis Archiepiſcopus & Italici Regni Archicancellarius recognovi.

Hæc autem acta ſunt Romæ apud Sanctum Petrum Anno Dominicæ Incarnationis MCLV. Indictione IV.

Sæpe verò pro ſpeciebus conferendis nomine *Fodri*, pecunia offerebatur. Iter Romam ver-
E sùs meditabatur Henricus VI. Romanorum Rex, ut ibi Imperialem Coronam reciperet.

(a) Ut in præcedenti Diplomate Friderici II. Imperatoris Anno 1223. quod alibi in hoc ipſo Opere evulgatum fuit.

Quos Legatos per varias Provincias miſit, quibus colligendi Fodri cura foret. Ea quid inter eos, & Gerardum Epiſcopum Patavinum hac de re conſtitutum fuerit. Chartam archetypam ego inſpexi, atque deſcripſi, adſervatam in Archivo Capituli Canonicorum Patavii.

Concordia Gerardi Epiſcopi Patavini cum Legatis Henrici VI. Romanorum Regis de ſolvendo Fodro pro coronatione Romana ejuſdem Henrici, Anno 1190.

ANno a Nativitate Domini Milleſimo Centeſimo Nonageſimo, Indictione VIII. die IX. exeunte Julio. His preſentibus, qui dicentur inferius, Domnus Bonus-Johannes Vercellenſis Advocatus, & Domni noſtri Henrici Romanorum Regis Legatus *cum* Domno Henrico Comite de Piano, *ut ex Literis apertis ejuſdem Sereniſſimi Regis ſigillatis patebat*, ad Fodrum Regale, *atque alia ſervitia requirenda & colligenda .... coronatione ipſius Domni Regis, Rome peragenda, vice ſua & Comitis Henrici de Piano, a quo generalem ...... ſive commiſſionem habebat, ſicut ex tenore inſtrumenti per Adam Notarium confecti a me* Warino .... *ſi & perlectis valet dignoſci. Que & idem Bonusjohannes ita eſſe aſſerebat pro Romana expeditione, a Regali excell....... de proximo fieri ſperabant, atque* Fodro. *Domno* Willelmo *de Oſa Padue Poteſtate amicabiliter interveniente, ad .... cum* Domno Gerardo Paduano Epiſcopo *pervenit concordiam. Supradictus namque Bonusjohannes ſuper his cum prefato Epiſcopo vi .... Regis, & ex legatione, qua fungebatur, cum ſupradicto Epiſcopo conveniens atque paciſcens, remiſit eidem Epiſcopo preſentem Regalem expeditionem, ac exercitum, quique de proximo fieri ſperabant,* atque Fodrum, *ut neque ipſe Epiſcopus ire, nec militem vel milites pro ſe dirigere teneatur*, neque de terris, que in dominicatu Epiſcopatus erant, Fodrum preſtare debeat, nec hii, qui pro Epiſcopatu tenebant, quia ad H. Epiſcopo adjutorium facere debent, pro eo quod pro Epiſcopatu tenebant, Fodrum Regi ad hanc expeditionem ſive exercitum præſtare teneantur. *Sicque Domno Epiſcopo ſtipulanti jam dictus Bonusjohannes ſe facturum hanc concordiam Dominum Regem laudare & confirmare promiſit. Quod infra triduum poſt completam univerſalem Curiam, quam Domnus Rex in Roncaliis vel alibi in Lombardia tenebit, Domno Regi pro jam dicta remiſſione dabit centum Marchas argenti ad marcham Cononienſem. Ad hec Ugolinus Advocatus ejus .... Tranſelgardinus Vicedominus atque Gnanſus pro jam dictis centum Marchis, ut dictum eſt, perſolvendis eidem .... vice Domni Regis, ſe pro Epiſcopo conſtituentes, eas ſolvere promiſerunt. Itaque quiſquis inſolidum renunciato & auxil. .... vi Adriani teneatur, & ut eo quod pro Eccleſia ſe conſtituant, nequaquam ſe tueri valeant. Promiſit ergo Bonusjohannes Epiſcopo, quod faciet Domnum Regem precipere & diſtringere illos, qui Epiſcopo adjutorium facere debent .... ditione Romana, ad illud Epiſcopo preſtandum, quemadmodum facere debent, ſi Epiſcopus in propria perſona in expeditione .... nominati quoque remittens, quod Epiſcopus pro hac expeditione ad Curiam de Roncalia, vel alibi ubi ipſa Curia fieri, ire ſeu nuncios mittere non teneatur, nec pro jam dictis centum Marchis exſolvendis, ut dictum eſt, nuncios dirigere debet, vel niſi Rex alia de cauſa pro eo mitteret.*

Actum in Padua in Epiſcopali Capella. Teſtes interfuerunt Vitalianus Archidiaconus & Todeskinus & Ugolinus Padue Canonici, Magiſter Vivianus Epiſcopi Capellanus, Oldericus de Garzapane, Tebaldus Judex de Verona, Wido *de Caſalvalone, Manfredus Judex, Rolandinus de Malpilio, Clarellus, Parulfinus, & Gusbertus de Orlando, atque Adam Notarius de ...... & mihi* Warino *a partibus juſſum fuit hec ſcribere.*

Ego Warinus *Imperialis Domni F. tabellio interfui, & hoc juſſum Domni ..... & predictorum, qui pro eo ſe conſtituerunt, & Domni Boni-Johannis ſupradicti.*

Fodrum ergo, *Paratæ*, *Manſionatica*, *Procurationes*, aliaque hujuſmodi nomina, quamquam reſpectu diverſo diverſa ſignificarint, in multis tamen conveniebant, & ex iis aliqua a Vaſſallis, alia a Populo ſolvebantur. *Fodri* autem vox, potiſſimum poſt Annum Epochæ Chriſtianæ Milleſimum uſurpata, ſignificavit etiam alimenta ſive commeatum, qui alicui Reipublicæ Miniſtro jure aut injuriâ contribueretur. Vide in hanc rem, quid prælaudatus Fridericus I. ſcripſerit in Diplomate, cujus apographum ad me miſit præclariſſimus vir Antonius Rambaldus Comes de Collalto, intimus Auguſtiſſimi Cæſaris Conſiliarius.

Friderici I. Imperatoris Privilegium conceſſum Manfredo & Schenellæ Comitibus Tarviſinis, Anno 1155.

IN nomine Sancte & individue Trinitatis. Fridericus divina clementia Romanorum Imperator Auguſtus. Si fidelium noſtrorum petitionibus clementer annuimus, & eis preſentia gratie ſe largimur, fideliores eos in noſtris & Imperii obſequiis reddere non dubitamus. Quapropter omnium Chriſti, Imperiique fidelium, preſentium ſcilicet & futurorum ſolertie noverit induſtria, qualiter nos omnes res & proprietates, quas fideles noſtri Comites Tarviſini Manfredus *videlicet &* Scenella fratres *paterno & materno jure, ſeu per Precepta a predeceſſoribus noſtris Regibus aut Imperatoribus anteceſſoribus ſuis collata, vel per aliquas ſcriptiones Cartarum ab aliquibus hominibus juſte & legaliter tenent, vel de cetero conquirere poterint, aut tenere debent, Imperiali auctoritate Privilegia eorum renovando confirmamus. Concedentes eis quicquid Regii juris infra ambitum Civitatis Tarviſii invenitur, & piſcationem fluminis Silaris, ſicut ad noſtram Imperialem pertinuit poteſtatem. Et ne homines reſidentes in prædiis eorum ante Ducem vel Marchionem aut Comitem ſeu Vicecomitem ſive Schuldaſium veniant,*

aut ab ipſis conſtringantur, niſi a præfatis Comitibus, & eorum heredibus, vel ab Imperatoria Majeſtate. Et nec Fodrum neque Collectam, aut diſtrictum, quod publicæ exactioni pertineat, Duci, Marchioni, Archiepiſcopo, Epiſcopo, Comiti, Vicecomiti, aut alicui alii perſonæ magnæ ſive parvæ, vel etiam Civitati, prebeant, *Imperiali noſtra auctoritate eiſdem fratribus, eorumque heredibus indulgemus, omnium hominum tam cenſualium, quàm ſuper res & proprietates eorum reſidentium, omne diſtrictum, & quicquid publicum fuerit ab eis exigendi omni contradictione remota: ſalvo per omnia jure & juſtitia Imperii, ita ut habeant ſupradicti fratres & eorum heredes ad fidelitatem Imperii. Si quis igitur, quod abſit, hujus noſtri Precepti paginam in aliquo violare preſumpſerit, Imperiali banno ſubjaceat, & mille Libras auri componat, medietatem Cameræ noſtræ, & alteram partem ſæpe dictis Comitibus, eorumque heredibus. Quod ut omni tempore in poſterum ratum & inconvulſum uſibus proficiat eorum, preſentem paginam Sigilli noſtri impreſſione commonivimus, adhibitis teſtibus, quorum nomina hæc ſunt:* Pelegrinus Aquileyenſis Patriarcha, Hillinus Treverenſis Archiepiſcopus, Everhardus Bavenbergenſis Epiſcopus, Orth...... Baſilienſis Epiſcopus, Wibaldus Stabulenſis atque Corbejenſis Abbas, Henricus Dux Saxoniæ, Bertoldus Dux Ceringiæ, Henricus Dux Karinthie, Odoacer Marchio de Stira, Hermanus Marchio de Verona, Wido Comes de Blandrada, Comes Wido Guerra.

Signum Domni Friderici  *Romanorum Imperatoris invictiſſimi.*

Ego Arnoldus Colonienſis Archiepiſcopus & Italici Regni Archicancellarius recognovi.

Actum juxta Montem Sirachi ſuper ripam Tiberis, Kalendis Julii, Anno Dominice Incarnationis MCLV. Indictione III. Imperante Domino Friderico Romanorum Imperatore glorioſo, Anno Regni ejus IV. Imperii Primo, in Chriſto feliciter. Amen.

Quod etiam invenio, ab Auguſtis & Regibus non tantùm immunitas a *Fodro* interdum concedebatur Eccleſiis, ſed etiam in earum utilitatem Fodrum ab aliis perſolvendum convertebatur. Ita Fodrum illud, quod Curtis, ſive Caſtrum Sancti Stephani in Diœceſi Regienſi perſolvebat, *pro Imperatoris receptu*, ab Epiſcopis Regienſibus in uſum proprium percipiebatur: quod e ſubſequenti Charta intelliges, adſervata in Tabulario Capituli Canonicorum Regienſium.

Ludovicus Regienſis Epiſcopus conceſſionem Curtis Sancti Stephani cum Plebe factam Canonicis Regienſibus & ipſe confirmat, Anno 1093.

IN *nomine Sancte & individue Trinitatis*. Lodoicus *divina ordinante providentia Sancte* Regienſis Ecclefie Epiſcopus *ac Proviſor indignus. Nos quibus Eccleſiaſtici regiminis cura noſcitur eſſe commiſſa, ſicut ceteris honore preſtamus, ſic ceteros bono operis exemplo debemus precedere. Erga ſubditos verò noſtros ita nos decet eſſe benignos, ut ſtudeamus affectu paternitatis pocius diligi, quàm dominatione timeri. Et quia hoc non aliter, niſi fidelibus benefaciendo, Clericos diligendo, eoſque paterne corripiendo obtinere valemus, fidelium noſtrorum bona, que illis a predeceſſoribus noſtris collata ſunt, inviolabiliter obſervare, & obſervando, prout poſſumus, augere oportet. Hec igitur circa fideles facienda eſſe ſcientes, Curtem Sancti Stephani, quam cum Plebe, & omnibus ſuis pertinentiis a* Sigefredo, Adelberio *ſcilicet atque* Volmario, *Canonicis noſtris per decretorum paginam novimus eſſe conceſſam, laudando firmamus, & in preſentia* Comitis Uberti *& Familie noſtre, & Civium noſtrorum, per hanc noſtre conceſſionis paginam ſervanda eſſe ſancimus. Preterea ſi quid de ficto, vel de rebus ad eandem Curtem vel Plebem pertinentibus a Predeceſſoribus noſtris vel a nobis injuſte ablatum eſt, ex toto remittimus, & illis jure perpetuo condonamus*. Stipendium vero, quod pro Imperatoris receptu de Caſtro a noſtris uſque modò *colligebatur, nobis, noſtriſque ſucceſſoribus colligendi licentiam per hujus noſtre inſtitutionis paginam atque decretum nihilominus denegamus. Si quis divinum abjiciens timorem &c. Hoc ut verius habeatur & firmius ab omnibus ſucceſſoribus noſtris credatur, & nos manu propria firmavimus, & Clero noſtro obtulimus roborandum.*

Actum eſt hoc Anno Dominice Incarnationis MXCIII. Epiſcopatus verò Donni Lodoici Anno II. Indictione XV.

Hoc idem jus ab Auguſtis impetravere Cremonenſes Epiſcopi, uti conſtabit e ſubſequenti Diplomate, quod e Regeſto Cremonenſis Epiſcopii olim deſcripſi.

Chon-

Chonradus I. Imperator Hubaldo Cremonenſi Epiſcopo jura varia, & Comitatum ipſius Civitatis confirmat, Anno 1031.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis . A Chuonradus divina favente clementia Romanorum Imperator Auguſtus . Si ſancta ac venerabilia loca ſublimare ac defenſare ſtuduerimus ad Regni noſtri ſtatum hoc pertinere proculdubio non ambigimus . Quapropter noſtrorum fidelium preſentium ſcilicet ac futurorum noſcat univerſitas , Hubaldum ſancte Cremonenſis Eccleſie venerabilem Antiſtitem , interventu dilectiſſime Conjugis noſtre Giſle Imperatricis , noſtram humiliter adiiſſe clementiam poſtulans , ut pro Deo & anime noſtre remedio Precepta a decefſoribus noſtris ſue Eccleſie conceſſa confirmaremus ac roboraremus . Cujus dignis petitionibus annuentes , prout juſte & legaliter poſſumus , ea firmamus & corroboramus . Ita ut quicquid B Curature , Tolonei , Portatici , ſeu Ripatici , & Comitatum infra prenominatam Civitatem , ſeu extra per quinque miliariorum ſpatia , ſicut in ipſiis Eccleſie Preceptis continetur , teneat , habeat , firmiterque poſſideat tam ipſe quàm & ſui ſucceſſores . Preterea alias conſuetudines , quas ſui anteceſſores ad illam poteſtatem pertinentes , & Angarias quondam habuerunt , & Fotrum de ipſa Civitate , quod ad noſtrum ſervitium colligi uſus fuit , & porcos Arimannorum , & Albergarias ; ſimiliter precipimus , ut ipſe , ſuique ſucceſſores perpetuis temporibus exigant . Precipimus itaque atque jubemus , ut nullus Dux , Comes &c.

Signum Domni Chuonradi sereniſſimi Imperatoris Auguſti .

Bruno Cancellarius ad vicem Aribonis Magontini Archiepiſcopi & Archicancellarii recognovi .

Datum III. Kalendas Martii Anno Dominice Incarnationis MXXXI. Indictione XIV. Anno autem Domni Chuonradi VI. Regnantis , Imperantis verò IV.

Actum Goslare feliciter . Amen .

Quid autem pro *Fodro* pendendum foret ſingulis in locis, quum Rex ſive Imperator in Italiam deſcendebat , ſtatutum & conſtans fuiſſe videtur. Caſtellum , ſive Villa Sacci , perquam opulenta, in Patavino diſtrictu , *ſeptem Libras monetæ Venetiarum in adventu Regis in Regnum Italicum* exſolvebat . Iſtud patebit ex Diplomate Henrici IV Regis , quod e Collectaneis MStis Peregrini Priſciani in Eſtenſi Bibliotheca adſervatis excerpſi . De nomine Epiſcopi Patavini , initiali tantum literâ indicati , diſceptandum aliis relinquo . Pro D. fortaſſis in autographo fuerit V. tunc enim Udelricus Eccleſiæ illi præerat .

Confirmatio Privilegiorum & jurium Epiſcopo Patavino, ejuſque Eccleſiæ facta ab Henrico IV. Rege, Anno 1079.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis . C *Henricus divina favente clementia Rex . Quoniam Regie vel Imperatorie dignitatis officium eſſe conſtat , ut Eccleſie Deo & Sanctis dicate , ob divini cultus augmentum , novis ſemper Privilegiis contra omnes infeſtantium incurſiones muniantur : idcirco notum eſſe volumus omnibus fidelibus noſtris tam preſentibus quam futuris, qualiter vir venerabilis* D. Paduane Eccleſie Epiſcopus *ſerenitatis noſtre clementiam adiens poſtulavit , ut eidem Eccleſie ſibi commiſſe , in honore Sancte Dei genitricis Marie conſtructe , immunitatis & libertatis Preceptum fieri decerneremus , per quod res & proprietates , que ſuo Epiſcopio ſubdi videntur , vel ſubdi jure debentur , firmius & plenius habere valuiſſet . Cujus* D *petitioni ob amorem Domini noſtri Jeſu Chriſti aſſenſum prebentes , ita fieri decrevimus , & hoc Preceptum inde conſcribi juſſimus , firmiter precipientes , ut Preſulis jam dicti Sedes ſancta perpetuo per hoc noſtrum Preceptum , Deo opitulante , maneat firmiter ſtabilita . Confirmamus etiam per hanc noſtri Precepti paginam & firmiter corroboramus omnia Precepta & mundiburdia Imperatorum ſive Regum , que eadem Eccleſia habere videtur . Stabilimus etiam per hoc Preceptum quicquid eadem Eccleſia habere videtur , vel quicquid ei jure habere debetur . Nominatim Flumen , quod vocatur Retrone a Vado Silicis uſque ad locum , quod intrat in flumen , quod vocatur Brenta : inde uſque ad Foſſam , que vocatur Baiba : & foſſam cum flumine , que eſt a Capella Sancti Michaelis uſque ad Portum de Ponte de Foſſumba ; ita ut nulli liceat molendinum ædificare in predictis aquis & prenominatis locis, vel clauſam , vel piſcariam , vel aliquod edificium , vel obſtaculum facere ſine licentia ejuſdem Epiſcopi , vel ſucceſſorum ſuorum a parte predicti Epiſcopii . Nominatim quoque Ladrum cum pratis & omnibus adjacentiis ſuis , & Pontem , qui dicitur Vicentinus , cum arcubus & molendinis omnibus , que habere videtur predictum Epiſcopium , vel que ei jure debentur . Nominatim quoque* Ripaticum , Teloneum , Portus, Mercata omnia *predicta in omnibus quecunque in finibus Paduæ continentur . Nominatim inſuper* ſeptem Libras monete Venetiarum, quas in noſtro adventu in Regnum Italicum Sacenſes una cauſa, quia Epiſcopus Padue eſt Comes Sacenſis , & Precepto Patris noſtri dicunt ſe nobis debere . *Hec omnia per hanc noſtri Precepti paginam corroboramus atque firmamus, firmiter precipientes , ut deinceps nullus Princeps , nullus Judex publicus , nullus Dux , nulla alia Judiciaria poteſtas aut Comes , vel Miſſi Dominici, nulla magna vel parva perſona hoc noſtrum preceptum infringere preſumat . Si qua vero perſona magna vel parva hujus noſtri Precepti inſtituta vel conceſſa in aliquo infringere , ſeu perſonis aut bonis prenominati Epiſcopii, ſive*

pre-

predicto Epiſcopo, ſuiſque ſucceſſoribus aliquam vim intulerit, componat centum Libras auri, medietatem Camere noſtre, medietatem predicto Epiſcopo &c.

Signum Domni Henrici  *Regis Quarti invictiſſimi.*

Burcardus Cancellarius vice S........ Archicancellarii recognovi.


Data X. Kalendas Auguſti, Indictione II. Anno Dominice Incarnationis MLXXIX. Anno autem Regni Domni Regis Henrici Quarti XXIII.

Actum Ratiſpone in Dei nomine feliciter. Amen.

Quæ hactenus commemoravi publica Onera ac Tributa, nemo ſibi ſuadeat implere univerſum chorum Vectigalium, *Factionum*, *Redhibitionum*, *Tallarum*, *Exactionum* &c. ut olim appellabant. Multa inſuper erant, quorum nuda nomina tenemus, rem verò penitus ignoramus. Neque enim feliciora noſtris barbarica illa tempora opinari licet. *Angarias* enim & *Perangarias* omnis ætas novit, ſimulque experta eſt. *Collectæ* idem ſunt, ac quæ in Capitulari Sicardi Principis Beneventani & alibi appellantur *Collatæ*, & in Edicto Theoderici Regis *Collationes*. Nunc breviata voce vulgariter vocantur *Colte*: tributum nempe perſolvendum pro ratione proventuum ac redituum cujuſcumque liberi Civis. Antiquum eſt etiam Italicum vocabulum noſtrum *Dazio*, quum & *Data*, & *Datia*, & *Dadea*, & *Dationes* in antiquis monumentis memorentur, ut multis exemplis oſtendere poſſem. Unum tantummodo afferam, ut & *Dationis* nomen, & alia incognita Tributa ac onera veterum oblivioni eripiantur. Refert Margarinus Tom. 2. Conſtit. 20. Bullarii Caſinenſ. Diploma Adelchiſi Langobardorum Regis, in quo hæc verba: *Veruntamen & concedimus per ipſa Monaſteria omnes Scufias publicas, & Angarias, atque Operas, & Dationes, vel Collectas, ſeu Toloneo, & Siliquatico, de ſingulas Mercaturas, & Portoras, ut homines de ſupradicta Monaſteria* &c. *ab omnibus ſupradictis Scufiis publicis & Angariis* &c. *pro noſtra mercede liceat deſervire*. Datum eſt Diploma die XI. Novembris, *Anno XIV. Regni, Indictione XII.* hoc eſt, ut Margarinus cenſet, Anno Chriſti DCCLXXIV. Sed aut illud ſpectat ad Annum DCCLXXIII. aut de ejus fide dubitandum eſt, quum Novembri Menſe Anni DCCLXXIV. jam exciſum foret Regnum Langobardorum. Habemus heic non ſolùm *Dationes*, ſed & *Scufias publicas*. Qua poſtremâ voce quid ſignificetur, ii fortaſſe mihi ediſſerent, quibus datum eſt in penetralia antiquæ Germanicæ Linguæ deſcendere. Apud Germanos *Scaffia* appellabatur menſura quædam annonæ. Num *Scufiæ* idem fuere, hoc eſt, menſuræ quædam aridorum Fiſco perſolvendæ? Quum vero in Diplomatis authenticis Henrici II. & IV. Auguſtorum apud Canonicos Cathedralis Cremonenſis adſervatis, & a me deſcriptis, eædem *Scufiæ* commemorentur, monumenta illa nunc accipe; ubi etiam animadvertas mentionem fieri *de porcis & vervecibus, operibus & albergariis*, quibus nominibus incertum eſt, ſignificentur-ne publica, an privata onera, aut Tributa, ſive cenſus.

Henricus Rex III. Imperator II. Canonicis Eccleſiæ Cremonenſis omnia illorum bona confirmat, Anno 1055.

IN nomine Sancte & individue Trinitatis. Heinricus divina favente clementia Romanorum Imperator Auguſtus. Si illis, qui ad loca ſacra deſtinati divinis officiis inſerviunt, noſtre Imperialis munificentiæ benivolentiam in ſuis peticionibus clementer ac benigne denonſtramus, a Deo omnium rerum inſpectore meritam & condignam retributionem nos recipere ſperamus. Unde omnium ſanctæ Dei Eccleſiæ, noſtrorumque fidelium tam futurorum quam preſentium diligens induſtria noverit, qualiter pro remedio animæ noſtræ, & ob interventum Conjugis noſtræ *dilectiſſimæ* Imperatricis Agnetis, *nec non propter incrementum filii noſtri kariſſimi* Heinrici Quarti *videlicet* Regis, *Canonicorum ſanctæ Cremonenſis Eccleſiæ in honorem beatiſſimæ Dei genitricis Mariæ conſtructæ neceſſitatibus providentes illis confirmamus, ac noſtra Imperiali auctoritate corroboramus Terras ſuas, quas prefatæ Canonicæ Preſules eidem Eccleſiæ vi & injuſte tulerant, videlicet Butaningum, Caſtrumvetus, Inſulam, Raduldiſcum, Ciſanovam, Butalianum, Fontanellam, Capellam Sancti Salvatoris cum ſuis pertinentiis, necnon & ceteras Terras, quas Canonici prædicti nunc vel in futuro juſte ac legaliter detinere videntur*, cum diſtrictu, cum porcis & vervecibus, cum operibus, & omnibus Scufiis. *Preterea ſancimus atque precipimus, ut nullus Epiſcopus, Comes, Procurator aut Decanus de ipſa Canonica* Fodrum, aut aliquam Dationem *illis tollere, aut aliquomodo ſine legali judicio moleſtare vel diſveſtire præſumat. Si quis verò contra hujus noſtre confirmationis auctoritatem temerarius violator extiterit, centum Libras auri optimi componat, medietatem Kamere noſtre Imperiali, & medietatem predictis Canonicis. Quod ut verius credatur, diligentiuſque ab omnibus obſervetur, hanc Cartam inde conſcriptam manu propria ſubter corroborantes, Sigilli noſtri impreſſione juſſimus inſigniri.*

Signum Doni Heinrici Tercii Regis invictiſſimi  *Secundi Romanorum Imperatoris Auguſti.* 

Locus Sigilli ✠ cerei exſtantis.

Gun-

G[illegible]rius Cancellarius vice Herimanni Archicancellarii recognovit.

Data Idus Octobris, Anno Dominice Incarnationis MLV. Indictione VIII. Anno autem Domni Heinrici Tertii Regis, Imperatoris autem Secundi ordinationis ejus XXVII. Regni quidem XVII. Imperii verò IX.

Actum Mantue in Dei nomine feliciter. Amen.

Henricus Rex V. & Imperator IV. Canonicis Eccleſiæ Cremonenſis privilegia confirmat, Anno 1111.

IN *nomine Sancte & individue Trinitatis. Henricus divina favente clementia Quartus Romanorum Imperator Auguſtus. Quoniam a Deo omnium rerum inſpectore meritum & condignam retributionem nos recipere minime dubitamus, ſi noſtre Regalis munificentie benivolentiam Dei devotè ſervientium petitionibus clementer & benigne accommodamus; Volumus, ut omnium ſancte Dei Eccleſie, noſtrorumque, fidelium tam futurorum, quam preſentium diligens induſtria noſcat, qualiter nos pro remedio anime noſtre, noſtreque genitricis beate memorie Berte, & ob incrementum Regni noſtri, Canonicorum ſancte Cremonenſis Eccleſie in honorem beatiſſime Dei genitricis Marie conſtructe neceſſitatibus providentes, illis confirmamus ac noſtra Regali auctoritate corroboramus terras ſuas, quas prefate Canonice Preſules ejuſdem Eccleſie vi & injuſte olim tulerant, ſcilicet Bitaninorum, Caſtrumvetus, Inſulam Redaldiſcam, Caſamnovam, Butalianum, Acenellum, Fontanellam, Capellam Sancti Salvatoris, necnon Oratorium Sancti Mauritii cum eorum pertinentiis: Altare quoque Sancti Imerii Confeſſoris, cum ejuſdem Altaris oblationibus, & omnibus ad idem pertinentibus. Nec minus & ceteris Terris, quas Canonici predicti in Cremonenſi Epiſcopatu, vel alicubi ſecundum Inſtrumenta Cartarum vel documenta legum, nunc vel in futuro juſte & legaliter per loca detinere videntur*, cum diſtrictu, cum porcis & vervecibus, cum operibus & albergariis, & omnibus Scuphiis. *Preterea ſancimus atque precipimus, ut nullus Epiſcopus, Comes, Procurator aut Decanus aut Portinarius, de ipſa Canonica, aut de Terris ejuſdem Canonice*, Fodra aut aliquas Dationes, ſeu Albergariam *illis tollere, aut eos de ipſis terris, ſeu Altari predicto ſine legali judicio moleſtare, vel diſveſtire preſumat. Si quis verò contra hujus noſtre confirmationis auctoritatem temerarius violator occurrerit, centum Libras auri optimi componat, medietatem Imperiali Camere noſtre, & medietatem predictis Canonicis. Hoc autem ut verius credatur &c.*

Signum Domni Heinrici Quarti  *Romanorum Imperatoris Auguſtiſſimi.*

Locus Sigilli ✠ cerei deperditi.

Burcardus Monaſterienſis Epiſcopus & Cancellarius vice Alberti Archicancellarii Maguntine Sedis Electi recognovit.

Data XIV. Kalendas Junii, Indictione IV. Anno Dominice Incarnationis MCXI. Regnante Heinrico Quinto Rege Romanorum Anno V. Imperante Primo, ordinationis ejus XI.

Actum eſt Verone in Chriſto feliciter. Amen.

Friderico I. imperante controverſia oborta eſt inter Procuratores Fiſci Cæſarei, & Cremenſem Populum propter Inſulam Fulcherii. Regalia ac tributa illius loci contendebat Imperialis Camera ad ſe ſpectare. Quæ verò hæc forent, e verbis ipſius Chartæ ediſcere præſtat. *In his locis* (ubi ſcriptum eſt) *habuit & tenuit Dominus Imperator per ſuos Nuntios medietatem totius Vini: & de terris Militum quartum: de ceteris verò tertium; & plenam juriſdictionem, honorem plenum, & diſtrictum; ſcilicet Fodrum, Placitum, Banna, Erbaticum, Eſcaticum, Tenſas, Malgas, Cacias, Piſcationes, Venationes, Silvas omnes, & cetera plenarie, quæ pertinent ad honorem & diſtrictum.* Inſtrumentum hoc luce non indignum decerpſi ex antiquo Regeſto Reipublicæ Cremonenſis.

Decretum Legati Imperialis in controverſia, quam habet Fridericus I. Imperator cum Cremenſibus de Inſula Fulcherii, an ſit de Regalibus Imperatoris, & ab ipſo poſſideatur, Anno 1188.

ANno Dominice Incarnationis MCLXXXVIII. Indictione VI. die Jovis, XIII. die Menſis Octobris, in Civitate Laude, in Palatio Epiſcopi. Gualfredus de Turricella de Papia, Advocatus in hac cauſa pro Domino Guillielmo Adquenſis Advocato, Legato Domini Imperatoris, & ſpetialiter ab eo conſtituto Procuratore ad cauſam de Inſula Fulcherii, quam Dominus Imperator habet cum Cremenſibus, predicto Domino Guillielmo ei precipiente talia verba propoſuit, preſentibus Judicibus Curie, videlicet Syro Sallimbenus, Ydo de Terdona, Ottone Cendatario, conſtitutis ad hanc cauſam, dicens: Credit Dominus Guielmus, & verum eſt, quod Inſula Fulcherii cum omnibus ſuis pertinentiis eſt Regalia. Et credit, quod poſt deſtructionem Creme Dominus Imperator habuit & tenuit cum hoc ordine, habendo plenam juriſdictionem & dominium locorum infraſcriptorum, videlicet: Azanum, Torlinum, Palatium, Mons. Vallianum, Bagnolum, Clevum utrumque, Placitinum, ſalvo jure Laudenſium, quod habent in Plaçiano, Capregnanega, Credaria, Rovoretum, Moſcacianum, Monſtodunum, Gomedum, Rivoltella, & Rivolta, Umbrianum, Santus Laurentius, & Sanctus Andreas, & totum hoc, quod eſt extra foſſatum & ſuburbium Creme. In his autem locis habuit & tenuit Dominus Imperator per ſuos Nuncios medietatem totius Vini, & de terris Militum Quartum; de ceteris verò Tertium: & plenam juriſdictionem, honorem plenum, & diſtrictum: ſcilicet Fodrum, Placitum, Banna, Erbaticum, Eſcaticum, Tenſas, Malgas, Cacias, Piſcationes, Venationes, Silvas omnes, & cetera plenarie, que pertinent ad honorem & diſtrictum. Et hodie habet & poſſidet predicta. Quia verò Dominus Imperator non vult facere injuriam Cremenſibus, ideo paratus eſt Dominus Guillielmus jam dictus facere rationem Cremenſibus, ſi vellent dicere, ſe habere aliquod jus in predictis locis. *Ipſos quoque Cremenſes prefatus Dominus Guillielmus interrogavit ſub prefatis Judicibus, ſi vellent dicere, ſe habere aliquod jus in predictis locis. Qui Cremenſes, habito concilio, dilationem ſuper hoc petierunt, ſcilicet cauſa capiendi conſilium cum Sapientibus Terre ſue, & cum Sociis ſuis, ſi vellent rationem poſtulare, vel aliquod jus dicere ſe habere in predictis locis. Nomina Cremenſium, qui venerant pro Communi Terre ſue ſunt hèc: Bonuſſarius de Sablono, Benzo, Bonusſenior Conſules Creme, Dominus Benzonus, Gulielmus Goronus, Albericus Judex, Otto Gambazocca. Qui omnes ordinaverunt cum ſepe dicto Domino Gulielmo, & cum Judicibus Curie, ad terminum ſtatutum venire bene inſtructi & conſiliati, ſi vellent aliquod jus in predictis locis a Domino Imperatore poſtulare vel dicere ſe habere. Ibique Dominus Syrus, conſilio predictorum Sociorum ſuorum, ſtatuit eis terminum, & dilationem dedit, ut ab hodie uſque ad octo dies eſſent Papie, & ſequenti die Veneris conſiliati eſſent, ſi velint aliquid proponere adverſus Dominum Imperatorem in predictis locis. Prenominatus vero Dominus Syrus hanc Cartulam fieri precepit. Interfuerunt teſtes Guidottus de Sumaripa, Malfaxatus de Valezano, Arioldus Paucumallodium, Gerardus Moncius, Lanfrancus Capudcaſe, Ambroxius de Fuxirago, qui ſunt de Laude. Bellonus de Curte, Bertramus Sallimbenus, qui ſunt de Papia. Homodeus de Trezo, Oddo de Comite, atque Bocardus frater Epiſcopi de Cremona.*

Milleſimo Centeſimo Octuageſimo Octavo, Indictione VI. die Veneris, XII. Kalendas Novembris, in Civitate Papie in Palatio Epiſcopi, preſentibus Judicibus ab Imperatore delegatis, & in medio reſidentibus, & ſuper hanc cauſam conſtitutis, videlicet Syrus Sallimbenus, Ydo Terdonenſis, Ariprandus Judex, Otto Cendatarius, Guido de Puteo, & preſentibus Conſulibus de Crema, videlicet Comes Albertus de Palatio, *& Cantelmus Benzonus, necnon & Albericus Judex, qui omnes venerant pro Communi Creme: Dominus Litifredus Imperialis Aule Capellanus, & ejuſdem magnificentie Legatus, parabolà Domini predicti Guilielmi ſocii ſui, qui ſpecialiter ad hanc cauſam a Domino Imperatore Procuratores ſunt conſtituti, talia verba propoſuit, dicens: ſe eſſe paratos audire, ſi ipſi Cremenſes vellent aliquid in predictis locis a Domino Imperatore poſtulare, vel aliquod jus in predictis locis ad ſe pertinere dicere. Ipſi verò Cremenſes ſepe & ſepius habito conſilio, Albericus Judex de Crema, parabolâ & conſenſu predictorum Conſulum Creme, & conſilio Judicum ſuorum, videlicet Guilielmus Calciagriſia, Arnaldus de Superaquam, Nazarius de Rozano, qui ſunt de Mediolano, & Adam de Mantua, tale dederunt reſponſum: videlicet quod Cremenſes de predictis locis de Domino Imperatore nullam querimoniam facere volebant. Cumque ita audiſſet Dominus Litifredus, & Dominus Guilielmus, habito conſilio Sapientum, talia verba dixerunt: videlicet quod predictus Dominus Guilielmus precipere fecit & precepit conſenſu predicti Domini Litifredi jam dictis Cremenſibus nomine Communis Creme ſub debito fidelitatis, ut de cetero de predictis locis nullo modo ſe intromittant, & Dominum Imperatorem, ſeu Nuntium vel Nuntios ejus quiete predictos locos tenere & poſſidere permittant, & nullum eis moleſtiam inferant. Prenominati verò Dominus Litifredus & Dominus Guilielmus hanc Cartulam fieri preceperunt. Interfuerunt Poncius de Giroldis, Oddo de Comite, Ingilerius de Burgo, Maltraverſus, Madelbertus, qui ſunt de Cremona: Lanfrancus Capudcaſe, Albertonus Scarpigna, Ambroxius de Fuxirago, Monacus de Ranfo, Amizo Judeus, Presbiter Niger, Johannes Caſola, Malfaxatus de Valerano, qui ſunt de Lauda: Bellonus de Curte, Galferius Yſembardus, Guillielmus Cebolla, Rubaldus Xarinus, Buſnardus Grandisvillani, Dominus Rainerius de Sancto Nazario, atque Bertramus Sallimbenus, qui ſunt de Papia: & Villanus de Porta, atque Guido de Ozola, qui ſunt de Parma, teſtes.*


Ego Guilielmus Notarius ſacri Palatii mandato predictorum Domini Litifredi & Domini Guillielmi hanc Cartulam ſcripſi.

Quid

Quid *Malgæ* fuerint, hariolando quidem exponere poſſem, ſed certam rei ſignificationem nuſquam offenderem. Quid verò *Tenſæ*, quarum item mentionem nuper audivimus, ſi quis ſciſcitetur, reſpondebo, nihil aliud fuiſſe, niſi eamdem Tributorum ſpeciem, quæ adhuc alicubi appellantur *Taſſe*, & a Scriptoribus inferioris ævi *Taxæ* etiam dicuntur. De ejuſmodi tributis mentio eſt in Hiſtoria Veneta Sanuti, dum commemorat *le Tanſe de' Notai*, *le Tanſe de' Gaſtaldi* &c. Si fides Hickeſio, vox hæc Franco-Theotiſca eſt. Verùm tutius opineris *Taxam* e Latino *Taxare* deſcendiſſe, ad ſignificandum videlicet, quid æſtimatione factâ a qualibet ſingulari perſona aut Collegio, perſolvendum erat Fiſco. Fortaſſe Franci pro *Taſſare* dixerunt *Tanſare*. Durat adhuc apud Venetos verbum *Tanſare*, *Taxare* ſignificans. Et quoniam earumdem *Tenſarum* mentio occurrit etiam in Privilegio Friderici I. Auguſti, illud heic publica luce donandum volo, quod ex Archivo Monaſterii Sanctæ Mariæ de Vangaditia depromſi.

Friderici I. Imperatoris Diploma, quo confirmat omnia jura ac Privilegia Monaſterio Sanctæ Mariæ de Vangaditia, præſentibus Marchionibus Eſtenſibus Alberto & Obizzone, Anno 1177.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Fridericus divina favente clementia Romanorum Imperator Auguſtus. Imperatoriam Majeſtatem ad augmentum ſanctarum Eccleſiarum Dei veraciter credimus conſtitutam: idcirco & Eccleſiis Dei, ac in ipſis Deo famulantibus ſubvenire ſummo jure debemus, & benigno ſemper propoſito intendimus. Omnibus igitur Chriſtianæ Religionis, Imperiique Romani fidelibus, præſentibus ſcilicet ac futuris, apertiſſime pateat, qualiter dilectus noſter Iſac *venerabilis* Abbas Monaſterii Sanctæ Mariæ de Vangaditia, *per fideliſſimum noſtrum Gotofredum Cancellarium, & per Marcum Maurocenum honorabilem & ingenuum Venetiæ Civem, noſtram adiit clementiam, petens per ipſos & cum ipſis, ut nos pro Dei amore, æternæque beatitudinis remuneratione prædictum Monaſterium ſuum, ſcilicet Eccleſiam Sanctæ Dei genitricis Mariæ conſtructam ſuper Atheſis fluminis ripam ad locum, qui quondam Petra dicebatur, nunc autem Vangaditia vocatur, ſub noſtri Mundiburdi protectione cum omnibus ſuis poſſeſſionibus & rebus mobilibus & immobilibus reciperemus, eidemque Eccleſiæ ea, quæ hactenus poſſedit, & in futuro Deo favente juſtæ acquiſitionis titulo poſſidebit, noſtræ Imperialis auctoritatis Præcepto confirmaremus. Quorum petitionibus nos placida ſecuritate annuentes, ſtatumque ſacri ejuſdem loci incolumen ſervare cupientes, præfatam Sanctæ Mariæ Eccleſiam cum omnibus ſuis pertinentiis in noſtri Mundiburdii, noſtræque Imperialis potentiæ defenſione gratanter ſuſcipimus, omneſque res & poſſeſſiones ejus mobiles & immobiles, ſeſeque moventes, quas Abbas & Fratres ipſius Monaſterii vel per ſe vel per alios poſſident, vel de cetero acquiſierint, eidem Eccleſiæ perpetua ſtabilitate per noſtræ auctoritatis robur & munimen confirmamus, e quibus quædam ſuis duximus exprimenda vocabulis. Videlicet poſſeſſiones, quas habent in prædicto loco, qui Vangaditia dicitur, & in Abbatia, & in aliis quibuſcumque locis, in Epiſcopatu Veronæ infra Civitatem, Sancti Salvatoris Eccleſiam cum omnibus ſuis pertinentiis, in Bardulino, in Illalio, in Albareto, in Perto, in Curia Goniaci, terras ſcilicet arabiles, prata &c. quæ ad Curiam Goniaci pertinent, cujus terminum cernit ſuperius caput Silvæ ipſius Monaſterii uſque in Tartarum, quæ Silva vocatur Gazolo: & eſt ex alia parte Atheſis, Salvaterra, Ramo de Palo, Bruſeda, Zaricla, in Contra, in Arquada, in Rodigio, in Ponciano, in Cento, in Squignano, in Donico, Boniſago, in Manezio, in Sarzano, in Mardimago, Venezze, cum omnibus ſuis pertinentiis, in Gongula, Cluſurella, Cavazzana, Saguedo, in Merlaria, in Sculdaſia, in Palſo, in Vighizolo, in Corrigia, in Villa, in Padua, in Curte de Provio, in Villa Comeda, in Dannarolo. Hæc igitur ſupraſcripta & cetera omnia, quæ in aliquo Imperii noſtri loco præfata poſſidet Eccleſia in Caſtris, Capellis, Decimis, Placitis, Mercatis, Teloneis, ripis, rupinis, molendinis, Collectis, viis & inviis, vincis &c.* Tanſis, Bannis, *ac olivetis, univerſiſque exhibitionibus, atque cujuslibet functionibus, cum omni honore & diſtrictu, ſalva tamen Imperiali juſtitia, confirmamus. Tamen id Abbati præfatæ Eccleſiæ & ſuis ſucceſſoribus & eorum hominibus indulgemus, ut nulli inde reſpondere teneantur, niſi nobis, aut certo Miſſo noſtro ad hoc ſpecialiter deputato. Præcipimus igitur Imperiali noſtræ auctoritatis Edicto, quatenus nullus Archiepiſcopus, Epiſcopus, Dux, Marchio, Comes, Viceccomes, Conſul, vel Poteſtas, vel ullum Commune Civitatis alicujus loci, nec ulla omnino perſona magna &c. Pro quorum omnium certa & inviolabili conſervatione & memoria præſentem paginam Majeſtatis noſtræ Sigillo communivimus, teſtibus ſubſcriptis, qui ſunt* Maguntinus Archiepiſcopus, Philippus Colonienſis Archiepiſcopus, Arnoldus Treverenſis Archiepiſcopus, Odericus Patriarcha Aquilejenſis, Henricus Patriarcha Gradenſis, Sebaſtianus Ziani Dux Venetiarum, Comes Hoſlantiæ MARCHIONES DE ESTE ALBERTUS & OBIZZO, Schinella Comes Tarviſii, Wezelo de Camino, Guilelmus Tempeſta, Joannes filius Marci Mauroceni, & alii *quamplures*.

Signum Domini Friderici  *Romanorum Imperatoris invictiſſimi & florentiſſimi.*

Ego Gotofredus Cancellarius vice ***Philippi Colonienſis Archiepiſcopi, & prædicti Regni Archicancellarii*** *recognovi.*

Acta

Acta ſunt Anno Domini Milleſimo Centeſimo Septuageſimo Septimo, Indictione X. Regnante Domino Friderico Romanorum Imperatore glorioſiſſimo, Anno Regni ejus XXVI. Imperii autem Anno XXIV.

Datum apud Venetias in Palatio Ducis, XIV. Kalendas Septembris, feliciter. Amen.

In Charta Reipublicæ Mutinenſis ſcripta Anno MCCLXXXI. quam infra dabo in Diſſertat. XXX. *de Mercatura*, petunt Mercatores Lucenſes, *ut Commune Finalis Mutinenſis debeat dare pro eorum ſecuritate Tanſam a Finali uſque Bondenum cum burclello uno* (Italice Burchiello) *& cum hominibus armatis*. Heic *Tanſa* idem fuiſſe videtur, ac nobis eſt *Scorta*, aut *profectio*: quo ſenſu etiam *tenſare* apud Du-Cangium defendere & protegere ſignificat. Fortaſſe *tenſa* ac *tanſa* idem ſignificarunt. *Tenſamentum* verò tributi genus fuit, quod olim exſolvebatur pro protectione dominis. Apud Hiſtoricos quoque Britannos occurrit eodem ſenſu *Tenſe*, & *Tenſerie*. Hickeſium in Grammat. Anglo-Saxon. teſtem habeo. Ughellius quoque in Epiſcop. Salernitanis memorat *Audientiam*, tributi cujuſdam genus; & in Epiſcop. Cannen. *ſine calzao* (*calzario* ſeu *calcario* legendum eſt) *& affidatura*, *& omni jure tributario*. Num *Calzarium*, ſive potius *Calcaria* tributi ſpecies fuit pro jure coquendæ calcis? Mentionem facit idem Ughellius in Epiſcopis Caſertanis *de calcariis terrarum*; & alibi *de calcariis terrarum*. In Capitulari Sicardi Principis Beneventani Tomo II. Rer. Italicar. ſtatuitur, *ut nulla nova conſuetudo imponatur*, *exceptâ antiquâ*, *hoc eſt reſponſaticum*, *& angariis*, *& calcariis*. Ad alia progrediamur, nimium quippe eſt hic ager fœcundus. In Charta Veronenſi Anni MCXL. editâ a diligentiſſimo Campagnola in Prolegomen. ad antiqua Veronenſis Urbis Statuta, *Commune de Soavo remiſit omnia ſervicia*, *ſcilicet Plobegum*, *& Daciam*, *& Waitas*. Jam ſupra ſermo fuit de *Dacia*, quod tributi pecuniarii genus fuit. *Waita* (nunc nobis appellatur *fare la Sentinella*, *fare le Guardie*, ideſt excubias, cuſtodias) Angaria perſonalis erat. Adhuc apud Mutinenſes dicitur *far la guaita*, quum quis intentis oculis obſervat, an homo, volucris, aut aliquod aliud animal moveatur. Idem enim eſt *Waita* & *Guaita*, quum Itali W Germanicum vertere conſueverint in *GU* ſeu *GV*. Ferrarius in Orig. Ital. cenſet vocem *Aguato* a Latino *accubitatus* natam fuiſſe. Menagius vocabulum *Guatare* pro aſpicere derivat a Latino-barbaro *cattare*, & a *Guatare Aguato*. Ferrarius contra *Guatare* deducit a *videre*, *viſitare*.

A *re*. Mirum eſt, quei tantos viros fugerit harum vocum germana origo. *Aguato* a Waita Germanica voce, ſive *Guaita* ortum eſt. *Stare ad Guaitam* veteres dixere: Italice *ſtare a Guato*; hinc *Aguato*, uti & *Guatare*, quod Mutinenſes ajunt *Sguaitare*, pro intentis oculis motus alicujus clam perſcrutari. Ita Gallica Lingua habet *Guet*, *eſtre au Guet*. Venio ad *Plobegum* Veronenſe. Fortaſſe tributum fuit colligendum ex bobus, ſive terris aratoriis, uti apud Gallos *Frumentagium* fuit, & *Carrucagium*, atque *Hidagium* apud Anglos. *Plovum* enim, ut dixi in Notis ad Legem 293. Rotharis, Part. II. Tomi I. Rer. Italicarum (a Germanica, ut videtur, voce *Plovven* profectum)
B *Aratrum* ſignificabat, quod *Pioeu* Gallicâ diphtongo, aut *Piod*, ſive *Pieu*, ruſtici noſtri adhuc appellant. *Pflug* Germani dicunt; Sed apud Saxonum, Danorum, & Normannorum filios Britannos, *Aratro* nomen eſt *Plough*, & *Plow*, quod idem eſt ac noſtrum *Piod* ſeu *Pioeu*. Sæpe *V* conſonans in *B* immutatum videmus, itaut quod in Lingua vulgari erat *Piovego*, Latine redditum fuerit *Plobegum*. Robertus Guiſcardus Apuliæ & Calabriæ Dux apud Baronium Anno MLIX. ſpopondit ſe *perſoluturum ad recognitionem fidelitatis pro unoquoque jugo boum penſionem duodecim denariorum Papienſis Monetæ beato Petro & Nicolao Papæ*.
C Hæc opinari, aut divinando tentaſſe licuerit. Multum interea proderit nobis ad antiqua Regalia dignoſcenda, ſive jura, ſive tributa, Charta ad Azonem VI. Marchionem Eſtenſem pertinens, & mihi memorata in Antiquitat. Eſtenſ. Par. I. Cap. 38. pag. 367. Eam in ſuis Collectaneis MStis ſervavit nobis Peregrinus Priſcianus Ferrarienſis vir doctiſſimus. Principi huic in Feudum conceſſa fuerat *Curia Adriani*, nunc l'*Iſola d'Arimo*, ab Epiſcopo Adrienſi, una cum juribus quibuſcumque Regalibus ad eam pertinentibus. Itaque hæc jura, utpote ſibi debita, expetebat Marchio a Populo
D Adrianenſi, eaque ſigillatim enumerabat. Contra Populus multa excipiebat. Controverſiâ ad Arbitros deductâ, ſententiam ii tulere, quam nunc omnibus legendam exhibeo, ut intelligant, quæ tunc Principum jura, & Populorum onera forent.

Sententia Arbitrorum electorum in controverſia de Regalibus, Juriſdictione &c. Caſtri & Curiæ Adriani inter Azonem VI. Marchionem Eſtenſem, & ejus Patruum Bonifacium, & Commune Adriani, Anno 1198.

IN Dei æterni nomine. *Anno Dominicæ Nativitatis Milleſimo Centeſimo Nonageſimo Octavo, tempore Innocentii Electi Papæ, & nemine Imperatore imperante in Italia, die III. exeunte Menſe Januarii, Indictione I. Ferrariæ in Epiſcopatu.* Cum inter Dominum Azonem Eſtenſem Marchionem, *& tutorio nomine ſui Patrui* Domini Bonifacii filii quondam Domini Obizonis Marchionis de Eſte *ex una parte, & Martinum de Venerando, & Johannem de Balbo, & Luglanum de Guriſio, Sindicos a Communi Adriani in hac cauſa conſtitutos pro ipſo Communi de Adriano ex alia, ſub noſtræ cognitionis examine controverſia verteretur, in qua prædictus* Dominus Azo Marchio Eſtenſis *ſub nomine proprio, & tutorio nomine ſui Patrui Domini Bonifacii, a prædictis perſonis pro Communi Adriani propter acquiſitum, quod noviter a* Domino Iſacho Adrienſe Epiſcopo *jure Feudi fecerat: Petebat, ſcilicet,* omnem juriſdictionem cum Placitis, Bannis, *tam ſuper adulteriis & aſſaltis & ſeditionibus, quàm ſuper omnibus aliis, quæ ad Banna pertinent: &* Albergarias, *quotieſcumque inde tranſitum habuerint; &* Regalia *omnia, & omnia integre, ſicut ad juriſdictionem pertinent: &* Novalia *omnia ſive* Xampla: *&* Flumina *navigabilia: & quod nemo debebat in Pollicinis venari vel aucupari, ſine eorum licentia, vel ſui Nuntii; & ſi cum eorum licentia fieret, debebant habere* Aprorum capita, & quarteria, & coria Cervorum. *Item dicebat, omnes domos, quæ ſitæ ſunt ſuper aggerem Caſtelli Adriani, & quæ ſunt apud Prognedam, indiſtincte ad eos pertinere, & penſionem earum domorum Communi Adriani a poſſeſſoribus a triginta annis hucuſque ſolutas, & ſimiliter quod pro eis acquirendis datum erat Communi Adriani, quod eſſe poterat centum & quinquaginta Libræ Venetorum. Item dicebat, unumquemque hominem de Terra illa ſibi fidelitatem contra omnem hominem facere debere, & ſingulis annis ibi generale Placitum facere debere, & circa Feſtum Sancti Martini omni anno inde habere debere tres Libras Venetorum & ſex Solidos; & quotiens inde Ravennam tranſire vellent, homines illius loci eos illuc portare debere: & unumquemque hominem in die Sancti Stephani unum panem & duos denarios in panerio præſtare debere, & ſeptimam partem omnium anguillarum ſimiliter ſibi dare debere; & ad eos Juſtitias illius loci pertinere, ut per eos* menſuras & pondera *habeant. Et ſi quid* de ponderibus *vel* pro ponderibus & menſuris *exigant, ſuum eſſe debere; & eos cum honore & obedientia, quotienſcumque ad Terram eſſent habituri acceſſus, eos ſecundum formam libellorum recipere debere: & pro ex illorum extimatione* ponderum & menſurarum *petebat centum quinquaginta Libras Venetorum, dicens, hæc omnia taliter Domino Adrienſe Epiſcopo pro Eccleſia Sancti Petri de Adria pertinuiſſe, & ea ſibi ab eo conceſſa fuiſſe. Itemque pro domo ipſorum Marchionum ab eiſdem perſonis pro Communi Adriæ petebat Nemus Adriani, & mille Libras Venetorum pro* A *extimatione fraudis ſtirpatici a triginta annis uſque nunc ſibi factæ; & neminem in ipſo Nemore debere venari vel aucupari ſine eorum licentia vel ſui Nuntii. Et ſi cum eorum licentia vel ſui Nuntii facerent, Aprorum capita & quarteria & coria Cervorum ſua eſſe debere dicebat: & quingentas Libras Venetorum pro extimatione fraudis talis Nemoris, quam eis fecerant. Et a Communi ſimiliter duas amphoras vini peroptimi, ut in Terra illa poſſet inveniri, ſingulis annis debere habere. Et quotienſcumque cauſa venandi ad Terram illam ad nemus intrare vellent, omnes homines illius loci pro voluntate eorum ad portus venire debere, &* B *accipere perſonas & equos & canes & retia, intuſque portare, & eos prima die ſuis expenſis cum omnibus ſociis hoſpitari, ſequentibus autem diebus cum eis perſonas eorum in venando debere laborare, quoadusque ibi pro venatione illa ſtarent; & cum exire vellent, eos ſimiliter ad portus reducere debere allegabat. E contra prædicti Sindici Adriani pro Communi, præfatam Juriſdictionem fuiſſe Epiſcopi Adrienſis, & ab eo Domino* Marchioni Azoni *fuiſſe conceſſam in eorum præſentia, exceptis Decimis & ſpiritualibus, confitebantur. Pollicinos verò & Flumina navigabilia, & ſi qua alia, quæ ad publicaria pertinent, jure Feudi ab Epiſcopis ſibi* C *pertinere: & unum hominem tantùm per ſingulas domos Adriani prædicto Marchioni jurare debere pro ipſa conceſſione, reſpondebant. Ipſumque Marchionem ſemel in anno debere ſibi facere Placitum generale non diffitebantur: & ſeptimam partem omnium anguillarum ipſum debere habere, & Juſtitias illius loci & menſuras & pondera per ipſum Epiſcopum Marchioni pertinere proteſtabantur. Cetera verò, quæ præfatus Dominus Marchio per conceſſionem Domini Iſachi Epiſcopi ſibi pertinere dicebat, nequaquam ad ipſum ſpectare proponebant, immo prorſus negabant. Præterea verò præfati Sindici Adriani nemus petitum non eſſe Marchionis, ſed* D *eum nemus ſe per Feudum habere ab Epiſcopo prædicti proponebant. Et quia Commune Adriani dare ſolebat prædictis Marchionibus unum paſtum per ſingulos annos, & duas amphoras vini, & canes, equos, & retia ad illud nemus portabant, & cetera ſervitia, quæ eis pro ipſo nemore facere faciebant, non alia de cauſa hoc faciebant, niſi quia præfati Marchiones tueri & defenſare præfatum nemus illis dicebant, coram nobis allegabant.*

Nos Jacobus de Fontana, & Gandoaldus, electi Arbitri a Domino Azone Eſtenſe Marchione pro ſe & pro Bonifacio Patruo ex una parte, & a Martino de Venerando, & Johanne de E *Balbo, & Luglano de Guriſio Sindicis pro Communi Adriani ex alia, ut cognoſceremus & definiremus litem, quæ inter eos vertebatur, ſecundùm quod jus & ratio exigent, aut per amicabilem compoſitionem inter eos finem liti poneremus: viſis & auditis rationibus, confeſſionibus, atteſtationibus, & inſtrumentis utriuſque partis omnibus, quæ ante nos ſunt propoſita & allegata, diligenti ſtudio & meditatione conſidera-*

deratis, habitoque multorum Sapientum conſilio, & partibus ad invicem inter ſe penam centum Librarum Imperialium, *niſi noſtro ſtarent Arbitrio, compromittentibus, taliter inter eos amicabili compoſitione laudamus & definimus. Dicimus namque, omnem Jurisdictionem Curtis Adriani in* Placitis, Bannis, Ponderibus, Menſuris, & Juſtitiis *tam ſuper adulteriis & aſſultis & redibitionibus quàm ſuper omnibus aliis, quæ ad Bannum ſpectant, & omnia integre, ſicut ad Jurisdictionem pertinent, & ſeptimam partem omnium anguillarum, &* Placitum *generale, ſecundùm tempora conſueta ſemel in anno, præfato Marchioni Azoni propter acquiſitum Domini Epiſcopi Iſachi, ſecundum prædictorum Sindicorum confeſſionem coram nobis factam, debere pertinere. De Policinis vero, Tumbis Suventinenſium, Xamplis, Fluminibus navigabilibus, & de aliis, quæ ad publicaria ſpectant, prædicto Marchioni Azoni pro ſe & Bonifacio Patruo ſuo duas partes in integrum, & Sindicis pro Communi Adriani tertiam inſolidum (ita tamen, ut eam tertiam partem a prædictis Marchionibus per Feudum teneant, ac ei fidelitatem faciant) aſſignamus. Tali verò conditione & pacto, quod ſi qua partium id, quod ſibi pro rata contigerit, laborare voluerit, non ideo minus ſuam & alterius poſſit laborare partem; & quæ pars laborare ceſſaverit, juſtum cambium ab alia parte recipere teneatur. Præterea verò pro Domo Marchionis duas partes totius nemoris Adriani cum omnibus ſuis pertinentiis & lateribus, ſecundùm quod continetur in emphiteuſi & Libellis Marchionum, præfato Domino Marchioni Azoni, & jam dictis Sindicis pro Communi Adriani tertiam partem ejuſdem nemoris cum ſuis cohærentiis, ita tamen, ut illam tertiam a prædictis Marchionibus per Feudum habeant, aſſignamus. Pro qua tertia parte prædictos Sindicos pro Communi*

A *Adriani ipſi Marchioni per ſingulos annos duas amforas vini navigabilis, & unum piſtum omni anno præſtare debere, ipſiſque Marchionis canes, equos, & retia, & perſonas ad nemus prædictum ire volentes causâ venandi, portare ad terram, & reducere, Marchionis expenſis præcipimus, ſalvis rationibus omnium aliorum in prædictis locis habentium. De omnibus aliis petitionibus ſuperius coram nobis factis perpetuum finem ſub pena centum Librarum Imperialium inter eos eſſe jubemus. Ad hæc fuerunt teſtes præſentes Dominus Petrus de Alberto de Adigerio, Ottolinus de Mainardis, Gerardus de Benbono, Albertus de Luxia Judex, Advocatus Judex, Mainardus Judex, Gerardus* B *Contrarius, Ugitio de Contrariis, Gerardus de Ritbicerio, Transimundus Judex, Jacobus a Parte, Jacobus Pagani, Egidius Blaſii Judex, Andreas Judex, Ugolinus Notarius, Marchoaldus, Tomaſinus de Contrariis.*

Ego Albertus Dei gratia ſacri Palatii Notarius præſens, ut audivi & intellexi, ſcripſi.

Multus eſſem, ſi ſingula heic expoſita enucleanda ſumerem. Lectori quoque, ut aciem ingenii ſui exerceat, derelinquendum eſt aliquid. Illud potius animadvertere juvat, jus *menſurarum* & *ponderum* heic memoratum, unde ad Fiſcum proventus manebat, me alibi deprehendiſſe. Scilicet in Diplomate Conradi II. Romanorum Regis, in quo confirmatum C videas inſigni Capitulo Canonicorum Eccleſiæ Primatialis Piſanæ *Rubum de tota Civitate, ut nemo ſine ipſorum permiſſione præſumat appendere vel librare*. Menſuræ genus eſt *Rubus*, & apud Inſubres adhuc appellatur *Rubbio*. Jus ergo menſurandi & ponderandi in publicis Mercatibus & Foro translatum fuerat in Canonicos Piſanos. Diploma ipſum ex eorumdem Tabulario depromtum legendum heic cunctis exhibeo.

Conradi II. Romanorum Regis Diploma, quo Canonicis Eccleſiæ Piſanæ omnia illorum jura ac Privilegia confirmat, Anno 1147.

IN *nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Conradus divina favente clementia Romanorum Rex Secundus. Cum nullis debeamus deeſſe, precipue tamen circa Eccleſias & circa Miniſtros earum ſtudere debemus, quatinus ipſorum interventu ſic tranſeamus per bona temporalia, ut non amittamus eterna. Proinde omnium fidelium noſtrorum tam futurorum quam præſentium noverit induſtria, qualiter nos petitione & humili ſupplicatione Canonicorum Piſane Eccleſie, pro remedio anime noſtre confirmavimus Piſane Eccleſie & Canonicis ipſius poſſeſſiones ab antiquis Imperatoribus ſive Regibus ejuſdem Eccleſie Canonicis datas & conceſſas. Ad exemplum itaque anteceſſorum noſtrorum* Domni Henrici Quarti Regis, Tertii Romanorum Imperatoris Auguſti, & Domni Lotharii Tertii Romanorum Imperatoris Auguſti, *tradimus, concedimus & confirmamus in perpetuum Canonicis ſanctæ Piſanæ Eccleſiæ in proprietatem & poſſeſſionem Silvam, Tumulum Piſanum a faucibus veteris Sircli uſque ad fauces Arni, & a Foſſa Cuccii, quæ eſt prope Foſſam Caballariam uſque ad mare, & tertias piſcarie de Stagno: & omnia quæ juſte & legaliter poſſident; ideſt Decimas, predia, domos, & familias, & Guaringagas omnes, que eorum prediis*

D *adherent: & omnino omnia, quæ juſtis modis canonice & legaliter adquiſierunt & adquirere poterunt. Inſuper confirmamus & largimur prefatis Canonicis centum Solidos de ripa &* Rubum de tota Civitate, ut nemo ſine ipſorum permiſſione preſumat appendere vel librare. *Curtem quoque de Papiana noſtra conceſſione, auctoritate & banni noſtri confirmatione teneant, & de cetero abſque alicujus contradictione libere diſponant, & proprietario jure quiete poſſideant. Et ſi quid per hanc conceſſionem in eadem Curte adquiſierint, quiete & libere poſſideant; ipſos & ſancte Piſane Eccleſie jam dictos Canonicos ſub noſtra tutela & defenſione recipimus, itaut vi-* E *delicet nulla perſona magna vel parva, nullus Dux, nullus Marchio, nullus Archiepiſcopus, vel Epiſcopus, nullus denique vel officii vel ordinis homo audeat ipſos Canonicos vel eorum res & familias inquietare, moleſtare, vel aliquo modo fatigare, nec ad Placitum nec cauſam forenſem, niſi in Curia noſtra invitare, ſed ſecuri & abſque ulla perturbatione divinis poſſint ſervitiis vacare, & pro noſtri ſtatu Imperii propenſius exorare. Preterea ſtatuimus, ut numquam temporis preſcriptione predicti Canonici jura ſua & poſſeſſiones perdant. Si quis autem, quod non credimus, temeraria preſum-*

[illegible] hujus noſtri Præcepti decretum infringere temptaverit &c.

Acta ſunt autem hæc Ratiſbonæ, præſentibus Henrico Ratiſbonenſi Epiſcopo, Odone Friſingenſi Epiſcopo, Alberone Eiſtatenſi Epiſcopo, A Raberto Pataviensi Epiſcopo, Henrico Duce de Bawaria, Hermanno Palatino Comite, Friderico Ratiſbonenſi Advocato, Godefrido Comite de Nuuremburc.

Signum Domini Cunradi  *Romanorum Regis Secundi.*

Ego Arnoldus Cancellarius vice Henrici Moguntini Archiepiſcopi & Archicancellarii recognovi.

Anno Dominicæ Incarnationis MCXLVIII. Indictione VIII. Regnante Cunrado Romanorum Rege Secundo, Anno vero Regni ejus X.

Data Ratiſbonæ in Chriſto feliciter. Amen.

Utilis quoque ad mores veterum dignoſcendos erit Charta, quam ex Regeſto MSto Cencii Camerarii a me deſcriptam, heic editam volo. Caſtrum *Priceni* (idem, ut puto, quod nunc *Proceno* appellatur apud Aquampendentem in Urbevetano agro) ſpectabat olim ad Tuſciæ Ducatum. Dux autem Tuſciæ Anno Chriſti MCXCVI. erat *Philippus Henrici Sexti Regis, & Imperatoris Quinti*, frater, qui poſtea Romanorum Rex in ſchiſmate electus fuit. Is ergo præcepit, ut in codicillos referrentur, quæ Feuda ad Ducalem Curiam in eo Caſtello, ejuſque agro pertinerent, & quæ B *Banna*, ideſt mulctæ, inde colligerentur. En ergo Chartam, ubi complura vocabula occurrent, quorum ſignificationem Eruditis enucleandam dimitto. Unum ego dumtaxat inſalutatum abire non ſinam, nempe: *Caſtellanus Radicoſani venit tunc in Priceno, & griſavit omnia bona eorum*: ideſt apprehendit. Purum putum verbum Germanicæ Linguæ habes, videlicet *Greiffen*, ita ut aliqua oborta mihi fuerit dubitatio, num pro *Guiſa*, *Wiſa*, & *Guiſare*, de quibus vide Gloſſarium Latin. Du-Cangii, veteres ſcripſerint *Griſa*, *Griſare*.

Jura Curiæ Ducum Tuſciæ in Caſtro Priceno, ex præcepto Philippi Ducis Tuſciæ collecta, Anno 1196.

IN *Dei nomine. Charta teſtium recipiendorum ad inveniendam veritatem jurium & rationum, atque rerum omnium, quas Curia habet vel habere debet in Caſtro Priceni & ejus Curte intus & extra in ejus pertinentiis, ut ad perpetuam memoriam in publicam formam redigantur.*

Rolanduccius Guidotti de Caſtro Priceni juravit corporaliter tactis ſacroſanctis Evangeliis dicere omnem veritatem, quam ipſe ſciret de omnibus rationibus & juſtitiis & rebus, quas Curia habet vel habere debet in Caſtro Priceni & ejus pertinentiis intus & extra. Et ea, quæ ſciverit, mihi Guidoni Maizi Notario pateſaciet: nec a me revelet, donec redigam in ſcriptis omnia dicta ſua. Qui Rolanduccius, poſtquam ſic juravit, dixit ſuo juramento, quod Domus Abruini, & totum teximentum, quod ſub Fracta eſt, eſt de Curia. Item dixit, quod duæ domus, quas Zabulinus tenet, ſunt de Curia pro Graſſo. Item dixit quod de Feudo Aiſoldi ſunt duæ domus juxta domum Odonis & domum Guidonis de Monaco, quæ ſunt de Curia. Item dixit, quod pro Presbytero Rolando ſunt duæ domus, una quarum eſt juxta domum Roſæ Donati, alia eſt juxta domum Zavattæ, quæ ſunt de Curia. Item pro Marcoaldo eſt una domus juxta domum Guidonis, & domum Johannelli de Scotta, quæ eſt de Curia. Item domus Presbyteri Guidonis Fronzi & Cella juxta Ofreduccium & Girardum eſt de Curia. Item domus, quæ eſt juxta Presbyterum Jannem & Ugolinum Donuli, eſt de Curia: & una domus, quæ eſt poſt domum Gualterii, ſimiliter eſt de Curia pro Rampo. Item dixit idem Rolanduccius, quod Vinea, quam tenebat Bartholomæus de Janni, & Ugolinus & Gui- C *ducius & Guilia Balzana, quæ eſt in Grotticella, ab una via uſque ad aliam, eſt inter Vineam filiorum Anſelinuli & Vineam Scarlatinam, & eſt de Curia pro Bacaſevo, & eſt ad quinque vel ſex zappas. Item dixit, quod Vinea, quam tenebant filii Macoaldæ & Johannes de Buſignano, quæ eſt inter Vineam Saxi & Ofreducii & ripam & viam, qua itur ad Molendinum Gualterii, eſt de Curia pro Rampo, & eſt ad duodecim zappas. Item dixit, quod Vinea, quam tenebat Scarlatinus, quæ eſt inter Ezalum, Evaconum, & Baſſum, eſt de Curia pro Piero de Strambo, & eſt ad quatuor zappas. Item dixit, quod Vinea, quæ fuit Spallafredæ, quæ eſt inter Scarlatinum & Boccalamam & Bertam & viam, eſt* D *de Curia. Item dixit, quod Vinea, quæ fuit Presbyteri Guidonis Fronzi, quæ eſt inter Vineam Epiſcopi & Presbyteri Janni Fronzi & Benecaſam Strojani, eſt de Curia, & eſt ad quatuor zappas. Item Vinea, quæ fuit Pieri Presbyteri Dominici, quam tenebat Carinzo ſub Fracta juxta Abruinum, eſt de Curia, & eſt ad ſex zappas. Item dixit, quod Vinea Penzaventris ſub Fracta juxta Judicem & Rodolfulum Calvuli, eſt de Curia, & eſt ad duas zappas. Item dixit, quod Lardus & Guido de Montepulziano & Coſtam tenent a Curia Vineam ſub Fracta ad Mezolanum, & ſunt de Curia. Item dixit, quod Vinea, quæ fuit Pricelli de Pandecornu, quam tenebat Jannuzalus & Granus & Presbyter Aldibrandus, quæ* E *eſt inter Vineam Macaruti & Vineam Pieri Calvuli & Blanci & Benencaſæ Maironis & viam publicam, eſt de Curia & eſt ad octo zappas. Item dixit, quod Vinea, quæ fuit Mazoli, quam habet Grumolus juxta Fontanam Interlecave, eſt de Curia, & eſt ad ſex zappas.*

Et

Et cohæret eidem vineæ Vineæ Graſi a Pede, quæ eſt inter vineam Penzaventris, quam habet Guido de Montepulzano, quæ eſt inter Zabulinum & Gullielminum & filium Mejanellæ & Cittadinum & Robertum.

Item dixit, quod Vinea Graſi, quam habet Zabulinus, quæ eſt inter Gruniolum & Ruſticellum Pir te & Campum Saxi & Mazocli, eſt de Curia, & eſt ad duas zappas. Item dixit, quod Vinea, quæ fuit Marcoaldi & Presbyter Rolandi, quæ eſt inter Saxum & Mazapalum & Flumen & Judicem & Ruſticellum, eſt de Curia, & eſt ad duodecim zappas. Item dixit, quod Vinea quæ fuit Martini Pocuſerni de Flumine & de Novitina, & alia, quam tenebat Petrus Pocuſonni, ab alia parte, eſt de Curia. Item dixit, quod Vinea, quæ fuit Presbyteri Rolandi de Cotone, eſt de Curia, & eſt ad quinque zappas. Item dixit, quod duæ Vineæ Rampi in Aqualatula ſunt de Curia. Item dixit, quod Vineæ, quas tenet Guido Monaci ſub Fracta, ſunt de Curia, & Vinea, quæ eſt ſub Curia ſimiliter, pro Presbytero Rolando. Item dixit, quod Campus Zabulini de Greppis eſt de Curia prope Zanvenire, & eſt inter viam Guidonis Monaci & Zuccam Item dixit, quod Campus, quem tenet Guido Monaci pro Cavaſenno de Cornu de Fracta, & omnes alii de Caſenticu & de Silice & de Caſaletio & de Retentiano & de Acceptorio & in Corneto & in Jove, & ubicumque eſt hoc, quod fuit Cavaſenni pro feudo Guidonis Rozi, eſt de Curia. Item dixit, quod a Torolla & Amillalla uſque ad Logium, & tendit uſque ad Podiolos partitos & Cerretum Giſi, eſt de Curia pro Penzaventre, & eſt de feudo ejus. Item dicit, quod in Verſure eſt Campus Presbyteri Rolandi, quem habet Seneſe, qui eſt de Curia. Item Campi, quos habent filii Bonægraſſæ in Verſuris & in Fontanello ſuper ſtratam & inferius in Rota, ſunt de Curia pro Rolando Neri. Item dixit, quod Campus de Fontanapoli, quem habet Seneſe inter Sanctum Martinum & Bonfilium, eſt de Curia pro Rampo. Item dicit, quod Acceptorium juxta Paleam inter Guidonem Monaci & Cruaconnum, ſunt Rodia de Curia. Item dixit, quod alia Rodia de Corona Ribejeri, & Rodiaria Carinei & Guilielmini, & totum alium de Eſcletis, ſunt de Curia. Item dixit, quod in Santagnella eſt pars feudi Boccaſevi, quæ eſt de Curia. Item dixit, quod Campus, quem habent filii Machaldæ in Colle Grannu eſt de Rodio Curiæ, quam fecit filius Guidonis Mambergæ & Toſus Siliæ. Item dixit, quod feudum Dolce eſt de Rodio Curiæ, & Rodium de Roveto ſimiliter, & Rodium de Certeno & de Aluella ſunt de Curia. Item medietas tenimenti de Fontanello eſt de Curia, & de alia medietate debet reddere Abbas Sancti Salvatoris Curiæ Priceni annuatim viginti Solidos Denariorum, & unam Salmam Scutellarum, & unam Salmam Caſtanearum, & unum Porcum. Item dixit, quod Campi Raynucii Rampi, qui ſunt in Campi uſque in Foſſatum, & tenent eos filii Macaldæ & Johannis, ſunt de Curia. Item quod medietas Vallis de Rene & Podium Gaidi & Stefetti in Oppieta juxta Fielem, eſt de Curia: & Campi poſt Jovem pro Precello Pandecornu, quos tenet Jannutius & Presbyter Ildibrandus, ſunt de Curia. Item dixit, quod duo Campi in Fontanapoli, & unus in Valle de Fenaja, ſunt de Curia pro Presbytero Rolando Senes.

Item dixit, quod Zabulinus tenet quemdam Campum in Rota inter Ildibranduccium Presbyteri & Benefactum & Gualterum, qui eſt de Curia. Item Roſellus habet alium campum in Rota, qui eſt filiorum Anſoaldi juxta prædictum campum. Ita juxta eumdem eſt alius Campus Mazocli, qui ſunt de Curia. Item dixit, quod Gruniolus habet pro Mazoclo alium Campum in Rota inter Ildibranducium & filios Anſoaldi, qui eſt de Curia. Item dixit, quod in Beltorio juxta Benefactum & filios Engleſci eſt Campus Anſoaldi, qui eſt de Curia. Item idem ipſe Rolanduccius dixit ſuo ſacramento, quod Berardus interſecit ſocerum ſuum Graſium : unde Caſtellanus Radicoſani venit tunc in Priceno, & griſavit omnia bona eorum. *Poſtmodum dedit Caſtellanus ipſe hec omnia Hoſpitali Pontis Henrici pro ſeptem Libris: & Hoſpitale dedit poſtea eadem omnia Zabulino in libello ad penſionem duodecim Denariorum annuatim Hoſpitali reddendum. In iis bonis ſunt Vineæ in Paterno ad ſeptem zappas, & duæ vel tres domus. Item dixit, quod Rainucius Rampi vendidit Comitē Ildebrandino & Bernardino filio Ugolini omnia ſua bona immobilia, ſcilicet Vineas in Roja, quæ ſunt ad ſexdecim zappas, & ſub Caſtroclaſo, & terram in foſſato Merdario & unam Caſam. Item dixit, quod filius Berardi & Guittonis de Rocio, de quo eſt domus Seneſi, quia Seneſe eſt de ipſa domo, & domus Anſelmi & Bertenerii & filii Orlanduccii Roberti, & Aldibrandinus Drudi, & domus Bocci, & Ildibranduccius de Perite ſeu Orlende & Martinus cum ſociis ſuis, ſcilicet Zoppo & filius Scarnapulce, & Raynaldus Guittonis, & Rainerius Oriza, & Paganellus Pezaventris, qui habent Feuda a Curia, pro quibus tenentur ſervire Curiæ ad equos & arma & de fidejuſſionibus. Item dixit, quod banna Curiæ ſunt hæc. Quicumque deſcenderet per Ripam pro cauſa foci, vel lupo, vel latrone, debet dare tres Solidos Curiæ: de mondeciis viarum tres Solidos. Item de omni porco & ſalma vini unum denarium ad Portam, ſi eſt forenſis. Item dicit, quod a Sancta Maria de Martio uſque ad Sanctam Mariam de Auguſto non debet aliquis in flumine piſcare ad guadam nec ad ſtortam. Et ſi quis contra faciet, dabit tres Solidos Curiæ. Item ſi in Bunino a Torolla uſque ad Campum Anſelmi aliquis diroparet, perdet Rodium, & tres Solidos dabit Curiæ, niſi eſſet Sepebandeſe Venatorum. Item ſi quis incideret in Silva Vallis Herminæ, tres Solidos dabit Curiæ, niſi pro pungulono, vel virga coriati vel ritorta. Item de gottata quinque Solidos Curiæ. Item ſi quis inſultaret contra alium, a flumine ſuperius & a Cannapina in ſuſum & a Cava Eſtrieti, ſcilicet manu armata, ſolvet Curiæ pro banno ſexaginta Solidos. Item dixit, quod qui ſuo ictu vel percuſſione ſanguinem effundi fecerit alicui, ſolvet ſexaginta Solidos Curiæ pro banno. Item dixit, quod Rodia & Silva Ripetoſi ſunt de Curia. Item dixit, quod ſi quis venderet bladum a Sancta Maria de Auguſto uſque ad Kalendas Martii forenſi, qui foras ipſum portaret, dabit tres Solidos Curiæ. Item dixit, quod tenimenta, quæ ſunt ſub Fracta, ſunt proprie de Curia.*

Stefulus de Caſtro Priceni juravit corporaliter tactis ſacroſanctis Evangeliis, dicere veritatem de prædictis omnibus, ſicut Rolanduccius teſtis primus ſupradictus. Qui ſuo juramento dixit eadem omnia per ſingula capitula, quæ dictus Rolanduccius Guidotti ſuperius dixit. Et addidit & dixit, quod Feudum Pezanventris, & Orlandi Neronis & Anſoaldi ſunt Curiæ, qui ſine heredibus mortui ſunt. Et dixit, quod pater

Ezali

A *[illegible] debebant cum Curia ducere ad cavalcandum pro ſuo Feudo, quod a Curia tenebant.*

Tancredinus de Priceno juravit corporaliter tactis ſacroſanctis Evangeliis dicere omnem veritatem, quam ſciverit de prædictis omnibus, ſicut Rolanduccius ſupradictus primus teſtis. Qui poſtmodum ſuo juramento dixit idem per omnia capitula, quæ Rolanduccius Gisleris primus teſtis. Et addidit & dixit, quod Zabulinus emit ab Hoſpitale bona, quæ fuerunt Grafii & Berardi contra prohibitionem ſuam, quia eo tempore erat hic teſtis, Nuntius, & Caſtaldus Curiæ, & ex parte Curiæ prohibuit Zabulino ne emeret, quia illa bona erant de Curia. Item addidit & dixit ſuper facto Rainutii Rampi, B *quod Comes Bernardinus vendidit pro centum Libris veterum Denariorum omnia ſua bona & jura, quæ habebat in Caſtro Priceni, Archiepiſcopo emente pro Imperio, quia ipſe tunc Legatus Imperatoris erat in Italia. Item dixit, quod omnia, quæ fuerunt Presbyteri Rolandi habet Seneſe. Item de Feudis addidit & dixit, quod Bonagiunta & Petrus Strambi & Petrus Presbyteri Dominici, & Rolandus Neri habuerunt ſimiliter feuda a Curia, ſicut alii ſupradicti. Et addidit & dixit, quod ex præcepto Curiæ fuit, quod nemo auderet vendere vel alienare aliquid de prædictis Feudis, & qui emeret, amitteret. Item addidit & dixit, quod Filii Presbyteri Dominici vendiderunt Vineas & Terras de Feudo* C *ſuo Comiti, & dixit, quod fere omnes vendiderunt de feudis eorum, quidam plus quidam minus. Item addidit & dixit, quod medietas Vallis Viceni eſt de Curia Priceni, & Nemus & Podium Petri Abullæ ſimiliter, & Collis Rotundus. De aliis dixit idem, quod Stefulus.*

Zabulinus de Priceno juravit, ſicut alii ſupradicti teſtes. Qui ſuo juramento dixit idem per omnia, quæ Rolanduccius primus teſtis. Poſt quod dixit, quod ipſe pro decem Libris emit bona Grafii ab Hoſpitale ad penſionem duodecim Denariorum ſibi annuatim reddendam. Et audivit a Socero ſuo & aliis quibuſdam, quod nemo audet vendere aliquid de Feudis ſuis. Et addidit, & dixit, quod filii Anſelmuli & filii Bo- D *negraſſæ & Martini habent de Feudo Orlandi Neronis & Epiſcopatus habet medietatem Feudi Danſcalli & Canonici de Soana habent aliam medietatem.*

Recepti ſunt ſupradicti teſtes de mandato Domini Marſilii Caſtellani Radicofani pro Domino Philippo Tuſciæ Duce & fratre Domini Henrici Dei gratia Romanorum Imperatoris, *& eodem Caſtellano præſente, & de conſenſu & voluntate hominum Caſtri Priceni. Et poſtquam recepti fuere, eorum dicta in ſcripta redacta, prædictos teſtes ſeu atteſtantes ego jam dictus Guido Notarius de mandato prædicti Caſtellani & voluntate hominum Priceni, eiſdemque præſentibus legi & publicavi, & eorum dicta ex-* E *preſſis notificavi in Eccleſia Sancti Angeli prædicti Caſtri, coram Saxo de Priceno & Gualtero ejus fratre, Ofreduccio,* W*illielmo* . . . . *Seneſe, & Presbytero Aldibrando, & aliis pluribus teſtibus ad hoc vocatis. Et prædicti teſtes, qui teſtificati ſunt, præſentes interfuerunt, & hæc omnia intellexerunt, Anno Domini Milleſimo Centeſimo Nonageſimo Sexto, Indictione XIV. Menſe Auguſti III. Kalendas Septembris, imperante ſereniſſimo Henrico VI. Romanorum Imperatore.*


Et ego Guido Maizi, ſacri Palatii Notarius, ut ſupra legitur, prædictos teſtes recepi, & ſcripſi, & ad perpetuam memoriam de mandato jam dicti Caſtellani & voluntate hominum Priceni in publicam formam redegi.

Sed præter conſueta onera ac tributa Regi debita, quæ ab *Exactoribus Reipublicæ* colligebantur, & præter illa, quæ etiam Ducibus, Marchionibus, & Comitibus perſolvenda erant, non defuere olim incommoda alia ab ipſis Reipublicæ Miniſtris Populo illata. Nam & ipſi ſub colore ac nomine *Conſuetudinis*, ſive *Doni*, aut *Solatii*, ut ajebant, gentem ſubjectam nimis ultra æquum gravabant. Interdum quidem obſiſtebant boni Principes, publicisque etiam legibus ejuſmodi peſtem avertendam curabant: ſed non tam facile pravæ B conſuetudines edomari ac vinci ſe ſinunt. Eo autem proceſſerat, imperante Carolo Magno, publicorum hujuſmodi helluonum intemperantia, ut ruſtica gens, Servi præcipue ac Aldiones, nimii oneris impatientes, fugâ cælum mitius quærerent, atque agros incultos relinquerent. Interceſſit inclyti Auguſti providentia, promulgatâ Lege 121. inter Langobardicas, quam integram repetere argumenti hujus intereſt. *Audivimus*, inquit, *quòd Juniores* (ideſt familiares) *Comitum, vel aliqui Miniſtri Reipublicæ, ſive etiam nonnulli fortiores Vaſſi Comitum, aliquam redhibitionem* (*ideſt*, ut nos dicimus, *contribuzione*) *vel collectionem* (nunc *Colta*) *quidam per paſtum, qui-* C *dam etiam ſine paſto, quaſi deprecando, a Populo exigere ſolent. Similiter quoque opera, collectiones frugum, arare, ſeminare, runcare, carrucare, vel cetera his ſimilia a Populo per eaſdem vel alias machinationes exigere conſueverunt, non tantùm ab Eccleſiaſticis, ſed a reliquo Populo exigebant. Quæ omnia nobis ab omni Populo juſte removenda eſſe videntur. Quia in quibuſdam locis in tantùm inde Populus oppreſſus eſt, ut multi ferre non valentes, per fugam a Dominis vel a Patronis ſuis lapſi ſunt, & terræ ipſæ in ſolitudinem redactæ ſunt. Potentioribus autem vel ditioribus, ex ſpontanea tamen voluntate, vel mutua dilectione volentibus ſolatia* (ideſt jentacula & convivia) *præ-* D *ſtare invicem minime prohibemus*. Cum moribus temporum noſtrorum hæc ſunt conferenda. Eſt & Epiſtola ejuſdem Caroli Magni ad Pippinum Italiæ Regem filium ſuum a me recuſa, Part. II Tomi I. Rer. Italicarum, pag. 112. in qua optimus ille Auguſtus ſe accepiſſe ait, *quod aliqui Duces, & eorum Juniores, Gaſtaldii, Vicarii, & Centenarii, ſeu reliqui Miniſteriales, Falconarii, Venatores, &c. manſionatica & paravereda accipiant non ſolùm ſuper liberos homines, ſed etiam in Eccleſias, &c. Inſuper homines atque ſervientes Eccleſiarum in eorum opera, ideſt in vineis, & campis, ſeu pratis, nec non & in eorum ædificiis illos faciant operari: & carnaticum & vinum contra* E *omnem juſtitiam ab eis exactare non ceſſent, &c.* Hæc omnia omnino emendanda & corrigenda Carolus jubet. In lege ſuperius adlata atque in hac Epiſtola, *Angariæ* potiſſimum recenſentur, quibus vexabantur Servi ac Aldiones Eccleſiarum. Sed ne Liberos quidem homines ab hujuſmodi flagello immunes abiiſſe inde intelligimus. Hoc tamen luculentius hauriemus ex Lege XXXII. Ludovici II. Auguſti, per me addita Legibus Langobardicis. In ea ſancitum eſt: *Ut Liberi homines nullum obſequium Comitibus faciant, nec Vicariis, neque in paſto, neque in meſſe, neque in aratura, neque in vinea. Et Conjectum* (idem atque *Contribu-*

buzione) *vel reſidium* (ideſt , ut ſuſpicor , pecunia , quæ *pro reſidentia* exigebatur) *non ſolvant* , *exceptis Aribannatoribus vel Miſſaticis* , *qui legationem ducunt* . Pergebant nihilominus Comites aliique Regum Miniſtri, impotenter agere in Populum ſuæ curæ commiſſum; quare ſuum quoque duxit Guido Imperator circiter Annum DCCCXCII. graſſanti morbo adhibere medicinam , promulgata Lege 3. inter Langobardicas , cujus hæc ſunt verba : *Nemo Comes* , *neque Loco poſitus* (ideſt Vicecomes) *neque Sculdaſcius ab Arimannis ſuis* (hoc eſt ab hominibus Liberis) *aliquid per* A *vim exigant* , *præter quod conſtitutum Legibus eſt* . *Sed neque per ſuam fortiam in manſionem* (nunc *magione*) *Erimanni applicet* , *aut placitum teneat*, *aut aliquam violentiam faciat &c.* En quibus Angariis obnoxii eſſent eorum temporum Populi . *Inconſuetæ occaſiones* , quarum mentio infra occurret in Diplomate Chonradi II. Italiæ Regis , nihil aliud fuere , niſi Angariæ hujuſmodi a Legibus prohibitæ . Chartam accipe, quam autographam vidi in inſigni Monaſterio ſacrarum Virginum Lucenſium Sanctæ Juſtinæ .

Chonradi II. Italiæ Regis ac Primi inter Auguſtos Præceptum, per quod Monaſterio Sanctimonialium Lucenſium Domini Salvatoris omnia illarum jura ac privilegia confirmat , Anno 1027.

IN nomine omnipotentis Dei . *Chuonradus eterni munere largitoris Rex* . *Si aliquid locis divino cultui mancipatis largitatis noſtre munere conferimus* , *vel collata confirmamus* , *ad eterne retributionis premia nobis prodeſſe nequaquam diffidimus* . *Omnium igitur Sanctæ Dei Eccleſiæ noſtrorum preſentium atque futurorum notitiæ pateat* , *qualiter interventu dilectæ* Conjugis noſtræ Giſlæ , *per hanc noſtri Precepti paginam* , *prout juſte & legaliter poſſumus* , *confirmamus & corroboramus Monaſterio Domini Salvatoris* , *quod eſt infra muros Urbis Lucæ conſtructum* , *& ejuſdem loci* Abbatiſſæ , *quæ vocatur* Alperga , *cunctiſque Monachabus Domino ibi famulantibus . . . . . . ejus res & proprietates tam quas nunc habet* , *quàm inpoſterum habuerit*, *cum terris cultis & incultis*, *vineis* , *pratis* , *paſcuis* , *ſilvis* , *piſcationibus* , *ſervis & ancillis* , *aquis aquarumque de curſibus* , *molendinis* , *omnemque ſubſtanciam* , *quam Locus idem videtur habere* . *Statuimus etiam* , *ut abhinc inpoſterum quicquid prefato Monaſterio per dationem religioſorum virorum* , *ſeu devotarum feminarum collatum extiterit* , *ſub noſtri confirmatione Precepti* . *Volumus etiam ut predictum Monaſterium noſtris & fu-* B *turis temporibus*, *una cum omnibus rebus atque familiis immune conſiſtat ab omni publica functione & redhibitione* . *Et ſi quando Abbatiſſa obierit* , *de eiſdem ipſis eligant* , *quam bonæ vitæ invenerint*. *Precipimus autem ut nullus Judex publicus* , *vel ex judiciaria poteſtate aliqua infra illud Monaſterium ſeu Eccleſias* , *Villas*, *aut reliquas poſſeſſiones*, *quas nunc habet* , *vel in antea adquiſierit* , *manſionaticum exigere* , *aut fidejuſſores tollere* , *aut homines ipſius Monaſterii tam ingenuos* , *quàm ſervos injuſte diſtringere* , *aut* inconſuetas occaſiones *requirendo* , *eum ingredi præſumat* . *Sed liceat memoratæ Abbatiſſæ*, *ſeu & his*, *quæ poſt eam ejuſdem Monaſterii regimen habuerint* , *cum ancillis Dei ibi degentibus tranquille vivere*, *&* C *Monaſticæ converſationis propoſitum quiete ſervare* , *ac pro ſalute noſtra* , *ſeu Regni ſtabilitate Dei miſericordiam implorare* . *Si quis igitur hujus Precepti* (*quod non credimus*) *violator extiterit* , *auri optimi Libras mille ſe compoſiturum agnoſcat*, *medietatem Cameræ noſtræ*, *& medietatem predictæ Alpergæ Abbatiſſæ* , *ſibique ſuccedentibus* . *Quod ut verius credatur & diligentius obſervetur* , *manu propria roborantes Sigillo noſtro juſſimus inſigniri* .

Signum Domni Chuonradi  *ſereniſſimi Regis*.

Locus Sigilli ✠ cerei deperditi.

Hugo Cancellarius vice Domni Ariboni Archiepiſcopi & Archicancellarii recognovit.

Datum Anno Dominicæ Incarnationis MXXVII. Indictione IX. Regni verò Domni Chuonradi Secundi regnantis II.

Actum Veronæ.

Præterea *Toltæ & mali uſus* interdum appellantur ejuſmodi conſuetudines & exactiones præter legem , immo & contra legem . Quare intelligas, cur cadente Sæculo IX. Berengarius I. Italiæ Rex Monaſterio Tarviſino inter alia Privilegia hoc etiam indulſerit, *ut nulla magna parvaque perſona deinceps audeat in rebus jam dicti Monaſterii reſidentes* , *ad Placita trahere abſque eorum Patrono* ; *diſtringere vel pignerare* ; *aut teloneum ac redibitionem aliquam* , *ſeu Urnas* , *atque Mutas* , *vel ullas Collectas ab eis* , *vel a predicto Monaſterio pertentare* , *&c.* D Telonei genus *Muta* fuit , cujus exempla adfert Du-Cangius in Gloſſar. Latino . *Urna* in Saliſburgenſi Diœceſi appellabatur menſura liquidorum , atque heic proinde ſignificare videtur tributum Menſurarum ſupra memoratum . Diploma iſtud archetypum mihi olim viſum in Tabulario inſignis Monaſterii Sancti Zenonis Veronenſis , ereptum heic tenebris volo : ſed prius Lectore monito , in apographo , quod mecum detuli , ſignatum fuiſſe *Annum Incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti DCCCXCVI.* quod immutare tamen auſus non ſum . Sed

certe ſcribendum eſt, & in autographo ſcriptum fuiſſe Anno DCCCXCVII. Hunc enim Annum expoſcit Indictio XV. immo & Annus A IX. Regni Berengarii, qui longe poſt Idus Januarii Anno DCCCLXXXVIII. Italiæ Rex renuntiatus, Annos Regni numerare cœpit.

Berengarius I. Italiæ Rex Monaſterium Tarviſinum Sanctorum Petri & Theoneſti ſubjectum Monaſterio Veronenſi Sancti Zenonis, Mundiburdio ſuo, aliiſque exemtionibus ac Privilegiis donat, Anno 897.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Berengarius divina favente clementia Rex. Si Sanctarum Eccleſiarum opportunitatibus Regalis pietas ſubvenire non abnegat, & eas ſua tuitione gubernare procurat atque defendere, a ſummo ac pio protectore Chriſto ipſam in cunctis juvari, nulli prorſus conſtat eſſe ambiguum. Noverit igitur omnium fidelium ſanctæ Dei Eccleſiæ, noſtrorumque, præſentium ſcilicet ac futurorum induſtria, ob amorem Dei, ſanctique Zenonis Confeſſoris Chriſti atque Pontificis, Monaſterium novum, ſitum in Comitatu Tarviſiano, quod dicitur conſtructum in honore Sancti Petri ac Sancti Theoniſti, pertinens de Monaſterio Sancti Zenonis ſanctæ Eccleſiæ Veronenſis, cum omnibus ſuis juris pertinentiis, ac adjacentiis in integrum, ſub mundiburdi noſtri tuitionem atque defenſionem funditus recepiſſe, ſub ea videlicet emunitate, quæ a Prædeceſſoribus noſtris ac nobis in predictum Sancti Zenonis Cenobium emiſſæ atque largita, abſque omni cenſu ac redibitione, ſeu publicorum Exactorum moleſtia ac violentia hominum cunctorum remota. *Ea ſcilicet ratione*, ut nulla magna parvaque perſona deinceps audeat homines in rebus jam dicti Monaſterii reſidentes ad Placita trahere abſque eorum Patrono, diſtringere vel pignerare, aut teloneum ac redibitionem aliquam, ſeu Urnas, atque Mutas, vel ullas Collectas ab eis, vel a predicto Monaſterio pertemptare ullo ingenio exigere;

B *vel quicquam quod injuſtum aut contra legem, aut contra juris rationem in Miſſarios, ſilvas, campos, ſalectas, aquas, aquarumque decurſus, homines liberos ac ſervos agere, ac inferre nitatur. Sed liceat in predicto ſancto Loco famulantibus pro nobis Regni noſtri ſtatu ac ſobole noſtra orare, & quieto ac tranquillo pacis jure ſupplicationes effundere ad ipſum, cui cuncta ſanctarum pertinent Eccleſiarum. Largimur etiam in predicto ſancto Cenobio beati Zenonis & Sanctorum Petri & Theoniſti, ut quicumque ex bonorum hominum ſuas res largiti per quaſcunque titulum donationis, offerſionis, ſeu venditionis Cartolas emiſerint, libere & abſolute predictæ res permaneant. Inſuper concedimus per hoc noſtræ munificentiæ Preceptum omnem*

C *redditum, quod annualiter homines Calinianenſes ad partem ipſius Cenobii reddere debent, ſecundùm diffinitionis calculum, quod tempore Domni divæ memoriæ Hlotharii Imperatoris diffinitum fuit, ut ita adimpleant abſque omni minoratione vel contradictione alicujus hominum. Si quis contra hanc noſtræ largitionis tuitionem inſurgere vel ex predictis omnibus moleſtiam inferre temptaverit, ſciat ſe compoſiturum XXX. Libras auri obrizi, medietatem Cameræ noſtræ, & medietatem predictis Sanctorum Cenobiis, cui fuerint illatas injurias. Et ut verius credatur, diligentiuſque ab omnibus illeſum & inconvulſum obſervetur, manu propria firmavimus, & anulo noſtro juſſimus inſigniri.*

Signum Domni  *Berengarii glorioſiſſimi Regis.*



Vitalis Cancellarius juſſu Regis recognovi & ſubſcripſi.

Data VIII. Idus Januarii, Anno Incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti DCCCXCVI. (*) *Anno verò Regni Domni Berengarii glorioſiſſimi Regis IX. per Indictionem XV.*

Actum Epiſcopio Cenedenſi, in Dei nomine feliciter. Amen.

Præ-

(*) Scribendum, ut ſupra monui, DCCCXCVII.

Præcipue verò in Civitatibus Italiæ liberis uſus increvit *Boatiæ*, quæ *Vota* (corrupte, ut puto) appellatur in Epiſtola Innocentii III. Papæ ad Archiepiſcopum Compoſtellanum Lib. 2. Epiſt. 139. atque ibi dicitur *Cenſus*, *qui Vota dicitur*, *quem Hiſpanorum Catholici Reges ex ſingulis boum paribus annuatim perſolvendum ſtatuerunt*. Neque recens inventum fuit. Anno MLIX. ut eſt in Cardinalis Baronii Annalibus, quum Robertus Guiſcardus pro Apulia & Calabria ad Vaſſallagium ac Cenſum Nicolao II. Summo Pontifici ſeſe ob-

A ſtrinxiſſet, inter alia pollicitus eſt, ſe *annualiter pro unoquoque jugo boum penſionem*, *ſcilicet duodecim denarios Papienſis monetæ perſoluturum Beato Petro*, *& Nicolao Papæ Domino ſuo*. *Rugadicum* appellatum videtur ejuſmodi tributum in Charta Reipublicæ Derthonenſis Anno MCLXXXIII. (ſiquidem vitiata non ſit apud Ughellium vox illa, nempe, *Rugadicum eſt duo Soldi de unoquoque pari boum*.) *Boatiæ* autem aperta mentio eſt in Charta, quam ex Regeſto pervetuſto Communitatis Mutinæ depromſi.

Qualiter Homines de Abbatia de Fraxinorio in omni anno jurant ſequi Conſules Mutinæ. Anno 1173.

IN *Chriſti nomine*. *Anno a Nativitate ejuſdem MCLXXIII*. *Indictione VI*. *Sacramentum quod Homines Abbatie me Blaxio Notario*, *& Domino Bernardo Malvezo Conſule Mutine*, *& Rolando Bajimontis*, *& Dono Brocardo*, *Ugulino*, *& Caſſino*, *ac poſtea Domino Martello*, *Domino Johanne Bonifacii*, *& aliis preſentibus fecerunt*, *tale eſt*. „ Ego juro ſalvare & defendere Homines Mutinæ, & eorum bona ubicumque pro poſſe ſemper, & „ omni anno dare Boatiam Mutinæ ſex Denarios Lucanos pro unoquoque pari boum, „ quos habebo: & omni anno jurare ſequi „ Conſules Mutine, poſtquam ab eis, vel ab „ eorum Miſſo requiſitus fuero, ſicuti Homines Mutine. Et facere oſtem ad voluntatem Conſulum Mutine, qui nunc ſunt, vel „ erunt in antea, & nunc eos ſequi juro, exceptis Militibus Caſtaldionibus, quouſque „ erunt Caſtaldiones, ſcilicet Taſinus, Rainerius & Manganellus; & Caſtellanis, qui „ cotidie habitant in Caſtris ſine fraude, „ quamdiu habitantiam ſupraſcripto modo fecerint, nichil aliut niſi ſolummodo ſupraſcriptam Boatiam excipientes. *Qui primi juraverunt*, *hi ſunt*: *Taſſinus*, *Puſtecus de Rubiano*, *Gandulfinus de Saluto*, *Ildeprandinus de Lama & Horabona frater ejus*, *Henrigetus*, *Odo*, *Drudolus*, *Tueſendus*, *Gandulfinus de Lama*, *Ildeprandinus de Guizago*, *Janellus de Analdo*, *Gerardus de Cloſca*, *Ugulinus de Sechafeno*, *Jambonus de Guitta*, *Ramondinus de Adele*, *Gualandus de Saltino*, *& Girardus de Saltino*, *Gofizus*, *Ildeprandus de Monte*, *Guizardus Granni & Ribaldus fratres*, *Frodulfus*, *Raimondus de Valle*, *Raimondus de Scloſca*, qui excepit Boatiam; *Ildeprandus*, *Oldemerius*, *Carlitus*, *Gandulfinus*, *Batalia*, *Bernardus*, *Petrus de Albaro*, *Rainaldus*, *Andrianus*, *Petricinus*, *Baſus*, *& Frodulfus*. *De Cornilio verò Stephanus de Molino*, *Ildeprandus de Prato*, *Codiponte*, *Sigefredus*, *Paxinus*, *Pizolus*, *Pupus & Johannes pater eorum*, *Stephanus*, *Johannes de Valle*, *Gandulfinus*, *Muſcus*, *Bugnolus*, *Weretus*, *Marcignonus*, *Ramixinus*, *Johannes Drugini*, *Guidonus*, *Gerardus*. *De Laguxolo Ildeprandus & Robertus*. *De Monte Stephano Tizonus*, *Guaſconus*, *Rainaldus*, *Baixius*, *Manente*, *& Rainerius Caſtaldio*, *qui juravit ut Taxinus*. *De Amogno Toxius*, *Rolandus*, *& Bonatus*. *De Ceretulo Janinus & Albertinus conſanguineus ejus*, *Arduinus*, *Horabona*, *Armaninus*, *Lambertus*, *& Guizardinus*. *De Suxiano Berne*, *Ugolinus*, *Uliverius*, *Belentius*, *Bertemondus*, *Martinus*, *Albertinus*, *Raimondinus*, *Baroncinus*, *Arditio de Coſtregnano*, *Ge-*

B *rardus & Nigrellus*, *Dominigus*, *Borleginus*, *Corrigellus*, *Blancus*, *Engezellus*, *Ugulinus*, *Janinus*, *Rolandinus*, *Guido*, *Rodulfus*, *Spinenbecus*, *Curſolus*, *Gerardinus de Baroncino*, *Rainuzolus*, *Daibertinus & Ubertinus*. *In Savonerio Arduinus*, *Petrus*, *Johannes de Urſis*, *Jambonus*, *Petrus*, *Allegrittus*, *Azolinus*, *Grimaldus*, *Martinellus*, *Azo Geljerius*, *Azo Ferrarius*, *Albertus*, *Azolinus*, *Guirixius*, *Brutus & Johannes*. *De Maſſa Albertinus*, *Stephanus*, *Dominicus*, *Ugulinus de Gallo*, *Gerardus de Pochapalea*, *Ubertinus Maginus*, *Ugulinus Bernardi*, *Benardus*, *Gerardinus de Montali*, *Abandonatus*, *Botonus & filius ejus*
C *Cenzapanis*, *Guidoctus de Pocapallea*, *Gandulfus Bernardi*, *Pacificus*, *Petrus Bernardi*, *Rainucinus de Ciſina*, *Johannes Treciſelonus*, *Andreas Guidoctus*, *Ildeprandus*, *Arardus*, *Martinus*, *Paſſius*, *Odo*, *Bezo*, *Petruccius*, *Oddo*, *Henginulfus & Montixinus*. *De Caſula Bonenſegna & Raimundus ejus filius*, *Pelericcius*, *Andreas de Planexinis*, *& Guillielmus ejus filius*, *Ptolomeus*, *Gandulfus de Rio*, *Martinellus*, *Petronus*, *Wiarius*, *Petrocinus*, *Albertinus*, *Gerardus*, *Pizolus*, *Albertinellus*, *Robertus*, *Gerardus*, *Martinus*, *Janittus*, *Girardus de Andrea*, *Ugulinus*, *& Johannes*, *Gerardus de Martinella*, *Johannes de Petrizolo*, *Arardus Ferrarius*, *Preite*, *Albertus de*
D *Buto*, *Oddo*, *Johannes Fredulfinus*, *Johannes de Guinizello*, *Livaldus*, *Girardus de Terrariis*, *& Albertus de Ferrariis*, *Wazolinus*, *Petricinus*, *Bonusjohannes*, *Rainunculus*, *Martinus*, *Senzanome*, *Girardinus de Toano*, *Guidoctus*, *Girardinus Guiducii & Rubeus*.

De Medula Manganellus Caſtaldio, *Galioctus*, *Aigutus*, *Guizardus*, *Rolandus*, *Malpelus*, *Wazettus*, *Piilittus*, *Parocharus*, *Guviſius*, *Altonus*, *Camphus*, *Pizollomus*, *Vivianus*, *Lagus*, *Janiſcus*, *Grecus*, *Guizardus de Sevali*, *Ugulinus de Pallagnna*, *Wiriſius de Sevali*, *Oddo de Auritta*, *Robertus*, *Engizettus*, *Lupus*, *Janinus*, *Candus*, *Ugu-*
E *linus*, *Raimondus*, *Ildeprandus*, *Trucolus*, *Ricius de Sera de Migno*, *Tuſcus Mazolinus*, *Romanus*, *Bellencinus*, *Guidoctus*, *Gualdonus*, *Geminianus*, *Brancolus*, *Tignoſus*, *Mazus*, *Zanferus*, *Auriloclus*, *Petrizolus*, *Gerardus*, *Gotifredus*, *Aldradellus*, *Pilletus de Sevali*, *Mazolus*, *Ildeprandinus*, *Armanus*, *Ricius*, *Guillielmus*, *Bernardus*, *Petrus*, *Indivinus*, *Bojonus*, *Arduinus*, *Engizettus*, *Guirixius*, *Pugnettus*, *Petrettus*, *Urſellus*, *Ugulinus*, *Ribaldus*, *Bernardinus*, *Ildeprandinus de Sevali*, *Rainerius Magnanus*, *Janellus*, *Ildeprandinus*, *Grimaldellus*, *Girardus de Bocaxono*, *Urſellus*, *Sevarinus*, *Bernardus de Auri-*

 cta,

[illegible], Bonusjohannes, Petrisinus, Gualfredus, Bajamontus, Arnulfinus, Johannes, Bernardus, Petrus, Janellus, & Arduinus de Caſale Morovis. De Saffredello Conradus, Albertus, Oddo, Gerardus, Ugitio, Marus, Prandus, Petrus Falsiterius, Bonus, Stephanus, Ubaldinus, Avintus, Musignonus, Bernardinus de Sera de Magno, Petricinus, Michael, Guglielminus de Arcello, Ugolinus de Calemoreno, Belvenutus, Rolandinus, Ingerulfus, Spinellus, Gandulfus, Urſinus, Teuzolinus, Bulgarus, Bernardinus, & Pellucius de Calemoreno, Engezinus & Rolandus. De Narcdulo Urſus, Albertinus, Gibertus, Michael Albertinus, Ildeprandus, Baſſus, Ildeprandinus. De [illegible] [illegible], Tapinus, Albertus, Gandulfus de Varredo, Dominus. De Palagana Janellus de Valle, Martinus, Ptolemeus, David, Nec, Janellus de Bontis, Pelliz[illegible], Balbus, Janinus, Petricinus, Guizardus, Cozus, Stephanus, Janellus, Ubertinus, Albertinus, Vitalis, Stephaninus Folitus, Manfredus, Petrizolus, Martinuccius, Janellus, Engezellus, Bondus, Janitinus, Odilinus, Laurentius, Engezinus, Ubaldinus, Lanfranchinus, Zucus, Guitexitus, Dominicus, Johannes, Petrizolus, Arduinus, Gibertinus, Andreas, Albertinus, Petrus, Biccitus, Petrizolus, Lucianus, Hondeus, Pellatus, Martinus, Rolandus, Girardinus de Monte, Grimaldus, Hengezellus, Aventus, Rozus, Guirinus, Bonusſenior, Albertus de Profundis, Segnoritus, Janinus & Rainucinus. De Caretulo Villa Archivolti Janellus, Bonusjohannes, Baſus, Martinus, Ildeprandinus, Arduinus, Albertus, Rolandus, Sullimanus, Caſſonatus, Gibertus, Johannes, Lanfrancus, Ugolinus, Gandulfus, Jacobinus, Johannes, [illegible], Bernardinus, & Bernardinus Bixabove. De Vidrolo Monachus, Clerigellus, Cazaguera, Guizardus, Gilius, Ugolinus, Arcivixius, Benjamin Veclus & Cazaguera, Engizinus, Bottus, Engezettus de Gaſsis, & Engezettus, Albertinus, Guidolinus, Manarius, Ildeprandinus, Garulius, Petricinus, Janinus, Pizolus, Gerarducius, Gerardinus, Albertinellus, Nitonus, Rubeus, Janinus, Rubeus, Belco, Luſcus, Oprandinus, Ugitio, Raſcatius, Gandulfinus, Rainerius, Petrus, Mittiſcus, Janinus, Vitalis, Albertinus de Pugnone, & Bertomondus. De Fraxinorio Burgo Butterius, Gottiſredus, Manfredus, Bernardus, Sinibaldus, Ruſus, Guarixius, Tedibonus, Goteſredus, Guidoctus, Bernardus, Cavalcalupus, Dente, Horabona, Gualinus, Vincentius, Stephaninus, Ildeprandus, Rolandus, Guizardinus, Petricinus, Petrus, Caritas, Niger, Mercadente, Johannes, Mondinus, Gerardus, Pizolus, Arditio, Pitterius, Turclius, Rainuccinus, Clerigellus, Gandulfinus, Bernardus Bajamonte, Guido, Blancus, Ambroxius, Bennus, Folia, Bonifatius, Piſtor, Guidoctus, & Guidoctus, & Gandulfinus. De Arcivolto Caſtellani Corvulus, Raimondinus, Caſtaldio, Cervus, Zaffarinus, Guido, Daniel, Rainucinus, Boratius, Petrus, Paraſiccus, Oliverius, Odo, Guiſcardus, Turſus, Oddolus, qui non ſunt Caſtellani, Junius. De Runcho Sigifredi Grugnolus, Ildeprandus, Richardus, Belfante, Minente, Brugnetus & Boniolus. De Runcho Sigifredi, qui non ſunt Caſtellani, Ildeprandus & Bernardinus frater ejus. Homines Archipresbyteri de Rubiano Ugolinus de Rubiano, Gandulfus de Gorzano, Ildeprandus de Caretulo, Janinus de Laguxolo, Albertinus de Laguxolo, Horabona, Ruſtigellus, Guerixius, Janinus, Rodulfus & Janinus.

Ego Blaxius Imperialis Sacri Palatii Notarius interfui, & ſupraſcriptos homines univerſos ſacramentum facientes, ut ſupra legitur, ſcripſi.

Ad hæc non minùs antiquis quàm noſtris temporibus, extraordinariis tributis & exactionibus Populi premebantur, præſertim ſi belli ſuſtinendi aut inferendi neceſſitas ingruebat. Ac præcipue in Vaſſallos ejuſmodi procella ſeſe exonerabat, a quibus Principes *Auxilia* (ita enim appellari conſueverunt) facile petebant, ſive *Dona gratuita*, & *Mutua* (*Preſte & Preſtanze* ab Italis vocabantur) quorum adhuc nomen honeſtum, at rem gravem nonnulli Populi norunt & ſentiunt. Sive ergo bellum inſtaret, ſive uxor Principi, ejuſve filio ducenda foret; aut collocandæ filiæ; aut cingulum Militare conferendum Domino, illiuſve filiis ac fratribus; aut Civitas, aliudve Caſtrum muniendum, ut ceteras prætercam cauſſas, quarum fœcunda eſt ſemperque erit ambitio, avaritia, & neceſſitas: *Auxilia* ab univerſo Populo, interdum verò ab unis Vaſſallis petebantur atque exigebantur, non ſecus atque tributa. *Mutua* & *Dacias*, quibus Patavinus Populus lacerabatur, ſæpe a Cortuſiis in Hiſtoria commemorari videas, uti & *Preſtantias* a Matthæo Villanio. In Antiquitat. Eſtenſ. Par. I. Cap. 3. Guillielmi Apuli verſus attuli, quibus teſtatur, Robertum Guiſcardum celeberrimum Apuliæ & Calabriæ Ducem Anno MLXXVI. aut ſequenti, quum filiam ſuam Hugoni filio Azonis inclyti Marchionis Eſtenſis conjugem daret, a Comitibus ac Proceribus ſuis *Dona* petiiſſe:

- - - - læti quibus & vir & uxor abire
Donati valeant: nec enim prius Imperiales
Altera cum proles thalamos Michaëlis adiſſet,
Quodlibet Auxilium dederant. - - - -

Quod ſi pro aliquo extraordinario caſu Principi aliquid a Populo bis aut ter pendebatur, ſive Magiſtratibus ac Judicibus a privatis, id in Conſuetudinem abibat; atque ejuſmodi tributa, ſeu ſalaria, aut dona, ſub *Conſuetudinis* nomine exinde colligebantur, ejuſque vocis crebra eſt mentio in veterum monumentis. Et iſtarum ſane Conſuetudinum, ſive immortalium onerum, nulla fortaſſe Civitas eſt, quæ aliquam in ſinu ſuo non alat ac toleret. Neque ignota hæc nomina & onera antiquis. In l. 2. C. de *Offic. Præf. Præt. Afric.* habetur *Notitia Conſuetudinum, quas in ſacro laterculo & in Prætorio pro tempore Dux præbere debet.* Neque Eccleſiaſtica Reſpublica hiſce Conſuetudinibus caruit olim, neque nunc caret. Unum exemplum do ex Diplomate Ludovici II. Auguſti Anno DCCCLXXIII. apud Puricellium in Monumentis Baſilic. Ambroſianæ. *Nullus Pontifex* (ibi legitur) *ullas Præſtationes, vel annuas Donationes, ſeu quaslibet Angarias, & Superimpoſitas Exactiones, contra morem Canonicum, ſive Regularem Conſtitutionem ſuperimponere aut exigere audeat.* Ejuſmodi verò Conſuetudines antiquioribus Sæculis appellatæ etiam fuerunt *Occaſiones*, quod videlicet ea tributa, aut angarias, aut ſportulas, ſive dona invexiſſet alicujus belli, aut publicæ neceſſitatis, aut alicujus iniquitatis *Occaſio*.

Ludo-

Ludovicus Pius Auguſtus in Lege 37. Langobard. *de injuſtis*, ait, *Occaſionibus & Conſuetudinibus noviter inſtitutis, ſicut Tributa ſunt, & Tolonea in media via, ubi nec aqua, nec palus, nec pons, nec aliquid tale fuerit, unde juſte cenſus exigi poſſit, ut auferantur, &c.* Occurrit eadem vox in aliis antiquorum Regum Chartis ac Scriptorum monumentis. Veterum quoque Tributa ac Vectigalia ſæpiſſime *Redhibitiones*, *Publicas Functiones*, *Exactiones*, & *Publica* ſive *Publicaria* interdum appellata invenies, uti & aliquando *Fiſcalia* & *Regalia*, quod jura forent ſive Tributa ad Fiſcum ſive Regem ſpectantia. *Impoſte* ab Italicis dicuntur; hoc eſt angariæ, tributa, ſeu onera impoſita: qua ratione, ut alibi monui, in pactis locationum fieri prohibebatur quævis alia *ſuperimpoſita*, ideſt onus, ſive tributum. Supra deteſtati fuimus impiam Legem, ſive Conſuetudinem, quæ nedum inter Chriſti ſectatores, ſed ne inter homines quidem ſine deteſtatione nominanda foret: hoc eſt, Naufragorum bona ad litus ejecta Fiſco adjudicata fuiſſe. Additum heic volo, nefandum ejuſmodi uſum poſterioribus Sæculis potiſſimum invaluiſſe in Anglia atque in Regno Siciliæ, ut alia loca omittam. Eò humana cupiditas devenit, ut Carolus I. Siciliæ Rex ne Genuenſibus quidem indulgentiam præſtiterit, qui claſſe ſua Anno MCCLXX. ſibi, & Sancto Ludovico Franciæ Regi fratri ſuo, in obſidione Tunetana fidelem operam navarant, atque in litore Siculo una cum Regiis navibus naufragium perpeſſi fuere. Abominandum facinus narrant Annales Genuenſes Caffari Lib. 9. Tomo VI. Rer. Italicarum his verbis: *Porro Rex Carolus naufragio afflictis afflictionem accumulans, extorſit ab omnibus quidquid ex dicto exſtitit naufragio recuperatum, poſt triduum dicens, quod ex Regis Guilelmi conſtitutione & longa conſuetudine, hoc debebat ſuis ſcrineis applicari: defenſiones Januenſium, allegantium conventionem cum ipſo initam, per*

A *quam ſani & naufragi in perſonis & rebus ſecuri in ſolo Regno haberi debebant, penitus non admittens*. Et pauca hæc ſufficiant de Tributis & Vectigalibus barbarici ævi, quæ omnia me nequaquam enumeraſſe pro certo habeo. Hunc etiam campum fœcundiſſimum effecere bellorum neceſſitas, & Reipublicæ conſervatio, cujus nervi ſunt publici reditus; adde, & Principum quorumdam ambitio & crudelitas. Componat nunc eruditus Lector ejus temporis mores cum Romanorum veterum ritibus, immo & cum noſtris: tum rebus bene perſpectis ſtatuat, minora-ne an graviora olim fuerint publica onera. Exploratum quippe eſt, non minus veteres illos, quos tanti facimus, & cum veneratione nominamus, ſagaciſſimos fuiſſe publicorum ſine numero onerum, etiam ſordidorum, inventores, rigidoſque exactores. Quibus autem oneribus nunc Populi graventur, meum inveſtigare non eſt. Sed dum quiſque propria ſentit, aliena verò, ac præcipue vetera ignorat, in ſua facile tempora invehitur, ac Mundum in deteriora ruere ad inane ſui ſolatium clamitat. Argumento huic finem faciam, unum tantummodo addendo, quod imperitis antiquæ Eruditionis mirum videatur, certum tamen habemus a Salviano, locupletiſſimo teſte Sæculi a Chriſto nato Quincti. Nos horremus Gothorum, Hunnorum, Langobardorum nomina. Attamen auctor eſt idem Salvianus Lib. V. de Gubern. Dei, tot Tributis ac oneribus ævo ſuo gravatos fuiſſe Romani Imperii populos, ut eis longe melius foret cum Barbaris & ſub Barbaris eſſe. *Franci*, ait, *hoc ſcelus neſciunt. Chunni ab his ſceleribus immunes ſunt. Nihil horum eſt apud Wandalos, nihil horum apud Gothos. Tam longe enim eſt, ut hæc inter Gothos Barbari tolerent, ut ne Romani quidem, qui inter eos vivunt, iſta patiantur. Itaque unum illic Romanorum omnium votum eſt, ne umquam eos neceſſe ſit in jus tranſire Romanorum.*

DE
ACTIBUS
MULIERUM.

DISSERTATIO
VIGESIMA.

DISSERTATIO VIGESIMA.

AGe verò & de *Mulieribus* aliquid commentemur, ne ille ſexus heic ſe inſalutatum contemtumve putet. Illud primo repetendum eſt, temporibus barbaricis virgines comam aluiſſe, hoc eſt intonſas proceſſiſſe. Liutprandi Regis Leges non ſemel commemorant, *filias in capillo in caſa* relictas. Et Cunibertus Rex, teſte Paullo Warnefridi Lib. 5. Cap. 37. de Geſt. Langobardor. *quum Theodotem puellam eleganti corpore & flavis prolixiſque capillis pæne uſque ad pedes decoratam*, laudari audiſſet, in ejus amorem continuo exarſit. Quæ verba indicare videntur, tunc virgines inceſſiſſe capillis paſſis & nodo tantùm, ut opinor, poſt humeros conſtrictis. Sed nihil obſtat, quin & excogitemus, alias in occipitio crinem collegiſſe, uti mos etiam temporum noſtrorum eſt. Mediolani, Bononiæ, ac alibi adhuc pueri & puellæ appellantur *Toſi*, *Toſe*, *Toſine*, *Toſoni*, & *Toſetti*. Quod quamvis contrarium ſenſum ingerat, hoc eſt, eoſdem *tonſo* ſignificare videatur; attamen arbitror, e corruptione vocis *Intonſi* & *Intonſæ* Langobardicis ſeu Italicas voces iſtas emanaſſe, uti etiam Ferrarius opinatus eſt in Libro de Origin. Linguæ noſtræ. Si *intonſæ* procedebant virgines, ergo ubi marito jungebantur, crinem tondere iis mos fuerit ſecundùm Judaicarum mulierum morem. Diverſa tamen Du-Cangius ſentit in Gloſſario Latin. ad vocem *Capilli*, hæc ſcribens: *Promiſſos crines innuptæ ferebant, nec eos in nodos retorquebant, quod nuptarum erat præſertim apud Langobardos*. Sed niſi teſtes adferantur, hujuſmodi opinioni aſſentiri minime cogimur. Ut enim ajebam, non ideo innuptæ a nuptis diſtinguebantur, quod illæ promiſſos, iſtæ collectos crines deferrent, ſed quod illæ in *capillo*, iſtæ verò *tonſæ* per conſequens incederent. Incertum verò eſt, num feminæ viro traditæ cæſariem tantummodo decurtarent, an potius pæne ad cutem tonderent: quod poſtremum nunc feminæ Judeæ obſervant. Etiam apud Francos veteres plebs maſculina, Gregorio Turonenſe teſte Lib. 3. cap. 18. Hiſtor. Franc. *cæſariem inciſam* gerebant, quum contra prioris ſtirpis Reges comam nutrirent, ac per humeros dimitterent: a quo more diſceſſere Reges Carolinæ ſtirpis: nam & ipſi non ſecus ac Populus, honeſtâ tonſurâ crimen caſtigaverunt. Ceterum nulla mihi dubitatio eſt, quin ſaltem ſubſequentibus Sæculis, immo vix erepto Langobardis Italiæ Regno, ad mores Francorum ſe compoſuerint Italicæ conjugatæ, quæ ſubinde capillos ſolicite aluerint, atque intortos ad capitis ornamentum geſſerint. Fuit & puellarum mos, interulas gerere, ſive ſubuculas. Paullus Diaconus Feſti breviator, *Supperus*, ait, *veſtimentum puellarum lineum; quod & ſubucula, ideſt Camiſia dicitur*. Ridet heic Paullum Joſephus Scaliger, ſcribens: *Camiſiam uſurpat Paullus verbum ſuæ ætatis, ac ſuorum elegantiâ dignum*. Præcipitem Scaligeri ſententiam arguet Victor Vitenſis, qui tanto antea, hoc eſt Anno Chriſti CCCCLXXXVII. de Perſecut. Vandal. Lib. primo, *Camiſias & femoralia* memorat. Immo jam hoc nomen vulgatiſſimum ſuo ævo tradit Sanctus Hieronymus in Epiſtol. ad Fabiolam. En ejus verba: *Volo pro legentis facilitate abuti ſermone vulgato*: hoc eſt Vulgari, qui jam in multis a Latino diſſidebat, ut oſtendam infra in Diſſertat. XXXII. *de Origin. Linguæ Italicæ*. Pergit Hieronymus: *Solent militantes habere lineas* (ideſt veſtes) *quas Camiſias vocant, ſic aptas membris, & adſtrictas corporibus, ut expediti ſint vel ad curſum vel ad prœlia* &c. Quæ ergo a Paullo *Camiſiæ* vocantur, quibus ævo ſuo puellæ utebantur (niſi ad Feſti potiùs ævum ea verba ſint referenda) minime videntur interiores veſtes fuiſſe, quæ nunc ſermone noſtro vulgari *Camicie* nuncupantur, ſed ſuperiores ac patentes, hoc eſt, ut nunc dicimus, *Camicciuole*. Haſce lineas, & albas, adſtrictaſque, ut puto, corpori geſtavere puellæ. Fortaſſis etiam uſque ad talos deſcendebant. In eamdem ſententiam congruit Octavii Ferrarii opinio, qui lib. 3. Cap. 20. de Re Veſtiar. arbitratur, *Supparum* a *Subucula* fuiſſe diverſum, hoc eſt, tunicæ genus, ſuper alia indumenta geſtatum. Quod etiam e ſacra veſte diſcimus, *Albâ* videlicet, quam *Camice* nos appellamus; veteres autem, in primis Gregorius Magnus Lib. 6. Epiſt. 27. & Anaſtaſius in Benedict. III. *Camiſium* & *Camiſiam* nuncuparunt. Adde Alcuinum in Lib. de divin. Offic. *quam Camiſiam dicimus vel Supparum*. Atqui omnes norunt, *Camiſiam* hanc, ſive *Albam* ſupra ceteras veſtes in ſacris deferri, atque ad talos deſcendere. Græci verò ſignificaturi interulam ſive Subuculam, quæ tunicæ ſuberat, & corpori inſidebat, uſi ſunt voce ὑποκάμισα, ideſt *ſubcamiſia*, ut diſtinguerent a *Camiſiis*, quæ ſuperinduebantur aliis veſtibus. Anaſtaſius in vita Sancti Johannis Eleemoſynarii: *dicebat ſemper, quod poſſet expoliare divites, & ipſum etiam hypocamiſum ab eis benevole auferre*.

Ad Sponſalia quod attinet, olim mos fuit, Romæ ſaltem, & quidem Sæculo IX. ut vir fidem ſuam de ducenda in uxorem femina confirmaret, annulo ei in digitum immiſſo: quod nunc in ipſa tantùm benedictione matrimonii peragitur. Quum verò ante Sacerdotem conjugium celebrabatur, tam viro quàm feminæ *Velum* quoddam ſacratum ſuper eoſdem extendebatur in ſignum pudoris & conjugalis pudicitiæ ſervandæ. Ad ſecundas nuptias progreſſi, ejuſmodi Velamine carebant. Coronę etiam utrique conjngi imponebantur, quibus ornati procedebant ad maritales ædes. Hæc nos docuit Nicolaus I. Papa in Reſponſ. ad Conſulta Bulgaror. Cap. 3. ubi interrogatus, quæ conſuetudo ſervanda eſſet in nuptiis, ait: *Noſtrates tam mares quàm feminæ nullam ligaturam auream aut argenteam, aut ex quolibet metallo compoſitam, quando nuptialia fœdera contrahunt, in capitibus deferunt. Sed poſt Sponſalia, quæ futurarum ſunt nuptiarum promiſſa fœdera, quæque conſenſu eorum, qui hæc contrahunt, & eorum, in quorum poteſtate ſunt, celebrantur, & poſtquam arrhis Sponſam ſibi Sponſus per digitum fidei a ſe Annulo inſignitum deſponderit, dotemque utrique placitam Sponſus ei, cum ſcripto pactum hoc continente, coram invitatis*

tatis ab utraque parte tradiderit &c. ambo ad nuptialia fœdera perducuntur. Et primum quidem in Eccleſia Domini cum oblationibus, quas offerre debent Deo per Sacerdotis manum, ſtatuuntur; ſicque demum benedictionem & Velamen cæleſte ſuſcipiunt &c. Verumtamen Velamen illud non ſuſcipit, qui ad ſecundas nuptias migrat. Poſt hæc autem de Eccleſia egreſſi Coronas in capitibus geſtant, quæ ſemper in Eccleſia ipſa ſunt ſolitæ reſervari &c. Antiquiſſimus autem erat ritus *Annuli* in Sponſalibus dandi, iſque a Tertulliano in Lib. de Cultu Feminarum appellatur *Annulus pronubus*. Romanos Ethnicos eodem ritu uſos legimus. A ſancto Ambroſio *Flammeum nuptiale nuptiarum* commemoratur in Lib. de Virginitate Cap. XV. quo nomine Velamen illud deſignatum videtur, cujus eſt mentio apud Nicolaum Papam. Idem Ambroſius Epiſtol. 19. ait: *Quum ipſum conjugium Velamine Sacerdotali & Benedictione ſanctificari oporteat* &c. Quatuor homines ad quatuor angulos ejuſmodi *Velum* (quod etiam *Pallium* appellavere) tenebant. Per manus autem Sacerdotis *Coronæ* novorum Conjugum capitibus imponebantur, eæque turritæ eſſe conſueverunt, atque ex floribus. Quem morem a Græcis & Romanis acceptum, uti Paſchalius Lib. 2. Cap. 16 de Coronis oſtendit, veluti innocentem retinuere Chriſtiani. In contrahendo etiam matrimonio dexteras, uti nunc, ita olim vir & mulier, jungebant, uti idem Tertullianus & Nazianzenus teſtantur. Denique a Sacerdote monebantur, ut ob reverentiam Sacramenti eo die & ſequenti nocte a commercio carnali abſtinerent. Immo erant, qui per biduum & triduum ſubſequens obſervandam indicerent continentiam: quod ſane durum carnalibus noſtrorum temporum hominibus videretur. Quum verò ad mariti domum novæ nuptæ traducebantur, pluribus etiam quam nunc tripudiis, majorique pompâ, res peragebatur. In Lege 6. Aiſtulphi Langobardorum Regis Part. II. Tomi II. Rer. Italicar. hæc leguntur: *Pervenit ad nos, quod dum quidam homines ad ſuſcipiendam Sponſam cujuſdam Sponſi cum Paranympha & Troſtingis ambularent, perverſi homines aquam ſordidam & ſtercora ſuper ipſam jactaſſent* &c. Multam gravem talia in poſterum audentibus Rex indicit. Langobardi enim id obſervaſſe videntur, quod nunc Britannica gens religioſe tuetur: videlicet ubi delictum novum emergit, cui pœnas hucuſque diſertis verbis non præſcripſerint Leges, impune abit; & nova Lex condenda eſt, ne in poſterum caſtigationem effugiat. Qui *Troſtingi* appellantur in Langobardica Lege, *joculatores, qui ſaltare noverunt*, a Papia in Lexico, atque ab aliis creduntur. Equidem in Notis de vi iſtius vocis dubitavi, & adhuc dubito, quamquam certum mihi ſit, nuptias iis temporibus multis luſibus fuiſſe celebratas. Vide quæ de *Trutanis* dicam in Diſſertatione XXIX. *de Spectaculis*.

Quanta autem pompâ Reges ac Principes ſuas agerent nuptias, multis oſtendere poſſem, & aliquid etiam innui in prælaudata Diſſertatione. Sed alio properandum. Illud tantummodo hinc intelligere liceat, minores etiam, proportione dignitatis ac virium ſpectatâ, in ſuis nuptiis ludos, convivia, & luxum procuraſſe. Apud Lombardos præcipue Sæculo XIV. & XV. mos fuit Oratorem adhibere, qui in ſolemni aut Sponſalium, aut ipſius Matrimonii contractu, Epithalamium recitabat coram cognatis, civibuſque in paternas Sponſæ ædes coactis. Hoc eſt, Orationem, quâ is effundebatur in laudes geminæ Familiæ, atque adoleſcentis utriuſque. Duo ex hiſce Epithalamiis in commendationem ampliſſimæ Borromeæ gentis dedi ego Tomo 2. Anecdotor. Latinor. Multum auri ejus pompæ occaſione in veſtibus, monilibus, conviviis, ædium ornamentis, ludis, aliiſque hujuſmodi luxus & gulæ profuſionibus per dies multos a viro impendendum erat. Sed neque amici & cognati contributione immunes abibant. Namque in conſuetudinem abiit, ut unuſquiſque aut Sponſo aut Sponſæ munera offerret, eaque præſertim in Principum ac Magnatum nuptiis magnifica fuere. Vide quæ Aliprandus in Chronico Mantuano heic evulgando refert. Vide ſupra memoratam Diſſertationem *de Spectaculis*. Sed ejuſmodi, ut ita dicam, vectigalia, quod nimium incommodi volentibus, graviuſque nolentibus afferrent, Legum conditores tamdem interdicere æquum putarunt. In Statuto Mediolanen. Part. 2. Cap. 455. hæc leguntur: *Quum mulier fuerit Sponſa, vel Matrimonio copulata, nullus, excepto Marito vel Sponſo, debeat eidem munus nec munera offerre in publico nec occulto, ſub pœna* &c. Neque ejuſmodi donorum profuſionem recentem putes. Memorantur enim in Rotharis Langobardorum Regis Lege *exenia Nuptialia*, quæ Sponſæ quidem offerebantur, ſed in jus Mariti cedebant. *Si quando* (en verba Legis 184.) *pater filiam, aut frater ſororem ſuam alii ad uxorem tradiderit, & aliquis ex Amicis accepto* (an excepto?) *Exenio ipſi mulieri aliquid dederit, in ipſius ſit poteſtate, qui mundium de ea fecit*. Modus tamen iſte loquendi ſat prodit, rarò ac moderate dona tunc fuiſſe collata in nuptiis. Res deinde in exceſſum abiens, tamdem rerum moderatores ad frenum adhibendum compulit. Quæ verò Dos ſecundùm Romanam Legem a parentibus tradenda eſſet, probe norunt qui Juriſprudentiæ dant operam. Quid a Langobardis, tantummodo inquirimus; nam ad eorum Legem ultra Sæculum XII. major Italici Regni pars ſeſe compoſuit. Nihil de Dote conſtitutum habemus in Langobardicis Legibus. Parentes filiabus, aut fratres ſororibus pro arbitrio ſuo dona conferebant, eaque *Phaderphium* appellavere, quaſi in his ſita eſſet *paterna hereditas*; ita enim hoc nomen ſonat. Qualiſcumque autem foret iſta largitio, hereditatis loco futura erat filiabus in bonis paternis. Audi Legem 181. Rotharis Regis: *Si quando pater filiam ſuam, aut frater ſororem ſuam legitimam alii ad maritum dederit, in hoc ſit ſibi contenta de patris aut fratris ſubſtantia, quantum ei pater aut frater in die traditionis nuptiarum dederit, & amplius non requirat*. Idem Rotharis quid *Phaderphium* fuerit, explicat in Lege ſequenti, ubi: *habeat ipſa mulier*, (viro viduata) *Morgengap, & quod de parentibus eius adduxerit Phaderphium*. Apertius hæc in Lege 199. ejuſdem Rotharis, ubi de vidua ad domum patris regreſſa: *De Faderfio autem, ideſt de alio dono, quantum pater aut frater dederit ei, quando ad maritum ambulavit, mittat in confuſum cum aliis ſororibus*. Dotes autem a parentibus aut fratribus traditæ antiquis temporibus exiguo, aut nulli incommodo familiæ erant, quippe modicæ, aut ſaltem moderatæ, quales adhuc Germanica gens conferre ſolet. Ab horum moribus diſceſſere, ut nemo neſcit, recentiores Itali, qui in filiis collocandis

dis domum exhaurire coguntur, & quandoque ut tantum onus excutiant, eas volentes, utinam non & nolentes, Parthenoni commendant.

Contra a viris mulier non parvo, ut ita dicam, emi videbatur; quod & Thucidides in Hiſtoria, & Ariſtoteles in Politicis olim a Græcis factum, literis prodidere, ita ut eorum Nuptiæ ſpecies quædam emtionis & venditionis eſſent. Tacitus quoque de Germanorum moribus ait: *Dotem non uxor marito, ſed maritus uxori affert*. Nam primò vir *Metam*, ſeu *Methium*, aut *Mephium* (ita enim varie effertur, aut corrumpitur in Libris veterum vox iſta) pro femina perſolvebat. Deinde verò eidem conſtituebat *Morgincab*, ſeu *Morgincap*, ſeu *Morgangeba* (quippe & iſta vox, æque ac altera, Germanica, non unâ ſcribebatur ratione). Utriuſque donationis mentio eſt in Lege 49. Liutprandi Regis Lib. 6. *Nulli ſit licentia conjugi ſuæ de rebus ſuis dare amplius per qualecumque ingenium, niſi quod ei in die votorum in Methio & Morgincap* dederit. Utramque vocem explico. Langobardi quoque meditantes, quanta ſit feminæ mentis infirmitas, & levis in muliebri ſexu rerum experientia, & fraudibus obnoxia credulitas, decreverunt, ne qua Mulier eſſet, quæ ſub alicujus Viri tutela, protectione, & quadam poteſtate viveret, ita ut ſine conſenſu tutoris ejuſdem irriti eſſent feminæ contractus, alienationem rerum reſpicientes. Tutela hujuſmodi *Mundium* appellabatur a Saxonico *Mund*: & vir ille, ad quem ſpectabat mulieris patrocinium atque defenſio, *Mundualdus* vocari conſuevit. *Mundualdi* a natura erant, quod eſt ad filias, Pater: eo deficiente, Fratres; ac ſubinde Agnati. Filii quoque maſculi *Mundualdi* interdum fuere Matris. Mulieris nuptæ fere ſemper Maritus. Quod ſi nemo alius eſſet, ad quem patrocinium feminæ pertineret, *Curtis Regia*, hoc eſt Fiſcus, ſive Rex, id curæ ac oneris ſuſcipiebat. En Rotharis Legem 205. *Nulli Mulieri Liberæ ſub Regni noſtri ditione, Lege Langobardorum viventi, liceat in ſuæ poteſtatis arbitrio, ideſt ſine Mundio, vivere, niſi ſemper ſub poteſtate virorum, aut certe Regis* (alii Codices habent, *aut poteſtate Curtis Regis*) *debeat permanere. Nec aliquid de rebus mobilibus aut immobilibus ſine voluntate ipſius, in cujus Mundio fuerit, habeat poteſtatem donandi aut alienandi*. Langobardicæ hujus conſuetudinis adhuc veſtigia ſuperſunt in Statutis aliquot Urbium Italiæ, ac præcipue in Regno Neapolitano, ubi diutius ac tenacius quàm alibi Lex Langobardorum obſervata eſt. Johannes Villanius Lib. 2. Cap. 9. Hiſtor. ut ex additamentis a me editis conſtat Tomo XIII. Rer. Italicar. hæc habet: *E feciono la Legge, che ancora ſi chiama Longobarda; e tengono ancora e' Puglieſi, e gli altri Italiani in quella parte, dove danno Mondualdo, overo il volgare Monovaldo alle Donne, quando s'obbligano in alcun contratto; e fu buona e giuſta Legge*. Quum verò nubebat alicui femina, non continuo fiebat, ut vir *Mundium* uxoris conſequeretur; ſed opus erat ut illud, ut ita dicam, emeret a Mundualdo priori, ſive is pater, ſive frater, aut alius agnatus uxoris eſſet; atque in eam rem pretium concordi voluntate partium ſtatuebatur. Pretium hujuſmodi *Meta*, *Mephium*, *Methium* appellatum videas in Legibus Langobardicis: quam vocem Gloſſographi *donationem ſponſalitiam, vel nuptialem* interpretantur. Ego *ſponſalitiam* po- A tius arbitror: nam uti Lex 178. & ſubſequens Regis Rotharis indicat, quo die *Sponſalia* celebrabantur, *Metam* quoque ſtatui, ſæpiſſime etiam perſolvi conſuevit. Sed quod ii donationem vocant, liceat etiam appellare emtionis ſpeciem; nam ut Martinius & Voſſius opinati ſunt, vox *Meta*, & *Methium* a Saxonico *Meden* conflata videtur: quod eſt *mercede conducere*. Sed ſive donatio ſive emtio fuerit, *Meta* hæc in dotem mulieris cedere conſuevit, ſive id ſecundùm leges foret, ſive ex largitione patris, fratrum, aliorumve agnatorum fieret. Quod ſi decedebat vir, pergebat vidua eſſe in *Mundio*, ſive ſub poteſtate illius, qui heres mariti erat. Illâ verò ad ſecunda vota tranſeun- B te, ſecundus maritus, ſi Mundium uxoris ſuum facere cupiebat, ut eſt in Lege 182. Rotharis, *de ſuis propriis rebus medium pretii, quantum fuerit dictum, quando eam primus maritus ſponſavit, pro ipſa Meta, dare debebat ei, qui heres proximus mariti prioris eſſe inveniebatur*. Hiſce poſitis rectius, quàm olim fecerim, explicandam ſumo Legem 161. Rotharis, cujus hæc ſunt verba: *Si fuerint filii legitimi, & filii naturales, & ſorores tam legitimæ, quàm naturales, pro Mundio eorum tollant filii duas partes, naturales verò tertiam partem*. Quod noluerim variantes omnes lectiones Codicis Eſtenſis in editionem Legum Langobardicarum Part. II. Tomi II. Rer. Italicar. inferre, adhuc C Lex iſta emendatione indiget. Non *eorum* ſcribendum eſt, ſed *earum*; neque enim *Mundium* maſculorum fuit, ſed feminarum. Et ſane in eodem Codice Eſtenſi aperte legitur *pro Mundio earum*. Adhibenda quoque eſt eadem correctio præcedenti Legi 160. ubi legitur: *Pro Mundio autem tollant naturales* &c. Codex Eſtenſis præfert, *pro Mundio autem ſupraſcriptarum tollant* &c. ideſt Sororum.

At mirum tibi videatur, maritos ad conquirendum ſibi uxorum ſuarum *Mundium* erogaſſe pecuniam. Mirari deſinas, ubi recogites, nunc etiam pleriſque in locis familiares eſſe donationes cauſsâ nuptiarum a viris factas. Immo & apud antiquiſſimos Populos in uſu fuiſſe, ut vir D mulieri dotem conſtitueret, aut donum pro ſua conditione decentiſſimum conferret, diſcimus e ſacratiſſimis veteris Teſtamenti Libris, atque e profanis Scriptoribus Homero, Diodoro, ac aliis, quos commemorare nihil opus eſt. Ritum hunc Turcæ adhuc obſervant. Quare mulierem per quamdam coëmtionis ſpeciem conquirere ſibi vir videbatur. Secundùm Legem Salicam *ſolido & denario* deſponſabatur femina, hoc eſt perſoluto pretio, quod in illius dotem convertebatur, aut in jus parentum tranſibat. Ad hæc e Mundio ſibi comparato multum utilitatis reportare poterant viri. Nam decedentibus uxoribus poſt acquiſitum Mundium ſine filiis, Mariti ſecundùm Leges ſucce- E debant. Liutprandus Lib. 2. Lege 8. *Si autem contigerit illam mori, quæ jam nuptui tradita eſt, tunc ille ei ſuccedat, qui eam per Mundium ſuam fecit*. In Henrici quoque Primi Auguſti Lege Langobardicâ conſtitutum fuit, ut *uxori ſine filiis amborum decedenti* vir ex aſſe ſuccederet. Fratres etiam, ut nuper vidimus, propter Mundium Sororum portionem hereditatis paternæ capiebant. Quod ſi quis Mulierem aut interimebat, aut lædebat, aut calumniâ appetebat, aut in ſacramentum mittebat, pœna reo impoſita pendenda erat iis, *ad quos Mundium de ea pertinebat*. Alia emolumenta prætereo: ſed unum certe præterire ne-

natas eſſe. Nimirum ſi puella libera, aut vidua alteri *ſponſata*, ſponte quidem, ſed *ſine voluntate patris, vel fratris, vel ejus, ad quem Mundium pertinebat*, viro alicui Libero per matrimonium copulabatur, tunc *maritus*, qui *eam in uxorem acceperat*, mulctabatur a Lege, hoc eſt Solidos viginti *componere* cogebatur habenti Mundium mulieris, idque *pro anagrip*, idest pro culpa præſumtionis, & alteros viginti *propter faidam*, hoc eſt ne agnati inimicitiam alerent, ac de eo vindictam ſumerent. Id conſtat ex nonnullis Legibus Rotharis & Liutprandi; e quibus iſte etiam ſtatuit Lege 61. ut ſi ejuſmodi puellæ ſua ſponte nubenti *Meta nec promiſſa nec data fuerit, & contigerit ut Maritus ipſe moriatur, antequam de ea Mundium faciat, contenta ſit ipſa Mulier, nec poſſit poſtea Metam quærere ab heredibus ejus*. Ceterum eâdem Lege Langobardorum ſtatutum fuit, ut ſi puella *ſine voluntate parentum*, ideſt patris, aut fratrum, aut agnatorum, nuberet, qui eam duxerit, Solidos eoſdem componat. Viduæ verò licebat alteri, libero tamen, pro ſuo arbitrio nubere ex Lege 182. Rotharis. Et quoniam humanum genus novos in dies procreat exceſſus, quum abundare cœpiſſent viri, qui blanditiis fœminarum excæcati *Metas* eis immodicas conſtituebant, interceſſit idem Liutprandus, ac modum prodigalitati poſterorum poſuit. Digna eſt, quæ integra huc referatur illius Lex 35. Lib. 6. *Si quis*, ait, *conjugi ſuæ Metam dare voluerit, ita nobis juſtum eſſe comparuit, ut ille, qui eſt Judex* (ideſt Comes, aut de numero Magnatum) *dare debeat, ſi voluerit, Solidos CCCC. amplius non. Et reliqui Nobiles homines dare debeant Solidos CCC. amplius non. Et ſi quiſcumque alter homo minus dare voluerit, det quomodo convenerit*. Explicatione minime indiget Lex iſta.

Verùm ne ſic quidem cupiditati Mulierum factum eſt ſatis. Iis præterea *Morgincap*, quod ſupra nominavimus, a pleriſque maritis conſtituebatur. *Donum matutinale* ea vox ſignificat. Hoc eſt, invecta ſenſim conſuetudo fuit, ut Mariti remuneraturi Uxores ob labores, primâ nocte conjugii exantlatos, primo mane eis donum nuptiale conferrent, non gemmam, non veſtem, non alias mundi muliebris nugas, ſed portionem fortunarum ſuarum. Et ea quidem donatio diverſa a *Meta* fuit: nam in Lege V. Aiſtulphi Regis *Meta* & *Morgincap* dilucide diſtinguuntur. Irrepſerunt & hic vitia multa: quare ſuum cenſuit Liutprandus Rex, uxorios viros cohibere, ne in ſtultas donationes rapi ſe ſinerent. Vide Legem primam Lib. 2. ubi hæc habentur: *Si quis Langobardus Morgincap conjugi ſuæ dare voluerit, quando ſibi eam in conjugem ſociaverit, ita decernimus, ut aliâ die ante parentes & amicos ſuos oſtendat per ſcriptum a teſtibus roboratum, & dicat: Quia ecce quod Conjugi meæ Morgincap dedi: ut in futuro pro hac cauſa perjurium non incurrat. Tamen ipſum Morgincap volumus, ut non ſit amplius, niſi quarta pars de ejus ſubſtantia, qui ipſum Morgincap dedit. Si quidem minus dare voluerit de rebus quàm quarta pars ſit, habeat in omnibus licentiam dandi quantum voluerit. Nam ſuper ipſam quartam partem dare nullatenus poſſit*. Si opinari licet, ſpes iſta, colligendæ nempe a viro, qui ſibi contingeret, tam profuſæ donationis, ſolicitas admodum efficiebat ejus temporis puellas, ut intactam ſervarent, illæſamque ad thalamum deferrent virginitatem ſuam, ne Marito cauſſa præberetur abſtinendi a *dono matutinali*. Nam uti ex hac ipſa Lege ſatis elucere videtur, *Morgincap* non ante, ſed poſt nuptias ac maritales amplexus, fœminæ jam *Conjugi* conſtituebatur. In more autem fuiſſe puto, ut plerumque viri longe ante ipſum nuptialem diem ac præcipue Sponſalium die, donum ejuſmodi pollicerentur. Sed Charta nequaquam ſcribebatur, niſi poſt conſummatum matrimonium. Neque deerant, qui promiſſa fraudantes, *perjuri* propterea appellabantur. Erat enim *Morgincap* gratuita & voluntaria donatio. Et ipſis etiam Francis familiarem fuiſſe *Morgincap*, animadverterunt Gallandius in Tractatu de Franco-Alodio, & Baluzius in Notis ad Capitularia. Quam in rem celebris eſt locus apud Gregorium Turonenſem Lib. 9. Cap. 20. Hiſtoriæ Franc. ubi referuntur pactiones Anno DLXXXVIII. initæ inter Childebertum & Guntchramnum Reges. En verba: *De Civitatibus verò, hoc eſt, Burdegalâ, Lemovicâ* &c. *quas Galeſuindam germanam Domnæ Brunichildis tam in Dote quàm in Morganegiba, hoc eſt, matutinali dono* (fortaſſe Gloſſema referunt hæc verba) *in Franciam venientem certum eſt adquiſiſſe*. Baluzius autem Chartas producit, in quibus viri donant *quartam portionem* bonorum ſuorum *dilectæ Conjugi ſuæ*; atque adeo videmus, Chartam & conſtitutionem Morgincap celebrari conſueviſſe *aliâ die poſt noctem nuptialem, qui eſt dies votorum noſtrorum*, ut habet Charta ab eodem Baluzio laudata. Dixi licuiſſe viris *quartam partem*, neque ultra, de propriis fortunis dono dare uxori. Attamen & *tertiam* datam fuiſſe diſcimus e Charta Anni DCCCLXXIII. quam addidi Chronico Caſaurienſi Part. II. Tomi II. Rer. Italicar. pag. 939. Ibi traditur Monachis Caſaurienſibus *quicquid eidem Gundi uxori quondam Juſtonis pertinebat a parte viri ſui, videlicet tertiam portionem de omnibus rebus ſupraſcriptis, quæ ei in die votorum Vir ſuus dederat*. Tantæ liberalitati Lex obſtabat: verùm iſte vir aut a Principe impetrarat facultatem excedendi, aut Legem ipſam conculcaverat. Ceterum e Chartario ejuſdem Cœnobii Caſaurienſis Baluzius in Appendice ad Tom 2. Capitularium pag. 1550. Libellum protulit, Anno Chriſti MXLIV. ſcriptum, in quo Johannes filius quondam Dominici donat Miczæ filiæ quondam Johannis, Conjugi ſuæ *Quartam portionem de omnibus rebus proprietatis ſuæ*. Nunc in Regno Neapolitano, ſecundùm Leges Pragmaticas, quæ mulier lucro dotali (*Antefatto* appellant) poſt viri mortem frui cupit, crinem ſibi abſcindere jubetur, eumque ſuper defuncti mariti loculum componere. Hujus moris nullum apud antiquiores veſtigium reperi. Ad *Morgincap* redeo. Procedente tempore alia apud Italos invecta eſt conſuetudo. Nam quum præviâ experientiâ Mulieres didiciſſent, plures viros, poſtquam ſua vota nuptiali nocte complerant, a pollicitis receſſiſſe, neque amplius adduci ſe paſſos ad eam donationem faciendam: idcirco ut ſuis rebus cautius proſpicerent, ante ipſas nuptias Chartam *Morgincap* ſibi conſcribendam curabant. Non unam ex hiſce Chartis legi ego in Tabulario Canonicorum Mutinenſium; ſed unam tantùm adferam inde depromtam.

Con-

Conſtitutio Morgincap facta a Guidoto filio Villani Nomencalæ ſponſæ ſuæ, Anno 1185.

In nomine Domini noſtri JeſuChriſti. Anno a Nativitate ejuſdem MCLXXXV. quintodecimo Kalendas Decembris, Indictione III. Dilecta valde atque amabilis mihi ſemper Nomencale filia Guaſconi de Montielariculo, honeſta femina, Sponſa mea. *Ego quidem in Dei nomine Guidotus filius quondam Vilani de predicto loco, qui profeſſus ſum ex natione mea Lege Langobardorum vivere, Sponſus & dator tuus præſens præſentibus dixi: Manifeſta cauſa eſt mihi*, quoniam die illo, quando te ſponſavi, promiſeram tibi dare juſtitiam tuam, ſecundùm Legem meam in Morgincap, ideſt quartam portionem omnium rerum mobilium & immobilium, quas nunc habeo, aut in antea habuero. Nunc autem, ſi Chriſto auxiliante, te in Conjugio ſociavero, ſupraſcriptam quartam portionem omnium rerum mobilium & immobilium, *ut ſupra legitur*, tuæ dilectioni do, cedo, confero, & per præſentem Cartam Morgincap in te habendum confirmo, ut facias exinde a præſenti die tu & heredes tui, aut cui vos dederitis, quicquid volueritis ex mea pleniſſima largitate.

Actum Montiſclariculi feliciter.

Ego Amricus Notarius ſacri Palatii rogatus interfui & ſcripſi.

Similes ſunt & aliæ Chartæ ejuſdem Tabularii, in quibus animadverteris, Morgincap appellari *juſtitiam ſecundùm Legem*, ita ut non amplius voluntaria, ſed neceſſaria oblatio illa evaſiſſe videatur. Simul etiam deprehenderis, A conſtitutionem Morgincap factam in iis fuiſſe non Conjugi, ſed *Sponſæ*, atque adeo ante nuptias. *Si Chriſto auxiliante, te in conjugio ſociavero*, ibi legitur. Quamobrem ſi noſtri temporis nobiles viri conqueruntur, quod in grave facultatum ſuarum detrimentum ſæpe vergat Uxorem ducere, præterita Sæcula inſpiciant, quibus neceſſe fuit tam caro comparare ſibi thalami ſocium. Ad hæc norint, etiam ſecundùm Jus Romanum vigore Auth. *Præterea C. Unde vir & uxor*, debitam fuiſſe *Quartam* uxori indotatæ in bonis Mariti locupletis: in quam Legem conſulendi ſunt Legum interpretes, Authenticam illam pro more ampliantes, extendentes, limitantes. Illud tamen inter antiqua & noſtra tempora intercedit B diſcrimen, quod Morgincap fere ſemper ſervabatur in domo viri, ſi femina præmoriebatur, aut ſi liberos relinquebat: nunc autem in luxum ac enormem mundum muliebrem dos univerſa diſſipatur atque evaneſcit. Franci verò, ut ſupra e Gregorio Turonenſi innuimus, præter *Morgincap*, *Dotem* futuris uxoribus conſtituebant, quæ *Methii* Langobardici vices impleſſe videtur. Idque ipſis Regibus ac Imperatoribus in more fuit. Eximio Diplomati locus heic eſto, quod ex Archivo Monachorum Caſinenſium Sancti Sixti Placentiæ, ubi archetypum adſervatur, depromtum fuit, eo pluris æſtimandum, quod Campii in Hiſtoria Eccleſ. Placentin. diligentiam effugit.

Ludovici II. Imperatoris Diploma, quo Angilbergæ Sponſæ ſuæ dotalitio nomine duas Curtes donat, Anno 850.

In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Dei æterni. Hludovicus gratiâ Dei Imperator Auguſtus. Conſtat itaque mundanorum Nobilium ordo, & marium inſignium ritus, ut quiſquis ſibi legitimo tramite uxorem maluerit ſociari, & nubendi copulam honeſto decore ſortiri, mores veterum ſequens, talibus ſe erga gratioſiſſimos nuptiarum affectus ornet munificentiis, ut ea, quæ egerit, & Deo placita & futura per tempora humano juri ſolide rata ſtabilitate conſiſtant. Quod jus adeo ſuis decentiis incrementum ſumpſit, ut non ſolùm nobilitas magnorum Virorum, ſed etiam Regum & Imperatorum ſublimitas hujuſcemodi uſibus atque negotiis effectum præbere non ſpreverit. Quapropter omnium fidelium ſanctæ Dei Eccleſiæ, noſtrorumque, præſentium ſcilicet ac futurorum, comperiat induſtria, quia nos divino tacti amore, moremque anteceſſorum noſtrorum piiſſimorum Imperatorum ſequentes, una per conſenſum, & voluntatem noſtrorum Optimatum, hanc dilectiſſimam Sponſam noſtram Angilbergam *nomine juxta Legem Francorum* dotamus, *& eam Domino auxiliante, ad Culmen noſtræ ſublimitatis Uxorem præſentialiter uſque perducere diſponimus. Cujus* dotalicium *ſubter* C *hujus noſtræ Imperialis dignitatis Præcepti pagina ſcribere juſſimus, & futuris temporibus firmum & ſtabile decrevimus manere. Damus igitur tibi amantiſſimæ* Sponſæ noſtræ Angilbergæ Dotalicio nomine *Curtem juris noſtri, quæ dicitur Campomiliacio, cum omnibus adjacentiis ſuis & pertinentiis, ſervis & ancillis utriuſque ſexus, necnon & Curtem, quæ dicitur Curtis-nova, cum omnibus ſimiliter ſuis pertinentiis & adjacentiis, cum ſervis & ancillis utriuſque ſexus, cultum & incultum . . . . . . in integrum, & de noſtro jure & dominatione in jus & dominationem tuam cedimus atque transfundimus, ut ab hodierna die & deinceps habeas, teneas, & poſſideas, & quidquid inde* D *facere tibi libuerit, liberam & firmiſſimam poteſtatem faciendi potiaris, tam de ſupradictis Curtibus, Campo videlicet Miliacio, quæ ſita eſt in Comitatu Motinenſi, & Curte Nova, quæ eſt in territorio Regenſi, quamque & de Capellis ad eaſdem Curtes pertinentibus. Porro ut hæc noſtra Imperialis ceſſio &* Dotalitii *promulgatio noſtris futuriſque temporibus firmior habeatur, & diligentius obſervetur, manu propria ſubter firmavimus, & de Bulla noſtra roborari juſſimus.*

Signum Domni  *Imperatoris Hludovici Auguſti.*

Signum Sigilli olim ✠ appenſi & deperditi.

Adal-

Adalbertus Cancellarius ad vicem Remigii ſcripſi & ſubſcripſi.

Data III. Nonas Octobris, Anno Chriſto propitio Imperii Domni Hludovici piiſſimi Auguſti II. Indictione XIV.

Actum Maringo Curte Regia in Dei nomine feliciter. Amen.

Animadverte Epocham Imperii Ludovici II deductam ab Anno DCCCXLIX quo eum Lotharius Auguſtus pater conſortem Imperii renuntiavit. Quare & ipſe ante Romanam coronationem Imperiali titulo eſt uſus. Habes heic etiam Annum, quo idem Ludovicus, uti recta conjectura ſuadet, Angilbergam duxit, fortaſſe filiam Ludovici Germaniæ Regis. Ceterum Liutprandus Rex, ne dementati viri a feminarum artibus, patrimonium in eas profunderent, edixit, ne cuiquam liceret uxoribus præter *Mephium & Morgincap*, aliquid aliud largiri. *Nulli ſit licentia* (ita ille Lib. 6. Lege 49.) *Conjugi ſuæ de rebus ſuis dare amplius per qualecumque ingenium, niſi quod ei in die votorum in Mephio & Morgincap dederit; & quod ſupra dederit, non ſit ſtabile.* Franci verò legibus ſuis minime vetabantur nova dona in ſinum ſuarum Conjugum effundere. Præſertim verò Imperatrices ac Reginæ, quod Legum civilium freno ſolutæ eſſent, & Mariti omnium maxime opibus affluentes ſibi contigiſſent, ſæpe eos hortabantur, ut liberalitatis ſumam ſibi conquirerent donationibus crebris in ſuas *conthoraales* ſive *contectales*, ita enim Uxores barbarica Latinitate interdum appellarunt. Quam ſapienter ejuſmodi conſilio, virique ſui tenero corde profecerit Angilberga Auguſta nuper laudata, ex aliis monumentis in hoc ipſo Opere evulgatis intelliget Lector: percipietque rurſus ex altero, quod ſum editurus, deſcripto ex eodem Archivo Sancti Sixti Placentini, ubi vetuſtum apographum viſitur.

Donatio Sexti, Leocarni, & Atticiani facta Angilbergæ Auguſtæ Conjugi ſuæ a Ludovico II. Imperatore, Anno 870.

In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Hludovicus divina ordinante providentia Imperator Auguſtus. Univerſorum ſanctæ Dei Eccleſiæ fidelium tam præſentium quamque & futurorum noverit ſolertia, nos per hoc noſtræ munificentiæ Imperiale Præceptum conceſſiſſe ac æternaliter confirmaſſe ſub perpetua dominatione *dilectæ* Conjugi noſtræ, *cariſſimæ ſcilicet* Auguſtæ Angilbergæ Sextum *Cortem noſtram in Comitatu Cremonenſi, ſed & Cortem noſtram* Leocarni *in Comitatu Stationenſi, ſimulque* Atticianum *Cortem noſtram in Comitatu Dianenſi. Ipſas Cortes, Sextum videlicet, Leocarni, & Atticianum cum omnibus appendiciis & pertinentiis earum, cum familia diverſi ſexus & ætatis, cum univerſis rebus intrinſecus & extrinſecus tam mobilibus integriter quamque & immobilibus ad eaſdem Cortes reſpicientibus, Maſſariciis, Aldionaticiis, Libellariis, Judiciariis, Conditionariis, Vicarialibus, Alpibus, Piſcariis ubicumque & quantumcumque ex antiquo earumdem dominio conſuetudinario more pertinuiſſe dinoſcitur, omnia & in omnibus jam dictæ Auguſtæ amabili Conjugi noſtræ ex hoc nunc & in poſterum mancipamus ac ſtabilimus jure proprietario habendas, tenendas, poſſidendas, & fruendas ac dominandas, & quicquid exinde elegerit & voluerit, ſibique placuerit in vita & poſt mortem, in omnibus perpetuam habeat poteſtatem faciendi. Si quis vero, quod non credimus, huic noſtræ Imperiali præceptioni contraire, aut in aliquo moleſtari temtaverit, primitus Dei omnipotentis incurrat iram. Deinde ſancimus, ut componere cogatur centum Libras auri probatiſſimi ei, cui moleſtari non erubuit. Et hæc noſtra præſens conceſſio, ſicuti conſtituimus, inviolata permaneat. Unicuique vero noſtrorum ſucceſſorum, qui per tempora fuerint, interdicimus, & ſub divina invocatione adjuramus & atteſtamur, ut noſtræ deliberationis facta, ut a nobis edita ſunt, ita ſinant rata irrefragabiliter, ſempiternaliterque permanere. Si vero, quod non credimus, noſtrum irruperint, ſentiant in præſenti ſeveritatem æterni Judicis, & in futuro cum Juda veritatis proditore ſempiternam luant combuſtionem.* Et ut pleniorem hæc noſtra præſens donatio *atque conceſſio obtineat vigorem, veriuſque ac firmius ab univerſis credatur & obſervetur, manu propria ſubter eam firmavimus, & Bullis noſtris roborari præcepimus.*

Signum  *Domni Hludovici ſereniſſimi Auguſti.*

Ego Gauginus juſſu piiſſimi Auguſti Domni Hludowici ſcripſi & ſubſcripſi.

Actum Capua Civitate IV. Nonas Julii.

Data Anno, Chriſto propitio, ſereniſſimi Auguſti Domni Hludowici XXVIII. Indictione III. in Dei nomine feliciter. Amen.

Comitatus Stationenſis heic memorati nomine, uti in ſubſequenti Diſſertatione animadvertemus, ſignificatur *Anzeriæ* Oppidum ad Verbani oras in Mediolanenſi agro, ac ſub ditione præclariſſimæ Borromeæ gentis ſitum. Quid verò fuerit *Comitatus Dianenſis*, decernere neutiquam auſim. In ora Occidentali Genuenſis Reipublicæ *Dianum* Caſtrum jacet, uti

uti & alterum in Monteferrato prope Albam: ſed fieri poteſt, ut neutrum heic deſignetur. Ad notas Chronologicas Diplomatis hujus quod attinet, *Indictio III.* Annum Chriſti indicat DCCCLXX. Verùm ab eo Anno abhorret *Annus XXVIII.* Imperii, ſive Epocham Ludovici II. deducas ab Anno DCCCXLIX. ſive a ſubſequenti DCCCL. aut etiam ab Italici Regni exordio; ita ut irrepſiſſe mendum hunc dignoſcamus, incuriâ primi librarii, aut poſtremi, qui Diploma mihi deſcripſit. Et Capuæ quidem Anno DCCCLXX Ludovicus II. egiſſe potuit, quidquid contra dubitaſſe videatur Peregrinus in Hiſtor. Princip. Langobardor. pag. 275. Tomi II. Rer. Italicar. Part. I.

A Eidem Ludovico Auguſto frater fuit *Lotharius Lotharingiæ Rex*, Princeps ob repudiatam *Theotbergam* legitimam Conjugem, ac ſuperinductam Waldradam pellicem in Hiſtoria Eccleſiaſtica famoſus. Cenſuris Eccleſiaſticis territus Lotharius Anno DCCCLXV. Theotbergam recepit, atque ut eam deliniret, collatis donis certavit. Tabulas donationis adſervat adhuc prælaudatum Placentinum Cœnobium Monachorum Sancti Sixti eâ, ut puto, de cauſâ, quod Lotharius ipſe repentino fato ſublatus, in ea Urbe tumulatus eſt; ipſa verò Theotberga munificentiam ſuam explicavit in ipſas Placentiæ Eccleſias, uti monumenta a Campio exhibita nos docent.

Diploma Lotharii Regis Lotharingiæ, quo Theotbergæ Conjugi ſuæ quaſdam Villas in variis Comitatibus ſitas concedit, Anno 867.

IN nomine omnipotentis Dei & Salvatoris noſtri Jheſu Chriſti. Hlotarius divina perveniente clementia Rex. Regalis celſitudinis moris eſt, fideliter ſibi famulantibus donis multiplicibus & honoribus ingentibus honorare, atque Regiæ ſublimitatis liberalitate ditare. Proinde noverit omnium Fidelium ſanctæ Dei Eccleſiæ, ac noſtrorum, præſentium videlicet & futurorum ſolertia, quia placuit largitati noſtræ celſitudinis Teotbergæ dilectiſſimæ noſtræ *quaſdam res noſtræ proprietatis ad proprium conferremus: ideſt in Pago Gracianopolitano* Bellinſua, *in Mauriacenſe, Januenſi, Lauſonenſi, Amauſenſi, Scudenſi, nec non & in Pago Luglunenſe* Villas, *quorum ſunt hæc vocabula*: Cavurnum, Lemningum, Novelicium, Mariacum, Aquis, Ariacum, Sugenadum, Primiacum, & Montem Sancti Martini, Anerſiacum, Belmontem, Talgurium, Ducziadum, Marlindum, Virilgum, Durerium, Toducium, Columnam, Haltingum, Montiniacum, *& quicquid ex ipſis rebus in* Groſona B *ſitæ ſunt, quatenus eas perenni jure ad proprium pertineat. Sed ut liberalitatis largitio rata & inconvulſa permaneat, hos excellentiæ noſtræ apices fieri juſſimus, per quos memoratæ Teotbergæ dilectiſſimæ noſtræ præfatas Villas in jam dictis Pagis conſtitutas ſub omni eorum integritate, appendiciis videlicet, Eccleſiis, domibus, ceteriſque ædificiis, terris cultis & incultis, vineis, ſilvis, campis, pratis, paſcuis, aquis, aquarumque decurſibus, molendinis, exitibus, & regreſſibus, totum & ad integrum, quicquid ad eaſdem Villas pertinere dinoſcitur, ad proprium tribuimus, & de jure noſtro ad dominationem ipſius transferimus, ita videlicet, ut quicquid ab hodierno die & deinceps ex eiſdem* C *rebus facere voluerit, liberam ac potiſſimam in omnibus habeat poteſtatem faciendi quicquid elegerit. Et ut hæc noſtræ largitionis auctoritas pleniorem in Dei nomine obtineat vigorem, manu propria ſubter firmavimus, & anuli noſtri impreſſione aſſignari juſſimus.*

Signum  *Hlotharii glorioſi Regis.*

Hrodmundus Notarius ad vicem Grimblandi recognovi.

Data XVI. Kalendas Februarii Anno, Chriſto propitio, Regni Domni Hlotharii glorioſi Regis XI. Indictione XV.

Actum Aquiſgrani Palatio Regio, in Dei nomine feliciter. Amen.

Hinc autem elucere videtur, quouſque ſe protenderet Lotharii Regnum, cui tempore illo, hoc eſt non ſub Lothario I. Auguſto, ſed ſub iſto Lothario ejus filio impoſitum fuit *Lotharingiæ* nomen. Amplificatum hoc Regnum ſubinde fuit poſt obitum fratris ſui Caroli Provinciæ Regis, qui Anno DCCCLXIII. improlis diem clauſit extremum, atque hereditatem reliquit, diviſam poſtea inter Ludovicum II. Auguſtum, & Lotharium Regem, fratres ſuperſtites. Cum his conſonant, quæ Hadrianus Valeſius erudite animadvertit in Notitia Galliarum pag. 283. Poſt non multos menſes altero Diplomate confirmavit idem Lotharius eamdem donationem, addiditque res quondam *Huberti* fratris ejuſdem Theotbergæ, qui ſcilicet Hubertus, ſi fides Sammarthanis in Ge- D nealogic. Hiſtor. Reg. Francor. adjungenda eſt, Ducali titulo apud Alpes, & Montem Jurenſem, Populos rexit: ſed in Annalibus Bertinianis tantummodo appellatur *Hucbertus Clericus conjugatus, & Abbas Monaſterii Sancti Martini*, vir utique flagitioſiſſimus, ac cæſus in prælio Anno DCCCLXIV. In altero hoc Diplomate integrum repetitur primum, atque hæc interſeruntur: *Et quicquid ex ipſis rebus in Groſſona ſitæ ſunt, omneſque res quondam Huberti Abbas* (en ut Abbatem tantùm, non verò Ducem illum Lotharius appellat) *fratris ipſius, quas pro ejus infidelitate noſtra Regni dignitas ſortita eſt, illi tradimus, adque transfundimus, quatenus eas perenni jure ad proprium retineat. Sed ut liberalitatis largitio* &c. ut in præcedenti vidimus. Subſcribit *Corimblan-*

blandus Regiæ dignitatis Cancellarius. Data VIII. Kalendas Decembris Anno, Christo propitio, Regni glorioſiſſimi ac piiſſimi Regis Hludovici XII. Indictione I. Actum Dodonicæ. Ad hæc Reginæ [illegible] in Reginas Conjuges A exempla denique illud etiam accedat, quod ex membrana, archetypi faciem præferente, in Archivo ſacrarum Virginum Ticinenſium Monaſterii Theodotes, nunc *de Poſterula*, olim ego ipſe deſcripſi.

Curtis de Pratoplano donatio facta Annæ Auguſtæ Conjugi ſuæ a Berengario I. Imperatore, Anno 920.

IN *nomine Domini Dei æterni. Berengarius divina ordinante clementia Imperator Auguſtus. Remunerati divinæ deputare debemus, quod ſua ineffabili clementia immeritos ad hoc Imperialis faſtigium provexit, nobiſque aſpiravit, ut ultimus nos dies imparatos reperiſſet, ut in cœleſti regione, in qua non peregrini, ſed heredes eſſe debemus, ſollicita intentione ipſius adjutorium conſiderare ſtuderemus; ſicque factum eſt, ut ſana mente & voluntaria poteſtate opitulante Chriſto per Preceptum noſtræ conceſſionis & ordinationis quomodocumque melius provideretur noſtri juris & proprietatis predia atque hereditates pro Dei amore & remedio animæ noſtræ, ne in poſterum ex his aliqua oriretur intentio per noſtræ ſucceſſionis genus preſenti auctoritate dividere, atque jure . . . . . . largiri dignaremur. Ideoque noverit omnium fidelium Sanctæ Dei Eccleſiæ, noſtrorumque, præſentium ſcilicet ac futurorum induſtria, eo quod nos, ſicut prolocuti ſumus, pro Dei amore, animæque noſtræ remedio, & interventu* Widonis *reverentiſſimi . . . . . . necnon & ſupplicationibus* Odelrici *in*clyti Marchionis Curtem *noſtræ proprietatis* de Prato Plano *finibus Placentinis, cum Capella* B *ibidem conſtructa & omnibus adjacentiis & pertinentiis ſuis in integrum jure proprietario* Annæ *dilectæ* Conjugi noſtræ *conceſſimus, ac de noſtro jure & dominio in ejus jus & dominium omnino transfudimus ac delegavimus, una cum caſis, terris, vineis, campis, pratis, paſcuis, ſilvis, ſalectis, ſationibus, aquis, aquarumque decurſibus, molendinis, piſcationibus, ſervis & ancillis, Aldionibus & Aldianis, montibus, vallibus, paludibus, planiciebus, coltis & incoltis, diviſis & indiviſis, omnibuſque ad ſe juſte & legaliter pertinentibus, ad habendum, tenendum, vendendum, alienandum, pro anima judicandum, & quicquid voluerit perpetuo faciendum, abſque totius Poteſtatis contradictio-* C *ne. Si quis igitur hoc noſtræ auctoritatis & ordinationis atque preſentis conceſſionis Preceptum infringere vel violare temptaverit, ſciat ſe compoſiturum auri optimi Libras centum, medietatem Cameræ noſtræ, & medietatem prædictæ Annæ Conjugi noſtræ, aut cui ipſa dederit, aut haberi conceſſerit. Quod ut verius credatur, & diligentius obſervetur, manu propria roborantes de anulo noſtro ſubter inſigniri juſſimus.*

Signum Domni  *Berengarii ſereniſſimi Imperatoris Auguſti.*

Locus Sigilli ✠ cerei deperditi.

Johannes Epiſcopus & Cancellarius ad vicem Ardingi Epiſcopi & Archicancellarii recognovi & ſubſcripſi.

Data VI. Idus Septembris, Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXX. Domni verò Berengarii ſereniſſimi Regis XXXIII. Imperii autem ſui VI. Indictione IX.

Actum Papiæ in Chriſti nomine feliciter. Amen.

Poſt *Bertilam* primam Berengarii uxorem, ab eo ob non ſervatam fidem veneno ſublatam, ad illius thalamum *Anna* deducta eſt, quæ ſapientius ſe gerens, Regiam munificentiam non ſemel experta eſt. Occurrit ejus nomen in aliis Berengarii tabulis in hoc ipſo Opere a me evulgatis. *Annus* autem *VI. Imperii Anni DCCCCXX.* recte conſonat cum *Indictione IX.* inchoata Kalendis Septembribus. Verùm diſcordat ab aliis, quæ infra animadvertam in Diſſertat. LVI. *de Religione*, atque aliis in locis, videlicet Berengarium, Anno DCCCCXVI. D uti cenſuit Pagius, non autem DCCCCXV. coronam ac titulum Imperialem Romæ ſuſcepiſſe. Sed heic error cubare mihi creditur. Vide Diſſertationem LXVI. *de Monaſter. Monial.* ubi Chartam adferam, Anno DCCCCXX. ſcriptam, *X. Kalendas Decembris*, *Anno V. Berengarii*. Idem quoque dicendum reor de altera Charta concordi cum hoc ipſo Diplomate, quam e Collectaneis Peregrini Priſciani Ferrarienſis viri, circiter Annum MCCCCXC. doctiſſimi, exiſtentibus in Bibliotheca Eſtenſi, exerui.

Curtis Firminianæ donatio facta Martino, Leoni, Urſo, & Petro filiis ſuis a Firminiano Conſule, Anno 918.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Anno Deo propitio Pontificatus Domni Joannis ſummi Pontificis & univerſalis Pape in Apoſtolica ſacratiſſima beati Petri Sede Sexto : ſicque imperante Domno piiſſimo perpetuo Auguſto Berengarius a Deo coronato pacifico magno Imperatore, Anno Quarto, die IV. Menſis Junio, Indictione Sexta, in loco, qui dicitur Firminiana. Profitens profiteor ego quidem in Dei nomine Firminianus Conſul per hujus pagine votis proferſionis, donationis, ſeu largitatis, transferſionis, atque benefactis, necnon propter tranſactionis meæ paginam, vos preſentes in Chriſti nomine Martinus & Leo & Urſus & Petrus minor, dilectis emancipatis filiis meis, & in veſtris filiis & heredibus do, dono, trado, cedo, elargior atque transfero, & meo jure, meoque dominius, meiſque ceteris filiis & heredibus alieno, tranſcribo, atque ſubduco in jura & dominium veſtrum emancipati filii mei, in veſtriſque filiis & heredibus. Ideſt Curtes mea domnicata integra, que vocatur Firminiana, cum omnibus ſibi pertinentibus, quas nunc habere & detinere videor jure proprietatis mee inter confinibus de predicta Curte, que vocatur Firminiana, hoc eſt ab uno latere Sablune, ab alio latere Finalis & Rere, a tertio latere Cuparius & Capite Ranito, a quarto latere mare. Ita ut in iis omnibus liceat vobis inibidem introire atque ingredere per hanc paginam donationis ſeu transferſionis a me in vobis facte in vobis tradita ſine ullo alicujus obſtaculo vel impedimento, quieto tramite inibi dominium & poteſtatem habeatis, teneatis, poſſideatis etiam vendendi, donandi, vel commutandi, & more quicquid vobis placuerit exinde faciendi. Et ab hoc die numquam liceat mihi ſupraſcriptus Firminianus, neque meis ceteris filiis vel filiabus, vel heredibus meis ullo unquam in tempore quamvis facere queſtionem, repetitionem, aut cauſationem vel interpellationem, ullamque moleſtiam generare incontra vos denominati filii mei emancipati, neque incontra veſtris filiis & heredibus pro his omnibus, que . . . . . . vel in totum nunquam agimus, neque contendimus, aut invadimus, vel inoccupamus, neque agentibus quod diſcindere audeamus, neque in jure, unde exiſtivit, non abrenuntiamus per nullam occaſionem, neque ingenio, non per nos, neque pro ulla ſummiſſura perſona, non adeundo judicio, non ad ſupplicando Principibus, neque per Eccleſiaſticam interpellationem, aut per Regalem vel Imperialem poteſtatem, ne ullam rationem contra ire, quam ſenſus humanus attingere poteſt : ſed magis da nos & da noſtris omnibus filiis & heredibus ſecuri exinde maneatis in omnibus . . . . . Quod ſi, quod abſit, & avertat divina potentia, & omnia ut ſupra non obſervavero vel adimplevero, & contra ita ire nec agere aut contendere voluero per quemlibet modum vel titulum, pro quibus jurata voce dico, per Deum Omnipotentem, Sedemque ſanctam Apoſtolicam, vitam Domnorum noſtrorum, atteſtatione confirmo, que datura me eſſe promitto ego antedictus Firminianus una cum ceteris filiis & heredibus ante omne litis juditium aut interpellatione, pene nomine auri obrizo Libram unam, & per ſolvere maneat hanc paginam in ſua firmitate. Quam paginam Andreas Tabellio ſcribendam rogavimus, ſubter manibus propriis firmavimus, teſtibuſque a nobis rogitis obtuli ſubſcribenda, eorumque preſentia eam eorum contradidi ſub die & Menſe & Indictione ſupraſcripta Sexta in loco, qui dicitur Firminiana.

Ego Firminianus Conſul in hac pagina a me facta ſubſcripſi.

Severus in hac pagina rogatus teſtis ſubſcripſi.

Ildebrandus in hac pagina donationis rogatus teſtis ſubſcripſi.

Andreas in hac pagina rogatus teſtis ſubſcripſi.

Bruno in hac pagina rogatus teſtis ſubſcripſi.

Reginaldus in hac pagina rogatus teſtis ſubſcripſi.

Andreas Tabellio Scriptor hujus pagine donationis, ut ſupra, poſt roborationem interfui, complevi, & abſolvi.

Habemus heic *Indictionem Sextam*, Anno DCCCCXVIII. decurrentem. Quod ſi eo Anno in curſu erat *Annus IV.* Imperii Berengarii, ergo is Imperii titulum ſumſerit Anno DCCCCXV. ante Junium menſem oportet. Quum tamen plura ſint, ac longe certiora monumenta, coronationem Romanam Berengarii ad Annum DCCCCXVI. referentia, apta hæc minime ſunt ad me removendum e priore ſententia. Quod ſi major fides Chartæ nunc evulgatæ foret habenda, inde præterea intelligere poſſemus, minus recte a Pagio eodem exordium Pontificatus *Johannis X. Papæ* alligatum fuiſſe Aprili *Anni DCCCCXVI.* nam Charta iſta nos docet, ipſum præcedente *Anno DCCCCXIII.* ante diem IV. Menſis Junii Cathedram Principis Apoſtolorum conſcendiſſe. Et ſane concordem videas notitiam hanc cum Leonis Oſtienſis Hiſtoria, quam in hoc loco Pagius contemnit. Verùm heic agitur de apographo recenti, cui multum auctoritatis tribuere non licet. Ceterum, ut in ſemitam revertar, repeto, nulli Langobardicæ mulieri licuiſſe donare, vendere, aut permutare ſine conſenſu Mundualdi ſui. Attamen. quum humana cupiditate urgente deprehenſum fuiſſet, Mundualdos in tutelam feminarum inſtitutos, poteſtate ſibi datâ, ac infirmitate muliebris ſexus, male uti, Liutprandus Rex edixit, ut mulieri *res ſuas*, etiam *conſentiente viro*, venumdare volenti, duo vel tres *Parentes*, ideſt qui agnatione illi conjungerentur, contractui adeſſent, exploraturi videlicet & ipſi, num fraus, vis, aut alia iniqua cauſſa eam ad vendendum pertraxiſſet. Hunc ipſum ritum adhuc Mutinenſes obſervant; & uti veteres Langobardi ad contractum etiam donationis protenderunt, ita & Mutinenſes ad quoſcumque contractus, unde lædi feminæ poſſint. Porro eumdem ritum nobis deſcribet Charta, quam mihi ſuppeditavit Archivum Eſtenſe.

Bonifacius Marchio & Richilda Comitiſſa illius Uxor Monaſterio Sancti Silveſtri de Nonantula multos agros donant, Anno 1017.

IN *nomine Sancte & individue Trinitatis. Anno Dominice Incarnationis Milleſimo Septimodecimo. Henricus gratia Dei Imperator Auguſtus, Anni Imperii ejus Deo propitio hic in Italia Quarto, Menſe Martius, Indictione XV. Monaſterio Sancti Silveſtri Chriſti Confeſſoris, ubi ejus humatum quieſcit Corpus, ſito Nonantula.* Nos Bonifacius Marchio filius *bone memorie* Teudaldi *qui fuit itemque* Marchio, & Richelda Conjuge *ejus jugalibus*, filia *bone memorie* Giſelberti, *qui fuit* Comes Palacii, qui profeſſi ſumus Legem vivere Longobardorum; *& mihi quidem* Richelda, conſenciente ſupto Bonifacio Marchio, viro & jugale meo, & ſubter in omnibus confirmante, & ut Lex habet autoritas, una cum noticia de propinquioribus parentibus meis, *quorum nomina eorum*, Lanfrancus & Maginfredus germanis meis, *in qui ſubter apparuiti eſſe leguntur*. A quibus interrogata & inquiſita ſum, ſi ab ipſo jugale & Mundoaldo meo, vel a quemlibet hominem, aliquam me pati violentia, an non. *Quidem & ego ſupra Richilda in eorum parentibus meis, & reliquorum Nobilium preſencia hominum*, certam facio profeſſionem & manifeſtationem, eo quod ab ipſo jugale meo, nec ad nullum hominem nullamve pati violencia, niſi mea bona & ſpontanea voluntate, *ac Cartula oferſionis una cum preſcripto jugale meo communiter facere viſi ſumus. Propterea diximus: quiſquis in ſanctis ac in venerabilibus locis aliquid ex ſuis contulit rebus, juſta Auctoris vocem in hoc Seculo centuplum accipiet, & inſuper quod melius eſt, vitam poſſidebit eternam. Et ideo nos, quorum ſupra, Bonifacius Marchio & Richilda jugalibus donamus & tradimus ſeu offerimus in eodem Monaſterio Sancti Silveſtri ſcito Nonantula, proprietario jure habendum, & tibi* Domnus Rodulphus Abbas ipſius Monaſterii, *tuiſque ſucceſſoribus in perpetuum poſſidendum: id ſunt, Caſis & omnibus rebus territoriis illis, ſeu padulibus & piſcationibus juris noſtri, qui ſupra jugalibus, quod habere viſi ſumus in locas, ubi dicitur Arcoada & Auratica ſeu in Granariolo, qui rejacet in loco & fondo Trecenta, atque medietatem de Curte Tricentola, quod ſunt ipſis rebus in preſcripto loco Arcoada, per menſura juſta a pertica legitima de pedes duodecim menſurata inter ſediminas cum caſis & areis, ubi vitis eſtant, ſeu pratis atque terris arabilis; & area una de terra cum Capella ſuper habente, que eſt conſecrata in honore Sancti Michaelis Archangelis, una cum rebus ad ipſa Capella pertinentibus juges centum. De gerbidis & buſcalis ſeu ſilvis cum areis illorum atque padulibus juges centum viginti. Sunt fines ad ipſis rebus in preſcripto loco Arcoada de mane terra Ariminorum, quod vocatur Sadriani & publica de Plebe Sancti Georii. De Meridie terra Sancte Marie, qui vocatur Due Baſilice. Da Sera terra de Menſa Sancti Petri de Roma. De ſubto Cortem Sancti Martini de Zello. Et ſubter rebus ipſis in preſcripto loco Auratica pecies quatuor cum Capella, qui eſt conſecrata in honorem Sancti Zenoni. Prima pecia cum preſcripta Capella ſuper ſe habente, eſt circumdata finis da mane Sancte Marie: da meridie foſſam, que vocatur Pellaſtrina; da ſera ſimiliter Sancte Marie; de ſubto Sancti Georii in Levno, qui vocatur termino de Puntecelli. Secunda Pecia eſt circumdata finis de mane heredes quondam Petri Judex, qui vocatur de Rabolo, & Almericus de Ferraria; da meridie ipſius Almericus; da ſera preſcripto heredes Petri Judex, & Bonici Prandi; de ſubto preſcripto termino de Punticelli. Tercia pecia de mane & de meridie preſcripto Almericus; da ſera Sancte Marie; de ſubto Sichelmi Judex & Azoni Diaconus & heredes quondam* Warini Comes. *Quarta pecia quidem eſt quarta pars le fondo Codonicla. Et ſunt predicte quatuor pecies ſuper totes inſimul ad eandem menſura ſediminas cum caſis & areis, ubi vitis eſtant, una cum predicta Capella, ſeu pratis atque terris arabilis, juges ſexaginta de gerbidis & buſcaleis ſeu ſilvis cum areis earum atque paludibus juges triginta & tres.*

Et ſunt rebus in predicto loco Granariolo Maſſaricia una, qui tenere videtur per Johannes & Petrus Pocco per eadem menſuram inter ſedimen cum caſis & areis, ubi vitis extant, ſeu pratis atque terris arabilis ſeu gerbidis, juges tredecim, & ſextaria viginti, & paludibus ſeu piſcationis ad eandem Maſſariciam pertinentibus in integrum. Coërit ei in circuitu ad predicta Corte Trecentola, da mane Cleloibola & Cazanetica: da meridie Val de Ravida & Roſolaſe: da ſera Finale & Berbiculo & Videzoſo: de ſubto Aqualungola, que dicitur Muclena, vel quis alii ſunt in hiis omnibus coerentes. Et eſt jam dicta medietatem de prefata Corte Trecentola infra ipſe coherencie per jam fata menſura inter ſediminas cum caſis & areis, ubi vitis exſtant, ſeu campis arabilis atque pratis & area cum Capella ſuper ſe habente, qui eſt conſecrata in honorem Sancti Johannis & Blaxii, qui eſt poſita in loco Grumiliato, juges duocenti. De ſilvis, glandiferis, & piſcationibus cum areis ſuarum, juges duocenti: de gerbidis & buſcaleis ſeu paludibus cum areis ſuarum ſimiliter juges duocenti, cum omni jure, adjacentiis, & pertinentiis earum rerum per locas & vocabolas ad ipſam medietatem de eadem Curte pertinente in integrum. Verùm eciam donamus & offerimus nos quidem jugalibus in eodem ſanctum & venerabilem Monaſterium de reliqua namque vero medietates de ipſa Corte, ideſt Maſſaricia una, item juris noſtri, quam habere viſi ſumus in predicto loco Trecentola, nominative ipſa Maſſaricia, que nunc recta vel laborata eſt per Marcum Bonzoni. Et eſt ipſa Maſſaricia, ſicuti predicto Maſſario regitur, inter ſedimen cum caſa & areis, ubi vitis eſtant, ſeu pratis atque terris arabilis, juges octo: de gerbidis, buſcaleis, ſeu ſilvis & paludibus cum areis eorum juges quatuor, quod ſunt omnibus predictis rebus, ut dictum eſt, tam caſis cum ſediminibus & Capellis cum domui cultiles ſeu reliquis terris, campis, pratis, paſcuis, vineis, & ſilvis, ac ſtallareis cum areis in aqua eſtant una cum paludibus & piſcationibus ſeu venationibus cum adjacentiis & pertinentiis ad predictis locis pertinentibus, cultis & in-

incultis, diviſis & indiviſis, omnia & ex omnibus, una cum finibus & terminibus, acceſſionibus, & uſibus aquarum, aquarum ductibus cum omni jure, adjacentiis & pertinentiis earum rerum per locas & vocabulas ad ipſas caſis & rebus pertinentibus in integrum. Que autem jam dictis caſis & omnibus rebus, qualiter ſuperius comprehenſis & menſuratis per coherencias legitur cum ſuperioribus & inferioribus atque cum ingreſſoribus & acceſſionibus ſuarum in integrum, ab hac die & hora damus & tradamus ſeu offerimus tibi, qui ſupra Rodulfi Abba tuiſque ſucceſſoribus ad parte jam dicto Monaſterio maneant & perſiſtant poteſtatem ad habendum & faciendum nomine proprietario jure, abſque omni noſtra, quorum ſupra jugalibus & heredum noſtrorum contradictione. Quidem & ſpondimus atque promittimus nos, qui ſupra, jugalibus & donatoris una cum noſtros heredes tibi quidem Rodulfi Abba tuiſque ſucceſſoribus ad pars ipſius Monaſterii jam dictis caſis & capellis, ſeu omnibus rebus, quod tibi ſuperius donavimus & offerimus in integrum, ab omni contradicentem hominem defenſare juxta Lex. Quod ſi ad defenſandum minime fecerimus, aut ſi contra hanc Cartulam offerſionis agere aut cauſare preſumpſerimus, vel ſi agentibus conſentiens fuerimus, tunc predictis caſis & Capellis ſeu omnibus rebus quantiſcumque vobis ſuperius donavimus & offerimus, ſicut pro tempore melioratis fuerint aut valuerint, ſub eſtimatione in conſimilibus locis in duplum vobis ad pars predicto Monaſterio reſtituamus, quia ſic inter nobis convenit.

Actum in loco Revere feliciter.



Bonefacius Marchio ſubſcripſi.

✠ *Signum manus predicta* Richylda Conmitiſa, *qui hac Cartula offerſionis, ut ſupra, fieri rogavi, & ei relicta eſt.*

✠ Lanfrancus Comes Palacii, *qui eadem Richylda germana mea interrogavi, ut ſupra, ſubſcripſi.*

✠ Maginfredus Comes, *qui eadem Richilda germana mea interrogavi, ut ſupra, ſubſcripſi.*

✠ ✠ ✠ *Signum manibus Atoni, & Jugoni, ſeu Oprandi, Legem viventis Langobardorum, rogati teſtes.*

Ego Donatus Notarius ſacri Palacii ſcripſi, poſt tradita conplevit & dedi.

Richildæ, quam primis votis duxit *Bonifacius Marchio*, poſtea Dux Tuſciæ, meminit Donizo in Vita Mathildis Lib. primo Cap. 6. hiſce verſibus.

Marchio Richildam prætaxatus Comitiſſam,
Quæ Giſelberti de ſanguine Principis exit,
Duxit in uxorem, fuerat quia dives honore.
Hęc agapem multam miſeris dabat atq; tributa:
Hæc defuncta jacet ſine pignoribuſque Nogaræ.

Uti jam animadverti Par. I. Cap. 8. pag. 55. Antiquitat. Eſtenſium, Florentinius & Bacchinius opinati ſunt, Richildæ iſti patrem fuiſſe *Giſelbertum Comitem Lucemburgi*, ſanctæ Cunegundæ Auguſtæ fratrem. Corruere eorum ſententiam ex his vides. Illam progenuit *Giſelbertus*, natione Langobardus, & *Comes Palatii* (*Principem* propterea illum Donizo appellat) de quo mihi ſermo fuit in Diſſertatione VII. *de Comitibus Palatii*. Jam verò animadverteris, huic donationi interfuiſſe *Lanfrancum Comitem Palatii*, & *Maginfredum Comitem* ipſius Richildæ fratres, qui palam ipſam interrogarunt, ſponte-ne, an coacta donaret. Quod ſi de Vidua agebatur, eique nulli erant agnati, aut ſi erant, abſentes erant: tunc aliquis, ut puto, eligebatur, qui Mundoaldi locum teneret. Id elucere poſſe videtur ex Charta, quæ in Archivo Abbatiæ Vangadicienſis adſervatur, quæ *Almericum Marchionem* & *Francam* ejus conjugem nobis exhibet.

Donatio quamplurium agrorum facta Baſilicæ Sanctæ Mariæ de Vangadicia in Diœceſi Adrienſi a Franca Comitiſſa, Uxore quondam Almerici Marchionis, Anno 954.

In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Berengarius & Adelbertus filius ejus gratiâ Dei Reges, anno Regni eorum Deo propitio V. Sexto die Menſis Decembris, Indictione XIII. Baſilica Sanctæ Mariæ quæ eſt ſita prope flumen Adice veclo, & conſtructa quondam primo Domni Almerici olim Marchionis, & Franca *jugales, ab eis noviter ædificata, ubi Presbyter Joannes Cuſtos & Rector conſtitutus fuerat a quondam ...... Francha Lanfranchi, & relicta ſupradicti Almerici*, quæ profeſſa ſum ex natione mea Lege vivere Langobardorum, conſentiente & ultimo confirmante Idelmaro Presbytero & Rectore .... ipſius Baſilicæ, *præſens præſentibus dixi: quiſquis in ſanctis ac venerabilibus locis ex ſuis aliquid contulerit rebus, juxta Auctoris vocem, in hoc Seculo centuplum accipiet, & vitam eternam poſſidebit. Ideoque ego* Francha *dono & offero perpetualiter habendum in ſupradicta Baſilica pro anima mea, & ſupradicti quondam Almerici, qui fuit vir meus ...... ſex in loco & fundo Merlariæ, & in Altadura, & in Caſale. In primis in Merlaria & Caſale & omnes res, quod rectum & laboratum eſt per* Rodamaro *Maſſa. Secundum Caſale ibi ſimul & tenenti, quod rectum eſt per heredes quondam Johannis Ferraccii. Tertium Caſale in ipſo loco Merlaria, quod rectum fuit per Laurentium Pellotum. Quartum Caſale ibidem tunc laboratum per Martinum Bongalum. Quintum Caſale in Altadura, quod rectum eſt per Bonellum filium quondam Giſemperti Maſſarii. Sextum Caſale denique, quod jacet in Villa .... ab uno latere terra deſerta Sculdaſia, ab alio foſſatum .... & poſtitias heredes quondam Sandrani, ab uno capite via, ab alio terra nigra; ſeu & omnes res Altadura & in Caſale. In primis in* Alta-

Altadura petias duas de vite, una quæ dicitur de Gr.... alia quæ dicitur Daniſſa, quæ recta eſt per heredes Petri Miſſo .... de vite quæ recta eſt per Barontium Piganum, & petias una de vite, & terra inſimul ſe tenente, quæ vocatur Cinſura Madelgeri, petia una terra, quæ partem .... decimas, ſeu in Caſale unum Caſale, quod rectum & laboratum eſt per heredes Johannis Scurzabuis. In Urbana Caſale unum, quod rectum eſt & laboratum per Johannem Suirianum .... in ipſo loco Urbana, quæ recta & laborata eſt per Zenonem de Baruco. Etiam dono vobis, Sacerdotes vel Levitæ, ſeu cæteri Clerici, qui nunc ordinati ſunt, vel in futuris temporibus ordinati fuerint, ut pro nobis peccatoribus ad Dominum Jeſum Chriſtum orare debeatis, item omne Teloneum, quod dicitur Taxidura de navibus, flumen Adice vecle percurrentibus .... piſcationes, venationes, de finibus Pedices, uſque in Ruta de Adice & de Viginara corente remiſſa de Tartaro, & in Stafulo decurrente in Ruta de Cadenaro. Et quidquid juxta præfatos fines inventum fuerit per quodcumque ingenium pertinere de jure, quod fuit ſupradicti Almerici, qui fuit dominus omnium in integrum, cum prædictis Caſinis, Maſſaritiis, ſeu terris vineatis, campis, pratis, paſcuis, ſilvis, ac ſtalaticis, rupinis, ac paludibus, cultis & incultis, diviſis & indiviſis, una cum finibus, terminibus, acceſſionibus, uſibus aquarum, aquarumque decurſibus, molendinis & piſcationibus in dictos fines inventum fuerit, una cum cœmeteriis & offerſionibus, quas eadem Baſilica Dominus dederit faciendum in integrum, & ſucceſſoribus de ſupradictis rebus quicquid voluerint, & prefati Sacerdotes de eadem Baſilica curam & ſolicitudinem habere debeant tam de Officiis quàm de Luminaribus. Et ſi quo tempore opus fuerit, præfatam Baſilicam reſtaurare, per ejuſdem Sacerdotes fiat reſtauratio: quoniam ſupradictas Maſſaritias in eis locis & fundis, videlicet in Merlara, in Perarolo, in Altadura, & in Caſale, & prædicta .... e dura fluminis Adice veclo .... ex iſta parte uſque in Ruta de Cadenaro, & de alia parte fluminis Viginaris uſque in Miſſa de Tartaro, & inde uſque in Stafulo, & inde uſque in ſupradicta Ruta de Cadenaro & piſcaria de Coruſano & Silva inſimul ſe tenente, quæ vocatur Gurgo de muro, & cernit fines ab uno latere Viverno percurrente uſque in foſſa de Molino, cum acceſſionibus & ingreſſuras earum, cum ſuperioribus & inferioribus ſuis, ſicut ſupra legitur, & ſuis adhærentiis decernitur, & ſunt comprehenſa in integrum .... Hic die dono & offero in eadem Baſilica Sanctæ Mariæ a die præſenti & hora & ſumptu & uſu prædictorum Sacerdotum ac Levitarum & cæterorum Clericorum, qui modò ordinati ſunt, & pro tempore ordinati fuerint, & ibidem frequentius deſervierint, faciant ex frugibus earum rerum vel cenſu, quos Dominus annue dederit, quicquid voluerint ſine omni mea & heredum & proheredum meorum contradictione vel defenſione, & abſque reſtitutione. Inſuper volo, ut homines, qui ſupra res prælibata Baſilicæ Sanctæ Mariæ reſident, ad nullum Placitum vadant, neque cuſtodiam, niſi ad ſupradictos Sacerdotes, eorumque ſucceſſores, & nullum redditum, nec herbaticum, nec recollectam, neque publicum faciant, niſi ad præfatam Eccleſiam, preter ad Caſtrum reſtaurandum cum ceteris vicinis. Et ſi opus fuerit, præfatos homines ire ad Placitum, dum opus fuerit præfatæ Eccleſiæ, vadant. Et ſi ego Francha, vel mei heredes, aut ulla ſummiſſa perſona vos, veſtriſque ſucceſſores inquietare aut moleſtare quocumque ingenio præſumpſerint: ego ſupradicta Francha & mei heredes vobis veſtriſque ſucceſſoribus componere debemus pœna argenti Libras centum. Inſuper caſas & omnes res, ſicut ſupra legitur, in duplum. Et ſi .... & fieri non credo; ſi Princeps, aut qualibet magna parvaque perſona, tam propinqui quàm extranei, tam maſculi quàm feminæ, hanc meam offerſionem in aliquo aut per totum moleſtare voluerit, & prædictam Baſilicam quiete & pacifice prædictas res habere non permiſerint, tunc Dominum omnipotentem habeant retributorem, & ante tribunal Chriſti cum Juda traditore inde ſtet ad judicium in ratione, & cum eo maneat in Inferno inferiori. Et ſi Deo permittente nemini moleſtati fuerint, tunc Presbyteri præfatæ Baſilicæ, eorumque Succeſſores in eorum ſumptu & uſu habeant fruges earum rerum, & faciant de illis omnibus, ſicut ſupra legitur proprietario nomine quidquid voluerint, pro anima mea, & ſupradicti quondam Almerici, qui fuit vir meus, mercede. Quia taliter in omnibus mea bona decrevit voluntas. Hanc autem Cartam & offerſionis meæ paginam Notario & Judici Domnorum Regum tradidi & ſcribere rogavi, in qua etiam ſubter confirmatis teſtibus obtuli ad roborandum.

Actum Caſtrum Rhodigii feliciter.

Signum manu ſupradictæ Franchæ, quæ hanc Cartulam offerſionis fieri rogavit, & ei relecta eſt.

Ego Ildemar Presbyter, qui eidem Franchæ omnibus ſupradicta conſenſi, ut ſupra legitur, ſubſcripſi.

Signum manibus Conradi filii Girardi, & Rongoni filii, itemque Rongonus Vaſſo Adelgiſi Lege vivente Langobardorum, & hanc Cartulam offerſionis rogati teſtes. Martinum de Sarzano, Badoro de Rhodigio, Viſo de Vitale Ruſſo, habitantes in Caſtro Rhodigii, teſtes. Enricus, qui vocitur Guazalino de Bugoſſo, & Guſſelino Vaſſo Adelgiſi, & Gregorio Decano teſtes.

Ego Poma Notarius & Judex Dominorum Regum, ſcriptor hujus Cartulæ offerſionis, poſt traditam complevi & dedi, Anno Domini .... LIV.

Hic ille *Almericus* ſive *Amelricus Marchio* eſt, cujus mentionem feci in Antiquitatibus Eſtenſib. Par. I. Cap. 23. pag. 223. Ignotum autem nobis eſt, cui Marchiæ præfuerit. Is cum Franca conjuge ſua primus auctor fuit ditandæ Baſilicæ Sanctæ Mariæ de Vangadicia, quæ poſtea in Monaſterium & Oppidum evaſit, olim pertinens ad Ateſtinos Principes, ſitum non longe ab Atice veteri, cui adhuc nomen *l'Abbazia*. Videmus heic Ildemarum Rectorem ipſius Baſilicæ conſentientem donationi Franchæ, quaſi Mundoaldi vices ille implerit; etenim jam e vivis exceſſerat *Anelricus* ejus vir, ad quem ſimulque & ad Francam ejus uxorem pertinet altera Charta, cujus apographum legi in ejuſdem Monaſterii Tabulario.

Do-

Donatio Amelrici & Francæ conjugum Eccleſiæ Sanctæ Mariæ ad fluvium Atheſim, Anno 952.

A *IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Regnantes Dominos noſtros Berengario & Adelbertus ejus filio ejus Reges hic in Italia Anno Quinto, ſub die de Menſe Auguſti, Indicione X. feliciter. Scola Sacerdotum de Eccleſia beatæ Dei Genitricis Virginis Mariæ, quam nos ipſis jugalibus in noſtro proprio effundamentum edificavimus, que nos libere & poſſidere viſi ſumus in loco & fundo, que vocatur flumen Vedre, ubi nunc preſenti tempore Johannes Presbiter Cuſtos & Rector ipſius Schole eſſe videtur. Nos quidem in Dei omnipotentis nomine* Amelricus . . . . . *idemque Amelrici, &* Francha *honorabilibus jugalibus, qui Lege Salicha vivere viſi ſumus, per hanc preſentem paginam* **B** *offerſionis noſtre, & per waſonem terre, & ramum arborum, fiſtucum notatum, atque cultellum, & duos wantos, totum inſimul hac tandem viſi ſumus, & corporalem facimus inveſtituram & traditionem ſeu offerſionis nomine preſenti die & hora ad jure ipſius Scole perpetuario nomine habendum. Idem in integrum omnibus caſis & rebus illius juris & proprietatis noſtre, quod ſupradictis jugalibus, quem nos habere & poſſidere viſi ſumus, qui poſiti ſunt ipſis caſis & rebus in loco & fundo Cavezana ab ipſis caſis & rebus, tam terris caſalivis & terris cum vineis & terris aratoreis, ſeu vigris, vi*-**C**-*neis, campis, pratis, paſcuis, ſilvis, ſalectis, ſacionibus, rivis, ac padulibus, piſcationibus, aquis, aquarumque decurſibus, cum omnia & ex omnibus de quantum ad jam dictum loco Cavezana legibus pertinent, nos qui ſupradicti jugalibus in jam dicta Scola . . . . de predicta Eccleſia Sancte Marie donamus, concedimus, tradimus atque offerimus per remedium animæ noſtræ vel parentum noſtrorum. Itemque concedimus, donamus atque offerimus per hanc preſentem paginam offerſionis noſtræ a die preſenti & ora ad jure ipſius Scole proprietario nomine ad habendum idem omnis tranſita illa juris proprietatis noſtre, & poſſidere viſi ſumus, & no*-**D**-*bis legibus pertinent, & juris habere in alveo fluvio Atheſis, qui vocatur Flumen Vedre, prope jam dicta Eccleſia Sancte Marie cum omnia & ex omnibus, ſicut ſupra nos, qui ſupradictis jugalibus preſenti die & ora ad jure ipſius Scole per hanc preſentem paginam offerſionis donamus, tradimus atque offerimus: ut Cuſtus & Rector, qui ibidem modo eſt, vel qui pro tempore fuerint, talem exinde habeant poteſtatem de ipſas res, atque tranſitam, ſicut ſupra legitur, ad regendum & gubernandum ſeu diſponendum, ſicut de alias res ipſis Scole facere viſi ſunt per poteſtatem, ut forſitans nobis peccatores, parentumque noſtrorum proficiant ad ſalu*-**E**-*tem & gaudium ſempiternum. Et exinde de ea omnia, qualiter ſuperius legitur, nos jam dictis jugalibus nobis exinde nullam reſervavimus ab ipſis caſis & rebus una cum ſuperioribus & inferioribus earum rerum, cum ingreſſibus atque regreſſibus ſuis communibus. Et ſi vero, quod futurum eſſe non credimus, ſi aliquid de heredibus ac proheredibus noſtris, aut quelibet ulla oppoſita magna parvaque perſona hominum ſurrexerit aliquando tempore, quod contra hujus noſtræ paginam offerſionis, quem nos noſtros bono animo fieri rogavimus, ire quandoque temptaverit, aut ea infrangere voluerint, & probatum fuerit, tunc componat ipſos heredes ac proheredibus noſtris vobis vel ad veſtros ſucceſſores, qui pro tempore in ipſa ſancta militaverit Eccleſia, ipſis predictis caſis & rebus & omnia, ſicut ſupra legitur, omnia in duplum, & inſuper ſtipulacionis nomine componamus vobis pena que & multa una cum ſociante Fiſco auri optimi uncia una, argentum ponderas duas coactus abſolvamus, & de hoc quod repecierint, nichil vindicare habeant. Et inſuper cum Juda traditore ante tribunal æterni Judicis habeant damnationem. Et hec preſens pagina offerſionis, ſicut ſupra legitur, omnique tempore firma & ſtabilis, inconvulſa & irrevocabilis permaneat, ſine omni contradicione hominum, cum ſtipulatione ſubnixa. Et quia nos ipſis ſupraſcriptis jogalibus hanc membrana ſimul cum calamo & attramentario & pinna atque cultellum & duas wantos, totum inſimul manibus noſtris, juſta Lege noſtra Salicha, de terra levavimus: & Ingelbertus Notarius tradidimus ad ſcribendum, & teſtes in qua hac ſubter confirmans ad nos rogitos obtulimus ad corroborandum.*

Acto in Caſtro Merlaria feliciter.

Signum ✠ ✠ manibus ſupraſcriptorum Amelrici & Francani honorabilis jogalibus, qui hanc paginam fieri rogaverunt, ad omnia ſupraſcripta, & ei relecta eſt.

Signum ✠ ✠ ✠ manibus Fulcherio filius quondam Jeberto, & Ildoino filio Bonildoigo, & Eruigo filio ejus, viventes Lege Salicha, teſtes.

Signum ✠ ✠ ✠ manibus Gariverto, qui Gezo dicitur, & Giſelbertus, & Adelfredus germanis filiis Felice, teſtes.

Signum ✠ ✠ ✠ manuum Tedaldo, qui Rozo vocatur, & Granſo filio Boni, Everardi, teſtes.

Ego qui ſupraſcriptus Ingelbertus Notarius rogatus, qui hanc paginam ſcripſi, & poſt tradita complevi.

Verùm in Chronologicis notis hujus Chartæ inter *Indictionem X.* quæ Anno DCCCCLII. decurrebat, & *Annum Quintum Berengarii II. Regis* pugna eſt. Quare neque hanc, neque ſuperiorem, Chartas legitimas præſtare velim, quum apographa tantùm viderim, eaque, ut vides, vitiata, neque inter ſe concordia. Ceterum, uti jam monui, ſecundùm Langobardos Mundualdus feminis dabatur. Diverſa verò minime fuiſſe videtur conſuetudo Alamannorum Legem ſequentibus. Operæ pretium erit huc adferre Chartam, quam ad me miſit amantiſſimus mei vir, ac in re antiquaria peritiſſimus Joſeph Antenor Scalabrinius, Ferrarienſis Eccleſiæ Sanctæ Mariæ in Bucca Rector.

Char-

Charta Imeltrudæ filiæ Keiſculd, Alamannorum Lege viventis, quæ agros nonnullos vendit Fulcardo Sculdaſcio filio Walæ, Anno 936.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Regnantibus Domnis noſtris Hugone Rege hic in Italia Anno Nono, & Domno Lothario Rege filio ejus Anno Quinto, ſub die X. Menſis Martii, Indictione IX. feliciter. Conſtat me Imeltruda honeſta femina, filia bone memorie Keiſculd, qui Lege Alemagnorum vivere viſa *ſum, ſicut & Heinricus filio Teckerio genitori* . . . . . vivere *viſus fui, & huna* per largitatem Motaldi *filio itemque Motaldi* item ex Alemagnorum *genere, libenti animo, & mea bona & ſpontanea voluntate, ſine ulla vim pati, vendidiſſe, ac vendedit, tradidiſſe, & ita tradedit tibi vero Fulcardo Sculdaſcio, & filio bone memorie* Wala, *& per hanc preſentem paginam vendicionis, & per duas manicias hac tradere viſus ſum, & corporaliter facio tibi inveſtituram venditionis* juſta Legem meam Alemagnorum, *preſenti die & hora ad tuam proprietatem abendum, ideſt in integrum omnibus illis juris proprietatis mee, quas habere & poſſidere viſa ſum, qui poſiti ſunt ipſis rebus in finibus Romania in loco, & ſunt in Comitatu Ferrarienſe, locus ubi nominatur Galinario ab ipſis ſuper ſuis rebus, huna cum terris caſalinis, & terris cum vineis, cum campis, pratis, paſcuis, ſilvis, ſalectis, ſtationibus, aquis, hac paludibus, ripis, rupinis, decimis, pinſionibus, piſcationibus, venationibus, molendinis, aquis, aquarumque decurſibus, cum omni & ex omnibus rebus ſuis, ſicut ſupra legitur, ſicut ibidem in predicto loco Galinaro abere viſa ſum, aut mihi legibus pertinet, vel pertinere debet, ibidem ceteris locis, cum omnia & omnibus, ſicut ſuperius comprenſum eſt, ego qui ſupraſcripta Emeltruda* huna per largetatem Motaldi Avocato meo *tibi ſupraſcripto Fulcardo ſive Heinrico in integrum viſa ſum venundari ad die preſenti & hora, ad tuam proprietatem habendum, tenendum, vendendum, donandum, commutandum, vel faciendum exinde de eo in integrum, ſicut ſuperius comprenſum eſt, quitquit tibi & heredibus tuis, aut cui tu dederis, placuerit, ex mea pleniſſima largetate, nulli alii venditis, traditis, mancipatis, nec adpoſitatis non abeo, niſi tibi ſupraſcripto Fulcardo, de meo jure & dominium in tuoque jure & dominium transfundo poteſtatem ad abendum; & exinde de hec omnia qualiter ſuperius legitur, jam dicta venditrix exinde mihi nulla reſervo ab ipſis rebus, huna cum ingreſſis & regreſibus ſuis rationem. Et per ſupraſcripta mea vendicione recepi ego jam dicta venditrice da te ſupraſcripto hemtore precio finito per argento, & alia merce, inſimul valente Solidos treginta. Cui deſpondeo adque repromitto me ego jam dicta venditrix, vel meos heredes tibi ſupraſcripto hemtori, vel* A *ad tuos heredes, aut cui dederis, ſi de ſupraſcripta mea vendicione aliquando tempore moleſtare vel contendere preſumpſerimus, & ab hunumquemque homine defendere non potuerimus, tunc tantum & in quantum ſupraſcripta mea vendicio cum omnia ſuper ſe habente eo tempore in conſimile loco eis melioratum voluerit, duplare promittimus. Et hanc paginam vendicionis, ſicut ſupra legitur, quam ego meo bono animo fieri rogavit, omnique tempore firmam & ſtabilem, inconvulſum & inrevocabilis permaneat, & in ſe omnique tempore obtineat robor ſine omni contradictione hominum cum ſtipulacione ſubnixa. Et quia ego ipſa ſupraſcripta Emeltruda honeſta femina hac pergamena cum* B *haſtramentario & pinna & duas manicias, totum inſimul manibus meis de terra levavi, huna cum ſupraſcripto* Motaldo Avocato meo juſta Lege mea Alemagnorum; *& Pedelbertus Notario tradidi ad ſcribendum, & teſtes in qua hic ſubtus meis ſupraſcriptis obtulis ad roborandum.*

Acto in Caſtro Leuniacus feliciter.

✠ *Signum de manus ſupraſcripta Emeltruda, qui ipſum precium recepit, & ano paginam vendicionis fieri rogavit, ad omnia ſupraſcripta, & ei relectum eſt.*

✠ *Signum de manus ſupraſcripto* Motaldo Avocato ejus Defenſori, qui eidem largetatem dedi, *& in ac pagina vendicionis* C *manum ſuam poſuit.*

✠ ✠ ✠ ✠ *Signum manibus Regnardo filio quondam Berardo, & Raimberto filio quondam Ulfecauſo, & Davit filio quondam Odelberto, & Dominico filio quondam Martino, de ſupraſcripto loco, teſtes.*

✠ *Signum de manus Teudejulfo filio quondam Teudiverto de ipſo loco teſte.*

Ego ſupraſcriptus Pedelbertus Notarius rogatus, qui hanc paginam vendicionis ſcripſi, & poſt traditam complevi.

Quæ heic appellatur *largitas Motaldi Advocati*, ſive *Defenſoris*, idem eſt ac ſi dixiſſet *Mundoaldi*. Mulieribus autem, Romanâ Lege D viventibus, ſi nuptæ erant, viri conſenſus neceſſarius erat, quoties inducebant in animum vendere aliquid aut donare. Sublato poſtea e vivis viro, liberum eis aliquibus in locis fuiſſe videtur ſine alicujus, aut agnati, aut Judicis præſentia & auctoritate, contractus quoſvis conſummare. Utriuſque moris exemplum e Tabulario celeberrimi Monaſterii Sublacenſis deſcripſit, & ad me miſit Nicolaus Aloyſius, eruditionis præſertim Eccleſiaſticæ ſolertiſſimus cultor.

Agro-

Agrorum donatio facta Monaſterio Sublacenſi, ejuſque Abbati Georgio, a Roſa muliere nobili, Anno 967.

ANno Deo propitius Pontificatus Domni Johannis ſummi Pontificis & univerſali decimi tertii Pape in ſacratiſſima Sede beati Petri Apoſtoli Secundo, Indictione Decimá, Menſe Junii die XX. Quoniam certum eſt, me Roſa nobilis femina, conſentiente mihi Benedicto Manſionarium viro meo, *oc die ceſſi & ceſſimus, & inrevocabiliter largior, nullo me cogente, neque contradicente, aut vim faciente, ſed propria ſpontaneaque voluntate vobis* Domno Georgio Secundicerio, *modò* Monachum & Abbatem *eſſe videtur, venerabili Monaſterio Sancti Chriſti Confeſſoris Benedicti, quod ſitum eſt in Sublaco, tibi vel in cunctis aliis Abbatibus ſeu Monachis in eodem venerabili Monaſterio permanentibus in perpetuum. Quia ego dono vobis pro Dei omnipotentis amore & . . . . veniam delictorum meorum, ut puris, ſacris, cotidianiſque orationibus cum juſtis & electis Domini in Regnis celeſtibus merear portionem accipere. Ideſt Vinea a novello paſtinata, ſeu terra vacante, que ſunt inſimul petie ſex in integrum cum introitu & exitu eorum, & cum omnibus ad eas generaliter & in integrum pertinentibus: poſite in territorio Aricienſe, miliario ab Urbe Roma plus minus, in loco qui vocatur Sancto Eleutherio, & inter affines, ab uno latere Valle, que vocatur Ocrana; a ſecundo latere vinea de herede de Demetrio, qui vocatur Malagei; & a tertio latere vinea de* Johanne Epiſcopo *ſancte* Anagnine Eccleſie; *& a quarto latere . . . . Unde hos muniminas novas & vetuſtas, quam meis detinui manibus, una cum hanc donationis Charta inſimul vobis contradidi, quas ſupraſcripta Vinea a novello paſtinata, cum terra vacante, que ſunt petie ſex in integrum, cum introito & exitu ſuo & cum omnibus ad eam pertinentibus, ut ſupra legitur, & poſt obitum meum cum Dei venia abeatis, teneatis, poſſideatis in uſum & ſalarium ejuſdem venerabilis Monaſterii in perpetuum, & numquam a me neque ab heredibus & ſucceſſoribus meis, aut a mea ſummiſſa magna parvaque perſona contra vos veſtriſque ſucceſſoribus nullam habebitis queſtionem aut calumniam; ſed in omni tempore ab omni homine & in omni loco, ubi vobis neceſſe fuerit, ſtare me una cum heredibus & ſucceſſoribus meis, & defendere promittimus vobis veſtriſque ſucceſſoribus in perpetuum. In qua & jurata dico per Dominum omnipotentem, ſancteque Sedis Apoſtolice ſeu ſalutem viri beatiſſimi & Apoſtolici ſanctiſſimi Domni Johanni Tertiodecimi Pape, hec omnia, que hujus Charte ſeriem textus eloquitur, inviolabiliter conſervare & adimplere promitto. Si enim (quod abſit) & quoque tempore ego vel meis heredibus & ſucceſſoribus contra vos veſtriſque ſucceſſoribus, aut ſi contra hac ſub uſufructuario donationis Charta, quam ſponte fieri rogavit, agere aut cauſare preſumpſero, tunc non ſolùm perjurii reatum incurram, verùm etiam datura me promitto una cum heredibus & ſucceſſoribus meis vobis veſtriſque ſucceſſoribus ante omne litis initium pene nomine auri uncie ſex obricii, & poſt penam abſoluti . . . is manentem huic Charte in ſua permaneat firmitate. Quam ſcribendam rogavi Benedictum Scriniarium & Tabellius . . . .*

✠ *Signum manu ſupraſcripta Roſa nobili femina*, conſentiente ſibi Benedicto Manſionarius viro ſuo, *& donatrice ſupraſcripta Vinea.*

Benedictus Manſionarii Scole confeſſioni ✠ *ſignum feci.*

Benedictus teſtis rogatus ſignum ✠ *feci.*

Alberico teſtis rogatus ſignum ✠ *feci.*

Stephano teſtis rogatus ſignum ✠ *feci.*

Georgius Secundicerius Scole *teſtis rogatus ſignum* ✠ *feci.*

Ego Benedictus Scriniarius & Tabellio Urbis Rome complevi & abſolvi.

Hujus *Georgii Secundicerii*, qui Sublacenſi Monaſterio præfuit, mentio quoque eſt in Annalibus Benedictinis Mabillonii ad Annum DCCCCLXVII. ubi Privilegium indicatur eidem ab Ottone Magno Auguſto conceſſum. Is autem, ſi conjecturam proferre licet, non profeſſione Monachus fuit, ſed in Romana Eccleſia Diaconus Secundicerius, cui commendata fuerat cum Abbatis titulo cura Sublacenſis Cœnobii. Neque præterire volo *Benedictum* illum *Manſionarium*, Roſæ donatricis virum, eique conſenſum præſtantem. Si *Manſionarios* in ordine Cleri conſtitutos ponimus, ergo is Clericus conjugatus fuerit. Nunc alteram Chartam accipe.

Imilia nobiliſſima Comitiſſa multa donat Sublacenſi Monaſterio, ejuſque Abbati Humberto, Anno 1052.

IN nomine Domini Dei Salvatoris Jeſu Chriſti. Anno Domino propitio Pontificatus Domni Leoni ſummo Pontifici & univerſali Nono Pape in ſacratiſſima Sede beati Petri Apoſtoli Anno Quarto, in menſe Decembre die primo, Indictione VII. Quoniam certum eſt, me Domna Imilia nobiliſſima Comitiſſa, que olim Domnus Donadeus conjugem fuit, habitatrice in Paleſtrina a die preſenti donamus, cedimus, tradimus, & irrevocabiliter largior atque offero, nullo me cogente, neque contradicente, vel ſuadente, aut vim faciente, ſed et & propria expontanea voluntate pro redemptione anime quondam Johannis, qui vocabatur de Bene & Donadei & Domna Itta & de Johanne filio meo & anima mea, & de credibus noſtris, per hos dono & concedo in oc venerabili Monaſterio Sancti Benedicti & Sancte Scholaſtice Virginis, quod ponitur in Sublaco & in te Domno Humberto Domini gratia humilis Abbas, in te tuiſque ſucceſſoribus Monachis, Abbatibus a Domino ſervientibus in oc venerabili Monaſterio in perpetuum permanendi, & pure ſanctere orationibus die noctuque Domino agere inceſſatis, per hos dono & concedo omnia portione noſtra, & de ſupraſcripti nominati, que pupillorum acquiſita abuimus de Caſtello, quod vocatur Sancto Angelo, intus & foris, per fundora & caſalibus, in montibus & in planis. Fundum Collemalu: Fundum Romani majore & minore: Fundum & fundum territorio de Sancta Maria in Zezinni: Fundum Vallicotte: Fundum Colombella; & cum omnibus illorum nomina de Caſalibus de territorio de Sancta Maria Zezinni, cum Eccleſiis, & cum omnibus, & noſtrum acquiſitum in caſis, caſalibus, vineis, terris, campis, pratis, paſcuis, & cum pantanu. Et predium, quod vocatur Majuleſcu, & de ſupraſcripto Caſtello in caſis, caſalibus, vineis, terris, campis, pratis, ſilvis, ſalectis, agreſta cum arboribus, & cum aquis, aquimolis, & cum omnibus ad ea pertinentibus, & ubicumque de ſupraſcripto Caſtello, & Fundum Sancta Maria Zezinni a ſupraſcripti pertinenter pupillorum acquiſitum. Omnia donamus & concedimus in ſupraſcripto venerabili Monaſterio abſque ulla contradictione cum introita & exita eorum & cum omnibus ad eas pertinentibus, nullam reſervationem nobis facio. Et de preſenti introeundi, utendi, fruendi, poſſidendi, vendendi, donandi, commutandi in uſum & ſalarium in ſupraſcripto Monaſterio in perpetuum permanenda. Quibus & numquam a me, neque ab heredibus & ſucceſſoribus meis, neque a mea ſumiſſa nulla magna vel parvaque perſona contra ſupraſcripto Monaſterio aliquam aliquando abebitis queſtionem vel litis & litis calumnie: ſed in omni tempore ab omni homine & in omni loco ſupraſcripto Monaſterio neceſſe fuerit ſtare, nos una cum heredibus noſtris defendere promittimus. In quo & jurata dicimus per Dominum omnipotentem, ſanctaque Sedis Apoſtolice Domno Leoni Pape, hec cum omnia, que in Chartula ſupraſcripta notata vel adſcipta leguntur, ut agere preſumpſerimus & minime defendere noluerimus, aut non potuerimus, tunc non ſolùm perjurium reatum incurramus, ſet ante omne litis initium pene nomine componamus auro puriſſimo Libre decem, & poſt pena abſolutionis manentem hanc Chartam ſupraſcripto Monaſterio maneat firmitatem. Quam ad ſcribendum rogavi Giſo in Dei nomine Notarium & Tabellium Civitatis Tiburtine in Menſe & Indictione ſupraſcripta.

Domna Imilia nobiliſſima Comitiſſa, que hanc Chartam fieri rogavit & firmavit.

Domno Johannes filius de Johannes de Georgio.

Domno Stephano, qui vocatur Caramannu.

Domnus Johannes Dativus Judex.

Domnus Miſo de Monteforcuna.

Domnus Miſo de Ilperimu.

Ego Giſo in Dei nomine Notarium & Tabellium Civitatis Tiburtina complevit & abſolvit.

Scribendum heic *Indictione VI.* inchoatâ menſe Septembri, aut reponendum *Anno V.* Leonis Noni Papæ: quæ poſtrema emendatio *Annum MLIII.* proderet. Quod ſi Indictio integrum Annum implens adhibita fuit, cum *Anno IV.* Leonis conjungenda erat *Indictio V.* Atque heic animadvertas, donationem factam a Comitiſsâ viduâ, Romanâ (ut reor) Lege utente, alicujus alterius conſenſu minime indiguiſſe. Neque enim tædebit heic repetere, quod jam indicavi ſupra in Diſſertat. XV. *de Manumiſſionibus*: ſcilicet decretum olim fuiſſe, ut ſi qua Mulier Libera Servo nuberet, ejus agnatis liceret in illam animadvertere; iis autem minime id curantibus, ſervili miniſterio in Palatio Regis femina addicebatur. Nunc audi, quid pœnæ ſtatuerit Ripuaria Lex contra ejuſmodi facinus Tit. 59. §. 18. *Si ingenua Ripuaria Servum Ripuarium ſecuta fuerit, & parentes ejus hoc contradicere voluerint, offeratur ei a Rege, ſeu a Comite, Spatha, & Conucola* (unde *Conocchia* Italicum). *Quod ſi Spatham acceperit, Servum interficiat. Si autem Conucolam, in ſervitio perſeveret.* Dura lex gladium offerens tam dirâ conditione adhibendum. Vide Diſſertationem LXVI. *de Monaſteriis Monialium*, ubi de pœna liberæ feminæ in vetitam venerem proruentis alia attuli. Ceterum qui mores, quæ virtutes ac vitia feminarum olim fuerint, nihil eſt nunc opus inquirere. Non alia a noſtris fuere tempora illa. Erant mulieres ſumme piæ, prudentes, & caſtæ: erant ſceleſtiſſimæ, impudiciſſimæ, atque inter eas mediæ. Tunc etiam libido ſuas flammas expandit, atque adulteria non defuere. Adulter verò ac Adultera paſſim convicti, viro læſo volente, Servitutis jugum pati cogebantur; eoſque Fiſcus Regius ad ſe trahebat. Comitibus autem facultas data erat faciendæ inquiſitionis de ipſa conjunctione Adulterii; atque hujuſmodi criminis cognitionem alicubi ſpectaſſe ad Epiſcopos, jam monui in Diſſertatione XIII. *de Hominibus Liberis.* Deprehensâ autem muliere conſentire tactibus impudicis, Marito licebat *in eam vindictam dare, ſive in diſciplina, ſive in venditione: veruntamen non occidatur, nec ei ſcematio corporis fiat.* Si verò impudicus multam a Lege propoſitam ſolvendo impar erat, tradebatur & ipſe Marito *in diſciplina, vel venditione.* Hæc Liutprandus Rex. Decrevit autem-

rem Rotharis Rex, ut Marito, deprehendenti Uxorem in Adulterio, jus foret, tam eam, quàm adulterum impune occidendi: quæ Lex adhuc obſervatur Mutinæ, ac in aliis locis. Et Sæculo quidem vulgaris Æræ Decimo, quo nullum corruptius Italia Chriſtiana vidit, tam enormiter libidini frena laxata ſunt, ut ipſæ principes feminæ palam in omne intemperantiæ genus ſeſe effunderent. Præ ceteris verò circiter Annum DCCCCXXV. ex hujuſmodi licentia famam ſibi grandem conquiſiere apud Langobardos *Ermengardis Adelberti Epcrediæ Marchionis uxor*, & apud Romanos *Marozia Johannis XI. Papæ mater, & Alberici Marchionis ſenioris conjux*, ejuſque mater *Theodora*, ac ſoror altera *Theodora*: quarum vitia ad poſteros tranſmiſit liberiore ſtilo Liutprandus illorum temporum Hiſtoricus. Eodemque Sæculo, quum Eccleſiaſtica diſciplina rimas undique contraxiſſet, cœpit ipſe Clerus obſervatam in Occidente ab exordio Eccleſiæ continentiam contemnere, eoque tamdem evaſit maleſanus ardor, ut Presbyteri, nedum Diaconi & Subdiaconi, feminas ſub omnium oculis loco uxoris haberent, illud cauſſati, cur non ſibi liceret, quod apud Græcos minime nefas erat? Longe utique facilius pullulant Vitia, quàm Virtutes: quare peſtilentia hæc univerſas fere Italiæ Civitates, ipſamque Urbem, ſenſim invaſit. Connivebant mali Præſules, obſiſtebant boni; atque inter poſtremos hoſce mihi referendus eſt Warinus ſive Guarinus (quod idem eſt) Mutinenſis Epiſcopus, qui Anno MV. Eccleſiæ huic præerat. Adigebat ille quoſcumque Presbyteros ad Beneficia promovendos, hujuſmodi flagitio inquinatos, aut ſuſpicionem illius ingerentes, ad ſacramentum de caſtitate ſervanda, & fidem frangenti pœnam indicebat. In margine vetuſtiſſimi Sacramentarii MSti apud Canonicos Mutinenſes hæc deprehendi: *Ego Andrea Presbiter promitto coram Deo & omnibus Sanctis, & tibi Guarino Epiſcopo, quod carnalem comiſtionem non faciam: & ſi fecero, & onoris mei & beneficio Eccleſiæ perdam*. Ita ille perquam Latine. Succedit alterum ſimile jusjurandum: *Ab hac ora in antea promitto ego Johannes Archipresbiter tibi Warino Epiſcopo, quod diebus vitæ meæ cum muliere alterius adulterium non faciam, neque cum inlicita meretrice fornicationem. Et ſi fecero, me ipſum confirmo in periculum*. Benedictus quoque VIII. in Ticinenſi Synodo temporibus iiſdem ſaluberrima in hanc rem edicta promulgavit. Porro in quantum incendium poſtea flamma hæc eruperit, quantæque turbæ ob iſtos (ita enim appellabantur) Nicolaitas Mediolanenſem Eccleſiam concuſſerint, non eſt hujus loci explicare. Proſtant Petri Damiani, Baronii, ac Puricellii Opera, eorumque tumultuum narrationem nobis reliquere Landulphus ſenior, & Arnulphus Hiſtorici Mediolanenſes in Libris a me evulgatis Tomo IV. Rer. Italicarum.

Ad mulieres regredior, e quibus duæ in Italia eodem Sæculo XI. ſummæ prudentiæ in regendis Populis, ac militaris etiam fortitudinis laudem retulere: *Mathildis* videlicet *Comitiſſa*, Tuſciæ Duciſſa, aliarumque in Lombardia Urbium domina: & *Adelaſia*, ſive *Adelais Marchioniſſa Seguſii*. Verùm iſtæ perquam raras reliquere poſt ſe virilis hujus virtutis imitatrices. Matthæus tamen Villanius fortiſſimi animi feminam nobis exhibet *Ciam* (Tertiam alii appellant) Franciſci Ordelaffi Forolivienſium domini, ſive tyranni, uxorem, quæ Sæculo Chriſti XIV. militaribus armis cincta hoſtes non ſemel repulit, ac Cæſenæ Arcem viriliter tutata eſt. Neque reticendum, per Sæcula plurima inter Chriſtianos viguiſſe duplex Matrimonii genus: alterum ſolemne, tabulis nuptialibus intercedentibus initum, alterum dote ac ſolemnitate carens, quod Clandeſtinum nunc appellatur. Mulieres priori modo nuptæ, *Uxoris* nomine diſtinguebantur: reliquæ vero, etſi mutuo in Matrimonium conſenſu vir & mulier liberi conjungerentur, *Concubinæ* frequentius appellatæ ſunt, atque interdum *Viceconjuges*. Quod probe tenendum, ne quoties in antiquorum monumentis *Concubinæ* titulum, temporibus noſtris abominandum, offendis, continuo crimen arbitreris. In Concilio Toletano primo ſcriptum eſt: *Qui non habet Uxorem, & pro Uxore Concubinam habet, a communione non repellatur*. Paria, immo clariora, tradidit Sanctus Iſidorus, cujus verba a Gratiano referuntur c. *Chriſtianus*, Diſtinct. 34. *Chriſtiano ne dicam plurimas, ſed nec duas ſimul habere licitum eſt, niſi unam tantum aut Uxorem, aut certe loco Uxoris* (ſi Conjux deeſt) *Concubinam*. Hanc in rem vide Gratianum ipſum, & Canonum Interpretes, Archidiaconum, Turrecrematam, Turrianum, Bellarminum, Barboſam, &c. Ac propterea quamvis Eginharto teſte Carolus Magnus poſt Liutgardis Reginæ mortem *quatuor* habuerit *Concubinas*, immo variis temporibus *octo*, ut alii tradunt, ejus tamen famam docti viri tuentur, rati non alias mulieres eo nomine deſignari, quàm *Uxores*, uti nunc ajunt, *Conſcientiæ*, ſive *ſiniſtri lateris*, quæ etiam *Uxores Concubinæ* interdum ſunt appellatæ. Vide Macrios in Hierolexico. Ad tempora uſque Concilii Tridentini ejuſmodi conjunctio licuit ac tolerata fuit; nunc ubi ejuſdem Concilii diſciplina recepta eſt, Matrimonia Clandeſtina inire amplius non licet. Sublato autem e vivis uno e Conjugibus, numquam ab Eccleſiis Latinis revera interdictum fuit alteri ad ſecunda vota tranſire, uti neque ad tertia, & ultra etiam, modò morte alterutrius ſacrum vinculum ſolveretur. Attamen ſecundas haſce Nuptias, eoque magis tertias & quartas antiqua Eccleſiæ Sæcula, præſertim apud Græcos, moleſte tulerunt, improbarunt, immo & pœnitentiæ ſubjecerunt; atque hinc ortum *Irregularitatis* impedimentum ad Ordines Sacros. Scilicet in libidinem ac intemperantiam pronior videbatur, cui non ſatis erat unico matrimonio operam dediſſe. Addita eſt ridenda vulgi opinio, quam tamen Juſtinianus Auguſtus adhibere & ipſe non dubitavit in Authent. de Nuptiis, nempe *animam mariti defuncti ſecundis Nuptiis contriſtari*. Quamobrem licebat quidem olim poſt Conjugis unius fata ſuperſtiti ad alias convolare Nuptias; rarius tamen id olim fiebat, quàm noſtris temporibus, ne in invidiam vulgi feminæ præſertim incurrerent. Cujus etiam rei perdurare apud nos veſtigium infra animadvertam in Diſſertatione XXXIII. *de Moribus*, quum ſibilis & dicteriis Populi excipiantur nuptiæ Viduarum cum Viduis.

DE
ITALIÆ STATU,
HABITATORUM AFFLUENTIA, AGRORUM CULTU, MUTATIONE CIVITATUM, FELICITATE AC INFELICITATE, TEMPORIBUS BARBARICIS.

DISSERTATIO VIGESIMAPRIMA.

DISSERTATIO VIGESIMAPRIMA.

NUm Populum plurimum Italia nutrierit, florente Romanorum Republicâ, ac vigente Cæſarum imperio, nunc inſtituti mei non eſt inquirere. Hoc unum in præſenti Diſſertatione conſiderandum mihi ſumo, nempe comparationem inſtituere inter barbarica & noſtra tempora, ut intelligamus, an eadem olim fuerit, atque nunc ſit Populorum & incolarum copia in hiſce regionibus. Quo tempore Langobardi Italiam invaſere, multis vulneribus debilitatam invenere feliciſſimam antea Provinciam. Quippe Anno Chriſti DLXV. ſæva adeo peſtilentia graſſata eſt inter Italicos, ut innumera hominum millia ſuſtulerit, Civitateſque non paucas & rura pæne habitatoribus exhauſerit. A tanta Populorum clade vix anni tres abierant, quum ferociſſima gens in Italiam irruit: teſte autem Paullo Warnefridi Lib. 2. Cap. 26. de Geſtis Langobardorum *non erat tunc virtus Romanis* (quo nomine univerſa gens Italica ſignificatur, Romano tunc Imperio ſubjecta) *ut reſiſtere poſſent; quia & peſtilentia, quæ ſub Narſete facta eſt, plurimos in Liguria & Venetiis extinxerat: & poſt annum, quem diximus fuiſſe ubertatis, fames nimia ingruens univerſam Italiam devaſtabat*. Acceſſit & altera lues. Langobardorum enim ſecundus Rex Clephus *multos Romanorum viros potentes, alios gladio extinxit, alios ab Italia exturbavit*. Succeſſere Duces, quibus Regnum regentibus, *ſpoliatis Eccleſiis, Sacerdotibus interfectis, Civitatibus ſubrutis, Populiſque, qui more ſegetum excreverant, extinctis (exceptis his regionibus, quas Albuin ceperat) Italia ex magna parte capta & a Langobardis ſubjugata* A *eſt*. Inter tot adverſa opinari ſane licet, afflictam admodum fuiſſe fortunam Italiæ, multiſque non tantum locis, ſed & Urbibus non paucis deſolationem fuiſſe inlatam, atque adeo immutatam faciem rerum, ut & agris ac ipſis Civitatibus incolarum nervus ſubtractus, aut fœde imminutus fuerit. Facilis verò vaſtatio, difficilis reparatio. Tum Anno DXC. hinc Franci, inde Græci, junctis conſiliis & armis, regiones iſtas cædibus ac incendiis replevere, receptis *Montenâ* (ſcribe *Mutinâ*) *Altino, atque Mantuâ Civitatibus*, ut eſt in Epiſtolis ad Childebertum Regem eo tempore ſcriptis apud Du-Cheſnium Tomo primo Scriptor. Francicor. pag. 871. & ſeqq. Suum poſt hæc furorem B Langobardi exonerarunt in reliquas Italiæ partes, Græcis adhuc obtemperantes. Patavina Civitas capta, *flammis vorantibus concremata eſt, & juſſu Regis Agilulfi ad ſolum uſque deſtructa eſt*. Parem fortunæ aleam ſubiere Cremona, Brixellum, aliaque loca. Exarchatum Ravennatem, Romanum Ducatum, Neapolim, ceteraſque Græcorum Urbes gladius Langobardicus ſæpe vexabat. Contra Hunni Forojulienſem Provinciam non ſemel vaſtarunt.

Inter tot clades & ærumnas fluctuante Italiâ, nemo non intelligit, quàm ſqualida multis in regionibus tunc foret illius facies. Ipſa Urbium Regina Roma, quamdiu Langobardorum Regnum viguit, ſummis calamitatibus C agitata, atque in pejora ruens, ex antiquo ſplendore decidebat. Et ad ea quidem tempora pertinere puto Epigramma, quod in vetuſtiſſimo Codice Capituli Canonicorum Mutinenſium MStum legi, atque heic editum volo.

Epigramma in Urbem Romam, Sæculo, ut videtur, VII. aut VIII. compoſitum.

Nobilibus fueras quondam conſtructa patronis,
Subdita nunc ſervis. Heu male Roma ruis!
Deſeruere tui tanto te tempore Reges:
Ceſſit & ad Græcos nomen honoſque tuum.
In te nobilium Rectorum nemo remanſit;
Ingenuique tui rura Pelaſga colunt.
Vulgus ab extremis diſtractum partibus orbis,
Servorum ſervi nunc tibi ſunt domini.
Conſtantinopolis florens nova Roma vocatur.
Mœnibus & muris Roma vetuſta cadis.
Hoc cantans priſco prædixit carmine Vates:
Roma, tibi ſubito motibus ibit amor.
Non, ſi te Petri meritum Paulique foveret,
Tempore jam longo Roma miſella fores.
Manciribus ſubjecta jacens macularis iniquis
Inclyta quæ fueras nobilitate nitens, &c.

Ad legendos reliquos verſus me acies oculorum deficit. Scribit Poeta, Romam ante magnam a ſuis Regibus fuiſſe deſertam, & ad Græcos tranſiiſſe ejus nomen atque honorem. Dicuntur autem ſervi ſervorum tunc Romæ dominari: quod minime accipiendum eſt de Romanis Pontificibus, ſub quorum dominatione nunquam eſt Romanam rem aſſurrexiſſe; ſed quidem de Græculis: nam antiquitus Servis in Græcia natis Urbs abundavit, tunc verò e converſo Græci Præfecti Romanis imperabant. Infra eadem Urbs appellatur *Mancipibus*, hoc eſt, ut conjicio, ſpuriis, ſive *Mancipibus ſubjecta* inquit. Nobiles autem Romani *rura Pelaſga* colere dicuntur. Animadvertas etiam velim verſum illum priſco Poetæ tributum, quem ab aliis memoratum vidi, hoc eſt,

Roma, tibi ſubito motibus ibit amor.

Retrogradam fortunam Urbis eo verſu deſignatam Poeta arbitratur; ſi enim ab ultima litera inverſo ordine ipſum verſiculum legere incipias, eumdem rurſus reperias: qui ſane literarum concurſus mirandi aliquid continuiſſe Grammaticis viſus eſt. Et multum quidem antiquitatis eſſe verſiculo huic, ex Apollinari Sidonio diſcas, cujus verba ſunt Lib. IX. Epiſt. XIV. *Ii nimirum ſunt recurrentes, qui metro ſtante, neque literis loco motis, ut ab exordio ad terminum, ſic a fine releguntur ad ſummum. Sic eſt illud Antiquum*

Roma, tibi ſubito motibus ibit amor.

Ergo quàm afflicta dejectaque foret ante Francorum adventum, & Græcis regnantibus, Romanæ gentis & Urbis fortuna, paucula hæc nos docere poſſunt. Ceterum Langobardici Regni interiora tunc mitiori ſidere procul dubio fruebantur. Stabilita quippe dominatione Regum, & bello ex ſinu ſuo in finitimos deducto, pax, ſecuritas, atque juſtitia Populum ſenſim multiplicavit, & agris fertilitatem reſtituit. Non tantùm Urbes Civibus frequentes erant, ſed & Caſtella & rura. Inito nempe fœdere, & affinitatibus contractis, & abjectis Arii erroribus, tam Romani (antiqui ſcilicet Italiæ incolæ) quàm Langobardi, unus Populus effecti ſunt, & quum Romani primis novi Regni annis, Paulo teſte, *tertiam partem ſuarum frugum Langobardis perſolvere* cogerentur, tempore progrediente ſublatum fuit inter utramque gentem diſcrimen, ita ut omnes paribus tributis forent obnoxii. Agros etiam Italici Regni vix diſſimili ratione, ac noſtris temporibus coluntur, tunc fuiſſe excultos, perſuaſum habeo, quum non in vicis & Caſtellis tantùm ruſticanæ familiæ degerent, ſed etiam in Curtibus & caſis per arva interſperſis.

Dejectis Langobardis Regibus, ſub Francis deinde pacatior Italia floruit: eoque tempore par eſt credere, amplificatam fuiſſe Populorum ac habitatorum progeniem: hi enim fructus e pacis gremio plerumque enaſci ſolent. Verùm Carolo Craſſo Auguſto ex humanis rebus ſublato, teterrima bella inter Guidonem Spoleti, & Berengarium Fori Julii Duces, aliosque Principes ad Italicum Regnum inhiantes, ſucceſſere in gravem totius Regni perniciem. Acceſſit & altera peſtis: nam Hungri per annos plures, hoc eſt ab Anno Ch. DCCCC. uſque ad annum DCCCCL. crebris irruptionibus mirum in modum Urbes ipſas Italiæ, necdum Villas, cædibus ac incendiis lacerarunt atque ſpoliarunt. Neque tot malis & populationibus factus eſt finis, donec in Ottonem Magnum & Cæſares Germanicos translatum eſt Regnum atque Imperium. Quæ ſub iis poſt Sæculum X. fuerit Italiæ facies, & habitatorum affluentia, infra inveſtigabo. Nunc dicendum, quamvis etiam animo conciperemus, Italicas provincias, ante Annum a Chriſto nato Milleſimum, innumeris hominum capitibus abundaſſe, nihilo tamen ſecius tempora noſtra, quod eſt ad eorum numerum, longe illis anteire atque præſtare. Et primo fieri non potuit, ut tunc tot ruſticorum familiæ & caſæ numerarentur, quot nunc in Italicis arvis inſpicimus. Erant enim iis Sæculis frequentes apud nos non in montibus tantum ſed & in planitie, Luci, Silvæ, Nemora. *Gajum*, *Gizium*, *Gagium*, *Waldum* & *Gualdum*, nomine e Germanica Lingua derivato, cui in uſu eſt *Wald*, tunc etiam appellavere *Nemus*: atque ea vox a Langobardis præcipue uſurpata. Apud Ughellium Tom. 8. Ital. Sacr. in Archiepiſcop. Beneventan. Arichis Princeps Beneventi in Charta fundationis & dotationis Monaſterii Sanctæ Sophiæ Anno DCCLXXIV. largitur *Eccleſiam Sancti Petri, quæ ædificata in Galo .... Eccleſiam Sancti Abundi, quæ ſita eſt in Galo noſtro Paline* &c. *Et ex ipſo Galo circa ipſam Eccleſiam largiti ſumus in Monaſterio Sanctæ Sophiæ territorium longitudine milliaria duo, latitudine unum* &c. *Et conceſſimus nominato Sanctæ Sophiæ Monaſterio ex ipſo Galo Motula milliaria duodecim*, &c. Sunt ibi & alia ejuſmodi loca: ſed ubique legendum videtur *Gajo*. Quod ubi ſtatuas, hinc ediſcimus, jam prægrandes illas ſilvas cœptas fuiſſe exſcindi, ibique ſenſim caſas ædificatas. In Diplomate Caroli Magni Anno DCCLXXXI. dato Eccleſiæ Regienſi apud eumdem Ughellium in Appendice Tomi V. Ital. Sacr. de quo agam & ego infra in Diſſertat. XXXIV. *de Diplomatis*, memoratur *Gajum noſtrum, quod in Luciaria conjacet, & nunc noviter excolitur*. Uſi ſunt & veteres ad deſignanda nemora voce *Foreſta*, quam etiam Germanicæ Linguæ nos debere multi opinantur: & *Boſco*, quod vocabulum nobis Germania dedit, quæ Sylvam *Buſch* appellat, deditque Francis, apud quos *Bos* aut *Bois* idem ſignificat. *Brolium* quoque & *Broilum* veteres dixere ſaltum, in quo feræ ad venandi uſum muro circumducto alebantur: *Parcum* appellavere poſteriores. Vide Romualdi Salernitani Chronicon ad Annum MCLIII. Tomo VII. Rerum Italicarum. In Capitularibus Caroli Magni Anni DCCC. habes *Lucos noſtros, quos Broilos vulgus vocat*. Attamen apud Mediolanenſes *Brolium* pro Viridario ſeu Pomario nunc uſurpatur; & apud Mutinenſes *Brollo* eſt locus arboribus pomiferis conſitus, & muro aut ſepe circumſeptus. Vide Chartam Adelberti Epiſcopi Bergomatis Anno DCCCCXV. ſcriptam Tomo IV. Ital. Sacræ, ubi *caſa cum Brolio uno tenente cum muro circumdata, ſeu arboribus*. Quæ omnia indicare videntur, *Brolium* appellatam fuiſſe agri portionem arboribus ornatam & muro cinctam, ſive ibi feræ alerentur, ſive non. Et ſane Sanctus Hieronymus in Cap. 3. Ezechiel. περίβολον, unde efformatum fuit noſtrum *Brolium* & *Broilum*, interpretatur *vivarium* vel *concluſum locum*. Octavius Ferrarius locum, in quem Patricii Veneti conveniunt ad pertractandum de honorum petitione, & munerum publicorum diſtributione, ideo

ideo *Broglio* appellatum arbitratur, quod is locus περίβολος, ſeu locus arboribus conſitus foret. Sed perpendendum, num forte inde natum nomen fuerit, quod ibi fiat *Broglio*, ſeu *Imbroglio*, ideſt conſilia ineantur, & colloquia vigeant, ut perturbentur petitiones ac ambitus unius, juventur alterius. Et ſane *Far Brojo*, ſive *Broglio*, idem exprimit, nempe conſultare de rationibus excludendi parum dignos aut inimicos, & promovendi digniores & amicos. Vide *Imbrogliare* in Diſſertatione XXXIII. *de Origin. Vocum Italicarum*. *Macclam* quoque Apuli ac Romani olim Silvam minorem appellavere, & apud illos adhuc vox *Macchia* ſignificatione eâdem perdurat, cujus originem obtòrto collo a *Dumus* deducit Menagius. In Charta Chronici Vulturnenſis Anno DCCCCLXXXVIII. pag. 478. legitur *uſque ad Macula Johannis Ateſſani*. Opinarer ego potius metaphorice nuncupata *Maculas* fuiſſe ſuccreſcentia in agris heic & illic dumeta. Apud nos *Macchia*, & *Macchione*, non eſt Silva aut Nemus, ſed Virgultorum aut Veprium ſpiſſa congeries in campis, aut foſſatorum ripis enaſcens. Nomen hoc Apuli ac Romani ad integram Silvam tranſtuliſſe videntur. Erant & Silvæ aliæ minores, diverſi generis arbores complexæ, quæ *Laureta*, *Roboreta* dicebantur, *Saliceta*, *Albareta*, *Cerreta*, *Fraxineta*, *Perſiceta*, *&c.* Et apud nos nomina eadem perdurant, quum ſublatis arboribus & ſilvis ager excultus locum dederit Villis, earumque habitatoribus. Sed his dimiſſis, certum futurum eſt nobis, barbaricis temporibus multum agri Italici occupatum fuiſſe ab ejuſmodi Silvis, non ſecus atque adhuc intuamur in nonnullis Germaniæ locis, quamquam extra controverſiam poſitum reor, apud Germanos ipſos immanem veterum Silvarum copiam abſciſſam cecidiſſe, & eradicatam culturæ agrorum ſenſim locum dediſſe. Proinde in antiquis Diplomatis & Chartis Italiæ multæ nobis occurrunt Silvæ, quarum nunc nullum ſupereſt veſtigium. Accipe Diploma Aiſtulphi Langobardorum Regis, quod ex Archivo Monachorum Caſinenſium Sancti Petri Mutinenſis depromſi, ubi pervetuſtum illius exemplum, notis tamen Chronologicis deſtitutum adſervatur.

Aiſtulphus Langobardorum Rex Lopecino Mutinenſi Epiſcopo Curtem Zenam donat, circiter Annum 752.

F*Lavius Aiſtulfus Rex excellentiſſimus Eccleſiæ beatiſſimi & Confeſſoris Chriſti Geminiani, qua ejuſdem Corpus quieſcit humatum, & beatiſſimo viro Patri noſtro* Lopecino Epiſcopo, *per preſens Preceptum poteſtatis Regni noſtri, ſicut a nobis tua ſperavit paternitas, per glorioſiſſimam atque precellentiſſimam* Giſeltrudam Reginam *dilectam* Conjugem noſtram, *concedimus atque donamus in ipſa ſancta Eccleſia* Curtem noſtram, *quæ dicitur* Zena, *territorio Motinenſi*, Silva jugis numero quingentis, *coherentes ibi a tribus partibus* Gajo noſtro, *qui pertinere videtur de ipſa Curte Zena, de quarta vero parte percurrente fluvio, qui nominatur Scultenna. Ea ratione ſupraſcripta quingenta jugera Silve concedimus, ut ab hac die ipſe ſanctus locus, vel tua paternitas omni in tempore ſecuriter dona noſtra valeat poſſidere, qualiter & noſtra juſſimus, tradimus, atque conſignatum eſſe videtur voluntate, quatenus ab hodierno die habentes hoc noſtrę donationis & ceſſionis Preceptum, ſecuriter atque firmiter ipſe ſanctus locus valeat poſſidere. Et nullus Dux, Comes, Gaſtaldius, vel Actionarius noſter contra hoc noſtre donationis & ceſſionis Preceptum audeat ire quandoque, ſed omni in tempore ipſe prenominatus ſanctus locus vel tua paternitas ſecuriter valeatis poſſidere. Ex dicto Domni Regis ......* Cetera deſiderantur.

Quę hîc dicitur *Giſeltruda* conjux Aiſtulphi Regis, eadem memorata reperitur in Opuſcul. de fundatione Monaſterii Nonantulani Part. II. Tomi I. Rer. Italicarum, utpote *ſoror Sancti Anſelmi*, cui originem ſuam debet celeberrimum illud Cœnobium in agro Mutinenſi conſtructum. *Curtis Zena* olim & ipſa ſita erat in eodem agro ultra Scultennam fluvium, infra Caſtellum Sancti Cæſarii, fortaſſis ubi nunc Caſtrumfrancum Bononienſium viſitur. Nam Bononienſes, quantis olim potuere viribus, ſuos fines protenderunt Mutinam versùs, ſuumque agrum ex alienis ſpoliis amplificarunt. Ipſum Nonantulanum Monaſterium intra fines ipſius Curtis Zenæ ædificatum videtur. Et viſitur adhuc eiſdem in locis Villa *Gagii*, quæ non alia eſſe videtur a *Gajo Regis*, in hac ipſa Charta memorato. *Eccleſia de Zena*, & *Via Claudii*, conterminæ Curti Vilzagaræ, ſeu Sancti Cęſarii, ad Septemtrionem, dicitur in Charta Comitiſſæ Mathildis Anno MCXII. ſcriptâ, apud Bacchinium in Hiſtor. Monaſter. Padolironenſis. Doctiſſimus olim amicus meus Gaſpar Berettus Monachus Benedictinus, in Regia Ticinenſi Urbe Philoſophiæ Profeſſor, pag. 55. Diſſertationis Chorographicæ, quam præpoſui Tomo X. Rer. Italicar. dubitavit, an *Zena* fluviolus idem fuerit ac *Madia*, nunc *Samogia*; incertus tamen addidit: *Docti Mutinenſes nos corrigant*. Certe Zena fluviolus, unde nomen Curtis Zena ſumſit (niſi potius ab ipſa Curte fluvius ipſe appellationem ſuam derivaverit) a Samodia differt, ac longe diſtat. In vetuſtiſſimo Statuto Populi Mutinenſis Anno MCCLV. decretum eſt, *ut fodiantur Dugaria* (de hoc nomine vide infra Diſſertationem XXXIII. *de Origin. Voc. Italicarum*) *Sancti Cæſarei*, *Zenæ*, *Panarii*, *Gazi*, *Panzani*, *Nonantulæ*. Modus etiam traditur æſtimandi fundos *de Sancto Ambroſio*, *de Villa Ronchi*, *Gazio*, *Panzano*, *Zena*, *Sancto Cæſario*, *Bazano*, *Caſtro Creſcente*, *Ravarino*, *Nonantula &c.* quæ ſingula ad Comitatum ſive agrum Mutinenſem ultra Scultennam tunc pertinebant, & partim adhuc pertinent, eoque tempore cuncta ad Mutinenſem Rempublicam pertinebant. Eſt autem in iis locis fluviolus *Gena*, nunc *la Zena*; & inferius *la Generella*. Memoratur etiam fluvius *Gena* conterminus Nonantulæ in Diplomate Aiſtulphi Regis Langobardorum Part. II. Tomi II. Rer. Italicar. pag. 191. Ibi Anſelmo Abbati concedit Rex ad Monaſterium Nonantulanum conſtruendum *Silvam ex Curte noſtra Gena, coherentem per loca deſignata, ex una parte fluvio Panario &c.* Qui *Panarius* heic dicitur, idem eſt atque *Scultenna*: & etiamnum in montibus antiquam *Scultennæ* appellationem retinet, quum

in plurimis *Pratarias* appellitur. Infra in eodem Diplomate memoratur *Gazum Duganæ*, ſed alibi ſcribendum *Gazum de Gena*. Adhuc quidem perdurat in agro Nonantulano nemus non contemnendæ magnitudinis: ſed aut ab illo diverſum eſt, quod *Gajum Regis* olim dicebatur, aut & *Silva*, in qua conſtructum fuit inſigne Nonantulanum Monaſterium, aut ſi quodpiam commune cum iis id nemus habuit, a multis Sæculis exciſum attenuatumque adeo fuit, agris ad culturam perductis, ut immutata plane fuerit loci illius facies. Quot aliæ Silvæ Monaſterio Nonantulano eſſent, inferius ſubjiciam. Nunc audi Apollinarem Sidonium Lib. prim. Epiſtol. V. Scribit ille, ſe ingreſſum *alveum Lambrum, cæruleum Adduam, velocem Atheſin, pigrum Mincium &c. quorum ripæ torique paſſim querneis acerniſque Nemoribus veſtiebantur*. Nunc horum pauca aut nulla veſtigia ſuperſunt. Innumera alia Nemora & Silvas in Chartis hoc editis offendas, quæ jamdiu aratro parere didicerunt. Redeo ad fluvium Genam. Ejus mentio etiam occurrit in Diplomate Conradi I. Romanorum Regis Anno MXXXIII. apud Sillingardum & Ughellium, ex quo habemus, quouſque tunc ſe protenderet Diœceſis Mutinenſis. Scilicet confirmat ibi Conradus Ingoni Mutinenſi Antiſtiti *Plebem Sancti Felicis in Maſſa cum Curte & Decimis omnium illarum Villarum in Stratam Petroſam percurrentem juxta Genam, & Blancaniſſe. Et flumen Genæ, & Mutiæ, & Panariæ &c. & Cortem Genæ cum omni Decima, & Decimam integram de Plebe Sancti Cæſarii, & Caſtellum de Bazano &c.* Quare videas, non tantùm Nonantulanos Monachos, ſed etiam Mutinenſes Præſules *Cortem Genam* ſibi tribuiſſe. Immo quàm turbulenta fuerint barbarica illa Sæcula, atque inſtabilis rerum poſſeſſio, quippe hanc eamdem *Cortem, ſitam in Comitatu Mutinenſi, loco, qui dicitur Zena, cum omnibus rebus & familiis, & Capellam in honore Sancti Cæſarii*, Carlomannus Rex dono dedit Wibodo Parmenſi Epiſcopo, & ſubinde Carolus Craſſus Anno Chriſti DCCCLXXX. confirmavit.

Neque tantùm Silvæ crebræ, ſed & Paludes antiquis temporibus longe quàm nunc frequentiores erant: idque potiſſimùm ſpectabatur circa multos ex fluviis Langobardici Regni, ubi in Padum ſe ſe exonerant: atque in primis ubi Padus & Atex in mare influunt. Profecto florentes fructiferoſque paſſim agros nunc in Langobardia intuemur, & cuncta fere flumina ſuis aggeribus conſtricta frenum pati conſpicimus. Verùm ſi regionis hujus chorographiam aliquam veteres nobis reliquiſſent, qualis tunc erat, mirum quàm diſſimilis collata cum illa videretur noſtri temporis regio. Neque barbarorum tantummodo dierum infelix fructus hic fuit, ſed vel ipſis Romanis longe lateque imperantibus, Paludum, & Lacuum, & Nemorum copia non mediocris Æmiliam, Flaminiam, ac Venetiam multis in locis occupabat. Vitruvio teſte Lib. primo Cap. 4. *Paludibus* opprimebatur tota illa regio, quæ inter Ravennam, Altinum, & Aquilejam ſe extendit. Strabone etiam teſte Lib. V. *omnis regio hæc maximam partem Paludibus abundat*. Prædixerat ille, loquens de Brixia, Mantua, Regio, Como: *Hæ Urbes longe ſupra Paludes jacent*. Idem ille teſtatur de multis Venetiæ Urbibus, *quarum aliæ inſularum more cinguntur aquis, aliæ alluuntur mari aliqua a parte, quæ in mediterraneis ſupra Paludes ſitæ ſunt*. Nondum verò nata erat inclyta Venetiarum Civitas. Herodianus quoque ſcribit, *ſtagna, & Paludes inter Altinum & Ravennam occupata fuiſſe*. Quàm verò late excurrerent olim ejuſmodi Paludes, erudite inquirit Dominicus Corradi Sereniſſimi Ducis Mutinæ Mathematicus in Libro, cui titulus *Effetti dannoſi*, &c. Mutinæ Anno 1717. typis edito. Qui nunc Ferrarienſis ager cis Padum ſingulari fertilitate commendatur, tunc ſtagnantibus aquis piſces aut ranas in plerisque locis alebat, immo nondum Ferrariæ Urbis natalem noverat. Quo etiam in loco celeberrima Civitas Ravenna ævo ſuo jaceret, Apollinaris Sidonius prodit Lib. primo, Epiſt. 8. ad Candidianum ſcribens: *In qua Palude indeſinenter rerum omnium lege perverſa, muri cadunt, atque ſtant, turres fluunt, naves ſident, ægri deambulant, medici jacent* &c. Addit. *Tu vide qualis ſit Civitas, quæ facilius territorium potuit habere, quàm terram*: idest potius dicenda eſt longe quidem extendere fines agri ac juris ſui, ſed paucos agros arabiles intra fines ſuos numerare. Pari aquarum ſtagnantium incommodo tunc Bononienſis ac Mutinenſis agri planities premebatur. Nempe inter ambas Civitates, & ad ipſam Viam Æmiliam, ipſis Romanorum temporibus Nemora ac Paludes occurrebant, & anguſtiam viarum faciebant. Vide quid habeat Galba in Epiſtola ad Ciceronem inter ejus Familiares Lib. 10., & Appianus Lib. 3. Bellor. Civilium. Pejora quoque ſubſequentibus Sæculis ſenſit Mutina: nam quæ ab eodem Appiano appellata eſt *Urbs feliciſſima*, atque a Tullio *firmiſſima & ſplendidiſſima Populi Romani Colonia*, & a Pomponio Mela ob opulentiam *Patavio* & *Bononiæ* æquata, temporibus barbaricis ad eas calamitates adducta eſt, ut a fluminum eruptionibus, curſuque vago circumſepta, & agrorum cultoribus, immo & habitatoribus pæne ſpoliata, diutiſſime humilis & ſquallida jacuerit. Eaque erat Mutinenſis Urbis facies vel Sæculo X. Nam Auctor Vitæ Sancti Geminiani, cujus fragmentum protuli ego, Part. II. Tomi II. Rer. Italicar. pag. 691. quærens, cur hæc Civitas olim *inclyta inter Æmiliæ Urbes, locuples & fertiliſſima, ædificiis murorum & turrium propugnaculis admiranda &c.* ævo ſuo, hoc eſt circiter Annum a Chriſti Nativitate DCCCCXXX. tam gravi caſu ex antiqua dignitate prolapſa langueret, in hæc verba reſpondet: *Quod comprobatur eſſe veriſſimum, ut aſſidue cernitur, ſæpedictæ Urbis ſolum nimiâ aquarum inſolentiâ enormiter occupatum, rivis circumfluentibus, & ſtagnis ex paludibus excreſcentibus, incolis quoque aufugientibus noſcitur eſſe deſertum. Unde uſque HODIE multimoda lapidum monſtratur congeries, ſaxa quoque ingentia præcelſis quondam ædificiis aptiſſima, aquarum crebrâ, ut diximus, inundatione ſubmerſa*.

Sed unde tanta Fluviis licentia ac rabies in Mutinenſium Urbem? Monet nos Sanctus Ambroſius in Epiſtol. 39. ad Fauſtinum, Civitatem hanc circiter Annum CCCLXXXVIII. quo Epiſtola illa conſcripta creditur, ſemidirutam jacuiſſe. *De Bononienſi*, inquit, *veniens Urbe, a tergo Claternam, ipſam Bononiam, Mutinam, Regium derelinquebas: in dextera erat Brixillum: a fronte occurrebat Placentia &c. Tot igitur ſemirutarum Urbium cadavera, terrarumque ſub eodem conſpectu*

expo-

expoſita funera , non te admonent &c. Sive a Conſtantino Magno , ſive potius bello recenti a Maximo Tyranno afflicta fuerit Mutina , profectò mire debilitatam tunc illius fortunam hinc noſcimus . Et ne aſſurgeret , obſtitere deinde Langobardorum bella : diu enim Mutina ſub Langobardico imperio limitanea Urbs fuit , & Græcis Ravennam & Exarchatum tenentibus objecta , crebriſque propterea bellis ac ærumnis obnoxia . Quare nil mirum , ſi ſublatis aut imminutis agrorum ac Urbis incolis , Fluvii circumpoſiti ac torrentes omnes a nullo compreſſi , fortaſſis etiam ad præſidium Urbis conſulto extra aggeres errare permiſſi , aut coacti , Paludibus ac Stagnis pleraque arva complerint . Atque hinc factum putat Sigonius noſter , ut confertim Mutinenſis Populus aliò ad habitandum perrexerit , & *Civitatem Novam* , quæ in Via Æmilia , ſive potius *Claudia* , longe a veteri quatuor millibus paſſuum ad Occidentem ſita erat , conderet atque incoleret . Attamen an hæc germana fuerit immutatæ ſedis cauſſa , dubitare non deſino . Neque enim *Civitatis novæ* ager Paludibus immunis erat , ſi vera ſunt , quæ occurrunt in Diplomate Caroli Magni Francorum & Langobardorum Regis pro Epiſcopo Regienſi , cujus examen inſtitui in Diſſertat. XXXV. *de Sigillis* . Nimirum ibi leguntur : *Indeque per Campum Milatium ad Septentrionalem plagam , per Paludes Civitatis Novæ , uſque Stratam , ac deinde in Aquamlongam , uſque dum venit in Burianam* . Veri mihi videtur ſimilius , locum illum coli cœptum a Mutinenſibus ex præcepto Liutprandi Regis , ut infra oſtendam : præſertim quum ager Mutinenſis ad fines Bononienſium e diuturno bello inter Græcos & Langobardos attritus nimium foret . Porro Civitatis hujus Novæ , quæ *Geminiana* quoque dicitur in Diplomate Ludovici Pii Auguſti , illuſtris mentio eſt in poſtremis Caroli Magni tabulis apud Baluzium, atque in aliis monumentis Eccleſiæ Mutinenſis a Sillingardo & Ughellio editis . Sed reſtitutâ Civitate veteri , nova penitus ſublata eſt , uno illius nomine , unoque Templo in ea Villa ſuperſtite . Proinde in Chartis bene multis Mutinenſibus Paludoſa loca aut Nemora commemorantur etiam Sæculo XII. quod uno exemplo patefaciam , deſumto e pergamena exiſtente in Tabulario Canonicorum Mutinenſium . Scripta hæc fuit *Anno MCXXIX. Sexto Kalendas Februarii , Indictione VII.* Uti illic legitur, *Domnus Dodo gratiâ Dei Epiſcopus Mutinenſis concedit exphyteutico jure res illas territoriis , & vineatis , & Boſcalivas & Paludivas juris Eccleſiæ S. Geminiani in loco Albareto* . Ita Johannes Epiſcopus Mutinenſis in Charta Anni DCCCCXCVIII. edita a Sillingardo & Ughellio , donat Monachis Mutinenſibus Sancti Petri *Molendinum unum ſupra Civitatem Mutinam , in loco , qui dicitur Carolinus , cum decem juzeribus de terra inter Paludes & Silvas* . Anno quoque MXXVI. Conradus Romanorum Rex ſuo Diplomate confirmat Warino Epiſcopo Mutinenſi *Civitatem Mutinam a tribus miliaribus in circuitu , omnem diſtrictum , & Placitum , & quicquid inibi jure Epiſcopii pertinet , videlicet Paludes , Silvas , Aquas , Aquarumque ductus , quæ ſunt poſitæ juxta idem Epiſcopium* . Sed ſenſim ea loca induſtriâ hominum excoli cœpta ſunt , multæque domus ruri ædificatæ . In antiquiſſimo Statuto MSto Reipublicæ Mutinenſis Lib. 2. Cap. 56. conſtitutum fuit : *Ut quicumque habet terram juxta Stratam Claudiam* (quæ *Æmilia* olim appellata creditur) *inter Sanctum Leonardum & Citanovam, ad minus octo bibulcarum , ibi debeat facere unam domum , quæ valeat ad minus ſex Libras Mutinenſes ; & eam habitare , vel habitari facere* . Quo aſcenderet pecuniæ Mutinenſis Libra , æſtimare hinc poſſis.

Niſi antiqua Bononienſium monumenta jamdiu excidiſſent , nullo negotio , ut arbitror , dignoſceremus , eorum agros , in inferiori Comitatus parte nunc dire a ſtagnantibus aquis oppreſſos , meliori ſidere antiquitus uſos minime fuiſſe . Quum enim ampliſſimis Paludibus inferioris Padi curſus obſideretur , quæ inter ipſam Urbem & Padum loca interjacebant, ab infeſtis Paludibus & ipſa fuere fœdata . Refert etiam Ghirardaccius Lib. 2. Hiſtor. Bononienſis , Literas Gregorii VII. Papæ datas Anno MLXXIII. per quas Lamberto Epiſcopo Bononienſi confirmat *Portum , qui cognominatur Galliana* (nunc *Gajana*) *cum ripatico & teloneo & Paludibus & Piſcariis , & Silvis* , &c. *Monaſterium Sancti Anaſtaſii fundatum in fundo Petriculo , cum portu , & teloneo & ripatico, cum Silvis & venationibus , cum Paludibus* , &c. *Curtem Milonis cum portu & ripatico , cum Silvis & cum Paludibus & piſcationibus* &c. E paucis iſtis reliqua metire . Ad Occidentem quoque Bononienſis agri Paludes exſtitiſſe , elucere videtur e Diplomate Berengarii I. Nonantulanis Monachis dato, cujus exemplum in Tabulario ſuo adſervatum a Monachis Benedictinis Monaſterii Mutinenſis Sancti Petri , ego heic editum volo.

Berengarii I. Italiæ Regis Diploma, quo Monaſterio Sancti Silveſtri Nonantulano omnia illius jura ac Privilegia confirmat , Anno 899.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Dei æterni . Berengarius divina favente clementia Rex . Si liberalitatis noſtræ munere locis Deo dicatis quiddam conferimus beneficii , & . . . . Eccleſiaſticas ad . . . . . . ſervorum Dei noſtro relevamus juvamine , atque Regali tuemur munimine , id nobis & ad mortalem vitam temporaliter tranſiendam , & æternam feliciter obtinendam liquido credimus profuturum . Quapropter omnium fidelium Sanctæ Dei Eccleſiæ , noſtrorumque , preſentium ſcilicet & futurorum noverit induſtria , quia vir venerabilis Leopardus Abbas ex Cenobio Nonantulenſi *per* Landulfum *reverentiſſimum* Archipreſulem , *necnon &* Adelardum *venerabilem* Epiſcopum , *dilectiſſimos Conſiliarios noſtros , imploratus eſt noſtram magnificentiam , quatenus pro amore Dei omnipotentis , noſtræque mercedis intuitu , omnia Privilegia Pontificum Romanorum , & Præcepta Regum Langobardorum , Francorumque Imperatorum prædeceſſorum noſtrorum , quibus illi , ſeu & ceteri fideles ad predictam Eccleſiam donando largiti ſunt , & res fidelium ejuſdem Eccleſiæ per eadem Precepta auctorita-*

ris ſemper confirmaverunt, necnon & omnium noſtrorum Precepta, noſtra auctoritate vel liberalitate firmaremus, ſimul & Privilegia Romanorum Pontificum. Cujus petitionem, quia juſta & rationabilis nobis eſſe videbatur, recipiendam atque implendam judicavimus. In quorum ...... *omnium Preceptorum* Flavii Aiſtulfi Regis *legebatur ſic:*

A

Manifeſta cauſa eſt, quoniam ante hos dies eſt conceſſum venerabili viro Anſelmo Abbati, *vel omnium Fratrum Monachorum Monaſterii Nonantulæ*, Silva ex Curte noſtra, quæ dicitur Gena, *per loca deſignata, coherente ab uno latere fluvio Panario; & ab alio latere Caſa..., quæ eſt inter* ...... *& Era Silva uſque in Riomortuo; a tertia parte Strata publica;* a quarta vero parte Silvas & Paludes, *una cum Baſilica Sancti Martini Confeſſoris Chriſti, quatenus ibi jam fuiſſet Cenobium conſtitueretur, ſicut & factum eſt. Nunc autem poſtulavit Congregatio ſua noſtram perexcelſam poteſtatem, ut in ipſo ſancto Monaſterio, vel ſuæ Congregationi jam dictam Silvam, ſicut coherentia dicta eſt, per noſtrum Preceptum confirmare deberemus, & aqua de fluvio Gena ad cujuſpiam hominis poteſtate ſubjecta non fieret, neque cum navigio pergere, aut pontem vel tranſitum ſuper eam conſtruere ſine licentia Monaſterii, & utraſque ripas fluminis ad duodecim pedes perdonamus, atque ſubtus Strata publica nullus Molendina edificare preſumat uſque fines illorum fluminum* ..... *duo Molendina in Curte Pancciano ſine predictorum licentia Monachorum: & ſi naves cum mercimoniis in predicto Flumine venerint infra prenominatas fines, liberam poteſtatem habeatis vos veſtriſque poſteris Ripaticum legaliter exigere. Nos vero Dei omnipotentis conſiderantes miſericordiam &* ..... *confirmamus in ipſo ſancto loco, vel veſtræ Congregationi jam dictam Silvam juxta ut coherentia dicta eſt. Confirmamus etiam in eodem Monaſterio veſtro Inſulam unam, quæ eſſe videtur inter Panarium & Foſſam, quæ dicitur Munda per deſignata loca; ab Oriente predictus Panarius fluvius; a Meridie Villa Salicetum; ab Occidente predicta Foſſa Munda, & Militaria* uſque Silva Comitis; *& de ſubtus Foſſa Mortua exeunte in Panario: ut nemo in predictis Foſſis vel Flumine audeat Molendina edificare abſque conſenſu Abbatis aut Monachorum. Necnon & confirmamus omnes res illas, quas ante hos dies veſtræ largiti ſunt Congregationi. Curtem quoque Cinctulum in territorio Mutinenſi cum omnibus pertinentiis ſuis. Sive duas portiones* de Silva de Lupuleto, ſeu Silva Murianenſe, *Molemiricum, Capuanum, Pontenarium, &* Paludes Grumulenſes, *uſque in limitem Ariminum* ...... *in Gaucianum, & Villam Ullianum, & de ipſo limite in Panario veniente, & de Via Decimanexe* ..... *uſque in Foſſatum Finalem cum Decimanexe & Ulimexe, ſecundum eorum coherentiis; atque ex alia parte fines de Lameſe in Caſale Modenulam & Huludiam, & ſicut vadit* ..... *Argile, Salexe,* cum Foſſa Quintana, *ſeu Vico Siculo, cum omnibus pertinentiis ſuis in integrum, cum Eccleſia beati* P*etri Apoſtoli, quæ ibi ab ipſis Maſſariis noſtris edificata eſt, una fine tenente in Vico Turiro atque Taſchente veniente in Panario: ex alio latere in fine Lameſe & fluvium Scultenna, qui & Panarius dicitur, deducendi habeant licentiam, ubicumque illis melius viſum fuerit. Et ut nullus inferioris magnæve poteſtatis homo Molendina vel Portus* .... *aut navem in ipſo Flumine vel* ...... *edificare audeat, aut piſcationes facere, aut cum navigio pergere ſine veſtra licentia. Igitur ſecundum hoc noſtrum Preceptum* Silvas & Paludes, *ſive predictam Foſſam Lavaturiam cum omnibus Foſſis & campis per legitimos fines percurrentibus; item ex alia parte fluvium Gena conjungente ſcilicet in Roſaleſſe, & utraſque ripas fluvii Panarii uſque ad duodecim pedes in latitudine, ſicut ad* ...... *pertinet. Stabilimus autem vobis veſtriſque Succeſſoribus, qui in ſeculum ſeculi in jam dicto* ...... *Nonantulenſi Monaſterio pro tempore Chriſto ſervierint*, Silvam unam in Gayo Lameſe, *veluti ad Curtem noſtram pertinuit, per deſignata loca, ex uno latere fluvius Lama, de alio latere fluvius Molena, tenente uno capite in limite Polyto, & alio capite in loco Cornyo & Fraxino, uſque in Canale Modenula & Hluduria intrante in Moclena, & a Strata publica uſque in Padum. Et ut in ipſis fluviis Modina, Lama, ſeu Hluduria nullus audeat facere Molendina, nec Portum edificare preter Abbatis & Monachorum Molendina, quantum finis illorum continet. Et per Padum de ſubtus uſque in Foſſa, quæ vocatur Carraria, atque ex alia parte per Moclenam in joſum uſque in caput de prædicta Foſſa.*

B

Medietatem ex Piſcariis noſtris in territorio Mantuano in loco Sarmata & Bondeno. Atque alias Piſcarias in finibus noſtris Regiſianis & Flexianis, *ſicuti uſque modo habuimus ad Curtem Regis in integrum, ex una parte currente fluvio Moclena; de alia parte fluvio Bondeno unum caput tenente in Foſſa, quæ dicitur Firmana, ſeu Vilula de Lacu, per Floriana, ſive per Foſſa Struariorum ſeu Albaretum uſque in Spinum; alio autem capite in Pado tenente una cum arboribus & limitibus, qui infra præſcriptas coherentias eſſe videntur, omnia vobis & poſteris veſtris in perpetuum confirmamus* tam ſilvas, quam paſcua ſeu limites & Paludes; omneſque alias foſſas & campos, ſeu Paludes, unde qualeſcumque piſcationes fiunt, exeuntes vel intrantes a Trepontio in joſum uſque in Foſſamlatam & Gambarionem. Cunctas Foſſas & Paludes, quæ fiunt de fluvio Bondeno, *ideſt Treſeclaria, cum campis ſuis; & campum Formigoſum inter Trepontium;* & Lacumſatuum *cum ipſo Pontiſio, & omnes latoras uſque ad Grumum.* Seu Silvam *& Laorinum, atque terram, & ipſas latoras per Trepontium quæ & de Bondeno exeunt, & Spino atque Trepontio in Bondeno,* & Lacu de Vulpino; *ſimulque Tubum, qui exit de Bondeno in Porcaria & Sagida, atque ex alio latere Sagida exiente de Vulpino intrante in* Lacu de Duracino Buceneto, *qui exit de Tubomortuo, intrat in Comariſe, tenente unum caput in Canedulo, & aliud in Duranno. Similiter etiam Campum de Duracino, atque Bonaſulam, quæ ponit caput in Arculas, ſimulque modum duas Arculas, contractionis latoras.* Et Lacum de Fulgino ponentem caput in Bondeno: necnon Virginiana cum omnibus locis ac foſſis & quibuſcumque Piſcariis, *ſicut nos uſque adhuc ad noſtras tenuimus manus. Et nullus magnus aut parvus homo in omnibus* ſupradictis Piſcariis *abſque veſtra licentia, ſucceſſorumque veſtrorum aliquo modo piſcare preſumat. Inſuper & propter veſtram inſignem ratam predictam petitionem juſte concedimus vobis & ſucceſſoribus veſtris confirmamus Monaſterium Domini Salvatoris ſitum in Fainanum, cum univerſis legalibus & pertinentiis &c. percurrentibus ipſius Maſſæ fini-*

C

D

E

*ſinibus ab uno latere fine Capuanenſe , & fluvio
Ceila ; ex alio latere Lardaniola Jugale deſu-
per ponente capite in Monte Miſceno: Seu* Silva
de Scuplano *cum Caſtello , & Sextula , Monte
Calvo , Cervariolo, & Alpe currente Rivo Ar
cilienſe , & Sardaniola fluvio percurrente , nec-
non Maſſa Lizano , & Gaba cum viculis ſuis ,
ideſt Aquaviva , Rivofrigido , Vilinatico , Sa-
xo Ciliciano , Gaclam Vinianam , & Porcili ,
cum montibus percurrentibus ipſius Maſſæ fini-
bus ab uno latere fine Capuanenſe & fluvio Cei-
la ; ex alio latere Lardaniola Jugale a ſupra
ponente capite in Monte Miſceno veniente in
Gajum Reginæ : de ſubtus autem veniente uno
capite in Fluviglio . Sancimus ergo , ut nullam
poteſtatem habeant homines ibidem reſidentes de
ipſa Maſſa vel ejus finibus prænominatis vende-
re per quemcumque titulum , neque extraneos
homines illuc vocare aut introducere , nec Pla-
citum quis tenere preſumat , niſi Rectores &
Prepoſiti Monaſterii . Et ſi per licentiam re-
ctam ipſius Monaſterii inter ſe vendiderint ,
cenſum ſolitum ad partem Monaſterii emptor
perſolvat . Nam ſi ipſi homines ſubam ab
extraneis ubicumque emerint , ad jus dominium-
que & poteſtatem perveniat Monaſterii . Et ho-
mines reſidentes in ipſa Maſſa opera cum bovi-
bus & manualibus in jam dictum Fainanum
Monaſterii Domini Salvatoris faciant , necnon
& angarias , atque portatiam ibi & alibi , ubi
opportunum fuerit . Quod ſi in ipſis* Silvis *ali-
quis roncoras fecerit , aut ſi peculia pabuerit ,
redditum eſcaticum , ſeu caſeum ad Fratres
Nonantulanæ famulantes totum perveniat . Si
mul etiam Plebem Sanctæ Mariæ in Lizanum
conſtitutam concedimus vobis veſtriſque ſucceſſo-
ribus eo ordine ut nullus Epiſcopus Bononienſis
vel aliunde in ea aliquid agere aut ordinare
præſumat , niſi tantum Conſecrationem, Confir-
mationem , Predicationemque faciant . Et Preſ-
byterum , quem vos vel veſtri Succeſſores ido-
neum ibidem conſtitueritis , a poteſtate veſtra
nullatenus ſubmovere præſumat , nec aliquam
dominationem in jam dicta Plebe facere aut
exinde quicquam tollere tentet . Et* ut in om-
nibus Silvis *jam fati Cenobii nullus Comes ſive
Caſtaldeus ſeu quislibet nobilis aut ignobilis
cum canibus aut quocumque ingenio venationes
exercere præſumat propter inquietudinem ani-
malium Monaſterii . Necnon concedimus , ut in
quibuſcumque Comitatis vel locis Cellas acqui-
ſieritis , aut Villas ,* ubi Silvæ communes ſunt,
*veſtram ſemper portionem habere præcipimus .
Et ut nullus in Regno noſtro Italico vel Roma-
no cujuslibet ordinis præfati Monaſterii Servos
aut Ancillas , qui fuga lapſi fuerint , contra
Abbatem aut Præpoſitum vel Advocatum , cum
inventi fuerint , quoquo modo audeat retinere .
Similiterque etiam donamus præceptales ....
videlicet quadraginta octo , qui nunc ſunt , vel
futuris temporibus ex ipſis aut ex aliis eſſe vo-
luerint , ut liberam ad Monachorum utilitatem
peragendam habeant poteſtatem , remota totius
poteſtatis inquietudine .*

*Igitur perdonamus vobis & eidem Sancto Ce-
nobio veſtro , ut Notarii in omni Regno noſtro
.... Chartas , Judicata , Emphytheoſis , &
Libellos ſcribant abſque ullius .... impedi-
mento . Confirmamus etiam vobis & prædicto
Monaſterio veſtro , ut de ripatico vel theloneo
ſingularum Civitatum , ſive de Ferraria , vel
Comaclum , vel qualibet functione , nec theloneo*

A *in quibuslibet locis , Civitatibus ,* ſeu Cluſis
Regni noſtri , *atque negotiis , ſive de Inſtru-
mentis Chartarum .... ſeu de Advocatis ,
quales & undecumque eligere voluerint , licen-
tiam habeant poteſtatem cauſas Monaſterii pera-
gere ſecundùm eorum precepta & judicata . Nec-
non de inquiſitionibus faciendis per idoneos ho-
mines de poſſeſſionibus & rebus Monaſterii ve-
ſtri per viginti annos , & eo amplius . Seu de
Placitis & de pignorationibus veſtrorum homi-
num , de immunitate , quæ eſt triginta Libras
argenti , & de Via per Vilzacharam , ſeu de
aqua fluvii Genæ ad Molendina , & de Portu,
ſive Ponte in Aqualonga . Similiter & confir-
mamus vobis , & in preſcripto Cenobio veſtro*
B *Cartulas illius donationis , quas vobis Anſcau-
ſus Epiſcopus* (*) *, & Gaydoaldus Medicus emi-
ſerunt , cum omnibus rebus illius .... liberi
homines per Cartulam preſcriptam contulerunt:
ut firmiter vos & præfatum Cenobium veſtrum
poſſideatis . Mercata etiam de propriis ejuſdem
Eccleſiæ agris & terris conſtituendi licentiam
habeatis , & conducendi diverſa mercimonia &
negotiatores , cunctoque thelonium , & quidquid
de ipſis mercatis exigi poteſt , ibidem famulan-
tibus pertineat ſine contradictione . Jubemus
itaque , ut quicumque ex liberis hominibus vo-
luerit Advocatus eorum fieri , qui cauſas ſuas
peragere neſciunt , abſque alicujus licentia libe-
ra poteſtate perſiſtat . Et ſi quis in vadia eo-*
C *rum recipere noluerit , nullus impedire preſu-
mat . Addidimus quippe vobis veſtriſque poſte-
ris in præfato Monaſterio veſtro, ut quæcumque
perſona nobilis aut ignobilis in omni Regno no-
ſtro de ſacro vel ſecularibus .... ad prædi-
ctum ſanctum Cenobium refugium facere volue-
rit , aut res ſuas ibidem conferre queſierit, non
Comes aut Miniſter publicus nec Miſſus noſter
ei contradicere audeat , ſed liceat ei libera po-
teſtate de ſe ſuiſque omnibus rebus quicquid vo-
luerit in eodem Monaſterio conferre. Volumus
quoque & concedimus , ut quandocumque divina
vocatione Abbas ipſius Monaſterii, ejuſque Suc-
ceſſores de hac luce migraverint , ipſi Monachi
de ipſa Congregatione qualem inter ſe digniorem*
D *invenerint licentiam habeant eligendi Abbatem .
Iterumque concedimus vobis veſtriſque Succeſſo-
ribus , ut de ſingulis navibus Portaticum liber-
rimum exigatis poteſtatem . Statuimus & modis
omnibus jubemus , ut prædictum eſt , quatenus
in præfati Monaſterii rebus nullus ſuperioris
vel inferioris ordinis , nec Epiſcopus , aut Cle-
ricus , non Comes, aut Caſtaldius , vel Reipu-
blicæ Procurator , nec quælibet perſona invaſio-
nem facere audeat , ullo in loco , non ad cauſas
judiciario more audiendas , vel freda exigenda ,
aut manſiones vel paratas faciendas, parafredas,
ſeu fidejuſſores tollendos , aut homines tam in-
genuos & libellarios , quamque & ſervos ſuper
terram ipſius Eccleſiæ manentes , emphyteoteca-*
E *rios & .... preceptales perſecitanos ullo mo-
do diſtringendos , nec ullas publicas functiones
aut redibitiones , vel illicitas occaſiones requi-
rendas , conſurgere audeat vel exigere præſu-
mat ; ſed liceat vobis & veſtris poſteris in om-
nibus rebus vobis ſubjectis atque hominibus ſub
immunitatis noſtræ defenſione quieto ordine con-
ſiſtere , ac pro nobis totiuſque Regni noſtri ſta-
bilitate Domini miſericordiam delectabilius exo-
rare . Præcipimus inſuper , ut nec vos nec Fra-
trum Abbates audeant aliquorum hominum po-
teſtatem conferre ſcriptiones ſine conſilio vel con-
ſenſu*

(*) Popilienſis Epiſcopus . Vide Rubeum pag. 225.

ſenſu omnium Monachorum, aut injuſte diſpenſandarum rerum muneratione delegare; ſed nec ullis Monachus aliquam conferre ſcripturam, quia tuo prohibemur non eſſe poteſtatis. Quod ſi fecerit, roborem nullam præſtat. Confirmamus etiam vobis, & in ipſum ſacrum Cenobium veſtrum ibidem unum in luminaribus Eccleſiæ poſitum prope Caſtellum Arnaldi, quod pertinuit de Curte noſtra Lucenſe; & duas Caſas maſſaritias ex ipſa Curte, quæ regebantur per Aſcumfridum & Faſtebonem germanos, & nepotes eorum Chriſpolo & Leudo & Bertaldo. Quin etiam perdonamus ſanctitati veſtræ, veſtriſque poſteris in perpetuum, ut ex ipſo Sancto Cenobio & rebus, quas vobis inibi contulimus, & temporibus adquirere Deo propitio potueritis tam vos, quam poſteri veſtri nullum ſervitium vel donationem vobis vel futuris Regibus exinde exigant, niſi prebenedictione in Quadrageſima majore quadraginta lucios, & in Quadrageſima Sancti Martini ſimiliter per Miſſum veſtri Monaſterii conſignetis in Papia, aut Mantua, ſive ſi fuerimus Ravennæ. Concedimus etiam veſtræ reverentiæ, ſucceſſorumque veſtrorum in ſempiternum, ut habeatis licentiam per Padum trahendi, ad piſces majores minoreſque capiendos a loco, qui dicitur Foſſatum uſque in mare. Et ubicumque in omni Regno noſtro habetis nunc, aut habueritis in futuro, Silvas communes habeatis & Piſcarias, ſi ibi ſunt, ut cæteri homines, una cum medietate de Porto in Arualengo, qui eſt juxta Stratam publicam, & pertinuit de Curte noſtra Civitatis Novæ, unde reliquam medietatem Eccleſia Sancti Geminiani habere probatur. Atque granum illud, quod annue colligitur de ..... in Curte noſtra, quæ ſita eſt in Civitate Nova, quintum pro ipſis colligitur, portatico quantum habitum ab hodierna die .... ſereniſſimum Præceptum ipſum ſanctum Monaſterium, vel vos, ſucceſſoreſque veſtri firmiter ſuperius comprehenſa valeatis poſſidere. Et nullus Epiſcopus vel Clericus, Dux, Comes, Caſtaldius, vel Actionarius noſter, aut quiſpiam magnus parvuſque ..... contra hoc firmitatis Præceptum audeat ire quandoque, ſed omni in tempore ipſum dicto ſancto Monaſterio veſtro vel vobis ſucceſſoribuſque veſtris ſtabilis permaneat in perpetuum. Si quis autem hujus noſtræ inſcriptionis temerario auſu violator extiterit, & hanc noſtram juſſionem per omnia non conſervaverit, ſciat ſe compoſiturum centum Libras auri optimi, medietatem Palatio noſtro, & medietatem ſancto Monaſterio veſtro. Concedimus inſuper omnia vobis veſtriſque ſucceſſoribus in perpetuum, ut ſi, quod abſit, quicumque Rex, Imperator, ſeu quilibet ...... Præceptum prædeceſſorum noſtrorum Regum vel Imperatorum contra hoc noſtrum Præceptum donationis irc. tentaverit, aut Cenobium prædictum veſtrum, ſeu res ejus in Fratrum ſtipendiis collatas & pauperum Chriſti, diminorare præſumpſerit, aut in aliquo alicui per beneficium, vel pro quocumque ingenio dederit, liceat vobis veſtriſque poſteris ..... omnia quæ ſupra dicta ſunt, cuilibet ſanctæ Sedis Apoſtolicæ Papæ, ſive Imperatoribus, atque Regibus, ſeu Principibus de quibuſcumque Regnis Catholicis ſubdere poteſtati, & veluti ..... ſecundum ritum ..... legis per Regum Præcepta ſua firmata tenentium ..... tenere & poſſidere atque tradere cui vobis placuerit.

Cum vero prædictum Præceptum Chriſtianiſs. Regis coram noſtram Regalem clementiam lectum fuiſſet, conſideravimus tantam ejus induſtriam & elymoſinam ob Dei amorem, Sanctorumque omnium Apoſtolorum ac beati Silveſtri in alimoniam Servorum Dei, pauperumque Chriſti delegatam in cunctis .... ſive conceſſionis, ſereno animo confirmamus per hoc noſtrum Regale Præceptum, & ipſum prænominatum, & alia Regum Sanctorum, atque jam dictorum Imperatorum Præcepta, adſenſum tribuimus, ſcripturaſque, quas Abbates prædicti Cenobii, ſive Monachi, de Curtis atque Maſſaritiis ſeu Caſis hactenus injuſte fecerunt, omnes rumpi cenſuimus. Et ut verius credatur, diligentiuſque ab omnibus obſervetur, manu propria roborantes, anuli noſtri impreſſione ſubter juſſimus ſigillari.

Signum Domni  *Berengarii glorioſiſſimi Regis & invictiſſimi.*

Martianus Notarius ad vicem Petri Epiſcopi & Archicancellarii recognovi & ſubſcripſi.

Data XIV. Kalendas Septembris, Anno Incarnationis Domini DCCCXCIX. Domni autem Berengarii glorioſiſſimi Regis XII. Indictione II.

Actum Curtis noſtræ Vilzachara in Dei nomine feliciter. Amen.

Habemus heic ampliſſimum Nonantulanum Monaſterium in agro Mutinenſi ſitum, Silvis & Paludibus olim abundaſſe. Curtis Gena *Silvam* complectebatur. Tum hæc ipſa *a quarta parte Silvas & Paludes* habebat. *Silva* quoque *Comitis* ſpectabatur in iiſdem locis, & *Silva de Lupaleto*, & *Silva Mur ineſe*, & *Paludes Gramulenſes*: quæ omnia ultra Scultennam fluvium jacebant. Atque hinc etiam intelligere poſſumus, Paludibus multis & Nemoribus interiectum fuiſſe agrum Mantuanum ſitum cis Padum, uti & illum, qui nunc Mirandulæ Ducatus appellatur, pars olim Regienſis Comitatus. Confirmat enim Berengarius iiſdem Monachis *Silvam unam in Gaio Lameſe*, & *medietatem ex Piſcariis noſtris in territorio Mantuano in loco Sarmata* (nunc Sermido) & *Bondeno*; *atque alias Piſcarias in finibus noſtris Regiſianis* (ideſt Regienſibus) & *Flexianis*. Inſuper confirmat *tam Silvas, quàm paſcua & limites & Paludes, omneſque alias foſſas & campos ſeu Paludes, unde qualeſcumque piſcationes fiunt, exeuntes vel intrantes a Tripontio in joſum uſque in Foſſamlatam & Gambarionem. Cunctas etiam Foſſas & Paludes, quæ fiunt de fluvio Bondeno, & Lacumfatuum & Lacum de Vulpino, & Lacum de Duracino, & Lacum de Fulgino; nec non Virginiana cum omnibus locis ac Foſſis, & quibuſcumque Piſcariis* &c. Ex his perſpicimus, quanta agri pars tunc aquis ſtagnantibus operiretur, aut aleret Silvas. Quæ


cauſſa

cauſſa etiam fuit, cur Sæculis iis tanta Luporum copia eſſet in Italia, Gallia, & alibi, uti etiam fidem facit Auctor Chronici Novalicienſis: immo & Urſorum, unde natum adagium: *Menar l'Orſo a Modena*; ad deſignandam rem perquam difficilem. Cujus adagii veram interpretationem attulit Taſſonius noſter, non autem Segnius Florentinus apud Menagium. Hæc autem nemoroſa loca & Paludes, quas corru pto vocabulo *Padules* poſtea nuncuparunt, & nos adhuc *Paduli* dicimus, tamquam ab aliis neglecta loca & inculta, ſibi procurabant ſæpe Monachi ad nova Monaſteria condenda, nil penſi habentes, an aër impurus aut compreſſus incommoda incolis afferre poſſet, dum hominum ac præcipue feminarum frequentiam & conſortia evitarent. Atque hinc nata pleraque celeberrima totius Italiæ Monaſteria, uti Caſinenſe, Farfenſe, Sublacenſe, Vulturnenſe, Bobienſe, Pompoſianum, Novalicienſe &c. Cuncta hæc aut in Montibus, aut inter Silvas, aut inter Paludes conſtructa primum fuere. Quod & contigit Padolironenſi in agro Mantuano cis Padum, cujus Hiſtoriam ſcripſit, & monumenta evulgavit Clariſs. Bacchinius. Fundatum illud fuit in Inſula inter Padum & Larionem fluvium: atque, ut conſtat e Chartis, ibi erat *terra arabilis juges viginti duo*, *Silvas & Buſcalia juges* (ideſt jugera) *ſexaginta*, uno contractu quæſita ſibi ab Adelberto Attone proavo Comitiſſæ Mathildis. Tum altero contractu is in eodem loco per commutationem ſibi procuravit *Caſtrum inibi conſtructum cum area terræ arabilis modia quadraginta*, *Silvis & Buſcalibus modia mille ſexaginta*. Pro his & ille dedit Præpoſito Sancti Michaëlis Regienſis inter cetera ſita infra Civitatem Regii *Silvas & Buſcalias modia mille triginta*. En quam frequentes forent in hiſce regionibus Silvæ ac Nemora. Theudaldus verò Marchio Adelberti filius, Monaſterium illud fundans Anno MVII. hæc omnia eis in dotem conſtituit, fines deſignans *da Meridie Palude de Salto*, *& Palude de Saliceto*; deinde addens *Paludem unam ex integro*, *quæ vocatur Rotunda*, *cum Piſcatoribus* (hi Servi, aut Adſcriptitii erant) *& omnibus rebus*, *quicquid ad ipſas Paludes pertinet*. Infra commemoratur *Palus*, *quæ vocatur Greza*. Propterea tam ſæpe iis temporibus in Chartis donationum aut emtionum apponebatur clauſula *cum Silvis*, *Paludibus*, *Piſcationibus* &c. Ita Mathildis Comitiſſa in Chartâ, Anno MCXV. ejus vitæ poſtremo exaratâ apud eumdem Bacchinium confirmat *terras cum Paludibus & Piſcationibus & Silvis poſitis in Curte Quiſtelli*, *quas Avus meus Theudaldus Marchio* eidem Monaſterio largitus fuerat, cujus fines ſunt *Foſſa*, *quæ vocatur Gabiana juxta Paludem de Palezeto*, *& intrant in Plautanello & in Lacum Romani*, *& ſicut percurrit Lacum Romani uſque in Paludem de Girdenagula*. Sunt & alia multa Paludum ac Silvarum nomina in Chartis ejuſdem Comitiſſæ, aliorumque hominum, quæ prætereo, cuncta eo collineantia, ut certos nos faciant, Ferrarienſem agrum, & inferiores partes Comitatus Regienſis ac Mantuani citra Padum, nemoribus & aquis ſtagnantibus olim abundaſſe. Neque iis carebat Parmenſis. Uno exemplo res palam fiet, nempe Diplomate Arnulphi Regis, quod adſervatur in Tabulario Capituli Canonicorum Parmenſium.

Arnulphi Germaniæ Regis Diploma, quo omnia bona & jura ad Wibodum Parmenſem Epiſcopum ſpectantia confirmat, Anno 894.

IN *nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis*. *Arnulphus divina favente clementia Rex*. *Si fidelium noſtrorum pro affectui conſulimus*, *paternum morem ſequimur*, *& alacriores eos in noſtrum ſervitium reddimus*. *Quapropter notum ſit omnibus fidelibus ſanctæ Dei Eccleſiæ*, *noſtriſque*, *preſentibus ſcilicet & futuris*, *quia* Wibodus *venerabilis* Epiſcopus *adiit excellentiam noſtram per* Attonem *ſanctæ* Magontinæ Eccleſiæ Archiepiſcopum, *& dilectum Conſiliarium noſtrum*, *quatinus de omnibus ſuis pro prietatibus in ſingulis locis vel Pagis Italiæ*, *Tuſciæ*, *Spoleti*, *atque Romaniæ*, *per inſtrumenta Cartarum & Precepta anteceſſorum noſtrorum*, *& per enfiteoſis ac libellos*, *ſeu per quemvis ordinem acquiſitas*, *aut in antea Deo propitio acquirendis*, *noſtro ei concederemus atque confirmaremus Precepto*. *Cujus precibus ob devotionem & fidelitatem ejus aſſenſum prebentes*, *concedimus atque in perpetuum confirmamus eidem* Wibbodo *Epiſcopo*, *vel cui ipſe ſignificaverit*, *Abbatiolam in finibus Comeſſibus*, *quæ dicitur Monaſterium Vetus*, *in honore ſanctæ Dei genitricis Mariæ*: *ſeu & Curtem Corniolum in finibus Tuſciæ*: *atque Corticellam*, *quæ dicitur Caput Parioli*: *ſeu & Saluciolas*, *quam ipſe cum omni integritate per preceptum* Avunculi noſtri Karoli *acquiſiſſe dignoſcitur in finibus Parmenſibus*, *ſed aliud*, *quod ibi pertinet ad Comitatum reddens*. *Nos tantum ipſam Corticellam* una cum Silva, *& prato uno tenente*, *que eſt cupite uno in Syſterione*, *alio in* Lacu qui dicitur Majore, *tertio latere in Formulaſco*, *& via quæ pergit ad Cellam Sancti Silveſtri*, *quarto latere tenente in Bajolano*: *hanc Corticellam cum manentibus decem concedimus & confirmamus*. *Similiterque Caſale*, *quod dicitur Ballonum*, *cum omnibus pertinentiis ſuis*, *ſeu & diſcretos fines*, *& juxta quod jam dictus Pontifex in canonicos uſus pro remedio animæ Domni Genitoris noſtri ordinavit*. *Necnon etiam per hoc idem Preceptum ex noſtra pleniſſima largitate jam dictum Preſulem habere ſtatuimus in Comitatu Parmenſe Sortes quatuor*: *unam ex ipſis eſt ſita in Inſula*, *quæ dicitur Barco*, *quæ fit laborata & directa per Leopertum & Ampertum atque Jordanum libellario nomine*. *Cui coheret ex una parte* Poliſino, *& ex aliis tribus partibus fluvius Padi*: *ceteræ autem adjacent in Inſula*, *quæ dicitur Sacca*, *quæ fiunt directæ per Stradevertum*, *Dominicum*, *Leonem*, *& Alexandrum*, *atque Domninum*, *ſimiliter libellario nomine*. *Eodem etiam modo illi concedimus atque donamus in ipſo Comitatu Parmenſe pecias duas de* Silvis, *quarum una eſt poſita in jam dicta Inſula*, *quæ dicitur Sacca*, *cum terris*, Paludibus, *atque* Piſcariis *ei in integrum perdonamus*. *Cui coheret ex uno latere* Budrio, *ex alio latere* Silva Sancti Petri, *a tercio latere* Portum de Albaritulo, *& ex quarto latere fluvius Padi*. *Altera denique* pecia de Silva *eſt ſita in* Gajo de Soranea, *tenente a capite uno in*

A *in Paludem uſque in Taro, aliud caput in Pado, tertium caput in Taro, a quarto latere Curtis noſtra publica, quæ tenet caput in Paludem, & Foſſa Gariraldi uſque ad Lacum Sancti Secundi, revertente ad arginem uſque in Silvam de Stagno, & inde uſque ad ſupradictum Lacum. Inſuper etiam & alias terras, res, Familias, caſas, maſſaritias, familias utriuſque ſexus, cum omnibus rebus, ad eas pertinentibus, & quæcumque a temporibus bonæ memoriæ Conſobrini noſtri Loduici Imperatoris, necnon Genitoris noſtri Karlomanni, atque Avunculi noſtri Imperatoris Caroli: quicquid etiam per inſtrumenta Cartarum tam per emphiteoſis & per libellos quàm per alium conſcriptionis* B *vel comquiſitionis titulum vel ordinem conquiſivit, vel in antea Deo annuente acquirere potuerit in ſingulis finibus Italiæ, Romaniæ, Spoletii, & Tuſciæ, vel in omni fundo & loco totius ditionis Regni noſtri, tam de noſtrorum anteceſſorum, quàm etiam de noſtro jure, ſeu & de ſingulis aliis hominibus jure proprietario, ſecundum conſcriptiones earum rerum & facultatum tam Precepta quàm omnia inſtrumenta, monimina, inſtitutionem quoque elemoſinæ ſuæ concedimus & in perpetuum confirmamus; ut per anteriora Precepta, & per hanc noſtram auctoritatem habeat, teneat, poſſideat & faciat quid aut qualiter placuerit, tam ipſe, quàm cui dederit vel ſignificare voluerit. Si quis vero, quod minime credimus, contra hoc noſtræ conceſſionis ſeu donationis vel confirmationis Præceptum cujuſcumque ordinis aut dignitatis perſona, ex omnibus ſupradictis vel comprehenſis ſe intermittere in toto vel in parvo præſumpſerit, & hanc noſtram auctoritatem irrumpere non formidaverit, ſciat ſe compoſiturum triginta Libras argenti meri jam dicto Wibbodo venerabili Epiſcopo, vel cui ipſe dederit, & poſt multam ſolutam hæc noſtra auctoritas firma & ſtabilis ad omnia ſupraſcripta in perpetuum permaneat. Et hoc conceſſionis ſeu donationis atque confirmationis noſtræ Preceptum per cuncta futura Secula inviolabiliter in Dei nomine obtineat vigorem. Et ut verius credatur & diligentius obſervetur, manu propria conſcribere, & anulo noſtro ſigillari precepimus.*

Signum Domni Arnulfi  *invictiſſimi Regis.*

Wichins Cancellarius ad vicem Theotmari Archicapellani recognovi.

Data XIV. Kalendas Mai, Anno Incarnationis Domini DCCCXCIV. Indictione XII. Anno Regni Arnulfi Regis in Francia VII.

Actum Yporegiæ feliciter. Amen.

C Pauca Parmenſis agri loca numerata heic vides; attamen in iis deprehendis *Silvam in Capite Pariolι*: *Lacum qui dicitur Majore*: *Silvas in Inſula Sacca, cum terris, Paludibus, atque Piſcariis*: *Silvam Sancti Petri*: *Gajum* (idest nemus) *de Soranea*: *Lacum Sancti Secundi*: *Silvam de Stagno*. Colligere ex his poſſumus, qui reliquorum locorum in ea planitie ad Padum uſque aſpectus foret. Neque ego plura addam de reliquis Galliæ Ciſpadanæ aut Tranſpadanæ agris. Interim propter illa, quæ hactenus de Paludibus & Silvis, eo tempore crebris, a me dicta ſunt, nemo ſibi perſuadeat, illas omnino fuiſſe habitatorum expertes. Quoties flumina pluviis cadentibus turgi- D da e monte in ſuppoſitam planitiem ruebant, toties ſecum adducebant aquas turbidas ac cœnoſas, quæ ſenſim in paludoſos ſinus novam terram inferebant. Potiſſimum verò fluvii illi exleges conſuevere congeſtâ arenâ interdum alveo ſuo ripas eminentes hinc inde conflare, aliiſque in locis inſulas, ac humiles veluti colles excitare. Statim ergo ut monticuli ejuſmodi conſiſtentem humum oſtendebant, eo advolabant piſcatorum familiæ, & impoſitis tuguriis locum incolebant: & ſi pateretur humus, exſtirpatis virgultis ac arbuſtis ſponte illic natis, tellurem aratro ſubigentes, ad fruges reddendas erudiebant. Res autem rara ibi erat domus tegulis cooperta, ita ut ſingularis ap- E pellatio quibuſdam locis acceſſerit *le Cacoppate*; quod caſæ illæ tegulis contectæ eſſent, quas *Coppi*, a figura fortaſſe cupa adhuc dicimus. Du-Cangius *cupatam domum* apud Ghirardaccium in Hiſtor. Bononienſ. ad Annum MCCCLVI. inveniens, domum indicari cenſuit *in modum cupæ ſeu cupellæ tectam*. Minime ille aſſequutus eſt Italicæ vocis ſignificationem. Scilicet in naſcentibus iis locis tuguria paluſtribus tantum cannis obſepta conſtituebantur, aut ſaltem paleis illis, quas nos *Paviera* appellamus, tectum caſæ operiri conſuevit, quemadmodum & noſtris temporibus adhuc in tuguriis Bononienſium Vallium ac Paludum conſpicimus. Immo barbaricis Sæculis in locis etiam honeſtis ædes paleis contectæ ſpectabantur. Eamque ob cauſſam Civitas tumultuario opere a Mediolanenſibus præcipue Sæculo XII. condita, *Paleatæ* Civitatis nomine traducta fuit; & *Alexandria*, in honorem Alexandri III. Papæ appellata, quod caſis abundaret ex *paleis*, aut luto paleato conſtructis, aut paleâ opertis, irriſionis cauſsâ a Ticinenſibus inimicis *Aleſſandria della Paglia* nuncupari cœpta eſt, uti ſcribunt Romualdus Salernitanus, Sicardus Cremonenſis, Gualvaneus de la Flamma, aliique Hiſtorici. Eamdem ob cauſſam *Nizza della Paglia* in Ducatu Montisferrati cognomen accepit. Præterea familiare fuit barbaricis iis Sæculis, *Scindulis*, hoc eſt tabulis, ſive aſſeribus, aut laminis ligneis, clavo ferreo confixis, tegularum vice domos cooperire. Rotharis Langobardorum Rex in Lege 287. *Si quis* (ait) *de caſa erecta lignum quodlibet aut Scandulam* (ſive Scindulam) *furatus fuerit, componat Solidos ſex*. Germanica Lingua adhuc voce *Schindel* eo ſenſu utitur. Hiſce Scindulis, Plinio teſte, Roma adoleſcens per aliquot Sæcula contecta fuit. Diuturnum autem fuiſſe earum uſum diſcas e Charta Mediolanenſi Anni MCCI. quam Puricellius adfert pag. 1170. Monument. Baſilic. Ambroſianæ. Agitur illic de *Lobia* quadam, quam *Loggia* nos nuncupamus. Hæc (ut ibi dicitur) tunc erat *de Scandolis*

dolis cooperta ; & poſtea fuit cooperta de Palea, quæ combuſta fuit ab igne deſuper Eccleſiam veniente . Poſita erat *Lobia* illa *juxta murum Eccleſiæ beati Ambroſii* , ideſt Mediolani juncta muro Ambroſianæ Baſilicæ ; ita ut hinc eluceat, quam rudes adhuc in Italia forent mores, quando in Urbe ſplendidiſſima , & apud inſignem Baſilicam , tectum illud aut *Scindulis* , aut *Paleá* coopertum ſpectabatur.

Et privatorum quidem hominum ædes pleraſque in Urbibus Italiæ tunc abundaſſe ejuſmodi tegumentis , neque ejus conſiſtentiæ fuiſſe, ac noſtri temporis · indicare poſſunt tot ac tanta incendia , quæ Sæculo præſertim XI. & XII. integris ferme Civitatibus excidium adferebant . Lege Hiſtorias a me editas in Collectione Rerum Italicarum . Occurrent Mediolanum , Placentia , Bononia , Brixia , Mutina, atque aliæ complures , quæ oborto unius domus incendio , & in reliquas ſummo impetu , facilique negotio penetrante flammâ , in cineres abiere . In Chronico Patavino, quod evulgabo in hoc Opere , *Anno MCLXXIV. incendium ortum fuit in Padua , per quod fuerunt combuſtæ 2614. domus, quæ tunc erant ligneæ, fragiles , & non cuppis , ſed Paleis & Scandolis contectæ* . In Vita Sancti Anſegiſi Abbatis Fontanellenſis Tom. V. Sanctor. Bolland. Menſis Julii , hæc leguntur : *Porticum de novo fecit, & eam cooperiens Scindulas ejus ferreis clavis affixit*. *Caſas* autem *palliaricias* ſæpe memoratas vidi in Chartis Archivi Canonicorum Mutinenſium . Unius tantùm mentionem accipe , quæ ſcripta fuit, *Otto gratia Dei Imperator Auguſtus , Anni Imperii ejus in Dei nomine ic hin Italia VII. & item Otto filio ejus Imperator Auguſtus Anni Imperii ejus in Dei nomine Anno verò I. die XIII. Menſis Junius , Indictione XI.* ideſt Anno Chriſti DCCCCLXVIII. Ibi Wido Epiſcopus Mutinenſis *Dominico qui & Franco , vel ad tuis heredibus ad abendum , ſeu laborandum , ſeu cenſu afictlo reddendum libellario nomine uſque ad annos viginti novem expletos* concedit : *id ſunt camporas pecias tres cum una Caſa Palliaricia , & cum aliquantulis vitis ſuper ſe habentem , juris Epiſcopii Sancti Geminiani , qui rejacent in locas prope eſt Caſtro Viniola* &c. Ita in Bullario Caſinenſi Tom. 2. Conſtitutionem X. habemus *Anno IX. Deſiderii Regis , & VI. Adelchis Regis* Langobardorum , ideſt Anno Chriſti DCCLXV. in qua Cunimundus Langobardus donat *Caſam domocultilem meam , & omnes tectoras infra ipſam terminationem meam Scandolicias , vel Pallearicias* &c. Turrigius quoque vir diligentiſſimus , Part. 2. pag. 533. de Crypt. Vatican. Chartam refert ſcriptam Romæ *Anno Sextum Domni noſtri Johanni Nonodecimi Papæ, adque & Chuoradi Imperatoris Hanno Tertio, Indictione XIII. Menſe Martio die XV.* Ideſt Anno Chriſti MXXX. Ibi *Leo Datibus Judex* locat Gregorio, qui vocatur de Gizi, *medietatem integram de domo ſolarata Scandalicia , quantacumque* &c. eâ conditione appoſitâ, *ud ſi Domnum Imperatorem in iſtam Civitatem exitam , & in ipſam domum ſtare non potueris , aud ipſam domum fregerint , tam per Imperatorem , quamque etiam infra iſto conſtituto anni de ipſam domum lignamenta fortiorem fregerint , omnia conciare , & de ipſo perditum reſtaurare promitto* . Ante annos tres Conradus Coronam Imperatoriam ſuſcepturus , Romam cum exercitu venerat . An ejus milites modeſte ſe geſſerint , fortaſſis hinc diſcere poſſis . Animad-

A verte præterea antiquitatem Italicæ vocis *Conciare* pro *Reſtaurare* , *Reficere* : quæ quidem Italis in uſu etiam erat Sæculo X. ut liquet ex Charta Anni DCCCCLIX. jam ſupra a me evulgata in Diſſertatione XVIII. Vocem ipſam Ferrarius a *Concinnare* traxit ; at Menagius a *Como* , *Comtus* , *Comtia* , & quidem rectius , *Comtiare* deduxit . Itaque tunc Italia frequenti in uſu habuit ædes *Scandalicias* , quæ ita aſſerculis ligneis loco imbricum ac tegularum operiebantur , uti olim arundinibus in Germania . De iſtis Plinius Lib. 16. Cap. 36. *Tegulo earum* (arundinum) *domus ſuas Septentrionales Populi operiunt* . Plautus quoque in Rudente meminit *arundinum* , quibus tecta tegenda
B erant . Hinc ergo crebra olim in Civitatibus Italiæ incendia , quæ interdum innumeras domos vorabant : qualia adhuc identidem audimus accidere in Septemtrionalium Populorum Urbibus . Audi nunc ante quatuor Sæcula loquentem Gualvaneum de la Flamma Cap. 156. Manipul. Flor. Tomo XI. Rer. Italicarum, ubi narrato terribili incendio Mediolanenſis Urbis Anno MCV. ſubdit: *Eſt ſciendum , quod Civitas Mediolani propter multas deſtructiones non erat interim muratis domibus ædificata , ſed ex cratibus , & Paleis , quamplurimum compoſita, Unde ſi ignis in una domo ſuccendebatur , tota Civitas comburebatur , Unde fuit ſtatutum , quod flante vento nullus in domo ignem ſuccen-*
C *deret* . Tantam nobiliſſimæ Urbis dejectionem credat qui velit . Ego & tunc ædes e calce ac lateribus ædificatas ibi puto ; ſed quia tecta complura Scindulis aut Paleis tegebantur; inde dilatandis incendiis facilis erat occaſio . Quare ut huic incommodo & periculo in poſterum proſpicerent Italici , ſimulque ut majorem Civitatibus decorem compararent , caverunt , ne cuiquam ultra liceret ædes intra Urbem poſitas Paleis contegere . Præſto heic mihi eſt Rubrica 223. Lib. 2. Statutorum MStorum Anno MCCLXXXVIII. Ferrariæ conditorum , ubi hæc verba : *Ad officium prædictorum* (ideſt Æſtimatorum a Republica electorum) *pertineat , ne domus aliqua Paleata , ſive de Storiis*
D (contendunt nonnulli , *Storias* , non Storeas , ab antiquis etiam ſcriptum fuiſſe) *cooperta ſit in Civitate Ferrariæ a terraliis infra , ſecundùm quod ſub foſſatis clauditur Civitas . Sed omnes cooperiantur de Copis* (hoc eſt, tegulis). *Qui contra fecerit , puniatur in viginti Solidis Ferrarienſibus , & teneatur tollere coopertorium de Palea vel de Storiis* . In ſuperioribus ſe nobis obtulit vox *Lobia* adhuc Mediolanenſibus in uſu , idem nempe ac *Loggia* Tuſcis , hoc eſt, Deambulatorium , ſeu *un Corridore* . Octavius Ferrarius & Monoſinius arceſſunt *Loggia* a Græco λογεῖον . Menagius dubitat , an ex *Locus* profluxerit . Sed nullus poſtremæ huic opinioni locus erat . Mihi *Lobia* ſeu *Laubia*
E profluxiſſe creditur ex antiquiſſimo gentium Septemtrionalium vocabulo , quod occurrit in vetuſtis Italiæ , Galliæ , & Germaniæ monumentis . Germani quippe *Laube* adhuc appellant id , quod nobis eſt *Loggia*.

Antiquiſſimis Sæculis , ut diximus , Paludes a Ravenna Altinum uſque protendebantur : attamen uti nunc Venetiæ , eique conterminæ Inſulæ , & Comaclum , aquis circumſedentur , ita neque olim Paludes obſtabant , quominus habitarentur & conſiſterent ipſa *Ravenna* , *Spina* Civitas , *Butrium* , ab Oppido Bononienſis agri , ut ſuſpicor , diverſum , *Adria* , aliæque Urbes aut Caſtella , quorum ne unum quidem

nunc

… veſtigium extat. Sed & in ſubjectis alia ſubinde ſe extollebant editioribuſque Paludum locis excreſcebant, ut dixi. Quidquid vero telluris ſupra aquas attolleret caput, nominibus hiſce diſtingui conſuevit: *Doſſi* ſeu *Doſſi*, *Poleſini* ſeu *Pulcini*; atque etiam *Corrigie* ſeu potius *Corrigia*, uti habent vetuſti Libri, & autographæ veterum Chartæ non paucæ. *Doſſi* vocabulo quid uſi ſint incolæ, nemo non intelligit. Cur *Poleſini* (quod nomen adhuc in Ferrarienſi agro celebre eſt, & occurrit in Parmenſi Diplomate nuper evulgato) quærebat Gaſpar Sardius Lib. 2. Hiſtor. Ferrarienſ. at que e Græco vocem hanc deſumtam opinabatur. Ego quod non adeo eruditos eorum temporum incolas putem, etymologiam nominis unam potius ignotam mihi fateri, quam e Græcis arceſſere. A *Peninſula* illud Menagius derivat. Sed nemo facile ejus conjecturæ ſubſcribat, tum quod incertum ſit, an *Poleſini* forent *Peninſulæ*, tum etiam quòd multùm una vox ab altera diſtet. In Diplomate Ludovici II. Anni DCCCLXXI. Tomo V. Ital. Sacr. in Appendice ad Epiſcop. Regienſes, penes Ughellium, Rotfredo Regienſi Antiſtiti confirmatur *Inſula Suzaria inter Padum & Zaram cum fundis & locis ſeu paludibus, & locis, ubicumque eſſe videntur in alveis vel curriculis Padi; quique ab hominibus Pagi ipſius, Pullicini nominantur*. Profectò *Pullicinus* cum *Peninſula* nil commune habere videtur. Adde, ex altero Diplomate, hoc eſt, Ludovici III. Regis, poſtea Imperatoris, ſpectante ad Annum DCCCC. nos edoceri, *Poleſinos* non *Peninſulas*, ſed *Inſulas* fuiſſe. Ibi hæc verba: *cum aliis Inſulis, quæ vulgo Pullicini vocantur*. Ughellius corrupte habet *Pulcini*. Anno MCCLXXXVIII. Prætor Ferrarienſium, uti conſtat ex ejus Populi Statuto MSto, in Eſtenſi Bibliotheca adſervato, hoc etiam ſuo jurejurando ajebat: *Et dabo operam, ut aggeres & ripæ Padi efficiantur & manuteneantur. Et quod Policini diviſi aggerentur, ita quod per ipſos aggeres, ſeu per illum aggerem quilibet eques & pedes poſſit libere ire. Et quod Scarſuris* (ideſt foſſæ) *mundentur & recaventur, & teneantur libera & aperta*. Ad hæc *Corrigium* ſeu *Corrigia* fortaſſis appellata ſunt ea loca, quòd Corrigiæ ad inſtar eminere viderentur ſuper ſtagnantes aquas. *Striſce di terra* nos appellaremus. Temporibus noſtris *Cuora* dicitur in iis regionibus tellus, quæ in Vallibus cannas ſeu arundines gignit, ac ſenſim obdureſcens piſcatorum caſas admittere poteſt. E Græcis diu Ravennæ dominatis profectam vocem puto, quibus χώρα *Chora* appellatur *Solum*, *Ager*, *Tellus*. Ubi enim ruſtici tellurem aſſurgere inter Paludes cernebant, *Choram* hanc nuncupabant. Multa ex his *Cuoris* conjuncta fortaſſe *Corrigio* nomen dedere. Certe, ſi quid video, non aliud *Corrigii* vox ſignificaſſe mihi creditur, quam prominentia in Vallibus loca, quæ deinde culta ac habitata nomen adhuc ſervant in infima Lombardiæ regione. Quamquam potuit & ab antiquis Latinis id nomen deſcendere. Apud Goeſium inter vetuſtos Rei agrariæ Scriptores Innocentius hæc habet: *Vallis de fundo ſupraſcripto eſt. Etiam montem in medio uſque in jugalem Corrigiam permittit*. Nihil aliud eſt *jugalis corrigia*, niſi ſummum montis, quod extenditur ad inſtar corrigiæ, *ſtriſcia del giogo*, *ſchiena o ſerra della Montagna*. Ut autem intelligas, *Corrigias* revera fuiſſe Inſulas in longum productas, veluti *Corrigiam* Latine, ſive *Striſcia* Italice, accipe verba, quæ Peregrinus Priſcianus Ferrarienſis vir doctiſſimus, circiter Annum MCCCCXC. in Annalibus MStis retulit, expreſſa e ſententiâ Anno MCLXXX. Indictione III. a *Garſendonio Epiſcopo Mantuano*, cujus nomen Doneſinundus, Ughellius, & alii deformarunt, pronuntiatâ. Erat controverſia *de piſcationibus, canalibus, & Lacis in Curte Sermitis, a Secla ſupra adſtantibus*. Teſtes inter cetera hæc habent: *Et in hoc ſunt diverſa nomina, ſcilicet Lacus Taurus, Corrigium Gaminetæ, Corrigium Trebatii, Corrigium de Laguſculo uſque ad Perotum de Fine. Et Secla dividit unum Corrigium ab alio. Et flumen Arconinæ & Lacus Taurus dividunt alia Corrigia*. Sed ut ejuſmodi *Corrigiorum* mentio evidentius conſtet, depromere juvat inſignem Chartam Adelaydis Imperatricis, Ottonis nempe Magni uxoris, per quam multa dono dedit celeberrimo Monaſterio Benedictinorum Ticinenſium Sancti Salvatoris. Autographum egomet legi & deſcripſi ex Tabulario ejuſdem Cœnobii. Margarinus in Bullarii Caſinenſis Part. 2. pag. 44. hanc eamdem Chartam produxiſſe videtur. Sed præterquamquod corruptæ ibi ſunt Notæ Chronologicæ, diverſa etiam ibi perſpicias a textu, quem profero, quum tamen dies, menſis, & locus conveniant. Ille donationem hanc refert ad Annum DCCCCLXIX. manifeſto errore, quum diſerta heic & ibi mentio fiat *Ottonis III. Imperatoris*. Mabillonius in Annalibus Benedictinis eam pertinere arbitratur ad Annum DCCCCLXXXIV. quum, ut ille ait, in iis literis legendum videatur *Anno Imperii Ottonis Tertii Primo*. Verùm Ottoni III. corona ac titulus Auguſtalis Anno tantùm DCCCCXCVI. collati fuere: ac proinde ne ipſe quidem calculos rite ſubduxit. Illud denique ſtatuendum, has literas ſpectare ad Annum DCCCCXCIX. quo ſancta ipſa Imperatrix finem vivendi fecit, decurrente menſe Aprili, Anno Tertio Imperii ejuſdem Ottonis Tertii.

Dona-

Donatio facta Monaſterio Sancti Salvatoris Ticinenſis ab Adelaide Imperatrice Vidua, Anno 999.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Tercius Otto gratia Dei Imperator Auguſtus, Anno Imperii ejus Deo propicio Tercio, XII. die menſis Aprilis, Indictione XII. Moneſterio Domini Salvatoris, quod eſt fundatum foris & prope Civitate Papia a Domna Adaleida Imperatris Auguſta, *ubi in ipſum Moneſterii ſanctum Corpus beati Felicis Chriſti Martiris requieſcit, & ubi nunc Domnus* Ildebaldus *Abba ab hac dicta Domna Adelaida Imperatricis preordinatus eſſe videtur. Ego ipſa* Adaleida Imperatris, filia bone memorie Domni Rodulfi Regis, & relicta bone memorie Domni Ottonis Imperatoris, *que profeſſa ſum ex natione mea Lege vivere Salicha, ofertris & donatris ipſi Moneſterio preſens*
B *preſentibus dixi. Quiſquis in ſanctis ac venerabilibus locis ex ſuis aliquid contulerit rebus, juſta Actoris vocem in hoc Seculo centublum accipiet, inſuper & quod melius eſt, vitam poſſidebit æternam. Ideoque ego que ſupra Adaleida Imperatricis dono & offero a preſenti die in eodem Moneſterio Domini Salvatoris pro anima predicto bone memorie* Domni Ottoni Imperatoris, qui fuit vir meus, *ſeu item* Ottoni ſimiliter Imperatoris, qui fuit filio meo, *adque pro anima* Tercio Ottoni Imperatoris Abiatico meo, *ſeu pro anima mea, meorumque pa-*
C *rentum mercede, & ordine ſicut ic ſubter lecte ſunt: Cortes duas domoi-coltiles cum Caſis & Caſtris & Capellis, adque rebus omnibus ad ſe pertinentibus juris mei, quibus ſunt poſitos ipſas Cortes infra Italicum Regnum; una in loco fundo Mallaga, cui coërentias decernitur. Habet fines de mane de fluvio Pado uſque ad Rupta de Albareto, quod eſt juſta Terra Sancti Silveſtri* (*), *& uſque in Pallude .... & uſque ad Foſſato .... Sancti Victoris, & uſque in Tartaro, & ad Tartaro uſque ad Foſſa de Caput Fraxani; de Capite Fraxani uſque ad Sancti Michaëlis, qui vocatur Coternione, & vadit uſque in Tartarello ....*
D *ad loca Melani, & uſque ad Foſſa Ruzia, & uſque in Palude de Paſcula, & vadit uſque* ad Doſſum Fraxanaria, *& uſque ad Palude Mala, & uſque* ad Corrigia in Tengola, *& uſque* ad Corrigia Boniverti, *& uſque ad Inſula, & uſque in predicto fluvio Padi, & eſt per menſura juſta inſimul jugeas ſex millia, Aliacus,* Remoratica *ſimul jugeas ſeptemcentos ſexaginta ſex .... in currente Telione in Pauledeberto, in Marlongo, & quomodo tenet Foſſato Scalide uſque in Grilla, & ex alia parte ipſe ...... in Telione. Et ſi amplius de meo jure rebus ab ipſas Cortes & rebus pertinentibus plus inventi ſunt, quàm ut ſuperius legitur in*
E *integrum .... per anc Cartam offerſionis, & pro remedio anime mee in jure & poteſtate ipſius Moneſterii perſiſterit omnia, ut dictum eſt. Ipſas Cortes domoi-coltiles cum caſis & Caſtris ſeu Capellis, ſive terris, vineis, pratis, paſcuis, ſilvis, ac ſtallareis, rivis, rupinis, ac paludibus, molendinis ac piſcationibus, mercatis & tholoneis, ſeu diſtrictis, ripaticis, coltis & incoltis, diviſis & indiviſis, una cum finibus & terminibus, acceſſionibus & uſibus*

A *aquarum, aquarumque ductibus, cum omnibus juribus, adjacentiis & pertinentiis earum rerum per loca & vocabula ad ipſas Cortes & Caſtris ſeu Capellis & rebus pertinentibus vel aſpicientibus, cum predictos ſervos, ancillas, aldiones, vel aldianas, exinde pertinentibus, præter quod antea, nam ut aliudi, omnia in integrum.*

Quem autem ſupraſcriptas Cortes duas domuicoltiles cum predictis Caſis, Caſtris ſeu Capellis itque rebus omnibus ad ſe pertinentibus vel aſpicientibus juris mei ſupradictas una cum acceſſionibus & ingreſſores earum, ſeu cum ſuperioribus & inferioribus earum rerum, qualiter ſupra legitur, cum predictos ſervos & ancillas,
B *aldiones vel aldianas in integrum, ab ac die in eodem Moneſterio Domini Salvatoris jam dictas Cortes domui-coltiles cum predictis Caſis, & Caſtris ſeu Capelliſque rebus omnibus, ſive ſervis & ancillis, aldiones vel aldianas ad ipſas Cortes & rebus pertinentibus donare & offerre videor in eo ordine ſubter legitur; ita ut faciant exinde ipſe Abba & Monachos ipſius Monaſterii, qui nunc & pro tempore in eodem Monaſterio ordinati fuerint, & die noctuque Deo ſervierint, ad eorum uſu & ſumptu de predictas Cortes domui-coltiles, ſeu Caſis & Caſtris ſive Capellis & rebus omnibus atque de fruges & reddituum ſeu cenſuum quod exinde exierit, &*
C *Dominus dederit, ſive de ſervitio de predictos ſervos & ancillas, aldiones & aldianas ab ſuorum uſu & ſumptu quidquid voluerint ſine omni mea ac proheredum meorum contradictione vel prohibicione, ſeu pro anima predictorum Ottoni quondam Imperatoris, & item Ottoni ſimiliter Imperator, atque Tertio Ottoni Imperatoris, ſive mea, vel parentorum meorum mercede. Inſuper ego que ſupra Adaleida Imperatris partem ipſi Monaſterio Domini Salvatoris de predictas Cortes domui-coltiles, atque de predictis Caſis, Caſtris, ſeu Capellis & rebus omnibus, ſive de eiſdem ſervis & ancillis, aldiones & aldianas ab ipſas Cortes & rebus pertinenti-*
D *bus, legitimam facio tradiam & veſtituram per cultellum feſtuca notatum, wantonem, & waſonem terre, atque ramum arboris; & me exinde foris expuli, warpivi, & adſaſito feci, & ad partem ipſi Monaſterio eis relinqui faciendum exinde pars ipſi Monaſterio Domini Salvatoris a preſenti ordine, ſicut hic ſubter legitur, quod voluerit ſine omni mea & heredum ac proheredumque meorum contradictione, ſeu pro anime predicto quondam Ottoni & item Ottoni Imperatoris, qui fuerunt vir & filio meo, atque pro anima Tertio Domno Ottoni ſimiliter Abiatico meo, ſive mea, meorumque parentorum mercedem. Ita tamen ut ipſe Abba & predictos*
E *Monachos pro anima predictorum Domni Ottoni, & item Ottoni Imperatoris, ſeu pro Tertius Domnus Otto Imperator, atque pro me peccatrice, ſeu pro anime parentorum meorum die noctique apud Deum exorare dignetur, & qualiter exinde fecerint, Deum omnipotentem cum omnibus Sanctis ſuis habeant retributorem. Si quis verò, quod futurum eſſe non credo, ſi ego ipſa Adaleida Imperatris, quod abſit, aut nullus de heredibus ac proheredibus meis, ſeu quiſ-*

(*) ideſt Monaſterii Nonantulani.

ipſas oppoſitas perſonas contra anc Cartulam offerſionis mee quandoque tentaverimus, aut eam per quodvis genium intrangere quæſierimus, tunc inferamus parti ipſius Monaſterio Domini Salvatoris, vel ad illam partem, contra quem exinde litem intulerimus, multa quidem pena auro optimo uncias centum, argenti ponderas mille, & quod repetierimus, vindicare non valeamus, ſed preſens anc Cartulam offerſionis diuturnis temporibus firma permaneat atque perſiſtat inconvulſa cum ſtipulatione ſubnixa. Et bergamena cum atramentario de terra elevavi me paginam Johanni Notario ſacri Palatii tradidit & ſcribere rogavi, in qua ſubtus confirmans, teſtibuſque obtuli roborandam.

Actum infra Caſtrum, qui dicitur Aſterna Judiciaria Alſaſienſe feliciter.

Signum manus ſuprascripte pie Adeleida Imperatrix, qui anc Cartam offerſionis fieri rogavi, & ei relecta eſt.

Signum manus Lanzoni filius quondam Ermenfredi, Lege vivente Salica teſtis.

Signum manibus Amizoni filius quondam Bemoni & Adam filius quondam Andrei, ſeu Predeverti filiorum Fini teſtes.

Ego qui ſupra Johannes Notarius ſacri Palatii Scriptor ujus Cartule offerſionis per data licentia Domni Acumanni Comitis iſtius Comitatu Alſaſienſe, poſt tradita complevi & dedi.

Mirum fortaſſe videatur, cur Ticinenſe Monaſterium Sancti Salvatoris dicatur a piiſſima Adelayde Auguſta *fundatum foris & prope Civitate Papia*. Diſerte Paullus Diaconus de Geſt. Langobard. Lib. 4 Cap. 50. de Ariperto Langobardorum Rege ſcribit: *Hic condidit apud Ticinum Oraculum Domini Salvatoris, quod extra Portam Occidentalem, quæ dicitur Marenca, ſitum eſt, quod ornamentis variis decoravit, & ſubſtantiis ſufficienter ditavit*. Infra idem teſtatur, Bertaridum & Cunipertum Reges, nempe filium ac nepotem Ariperti, in *Baſilica Domini Salvatoris*, hoc eſt in eodem Templo fuiſſe tumulatos. Eorum ego lapidem ſepulchralem repertum in eodem Cœnobio dedi Antiquitat. Eſtenſ. Par. I. Cap. 10. Sed aliud eſt *Baſilicam* excitare, aliud *Monaſterium*. Illam conſtruxit Aripertus I. Rex; hoc autem Baſilicæ conjunxit piiſſima Imperatrix Adelays curâ ac ſtudio Sancti Majoli Cluniacenſis Abbatis. Equidem, novi, inſcriptionem ibi Anno MDLXXXV. poſitam, quæ non minus Templi, quàm Cœnobii inſtitutorem Aripertum teſtatur; ſed quibus tabulis, aut teſtibus eadem epigraphe nitatur, videant religioſiſſimi illi Monachi. In Bullarii quidem Caſinenſis Part. 2. Conſtitutione XV. memoratur a Deſiderio Rege *Monaſterium intra muros Civitatis noſtræ Ticino ad nobis ad ſupraſcriptam Conjugem noſtram conſtructum, in honorem Dei Salvatoris, & Sancti Danielis*. Sed nihil iſtud (quippe intra *muros Urbis* ædificatum) commune habuit cum altero *foris & prope Civitatem* fundato. Vide etiam infra in Diſſertat. LXIV. *de Vario ſtatu Diœceſ.*, quæ de hoc ipſo Monaſterio diſſerui. Interea Charta nuper edita nobis obtulit intra Paludes, juxta Padum & Tartarum, *Doſſum Fraxinaria*, & *Corrigiam in Tengeli*, & *Corrigiam Boniverti*. Aliorum quoque *Corrigiorum* Paludibus inſidentium mentio eſt in teſtamento Almerici, ſive Amelrici Marchionis apud Peregrinum Priſcianum in Collectaneis pertinentibus ad Annales Ferrarienſes adſervatos in Eſtenſi Bibliotheca. Duplex illius exemplum idem Priſcianus adfert. Ego neutrum legitimum ac certum præſtare auſim, quum nonnulla mihi obverſentur, quæ dubiam tabularum iſtarum fidem faciant. Utrumque tamen exerere juvat. Certum quippe mihi eſt, ejuſmodi monumenta ſaltem a non mediocri antiquitate commendari. Tertium quoque illius Teſtamentum infra dabo in Diſſertat. XLI. *de Nominibus*. De hoc ipſo Marchione ſermo infra recurret in Diſſertat. XXXVI. *de Emphyteuſibus*, & in Diſſertat. XLI. *de Nominibus*.

Teſtamentum Almerici ſive Amelrici Marchionis, & Francæ Comitiſſæ illius Uxoris, quo heredem inſtituunt Epiſcopalem Eccleſiam Ferrariæ, Anno 948.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Anno Pontificatur vero Domno noſtro Agapito ſummo & univerſali Papa in Apoſtolica ſacratiſſima beati Petri Apoſtoli Domini Sede Duodecimo: ſicque imperante Domno noſtro Ugo & Lotario filio ejus Anno Vigeſimo Secundo, XVIII. die Menſis Julii, Indictione VI. Ferrarie. Omnipotens Deus Pater celi & terre, Creator animarum & corporum & univerſe Creature, animas, quas condidit, ad remedium ſalutis ſemper invitat. Ideoque ego bone memorie Almericus *glorioſus* Marchio de Civitate Mantua, una cum Franca *glorioſiſſima* Jugali, *volumus & judicamus atque diſponimus per noſtram ultimam voluntatem in hoc Inſtrumento noſtre diſpoſitionis & ultime voluntatis noſtre teſtationis teſtamur mentem noſtram, & judicamus omnia noſtra bona & poſſeſſiones quantaſcumque habere & detinere ac poſſidere viſi ſumus in hoc Regno Italie. In primis volumus & judicamus, ut Georgius Archidiaconus ſancte Ferrarienſis Eccleſie beati Georgii ſit fideicommiſſarius meus & heres mihi in vice ſancti Georgii Epiſcopii Ferrarie Martyris Chriſti, & nomine heredis ipſa Eccleſia ſuccedat nobis, & habeat omnes res & poſſeſſiones meas integras, que in hoc territorio & Comitatu Ferrarie habere & tenere viſi ſumus tam de proprio, quàm de conductitia in perpetuum poſſidere. Conductitia vero, que a veſtra ſancta Ferrarienſi Eccleſia tenere videor, tranſacta emancipo in ipſa ſupraſcripta Eccleſia, cujus juris eſt. Ideſt omnes Maſſas, que a ſancta Romana Eccleſia ſunt emancipata & tradita in ipſa ſancta Ferrarienſi Eccleſia, quod eſt ipſa Maſſa, & diu habetur in ipſa ſupraſcripta Eccleſia Ferrarienſi emancipo ab omni ex publico ſeu privato, in jure & dominio ipſius venerande Eccleſie. Similique modo tradimus & in jure & dominio ſupraſcripte ſancte Ferrarienſis Eccleſie emancipamus omnes res noſtras, que jure proprio tenere viſi ſumus infra ipſo Epiſcopio Ferrarie, ideſt da Levante Maſſa Comito, & Maſſa Fiſcalia, & Veterana: da Mediodie Argele Auriato: da Tramuntane fluvio Bondeno, & fluvio Tartaro, & fluvio Piſtrina, quod eſt ipſa ſupraſcripta noſtra res infra hec latera. Juxta Ferrariam fundo Germiniana, & Valle, que vocatur Fuſca,*

ſca , *&* Corrigio , & Dorſo , qui vocatur Fruntibuti . *Similiter Curtem Porto* , *atque Piſcaria*, *que vocatur Rupina . Similique modo toto & integro Fundo Purpurano cum Fundo Quirenti* , *quam Mandrie* , *ſeu Inſula* , *que vocatur Marleatica* , *uſque Stilo de Baldo* , *&* Curte Corrigia , *atque Boloneticus uſque in Maſſa Caſtiloni* , *& uſque Silva Majore* , *que vocatur Donica . Similiter vero Curte Majaticus* , *ſicque Pedrurio* , *& Vicoboneſo* , *atque Fulvitico : ſicque Silvaria* , *atque Suſſuta* , *& Caſale Oſualte*, *atque Cortule & Telete de Bagnolo* , *Laveclo* , *Gliraticus* , *Dondorigo* , *Villamana* , *& Trulana : ſicque & Orbite . Similique modo concedimus & largimur atque teſtamur in ſupraſcripta ſancta Ferrarienſi Eccleſia beati Georgii Chriſti Martyris pro animabus noſtris novem untias de toto & integro fundo Trecenta* , *& totum* Corrigium , qui vocatur de Roverè , *& totum & integrum fundum Ponticelli* , *& totas integras ſex untias de fundo Arſizanca* , *& tres untias de fundo Laurana* , *& untias quatuor de fundo Publica* , *& untias tres de fundo ubi dicitur Volta de Deno*, *& totum fundum Cortigna ; & totam & integram medietatem de fundo toto Ronathiſe* , *& totam & integram Vallem*, *que vocatur de Molino* , *& totum & integrum fundum de Pirro Virtuſe* , *& totum & integrum fundum* , *qui vocatur de Granariolo* , *& totum fundum de Foſſato Novo* , *& totas & integras untias ſex de Contula de Luipa* , *& totum & integrum fundum* , *qui vocatur Due Rovere* .

Similique modo concedimus & largimur in ſupraſcripta ſancta Ferrarienſi Eccleſia beati Georgii totum & integrum fundum de Pathalu , *& integrum fundum de Canale*, *& integrum fundum de Vignale* , *& integras tres untias de fundo Caſtagnolo* , *& integrum* Corrigium de Launitho , *& totum fundum Cortale* , *& untias quatuor de Concola Lovaria* , *& totum etiam integrum fundum* , *qui vocatur Marana* , *& medietatem de fundo Auriano* , *& medietatem de fundo* , *qui vocatur Campo de Albaro* , *& integrum fundum de Carathoni* , *& totum fundum de Valle Surico* , *& totum fundum Saliceto* , *& medietatem de fundo Mariſelle* , *& quatuor untias de fundo de Cona* , *& medietatem de fundo de Fabrica* , *& de fundo Sancti Leonis* , *& totum fundum Taſſarie*, *& untias quatuor de Caſale Veclo* , *& untias ſex de fundo & prato Marlini* , *& untias quatuor de Farvalina* , *& untias tres de fundo Lavaclo* , *& untias novem de fundo Lithroſa* , *& de fundo de Ulmo* , *& integrum medium fundum Matriſane* , *& totum fundum & Vallem Piſcatoriam* , *& medium fundum de Termine de Petra* , *& untias quatuor de Calle de Carubo* , *& medium fundum de Cona de Publica* , *& untias ſeptem de fundo Cathagnola* , *& medium fundum de Lavazane* , *& medium Saltritica* , *& medium fundum Ducentule* , *& totum fundum Roſillo* , *& integrum fundum de Scoſſamaſſa* , *& fundum Flaibano* , *& totum fundum Cortigni* , *& totum fundum Methathera* , *& totum Caſtagnolo* , *& totum fundum de Paſurio Corvaſtro* , *& medium runcum* , *qui vocatur Donico* , *& totum fundum Cothapoſſa* , *& tres untias de fundo Clauſiano* , *& untias ſex in fundo Cerviniano* , *& untias quatuor in fundo Nogarie* , *& de fundo Gontiatica* , *& untias novem de fundo & Valle Tigonaria . Has omnes ſupradictas res* , *que in iſto Comitatu & Epiſcopatu & territorio Ferrarie habere viſi ſumus* , *cum omni jure &*

A *pertinentia ſua* , *ſeu in jure & dominio ſupraſcripte ſancte Ferrarienſis Eccleſie beati Georgii in perpetuum : quia ſic eſt noſtra ultima voluntas . Ibi etenim corpuſculum meum judico ſepeliri . Alias autem res noſtras* , *que in noſtro territorio Comaclo habere viſi ſumus* , *& omnes Inſulas maris Adriatici ad Monaſterium Sancti Apollinaris relinquimus . Similiter omnia* , *que extra iſta confinia in noſtro territorio habere viſi ſumus ad ipſum Epiſcopatum Beati Petri Apoſtoli relinquimus* , *excepto quod ad* Opertum Comes *per Cartas emiſimus . Alias vero res*, *que in territorio Parmenſi habere viſi ſumus*, *ad ipſum Epiſcopatum Sancte Marie relinquo . Similiter & omnes alias res noſtras* , B *que in ſingula territoria habere viſi ſumus ad ſupraſcriptas Eccleſias de ipſo territorio pro anima relinquimus* , *quia ita volumus & jubemus : & ſic eſt noſtra ultima voluntas . Unde enim jubeo & teſtifico* , *quod omnia teſtamenta*, *que quondam diſpoſuimus* , *ſint irrita & vana*, *& nullum vigorem habere precipimus* , *quia ſic eſt noſtra ultima voluntas : & jurata voce dico per Deum omnipotentem* , *& per vitam Patrum ſanctorum noſtrorum* , *& per ſacroſancta Dei Evangelia* , *que preſentia in manibus meis teneo* , *& ore meo oſculor* , *hoc Teſtamentum obſervare promitto* , *& nullum aliud ordinavero . Sic me Deus adjuvet* , *& illa ſancta Evangelia* .

C Leo *Tabellio hujus Teſtamenti ſcriptor de ſupraſcripto Almerico & ſupraſcripta Franca* , *jugalibus* , *vidi & audivi & corroboravi . Et Georgius Arcidiaconus ſancte Ferrarienſis Eccleſie in vice ipſius Eccleſie heredem ſubſtitui* , *& teſtibus ab eis rogatis obtuli roborandum & ſubſcribendum ſub die menſis Julii*, *& Indictione VI. Ferrarie* .

✠ *Ego* Opertus Comes *preſens vidi & audivi* , *& rogatus me teſte ſubſcripſi* .

✠ *Ego Eribertus preſens vidi & audivi*, *& rogatus me teſte ſubſcripſi* .

✠ *Ego Leo preſens vidi & audivi* , *& rogatus me teſte ſubſcripſi* .

D ✠ *Ego Damianus preſens vidi & audivi*, *& rogatus me teſte ſubſcripſi* .

✠ *Ego Petrus preſens vidi & audivi* , *& rogatus me teſte ſubſcripſi* .

✠ *Ego Lambertus preſens vidi & audivi*, *& rogatus me teſte ſubſcripſi* .

✠ *Ego Adalbertus preſens vidi & audivi*, *& rogatus me teſte ſubſcripſi* .

Chartam hanc retuli ad Annum DCCCC. XLVIII. quo revera decurrebat *Indictio Sexta*, potuitque decurrere *Annus XXII.* Hugonis Italiæ Regis. Sed quod attinet ad Annos Agapiti Secundi Papæ, pro *Anno Pontificatus XII.* ſcribendum eſt *Anno II.* aut potius *III.* Librarius numeros Romanos parum attente ſcrutatus , E ſibi fortaſſe viſus eſt inveniſſe *X.* præpoſitum hiſce numeris . Cur vero *Anni Lotharii* heic minime legantur , alii videant . Præterea quum *Opertus Comes* commemoretur in hiſce tabulis , conjecturam meam Par. I. Cap. 23. Antiquitat. Eſtenſ. propoſui , ipſum fortaſſe annumerandum eſſe inter Majores Marchionum & Ducum Eſtenſium . Accipe nunc alterum Teſtamentum ejuſdem Almerici .

Almerici Marchionis alterum Teſtamentum, Anno 948.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Anno Pontificatus Domini noſtri Agapiti ſummi & univerſalis Papæ in Apoſtolica ſacratiſſima beati Petri Apoſtoli Domini Sede Secundo, imperante Domino Hugone & Lothario filio ejus Anno XII. die XVIII. menſis Julii, Indictione VI. Ferrarie. Omnipotens Deus pater celi & terre, creator omnium animarum & corporum & univerſe creature, animas, quas condidit, ad remedium ſalutis ſemper invitat. Idemque ego bone memorie Almericus Marchio de Civitate Mantue, una cum Franca *conjuge mea, volumus, & judicamus, atque diſponimus in hoc Inſtrumento diſpoſitionis & ultime voluntatis noſtre teſtationis Teſtamento III. mentem noſtram videlicet, de omnibus noſtris bonis & poſſeſſionibus, quantaſcumque habere & detinere ac poſſidere viſi ſumus in hoc Regno Italie. In primis volumus & judicamus, ut Georgius Archidiaconus ſancte Ferrarienſis Eccleſie beati Georgii ſit fideicommiſſarius meus & heres nomine ipſius Eccleſie Sancti Georgii, & nomine heredis ipſa Eccleſia ſuccedat nobis, & habeat omnes res & poſſeſſiones meas integras, quas in hoc territorio Ferrarienſi & Comitatu habere & tenere viſi ſumus tam propria, quam conducticia in perpetuum, conducticia videlicet, que ab ipſa ſancta Ferrarienſi Eccleſia tenemus, ipſi Eccleſie, cujus juris eſt, emancipo. Licet omnes Maſſas, que a ſancta Romana Eccleſia ſunt emancipate & tradite, ipſi Ferrarienſi Eccleſie emancipo ab omni publico & privato in jus & dominium ipſius venerande Eccleſie. Simili quoque modo tradimus in jura & dominium ſupraſcripte ſancte Ferrarienſis Eccleſie emancipamus omnes res noſtras, que jure proprio tenere viſi ſumus in ipſo Epiſcopatu Ferrarie: hoc eſt ab Oriente Maſſam Corneti, Piſcalie, & Viterarie: a Meridie aggerem Auguſtum: ab Occidente fluvium Bondenum, & fluvium Tartarum, & fluvium Piſtrinam, videlicet, fundum Germinianum, Vallemſuſcam,* Corrigium, & Dorſum Fruntibal i, *ſimiliter Corten, Portum, atque Piſcarium. Doginam, totumque & integrum fundum Purpuranum cum fundo Quirentis, Mindrie, atque Inſula Marliatica, uſque ad Stillam Baldi, &* Curtem Corrigiam, *Bolonticam, atque Maſſam Caſtilioni, & Silvam Majorem nuncupatam Domicam, item Caſtilioni, Curtem Marsticam, Pedrurium, Vicum Bonoſium, atque Fulviticum, Silvariamque, ac Suſſutam, & Oſcholtis Caſalem, atque Cortilem Balneoli, Lancedum, Ghiraticum, Dondorizum, Villanovanam, & Trullariam, & Orbitem.*

Similique modo concedimus & largimur atque teſtamur infraſcripta ſancte Ferrarie Eccleſie beati Georgii Chriſti Martiris pro animabus noſtris, videlicet novem untias totius & integri fundi Triente cum toto Corrigio Rovereti, *& fundo Ponticelli. Item ſex untias fundi Arzozanici, tres Lauriani, quatuor Publici, tres ejus fundi, qui dicitur Volta Atii, & totum fundum Cortizuum cum medietate fundo Ronathiſi. Ad hec Vallem Molendini, fundum Piri, Ginarioli, & Foſſatinovi: untiaſque ſex Cordule Lupi, cum fundo Roveretti, Pabliſchi Canale, & Vincalis, atque tres untias fundi Caſtaneoli, & integrum* Corrigium Lau-

A *nichi, & fundum Cortalem, & untias quatuor Conſole Lovarie, & totum fundum Maranum cum medietate Tragiliani, Auriani, Campi de Albero; nec non fundum Carathonem, Vallemſaricam, fundum Salicetum cum medietate Mariſelle, nec non quatuor untias Conne, Fabrice, & Leonis cum fundo Taxario. Igitur untias quatuor Caſaliveteris, & ſex in fundo & prato Marvuli, & quatuor in Farnalina, tres in Laudo, novem in Lithroſa & Ulmo; ac medium fundum Matriſane cum Valle piſcatoria, & dimidio terminis Petre, untiaſque quatuor Vallis Coriubi, & medium fundum Conne publice, cum untiis ſeptem Cechanicle, dimidioque*

B *Lavazani, Saltitrice, & Ducentule, atque fundum Doſilli, Scotimaſſa, Flaibani, Cortigui, Merlathece, Caſtanelli, & Paſtini, Cornuſtri cum medietate Runci Dominici, & toto fundo Cathapoſe. Item tres untias fundi Claudini, ſex Cervimani, quatuor Nogarie & Gonciatice, & novem Vallis Tigonarie. Que omnia ſupraſcripta in iſto Comitatu & Epiſcopatu atque territorio Ferrarienſi habere viſi ſumus. Idcirco ea cum omni jure & pertinentiis in jus & dominium ſupraſcripte ſancte Ferrarienſis Eccleſie beati Georgii in perpetuum tranſferimus in hac noſtra ultima voluntate, ubi etiam volumus corpuſculum noſtrum ſepeliri.*

C *Alias vero noſtras, quas in noſtro territorio Comaclenſi habemus, & omnes Inſulas maris Adriatici Monaſterio Sancti Apollinaris relinquimus. Simul omnia que extra iſta confinia in territorio Adrienſi habere viſi ſumus, ipſi Epiſcopatui beati Petri Apoſtolici relinquimus. Que vero in territorio Parmenſi poſſidemus, ipſi Epiſcopatui Sancti Marici relinquimus. Similiter & omnes alias res noſtras, quas in ſingulis terminis habere viſi ſumus, Eccleſiis pro anima noſtra relinquimus, quia ita volumus & jubemus & ſic eſt noſtra ultima voluntas. Ulterius jubemus & teſtificamur omnia Teſtamenta, que quondam diſpoſuimus, eſſe irrita &*

D *inania, nullumque vigorem poſthac habere precipimus, quia ſic eſt noſtra ultima voluntas. Et jurata voce dicimus per Deum omnipotentem, & per vitam Patrum Domnorum noſtrorum, & per ſacroſancta Dei Evangelia, que in manibus tenemus, & ore oſculamur, hoc Teſtamentum velle obſervare, & nullum aliud ordinare. Sic nos Deus adjuvet, & illius ſancta Evangelia.*

Actum Ferrarie per Leonem Tabellionem coram teſtibus ab Almerico & Franca rogatis, Operto Comite, *Eriberto, Leone, Damiano, Petro, Lamberto, atque Alberto, ſub die XVIII. menſis Julii, & Indictione VI.*

E *Signum Ugonis Regis Italie.*

Signum Hlotharii Regis Italie.

Recte heic adnotatum videas *Annum II. Agapiti II. Papæ*. Sed perperam conjungitur cum *Anno XII.* Hugonis Regis. Uti in altero nuper edito Teſtamento inſpeximus, reſtituendus heic eſt *Annus XXII. Hugonis*. In calce Chartæ Signa *Hugonis* & *Lotharii* Italiæ Regum, peregrinum ſapiunt. Quod ad rem noſtram pertinet, recenſentur heic *Corrigium & Dorſum, qui vocatur Fruntibuti, Curtis Corrigium qui vocatur de Roverè, & Corrigium de Launitho*. Hæc omnia in paludoſis locis jace-

cebant. Quæcumque ergo Caſtella aut vici occurrunt, adhuc *Corrigii* nomine in Veronenſi, Mantuano, aliiſque Comitatibus diſtincta, uti & inſigne Oppidum Regienſis Diœceſis, ex quo celebris olim Familia *de Corrigia* ante plura Sæcula cognomentum ſumſit, nunc in Eſtenſium Principum ditione ſitum, cum aquis ſtagnantibus conflictata olim fuere; & ſive colles eſſent, quos pertingere aquæ numquam potuerant, ſive tellus tamdem congeſta illic attolleret caput, cœpta ſunt habitari. In Charta Mathildis Comitiſſæ Anno MC. exarata apud Bacchinium in Hiſtor. Padolironenſ. dono datur Eccleſiæ de Gunzaga *Corrigium unum*, *quod habet fines de meridie Palude Saliceti*, *de ſera Vangaicii*, *& Paludem unam juxta predictum Corrigium*, *quæ protenditur uſque Ruperun & Laniole*, *& uſque Plantanelum*, *& uſque ad Lacum Romanum*. Habemus heic graphice pictam veterum Corrigiorum imaginem. Reperimus & nomen *Mezzano* inditum aliquibus Villis ad Padum præcipue ſitis in Parmenſi, Laudenſi, aliiſque agris. Inſulæ Padi ita olim appellatæ ſunt, quod loca eſſent *media* inter aquas. Nunc autem in continenti vetuſtam retinent appellationem. Otto Morena in Hiſtor. Rer. Laudenſ. Tomo VI. Rer. Italicar. pag. 1081. hæc habet: *Placentini reduxerunt naves uſque ad ripam Padi*, *quæ eſt versùs Placentiam*. *Sed Laudenſes in quodam Mezano*, *qui Inſula dicitur*, *prœlium cum Placentinis incipientes* &c. Sed potiſſimum Ferrarienſis ager, poſtremus nempe, in quem Padus influebat, paludibus olim atque ſtagnantibus aquis obnoxius fuit. Teſte Radevico Lib. I. Cap. 45. de Geſt. Friderici I. Anno MCLVIII. Ferrariam penetrarunt copiæ Imperatoris Friderici, Civeſque mandata Principis facere coëgerunt: *Ea res incredibilis viſa eſt*, *eo quod Ferraria*, *Pado ibidem inſtagnante*, *& Paludes impermeabiles faciente*, *munimento locorum fidens*, *omnem vicinam ſuam intrepida ac ſuperba rideret atque deſpiceret*. Plurimum debet Civitas illa Ateſtinis Principibus, quod iis præcipue curantibus vaſtus ager vomeres acceperit, ac meſſem exinde reddiderit.

Porro incredibile eſt, quantùm immutata ſenſim fuerit Italicarum Urbium & locorum illorum facies, quæ in planitie fluviis conterminæ, eorumque inundationibus obnoxiæ erant. Sunt, in quibus area loci ad decem, viginti & ultra cubitos excrevit. Atque in primis Mutinenſis Civitas, ludibrium olim errantium fluviorum,

A alte defoſſas interdum reperit antiquæ Mutinæ ruinas, ita ut ubi nunc fundamenta novarum ædium ſtatuuntur, ibi culmina veterum conſtitiſſe videantur. Hæc ſcribit Strabo Lib. V. Geograph. *Lanam mollem*, *& omnium longe optimam producunt loca circa Mutinam* (καὶ τὸν Σκουτάναν) *& Scutanam flumen*. Legendum Σκουλτένναν, ſive *Scultennam*. Temporibus noſtris quamquam Mutinenſis agri lana multo ſit in pretio, tanta tamen illius præſtantia minime videtur, ut peculiare elogium ei convenire poſſit. Diſcriminis hujus in cauſſa fortaſſe fuerit terrarum atque adeo paſcuorum mutata natura, aut culpa rejicienda eſt in ruſticorum pigritiem, qui vivo amne oves non purgant; ajunt
B enim periti, lanam ovibus noſtris ita purgatis detractam ſubtilitate ac mollitie cum optimis certare. Quum ergo tot olim, barbarico præſertim ævo, *Paludibus* ac *Silvis* premeretur Italiæ ſuperficies, ac præcipue in montibus *Nemora* abundarent, conſequens eſt, ut opinemur longe minorem iis temporibus quàm noſtris fuiſſe habitatorum copiam. Non enim plures incolas arva habere conſueverunt, quàm alere poſſint, niſi ſint maritimæ Urbes negotio addictæ, ad quas facile navium ope annona opportuna defertur. Tunc autem non levis agrorum pars inculta jacebat. Verùm ubi aut pacis commoda animos Populis fecere, aut augendæ rei cupiditas ſegnitiem ex eorum pecto-
C re amovit, ſenſim Nemora exſcindi & eradicari cœpta ſunt, & coli loca, unde tamdem abſceſſerant ſtagnantes aquæ. Immo eò hominum concordia ac induſtria crevit, ut vagantes fluvios aggeribus arctarent, foſſiſque deductis paullatim ſiccarent ulvoſam antea paluſtremque tellurem. Adfert ſupralaudatus Bacchinius in Hiſtor. Padolironenſ. pag. 92. Appendic. Chartam ejuſdem Comitiſſæ Mathildis, quæ Anno MCXII. Abbati Sancti Benedicti donat *Terram quamdam*, *quæ nunc exſtirpatur*, *ex parte ſtirpatam*, *ex parte cum Silva*, *quæ eſt poſita in Curia Maſſæ infra Comitatum Ferrariæ*, *in fundo quod dicitur Margarino*; *a ſecundo capite Palus*, *quæ dicitur Albolini*; *ab altero latere Runchus de Johanne Anaſtaſii*.
D Eodem ſtudio & alii terris ſuis adhibuere culturam. Quid in Veronenſi agro Populus Nogarienſis præſtiterit in amolienda immani Silva, quæ ad jus ſpectabat celeberrimi Nonantulani Mutinenſis Cœnobii, ex Innocentii II. Papæ Literis diſces, quas authenticas legi in Archivo ejuſdem Monaſterii.

Literæ Innocentii II. Papæ ad Populum Nogariæ, circiter Annum 1136. ſcriptæ.

INnocentius *ſervus ſervorum Dei*, *dilectis filiis Militibus & bonis hominibus Nogariæ ſalutem & Apoſtolicam benedictionem*. *Perlatum eſt ad aures noſtras*, *quod* Nogarienſem Silvam, quam Comitiſſa Matildis a Monaſterio Nonantulano ſub annuali penſione tenuit, *& antequam moreretur*, *eidem Monaſterio reddidit*, extirpaveritis, eamque veſtris uſibus excolatis. *Et quoniam valde periculoſum eſt Eccleſiarum juſtitiam minuere vel retinere*, *per preſentia vobis ſcripta mandamus*, *atque precipimus*, *quatenus de laboribus*, *quos ibidem excolitis*, *prefati Monaſterii Fratribus jus ſuum integre perſolvatis*.

Datum Laterani VII. Kalendas Decembris.

Adeſt Bulla plumbea, ibique literæ,

INNOCENTIUS PP. II.

E In Charta Veronenſi Anni MCCXXV. evulgata a docto & amico viro Bartholomæo Campagnola ante vetera Statuta Veronenſium legitur facienda *reſtauratio illis*, *quibus ablatum erat*, *vel eſſet de ſuo Nemore*, *& Silva Gazi & Ingazata* (fortaſſis *in Gazata*) *Nogariæ*. *Gajum* & *Gazum* idem olim nomen fuit. *Ronchi* verò, *Runchi*, & *Roncora* ab antiquo Latino verbo *Runcare*, appellabantur loca, quæ conciſis Nemoribus aratro tamdem ſubigi poterant: quæ vox adhuc perdurat, & in veterum monumentis frequens habetur. In Charta Ferrarienſi Anni MCXIII. quam autographam teneo, hæc leguntur: *Terram autem illam*, *quam roncabo*, *frui debeo per annos tres*; *poſtea reddam Terraticum* &c. In Antiquitat. Eſtenſ. Par. I. Cap. 40. pag. 408. memini me Chartam produ-

dorrere, in qua fit mentio de *Sampiis* & *Ampiis*, quarum vocum ſignificationem obſcuram diu ſum perſcrutatus. Nunc monendus eſt Lector, idem *Xempio* fuiſſe ac *Ronco*, ſcilicet ſilvam ſive agrum eruncatum, atque ad culturam paratum. *Terra exemplata*, & *Exemplatum*, & *Exemplum* eo ſenſu apud veteres occurrunt, ut multis teſtibus ac tabulis oſtendit Du-Cangius in Gloſſar. Latino. Inde *Xemplum* efformatum. In quo autem *Sampla* ab *Amplis* differant, divinare neſcio. Erunt qui unum idemque putent, utpote ab una voce *Exemplum*, uti videtur, profecta, ſeu potius ab *Exemplare* Latino. Hinc Tuſci veteres dicebant *Aſſempiare* pro *Dilatare*, cujus vocis jam antiquatæ exempla habes in Vocabulario *della Cruſca*. Atque hinc proprie enata videtur vox *Stempio*. *Exerta* quoque pro *Exemplo*, ſive Nemore ſucciſo, aut terrâ a dumetis expurgatâ, in antiquis monumentis invenias. Agros verò, qui aratrum primo ſentire incipiebant, *Novales* appellatos videas. Ad hæc vaſta loca, quibus excepta fuerat Silva, *Roncalia* & *Rhoncalia* nuncupari exinde cœpta ſunt. Duas Villas ejuſdem nominis Mutinenſis Civitas habet in interiori agro ſuo. Habent & aliæ Langobardiæ Urbes, nobiſque occurrunt variis in locis *Ronchi*, *Roncovetere*, *Roncaglio*, *Ronca*, & horum ſimilia nomina. Inter quæ præſertim diu celeberrima fuit Placentinorum *Roncbalia* ad Padum, utpote locus ampliſſimus, ac nullis arboribus impeditus, in quo ſolemnem ac mirabilem Curiam interdum Francici, & fere ſemper Germanici Imperatores quum primùm in Italiam deſcendebant, habere conſueverunt, confluentibus illuc ex univerſis Italiæ Urbibus Principibus ac illuſtribus viris. Ejus mentio eſt apud Urſpergenſem, Ottonem Morenam, aliosque Scriptores. *Prata Ronchaliæ*, ubi Henricus II. inter Auguſtos Anno MXLVII. Curiam nobilem habuit, memorat Arnulphus Mediolanenſis Lib. 3. Cap. 4. Hiſtor. Tomo IV. Rer. Italicarum. Ex quo intelligimus, locum illum, tum quod in centro, ut ita dicam, Langobardiæ foret, tum etiam quod percommodam aream tanto nobilium virorum Populo, eorumque tentoriis præberet, in eum uſum fuiſſe ſelectum. Sed & *Ronchaliæ* appellatio prodit, locum ipſum aliquot ante Sæcula Nemoribus ac Silvis abundaſſe, iis autem exciſis ad uſum pratorum fuiſſe educatum. Rurſus verò ſi intra Paludes ab antiquiſſimo tempore tellus in collem aſſurgens, non amplius infeſtas aquas ſentire, aut ſi ſenſit, ſupereminere ſenſim cœpit: illic non ſolùm ruſticorum mapalia, ſed & Vici & Caſtella paullatim ædificata fuere. Nulla mihi dubitatio eſt, quin infima Comitatus Mutinenſis pars antiquis Sæculis diuturnam fluminum alluviem perpeſſa fuerit. Attamen ipſo Sæculo X. Æræ Chriſtianæ in ea regione jamdiu conditum invenio *Caſtellum Sancti Felicis*, quod ob fœcundos agros magni apud nos æſtimatur, uti & alias Villas in ejus finibus, videlicet *Libaticam*, *Rpaticam* (nunc *Rivara*) *Camorianam* (nunc *Camorana*). Teſtem rei habeo Chartam, quæ autographa in Tabulario Eſtenſi adſervatur.

Contractus venditionis quarumdam terrarum & jurium factæ a Leone, qui & Liotefridus, Johanni Clerico filio Stephaniæ, Anno 929.

IN nomine Domini noſtri Jheſu Chriſti, regnante Domno noſtro Ugho Rex ic in Ital Anno Quarto, de Menſe Madio, Indictione Secunda. Conſta, me Leo, qui Liotefrido nomin, vel licet vinditor vindo, & ad preſens die trado tibi Johannes filius quondam Stephanie emtore meo, vel a tuis heredibus, ideſt omnes res juris illius, quas mihi avenit per Cartula comparacionis da Stebenco Preſbitero in Villa Libatica, & in Riparia, ſeo & in Camoriana, *& per aliis ſingulis locis, ubi ubi per ipſa Cartula mihi legibus pertinet, ideſt tam terris, vineis, campis, pratis, ſilvis, ſalectis, aquis, Paludibus, Piſcaria, virgaria, vel uſu, puteis aquarum cum introito, & exſito ſuo, & cum omni jure ſuo ſuper ſe abet in integrum. Ad preſens die vindo & trado poteſtatem tibi Joannes Clericus vel a tuis heredibus a jura proprietario nomine abendum & poſſidendum; precio autem placito & definito, ſicut inter nos bono animo convenit pro pacto & bona voluntate, ideſt in valiente pro adpretiatum Solidos viginti, tantum eſt finito pretio & completo ſum, nulla exinde remanſit debitum. Unde modo ſpondeo adque repromitto me ego qui ſupra Leo vinditor una cum meis heredibus tibi qui ſupra Johannes Clericus vel a tuis heredibus ipſa memoratas res omni tempore ab omni coque omine defenſare. Et ſi defenſare non potuerim, aut contra anc Cartula vendicionis alico tempore agere aut cauſare vel corumpere queſierim, tunc promitto me ego Leo vinditor una cum meis heredibus tibi qui ſupra Johannes Clericus emtore meo, vel a tuis heredibus componere ipſa memoratas res in duplo ſub eſtimacione precio in conſimile locas & anc Cartula, ſicut ſuperius legitur, in ſua permaneat firmitate.*

Acto in Caſtello Sancti Felici *feliciter.*

✠ *Signo manus Leoni vinditoris, qui hanc Cartula vindicionis fieri rogavit, ſicut ſuperius legitur.*

Signo ✠ ✠ ✠ ✠ *manibus Hoprandi, & Everardi germanis, & Stadeuti, & Barbati rogati teſtis.*

Scripta Cartula per manum Ariualdi Notarii poſt tradita complevi & dedi.

Illud tamen mihi intente conſideranti deprehenſum eſt, Caſtellum Sancti Felicis ſitum eſſe, ubi amplus terræ tractus ab Occidente in Orientem dorſi ad inſtar eminet ſupra reliquam planitiem, ita ut erumpentes Padi & Gabelli (nunc *Secchia*) aquæ eò numquam aſcenderint. Sive dorſum illud antiquitate multa nitatur, ſive fluvii hinc inde enormi curſu fluentes illud efformarint: nil mirum, ſi ante octingentos annos Caſtellum nobis illic occurrat. Montibus autem ob imbrium impetum decreſcentibus, & in imam Lombardiæ partem arenam & argillam devehentibus, non ſolùm æquata ſenſim fuere complura e paludoſis locis, atque exſiccata a Ravenna uſque ad Altinum, ſed etiam turbidis aquis Padi, aliorumque fluviorum in mare labentibus, multum increvere alluviones, & cedente mare factus eſt locus in ejus litore novis agris, noviſque habitatoribus ad eos incolendos. Padum verò non ſemel mutaſſe curſum & alveum, documenta veterum oſtendunt. Unum ſeligo, in quo *Padus Veclus* memoratur, e Chartophylacio Eſtenſi eductum.

Char-

Charta Gualterii Archiepiſcopi Ravennatis, in qua Padi veteris mentio eſt, Anno 1122.

IN nomine Domini. Anno ab Incarnatione Domini Milleſimo Centeſimo Vigeſimo Secundo, temporibus Domni Calliſti Pape, & Einrici Imperatoris, die XXX. Menſis Octubris; Indictione Prima, in Curte de Argenta. Quia peto a vobis in Dei nomine Domno Gualterio, *ſervo ſervorum Dei, divina gratia* Archiepiſcopo *ego Dominicus Judex pro perſona & in vice Caſiotti ſub dominio & poteſtate Sikelmi patris ſui & Imize matris ſue, ſeu filiis & nepotibus ſuis tantum, petitioni noſtre, que habetur in ſubditis, libenter acommodatis aſenſum, hob hoc quia nec munificentia deperit, nec percipientibus in perpetuum, quod datur, adquiritur, & quoniam ſperamus, ut omnes res, quas abuit Sikelmus pater ſupraſcripti Caſiotti & ſibi pertinuit, per enfiteuſim a jure ſancte veſtre Ravennatis Eccleſie infra tota Plebe Sancti Petri in Copario, & quas ille modò detinet, & medietatem integram de Fundo, qui vocatur Serinzana, cum terris, vineis, ſilvis, caſalibus, pratis, paſcuis, ſalectis, ſationalibus, Paludibus, vel omnibus ad predictas res pertinentibus, vel ad ſupraſcriptam medietatem Fundi Serinzana pertinentibus, conſtituta in partibus Ferrarienſibus, Plebe Sancte Marie in Figariolo in finibus ejuſdem fundi, qui vocatur Serenzana, ab uno latere Pado percurrente, & ab alio latere* Pado Veclo, *a tertio Calle Cava & terra Aquariolo Tundule; enfiteuticario modo poſtulamus largiri, ſi minime per enfiteuſim antea ſint largita, vel ſi juſte & racionabiliter a vobis petivi, vel ab aliis minime detineri videntur, donec Domini Divinitas in ac luce juſſerit permanere vitam: ſub penſione omni Marcii Menſe, aut infra indie . . . . . inferre debeamus Actoribus ſancte veſtre Ravennatis Eccleſie Denariorum Veterum duodecim. Nihilque de omni expenſa, quam inibi fecerint, ab Actoribus ſancte veſtre Ravennatis Eccleſie in ſuperius adfixam penſionem reputare debeat nullam tardietatem aut neglectum tam ad inferendam predictam penſionem, quamque ad melioracionem predictarum rerum facere debeant. Sed antedictam penſionem omni Marcio Menſe infra indie . . . . . . ſine aliqua excuſatione aut dilatacione Actoribus ſancte veſtre Ravennatis Eccleſie perſolvere debeat. Et nec cuiquam preſens Preceptum, aut ſuprascriptas res alicui omini dare vel vendere ſeu transferre aut oponere vel comutuare aut in alio venerabili loco relinquere audeat per ullum ingenium vel argumentum. Sed nec aliquando adverſum ſanctam veſtram benefatricem Ravennatem Eccleſiam cuiquam contra juſtitiam tractare aut agere, niſi propria cauſa, ſi contigerit, per juſtitiam tantumodo ventilare audeant. Quod ſi in aliqua tardietate aut neglectum inventi fuerimus extra agere de is, que ſuperius afixis condicionibus, non ſolùm hoc precepto recadant, verum eciam daturi fiant Parti ſancte veſtre Ravennatis Eccleſie ante omnem litis inicium aut interpellacionem pene nomine auri obrizo uncias ſex. Et ſi non perſolverint multociens dictam penſionem infra biennium, ut Leges cenſent, tunc poſt pene ſolucionem licencia ſit Actoribus ſancte veſtre Ravennatis Eccleſie nos exinde expellere, & qualiter providerint ordinare. Set poſt tranſitum eorum, tunc predicte res cum omnibus ab eis acta, facta, meliorataque fuerit, ad jus ſancte veſtre Ravennatis Eccleſie, cujus eſt proprietas, modis omnibus revertantur.*

A *Quam vero Precepti paginam Raimberto Notario ſcribendam juſſit, in quam vero ſubſcripſit ſub Die & Menſe & Indictione ſuprascripta & in ſuprascripto loco.*

Si heic innuitur *Rupta Ficheroli*, citius quàm putarit Sardius in Hiſtor. Ferrarienſi Padus ad Ficherolum ſciſſus fuerit. De aliis Padi ſciſſuris agit Peregrinus Priſcianus in Annalibus Ferrarienſibus MStis. Quod tamen Populi numerum in Italia potiſſimùm amplificare cœpit, fuit effuſa Imperatorum & Regum liberalitas in Eccleſias atque in Vaſſallos, quibus non Cortes tantum, Caſtella ac Villas largiti ſunt, ſed & Regalia, ita ut ſcinderentur prorſus Comitatus; B & qui antea unus erat ager, uni Comiti atque uni Urbi ſubjectus, deinde ab Urbe & Comite abſtractus, in centum, ut ita dicam, Regulos divideretur. Certatim autem iſti curam omnem collocabant in Caſtellis ſuis nobilitandis ac muniendis, eiſque & agro ſubjecto, quantam poterant, procurabant incolarum copiam, ut plures in iis haberent defenſores pro tutela ſuæ ditionis, & pluribus etiam imperarent. Ea ratione vel in ipſis montibus, nedum in planitie multiplicata ſunt una cum Caſtellis ac Villis hominum capita. Hæc ante Sæculum XI. & poſtea ſunt actitata. Verùm ubi Civitates Italiæ in libertatem ſe ſe veluti concordi impetu aſſe- C rere cœperunt, tunc & ipſæ quam maximo ſtudio animum intenderunt non ſolùm ad recipiendos veteris imperii fines, immo & dilatandos, ſed etiam ad amplificandas Civium familias. Quam in rem Nobiles viros, antea in Caſtellis ſuis fere ſemper habitantes, adegere ad incolendam Civitatem per aliquot ſaltem anni cujuſque menſes, multoſque ex iis, communione honorum ac munerum factâ, perpetuos deinde habitatores habuere. Neque ſegnius inſtitere Principes, qui regendas poſtea acceperunt eaſdem Urbes, ut major in dies acceſſio fieret Civium numero. Itaque, ſi paucas excipias, Italicæ Civitates temporibus iis ambitum ſuorum D mœnium ampliare coactæ ſunt. Neapoli, Mediolani, Florentiæ, Ticini, Veronæ, Cremonæ, Bononiæ, Ferrariæ, atque in aliis Urbibus vix ullus eſt Hiſtoriæ patriæ vel leviter peritus, qui non indicet, quantum incrementi factum fuerit Sæculis iis Civitati ſuæ, ita ut quæ Templa olim condita fuerant in ſuburbano agro, nunc intra ipſas Urbes incluſa ſpectentur. Tunc certe mirum in modum, quod eſt ad Populorum copiam floruit Italia. Quod ſi præſentem illius fortunam cum Sæculis iis conferimus, utique otio & pace diffluentem Italiam aſpicias, ſed ſimul antiquo habitatorum numero a ducentis annis nimium imminutam. Civitates bene pau- E cas demo, quæ nunc aut plures quàm olim cives numerent, aut certe nihil ſibi de Populo ſublatum putent: reliquæ profectò decreverunt, & ex iis complures ne dimidium quidem, immo neque trientem aut quadrantem gentis olim ibi habitantis complectuntur. Quam ob cauſſam quæris? Quòd ad alios Populos migrarunt florentiſſimæ quondam apud nos lanificii ac ſerici artes; quòd commercium maritimum aliæ gentes nobis jamdiu eripuere; quòd a teterrimis peſtilentiis exhauſtæ habitatoribus Urbes, numquam exinde gravem reparare jacturam potuere; quod denique regionis hujus non modica pars dominis ſervit extra ſua clauſtra regnantibus. Alias cauſſas omitto.

Sed-


Sed mihi Italiam exhibenti ante Sæculum XI. longe minorem incolarum numero prædictam, quam poſtea, objicere quiſpiam poſſit, Italiam vel ipſis barbaricis temporibus pluribus quàm nunc abundaſſe Civitatibus. Nam teſte *Anonymo Ravennate*, medii Ævi Geographo, Lib. 4. cap. 30. nobiliſſimam hanc regionem *quidam Philoſophi amplius quam ſeptingentas Civitates habuiſſe aſſerunt*. Idem verò Anonymus multas enumerat, quarum non ſolùm nulla nunc veſtigia extant, ſed ne mentio quidem apud antiquos occurrit, fortaſſe quod a Librariis in ejus textu nomina tenebras nunc nobis offundant. Doctiſſimus vir D. Gaſpar Berettus Mediolanenſis, Monachus Benedictinus, in Prolegomenis ad Tabulam Chorographicam medii Ævi, edita Tomo X. Rer. Italicar. diligentiſſime inquirit in ætatem Anonymi Ravennatis, quem Guidonem *Presbyterum Ravennatem* a Blondo & Galateo olim memoratum fuiſſe opinatur, ipſumque ſerius quam Porcheronius, Leibnitius, & alii conſuerunt, floruiſſe videtur. Sed quiſquis ille fuerit, & quocumque tempore illa plane informis vitiataque Geographicarum rerum farrago literis conſignata fuerit, vel ab ipſo Guidone, vel ab aliquo ejus Epitomatore: illud mihi certum eſt, nullius hoc loco ponderis futuram eſſe nobis Scriptoris iſtius auctoritatem. Is enim miſcet & confundit Italiæ ſtatum, qualis olim fuit vigente Romanorum Republica, cum eo ſtatu, in quo ipſa conſiſtebat Sæculo VIII. vel IX. quum tamen immanis locorum immutatio ſubſequuta fuiſſet, ita ut neutrius effigiem bene conſpiciamus. Præterea is inter Urbes recenſet aut minutos Vicos, aut Caſtella, quæ numquam ad dignitatem Urbis aſſurrexere: & contra omittit, quæ temporibus barbaricis in honore fuere. Paucis exemplis ſententiam meam firmabo. Libro Quincto Cap. 33. poſt Placentiam Urbes illæ ab Anonymo commemorantur: *Julia Chryſopolis, quæ eſt Parma: Breſillum* (dicit *Brixellum*) antiquiſſimum ſane Oppidum, & Colonia olim Romani Populi, ſed a Langobardis exciſum, & numquam priſtino ſplendori reſtitutum. *Tanetum*. Vicus hic fuit Romanorum ævo, & ſi etiam mavis Oppidum, de quo legendus Cluverius, cujusquoque Vici nomen ſupereſt; ſed nullam fuiſſe ejus dignitatem opinari licet, Langobardis & Francis in Italia regnantibus. *Lepidum Regium*, *Mutina*, *Forum Gallorum*. Et iſtud Forum notum eſt in Romana Hiſtoria, ſed inter Caſtella computandum; cujus tamen, quum hæc ſcribebat Anonymus Ravennas, exciderat prorſus nomen, fortaſſis etiam memoria perierat. *Bononia*, *Claternum*. Utique apud Romanos Scriptores *Claternum* non ignobile Oppidum occurrit: ſed vereor, ut Anonymo vivente aliquid ex eo ſupereſſet; quod ſi ſupererat; jamdiu in humilem Vicum evaſerat. Sunt & alia ejuſmodi loca ad Verbanum Lacum, atque alibi ſita, quæ in cenſum Civitatum ab eo Scriptore referuntur, quum nihilominus illa numquam exceſſerint Vicorum aut Caſtellorum ſortem. Contra Anonymus ille veluti ignotam præterit *Civitatem Novam* in Mutinenſi agro conditam, cujus ſupra mentionem feci, nobilem ſane locum, utpote dignum commemoratione in Teſtamento Caroli Magni. Neque ullum verbum is habet de *Aſilo* (nunc *Aſolo*) illuſtri Oppido, ejus ſane dignitatis, ut Lotharius I. Auguſtus Anno DCCCXXIII. in Capitulari *de Doctrina*, ſeu *de Scholis*, a me edito in Part. II. Tomi I. Rer. Italicar. illius nomen inter Urbes Italicas referendum putarit. Plura ex his vide in Prolegomenis nuper laudati Beretti. Neque enim juvat ultra excurrere. Sed non ingratum Lectori fuerit perpendendam ſibi accipere Bullam, quam in Tabulario Canonicorum Regienſium authenticam vidi atque deſcripſi. Spectat illa ad Guibertum Ravennatem Archiepiſcopum, qui ſub Clementis III. Papæ nomine Eccleſiam Dei vexare diu perrexit. En illius verba.


Clementis III. ſive Guiberti Pſeudo-Papæ Bulla, qua Canonicis Eccleſiæ Regienſis omnia illorum bona & jura confirmat, Anno 1092.

Clemens Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Canonicis Regienſis Eccleſiæ, ipſorumque ſucceſſoribus in perpetuum. Oportet nos in ſpecula ſanctæ Sedis Apoſtolicæ conſtitutos ad defenſionem & firmitudinem Eccleſiarum Dei vigilanter inſiſtere quatenus de bono in melius Deo adjuvante proficiant, ut remota omnium pravorum hominum inquietudine miniſtrantes divinis officiis promptius intenti quietè miniſtrare queant, & nos boni Paſtoris mereamur percipere præmia. Ac per hoc per præſentem ſcripturam Apoſtolica auctoritate in perpetuum manendum confirmamus Canonicis ſanctæ Regienſis Eccleſiæ, ut ad Canonicam ſuam inviolabiliter teneant Curtem unam, quæ dicitur Villa, & manſos tres in Gova, manſum unum in Noniano, in Campilia Curtem unam, & manſos duos, & unum, quem dedit Sigefridus, qui dicitur Gallivulo, Curtem, quæ dicitur Maſſa, cum ſuis appendiciis, Prenniano cum ſuis, & terram, quæ eſt in Caſtro Holeriano, in Mucleto manſum unum, in Dinizano unum, in Valle Bivi unum, in Monte Babuli unum, in Caſaliclo unum, in Braciano tres, in Veteriuola unum, in Monte Todioni unum. Et quicquid pertinet ad prædictam Sanctæ Mariæ & Sancti Michaëlis Canonicam in Tabiano, Caterniano, Mellocio, & Grazano, & Verniano cum ſuis appendiciis, & in Civitate Nova, *& in Curlo, & res illas cum ſilva in Bajarola, & Plebem unam in Rivalta cum Caſtro & ſuis pertinentiis, & manſum in Corniano & in Runcho, Folliano, & Alliano, & res in Gavaſſa cum decimis, & ſilva, & in* Corrigia, *ſeu in Butrio, in Rio, Fazano, Campogalliani, in Fontana, in Prato, Canule, Mandrie, in Gurgo. Et ſortes duas, quæ ſunt prope Curtemnovam, & manſos duos in Cetlole, & Plebem de Nuvalare cum omnibus ſuis pertinentiis, & manſos tres in Canole, Corviatico, Mandriole, in Fabrica manſum unum, & in Seſo, Rodano, Silvarano, Carbognano, Caldariola, Campaniola, Bedullo, Vico Martini, Querciola, Monte Gamoni. Et Capellam Santi Viti in Offiano, & Capellam Sancti Abundi cum ſuis pertinentiis, Pratum de Boceto, Ariole, Gaziata, Motelena, Campigene, Marmoriolo, & res, quæ rejacent juxta Ponticellum Rodani, Silva de Groſeto, Purciliole, Runciſe, & in Caſale Foſſedunde, & Razolum cum piſcariis, & omnibus ſuis pertinentiis ad Sanctum Stephanum, ad Sanctum Poſſidonium, in Pago Mutinenſi Buyda,*

da, *in Monte Paſſarario*, *in Puliagnello*, *Serra*, *Appollina ad Sanctam Mariam cum oliveto*. *Et Decimam in* Civitate, quæ vocatur Regium, *cum omni integritate*, *& in Marſia. Et omnes res*, *quæ ſunt in circuitu* Civitatis quæ vocatur Emilia. *Et Curtem unam in Tertonenſibus*, *quæ dicitur Nova*; *& omnes res*, *quæ ſunt in Aqueductio*, *& Curtem Sancti Stephani cum Plebe*, *quæ infra Caſtrum ſita eſt*, *cum omnibus ſuis pertinentiis*, *ſicuti a bonæ memoriæ* Sigefrido Epiſcopo, *vel ab aliis Epiſcopis pro ſuis*, *ſuorumque ſucceſſorum animabus*, *eidem Canonicæ per ſcriptum vel inveſtituram bene providendo integre collata ſunt*. *Atque omnes res*, *quas de donis Epiſcoporum*, *vel voto fidelium prædictæ Canonicæ vel Canonicis oblatas eſſe dinoſcitur*, *Sanctorum Canonum auctoritate*, *noſtraque Apoſtolica emunitate huic noſtro inſcripſimus Privilegio*, *cum omnibus ſuis adjacentiis & pertinentiis in perpetuum inviola-*
A *biliter conſervandum abſque omni contradictione alicujus magnæ parvæque perſonæ*. *Si quis autem temerario auſu contra hoc noſtrum Apoſtolicum Privilegium agere vel ordinare aliter res Canonicæ vel alium in eis uſum ponere præſumpſerit*, *quàm eum quem conſtituit* Teuzo Epiſcopus, Sigefridus, Adhelberius, Wolmarus, Gandulfus, *ſciat ſe omnipotentis Dei poteſtate*, *ac beati Petri Apoſtoli*, *Sanctorumque omnium*, *noſtra etiam auctoritate*, *anathematis vinculo innodatum*, *& a Regno Dei alienatum*, *& cum omnibus impiis eterno incendio concremandum*. *At vero qui obſervator extiterit*, *gratiam & miſericordiam vitamque eternam a miſericordiſ-*
B *ſimo Domino noſtro conſequi mereatur*.

Datum apud Ceſenam per manum Bernerii vice Petri Cancellarii, *Anno Dominicæ Incarnationis MXCII. Indictione XV. Anno autem Pontificatus Domni Clementis Tertii Papæ IX. Idibus Junii*.





Habes heic mentionem *Civitatis Novæ*, quam ſupra memoravimus. Sed quod præ ceteris animadvertas velim, Canonicis iis confirmatur Decima *in Civitate*, *quæ vocatur Regium*; & *omnes res quæ ſunt in circuitu Civitatis*, *quæ vocatur Emilia*. Ergo non ſecus ac Mutina, Regium Lepidi geminam Civitatem olim oſtentabat, alteram *Regii*, alteram *Æmiliæ* appellatione diſtinctam. Vide Diſſertationem XXVII. *de Moneta*, ubi de Nummis Regii. Exploratum eſt eruditis, *Regium Lepidi*, Civitatem apud antiquos celebrem, ejuſmodi nomen a Marco Æmilio Lepido, ſive fundatore, ſive inſtauratore, accepiſſe. Uti uni ex iis Civitatibus *Lepidus* nomen dedit, ita & alteri appellatio *Æmiliæ* ex ejuſdem *Æmilii* Lepidi memoria indita fuiſſe videtur. Sed erant-ne Urbes iſtæ disjunctæ, an verò conjunctæ? Dirimere quæſtionem inter tot tenebras mihi minime tribuam, quum præcipue in tot aliis Regienſium monumentis hujus Civitatis *Æmiliæ* nulla ſe offerat mentio. Somnium certe nobis
C venditaret, qui in ὑποβολιμαίῳ Diplomate Ludovici Pii *Ravennam*, *Æmiliam* &c confirmatam Romanæ Eccleſiæ inveniens, agi de Civitate iſta arbitraretur. *Mutina*, *Regium*, *Parma*, ac *Placentia* (Civitates procul dubio Italici Regni) ab Auguſtis, Regibuſque traditæ numquam aut conceſſæ fuerunt Sancto Petro, uti etiam innui in Diſſertatione II. *de Regno Italiæ*. Si tamen conjecturæ locus eſt, utraque illa Civitas conjuncta fuit, modicoque intervallo disjuncta, uti nunc eſt in Civitate Mutinæ Civitas Herculea, ob additamentum Urbi factum ab Hercule II. Ateſtino Duce Ferrariæ ac Mutinæ; aut uti olim fuit Leonina Civitas appoſita Romanæ. Erant procul dubio duæ illæ Re-
D gienſium Urbes altera Nova, altera Vetus. Et hujus quidem *Civitatis Veteris* mentionem invenio in Literis Adalardi Epiſcopi Regienſis Anno DCCCCXLVI. ſcriptis, quas, ex eodem Canonicorum Archivo depromtas, Lectori nunc exhibendas cenſeo.

Donatio Canonicis Eccleſiæ Regienſis ab Adhelardo Epiſcopo Regienſi facta, Anno 946.

ADhelardus *ſuperni muneris gratia ſanctæ* Regienſis Eccleſiæ *omnium ſervorum Dei* Præſul *humillimus*, *omnibus Epiſcopis*, *Abbatibus*, *Monachis*, *Clericis*, *cunctiſque ſanctæ Dei Eccleſiæ Regni iſtius fidelibus*, *in Domino Jeſu Chriſto unanimiter conſtitutis*, *gratia vobis & pax æterna multiplicetur*. *Quiſquis zelo Chriſti ac pietate fervens ad hoc cordis ſecretum rimari ſe præparat*, *ut Deo ex rebus caducis & temporalibus munus quodlibet mente undique ſincera Jeſu Chriſti militibus*, *ſibique ac Genetri-*
E *ci ſuæ inſtanter ſervientibus conferat*, *haut non dubie in cœleſti Regno ſortietur & centuplum accipiet*, *atque in illa regione beata*, *ubi Sancti in Domino lætantur*, *ſine fine gaudebit*. *Et nos quamvis indigni Præſulatus honore fungimur*, *& animarum curam gerere debemus*, *Sanctorum Patrum dictis conformes effecti*, *ad hoc noſter animus pervigil eſſe debet*, *ut Eccleſiæ Dei diligentiam ſine ceſſatione habeamus*, *ut ſtipem Deo famulantibus ſubminiſtremus*, *ut a Redemptore noſtro audire mereamur*: *Serve bone ha-*

hactenus laboraſti; veni, & ego te reficiam. Ideoque nos hanc refectionem ardenti ac ſitienti animo, ope freti divina, adipiſci cupientes, & perhenniter ab ſeis mereamur, pro ſalute animarum omnium Chriſtianorum viventium, ac defunctorum requie, atque pro animæ noſtræ purgatione, & omnium Succeſſorum noſtrorum mercede perhenni conceſſa, per hoc noſtræ auctoritatis Privilegium concedimus Eccleſiam Sanctæ Muſtiolæ, quæ ſita eſt prope Caſtrum Banniolum, quam Magnibertus per precariam habuit, cum omnibus ſuis pertinentiis, ideſt campis, pratis, vineis, ſilvis, cultis & incultis: & terram in Fabrice, quam Bernardus Alamannus Epiſcopo dedit, quam Amenpertus & Grimoertus nunc per precariam tenent; & Maſſaricium unum in eodem loco, quam Andreas, & Dominicus filius Dominici Manci tenent; & alteram Maſſariciam in Banniolum, quam Berus per precariam habuit, quæ nunc laboratur per Stephanum & per conſortes ſuos, & terram cum Fraſcario, in Corticella modios ..... a mane Sancti Michaelis: a meridie & a ſera Via de ſubto Sancti Proſperi; ad inluminationem altaris beatorum Martirum Griſanti & Dariæ, & A *..... Cuſtodis, qui illic omnipotenti Deo & beatorum ſupradictorum Martirum Griſanti & Dariæ deſerviat. Quod ſi quis ſucceſſorum noſtrorum hoc noſtræ oblationis munus callida ingenii curioſitate ullo tempore præſcripto ſubtrahere quæſierit aut conſenſerit, omnes maledictiones, quas propoſuit beatus Moyſes filiis Iſrael, ſi quando receſſiſſent a via Domini, veniant ſuper eum, & partem habeant cum Dathan & Habiron, atque cum Juda proditore in Inferno crucietur, & non ſit in recordatione memoriæ ejus ante Deum, neque nomen ejus in libro vitæ adſcriptum inveniatur, niſi reſipiſcendo ſecundum Deum, & noſtræ inſtitutionis* B *electum ſupradictis Martiribus Griſanti & Dariæ, & præfato ..... emendacionem omnem fecerit.*

Factum eſt hoc Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXLVI. Indictione V.

Actum in Civitate Regio.

Ego Madelbertus Presbiter & Primicerius ex juſſione prælibati Præſulis Domni Adelardi ſcripſi.

Alterum ſimile Privilegium Adelardi Epiſcopi, cujus partem poſteriorem exhibeo, prætermiſſis, quæ paria ſunt cum antecedenti Privilegio.

ADhelardus *ſuperni &c. concedimus Eccleſiam Sanctæ Muſtiolæ, quæ ſita eſt prope Caſtro Banniolo, cum omni ſua pertinentia, ideſt campis, pratis, vineis, ſilvis, cultis & incultis; & Maſſariciolam unam in Banniolo, quæ per Johannem laborata eſt; & precariam una in Gavaſſa, quæ eſt de Rioalto; & peccia una de terra arativa* in Civitate Vetere, *in Eccleſia beatorum Martirum Chriſanti & Dariæ, & beati Thomæ Apoſtoli Chriſti, ut habeant Clerici, ideſt Adelbertus Presbiter & Martinus Clericus, qui illic omnipotenti Deo, ac beatorum ſupradictorum Martirum Chriſanti & Dariæ quotidianum debitæ venerationis exhibent famulatum. Et qui pro tempore loco eorum ſucceſſerint, teneant, poſſideant, & faciant quicquid eorum expecierit animus vel voluntas, abſque ulla ſucceſſorum noſtrorum contradictione vel moleſtatione, & pro ſalute noſtra, ſucceſſorumque noſtrorum Epiſcoporum omnium, debitum ſervitutis officium in præſenti Eccleſia votis & precibus indefeſſis augmentando adimpleant, ut ſanctæ compunctionis exemplo clareſcentes per multa dierum tempora bonis operibus inſiſtendo,* C *in ſancta Religione permaneant, atque a Domino Jeſu Chriſto immarceſcibilem gloriæ coronam percipiant. Quod ſi quis ſucceſſorum noſtrorum hoc noſtræ oblacionis munus callida ingenii curioſitate ullo in tempore Fratribus præſcriptis ſubtrahere quæſierit &c.*

Actum in Civitate Regio.

Ego Adalardus Epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Conſtantinus Archidiaconus ſubſcripſi.

Ego Martinus Archipresbiter & Præpoſitus ſubſcripſi.

Ego Staudepertus Presbiter & Prepoſitus manu mea ſubſcripſi.

Ego Adrepertus Diaconus ſubſcripſi.

D *Ego Madelbertus Presbiter & Primicerius manu mea ſcripſi & firmavi.*

Ego Aribaldus Diaconus ſubſcripſi.

Quo autem in loco *Civitas Vetus* Regienſis foret, indicabit ſubſequens Charta ex Archivo Sanctimonialium Sancti Thomæ illius Urbis deſumta. Scilicet Eccleſia ejuſdem Sancti Thomæ adhuc vigens, ſita fuiſſe dicitur *in Regio Civitate vetere.*

Charta Heribaldi Regienſis Epiſcopi concedentis Eccleſiam Sancti Thomæ Canonicis Sancti Michaëlis, Anno 943.

✠ HEribaldus *ſuperni muneris gratia ſanctæ* Regienſis Eccleſiæ ..... *Omnibus Epiſcopis, Abbatibus, Monachis, Clericis, cunctiſque ſanctæ Dei Eccleſiæ Regni iſtius fidelibus in Domino Jeſu Chriſto unanimiter conjunctis, gratia Dei & pax æterna multiplicetur. Quiſquis zelo Chriſti ac pietate fervens ad hoc cordis ſecretum præparat, ut Deo ex rebus caducis & temporalibus munus quodlibet mente ſincera Jeſu Chriſti Domini militibus, ſibique ac Genitrici ſuæ inſtanter ſervientibus conferat, haut dubio in cæleſti Regno* E *ſortietur & centuplum accipiet, atque in illa regione beata, ubi Sancti cum Domino lætantur ſine fine gaudebit. Et nos, quamvis indigni qui Præſulatus honorem fungimur, & animarum curam gerere debemus, Sanctorum Patrum dictis conformes effecti, ad hoc noſter animus pervigil eſſe debet, ut Eccleſiæ Dei diligentiam ſine ceſſatione habeamus, & ſtipem Deo famulantibus ſubminiſtremus, ut a Creatore noſtro audire mereamur: Serve bone hactenus laboraſti; veni, & ego te refitiam. Ideoque nos hanc refectionem ardenti ac ſitienti animo, ope freti divina adipiſci cu-*

cupientes, ut perbenniter eam frui mereamur, pro ſalute animarum Domnorum noſtrorum Regum Hugonis & Hlotharii figlii ejus, *& pro ſtatu Regni eorum, atque pro animæ noſtræ purgatione, & omnium ſucceſſorum noſtrorum mercede perbenni conceſſa, per hoc noſtræ auctoritatis Privilegio concedimus* Eccleſiam beati Thomæ Apoſtoli, quæ ſita eſt Regio Civitate vetere, *cum ſua domo cultila intus & foris* in circuitu Regio, *in Canonica beati Michaëlis Archangeli, ut habeant Kanonici, qui illic omnipotenti Deo & ejus Genitrici, ſanctoque Archangelo Michaëli cotidianum debitæ venerationis exhibent famulatum, & qui pro tempore loco eorum ſucceſſerint, teneant, poſſideant, & faciant quidquid eorum expetierit animus vel voluntas, abſque ulla ſucceſſorum noſtrorum contradictione vel moleſtatione; ac pro ſalute animarum Domnorum noſtrorum Regum & noſtra, ſucceſſorumque noſtrorum Epiſcoporum omnium, debitum ſervitutis offitium in præfata Eccleſia votis & precibus indefeſſis augmentando adimpleatur, ut ſanctæ converſationis exemplo clareſcentes per multa dierum tempora, bonis operibus inſiſtendo in ſancta Religione permaneant, atque a Domino Ihesu Chriſto inmarceſſibilem gloriæ coronam capiant. Quod ſi quis ſucceſſorum noſtrorum hoc noſtræ oblationis munus callida ingenii curioſitate ullo in tempore fratribus* Kanonice *Sancti Michaëlis Archangeli ſubtrahere voluerit, omnes maledictiones, quas propoſuit beatus Moyſes filiis Iſraël, ſi quando receſſiſſent, adveniant ſuper eum, & partem habeant cum Dathan & Abyrhon & cum Juda traditore Domini in inferno crucientur, & non ſit in recordatione memoria ejus ante Dominum, neque nomen ejus in libro vitæ adſcriptum inveniatur, niſi reſcipiſcendo ſecundùm Dominum, & noſtræ inſtitutionis Edictum, fratribus prelibate Kanonice omnem emendationem fecerit.*

Factum eſt hoc firmitatis robur, Anno Domni Hugonis piiſſimi Regis XVII. & Hlotharii Regis filii ejus XIII. undecimo Kalendas Junii, Indictione Prima, Civitate Regio feliciter, Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXLIII.

✠ *Eribaldus Epiſcopus hanc ſcripturam a me libenti animo factam propria manu roboravi.*

✠ *Ego Adelgiſus Presbiter manu mea ſubſcripſi.*

✠ *Ego Milio Presbiter manu mea.*

✠ *Ego Inzelotus Presbiter ſubſcripſi.*

✠ *Ego Eldebertus Presbiter manu mea ſubſcripſi.*

✠ *Ego Gariperius Presbiter manu mea ſubſcripſi.*

✠ *Ego Petrenacius Presbiter manu mea ſubſcripſi.*

✠ *Ego* Wincauſus *Presbiter manu mea ſubſcripſi.*

✠ *Ego Taudepertus Presbiter manu mea ſubſcripſi.*

✠ *Ego* Warnerius *Diaconus manu mea ſubſcripſi*

✠ *Ego Reudoinus Diaconus manu mea ſubſcripſi.*

✠ *Ego Ecgelmundus Judex de mandato Regum rogatus ſubſcripſi.*

Sed nimis multa ſunt, quæ tenebris obſepſit antiquitas. Non enim tantummodo locorum facies propter bella, incendia, inundationes, aliaſque humanarum rerum viciſſitudines, mutata eſt, ſed ipſæ res ſtabiles atque perennes ſublatis antiquis nominibus nova induerunt. Domeſtica exempla præſto ſunt mihi. Inter *Gabellum* atque *Scultennam*, fluvios non ignobiles, Anonymo tamen Ravennati ignotos, Mutinenſis Civitas jacet. Verùm qui olim *Gabellus*, nunc *Sicla*, vel *Secla* eſt, vulgari ſermone *Secchia*: qui *Scultenna*, nunc *Panarius*, vel Italice *Panaro*, & in inferiori parte *Canalis Mutinæ* appellatur. Cur, & quando acciderit hujuſmodi nominum mutatio, quis divinare queat? Ad *Siclam* quod attinet, unus eſt Plinius, qui Lib. 3. Cap. 16. Hiſtor. Natural. ubi fluvios in Padum influentes deſcribit, hos etiam nominat *Niciam*, *Gabellum*, *Scultennam*. Verùm in Plinii editis Libris multas habemus dubias depravataſque lectiones, quod rari ſint Scriptoris hujus vetuſtiſſimi Codices; ita ut ſine hæſitatione ſemper illius editionibus fidere minime liceat. Quid ſi corruptum foret *Gabelli* nomen, uti procul dubio eſt & alterum *Niciam*? Legendum enim eſt *Inciam*, quod nomen adhuc retinet fluvius *Enza*, Regienſes a Parmenſibus diſterminans nonnullis in locis. Certe cauſſam dubitandi mihi præbuit antiqua Inſcriptio, magni facienda, quam hactenus editam non vidi, poſita Valeriano Auguſto, ejuſque Collegis, Anno Chriſti CCLIX quo tempore *Pons Seclæ* vel *Seculæ* Auguſtorum indulgentia reſtitutus fuit. Fulvius Azzarius vir doctiſſimus & diligentiſſimus in Hiſtor. Regienſi, ante annos centum ſcripta, eamdem Inſcriptionem refert, inquiens, adſervari hunc lapidem ad Sancti Fauſtini Plebem in agro Herberienſi, hoc eſt *di Rubiera*. Ne mille quidem paſſus a flumine Secla is locus diſtat, atque illuc ego ipſe olim profectus ſum, cupiditate dumtaxat ductus, Inſcriptionem hanc meis oculis legendi ac deſcribendi. Sed ſive lapis inde aliò fuerit jamdiu aſportatus, ſive in novis ædibus conſepultus jaceat, ſpem atque exſpectationem meam deceptam dolui. En Inſcriptionem ipſam, quam ita Amicus olim meus, qui ſe vidiſſe teſtabatur, hiſce delineabat verbis: *Lapis cum Inſcriptione repertus in muro Templi Sanctorum Fauſtini & Jovitæ, agri Herberienſis, nunc ad latus portæ ædium Canonicarum parieti junctus, politum eſt marmor, & coloris cinericii. E temporis injuria, atque ob majorum incuriam, in tres partes ſciſſus eſt, quæ conjunctæ fuerunt in illius translatione. Subſequentes literæ facile leguntur, & characterum degradatio ibi cernitur, qualem in hocce exemplo retinui. Longitudo lapidis ſe extendit in octo Palmos ac dimidium ad menſuram manus vulgaris, altitudo in quatuor.*

IMP. CAES. P. LICINIVS
VALERIANVS. PIVS. FEL. AVG. PON.
MAX. GERM. MAX. TRIB. POT. VII. CoS. IIII
P. P. PRO. COS. ET IMP. CAES. P. LICINIVS
GALLIENVS GERM. PIVS. FEL. AVG. PONT. MAX. TRIB.
POT. VII. COS. III P. P. PROCOS. ET P. CORNELIVS SALONINVS
VALERIANVS. NOBILISS. CAES. PONT. SECVL. VI IGNIS CONSVMPT. INDVLG.
SVA RESTITVI CVRAVERVNT.

Quem heic appellatum videmus PONT.
SECVL. interpretari aliter non poſſumus ,
quam *Pontem Seculæ* , quum proximus amnis
hoc indicet , & adhuc in illius alveo antiquiſſi-
ma pilarum veſtigia , quibus pons ligneus inni-
tebatur , ſpectanda ſe præbeant . Atqui ſi
Anno Chriſti CCLIX. jam *Secula* , vel *Secla*
appellabatur is fluvius , vix credi poteſt is ali-
ter appellatus ævo Plinii ſenioris , quum ab
ejus morte ad tempora Valeriani Auguſti Anni
circiter centum octoginta dumtaxat effluxerint.
Ac proinde *Gabelli* vox apud eundem Plinium
corruptionis ſuſpicionem minime excludit, dum
Inſcriptio iſta a nobis ſtatuatur certa atque
genuina . Attamen ut ſua ſtet Pliniano textui
auctoritas , addenda heic ſunt ſæpe laudati Pe-
regrini Priſciani verba , qui ante ducentos &
quadraginta annos Annales Ferrariæ literis
mandabat , in Eſtenſi Bibliotheca adſervatos .
De antiquo curſu Siclæ hæc ille habet : *Inter
Irberiam & Campum Gallianum curſum ſuum
dirigens , & Nuvolariæ finibus prætceritis , &
medios iterum Buranæ & GAVELLI campos
percurrens , crebris revolutionibus , & per-
tranſito iterum Buranæ & Bondeni ſolo , &
Canale Spini , in Padum Larionis propter San-
ctæ Crucis locum & Valles , ſeſe demergebat ,
paludes illas omnes replens* . Perdurat adhuc in
Mirandulæ Ducatu Vicus , cui nomen *Gavel-
lus* . Quare aut ab eo fluvius *Gabellus* nomen-
claturam accepiſſe , aut ei dediſſe videtur .
Fortaſſis etiam geminum nomen flumini illi
fuit : hoc eſt *Siclam* ſuperiores incolæ , *Gabel-
lum* inferiores , uti nunc (repetere liceat)
alterum Mutinenſium fluvium habitatores mon-
tium appellare pergunt *Scultennam* , ſub quo
etiam nomine Romanarum rerum Scriptoribus
notus fuit . Populi verò infra poſiti a quam-
pluribus Sæculis *Panarium* nuncupant .

Quod etiam animadvertendum , alii antiquis
temporibus fuere Comitatus, qui ſubinde extincti
ſunt ; ipſorumque Comitatuum ſemper ſtabilium
fuere alii fines, ac modo ſint . Id verò factum

A ſive ex Imperatorum Regumve decreto , ſive
bellorum cauſſa , quæ victoris Urbis agrum
dilatavit , victæ contraxit . Liceat mihi rurſus
in ſcenam deducere *Civitatem* illam *Novam* ,
quam ſupra innuimus , *Mutinâ* veteri Civitate
pæne deſertâ , a Civibus noſtris olim habita-
tam , atque ab hac Urbe Occidentem verſus
quatuor paſſuum millibus diſſitam . Illic autem
non minus Populus Mutinenſis , quam Miniſtri
Regis , ſive , ut ajebant , Reipublicæ , ſedem
ſuam poſuere . In vetuſto Catalogo Charta-
rum Nonantulani Monaſterii , quem proferam
infra in Diſſertatione LXVII. *de Modis aqui-
rend.* recenſetur *Privilegium clementiſſimi Ka-
roli Imperatoris* , ideſt Magni , *in Anſelmo Ab-*
B *bate confirmans quamdam ſententiam , quæ lata
fuit inter ipſum Abbatem , & inter Raynaldum
Caſtaldionem Civitatis Novæ , & Populum ejuſ-
dem Civitatis , & Populum Sorbarienſem , Al-
beretum , & Colegariam , de Inſula & Silva ,
quæ eſſe videtur inter Panario & Foſſa , quæ
dicitur Munda* . Uti in Diſſertatione X. *de
Minorib. juſtitiæ Miniſtris* oſtendi , *Gaſtaldio-
rum* ſive *Gaſtaldionum* nomine interdum deſi-
gnati ſunt , qui *Comitis* munere fungebantur ,
ac Civitatibus aut Oppidis nomine Regis præ-
erant . Idque potiſſimùm contigit Langobar-
dorum Regno vigente . Campius in Hiſtor.
Placentinæ Eccleſ. Tom. prim. pag. 177. Per-
thariti Regis decretum refert de controverſia
C finium inter *Dagilbertum Gaſtaldum Placentinæ
Urbis , & Imonem Gaſtaldum Parmenſis* . Ita-
que vides , Regis Magiſtratus Mutinenſem Po-
pulum tunc regentes , a *Civitate Nova* ſuam
per ea tempora deſumſiſſe appellationem . Immo
Comitem etiam *Civitatis* hujus *Novæ* deprehen-
diſſe mihi videor Anno DCCCXIII. in tabulis
Rataldi Epiſcopi Veronenſis, ab Ughellio To-
mo V. Ital. Sacr. editis . Iis enim ſubſcribit
Riempertus Comes Civitatis Novæ , idemque
ibi in altera Charta præcedente occurrit , ſed
vitiato nomine . Tunc ex Æmoniæ Civitatis
ruinis nondum nata erat altera *Civitas Nova* in

Iſtriæ

Iſtriæ Provincia. Ac propterea veri omnino ſimile eſt, illic memorari Comitem *Civitatis Novæ* Mutinenſis, ac præſertim, quod iis tabulis ſubſcripſerint *Gerardus Comes Civitatis Regienſis*, conterminus Mutinenſi agro, & *Anſelmus de Gagio*, qui Vicus tunc in Pago Perſicetano incluſus ſpectabat ad Comitatum Mutinenſem. Erat autem in *Civitate Nova* Eccleſia Sancti Petri, eadem, ut puto, quæ nunc ſupereſt, Parochialis, unicum illuſtris olim loci monumentum ſuperſtes: nam cetera A ædificia dejecta jamdiu fuere, atque effodientibus etiamnum illorum veſtigia occurrunt. In fronte ejuſdem Templi collocatus ſpectatur Langobardicus hic lapis, characteribus Romanis ſcriptus, & Sæculo Chriſti XVI. in eo agro effoſſus olim ad eumdem ipſum locum pertinens. Implexæ alicubi ſunt literæ atque attritæ, ita ut colligere omnes mihi curioſe exploranti non licuerit. Digna autem Inſcriptio eſt, quæ omnium oculis ſubjiciatur.

HAEC XPS FVNDAMINA POSVIT FVNDATORE
REGE FELICISSIMO LIVTPRAND PER... VM CEB.......
HIC VBI INSIDIÆ PRIVS PARABANTVR
FACTA EST SECVRITAS VT PAX SERVETVR
SIC VIRTVS ALTISSIMI FECIT LONCIBARD.
TEMPORE TRANQVILLO ET FLORENTISS.
OMNES VT VNANIMES ...... PLE.. IS PRINC.......

Diligentiſſime inſpexi, legiturque ibi non *Langobard.* ſed *Loncibard.* quam lectionem in aliis quoque, paucis tamen, antiquis monumentis reperi, ita ut in poſterum ſi *Longobardorum* nomen per O, non per A, ſcriptum iis temporibus occurrat, non continuo inclamandum ſit, latere illic fraudem ſive impoſturam. Equidem in germanis Caroli Magni Diplomatibus, atque aliis in Chartis exaratis ſub Carolinis Imperatoribus fere ſemper *Langobardos* per A, non per O, memoratos animadverti. Idque etiam conſtabit ex marmore, quod ſe ſpectaſſe Ravennæ, ad me ſcripſit Amicus meus, antiquæ eruditionis cultor, ac Medicus celebris Dionyſius Andreas Sancaſſanius. Ibi inquam in peripheria marmoris fracti hi characteres ſuperſunt..... OL REGI FRANCORꝜ ET LANGvBARDORꝜ HIC PATRICiO RO.... .... Carolo Magno nondum Imperatori poſitus ille arcus fuit. Verùm qua ratione hoc nomen ſcriberetur regnantibus ipſis Langobardis, Lapides tantùm ac Libri tunc ſcripti indicare certo poſſent. Interea habemus heic Inſcriptionem ſine dubitatione in Civitate Nova poſitam ſub Liutprando Rege circiter Annum Chriſti DCCXXX. Atque idem lapis, ſi quid video, tempus ipſum indicat, quo primum ædificari cœpta eſt *Civitas Nova* Mutinenſium. Ibi *prius parabantur inſidiæ*. Ergo ad avertendos, terrendoſque latrones, & ad liberandam ab eorum inſidiis Viam Claudiam illac excurrentem, Liutprandus Coloniam, ut ita dicam, habitatorum, ſive Civium Mutinenſium, in Civitatem Novam deduxit, cujus ipſe fundamenta locarat. Celebris deinde ita locus evaſit, ut ejus mentionem in poſtremis ſuis tabulis Anno Chriſti DCCCVI. Carolus Magnus apud Baluzium Tomo primo pag. 441. Capitularium fecerit, inquiens: *Per Padum fluvium termino currente uſque ad fines Regienſium, & Civitatem Novam, atque Mutinam uſque ad terminos Sancti Petri*. Vide etiam hujus loci mentionem in Charta Eriberti Epiſcopi Mutinenſis Anno MLXXV. ſcripta, quam dedi ſupra in Diſſertatione V. *de Ducibus*. Mœnibus autem cingebatur Nova illa Civitas, atque id conſtare poterit ex tabulis in Archivo Canonicorum Mutinenſium adſervatis & ſcriptis Anno DCCCLV. quarum Chronologicas notas eruditi expendant velim: *Imperatoribus Domnis noſtris Hlotharius & Ludowicus filio ejus, excel-* B *lentiſſimis Imperatoris Auguſtis a Deo coronatis, Anno pietatis Imperii eorum Deo protegente Trigeſimo Sexto, & Sexto Decimo*, die *XXIX. de Menſe Julio, Indictione Tertia. Placuit atque convenit inter Domnus Jonas Dei gratia Epiſcopus ſancte Ecleſie Motinenſis, nec non & ex alia parte inter Garboino de Curolo* (nunc *Corlo*) *livero homine, ut in Dei nomine ego qui ſupra Garboino, vel meis heredis laborare & excolere debeam rem juris ſacre Sancti Petri Apoſtoli, que eſt conſtructa & edificata intra Muras Civitatis Nova*. Hinc habemus, numeratos fuiſſe Annos Imperii Lotharii I. Auguſti uſque ad ejus mortem, ſive uſque ad C Monaſticam veſtem ab eo aſſumtam: quæ illius immutatio facta eſt Septembri Menſe ejuſdem Anni DCCCLV. Verùm, qui heic deſcribitur Annus *Sextusdecimus* Imperii *Ludovici II.* omnino cum Hiſtoria pugnat, neque Epocham Regni, neque *Imperii* exhibet. *Sextus* tantummodo legendum videtur. Erat præterea prope ipſam *Civitatem Novam* Caſtellum conſtructum. En alteram Chartam ejuſdem Mutinenſis Tabularii ſcriptam, *Berengarius gratia Dei Rex hic in Italia, Anno Vigeſimo Quarto, die primo de Menſe Julius, per Indictione Quartadecima*, ideſt Anno Chriſti DCCCCXI. Ibi Gottofredus Epiſcopus Mutinenſis quaſdam ter- D ras in emphyteuſim concedit, *poſitas infra Caſtellum noſtrum, quod eſt edificatum prope muras Civitatis Nova*. Alteram accipe exaratam *regnante Domnus Berengarius gratia Dei Rex ic in Italia Anno Vigeſimo ſeptimo, Pridie Kalendas Aprilis per Indictione Secunda*, hoc eſt Anno DCCCCXIV. Complectitur pergamena iſta donationem factam eidem *Gotefredo Epiſcopo de peciola una de terra, que rejacet longo muro de Caſtello* (en Italicam Linguam: jam enim tum dicebant *lungo il muro del Caſtello*) *quod eſt edificatum prope muras Civitatis Nove*. Habemus tum heic, tum ſupra *Muras*, indicium videlicet Linguæ Vulgaris, cui dicere in uſu erat & adhuc eſt *le Mura*. E De eodem Caſtello *juxta Civitatem Novam* alia monumenta loquuntur apud Sillingardum & Ughellium. Præterea Civitatis ejuſdem mentio mihi occurrit in informi quodam monumento, quod inter rudera prælaudati Monaſterii Nonantulani, ſcriptum antiquiſſimis characteribus, reperi, atque heic, qualecumque ſit, editum volo.

Col-

Collatio multorum bonorum facta a Lothario I. Auguſto Monaſterio Nonantulano, circiter Annum 827. vel 842.

DOmnus Lotharius Auguſtus perpetuus Imperator Auguſtus, ſereniſſimus Romanorum, Patricius, a Deo coronato, fidem perfectam, beatitudinem tenentem Romanorum, Longobardorum. Omnibus Imperii ſui eſt venerabilibus hoc debere tantum eſt venerabiliter expoſitas in omnibus legibus .... preceptum in venerabili Monaſterio nobis pro ...tive expoſitum eſt. De aliquantis itaque rebus a nobis conceſſis & traditis in ipſo venerabili Monaſterio, vel de quibuſcumque hominibus vel perſonis traditæ ſunt, aliquas res vel conceſſas in ipſum religionem vel ſuis patrimoniis atque poſſeſſiones habere videtur. Itaque per omnia in noſtro territorio Emilianenſi, vel ad partem Motinenſem infra confines Civitatis Geminiana, rebus noſtris donnicatis vel colonicatis, ſive de publico, ſive de privato ad noſtrum Regalem donum pertinentibus vel adjacentibus, ut quod ad noſtrum donum debetur, id in eodem ſupraſcripto venerabili Monaſterio tribuatur, de confines Foſſa Salarola, ſeu Foſſa Pauignana ad confines Riparia, ripa Scoltenna, & fluvio Medena, per uſque fluvio Lavi uſque in Sulcale per uſque in Bagnone, idest Tumba Rodilani, Caſale Reſlani, & Caſale Grummolo, Silva Leguviane, Silva Agelaria, Caſa Lauto, Campo Ramirite, Campo de Ruſco, Campolongo, Brunianus, Civitas Geminiana, que vocatur Flexiana, Quarantole, Urentina, Verminatica, Neratica, Calenlatica, Pilliciani, Cornioli, ad pertinentias ſupraſcriptas res juſta fluvio Medena, confines Civitatis Geminiana, Caſale Monterium, atque Caſale Firmani, & Caſale Alpenti, & Caſale Taſſinaria, ſeu Caſale omn Briſilli, atque Caſale Bruxeli, ſeu Carlo, & Tunbole, atque Foſſa Bruxola, & Corrigio Braniculo, & Valle Alba, & Caſale Fontanillæ, & Corrigio Boni, ſeu Caſale Acus, & Caſale Tallolo: & inſuper aliis fundora vel Caſalia, cum omnibus ad eaſdem rebus generaliter vel ſpecialiter pertinentibus vel adjacentibus, ſive tributariis vel cenſuariis, ſive donnicatas vel colonicias, aliisribus ad eaſdem .... rebus generaliter vel ſpecialiter pertinentibus vel adjacentibus in ipſius confines & latera, atque ad ſupraſcripta fundora & caſalia pertinentes vel adjacentes, vel de ipſo Monaſterio donnicatas vel colonicatas in ipſo venerabili Monaſterio ſint Privilegio poſitas ſine aliquo obſtaculo vel oppoſitionem alicujus contrarietatis noſtra pleniſſima largitione. Unde ut quæcumque perſona, que noſtro Precepto ſtatutum eſt, conare, inviolare aut infringere, fiat ſe compoſiturum c... auri obrizi Mancoſos ... Noſtra itaque ſtatuta inviolabiliter obſervare precipimus.

Datum ſub Die & Menſe Auguſto, Indicione Quinta.

Lotharius Auguſtus Imperator.

Verba illa diligenter animadverte *in noſtro territorio Emilianenſi*, ideſt in Provincia, ſeu parte *Æmiliæ* ad nos atque ad Italicum Regnum ſpectante; *vel ad partem Motinenſem infra confines Civitatis Geminiani*. Eadem fuit *Civitas Nova*, ac *Geminiana*, uti etiam conſtat ex Diplomate Ludovici Pii apud Sillingardum & Ughellium. Infra repetitur *Civitas Geminiani, quæ vocatur Civitas Flexiana*. Si ita interpungendus eſt locus iſte, præter *Geminianæ* appellationem quoque *Flexianæ* ea Civitas detuliſſe videtur. Ego tamen rem dubiam relinquo. Atque hinc etiam haurire fortaſſe poſſumus, cur *Riparia* (nunc *Rivara*, Villa in agro Sancti Felicis) eo nomine donata fuerit: nempe quod olim foret *Ripa Scoltennæ*, a quo tamen fluvio nunc aliquot ſtadiis diſtat. Hæc adnotaſſe juvat ad illuſtrandas Mutinenſium res, immo & Caroli Magni tabulas poſtremas, in quibus hujus *Civitatis Novæ* mentio eſt. Qui illas falſi ſuſpicione reſperſerunt, ſecum reputent, fieri vix potuiſſe, ut poſteriorum Sæculorum impoſtor in illud Teſtamentum conjiceret Civitatem illam, cujus a tanto tempore ne veſtigia quidem ruinarum ſuperſunt. Progredior, demonſtraturus, longe latius excurriſſe olim Comitatum, ſive agrum Civitatis Mutinenſis. Quod, quamquam infra in Diſſertat. XXXIV. *De Diplomat.* ſim ſignificaturus, nunc uberiùs eſt confirmandum. Inter paucas celeberrimi Nonantulani Monaſterii, quæ ſuperſunt, membranas, hanc deſcripſi, appoſite ad rem noſtram, ex apographo, ut mihi viſum eſt, pervetuſto.

Magnifica bonorum donatio facta Nonantulano Monaſterio, & Anſelmo Abbati, a Johanne Duce Urſi Ducis filio, & Urſa ejus ſorore Sanctimoniali, Anno 776.

IN nomine Domini Dei Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, regnante Domno noſtro Karolo ſereniſſimo Rege, Anno Secundo, die Sexto Menſis Martii, Indictione Q ...... decima. Domino ſancto & venerabili Monaſterio Sanctorum Apoſtolorum, & Chriſti Confeſſoris Silveſtri, ſitu Nonantula, Pago Perſiceta, territorio Motinenſe, *& ..... regente vir beatiſſimus* Anſelmus Abbas *preeſſe videtur. Nos quidem* Johannes illuſtris Dux, *&* Urſa ſorore mea, Ancilla Chriſti, filius ac filia Urſoni *bone memorie preſentes preſentibus ſalutem. Nichil eſſe credimus, nichilque illuſtrius humanum poſſit genus boni aliquid promereri, quam ut primitus promiſſa voti ſolvere. Quia nam fragilitatis noſtre memores incommoda, per quot totus pene patitur Mundus, de repentini caſibus fortaſſe preveniamus ea, que nos ipſi Deo ..... offerimus oraculo. Qua de re nos, qui ſupra, Johannes Dux, & Urſa ſoror mea, humilis Ancilla Chriſti, providentia Dei, prono animo & ſpontanea noſtra bona voluntate, nullo penitus cogente aut ſuadente vel vim inferente, ſed noſtra proprie deliberacione, ad luminaria, vel uſu ſerviencium predicti Monaſterii, ſeu ſtipendia pauperum debeant miniſtrare, a preſenti die donamus, tradimus, mancipamus ac cedimus, & in jura ſupraſcripti Monaſterii tranſcribimus poſſi-*

poſſidendum aliquid ex rebus noſtris. Ideſt in Caſale Sociolo, Pago Montebelio, oliveto circumdato, quod nobis obvenit pro dono & precepto ...... ad proprietate noſtra. Et donamus Curtem noſtram Peritulo in integrum, & Curtem noſtram Loluſtra, omnia in integrum, & caſas maſſaricias ad eamdem Curtem pertinentes...... & terra noſtra ſimul tenentibus, ſcilicet Campo Vitali, & Grazonitica & ...... uſque Silva Majora, que vocatur Brajolam, quam devicimus ego & genitor meus pro Placito Papia, cujus lateribus ſunt, a Levante Rio, qui currit ſub Ponte Floriani uſque Silva Majorem, exinde Strata publica. A Tramuntante Rio Ruſſo uſque Silva Majore; de ſubto eadem Silva & ſexta porcione de eadem Brajola. Et Corte una de Lignano, & maſſaricias quinque prope Caſtro Giſſaro, quod dicitur Britu. Donamus etiam Curtem noſtram in Meliti, & caſas maſſaricias ad eadem Curtem pertinentes, cum terris, vineis & ſilvis, omnia in integrum. Et Curtem noſtram in Petroni cum ſua pertinencia omnia in integrum. Seu & Curtem noſtram, que eſt poſita in Totiliano, cum caſas maſſaricias, cum terris & vineis & ſilvis ad eam Curtem pertinentes, omnia in integrum.

Similiter donamus Curtem noſtram, que eſt poſita in Caſale in loco Caſtilioni, qui alio nomine Verdeta vocatur, eo quod Viridarium Regis ibi reſideat, pro ideo appellata eſt Verdeta, *cum caſas maſſaricias & aldiaritias, cum terris, vineis & ſilvis, & omnia & ex omnibus ad eamdem Curtem pertinentes in integrum, quem bone memorie* genitori noſtro Urſoni Duci *obvenit per donum* Sereniſſimi Aiſtulfi Regis. *Tradimus atque donamus vobis Curtem noſtram, que eſt poſita in Aquario cum caſas maſſaricias & aldiaricias, cum terris & vineis & ſilvis ad eamdem Curtem pertinente, omnia in integrum. A preſenti die hec omnia ſupraſcripta, ſicut ſuperius legitur, donamus, confirmamus, atque offerimus in predicto Monaſterio beatiſſimorum omnium Apoſtolorum, & Chriſti Confeſſoris Silveſtri, ſeu tibi Donno Anſelmo Abbati, veſtriſque ſucceſſoribus poſſidendum in perpetuum, vel diſponendum ſeu ordinandum, ſicut vobis melius viſum fuerit. Hec omnia ſupraſcripta damus & offerimus pro remedio anime genitori noſtro Domno Urſoni Duci, &* Domna Ariflada genitrice noſtra, *ſeu pro remedio animarum noſtrarum vel parentum noſtrorum tradimus & offerimus omnia ſupraſcripta a preſenti die, ſicut ſuperius legitur, cum caſis, terris, vineis & campis, pratis, paſcuis, ſilvis, ſaléctis, ſacionalibus ſeu aſtallariis, rivis, fontibus, rupinis, aquis, aquarumque decurſibus, limitibus, omnia & ex omnibus, quantaſcumque ad ipſas ſupradictas Curtes pertinent mobiles & immobiles, ſe ſeque moventibus, omnia & ex omnibus a preſenti die ſint in ſupraſcripto Monaſterio, ſicut ſuperius legitur uſque in perpetuum. Anteponimus res illa, que jam pro anima noſtra donavimus in Monaſterio Sancti Benedicti, quem in .... Domnus & genitor noſter bone memorie* Urſus Dux *a fundamento conſtruxit. Nam alias omnia ſupraſcriptas res & Curtes cum omnibus pertinenciis, ſicut ſuperius legitur, a preſenti die in prefato Monaſterio veſtro vel eiſdem ſervientibus tradimus poteſtati poſſidendi vel ordinandi, qualiter vobis vel ſucceſſoribus veſtris placuerit; que prona & bona voluntate conſcripſimus ad jus dominiumque prefati Monaſterii libere permaneat. Nec a nobis ſeu a quemquam heredum noſtrorum, aut ſubpoſita ficticia procurantiſve*

A *perſona alterius contra venturi eſſe promittimus per omnipotentem Deum, & inſeparabilem Sanctam Trinitatem. Quod ſi quis heredum &c. Quam oblacionis noſtre paginam a preſenti die, omnem vim, metum & circumſcriptione ceſſante, Stephano Notario totum rogatarioque noſtro ſcribere rogavimus, in qua & manus noſtre proprie conſeripſimus, teſtibuſque a nobis rogatis obtulimus roborandam, eorumque preſentia eam in manibus Domni Anſelmi Abbatis tradavimus ſub die Menſis Marcii, & Indictione ſupraſcripta feliciter.*

Ego Johannes *in Dei nomine* Dux *in hac Donatione a me facta in Monaſterio tradita poſtulata pro remedio anime mee, & ſicut ſupra legitur, manu mea ſubſcripſi.*

B *Ego Ancilla Chriſti Urſa indigna in hac Donatione a me facta in ſupraſcripto Monaſterio, ſicut ſupra legitur, manu mea ſubſcripſi.*

Maurus filius Benenati de Panicale in hac donacione facta a Johanne Duce & ad Urſa germana ejus in ſupraſcripto Monaſterio, ſicut ſupra legitur, ad eoſdem teſtes ſubſcripſit.

Signo manus Caroſo de Poſtumiano teſte.

Signo manus Dominico Cerioni teſte.

Stephanus Notarius Scriptor hujus Cartule donacionis ſeu offerſionis poſt roborata a teſtibus complevi & dedi.

C In Diſſertatione V. *De Ducibus Italiæ* alteram Chartam evulgavi, ſpectantem ad hunc ipſum *Johannem Ducem*, & Anno Chriſti DCCLXXII. ſcriptam. Eum *Ducem Perſiceti & Pontis Ducis* appellat, neſcio quibus tabulis fretus, Auctor Catalogi Chartarum Nonantulani Monaſterii, infra edendi in Diſſertatione LXVII. *de Modis acquirend.* Ego illum ſimilem fuiſſe Ravennatibus Ducibus opinor, niſi etiam eorum Avus fuerit, qui poſtea in Ravennate Hiſtoria occurrunt. Ad nos quod attinet, Monaſterium Sancti Silveſtri heic dicitur *ſitum Nonantulæ, Pago Perſiceto, territorio Mutinenſe*. Ager ſive territorium Mutinenſis Urbis, quem *Comitatum* poſtea appellavere, uti nemo non

D videt, tunc ambitu ſuo complectebatur *Pagum Perſicetum*. Pagus autem Perſicetanus *Monaſterium Nonantulanum*. Pagum, quum audis, ne tibi humilem, abjectumque Vicum finge. Heic ſignificat partem regionis, ſive Regionem, quæ multis Vicis conſtabat, Oppidis, ac Villis. Neque enim apud antiquos vox *Pagi* Vicum, aut congeriem multarum ædium, præcipue ruſticanarum deſignavit, ſed latum terrarum tractum. Apud Campium Tom. I. Hiſtor. Eccleſ. Placentin. pag. 456. in Diplomate Ludovici Pii memoratur *Monaſterium Gravacum in Pago Placentino conſtructum*: ideſt in agro Placentino. Ita apud Ughellium in Epiſcopis Veronenſibus Diploma Ludovici II. recenſet res po-

E ſitas *in Pago Veronenſi, in Pago Tarviſino*. Ejuſdem verò vocis vim nullo negotio poſſem, Cæſaris, Plinii, Taciti, aliorumque verbis confirmare. Sed Lectorem dimitto ad Freherum, Salmaſium, Voſſium, Bignonium, DuCangium, Pitiſcum, & alios, qui pluribus *Pagi* ſignificationem illuſtrarunt. A *Pago* autem Eruditi efformatum putant Gallicum *Païs*, & Italicum *Paeſe*, ut alibi jam innui. Sed & in Diplomate archetypo Ludovici Pii, quod ex Archivo ejuſdem Nonantulani Cœnobii deſcripſi, memoratur *Villa Reduddum, quæ dicitur ſupernomen Curticella, in Pago Perſiceto.* Integrum Diploma dignum eſt, quod e tenebris eruatur. Ludo-

Ludovicus I. Auguſtus ſuo Diplomate confirmat commutationem factam inter Petrum Abbatem Nonantulanum, & Rodulphum Rectorem Monaſterii Brixiani Sancti Salvatoris, Anno 814.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri *Jeſu Chriſti. Hludowicus divina ordinante providentia Imperator Auguſtus. Si enim ea, quæ fideles noſtri Regni pro eorum opportunitatibus inter ſe commutaverint vel concambiaverint, noſtris confirmamus Edictis, Imperialem exercemus conſuetudinem, & hoc poſtmodum jure firmiſſimo manſurum eſſe credimus. Igitur notum ſit omnium fidelium noſtrorum ſolertiæ, præſentium ſcilicet & futurorum, quia quidam vir venerabilis* Petrus Abbas ex Monaſterio Nonantulo, *quod eſt conſtructum in honore beatorum Apoſtolorum & Sancti Silveſtri Confeſſoris, ad noſtram accedens clementiam, innotuit ſerenitati noſtræ, eo quod aliquas res cum* Hrodulfo Rectore Monaſterii, quod eſt conſtructum intra muros Civitatis Brixiæ in honore Domini Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, quod vulgo appellatur Monaſterium Novum, *concambiaſſet. Dedit itaque vir venerabilis Petrus memoratus Abbas de parte Monaſterii ſui prædicto Hrodulfo ad partem præfati Monaſterii Villas nuncupantes Caſtellione, Calcinato, Silvinismo, Monticulo, ſicut eidem Hrodulfo pro opportunitate Monaſterii recipere placuit. E contra in compenſatione hujus meriti dedit jam dictus Hrodulfus præſcripto venerabili Petro Abbati ad partem Monaſterii ſui pro opportunitate ſervorum Dei in eodem Cœnobio commorantium,* Villam nuncupantem Reduddum, quæ dicitur ſupernomen Curticella, in Pago Perſiceta, *cum omni integritate vel ſoliditate ſua. Unde & commutationem de prædictis locis, noſtris obtutibus oſtendit ad relegendum. Sed pro integra firmitate petiit celſitudinem noſtram, ut in eleemoſina noſtra ipſam commutationem denuo per noſtrum manſuetudinis Preceptum plenius confirmare deberemus. Cujus petitionem denegare noluimus: ſed ſicut unicuique fidelium noſtrorum juſte rationabiliterque petentium, ita nos illi conceſſiſſe, atque in omnibus confirmaſſe cognoſcite. Præcipientes ergo jubemus, ut inſpectam ipſam commutationem, ſicut per eam plenius declaratur, quicquid pars juſte & rationabiliter alteri contulit parti, deinceps per hanc noſtram auctoritatem jure firmiſſimo teneant atque poſſideant: & quicquid exinde facere voluerint, libero in omnibus perfruantur arbitrio. Et ut hæc auctoritas firmior habeatur, & per futura tempora plenius conſervetur, manu propria ſubſcripſimus, & de anulo noſtro ſubter ſigillari juſſimus*

Signum [monogram] *Hludowici ſereniſſimi Imperatoris.*

Locus Sigilli ✠ cerei deperditi.

Heliſachar recognovi & ſubſcripſi.

Data Kalendis Auguſti, Anno Primo, Chriſto propitio, Imperii noſtri, Indictione Septima.

Actum Aquiſgrani Palatio Regio, in Dei nomine feliciter. Amen.

Animadverte, quomodo Eccleſiaſtici olim homines, ut firmiores in poſterum forent commutationes prædiorum, ac præcipue Villarum a ſe factæ, curarent ut ad eas accederet Imperatorum confirmatio. Ad hæc ne inſalutata dimittas velim ea verba, ubi *Rodulfus* dicitur *Rector Monaſterii, quod eſt conſtructum intra muros Civitatis Brixiæ, in honore Domini Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, quod vulgo appellatur Monaſterium Novum*. Celeberrimum fuit, & adhuc eſt in Civitate Brixiana Monaſterium Sanctimonialium Sanctæ Juliæ, quod in honorem Salvatoris noſtri a Deſiderio Rege, ejuſque conjuge Anſa ædificatum fuit. Ego quoque, utpote qui venia mihi facta a ſacris illis nobilibuſque Virginibus Tabularium Aſceterii ipſius excuſſi, nonnulla inde excerpta monumenta in hoc ipſo Opere evulgavi. Hujus autem Monaſterii fundationem refert Clariſs. Mabillonius in Annalib. Benedictinis ad Ann. Chriſti DCCLIX. Tum ait: *Monaſterium Novum dictum eſt ab inſtauratione, quæ Anno Domini Octingenteſimo Triceſimo Quinto facta memoratur. De eo intelligendum videtur Necrologium Atrienſe, in quo laudatur Auſtreberga ex Monaſterio, quod dicitur Nova*. Quum heic offenderim ego Rodulſum *Rectorem Monaſterii Novi Brixiani*, primo quidem ſuborta mihi ſuſpicio eſt, aliud fuiſſe Monaſterium hoc ab altero Sanctæ Juliæ, & illud quidem a Monachis, hoc autem a ſacris Virginibus excultum; & eam ſuſpicionem augebat Diploma Ludovici II. Auguſti, Anno DCCCLVI. *actum Brixiæ Civitate, Monaſterio Novo*, quum Imperator non in Parthenone, ſed in Monachorum Cœnobio, habitaſſe ac Diploma dediſſe videretur. Verùm ſuſpicioni factus eſt finis, inſpecto quodam Diplomate, quod Margarinus in Bullarii Caſinenſis Tomo 2. protulit: inde enim conſtat, *Novi* appellationem antiquitus conjunctam fere ſemper fuiſſe cum Sanctæ Juliæ Monaſterio. Et profecto longe antea quàm Mabillonius putarit, natam fuiſſe ejuſmodi appellationem, Diploma nuper a me editum prodit. Quamobrem Rodulphus iſte *Rector Monaſterii Novi*, Œconomus ac Miniſter tantummodo fuiſſe cenſendus eſt Cœnobii Sanctæ Juliæ. Cujus moris exemplum alterum dabo in Charta Piſtorienſi Anni DCCXLVIII. Diſſertat. LXV. *de Monaſteriorum erectione*. Regrediamur ad ea Diplomatis verba: *Villam nuncupatam Reduddum, quæ dicitur ſupernomen Curticella, in Pago Perſiceta*. Retinet adhuc eadem Villa apud nos appellationem *Reddù*, & Eccleſia Parochiali decorata eſt, ac Nonantulani Oppidi ditioni ſub Sereniſſimo Duce Mutinæ ſubeſt


Am-

Amplitudinem quoque *Perſicetanæ* regionis, ſive *Pagi*, nobis indicavit Leo Marſicanus Lib. primo, Cap. 54. Chronic. Caſinenſ. hæc de Johanne Abbate ſcribens: *Hic fecit libellum Adelberto filio Rainerii de Raſtello* (nunc *Raſtellino* nuncupatur eadem Villa, ſita olim & ipſa in Pago Perſiceto) *de aliquot Curtibus hujus Monaſterii in Comitatu Mutinenſi, fundo, qui dicitur Perſiceta*. Petrus quoque Diaconus Lib.4. Cap. 18. ejuſdem Chronici, auctor eſt, ſubjectum fuiſſe Cœnobio Caſinenſi *Monaſterium Sancti Benedicti, territorio Mutinenſi intra fines fluvii Fuſculi & limitis Malmeniliaci*. Curtes olim non vaſta tantummodo prædia, ſed integram Villam ſignificabant. Id ſæpe innui, atque alibi antiquis tabulis confirmavi. Hæc autem omnia in eodem Perſiceti tractu ad *Comitatum Mutinenſem* ſpectabant. Porro quouſque ſe protenderet regio iſta, intelliget quiſque, Oppidum Sancti Johannis nunc recogitans, Bononienſium ditioni ſubjectum, quod uti intra fines *Perſiceti* ædificatum, adhuc nomen ſervat *Sancti Johannis in Perſiceto*. In Diplomate Friderici II. Auguſti apud Ughellium Tomo 2. Ital. Sacr. in Archiepiſcopis Bononienſibus, confirmatur Henrico Bononiæ Epiſcopo *Caſtrum Sancti Johannis in Perſiceto*. In antiqua editione Hiſtoriarum Matthæi Villanii Lib. prim. Cap. 68. & infra memoratur *San Giovanni in Ceſena*. In nuperrima editione ejuſdem Operis, Tomo XIV. Rer. Italic. monui in notis, Florentinum Codicem MStum præferre *San Giovanni in per Ceſena*. Sed utrobique corruptus eſt locus; ibique reſtituendum *San Giovanni in Perſiceto*.

En ergo qui olim forent fines Comitatus Mutinenſis. Scilicet ſaltem Samodia fluviolus, nunc la *Samozza*, Mutinenſem agrum a Bononienſi dividebat. Immo in Mutinenſium portione relinquebatur *Badianum*, nunc *Bazzano*, cum integro Pago Perſiceti, complectente Nonantulam, Sanctum Cæſarium, Zenam Curtem, Panſanum, Caſtrum Sancti Johannis, aliaſque Villas & Caſtella, quorum non modicam partem Bononienſium potentia ſenſim in ſuam ditionem poſtea redegit, non Comitatu tantummodo, ſed & Diœceſi Mutinenſium imminutâ, reclamantibus nequidquam Mutinenſibus. Prætermitto, ex aliis monumentis indicari, ultra Samodiam in ſuperioribus locis excurriſſe olim noſtrum Comitatum. Quamobrem in ſtatuendis olim finibus inter Bononiam ac Mutinam, qui nunc adeo impares ſunt, juſtam videmus obſervatam fuiſſe menſuram. Quum verò Langobardi Mutinam Græcis Ravennæ dominantibus primo eripuiſſent, non univerſum continuo hujus Civitatis agrum ſibi ſubdidere. Verùm Liutprandus (Paullo Diacono teſte Lib. 6. Cap. 49. de Geſt. Langobardorum) *Caſtra Æmiliæ, Foronianum* (lege A *Feronianum*) & *Montem Bellium, Buxeta, & Perſiceta* Græcis eripuit. *Feronianum* nunc *il Fregnano* ſive *Frignano*, Provincia eſt Mutinenſis Ducatus in montibus, Bononienſi agro contermina, & complectens Sextulam ditionis caput, Fananum, ac plurima alia Caſtra & Villas. *Friniates* Ligures a Livio memoratos, ibi potius, quàm ubi Cluverius opinabatur, quærendi ſunt. Ii nomen regioni dediſſe, aut ab ea accepiſſe videntur. *Mons Bellius*, nunc *Monte Veglio*, ſeu *Monte Vio*, Bononienſibus antiquitus obtemperans, ſed aliquo etiam tempore Mutinenſium poteſtati obnoxius fuit. De *Buxeto* hæc habet Clariſs. Vir Gaſpar Berettus Monachus Benedictinus in Diſſer- B tat. Chorographica præpoſita Tomo X. Rer. Italicarum, Section. 14. *In agro Mutinenſi, vel Bononienſi, juxta Paullum & Sigonium locus eſt quærendus*. Et merito: neque enim veri videtur ſimile, *Buxetum*, ſitum ad Padum inter Placentiam ac Parmam, heic deſignari. Cur, quæſo, locus exigui nominis Langobardorum vim effugiſſet, quum ipſi agro & Urbibus circumpoſitis pacifice tamdiu antea potirentur? Apud nos tamen illius nomen (uti de aliis bene multis evenit) ante complura Sæcula excidit. Apud Anaſtaſium in Vita Gregorii II. Papæ legitur: *Langobardis Æmiliæ Caſtra, Feronianus, Montebelli, Verablum cum ſuis Oppidis, Buxo, & Perſiceta, Pentapolis quo-* C *que*, & *Auximana Civitas ſe tradiderunt*. Atque hæc de finibus antiquis Comitatus Mutinenſis. Sed vix ulla Civitas oſtendi poterit, quæ ſui agri fines vel ipſis antiquis temporibus ſtabiles retinuerit; & ſi quidem olim retinuit, bellis poſtea inter Italicas Urbes excitatis, & ſævientibus Gibellinorum & Guelphorum factionibus, immutata plane finium facies fuit. Erant enim vetuſto tempore Civitates, quæ latius, erant & quæ brevius, agrum ſibi, ſive ſuo Comiti ſubjectum protendebant. Uti in Antiquitat. Eſtenſ. Par. I. Cap. 8. oſtendi, ſpectabant olim ad *Comitatum Brixianum Caſale Majus, Videliana, Pomponeſcum, Pangunedum, & Suzaria*: quod mirum videatur ſpe- D ctantibus Urbis illius diſtantiam ab iis locis, ac præſentem rerum ſtatum; ſed minime mirum eſt recolentibus tantam in aliis locis mutationem ſubſequutam. Hac de re egi ſupra in Diſſert. VII. *de Comitib. Palatii*. Præterea in Diſſertatione XXII. ſequenti *de Legibus Ital.* animadvertemus, eumdem Brixiæ Comitatum olim excurriſſe in multas Terras, quæ nunc Cremonenſi Civitati obſequuntur. Addere nunc placet Caroli Craſſi Diploma, e Tabulario Monachorum Benedictinorum Monaſterii Placentini Sancti Sixti depromtum, in quo videas Fontanæ locum ſitum *Comitatu Brixienſi, Parochiâ* (ideſt Diœceſi) *Cremonenſi*.

Donatio facta a Carolo Craſſo Imperatore Johanni Gaſtaldio, Anno 883.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Karolus divina favente clementia Imperator Auguſtus. Si petentibus commoda largimus fidelibus noſtris, quibus hæc contulerimus, procul dubio devotiores ac promptiores eos in noſtro reddimus obſequio. Igitur notum eſſe volumus omnibus fidelibus noſtris, tam præſentibus ſcilicet quam & futuris . . . . . . utulſum dilectum Conſiliarium & Miniſterialem noſtrum adiiſſe ſerenitatis noſtræ magnificentiam, quatinus concederemus eidem fideli noſtro Johanni Gaſtaldio de Curte noſtra Margula Maſſaritiis noſtras illas, quæ conſiſtunt in loco qui vocatur Fontane, Comitatu Brixienſi, Parochiâ Cremonenſi, prope Curtem noſtram Expiras, pro fideli ſervitio ipſius, quod incunctanter & fideliter noſtræ celſitudini exhibet, & ob æternæ retributionis præmium; jure proprietario habendum & faciendum quid delegerit. Cujus videlicet interventus aurem clementiæ accommodantes, ejuſque fidelis noſtri jam prænominati Johannis devotiſſimo famulatui viſcera pietatis noſtræ ſuggerentes, concedimus atque donamus ſupranominatas Maſſaritias noſtras de Fontanis eidem prædicto Johanni in integrum cum omnibus adjacentiis ibique reſpicientibus, jure proprietario habendi & faciendi tam ipſe jam ſæpe nominatus Johannes quamque & heredes ipſius, ideſt dandi, vendendi, comutandi, alienandi ſecundùm libitum proprium liberam exinde permittimus eidem habere poteſtatem quicquid voluerit faciendi; nemine umquam ſucceſſorum noſtrorum hoc irrumpente; ſed modis omnibus rata & inconvulſa ad augmentum mercedis æternæ tam noſtræ quamque prædeceſſorum noſtrorum inviolabiliter maneat. Si quis vero poſt noſtrum deceſſum hoc noſtræ auctoritatis Præceptum aliquo modo irrumpere aut violare temptaverit, triginta Libras auri optimi componat, medietatem Palatio noſtro & medietatem prædicto homini & heredibus ipſius. Ut autem hoc verius credatur, diligentiuſque ab omnibus obſervetur, manu propria confirmavimus, & impreſſione Bullæ noſtræ ſupter adſignari juſſimus.

Signum  *Karoli ſereniſſimi Imperatoris.*

Sigillum plumbeum olim, ut videtur, appenſum deſideratur.

Waldo Notarius ad vicem Liutuvardi Archicancellarii recognovi & ſubſcripſi.

Data X. Kalendas Julii, Anno Incarnationis Domini DCCCLXXXIII. Indictione I. Anno verò piiſſimi Imperatoris Karoli Tertio.


Actum Margula Curte Regia, in Dei nomine feliciter. Amen.

Ita Parmenſi Comiti ſuberant *Felina* & *Mellitium* Curtes ſive Caſtella, quæ a multis Sæculis in Regienſi Comitatu recenſentur, uti Charta indicat a me evulgata in Diſſertatione VI. *de Marchionibus*. Sed & ipſe Regienſis Comitatus inferiori parte ſua pertingebat olim fines Ferrarienſium, multaque alia loca complectebatur, inde ſenſim avulſa: inter quæ unum commemorare lubet, hoc eſt, *Wardiſtallam*, nunc *Guaſtalla*, ad Ducatus honorem ſeriùs evectam. Teſtem hujus rei dabo Diploma, quod autographum vidi atque deſcripſi ex Archivo Reipublicæ Cremonenſis, curante Franciſco Ariſio Viro Clariſs. Conſervatore Ordinum ejuſdem Civitatis.

Ludovici III. Italiæ Regis Privilegium, quo Curtem Guardiſtallam confirmat Monaſterio Placentino Monialium Sancti Sixti, Anno 901.

IN nomine Sancte & individue Trinitatis. Hludovicus *divina favente clementia* Rex. *Omnium fidelium ſancte Dei Eccleſie, noſtrorumque, preſentium ſcilicet & futurorum comperiat induſtria, quoniam quidam venerabilis ſancte* Concordienſis Eccleſie Epiſcopus, *nomine* Adalmanus, *noſtram adiens excellentiam, enixius poſtulavit, quatinus quandam* Curtem juris Regni noſtri, que dicitur Wardiſtalle, conſiſtentem in Comitatu Regiſiano, non longe a flavio Pado, *concederemus Monaſterio in honore ſancte Reſurrectionis, & beatorum Martyrum Bartholomei, Xiſti, & Fabiani, ab* Avia noſtra Angelbergi quondam Imperatrice *a fundamentis conſtructum infra menia Civitatis* Placentine, *ita ſane ut perſiſtat etiam pro anima* Avi noſtri Domni Hludovici Imperatoris, *& predicte Avie noſtre, & Genitricis, & noſtra, cum univerſis apenditiis ejus, ac familiis utriuſque ſexus. Cujus precibus aſſenſum prebentes, hoc ſerenitatis noſtre Preceptum conſcribi juſſimus, per quod concedimus eidem Monaſterio in honore ſancte Reſurrectionis, & beatorum Martyrum Bartholomei, Xiſti, & Fabiani, prefixam* Curtem Wardiſtallam, *cum omnibus rebus & Capellis ad eandem Curtem pertinentibus, videlicet cum caſis, vineis, maſſaritiis, diverſiſque territoriis, campis, ſtallariis, ſilvis, paſcuis, aquationibus, piſcationibus, molendinis, aquarumque decurſibus, ſervis, ancillis, aldionibus, aldianabus, & quidquid ad prefixam Curtem aſpicit vel aſpicere videtur totum*

tum & integrum eidem Monaſterio concedimus perpetualiter poſſidendum, ut in uſus Monacarum ibidem Domino famulantium ſemper abſque ullius contradictione perſiſtant. Si quis autem temerarius quiſquam, quod non credimus, contra hoc noſtre inſtitutionis Preceptum in aliquo violare aut infringere temptaverit, ſciat ſe compoſiturum auri optimi Libras centum, medietatem Palatio noſtro, & medietatem cui inlata fuerit violentia. Et ut veriùs credatur, ac diligentius ab omnibus obſervetur, manu propria ſubter roborantes, anuli noſtri impreſſione inſigniri juſſimus.

Signum  *Domni Hludovici glorioſiſſimi Regis.*

Adeſt adhuc Sigillum Cereum ejuſdem Regis.

Arnulphus Notarius ad vicem Liutuardi Epiſcopi & Archicancellarii recognovi & ſubſcripſi.

Datum XIV. Kalendas Februarii, Anno Incarnationis Domini DCCCC. Indictione Quarta, Anno Primo, regnante Hludovico glorioſiſſimo Rege in Italia.


Actum Bolonia Civitate in Dei nomine. Amen.

Habemus heic *Adalmanum* Ughelliano Catalogo Concordienſium Epiſcoporum addendum. Attentiori tamen ſtudio Notas Chronologicas hujus Diplomatis conſiderandas offero. Annus Chriſti quidem dicitur *DCCCC.* Verùm *Indictio Quarta* Annum indicat *DCCCCI.* ac proinde adhibitam heic vides Æram Venetorum ac Florentinorum, qui tribus Menſibus poſt vulgarem Nativitatem Domini novum Annum exordiuntur. Et ſane Diploma datum Bononiæ fuit, dum Ludovicus Tertius Romam contenderet ad Coronam ac nomen Imperatoris ſuſcipiendum: uti revera Februario Menſe ejuſdem Anni DCCCCI. ſuſcepit. Quod aperte indicat Charta a Florentinio edita, in Vita Mathildis Lib. 3. pag 114. & ſcripta *Februario Menſe*, *Indictione Quarta*, dum is adhuc Romæ eſſet. Refert Pagius Ludovici coronationem *ad Annum DCCCC. poſt ultimum Menſis Auguſti*. Baronius verò ad Annum præcedentem DCCCXCIX. Neuter audiendus. Ludovicus Tertius Januario Menſe Anni DCCCCI. nondum Imperiale ſolium conſcenderat, uti ex hoc Diplomate conſtat. Rurſus ipſum Romano Diademate donatum fuiſſe tantummodo poſt *diem II. Idus Februarii* ejuſdem *Anni* DCCCCI. oſtendet nobis Diploma, quod archetypum, parte Sigilli ſuperſtite, adhuc adſervant in Tabulario ſuo Canonici Cathedralis Regienſis, & ego e tenebris, in omnium commodum, educere ſtatui.

Ludovici III. Imperatoris donatio facta Richardo Vaſſo Bertaldi, Anno 902.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Hludovicus *divina favente clementia Imperator. Omnium fidelium noſtrorum, præſentium ſcilicet & futurorum comperiat induſtria, quoniam* Liutfredus *inclytus* Comes, & Arlulfus Comes, *noſtri dilectiſſimi fideles, noſtram adeuntes excellentiam, enixius poſtulaverunt, quatinus cuidam fideli noſtro nomine Richardo Vaſſo Bertaldi quandam Braidam unam de Maſſa hactenus pertinente de Comitatu Regienſe, & Pratum Modium unum inter Rivum, qui dicitur Cruſtula Vetus, & Vico Roleſa, & in Regia Civitate petias tres de terra pertinentes de eodem Comitatu per Præceptum noſtræ auctoritatis jure proprietario concederemus. Quorum precibus aſſenſum prebentes, hoc ſerenitatis & excellentiæ noſtræ Præceptum fieri decrevimus: per quod prædictus fidelis noſter Richardus Braidam eandem ſuperius jam dictam, & Pratum, ſive tres petias de terra cum omnibus pertinentiis & adjacentiis earum, juſte & legaliter ibidem pertinentibus, futuris quoque temporibus abſque ullius contradictione tam ipſe quàm ſui heredes perpetualiter poſſideant; liberam quoque & firmiſſimam in omnibus habeant poteſtatem donandi, ordinandi, commutandi, vendendi, ſeu quovis titulo inſcriptionis alienandi, remota totius publicæ Poteſtatis inquietudine. Si quis vero contra hoc noſtræ inſtitutionis Præceptum in aliquo violare aut inrumpere temptaverit, ſciat ſe compoſiturum auri optimi Libras triginta, medietatem Palatio noſtro, & medietatem prefato Richardo, ſuiſque heredibus. Et ut verius credatur, ac diligentius ab omnibus obſervetur, manu propria ſubter roborantes, anuli noſtri impreſſione inſigniri juſſimus.*

Signum (ſimile ſuperiori) *Domni Hludovici glorioſi Imperatoris Auguſti.*

Pars Sigilli  cerei ſuperſtitis.

Arnulfus Notarius ad vicem Liutardi Epiſcopi recognovi.

Datum II. Idus Februarii, Anno Domini DCCCCII. *Indictione V. Anno Primo Imperante Domno Hludovico in Italia.*

Actum Papiæ feliciter. Amen.

Anno DCCCCII. ſecundo Idus Februarii adhuc decurrebat *Annus Primus* Ludovici Tertii, ergo ejus coronatio poſt eumdem diem Anni præcedentis DCCCCI. & Februario quidem Menſe peracta fuit. Vide etiam, quæ protuli in Diſſertat. XIX. *de Tributis*. Repeto nunc antiquiorum Comitatuum varium ſtatum. Apud Ughellium Tomo V. Ital. Sacr. in Epiſcop. Comenſib. & apud Tattum in Annalib. ſacr. Comenſibus, Diploma habetur Lotharii I. Auguſti, commemorantis *Vallem Tellinam in Ducatu Mediolanenſe*. *Ducatus* tamen *Mediolanenſis* vox ævo illo inſolens alicui fortaſſe videatur, ac interpolati textus ſuſpicionem ingerat, ſcriptumque olim fuiſſe in autographa membrana *Comitatu Mediolanenſe*. Et ſane ex altero certiore monumento diſcere id poſſumus, a me edendo in Diſſertat. ſubſequenti *de Legibus Italic.* ubi eadem regio dicitur *de Comitatu Mediolanenſi*: quod profectò ſtuporem ingerat. Attamen nullus mirandi locus, ſi Lector conſulat Chartam infra mihi producendam in Diſſertatione LXX. *de Cleri Immunitat.* ex qua conſtabit, *Novocomenſem Urbem* Anno DCCCLXXX. *Comiti Mediolanenſi* fuiſſe ſubjectam, atque adeo ſuo Comite deſtitutam. Sive enim ea Civitas propter aliquod crimen, Comitatus jure ſpoliata fuerit, ſive honorem hunc ampliſſimæ Urbi ac Metropoli Mediolanenſi Rex aut Auguſtus aliquis conferre voluerit, ut illius ditio alias etiam Urbes, & ingentem agri menſuram complecteretur: certa eſt prærogativa adeo ampli Comitatus temporibus iis, quem deinde rerum viciſſitudines aut minorem, aut etiam longe majorem effecere, additis Mediolanenſi aliis finitimis Comitatibus. Atque heic Lectores minus periti monendi ſunt, non Civitates tantùm, ſed alia etiam minora loca ſive Oppida vetuſtis temporibus ſuo *Comite*, ſive Præſide fuiſſe ornata, ita ut ejuſmodi Oppidorum ditio ſejuncta a quovis Magiſtratu Civitatum foret, ac uni Regi, aut Marchioni, ſive Provinciæ Præfecto, ſubeſſet. Illuſtria hujus rei exempla ſuppeditabit nobis prælaudata nobiliſſima Urbs Mediolanum. Nam etſi olim in Septemtrionalem plagam illius Comitatus ampliſſimè progrederetur, ab Oriente tamen ad Laudenſis agri limites conſiſtebat, & ab Occidente conterminos habebat alios Comitatus, a ſua ditione omnino ſejunctos. Apud Puricellium in Monumentis Baſilicæ Ambroſianæ num. 150. Diploma Berengarii Regis legitur ſcriptum Anno Chriſti DCCCXCIV. in quo Canonicis Ambroſianæ ejuſdem Baſilicæ donat, *Manſum illud, quod eſt in Cornalede pertinentes ex Comitatu Frazionenſi*. Ubi ſitus fuerit Comitatus iſte Frazionenſis, infra inquiram. At Gualvaneus Flamma in Manipulo Florum, Tomo XI. Rer. Italicar. pag. 649. hæc ſcribit de amplificatâ Mediolanenſium potentiâ ad Annum MCLXVII. *Ducatus Burgariæ, Marchionatus Marteſanæ, Comitatus Seprii, & Comitatus Turigiæ, & Parabiagi, & Comitatus Leuci, qui omnes quaſi domeſtici inimici Terram iſtam ſemper invaſerant, facti ſunt ſubjecti & ſervi perpetui Civitatis Mediolani* &c. *Civitas Angleriæ, & Civitas Brianziæ in noſtra Oppida redigun*tur. Ex his regionibus nonnullæ Comites proprios accepiſſe videntur tantummodo poſt Annum Chriſti Milleſimum, quo tempore crebrius in varias ſectiones dividi Urbium Comitatus cœpti ſunt. Aliæ verò vetuſtis etiam Sæculis a ſuis Comitibus regebantur. In poſtremis tabulis Angilbergæ Auguſtæ Anno DCCCLXXVII. ſcriptis, & a Campio in Tomo I. Hiſtor. Eccleſiæ Placentinæ evulgatis, enumerantur *Curtes in Comitatu Burgarenſe, id ſunt Brunigo & Trecate*. Quare *Ducatum Burgariæ* potius quàm *Comitatum*, cum Gualvaneus appellarit, divinare neſcio.

Et quoniam *Trecatis* nomen nuper occurrit, videant eruditi Mediolanenſes, an iſtud indicare poſſit, Comitatum olim *Burgariæ* eum fuiſſe, qui nunc *Viglevani Comitatus* eſt. In Tomo 2. Italiæ Sacræ in Epiſcop. Parmenſibus Otto Magnus Anno DCCCCLXIX. Ingoni nobili viro confirmat quidquid is habet *in Comitatibus Bulgarienſi, Laumellenſi, Plombienſi, Mediolanenſi* &c. *Plombia* ab Anonymo etiam Ravennate memoratur, ejuſque Comitatus Novarienſi conterminus fuit. Quod etiam diſcas e Diplomate Conradi I. Auguſti Tomo 4. ejuſdem Italiæ Sacræ in Epiſcopis Novarienſibus. In quo Imperator ille Anno MXXVIII. Petro Epiſcopo Novarienſi concedit, ſive confirmat *Comitatum de Plumbia & alium de Oxula*, nunc *Domodoſſola*, ad Occidentem Novariæ. In eumdem *Plumbiæ* locum Epiſcopus Novarienſis, nunc ampliſſimus S. R. E. Cardinalis Gibertus Borromeus, adhuc retinet non ſpirituale tantùm, ſed & civile imperium. Ejuſdem etiam *Comitatus Plumbienſis*, in quo erant duæ Curtes *Barazzola* & *Agredada*, meminit Otto Magnus Imperator in Diplomate Anni DCCCCLXII. pro Eccleſia Inſulæ Sancti Julii, quod habes in Epiſcopis Novarienſibus. Ejuſmodi verò Comitatus, inter montes ſiti, dignitate urbanis Comitatibus multum concedebant. Ac proinde Henricus I. Auguſtus in Diplomate Anni MXIV. nuper memorato, Petro Antiſtiti Novarienſi *Oxulenſem Comitatum* concedens, ipſum appellat *quemdam Comitatulum, qui in Valle Auſula infra ipſius Epiſcopatus Parochiam adjacere dignoſcitur*. Commemoratum etiam videas *Comitatum Bredolenſem inter Tanagrum & Sturiam*, in Diplomate Ludovici III. Auguſti, Anno Chriſti DCCCCI. Tomo 4. Italiæ Sacræ in Epiſcop. Aſtenſib. Ejus ſitum aliis deſignandum relinquo. Antiquiſſimus etiam eſt *Comitatus Seprii*, ab eodem Scriptore memoratus. Occurrit is nobis in aliquot Chartis heic evulgatis, ac præcipue in Chartâ Anni DCCCXLIV. (ubi memoratur *Johannes Comes Seprienſis*) editâ in Diſſertat. IX. *de Miſſis*. Hæc pauca monumenta nunc addo. In inſigni Tabulario Monachorum Ciſtercienſium Sancti Ambroſii Majoris Mediolani pergamenam legi ſcriptam *Regnantes Domni vere excellentiſſimi Karolo & Pippino Regibus hic in Italia, Anno Regni eorum Trigeſimo, & Vigeſimo Tertio, VIII. die Menſe Martii, Indictione Duodecima*, ideſt Anno DCCCIV. ubi vides, *Regis* tantùm, & minime Imperatoris titulo Carolum donari. Pergit Charta: *Domino ſancto, & Angelorum meritis*

ritis quoequando Oratorio (egregios ſane titulos Oratorio collatos, ſed ad formularium eorum temporum expreſſos) *beati Confeſſoris Domini noſtri Jeſu Chriſti Zenoni, quod fundato eſſe videtur in loco Campellioni prope Riba.....* (ideſt ad ripam Lacus Lugani) *finibus Civitatis Sebrienſe*. En ut *Seprium* tunc inter Civitates recenſeretur. Nunc vix illius veſtigia ſuperſunt in agro Mediolanenſi, ubi *Caſtel Seprio*, non longe ab Oppido Gallarati. Altera membrana, in eodem Ambroſiano Archivo adſervata, exarata fuit: *Hludowicus divina ordinante providentia Imperator Auguſtus* &c. Indictione *V. Menſe Februario*, ideſt Anno DCCCLVII. *Conſtat, me Angelbertus de Vico Canobio finibus Sebrienſe* &c. *Canobium* nunc nobile Oppidum eſt ad oram Verbani Lacus, ampliſſimæ, multiſque nominibus ſpectatiſſimæ Borromeorum Familiæ ſubjectum. Quare vides, quam late excurrerent fines *Seprienſis Comitatus*, quando ad Lacum Lugani & ultra Verbanum ferebantur. Temporibus iis quoties audis *Comitatus* nomen, ditionem, uti jam monui, intellige peculiarem, atque a reliquis diviſam, utpote quæ territorio proprio circumſcripta, proprio etiam Præſidi parebat. Sed hanc notionem turbare videtur tertia Charta ex eodem Tabulario Ambroſiano depromta & ſcripta; *Hludowicus divina ordinante providentia Imperator Auguſtus, Anno Imperii ejus Deo propitio Quintodecimo, XII. Kalendas Martii, Indictione XIII.* ideſt Anno DCCCLXV. quo Petrus Abbas ibi memoratus Ambroſiano Cœnobio præerat. *Monaſterio Chriſti Confeſſoris Ambroſii, ubi ejus ſanctus* (ita) *Corpus requieſcit, ego Sigeratus Vaſſus Domni Imperatoris, filius bone memorie Leoni Comite, preſens preſentibus dixi: Do hac offero in predicto Monaſterio pro remedium anime mee, vel quondam Anelrici Epiſcopo Aviunculo meo* (fuit ille Novocomenſis Epiſcopus) *hoc eſt Curte, & omnibus rebus illis poſitis in loco & fundo Balerne, ubi dicitur Oblino, Judiciaria Sebrienſe* &c. Obiter heic animadvertas velim, præclariſſimam Urbem vocari *Mediolanium* non *Mediolanum*. Noris, uſum hunc non novum iis temporibus fuiſſe, immo ne ipſis quidem antiquis Sæculis, uti oſtendam in collectione veterum Inſcriptionum, quas proximè in lucem proferam.

Nuper vidimus *Judiciariam Sebrienſem*, non verò *Comitatum*. Suſpicandi locus eſt, ibi unum ex Judicibus minoribus conſediſſe, qui a Comite Mediolanenſi penderet, uti complures alii pendebant, jus dicentes ruri in præcipuis Oppidis aut Caſtellis, quæ ager Civitati complectebatur. Et revera in Diſſertatione ſubſequenti *de Legib. Italic.* offendemus *Valtelinam Judiciariam Mediolanenſem*. Verùm *Judiciaria* heic ſumenda videtur Langobardorum more, qui *Judices* appellare conſuerunt, quos Franci deinde *Comites* dixerunt. In Liutprandi Regis Lege XV. Lib. V. de Servo fugace habentur hæc: *Si in aliena Judiciaria inventus fuerit*, ideſt in agro ſive diſtrictu alterius Civitatis. Neque enim heic, ut de Valtelina, dicitur Sebrienſis Judiciaria Mediolanenſis. *Angleriam Civitatem* ſupra commemoravit Gualvaneus de la Flamma: illuſtre ſane Oppidum in orâ Verbani Lacus ſitum, ipſumque ab aliquot Sæculis præclariſſimæ Borromeorum Familiæ, uti & nunc Comiti Johanni Borromeo, Hiſpaniarum Magnati, ſubjectum. Huic olim nomen *Stationa*, atque idem occurrit regnantibus Auguſtis Francis, & Sæculo etiam XI. *Scationa* corA rupte appellatur ab Anonymo Ravennate. Neque ulla dubitatio eſt, quin eadem Civitas fuerit *Stationa* antiqua, & recentior *Angleria*, uti antea oſtenderunt doctiſſimi viri, Puricellius in Vita Sancti Arialdi, Saxius in Apolog. pro Sanctis Gervaſio & Protaſio, & noviſſime P. Berettus in Diſſertatione Chorographica præpoſita Tomo X. Rer. Italicarum. Qui poſtremus etiam conjectat, *Forum Licinii* a Plinio memoratum eſſe ibi quærendum. Cur *Angleriæ* nomen loco acceſſerit, ſi & mihi opinari licet, inde factum putarim, quod illic dominatus fuerit aliquis, a quo proprium nomen in Oppidum translatum fuerit, ideſt *Engelerius*, *Angelerius*, *Ingelerius*, ſive *Ingelarius*: unum enim nomen B diverſis modis pronuntiatum, & apud veteres non ignotum fuit. Igitur ab eo *Angeleria* ſive *Engeleria* Civitas potuit nominari: quod contigiſſe aliis quoque locis demonſtrare promtum eſſet. Contractâ voce *Angleria*, aut *Engleria* inde fuerit efformata. Sed quomodocumque ea appellationis mutatio invaluerit, certum eſt, ſub Francis & Germanis Auguſtis, proprium *Stationæ* fuiſſe *Comitatum*, cujus ditio ad pleraque Verbani Lacus meridionalia Oppida ac Villas ſe ſe protendebat. Repete ſupra memoratum Angilbergæ Imperatricis Teſtamentum Anno DCCCLXXVII. Ibi ſtatuuntur *in Comitatu Stationenſe* Curtes *Cabrov*, & *Maſinum*. Ad Verbanum jacet *Maſinum*, illuſtris locus eo C potiſſimum nomine, quod ibi Matthæus Magnus Vicecomes primam lucem vidit. In Tabulario prælaudato Sancti Ambroſii Majoris raptim legi Chartam ſcriptam *Anno DNN.* (ideſt *Domnis Noſtris*) *Carolo & Pippino filio ejus viris excellentiſſimis Regibus Francorum & Langobardorum* (Pippinum imperite *Francorum* quoque Regem appellatum animadverte) *hic in Italia, Annis Regnis eorum Tregeſimo Quinto & Vigeſimo Primo, ſub die XI. intrante Menſe Septembri* (ergo perantiqua eſt formula *intrantis Menſis*) *per Indictione Selinorienſis Prima*. Is eſt Annus Chriſti DCCCVIII. Sed ſive me feſtinatio & characterum difficultas illuſerint, ſive alia Pippini Regis Epocha quæD renda ſit, illius *Annus XXI.* neque cum Anno initi Regni Italici, ideſt Anno DCCLXXXI. neque cum Chartâ paullo ante memoratâ, aliiſque ſimilibus, conciliari poteſt. Vocem illam *Selinorienſis* plane inſuetam, quum deſcripſi, agnovi. Fortaſſis ibi eſt *Selinorientis*, ideſt *Lunâ naſcente*. Sed quid rei Lunæ eſt cum Indictione? Felicius divinent alii: neque enim mihi ad manus membrana eſt, ut ſecundis curis illam attentius conſiderem. In ea *Draco filius quondam Rodelmundo* commemorat, *quæ poſſidere videor in territorio Civitatis Sebrienſe* &c. *ſeu & in finibus Stationenſis, locus Leocarni*. In aliis etiam Chartis Oppidum *Leocarnum*, nunc *Locarno*, pertinere vidimus ad Co E mitatum Stationenſem, ut nunc mirari ſubeat, quei *Canobium* in pergamena ſupra laudata repertum (ſi de Oppido ad Verbanum ſito illic agitur) Seprienſi Comitatui tribuatur, quum Leocarnum longius poſitum in ora ejuſdem Lacus ad Stationenſem ſpectaret. Atque hactenus vidimus tres Comitatus, *Burgarienſem*, *Seprienſem*, & *Stationenſem*, antiquis temporibus a Mediolanenſi ſejunctos, quos tamdem potentiſſima Civitas Mediolanum, formâ Reipublicæ aſſumtâ, ſibi ſubjecit. Atque his adjiciendus ſupra memoratus *Comitatus Fraxinenſis*, cujus mentio occurrit in Charta Anni DCCCXCIV. a Puricellio evulgata inter Monu-

nu-

[illegible] Baſilicæ Ambroſianæ, quum ipſe Ubi in [illegible] legendum non [illegible] niſi quod in eo [illegible] ſtatuitur, mihi verò [illegible] ad [illegible] Pizighitonum ſi[illegible]. Num eo tempore, qui nunc agri Cremonenſis appellantur, Placentinenſis fuerit, a ſuo Comite rectus? Tunc certe nulla Cremæ mentio. Mos autem fuit, ut quum loca inter Civitates nobiliores poſita, multum ab iis diſta- A rent, regiom intermediæ, ad incolarum commodum, ſuus Preſes ſive Comes daretur. Ac propterea in ſuſpicionem aliquando adducebar, *Caſtrum* quoque *Arcuatum* ſive *Arcuatum* inter Placentiam & Parmam jacens, ad Comitatus honorem olim evectum fuiſſe. Suſpicioni aditum aperuit Charta autographa, ſed præ vetuſtate protrita, quam ex ruderibus Nonantulani Cœnobii deſcripſi, atque heic evulgandam puto.

Donatio multorum bonorum facta Nonantulano Monaſterio ab Aliberto Presbytero, Anno 833.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Hludowicus & Hlotario, divina ordinante providentia Imperatores Auguſti, Anno imperii eorum Deo propitio Vigeſimo, & Quartodecimo, VII. Kalendas Auguſtas, Indictione XI. Quoniam genus humanum terminus exitus eſt, nec diceret ..... terminum premonentem .... dicentem, Parati eſtote, quia neſcitis diem neque oram; *ut quando que me Dominus de hac luce migrare juſſerit, non me de negligentia judicet, ſed de bonis operibus gratuletur. Et ideo ego Alibertus Preſbiter filius quondam Johanni de Bardi, nullo me compellente nec vim inferente, ſed de propria mea deliberationis arbitrio, ſola me conſiderante omnipotentis ...... & remedio anime mee vel parentum meorum, volo, ut omnibus rebus meis, quem habere viſus ſum in loco ..... ſeu mobile ... vel per .... ſingulares .... necnon & ...... beatorum Martyrum Protaſii & Gervaſii, ſitum in ipſo loco Odolo, deveniat in Monaſterio beatiſſimorum omnium Apoſtolorum & Chriſti Confeſſoris Silveſtri, ſito Nonantula, territorio Mutinenſe, ubi nunc tempore venerabilis Anſfrit Abbas eſſe videtur, a preſente die deveniat in alimonia pauperum vel in ſtipendia Monachorum, ibi Dominum deſervientibus; ideſt tam caſis habitationis mee in Bardi, vel alias terras, ſeu pro aliis ſingulis caſalibus, una cum ſupraſcripta Eccleſia Sanctorum Protaſi & Gervaſi, Curtis, Ortas, rivis, clauſuras, campis, pratis, paſcuis, vineis, ſilvis, montibus, & .... ripis, ropinis, ac paludibus, cultum & incoltum, diviſum & indiviſum, uſibuſque aquarum, vel puteos, cunfinibus vel terminibus, una cum ſingulis caſas maſſaricias, vel ſortibus tam in Odolo vel in Barcu, vel per aliis ſingulis caſalibus*, finibus Caſtro Arquenſis, vel finibus Placentina, *vel in* finibus Regenſis, *loco* Arcete, *antepoſito in Trimiolo & in Varianiſe ..... aliis omnibus rebus juris mei tam de paterna vel materna ſubſtantia, ſive per comparationem, donationem, commutationem, vel per qualecumque ingenio ſeu tinore ad me devoluta ſunt, & me de inter germanis meis vel nepotibus in diviſione obveniſſe dinoſcitur, ſeu arboribus olivarum una cum omni jure, adjacentiis & pertinentiis ſuis, cum acceſſionibus vel egreſſoriis ſuarum, omnia & ex omnibus ut ſupra dixi in integrum deveniat in jam dicto ſancto & venerabili Monaſterio pro anima mea, vel parentum meorum a preſenti die, ante poſito in ...... locis Trimiolo & in Varianiſe ut ſupra mihi reſervavi, nam aliis omnibus rebus meis ſuperius comprehenſis, ubicumque inventum vel perquiſitum fuerit, omnia & ex omnibus habeat in integrum ipſo ſupradicto Monaſterio, ab hac die in perpetuum teneat, poſſideat, vindicet atque defendat. Et per majore firmitatem* B *jurata voce dico per omnipotentem Deum, & inſeparabilem Sanctam Trinitatem, Sedemque Sanctam Apoſtolica, & ſanctas quatuor Evangelias, numquam ſum venturus cauſandi aut removendi, judicandi, ſed omni in tempore firmis & ſtabilis permaneat; & non liceat nolle quod ſemel volui, ſed quod ſemel ad me factum vel conſcriptum eſt, inviolabiliter modis omnibus conſervare promitto. Quam vero Cartole donationis, ſeu offerſionis mee, Johannes Notarius ſcrivere rogavi, in qua ſubtus propria manu mea ſcripſi & una cum teſtibuſque ad me rogatis obtuli roborandum.*

Actum ad Curte ipſius Monaſterii, qui dicitur Ponte Marmoriolo, die & Indictione Undecima, feliciter.

C ✠ *Ego Alibertus Presbiter in hac Carta donationis atque ofercionis a me facta relegi & manu propria ſubſcripſi.*

Signum manus Gauſperti germani ipſius Aliberti Presbitero rogatus teſtis.

Signum manus Gariperti de Aucis rogatus teſtes.

Signum manus Audoaldi de Vereniano rogatus teſtis finibus Brexiane.

Signum manus Rodemari de Dungueno finibus Brexiana *teſtis*.

Ego Radeberto Presbitero rogatus ad Aliberto Presbiter mano meo ſubſcripſi.


Ego qui ſupra Johannes Notarius ſcripſi, poſt roboratum tradidi & complevi.

D Viden ut nomine *finium* heic diſtinguantur Comitatus? Si *Caſtrum Arcuatum* in alicujus Urbis Comitatu ſitum fuiſſet, ejus Urbis fines, ut de Placentina ac Regienſe factum eſt, commemoraſſet Tabellio: ac proinde a vero non abhorreret ſuſpicari, Caſtro quoque illi proprium Comitem & agrum fuiſſe olim tributum. Idque manifeſtius e ſubſcriptione teſtium elucet. Scilicet ii ita nominantur *Audoaldus de Vereniano finibus Brexiane*, *Rodemarus de Dungueno finibus Brexiana*, quod loca incolerent Comitatus Brixiani. Contra *Garipertus de Aucis* nullâ factâ mentione finium aliquorum, aut alicujus Comitatus, ſubſcribit. Cur verò E hocce diſcrimen? Et quoniam facta eſt heic mentio *Aucis*, nobis iſtum quoque locum inquirendum proponamus. Antiquitus memoratum videas *Comitatum Aucenſem*. In Charta Anno MXII. ſcripta, quam evulgavi Par. I. Cap 14. pag. 121. Antiquitatum Eſtenſium, emerſit *Lanfrancus Comes hujus Comitatu Aucienſe*. Ibi ſuſpicatus ſum, potuiſſe eo nomine deſignari Oppidum *Leuci* in fine Larii Lacus. Tabulæ etiam Peutingerianæ *Leucerim* ſtatuunt inter Brixiam & Bergomum. Meminit & Anonymus Ravennas. Deinde in eam opinionem inclinavi, Oppidum nunc Brixiani agri *Orci vecchi* antiquis Sæculis *Auce* nuncupatum fuiſſe;

ſe: quæ vox progreſſu temporis, *AV* pro more Francorum in *O* converſo, ac addito *R*, evaſerit in *Orci*. Situs ille inter Brixiam, Bergomum, Cremonam, & Laudem Pompejam, a ſingulis multum diſtat: atque ideo peculari ſua ditione olim donatum opinari, non incongruum videbatur. Verùm certò deprehendiſſe, quid fuerit locus & Comitatus *Aucenſis*, tandem mihi viſus ſum. Scilicet regio illa, quæ cis Padum inter Placentiam & Parmam jacet, appellaturque *lo Stato Pallavicino*, eo nomine deſignata olim fuit. Nunc *Buxetum* Oppidum illius caput eſt. Antiquis Sæculis *Auce* Oppidum, cujus neſcio an ullum amplius ſuperſit veſtigium, aut quomodo immutatum fuerit nomen, regioni univerſæ nomen dabat. Fortaſſis ex hujus loci ruinis crevit *Burgus Sancti Domnini*, nunc Civitas Epiſcopali honore decorata. Nam quod prælaudatus doctiſſimus amicus meus Gaſpar Berettus Monachus Benedictinus in Diſſertatione Chorographicâ Tomo X. Rer. Italicar. pag. 121. præfixâ opinatur, jam Sæculo Chriſti Nono *Burgi* illius mentionem occurrere in Placito Parmæ habito Anno DCCCXXX. quod Campius evulgavit in Hiſtoriæ Eccleſ. Plecentin. Tom. prim. pag. 455. vereor, ut ſatis ſolidis fundamentis nitatur. Ibi agitata eſt controverſia inter *Grimoaldum Avocatum da pars Monaſterii Sancti Florentii in Florenzola, & Urſonem Presbyterum tam de beneficium .... da pars .... Sancti Domnini* &c. Ita hæc edidit Campius. Verùm ibi legendum eſt *Eccleſiæ*, *Monaſterii*, *Oratorii*, *Plebis*, aut quid ſimile, non autem *Burgi*. Infra legitur: *qui ad pars Sancti Domnini res ſuas pro animam ſuam dedet*. Ergo de Eccleſia illic agitur, non de Burgo. At unde hauſerim ego, in tractu illo ſitum olim fuiſſe *Comitatum Aucienſem*, ſequens Diploma edocebit, quod ex Archivo Monachorum Caſinenſium Monaſterii Placentini Sancti Sixti depromtum eſt.

Ludovici Germaniæ Regis Diploma, quo Hirmingardæ Nepti ſuæ quaſdam Curtes concedit, Anno 876.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Hludowicus divina favente gratia Rex. Notum ſit omnibus Sanctæ Dei Eccleſiæ fidelibus, noſtriſque præſentibus ſcilicet & futuris, qualiter dilecta Nepta noſtra Hirmingarda *deprecata eſt celſitudinem noſtram, ut ob mercedis noſtræ augmentum quaſdam res proprietatis noſtræ conſiſtentes in Italia ei in proprium concediſſemus. Cujus petitioni ob amorem Domini noſtri Jeſu Chriſti libenti animo aſſenſum præbentes, decrevimus ita fieri. Conceſſimus itaque ei illam Curtem in proprium, quæ vocatur Morcula, conſiſtentem in Comitatu Pergama, & Lemin Curtem in eodem Comitatu, &* Curtem Majorem in Placentino Comitatu, & in Aucia, *& novum Monaſterium in Papia. Et juſſimus ei fieri hoc noſtræ auctoritatis Præceptum, per quod decernimus atque jubemus, ut nec nos, nec ullus ex ſucceſſoribus noſtris ullam poteſtatem habeat in præfatis rebus ei quicquam auferre, ſed eas cum omnibus ibidem adjacentiis vel pertinentibus diebus vitæ ſuæ ſecuriter habeat, teneat, atque poſſideat. Poſt ſuum verò obitum ad ſuæ filiæ revertatur poteſtatem. Et ut hæc auctoritas largitionis noſtræ firmior habeatur, & per futura tempora a fidelibus noſtris verius credatur, & diligentius obſervetur, manu propria noſtra ſubter eam firmavimus & anuli noſtri impreſſione aſſignari juſſimus.*

Signum  *Domni Hludovvici ſereniſſimi Regis.*

Hebarhardus Cancellarius ad vicem Liutberti Archicapellani recognovi & ſubſcripſi.



Data IV. Kalendas Martii, Anno XXXVIII. Regni Domni Hludovici ſereniſſimi Regis in Orientali Francia regnante, Indictio Octava.

Actum Francofurt, in Dei nomine feliciter: Amen.

Reperimus heic *Curtem Majorem* ſitam in *Comitatu Placentino, & in Aucia*. At viſitur adhuc Caſtellum *Curtis Majoris* in ditione ad Pallavicinos Marchiones olim pertinente, conterminum agro Placentino. Vide etiam ſupra in Diſſertat. XIX. *de Tributis* Placitum Anno DCCCCX. Cremonæ habitum, in quo ſe nobis offert *Advocatus Curtis Domni Regis Auce, quæ dicitur Majore*. *Auce* pro *in Auce*. Attamen perpende, num ipſi *Curti Majori* nomen fuerit *Auce*, atque inde univerſo illi Comitatui titulus *Aucienſis* acceſſerit. Exploratum quoque habeo, pari Comitatus jure ac honore olim donatum fuiſſe Oppidum *Gardæ* ad Lacum Benacum poſitæ, unde is *Lago di Garda* adhuc appellatur. Jam Charta producta in Diſſertatione XIV. *de Servis* nos docuit, *Civitatis* nomine nobilem locum olim nequaquam caruiſſe. Atqui vix ulla erat Civitas, cui territorium proprium ac proprius Præſes ſive Comes non eſſet. Addo nunc alterum Berengarii I. Præceptum, unde hoc idem ediſcere fas eſt. Illud autographum, curante Clariſſimo Viro Marchione Scipione Maffeo, inſpexi & deſcripſi Veronæ in Tabulario præclariſſimi Monaſterii Sancti Zenonis.

Beren-

Berengarii I. Italiæ Regis Diploma, quo terras & Manentes quoſdam cum aliis juribus largitur atque confirmat Monaſterio Veronenſi Sancti Zenonis, Anno 893.

A IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Dei æterni. Berengarius Rex. Quia ad animarum pertinet lucrum quicquid Eccleſiis Dei & venerabilibus Locis confertur, & hoc nos ab antiquis Regibus imbuit, ut Eccleſiæ Dei decorum donis & muneribus ditarentur; noverit omnium ſanctæ Dei Eccleſiæ, noſtrorumque fidelium, præſentium ſcilicet ac futurorum induſtria, Petrum Cancellarium noſtrum, nobiſque dilectum, noſtram exoraſſe clementiam, quatenus Cœnobio Sancti Zenonis, ubi Corpus ipſius quieſcit, præceptali inſcriptione res pertinentes de Corte noſtra Meleto ſitas in Garda juxta Eccleſiam Sancti Severi, cum oliveis & vineis ad habendum jure perpetuo largiremur. Nos igitur rationi ejus arbitrantes petitionem, prædictas res, quæ ſunt jugera octo, ſita in finibus Gardenſis, cum olivetis, vineis, terris &c. ſicut de Corte noſtra Meleto pertinuerunt in integrum, ubicumque infra Gardam invente fuerint hereditario jure præfati Sancti Zenonis Cœnobio per hoc munificentiæ noſtræ Preceptum concedimus & firmamus. Manentes preterea duos, quos Giſla Comitiſſa prædicto ſancto loco obtulit, qui pertinuerunt de Corte Albareto, quam nos eidem Giſlæ per Preceptum contulimus, eidem ſancto Cœnobio ad habendum & proprietario jure tenendum firmiter corroboramus. Super predictas B quoque res illud concedimus & donamus, ut ſicut a Divæ memoriæ Hlothario Imperatore per Precepti paginam conceſſum eſt, liceat Abbatibus præfati Cœnobii, qui per tempora fuerint, duas Naves in Pado, & in flumine Atheſis, & per cetera flumina habere ad navigandum & eundem, ubicumque neceſſe fuerit, abſque ulla publica exactione & datione. Si quis vero umquam &c.

Signum (✠) *Domni Berengarii glorioſiſſimi Regis.*

Locus Sigilli ✠ cerei deperditi.

Reſtalſus Notarius juſſione Regis ad vicem Adelardi Epiſcopi & Archicancellarii recognovi & ſubſcripſi.

Data V. Idus Novembris, Anno Incarnationis Domini DCCCXCIII. Anno verò Regni Domni Berengarii glorioſiſſimi Regis VI. Indictione XI.

Actum Verona in Dei nomine feliciter. Amen.

C Habes heic *Curtem Meletam ſitam in Garda*, ſeu *jugera octo ſita in finibus Gardenſis*. Præcedentem Chartam cum iſta confer, hoc eſt, formulam illam *in finibus*, atque intelliges Comitatum Gardenſem negari jure non poſſe antiquis Seculis. Ita *Comitatus Monteſilicanus*, nunc *Monſelice*, Oppidum Patavini agri, mihi occurrebat in Charta Anno DCCCCXXVIII ſcripta, quam in Chartario ſuo adſervant Venetiis nobiliſſimæ Sanctimoniales Cœnobii Sancti Zachariæ. Ejuſdem quoque mentionem habes in Diplomatis Henrici I. & Conradi I. Auguſtorum, quæ Ughellius edidit Italiæ Sacræ Tom. V. in Epiſcop. Veronenſib. Plures alii D ſimiles Comitatus evolventi veteres pergamenas ſeſe offerent, unde nobilitata olim loca fuere, quæ nunc aut ignobili fortunâ premuntur, aut proſtrata penitus jacent. Sed inter eos potiſſimum a me poſcit *Comitatus Lucardus*, ut eripiatur e tenebris oblivionis. Poſitis pignoribus contenderem, paucis in mentem venturum, quis & ubi olim fuerit locus: excidit enim a multis Seculis illius dignitas. Sed quæ Charta illius nomen, eadem quoque & eius ſitum mihi indicavit. Hanc ex Nonantulani Cœnobii Archivo depromtam, ſcriptamque ante Annum Chriſti Octingenteſimum, Lector accipiet in D. Tertat. LXVII. *de Modis acquirendi, &c.* Nunc noviſſe ſufficiat, ibi a Carolo E Magno enumerari *in Comitatu Lucardo Corte noſtra Sancti Petri in Mercato, ſeu Corte noſtra Monte Calvo, & Corte Campane, & Corte Petronimo, Plebe Sancti Leonardi, Corte a Furno, & Caſtro Ciliano, atque Monte Bonici, & Sancti Petri, cum Corte Quintolo; & juxta fluvio G fintia, Corte Dominici, & Sancti Donati, Corte Decimo, Plebe Sancte Cecilie, Corte Penite, Plebe Sancte Mariæ, Corte Meleto, Corte Monacile, Vadolongo, Quarte, Plebe Sancti Petri, Babaciona cum Capella Sancti Petri, Cortem Sepi, cum Eccleſia Sancta Maria, Corte Ciracle cum Eccleſia Sancti Martini, Corte Caſentino, Corticella una, qui vocitur Satri, Corte Pinſcingno cum Cella Sancti Apoſtoli prope fluvio Selice*. Siſte nunc tibi ante oculos Italiam Magini, aut Ortelii Theatrum; atque ibi Chartam Topographicam Tuſciæ ſcrutare. Occurret inter Arretium, Florentiam, Senam, Volaterras, & Piſas, Vicus *Lucardus*. Hunc antiquiſſimis Sæculis inter Oppida computatum, eumdemque eſſe, qui Comitatus honore fruebatur, agnoſcere cogimur, ex reliquis locis in antiquiſſima ea membrana memoratis ac circumpoſitis. Adhuc enim ſi topographicas Chartas conſulimus, in circuitu ejuſdem loci intuemur *Petrognano*, *Pogibonzi*, ideſt *Podium Bonici*, quod idem puto cum *Monte Bonici* in pergamena adnotato, *Monte Domenichi*, *San Donato*, *Santa Maria*, *Meleto*, *San Pietro*, &c. ut alia loca prætereaın, quæ eruditi Florentini facilius colligent atque animadvertent. Profecto quum in membrana commemorari vidiſſem Curtem *Caſentino*, regionem illam indicari ſuſpicabar, quæ adhuc ſub eadem appellatione Tuſcis notiſſima eſt. Verùm nulla in eo tractu occurrunt e locis in veteri Charta deſcriptis: & quando *Lucardus* vicus, ſeu Caſtrum

ſtrum ſupereſt, vix alibi quærendus videtur *Comitatus Lucardus*. Senenſi Urbi olim exiguus ager contributus fuit: quod ex Chartis producendis in Diſſertatione **LXXIV.** *de Parochiis* intelligere poſſumus. Ac propterea nil mirum, ſi inter Civitatem illam & Florentiam interpoſitus olim fuit alter Comitatus. Anonymo Ravennati Lib. 4. inter Tuſciæ Civitates enumerantur *Aretia*, *Græcæ*, *Lugaria*, *Umbrion*, *Beternis*, *Equilia*, *Floria*, *Florentia* &c. Qui locus ab eo *Lugaria* nuncupatur, (ut alia plurima apud illum) fortaſſe depravatus ad nos venerit; & *Lugardam*, ſive *Lugardum*, aut *Luchardum* referre omnino videtur; quem locum in Tuſcia fruſtra Porcheronius & alii quæſierunt.

Redeo nunc ad *Feronianum* (*il Fregnano*, ſive *Frignano*), Pagum, ſive Provinciam Mutinenſis Ducatus, cujus ſupra facta eſt mentio, inveſtigaturus, num antiquis temporibus territorii Mutinenſis pars eſſet. Decurrente Sæculo Chriſti Octavo, & ſub Regibus Langobardis, ſuum agrum atque ditionem a reliquis ſolutam habuiſſe videtur. Paullus Diaconus Lib. 2. Cap. 18. de Geſt. Langobardor. Nonam Provinciam Italiæ deſcribens, hoc eſt, *Appenninas Alpes*, ait: *In qua ſunt Civitates Feronianus*, *Montepellium* &c. Ibi de *Fregnano* agitur. Opinioni huic faventem habeo Chartam, cujus Apographum ante annos ſexcentos exaratum adſervant in Tabulario ſui Cœnobii Monachi Benedictini Regienſes, olim Sancti Proſperi, nunc Sancti Petri. Ecce illam, elegantiſſimo, ut tute perſpices, Latino ſermone conſcriptam.

Literæ Jobiani Subdiaconi & aliorum ad Anſelpergam Abbatiſſam Monaſterii Sancti Salvatoris Brixiani, in quibus eidem donant Piſcarias poſitas in territorio Feronianenſi, Anno 767.

Regnante Domni noſtri Deſideri & Adelchis Reges, *Regni eorum Undecimo & Nono, die VI. de Menſi Decembris, per Indictione VI. feliciter. Dilectiſſima nobis ſemper* Donna Anſelperga *a Deo dilecta* Abatiſſa Monaſterii Domini Salvaturi, *ſcita in Civitate Brexia, quam* Domnus Deſiderius Rex *a fundamentis edificavet. Ideoque nus Jobianus Subdiaconus, Amantio filius Liberi, Martinorum, Stephano filius Albino, Beatus, Lupicenus, ac Martino. Cogitanti Jobiani Benenato donatores nus preſentes preſentibus dixi: Illas jura firmiſſima, que & ſpontanea conferitur voluntate, ſcrivere providimus beatitudinis tue, ex noſtri duno tibi concedere viſi ſumus Piſcarie Sortis noſtras, que ex integro in loco ubi nuncupatur* Rio Torto, Terreturio Feronianenſi, *per deſignatas locas, idem de uno lanterio, quod tenet fine inter ipſis donanti & Martino Gaſtaldius, & de alio lanterio, quod currit Cluza uno capo tenente in ipſa Cluza, & de alio capo Johannes filius Domineco habente, & infra deſignatas locas nobis nunc reſervamus fini tua, que ſupra Anſelperge Abbatiſſe confirmamus poteſtate veſtra habendas & poſſidendas, & tuis ..... defendendas, aut quicquid exinde facere aut judicare volueris, in veſtra tribuimus poteſtate. Et nunquam nobis liceat nolle quod voluimus dare ſe vel vobis conceſſa, ſed omnia, ſicut ſuperius legitur ...... nos inviolabiliter conſervare promitomus.*

Acto in Vico Bisbetum feliciter.

Ego Jobianus Subdiaconus in hanc Cartulam donationis a me facta manu ſubſcripſi.

✠ *Signa manus Amanti filius condam Liveri, qui hanc Cartola donationis fieri rogavit.*

✠ *Signa manus Martini Feliculi, qui hanc Cartula donationis fieri rogavit.*

✠ *Manus Stephani filius memorati Albino, qui hanc Cartula donationis fieri rogavit.*

✠ *Signa manus Beati, qui hanc Cartola donationis fieri rogavit.*

✠ *Signa manus Benenati filius Stephani, qui hanc Cartola donationis fieri rogavit, qui juxta Lege ſua Langobardorum recepit Launechit manente par uno*

✠ *Signa manus Lupiceno, qui hanc Cartola donationis fieri rogavit.*

✠ *Signa manus Martino, qui hanc Cartulam donationis fieri rogavit.*

✠ *Signa manus Johannis filius bone memorie Donati teſtis.*

✠ *Vel Lampertus Notarius rogatus ad ſupraſcriptis donantis in hanc Cartula manu mea teſtis ſubſcripſi.*

Ego Gaidoald rogatus ad ſupraſcriptis donantis in hanc Cartula donationis manu mea teſtis ſubſcripſi.

Scripſit ego Godſtalco Notario poſtradita coram teſtibus relegi, complevi & dedit.

Dona illa ſita fuiſſe dicuntur *Terreturio Feronianenſi*; quæ dicendi formula plerumque apud antiquos idem ſignificat atque *Comitatus*: & præſertim, quum nulla Mutinenſis Urbis mentio additur. Sæculo autem Decimo ſe mihi altera Charta offert, quam in ſuo vetuſtiſſimo *Regiſtro* cuſtodit Reſpublica Mutinenſis, unde ſublucere videtur, *Feroniani* fines etiam fines Mutinenſis Comitatus fuiſſe. Iſtam quoque Lectori exhibeo.

Examen teſtium in controverſia de finibus inter Mutinenſes & Bononienſes, Anno 969.

IN *nomine Domini Dei eterni. Otto gratiâ Dei Imperator Augustus, Anno imperii ejus in Dei nomine hic in Italia Octavo, & die Pridie Kalendas Julii, Indictione XII. Cum Domnus Otto Imperator Augustus in legationes ſui imperii in Comitatu Mutina reſideret*, altercatio facta eſt ante eum inter Bononienſes & Mutinenſes de confinibus & terminis Epiſcopatus eorum. *In primis Vitalianus dixit*: Sicut ſum monitus ab anticos homines, inter Mutinam & Bononiam os eſſe fines, dico vel aſſero: Alpe que dicitur Capotauri; de Capotauri in loco, qui dicitur Androna; de Androna ad terminum, qui dicitur Cimbrianum; de Cimbriano ad terminum, qui dicitur ad Privatum; deinde deſcendit per Alpem maximam; inde per termine Mauri; de termine Mauri ad terminum, qui ſunt ad Roncolamelli; de termino Roncolamelli ad Saxo Mulare. Et dum haberet infra termines Semelanenſis, vel Petilianenſis. *Sic dixerunt: Vitalianus Martia*; De terminis, quod vos dicitis inter Semelanenſem vel Petilianenſem fines dexendere aut eſſe, non ero teſtis. Sed de terminis, qui ſunt inter Bononiam & Mutinam teſtis ſum. Deinde deſcenditur per Prato Barati: *Lupizenus germanus dixit*: Monitus ſum a genitore meo, quod Alpem, qui vocatur Capotauri, finis eſſe inter Mutinam & Bononiam. Deinde termini, qui dicitur ad Andronam, deſcendente ad locum, qui dicitur Cimbrianum: de Cimbriano ad terminum, qui vocatur Privato; inde deſcendente per Alpem maximam; deinde ad terminum Mauri; inde ad terminum, qui ſunt a Roncholamelli; deinde ad termine Saxomulare. Et monitus ſum, quod ipſe finem inter Mutinam & Bononiam deſcendit per Prata Barati. *Calventius & Brencius ſimiliter dixerunt, qualiter ſupraſcripti Vitalianus & Lupizenus. Petrus germanus ſimiliter dixit. Bonelo de Vichaleto ſimiliter dixit. Petro de Jermiano ſimiliter dixit; Mauro Blancari, & Lupicenus Marcienenſis dixit. Idem equaliter dixerunt homines commanentes in Villa Semelano de jam dictis terminis. In primis Dalterius dixit*: Monitus ſum a Vitaliano Manco, qui fuit Avum meum, quod finis eſſe inter Mutinam & Bononiam Alpis, qui dicitur Caupo Tauri; inde deſcendit ad terminum in Androna; deinde ad termine in Cimbriano; inde ad terminem ad Privato uſque ad Alpem maximam; inde per termine Mauri; deindo ad terminem Runcholanelli, uſque ad termine Saxomulare; deinde ad terminem, qui eſt a Funtana Longobardorum; deinde ad termine, qui eſt in Valle Griffonaria; inde in Aquarugiolo uſque in Trararola; deinde ad termine Dapucli uſque in Monte Parvialinenſe; deinde ad termine in Vitecta; deinde ad termine ad Cluſa, habeant intentionem Semelanenſis & Pitalianenſi inter ſe. De finibus ſuis, ſicut dixit ſupraſcriptus Vitalianus Martia, commanente in Pitiliano de finibus iſtis, quod dicitis, inter vos teſtis non ero, ut ſupra legitur; ſed inter Mutinam & Bononiam teſtis ſum; & percurrunt ipſi fines recto tramite uſque in Prato Barati, deinde in Petraficta; inde ad Petram in Caſtaniolo; deinde ad termine, qui eſt fictus ſuper Baſilica Sancti Johannis. *Juſtinianus de Mumutiano dixit*: Sic ſum monitus de Lumello. *Marſo, vel Vitaliano Manco, & Vitaliano Bicono, vel Gondelia de Miciano, qui omnes ſupraſcriptos fines deſignatos Semelanenſi ſimiliter dixerunt, qualiter & Claterius. Johannes Gontarei dixit*: Sic ſum monitus de ſupraſcriptos homines anticos, quod per terminus, qui ſunt a Saxomulare, inde per termini a Funtana Langobardorum uſque in Valle Griffonaria, & termines in Quarojolo, & termines in Trajarola, & termines in Capudi; inde ad termines in Monte Pervilianenſe uſque in Vitecta; inde finem ad Cluſam, ſicut eſſe finis inter Mutinam & Bononiam. *Gutus Marinus Mauncimi, Williarinus Magiſtri Guſtilla, Stephano Juliareni, Lupicenus, Matrone, Johannis & Sergius de Mociano, Martianus Cara, Lupicenus Roſomellitum, iſti omnes ſimiliter teſtes fuerunt; item qualiter dixerunt homines Montebellienſes. In primis Domicus de Forticiano dixit*: Admonitus fui, quando Martinus fecit mandutare Cluſiam, & ſic dixit nobis, ut ipſas lignas, quod Capelantius ſuper iſtis a Petra po . . . . . olim ſicut fecimus, qui dixit nobis, ſi aliqua requixitio fuerit, hic eſt finis inter Mutinam & Bononiam. *Teſtes ſimiliter interfuerunt Urſus Georgii, Petrus de Funiano, Vulliarinus de Caſtro, Petrus de Veturiano, Lupizenus Mauri, Juſtinus Dovilia, Maurus Caroſi, Blanco de Papuniano*.

Actum eſt in Curia Domni Octonis Imperatoris feliciter.

Egſilverdus Notarius juſſione Domni Imperatoris ſcripſi & coroboratam complevi.

Ego Degoldeus ſacri Palatii hoc exemplum ex authentico, ut vidi, legi & cognovi, nil addens neque minuens, preter forte literam vel ſillabam plus vel minus, & ſicut in eo continebatur, ſcripſi.

Ex his vides, *Semelanum in Feroniano* poſitum pertinuiſſe ad Mutinenſes. Sunt & alia monumenta, quæ produnt, proximam Villam *Adiani*, nunc *Aiano*, in Mutinenſium poteſtate fuiſſe. *Saxum Molare*, quod adhuc ſuum nomen ſervat, limitaneum erat inter Mutinenſes & Bononienſes. Et quum ejuſmodi fines a montium jugo deſumantur, reliquum eſt, ut Mutinenſium ditio integrum Feronianum complecteretur, immo & alia loca, quæ in jus Bononienſium poſtea ceſſere. Sed nihil diſſimulandum: *hæc altercatio facta* dicitur *inter Bononienſes & Mutinenſes de confinibus & terminis Epiſcopatus eorum*: non ergo de finibus territorii ambarum Civitatum. Certum quippe eſt, ſæpe alios fuiſſe (quod & adhuc paſſim intuemur) fines Diœceſis, alios Territorii ſive Diſtrictus Urbium, ita ut modò brevior, modò latior Epiſcoporum aut Civitatum ditio fuerit. In Seprienſem & Stationenſem Comitatus olim ſe quidem protendebant Archiepiſcopi Mediolanenſis, non autem Urbis, jura; & contra Mediolanenſis Comitis poteſtas interdum uſque in Tellinam Vallem progreſſa eſt, quæ tamen Novocomenſi Epiſcopo ſuberat & ſubeſt. Ita & in Antiquitat. Eſtenſib. Par. I. Cap. 7. Curtem Murgulam memoravi, ſitam *Comitatu Brixienſi*; *Parochiâ* (ideſt Diœceſi) *Cremonenſi*. Attamen quum non levis monumentorum copia adferri poſſit, unde appareat, *Epi-*

Epiſcopatus vocem adhibitam fuiſſe ad deſignandum etiam Comitatum & Diſtrictum Civitatum, quod nimirum ſæpe ac ſæpius non alii eſſent Epiſcopatus atque Comitatus fines, uti Canone 17. Œcumenici Concilii Calchedonenſis conſtitutum videtur: propterea ſua adhuc vis reſtat Chartæ nuper productæ ad prodendos terminos politicæ ditionis inter hoſce Populos. Et præſertim, quod lis agitata eſt in Sæculari Curia *ante Ottonem Magnum Auguſtum*, neutro ex Epiſcopis præſente aut inſtante; & identidem repetitur, eos eſſe *fines inter Mutinam & Bononiam*. Sunt & alia exempla, e quibus patebit, ſub *Epiſcopatus* nomine ſignificari etiam Comitatum.

Atqui Sæculo XI. exploratum habeo, *Feronianum* ſuis Magiſtratibus paruiſſe, diviſumque fuiſſe a Comitatu Mutinenſi. In Tabulario Capituli Canonicorum noſtræ Urbis donationem legi factam Ingoni Epiſcopo *Anno MXXXIV.* terrarum ſitarum infra *Comitatum Ferengnienſe*. Rurſus in altera pergamena exarata *Anno MXXXVI. Chunradus Dei gratiâ Imperator Auguſtus Anno Imperii ejus Deo propitio hic in Italia Nono, II. die ingrediente Menſe Hoctuber, Indictione Quinta*, occurrit mihi *Ubertus filius bone memorie Daiberti de Comitatu Feregnano*. Ita in Tabulario Monachorum Benedictinorum Mutinenſium Sancti Petri membrana exiſtit, ſcripta *Anno Tertii Henrici Imperatoris Indictione XV.* ideſt Anno Chriſti MXVII. aut MXLVII in qua memoratur *Albizo filius Daiberti de Comitatu Feroniano, Advocatus Monaſterii*. Quo verò tempore Mutinenſis Reſpublica Feronianum, aliaque contermina loca ſibi ſubjecerit, patefaciam in Diſſertatione XLVII. *de amplificat. Civitatum Italicar. dominat.* Interea ex hactenus deductis elucere poteſt, inſtabiles, multiſque mutationibus obnoxios olim fuiſſe Comitatus ac fines Urbium. Quæ rerum inconſtantia mirum etiam in modum crevit, quum Urbium Comitatus cœpti ſunt liberaliſſime ſcindi, eorumque portiones effundi in Comites Rurales: quod præſertim contigit regnantibus Auguſtis Germanicis. Verùm de hoc ſupra actum eſt in Diſſertatione VIII. *de Comitibus*. Porro olim & aliæ Civitates in Italia numerabantur, quarum vel ipſa veſtigia excidiſſe novimus. Sunt tamen, quæ nomen ſaltem retinent, quamquam a primæva dignitate omnino prolapſæ. *Antemnæ*, exempli gratiâ, Civitas, Latinorum temporibus non ignobilis ſane fuit, non multum diſtans a fontibus Anienis (nunc *il Teverone*) in Hernicis. Eam memorarunt Varro, Feſtus, Servius, Livius, Silius, & alii a Cluverio recenſiti Libro 2. Cap. 9. pag. 665. Italiæ antiquæ. Appellatur adhuc *Città d'Antina*, quamquam humili fortunâ fruatur. Ejus autem mentio occurrit in Literis Alexandri III. vel IV. ſummi Pontificis, quas e Codice MSto Cencii Camerarii deſcripſi.

Literæ cujuſdam inhibitionis Alexandri Papæ (*III.* vel *IV.*) ad Clerum & Populum Verulanum.

Alexander Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis univerſo Clero & Populo Verulano ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quum Terra veſtra ſpecialiter beati Petri, & noſtri juris exiſtat, graviter eſt puniendus, ſi quis veſtrûm aliunde quàm ab Eccleſia Romana requirit patrocinium vel tutelam. Inde eſt, quod Univerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, quod nullus veſtrûm ab aliquibus extra Verulas, quàm ab Eccleſia Romana patrocinium vel defenſionem præſumat requirere; nec aliquis veſtrûm poſſeſſiones vel Silvas, quæ in territorio veſtræ Civitatis conſiſtunt, alii, quàm concivibus ſuis, vendere, donare, vel pignori obligare præſumat. Inſuper etiam vobis omnibus inhibemus, ne quis veſtrûm Bittoni quondam concivi veſtro, qui egreſſus de Terra veſtra ad Civitatem Antenæ, *ſicut audimus, ſe tranſtulit, ut facilius vos & Terram veſtram poſſit nocere, contra vos, vel eamdem Terram auxilium præſtare audeat vel favorem. Si qui autem Præcepti vel prohibitionis noſtræ in hac parte fuerint tranſgreſſores, ſinguli banno decem Librarum ſe noverint ſubjacere.*

Datum Tuſculani V. Kalendas Decembris.

Bobienſis quoque Civitas, & Epiſcopatu quidem ornata, olim illuſtris fuit, non illa, quæ inter Genuam & Placentiam ſita, a Sancto Columbano celebritatem nominis adepta eſt; ſed quæ poſita in ditione Pontificia, Epiſcopatu quoque longe ante alteram eſt aucta. In hac Urbe agnoſcenda decepti ſunt Cluverius, Leander Albertus, Carolus a Sancto Paulo, Illuſtriſſimus Fontaninius, & alii. Erudite & egregie de ea commentatus eſt ſupralaudatus Amicus olim meus P. Berettus in Prolegomenis ad Tabul. Chorographic. pag. 163. Tomi X. Rer. Italicarum. *Diœceſis Bobienſis* mentionem quoque invenio in monumentis Sæculi XIII ut e Charta ſubſequenti patebit. Quare accedit & hoc ad dignoſcendum, non idem fuiſſe *Sarſinam* ac *Bobium*, quod Ughellius nobis perſuadere voluit in Tomo 2. Ital. Sacr. Nam longe ante Annum MCCXXXII. quo data eſt Charta e memorato MSto Codice Cencii deſumta, & nunc mihi evulganda, *Saſſenatenſis Epiſcopus*; ejuſque Diœceſis in honore erant, uti monumenta ab ipſo Ughellio producta evincunt; & in Diplomate Conradi I. Auguſti An. MXXVIII. confirmantur Saſſenatenſi Eccleſiæ quæcumque ad ipſam pertinent *in territorio Saſſenatenſi* &c. *& infra Comitatum Bobienſem, in territorio Feretrano, in Cæſenati Comitatu* &c. ita ut videas diverſa fuiſſe *Sarſinam*, & *Bobium*.

Inſtrumentum, quo Ugucio Dadei Deo & Eccleſiæ Romanæ obtulit omnia bona ſua, quæ habebat vel habere debebat in Diœceſi Caſtellana, Feretrana, & Bobienſi, Anno 1232.

IN nomine Chriſti. Anni ejus ſunt MCCXXXII. Indictione V. die VII. exeunte Menſe Octubris, tempore Gregorii Papæ & Friderici Imperatoris. Ego quidem in Dei nomine Ugucio Dadei de Caſtro Aldice, pro me & pro filiis meis, propria & ſpontanea voluntate, liberoque arbitrio, pro redemtione animæ meæ & parentum meorum, do & offero Deo & Eccleſiæ Romanæ & tibi Domno Raynaldo Domni Papæ Subdiacono, Capellano, Maſſanorum Rectori, & Apoſtolicæ Sedis Legato, recipienti nomine ipſius Eccleſiæ Romanæ, concedo & trado omnia mea bona præſentia & futura, quæ habeo & teneo, vel aliquis pro me habet vel tenet, vel mihi pertinet in Diœceſi Caſtellana, Feretrana, & Bobienſi; ſcilicet Caſtrum Alfari, & ejus Curtem, Caſtrum Corneti & ejus Curtem, Caſtrum Maſſeti & ejus Curtem, Caſtrum Montisajuſti & ejus Curtem, & partem meam Caſtri Fragiti & ejus Curtem, & ea quæ habeo in Villis Montisretundi, & in Villis de Calance, & Rocchettam, & Caſtrum de Silvaplana, & Caſtrum Montis Porticulæ, & Caſtrum de Fonte Cluſi, & Caſtellum Veclum, & Caſtrum Montisbeccolini, & Villam de Ruſello, & Caſtrum de Friſcima & ejus Curtem. Hæc omnia prædicta cum omnibus ſuis pertinentiis, & cum omni jure & actione mihi in dictis rebus competenti & competituro, do & trado tibi dicto Domno Raynaldo Legato recipienti, ſicut dictum eſt, nomine dictæ Romanæ Eccleſiæ. Quæ omnia confiteor me poſſidere nomine ipſius Eccleſiæ Romanæ, & ad fidelitatem & ſervitium ejus. Et omni ſecundo Anno in feſto Sancti Pancratii Domno Papæ unum Aſturem, & unum Cereum unius Libræ ceræ Plebi Xiſtini de Maſſa, nomine Cenſus vel Penſionis ſolvere promitto. Et hoc ideo dictum eſt in ſecundo anno ſolvere penſionem prædictam, quia frater meus Raynerius de parte ſua debet tantumdem ſolvere, ſicut continetur in publico Inſtrumento facto per manum Magiſtri Stephani Notarii. Quam donationem, oblationem, conceſſionem, & traditionem per me meoſque liberos & heredes in perpetuum firmam tenere, & contra non venire, ſed ab omni perſona legitime defendere & auctorizare cum meis expenſis tibi Domno Legato, tuiſque ſucceſſoribus nomine Eccleſiæ Romanæ promitto & obligo ſub pœna Mille Marcharum argenti puri & optimi, ſolemni ſtipulatione interpoſita, & pœná ſoluta, hæc omnia prædicta ſint in perpetuum firma & rata. Prædictus Dominus Hugutio hanc paginam verbum dedit ſcribendi.

Hoc actum ad Plebem Xiſtini de Maſſa in præſentia talium teſtium, ſcilicet Archipresbyteri Plebis Siſtini Rainerii, Domni Giliberii nepotis Domni Legati, Bonzii de Valle Vatula, Deuſſalve de Cornano, Deuſſalvi de Plano, Guidonis de Canino.

Ego Johannes, ſacri Palatii Lateranenſis, & Communis Maſſæ Notarius, his prædictis interfui, ſcripſi, complevi, & in publicam formam redegi, & ſignum meum poſui.

A Civitatis quoque *Anſedoniæ* nomen in antiquorum monumentis occurrit, e cujus ruinis Oppidum Orbitelli in ora maris Tyrrheni ſurrexiſſe creditur. De illa mentionem habet Berettus in nuper laudatis Prolegomenis pag. 207. Evulgavit etiam Ughellius Tom. primo Ital. Sacræ in Epiſcop. Oſtienſibus, ac deinde Margarinus in Bullar. Caſinenſ. Tomo 2. Conſtitution. 25. Diploma Leonis III Papæ, & Caroli Magni Imperatoris, per quod ambo *integram eamdem Civitatem, quæ ab omnibus vocatur Anſidonia*, donant *Monaſterio S. Anaſtaſii, quod eſt poſitum ad Aquam Salviam*. Verùm Diploma
B illud omnino ſuppoſititium mihi videtur. Ignota eſt omnibus antiquis Hiſtoricis victoria Caroli eo in loco, ut ibi ſcribitur, non ſine ingenti miraculo reportata. Ab eorum temporum ritu abhorret, tum Papam, tum Imperatorem conjunctâ auctoritate ejuſmodi dona feciſſe. Ad hæc Carolus appellatur *magnificus & præſens Rex*: tum ſe ſubſcribit hiſce verbis: *Ego Carolus Imperator Auguſtus*, quemadmodum etiam ſubſcribit *Hugo Dux Luxovienſis* vel *Lugdunenſis*: quæ ævo illo inaudita ſunt, uti & pœna inobedientibus indicta, perſolvenda *Romano Imperio*. Neque Annum ſecundùm Epocham
C Dionyſianam apponere tunc in uſu fuit, ut alia omittam. Quamobrem donationem quidem præfracte non negarim (Civitas quippe illa extitiſſe olim potuit) ſed pertinaciter inſiſtendum non eſt documento illi ſaltem dubio, quamquam Turrigius quoque Part. 2. de Crypt. Vatican. illius fragmenta retulerit, ſcripta, ut is ait, in pariete ſub porticu Monaſterii ejuſdem Romæ poſiti. Nam quamvis donationis hujus memoria occurrat etiam in Alexandri IV. Bulla, ab eodem Ughellio editâ, atque altera ſit mihi, nondum evulgata, Gregorii VIII. Papæ, in qua ſacro eidem loco confirmatur *Ci-*
D *vitas Anſedonia*: attamen quum ſubſequentes Bullæ innitantur fundamento incerto Bullæ Leonis III. prælaudati, quid certi ex hiſce fluat, non video. Conſule etiam Malavoltum in Hiſtor. Senenſ. Lib. 2. Nam ſi ei hac in re fides habenda, Carolus Magnus donavit *la Terra di Anſidonia* Ædi ſacræ Sancti Anaſtaſii non longe ab eo loco poſitæ, qua Anno DCCCCXXXV. a Saracenis vaſtatâ, Alexander III. poſt duo Sæcula ejuſdem fundos & jura in Monaſterium Romanum Sancti Anaſtaſii *delle tre Fontane* tranſtulit. Vide tamdem Chronicon Monaſterii Vulturnenſis in
E Samnio poſiti, quod evulgavi Part. 2. Tomi prim. Rer. Italicar. Ibi pag. 343. Figura VI. fragmentum chorographicum viſitur, in quo fluvius exhibetur, penes quem jacet *Monaſterium Sancti Petri*. Ex altera parte *Urbs Anſedona*. Tum *Urbs Fidea*. Si certò nobis innoteſceret, de quonam Cœnobio agatur illic, ſitum fortaſſe Civitatis *Anſedonæ* certius teneremus. At pag. 353. ejuſdem Chronici Deſiderius Langobardorum Rex ſuo Diplomate (quod tamen ſpurium nemo non videat) teſtatur, ſe ædificaſſe *Monaſterium beati Petri Apoſtoli*

ſtoli in Valle Tritenſe , cui in dotem tribuit , *quidquid per Alpes & Colles* , *quæ habentur inter Tritenſem & Pinnenſem* , *& intra Forcunenſem Comitatum* &c. atque illud donat Vulturnenſi Cœnobio. Suppoſiticium, inquam, eſt illud Diploma; antiqua tamen fictio . Et ſiquidem ad hocce Monaſterium ſpectet fragmentum illud Chorographicum, ubi mentio facta eſt Civitatis *Anſedonæ,* olim fuerit illa non in Etruria, neque in agro Senenſi , ſed quidem in Veſtinis, ſive in Aprutio ulteriore , atque adeo in Regno Neapolitano . Falco Beneventanus ad A Annum MCXXXIII. auctor eſt , Rogerium Regem ſuæ ſubdidiſſe poteſtati poſt Materam *Civitatem aliam nomine Anſam* . In eodem Chronico memoratum videas pag. 355. alterum *Monaſterium beati Petri Apoſtoli* , *ſitum juxta fluvium Sabbati* , *territorio Beneventano*. Ne hoc quidem in Tuſcia poſitum, ubi tamen *Anſedona* a recentioribus ſita fuiſſe creditur . Conſiſto : immenſam namque navigationem ſuſciperet , qui Italiæ Urbes exciſas aut depreſſas ſigillatim recenſere in animum induceret .

DE
LEGIBUS
ITALICORUM,
ET
STATUTORUM ORIGINE.

DISSERTATIO
VIGESIMASECUNDA.

DISSERTATIO VIGESIMASECUNDA.

Quod eſt ad *Leges*, quibus poſt barbaros invectos uſa fuit Italia, ſatis mihi videbar eloquutus in Præfatione ad Leges Langobardicas Part. II. Tomi I. Rer. Italicarum. Attamen quum Medii, ut ajunt, Ævi Eruditionem univerſam, etſi ornare pro merito nequeo, delineare tamen aliqua ex parte, & præſenti Opere complecti ſtatuerim: propterea de *Legibus* eâ tempeſtate adhibitis aliquid adhuc ſum commentaturus. *Romanorum Legem* ubique vigentem invenere Gothi, quum primùm ſub Theoderico Rege Italiâ potiti ſunt, nihilque earum auctoritati detractum voluere, immo ſeſe iis ipſimet ſubdidere atque attemperarunt. Sublatis Gothis per Juſtinianum I. Auguſtum, ipſoque etiam vitâ functo, ſucceſſere in hujus Regni dominatione Langobardi, tum Franci. Ex quo igitur in Italiam effuſa eſt Langobardorum gens, ea tum odio in Romanorum Imperatores Conſtantinopoli degentes, ſuoſque fere perpetuos hoſtes, tum amore peculiarium ſuorum rituum & conſuetudinum, ſatius duxit novas Leges, quas *Langobardicas* appellamus, condere ſeu ſcribere, quàm ad Romanas ſeſe accommodare, veniâ tamen factâ antiquis Italiæ incolis regendi res ſuas ad Romanarum normam. Præterea Franci, ſuis & ipſi Legibus aſſueti, hoc eſt *Salicis*, has in Italiam intulere, atque in uſu pro ſuis moribus ac negotiis retinuerunt. Ad hæc quum Carolo Magno Francorum Regi gentes aliæ ſubeſſent in Germania, aliis addictæ Legibus, & ex iis in Italiam multi confluerent, atque heic lares figerent, præcipue *Ribuarii*, *Alamanni*, & *Bajuvarii*: impetrarunt & iſti, ut ſecundùm proprias Leges liceret eis vivere, & contractus conficere. Quamobrem ſex diverſæ Leges tunc in Italia numerabantur, e quibus unam tantùm profitebantur homines, ſcilicet fere ſemper ſuæ gentis propriam. Hiſce acceſſerunt *Capitularia* non pauca Caroli Magni, ejuſque filii Ludovici, ac Nepotum Auguſtorum, quæ commixta nunc habemus cum Legibus Langobardicis; olim verò addita quidem, ſed ſejuncta ab iis legebantur. Quippe non Langobardicam tantummodo gentem, ſed & reliquum Populum Italici Regni eadem obligabant. Denique poſt Carolini generis Auguſtos, Guido Imperator, ac deinde Otto Magnus, & aliquot Germanici Imperatores, Leges paucas adjecere Capitularibus iis, ipſas quoque univerſæ Italicæ genti impoſitas atque obſervandas. Antiqui Codices MSti, ac præſertim Mutinenſes, quibus ego ſum uſus, Salicam, Langobardicam, Alamannicam, Bavaricam, Ribuariam, atque ipſam Romanam, contractam tamen ac breviatam, diſtincto ordine complectebantur: atque in iis periti eſſent eorum temporum Judices ac Juriſconſulti oportebat, ut pro diverſa litigantium Lege cauſſas agitarent atque dirimerent. In ſupra memorata Præfatione ad Langobardicas Leges verſus attuli ex eodem Codice Mutinenſis Cathedralis deſcriptos, quorum primum repeto:

Hunc Heros Librum Legum conſcribere fecit
Evrardus prudens . - - - - - - - - - - - - - - -

A Conjectabam ego, *Evrardum* illum *Heroëm*, ideſt Principem, quo curante collectæ fuerant Veterum Leges in Italia olim uſurpatæ, fuiſſe *Everardum*, ſeu *Eberhardum Forojulienſem Ducem* ſeu *Marchionem*, Berengarii poſtea Regis ac Imperatoris patrem, & Giſlæ Ludovici Pii Auguſti filiæ maritum. Nunc eamdem conjecturam novo adminiculo confirmatum eo. Poſtremas ejuſdem Everardi Comitis atque Ducis tabulas evulgavit Aubertus Miræus in Codic. Donation. piar. Cap. 15. non Anno Chr. DCCCXXXVII. ut ille opinatus eſt, ſed Anno DCCCLXVII. ubi Princeps ille inter cetera inquit: *Volumus, ut Unroch* (primogenitus ejus filius) B *habeat Librum de Lege Francorum, & Ripuariorum, & Langobardorum, & Alamannorum, & Bavariorum*. En quanti faceret ille Librum hunc, & quàm non immeritò ei tribuiſſe mihi licuerit earumdem Legum collectionem in Mutinenſi Codice memoratam.

Dixi, Everardum, qui Berengarii Auguſti pater fuit, & Ciſonienſis Monaſterii fundator, *Forojulienſem* quoque *Ducem* ſive *Marchionem* fuiſſe, tum gravibus conjecturis adductus, quas Valeſius in Notis ad Panegyric. Berengarii, & Amicus doctiſſimus Berettus in Diſſert. Chorographica, Tomo X. Rer. Italicar. pag. 68. attulerunt, tum etiam apertiſſimis aliis documen- C tis innixus; non vero iis, quæ Annaliſta Metenſis habet apud Du Cheſnium ad Annum Chriſti DCCCLXXXVIII. nempe: *Quædam pars Italici Populi Berengarium filium Everhardi, qui Ducatum Forojulianum tenebat, Regem ſibi ſtatuunt*: hæc enim indicant quidem, Berengarium Ducatui Forojuliano præfuiſſe, non verò illius patrem. Attamen habemus a Frodoardo Lib. 4. Hiſtor. Remenſ. *Everardum* hunc ipſum, *Marchionem* fuiſſe. Immo hos de illo Rhythmos adfert Dacherius Tomo 2. pag. 878. Spicilegii noviſſimæ editionis:

Regibus immenſis Evrardus Ciſonienſis
D *Creditur æqualis, ut ait Liber Hiſtorialis:*
Qui de Nobilium deſcendens ſtirpe Virorum,
Dicitur Italiæ quondam tenuiſſe Ducatum.

Habemus Everardum *Marchionem* ac *Ducem in Italia*. *Comes* etiam in ejus Teſtamento, aliiſque in monumentis appellatur. Præterea Frodoardus idem Lib. 3. Cap. 26. Hiſtor. Remenſ. Eccleſiæ, Epiſtolas Hincmari recenſens, ait, ipſum ſcripſiſſe *Viro illuſtriſſimo Eberardo ex Principibus Lotharii*. Non alium heic deſignari puto, quàm Berengarii patrem, Principem in Italia, ubi Lotharius Auguſtus degebat. Atqui exploratum habemus, Everardum ipſum in Italia per annos complures habitaſſe, ipſum- E que ejus Teſtamentum conditum fuit Anno Ch. DCCCLXVII. *in Comitatu Tarviſiano in Corte noſtra Muſieſtro*, hoc eſt in Urbe Ducatus Forojulienſis, ubi & vivere deſiit. Accedit quod ante Annum DCCCXLVIII. Gotheſcalcus famoſus Monachus ob controverſias de Prædeſtinatione Româ in Gallias revertens, apud Eberardum ipſum diverſatus, doctrinam ſuam in Venetiæ Civitatibus diſſeminare cœpit. Quamobrem eâ de re certior factus Rabanus Moguntinus

tum Archiepiſcopus a Notingo, non Veronenſi Epiſcopo, ſed Brixienſi, literas & Opuſculum ad ipſum Notingum miſit, edita ab Ughellio Tomo 4. Ital. Sacr. in Epiſcopis Cluſinis. Literas etiam dedit ad *Heberardum Comitem* in Italia habitantem, ſignificans, vulgatum fuiſſe Moguntiæ, *quemdam ſciolum, nomine Gotheſcalcum apud vos manere, qui dogmatizet* &c. In quopiam autem Codice, quem Ughellius ad manum habuit, poſt Opuſculum nuper memoratum, ſubſequitur inſcriptio hæc: *Item Epiſtola Rabani Archiepiſcopi ad Heberardum Ducem.* Quare quamquam *Comes* a Rabano appelletur *Everardus*, quo etiam nomine in Teſtamento ipſius donatur: diſcimus tamen, ipſum apud veteres nomen etiam tuliſſe *Ducis*. Scilicet qui olim *Duces*, & *Marchiones* fuere, iidem etiam fuere *Comites*, & Sæculo præcipue Nono vix aliâ quàm *Comitis* appellatione compellabantur. Ad hæc Albericus trium Fontium Monachus ad Annum DCCCLIV. illa tradit: *Hoc Anno Comes Everhardus cognomento Radulfus, Dux Forojulii a Lothario conſtitutus, Corpus Calliſti Papæ ab Epiſcopo Brixiæ Notingo* (en cujus Urbis tunc Epiſcopus ille foret) *impetravit, & in prædio ſuo apud Tizonium* (ſcribe *Ciſonium*) *Tornacenſis Diœceſis attulit*. Satis hæc futura forent ad perſuadendum nobis, *Eberhardum* Ducatui ſeu Marchæ Forojulienſi uſque ad Annum DCCCLXVII. præfuiſſe. Verùm teſtem locupletiſſimum proferre juvat ejuſdem veritatis, immo & alterius. Nam tum non *Eberhardo* tantùm, ſed & *Hunroco* illius primogenito Marcham eamdem a Ludovico II. Auguſto traditam fuiſſe regendam. Lucem hanc debemus Clariſs. viro Johanni Burchardo Menkenio, potentiſſimi Poloniæ Regis & Electoris Saxonici Conſiliario, qui Tomo primo Veter. Scriptor. Rer. Germanicar. pag. 90. breve Chronicon evulgavit *Andreæ Presbyteri* Itali, quod in Tom. I. hujus Operis Diſſert. I. a me recuſum habes. Hic autem, ipſo Ludovico II. imperante florebat. En ejus verba: *Multam fatigationem Langobardi & oppreſſionem a Sclavorum gente ſuſtinuerunt, uſque dum Imperator* (hoc eſt Lotharius I. aut Ludovicus II. ejus filius) *Forojulianorum Eberhardum Principem conſtituit. Quo defuncto Unroch filius ejus in Principatum ſucceſſit*. Itaque uſque ad Annum DCCCLXVII. Forojulii Marchio & Dux fuerit *Eberhardus*: deinde *Hunrocus* ejus filius natu major; illo autem e vivis ſublato, ***Berengarius*** filius natu minor, qui tamdem Italiæ Rex, & Imperator Romanorum fuit. Ac propterea vides, quam meritò cenſuerim, ad hunc ipſum Eberhardum referendam eſſe Collectionem Legum in Mutinenſi Codice comprehenſam, qua ſcilicet Populi in civili commercio & in foro uterentur.

Ritus autem conficiendi ac promulgandi Leges, non is olim fuit ac noſtris temporibus apud nonnullos Regum ac Principum ſervatus. Tunc enim Leges perpetuo duraturæ, ac univerſo Regno imponendæ, non ab uno arbitrio ac providentia Principis, ejuſque Conſiſtorii manebant; ſed opus erat, ut iis accederet *Conſilium* & *Conſenſus* Ordinum ſive Primatum Regni. Singulis ergo annis conſueverunt Italiæ Reges generalia Regni Comitia habere, plerumque Ticini, & plerumque recurrentibus Kalendis Martiis. Eò hac de cauſſa confluebant præter Palatinos, etiam Proceres Regni, hoc eſt *Duces*, & *Judices*, qui *Comites* ſub Francis poſtea ſunt nuncupati, ſive Præſides Urbium, & militiæ Præfecti. ***Epiſcopi*** quoque, præſertim ſub Francis & Germanis, coibant illuc, quod & ipſi primas in Populo tenerent, & Regalibus non paucis procedente tempore fruerentur. In iis Comitiis, non ſecus atque in ſacris Epiſcoporum Conciliis, novæ Leges edendæ proponebantur, expendebantur. Neque antea illas promulgare mos fuit, quàm eas probaſſet Procerum cœtus, in quo univerſi Regni, ut ita dicam, mens & voluntas concluſa videbatur. Hunc honorem Populo ſuo habebant Reges ii, quos nunc barbaros tanta facilitate appellamus, & ego in primis. Jam habet Lector Præfationes Legum Langobardicarum a me evulgatas in Libro ſupra memorato: eas mecum percurrat. In calce ſui Edicti Rotharis Rex hæc ſcribit: *Leges patrum noſtrorum, quæ ſcriptæ non erant, literis tradidimus, pariterque earum Conſilio, parique Conſenſu Primatum, Judicum, cunctique feliciſſimi Exercitus noſtri, augentes conſtituimus*. Grimoaldus Rex in Prologo ſuarum Legum & ipſe fatetur, ſe eas ſanxiſſe *per ſuggeſtionem Judicum, omniumque Conſenſum*. Neque aliam rationem tenuit Liutprandus Rex, qui Lib. prim. ait, ea ſibi *placuiſſe una cum omnibus Judicibus de Auſtriæ & Neuſtriæ partibus, & de Tuſciæ finibus, cum reliquis fidelibus meis Langobardis, & cuncto Populo aſſiſtente*. Eadem ipſe repetit in aliis Præfationibus ad Libros ſuarum Legum. Idem quoque a Ratchiſio Rege præſtitum animadvertes. Sed & Aiſtulphus Rex teſtatur, ſe *convocatis ex diverſis partibus Regni noſtri Judicibus, communi Conſilio* novas Leges *in Edicti paginam affigi ſtatuiſſe*. Quas etiam Carolus Magnus Italico Regno obſervandas propoſuit, ipſe non aliter ſanxit, quàm *congregatis in unum Epiſcopis, Abbatibus, Viris Illuſtribus*, uti ex ejus Præfatione didicimus. Patrem pariter imitatus eſt Pippinus Italiæ Rex, qui ſuas Leges ſtatuit, *quum adeſſent nobiſcum ſinguli Epiſcopi, Abbates & Comites, ſeu reliqui Fideles noſtri Franci & Langobardi*. Exciderunt Præfationes Legum Ludovici Pii, Lotharii I. Ludovici II. & Guidonis Imperatorum, e quibus nullus dubito, quin paria hauſuri eſſemus, ſi incolumes ad noſtra uſque tempora evaſiſſent. Pauca etiam, quæ Otto II. Auguſtus decrevit, in Comitiis Veronenſibus ſtabilita ſunt Anno DCCCCLXXXIII. *omnibus Italiæ Proceribus convenientibus & conſentientibus*. Neque alibi quàm in Comitiis Regni Henricus I. Imperator Leges ſuas ab omnibus Proceribus *atteſtatione laudatis* confirmatas emiſit. Ita dum *Turegi in univerſali Conventu Langobardorum* Henricus II. Auguſtus ſederet, ait, ſe Legem ſanxiſſe *Epiſcoporum, Marchionum, Comitum, aliorumque multorum noſtrorum Fidelium Conſenſu & Auctoritate probatam*. Præterea vide Præfationem Lotharii II. Auguſti ad Legem a ſe editam in Comitiis Roncalienſibus, uti & Radevicum Lib. 2. Cap. 7. referentem Leges, Roncaliæ itidem promulgatas a Friderico I. Imperatore, accedente ſemper Italicorum Procerum Conſilio & voto. Neque aliam conſuetudinem in ferendis novis Legibus fuiſſe Francorum, Alamannorum, aliarumque gentium Regibus, tum veterum monumenta, tum Schilterus, aliique Juris publici Germanici Scriptores, multis oſtendunt. En ergo quid olim Imperatores ac Reges præſtarent, quum indicenda Populo nova quæpiam Lex erat. Nam quod eſt ad Cæſarum noſtri temporis in

hiſce

hiſce poteſtatem ac limites, complures eruditorum Libros, in Germania ſcriptos, conſulere Lectoris erit, plura ediſcere cupientis.

Quot ergo Legibus pro diverſitate gentis uti ſinerentur incolæ Italici Regni, facultate eis facta a Regibus & Auguſtis, jam vidimus. Quamobrem unuſquiſque ſecundùm ſuæ Legis præſcripta hereditates & ſucceſſiones adibat, contractus conficiebat, ſe ſe ac ſua defendebat, ſacramenta præſtabat; multas verò ſecundùm Legem illius, cui inlata fuiſſet injuria, perſolvebat. Audi Pippinum Regem Italiæ in Lege IX. *Si latrocinia vel furta, aut præda inventa fuerint, emendentur, juxta ut ejus Lex eſt, cui malum ipſum perpetratum fuerit.* Rurſus idem in Lege 45. *Sicut conſuetudo noſtra eſt, Romanus vel Langobardus ſi evenerit quod cauſſam inter ſe habeant, obſervamus, ut Romanus*
A *Populus ſucceſſionem eorum juxta ſuam Legem habeat. Similiter & omnes ſcriptiones juxta Legem ſuam faciant. Et quando jurant, juxta Legem ſuam jurent. Et alii homines ad alios ſimiliter. Et quando componunt, juxta Legem ipſius, cui malum fecerint, componant. Et Langobardus illi ſimiliter convenit componere.* Tunc autem morem fuiſſe, ut omnia fere crimina componerentur, jam ſupra in Diſſert. XIX. *de Tributis* palam feci. Partim læſis, partim Fiſco pecuniaria illa pœna, in Legibus ipſis ſtatuta, perſolvebatur: qua ratione evadebant & ipſi homicidæ: neque enim capitale plerumque fuit, hominem occidere. Non in-
B gratum, reor, Lectori erit exemplum rei accipere, quod mihi ſuppeditavit inſigne Tabularium Monaſterii Ambroſiani Mediolanenſis.

Charta compoſitionis coram Petro Abbate Monaſterii Mediolanenſis Sancti Ambroſii, in qua Magnifredus de Alebio, pro pœna Aldii, ad idem Monaſterium ſpectantis, a ſe occiſi, domum, terras & res mobiles dimittit ſupradicto Cœnobio, Anno 870.

C *NOtitia qualiter ſe conjunxerunt Leo Preſbiter & Monachus Monaſterii Sancti Ambroſii, necnon & Magnefredus de Alebio finibus Valtellina, pertinens ipſius Monaſterii, preſentia* Petri *venerabilis* Abbatis *eidem Monaſterio Sancti Ambroſii, & Ambroſii, & item Ambroſii, Judices Civitate Mediolano: adeſſent cum eis Leo Argentario filio Graſemberti de Treburtio, Oldebertus de Lamponiano, Odelfredus filius quondam Iſelprandi de Concoretio, Achinaldus Notarius, Bonus de Pariani, Rodebertus & Aupertus Vaſſalli Sancti Anbroſii, Aribertus Clericus de Sorebate & reliqui. Dicebat ipſe Leo Presbiter & Monachus da parte ſupraſcripti Monaſterii contra*
D *predicto Magnefredus*, eo quod ipſe Magnefredus in peccatis veniſſet ſuper quondam Meleſone, qui fuit Aldius ipſius Monaſterii de ſupraſcripto Vico Alebio, & ſic eum occidiſſet, unde a parte ipſius Monaſterii juſtitia facere deberet. *Sed ipſe Magnefredus ſtatim concredens, ſe profeſſus dixit & manifeſtavit:* Hoc veritas eſt; vetare non quero nec poſſum, quia in peccatis dum me cum ipſo Meleſone Aldione ipſius Monaſterii comiſi, ſic eum ferivi, unde ipſe Meleſus mortuus fuit. Sed minime tantùm habeo de mobilibus, unde ipſa conpoſitio dare aut perſolvere poſſum. Sed habeo in aliquantulum de Caſellula & terrula mea. Peto, ut eam in quantum eſt pro ipſa
E conpoſitione a parte iſtius Monaſterii recipere & habere debeatis. Sed in quantum minus eſt valente de ipſa compoſitione, dum uſque habeo, recipere debeatis de mobilia mea, in quo habeo, uſque ad ipſa compoſitione implendum. *Sicuti preſenti ipſe Magnefredus per fuſte de manu tradavit in manu ſupraſcripto Leoni Preſbytero & Monachis a parte ipſius Monaſterii preſenti pro ipſa compoſitione habendum ſupraſcripta Caſellas & ceteras edificias & terrula vel res ſuas in tantum quantum ipſa eſſe debet compoſitione pro morte ſupraſcripti quondam Melenſoni Aldius ipſius Monaſterii, quam dicebat occiſiſſet, eâ ratione ut accedant ſuper ipſas Caſellas & res quas pro ipſa compoſitione dederant ad eſtimandum & habendum exinde a parte ſupraſcripti Monaſterii preſenti die in tantum, quantum ipſa compoſitione Legibus eſſe debent, & in quantum ipſa res minus valuerit quàm ipſa compoſitione adimplere mobilibus ſuis, in quo habuerit.*

Hoc actum eſt ad ipſum Monaſterium Sancti Ambroſii, Anno Imperii Domni Hludowici Imperatoris Vigeſimo Primo, Menſe Novembrium, Indictione Quarta.

Ambroſius Notarius ibi fui.
Ambroſius Notarius interſui.
Bonus interfui.
Odelfredus interfui.
Ego Aribertus Clericus interfui.
Ego Odelbertus interfui.
✠ ✠ *Signum manibus ſupraſcriptorum Rodeberti & Auperti interfuerunt.*
Ego Raehibertus Notarius hunc breve ſcripſi & interfui.

Legem Nonam ſupra allatam Pippinus Rex hiſce verbis concludit: *De ceteris verò cauſſis communi Lege vivamus, quam Domnus Karolus excellentiſſimus Rex Francorum atque Langobardorum in Edicto adjunxit.* En ut *Capitularia* a Carolo Magno addita Legi Langobardicæ, non Langobardos modò, ſed & Romanos, ideſt Romanæ Legis ſectatores, Francos quoque, ceteroſque Regni Italici habitatores conſtringebant. Cur tamen *Langobardi* tantum & *Romani*, (ideſt Italici reliqui, non e Langobardorum ſemine procreati, ſed ab antiquis Italiæ incolis profecti) a Pippino memorentur, ſi quis petat, reſpondeo, fortaſſis in cauſſa fuiſſe, quod præcipua gens Italici Regni adhuc ex duobus illis Populis conſtaret. Verùm & ſub Pippino Italiæ Rege *Franci*, *Bajuvarii*, ac *Ripuarii*, ſtabilem apud Italos habitationem ſibi conquiſierant, atque heic ſtipendia merebant, uti & exteræ aliæ gentes, quæ Italicum cœlum patrio præferentes, ſtirpem ſuam heic propagarunt, iiſque tunc datum eſt, ut ſuæ gentis Lege & ipſi uterentur. Luculentum teſtem heic habeo Pippinum ipſum Regem, qui in Lege 23. inter Langobardicas ſtatuit: *De diverſis generationibus hominum, quæ in Italia commanent, volumus, ut ubicumque culpa contigerit, unde fayda creſcere poterit, pro ſatisfactione hominis illius, contra*

quam elegerint, ſecundum Legem ipſius, vel emendatione vel compoſitione, emendent. Ad hæc inter Capitularia ipſius Pippini Italiæ Regis, edita a Baluzio Tomo I. Capitular. pag. 542. quæ tamen inter Langobardicas Leges non reperiuntur, & perperam forſan referenda ſunt ad Carolum Magnum, hoc in primis commemorandum eſt. *Reſolvere debent ipſi Miſſi, quomodo Domno Regi dictum eſt, quod multi ſe reclamaverint, Legem non habere conſervatam. Et quia omnino voluntas Domni Regis eſt, ut unuſquiſque homo ſuam Legem pleniter habeat conſervatam; & ſi aliquid contra Legem factum eſt, non eſt voluntas ſua nec juſſio.* Quam ſollicitus eſſet Carolus Rex de privilegiis ſeu pactis Italico Populo nuper conquiſito ſervandis, hinc habes. In Regno etenim Francorum plures erant Leges proditæ a Regibus, & quibuſdam gentibus peculiares, & ab iis paſſim uſurpatæ. Ut ergo pateret, quam quiſque Legem intra hujuſmodi ſequeretur, in contractibus, judiciis, aliiſque actibus adhibendam; & ne cui liceret mutatione Legis alios eludere ſive in negotiis & ſtipulationibus, ſive in litibus: unicuique opus erat ſuam profiteri Legem, ſecundùm quam regendus in poſterum foret. Nondum certior factus ſum, an quiſquam in Italia, Langobardis regnantibus, Legis ſuæ mentionem in contractibus fecerit, quum Langobardi ſuâ, Itali indigenæ Romanâ uterentur. Nullum profecto hujus rei veſtigium in Chartis eorum temporum hactenus oſtendi, niſi quod Clariſs. Mabillonius in Appendice ad Tom. 2. Annal. Benedictinor. num. 24. ex apographo tabulas refert, quibus *Manigundis veſte Monialium induta, quæ viſa ſum vivere Lege Langobardorum*, Cairatenſe Monaſterium fundat, & patrimonio donat in *Comitatu Seprienſi*, nunc in agro Mediolanenſi, ut in præcedenti Diſſertatione vidimus. Sed mihi ſuſpecta eſt illius Chartæ fides ex hoc ipſo, quod Legem ſuam profiteatur: id enim vereor, ut in uſu tunc foret. Præterea Charta illa ſcripta dicitur *Regnante Domno noſtro Liutprando & Hildeprando noſtris excellentiſſimis Regibus, Anno eorum Vigeſimo Tertio, Menſe Julii, Indictione Quinta*. Hæc erroribus ſcatent. Non iidem fuere anni Regni Liutprando atque Hildeprando. *Et ab Anno XXIII. Liutprandi* abhorret *Indictio Quinta*. Vide ſupra in Diſſertatione XIV. *de Servis*. Ad hæc Manigundis donat eidem Monaſterio quæcumque *infra ipſum Regnum Italicum habere viſa ſum*. Verùm ſub Regibus Langobardis audita numquam fuit *Regni Italici* mentio. Ad poſteriora Sæcula ea dicendi formula ſpectat, ut exempla oſtendunt, quæ in Antiquitatibus evulgavi. Reliqua omitto, atque ad Francos Italiâ potitos deſcendo.

Nulla dubitatio eſt, quin ſub eis publica confeſſio Legis viguerit. Lotharius enim Primus Auguſtus Anno DCCCXXIV. Romæ Legem hanc, ibid. 37. inter Langobardicas promulgavit: *Volumus, ut cunctus Populus Romanus interrogetur, quali Lege vult vivere, ut tali, quali profeſſi fuerint vivere velle, vivant. Quod ſi offenſionem contra eamdem Legem fecerint, eidem Legi, quam profitentur, ſubjacebunt.* Quantâ verò diligentiâ hæc Legis profeſſio eodem ipſo Lotharii I Sæculo præſtaretur, non ſatis mihi conſtat. Nam in tabulis illius ævi fere numquam occurrit mentio Legis, quam homines in contractibus ſequerentur. Opinor ergo huic debito factum fuiſſe ſatis profeſſione dumtaxat *Nationis*, quæ revera exprimi conſuevit ipſo etiam Sæculo ab iis, qui in Langobardia, ſed minime Langobardi origine, verſabantur. Nam qui ſeſe inſcribebat *ex genere Francorum*, aut *ex genere Alamannorum*, is etiam Legem ſuæ gentis ſe profiteri ſignificabat. In plurimis autem Chartis ejus ævi mentionem factam Nationis invenias. Exemplum accipe ex pergamena authentica Archiepiſcopii Lucenſis ſcripta Anno DCCCLV. his verbis: *Regnante Domno noſtro Hlotherio Imperator Auguſto, Anno Imperii ejus poſtquam in Italia ingreſſus eſt, Trigeſimo Tertio, & filio ejus Domno noſtro Hludowico idemque Imperator Anno Sexto, X. Kalendas Octubris, Indictione IV. Manifeſtu ſum ego Balderiche, homo Franciſcho, filio bone memorie Aderichi, quia convenit mihi una tecum Hieremias, gratia Dei hujus ſancte Lucane Eccleſie humilis Epiſcopus, ut inter nos de aliquantula rerum viganeum facere deberemus* &c. Permutationem faciunt, & ad viſitanda prædia miſſi ſunt quidam *da parte Adalberti Comis*, ideſt *Comitis*. Eam quoque in rem non incongruum puto edere Chartam, quam archetypam olim vidi in Tabulario Reipublicæ Cremonenſis. *Ingelberga*, ſeu *Ingelberga*, & *Angilberga* Imperatrix inſigne Monaſterium Sancti Sixti Placentiæ erexerat, uti toties monui, atque incolendum ſacris Virginibus tradiderat, quod poſtea Anno MCXII. Mathildâ Comitiſsâ urgente, in Monachorum ditionem ac habitationem ceſſit. Multa Cœnobio huic Angilberga largita fuerat, plura etiam a Ludovico II. Auguſto viro ſuo ad illud in dies magnificentius ditandum impetrarat, atque inter cetera Curtem de *Wardeſtalla* celebrem, quæ nunc *Guaſtalla* appellatur, titulumque Ducis ſuo Principi defert. Hanc poſtea Parthenoni eidem dono dedit, uti conſtat ex Hiſtor. Eccleſ. Placentin. Campii. Itaque Anno DCCCLXIV. vel DCCCLXV. miſſus eſt ab Imperatore *Gualbertus Epiſcopus Mutinenſis* Wardeſtallam, ut Petrum quemdam, Mandatarium, ut ajunt, ipſius Auguſtæ in realem poſſeſſionem induceret Curtis illius: quo officio is impigre functus eſt coram multis teſtibus, quorum Nationem conſignatam quoque intueare.

Wal-

Walpertus Epiſcopus Mutinenſis, Miſſus Ludovici II. Auguſti Engelbergam Imperatricem in poſſeſſionem immittit Curtis Guardiſtallæ, Anno 864. vel 865.

IN *nomine Domini. Imperante Dominus noſtro Hlodohwicus magnus Imperator Anno Quintodecimo, die de Menſe Novembris, Indictione Terciadecima, feliciter. Breve recordationis, qualiter* Walpertus Motinenſe Eccleſie Epiſcopus, *& Miſſus Domni Imperatoris veniens* Wardeſtalla, *habens exemplar Precepti Domni Imperatoris, quem ob multimode dilectionis* Auguſte Inghelbergæ, *jure proprietario Domno Imperator predicta Cortem cum Capella & dote ſua, cum omnibus ſervis & ancillis, ac dominius, agris, vineis, pratis, paſcuis, ſilvis, aquis, aquarumque decurſibus, cunctiſque in integrum ab eandem Curtem aſpicientibus, ſeo omnibus muvilibus & inmovilibus juxte & legaliter ab eandem pertinentibus perpetualiter habendum conceſſerat: quod exempla relectum eorum preſentia, quorum nomina ſubto leguntur, ideſt Tanchredus Capellanus & Conſiliarius Domni Imperatoris, Giſelbertus, Adulfus, Deuſdedit, Ragimfredus, Ragimbertus, Adebbertus, Teudericus, Petro, Atrepaldo,* Amicho ex genere Franchorum, Teuperto ex genere Francorum, Fulcherius ex genere Alamanorum, *Joanace Presbiter, Vitale Presbiter, Auſtreverto Presbiter, Germano,* Presbiteri ex genere Francorum, *Raperto Presbiter,* Hadebald Diacono ex genere Francorum, *Ildeberto Diacono, Raperto Diacono, Urſo* Langobardo, *Urſo Presbiter,* Luvegiſo ex genere Francorum, Adreverto ex genere Francorum, *Grinebertus Notarius,* Inglericus ex genere Alamanorum. *In iſtorum omnium ſupraſcriptorum preſentia voſt relectum exemplar jam dictus* Walpertus *Epiſcopus ex juſſionem Domni Imperatoris a parte Domne Ingeberghe Auguſte, Petrum juris ejus famulum & Miniſtrum vicem ejuſdem Auguſte per columnam de domo ejuſdem Curtis jam fatum Petrum reveſtivit jure proprietario, ſicut in eamdem contenebatur exemplar.*

Actum eſt hæc in predictam Curtem Wardeſtalla *die IV. Kalendas December, feliciter.*

✠ *Ego* Walpertus *Epiſcopus & Miſſus Domni Imperatoris poſt acta traditione ſubſcripſi.*

Ego Urſo Presbiter ſupra nominatus interfui.

Ego Johennatius Presbiter ſupra nominatus interfui.

Ego Roperto Presbiter ſupra nominatus interfuit.

Ego Germanus Presbiter ſupra nominatus interfui.

Ego Ildepertus Diaconus ſupra nominatus interfuit.

Signum manus Anteberti interfuit.

Ego Teudebertus ſupranominatus interfui.

Ego Giſeverto interfui.

Ego Ropertus ſupra nominatus interfui.

Ego Ragimfrido interfui.

Signum manus Atrapaldi qui interfui.

Signum Inglerixi qui interfuit.

Heic habes ritus eorum temporum minime diverſos a noſtris. Sed aliâ etiam de cauſſâ apud me multo in pretio eſt Charta præſens, quod nos manu ducat ad detegendum, addendumque albo Epiſcoporum Mutinenſium Præſulem, quem Gaſpar Sillingardus hujus Urbis
A Epiſcopus in *Catalogo omnium Epiſcoporum Mutinenſium* edito Mutinæ Anno MDCVI. ignoravit, neque Ughellius in Italia Sacra agnovit, utpote qui Sillingardo uni acquieſcens, ejus Librum in uſum ſuum convertit. Exhibent Scriptores iſti Privilegium a Ludovico II. Imperatore conceſſum Ernido Epiſcopo Mutinenſi *Decimo Tertio Kalendas Octobris, Anno Chriſto propitio Imperii Domini Ludovici piiſſimi Auguſti Undecimo*. Verùm in membrana ejuſdem Privilegii, adſervatâ in Tabulario Capituli Canonicorum Mutinenſium Notas Chronologicas ita ſignatas vidi: *Data Decimo Tercio Cal Octubris, Anno Chriſto propitio Imperii Domni Hlu-*
B *dowici piiſſimi Auguſti XV. Indictione XI.* Habemus heic *Annum XV.* Imperii Ludovici II. Habemus quoque annum eumdem in Charta nuper editâ: ſed heic conjunctum cum *Indictione XI.* illic cum *Indictione Tertiadecima*, ita ut mendum in alterutram ex hiſce Chartis irrepſiſſe videatur. Verùm diſcordia iſta, ſi ex diverſæ Epochæ uſu ac diverſo Indictionis exordio, ut conjicio, profecta eſt, facile tollatur. In Wardeſtallenſi Charta nunc producta, Anni Imperii Ludovici II deducti fuerint ab Anno Romanæ coronationis, hoc eſt ab Anno DCCCL. quo decurrente Menſe Novembri adhuc decurrere potuit *Indictio Tertiadecima*. Non enim,
C ut Pagius cenſet, eo Sæculo nova Indictio ubique in curſu eſſe incipiebat Menſe Septembri. Atque adeo Chartam hanc ſpectare dicemus ad Annum DCCCLXV. dum certum ſit, quod Pagius ſtatuit, eumdem Auguſtum Romæ coronam accepiſſe die ſecundâ Decembris Anni DCCCL. At Diplomatis a Sillingardo & Ughellio editi Epocha deducenda videtur ab Anno DCCCXLIX. quo Ludovicus II. a Lothario Auguſto parente ſuo conſors Imperii renuntiatus eſt ante diem XIX. Septembris: ac proinde Privilegium illud datum fuerit Anno DCCCLXIII dummodo *Indictio XI.* integrum Annum rexerit. Quare habemus, *Ernido* Epiſcopo Mu-
D tinenſi *Gualbertum* ſucceſſiſſe Anno DCCCLXIV. vel DCCCLXV. Si tabulas inſignis Archivi Canonicorum Mutinenſium Sillingardus diligentiori curâ excuſſiſſet, quod nunc deprehendimus, didiciſſet & ipſe. Scilicet ibi Charta legitur, ſcripta *Anno XXVI. Ludovici Magni Imperatoris* (& ſupra a me edita in Diſſertatione XIII. *de Hominib. Liberis*) in qua idem Walpertus ſive *Gualpertus Epiſcopus Mutinenſis* cuidam Johanni terras Eccleſiæ ſuæ ſitas in Collegaria in emphyteuſim concedit. Eſt is Annus Chriſti DCCCLXIX. ſecundùm Epocham Italici Regni. Succeſſorem habuit *Gualbertus Leodoinum*, qui a Sillingardo & Ughellio *Leodoindus* appel-
E latur, cujus etiam Chartam proferre juvat, ex eodem Canonicorum Mutinenſium Archivo depromtam, ubi ejus archetypum adſervatur. Inde etiam colligi poteſt ritus profitendi Nationem, quem jam ex præcedenti Charta didicimus. Scilicet in hac altera memoratam videas *Adelbergam Dei ancillam*, hoc eſt Monaſticâ veſte indutam, *quæ fuit conjux Anterami Comitis ex genere Francorum*. Hunc fuiſſe Comitem Mutinenſem, opinari liceat. Ejus autem Nationis ideo facta videtur mentio, ut dignoſcatur, qua Lege ejus quoque uxor uteretur.

Leu-

Leudoinus Epiſcopus Mutinenſis Adelburgæ Moniali, olim Auterami Comitis Conjugi, in emphyteuſim concedit Oratorium Sancti Deſiderii, Anno 870.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Imperante Domno noſtro Karolo magno Imperatore Auguſto a Deo coronato, Anno Imperii ejus Primo, die XII. de Menſe Junii, per Indictione Nona. Placuit adque convenit inter Domnum Leudoinus gratia Dei Mutinenſis Epiſcopus, nec non ſed etiam & inter Adelburga Dei Ancilla, qui fuit Conjux Auterami Comite ex genere Francorum, ut in Dei nomine ego qui ſupra Adelburga vel mei heredes reſedere & laborare debeamus in terra vel caſa, ſeu res ſanctæ Eccleſiæ Mutinenſis, locus, ubi dicitur inter Rivum & Fraxino, nec non & Sicla, quod eſt Oratorius Sancti Deſiderii de beneficio Herſebini, & eſt per menſura ad perticas legitimas de pedes duodecim juges undecim medium unum, omnia in integrum. Ut diximus, ipſe ſupraſcripte res, qualiter ſuperius legitur, reſedere & laborare debeamus ego qui ſupra Adelburga, quam vel mei heredes ad laborandum, colendum, caſis omnibus edificandum, vitis ponendum, paſtinandum, propaginandum & excolendum, foſſatas cavandum, roncandum, adque in ibidem edificiis faciendum. & in omnibus ſupraſcriptis rebus & caſis ſeu & Oratorio meliorentur, nam non pejorentur, uſque advenientibus continuo annis viginti & nove iſti proximis advenientibus. Et pro ipſis ſupraſcriptis rebus & caſis ſeu & Oratorio vobis dare debeamus in Miſſa Sanctæ Mariæ, quod eſt in Menſe Auguſti, Solidos quinque tantum vobis, qui ſupra Leudoini Epiſcopi, veſtriſque ſucceſſores, quam vel ad Miſſis veſtris ſine omni tarditate vel neglectum. Et in judicio patroni ſtare debeamus ad rectam juſticiam faciendum: & ſi noluerimus, per poteſtatem nobis pignorare debeatis ſine publica auctoritate. Penas vero inter nos poſuimus, ut ſi exire aut minuere aut aliqua ſuperpoſita fecerimus, vel neclectum fecerimus, tam nos ſupraſcripti quamque ſucceſſoribus aut eredibus noſtris & probatum fuerit, tunc promittimus componere unus alterius, cui culpa inventa fuerit, ideſt pena nomine in argento Solidorum viginti, & poſt pena ſoluto his Libelli convenientiæ, ſicut ſuperius legitur, in ſua permaneat firmitate. Unde duo Libelli pari tinore conſcripti ſunt.

Actio Mutine die, Regni, & Indictione ſupraſcripta feliciter.

✠ *Signo manuum Adelburge, qui hunc Libellum fieri rogavi & firmavi.*

Scripto Libelli per manum Johanni Preſbitero & Notario ſanctæ Eccleſiæ Mutinenſis, poſt tradito complevit & dedit.

Ita in pergamenâ inſignis Ambroſiani Mediolanenſis Monaſterii Archivi a me inſpectâ hæ Chronologicæ notæ præferuntur: *Hlutharius divina ordinante providentia Imperator Auguſtus Anno Imperii ejus Vigeſimo .... Domni Hludowici Regis filii ejus Anno Quarto, Menſe Martio, Indictione XI.* ideſt Anno DCCCXLVIII. Subſcribunt autem teſtes *ex genere Allamannorum*, & alii *ex genere Francorum*. Altera ejuſdem Archivi Charta viſitur ſcripta *Anno Imperii Domnorum noſtrorum Hlotharii & Hludowici filii ejus Imperatoris Trigeſimo Tertius, & Tertius, Menſe Novembrio, Indictione Prima*, hoc eſt, Anno Chriſti DCCCLII.

A ſi Indictio a Septembri initium ſumſit. Nimirum Epocham Regni Italici a Lothario adhibitam heic habes. Ludovici II. ejus filii Epocha deducenda videtur ex Anno DCCCXLIX. quo cum Lotharius pater conſortem Imperii renunciavit, ſi verum eſt, quod Pagius contendit, ejuſdem Ludovici II. coronationem Romanam ad Annum ſubſequentem DCCCL. die ſecundâ Decembris eſſe referendam. Itaque in ea Charta occurrit *Adelburga relicta quondam Adelgiſi de Selanno una cum Simpertus Scuidaſcio tutore ſuo, & filius Ballerici de genere Allamannorum*. Præceperat Lotharius I. Auguſtus, uti ſupra vidimus, *ut cunctus Populus Romanus*

B *interrogetur quali Lege vult vivere* &c. Legis hujus in Urbe ipſa promulgatæ conſectaria heic intueris. Pariter in additamentis ad Chronicon Caſaurienſe Part. II. Tom. II. Rer. Italicarum pag. 932. habetur Charta Anno DCCCLXVIII. ſcripta, cui ita ſubſcribunt teſtes: *Ego Gregorius filius Leonis de Civitate Roma, Legem vivens Romanam* &c. *Signum manus Johannis Ducis de Civitate Roma, Legem vivens Romanam* &c. *Teubaldus Legem vivens Romanam ſubſcripſi. Signum manus Landerici ex genere Romanorum*. Hi vetuſtiores, qui mihi hactenus occurrerint, diſertis verbis Legem ſuam profitentes. Subſequitur in eodem Caſau-

C rienſi Chronico altera Charta Anno DCCCLXXI. exarata, in qua *Selinandus ex genere Francorum* domos & agros vendit. Teſtes ejuſdem Nationis ſubſcribunt, aſſerentes ſe *ex genere Francorum*; ſed nulla ibi Legis mentio. Nam qui Nationem profitebatur, Legem quoque, ſi nihil aliud addebat, Nationis ejuſdem ſe obſervare fatebatur. Hunc autem uſum indicandæ *Nationis* ſeu *Franciscæ* ſeu *Allamannicæ* &c. crebrius in Sæculi X. contractibus obſervatum videas in eum, quemadmodum jam innui, finem, ut ſimul dignoſceretur, cui Legi addicti homines forent. Illuſtris Vaſſi *Allamannicæ Nationis* mentio eſt in Charta, cujus

D antiquiſſimum exemplum reperi inter rudera olim ditiſſimi Chartophylacii Monaſterii Nonantulani. Verùm notas Chronologicas accuratius deſcriptas exoptaſſem: quippe illas nimium claudicare video. Tum apud Ughellium in Epiſcop. Tarviſin. Tom. V. Ital. Sacr. tum in Catalogo Abbatum Nonantulanorum, quem in Diſſertatione LXVII. *de Modis conſecrandi* producam, Liutefredus Nonantulanus Abbas Anno DCCCLI. lectus fuiſſe traditur. Verùm nullus alius teſtis laudatur, niſi pergamena ipſa, quam ſum editurus. Itaque dum ſtatuamus, agi heic de Charta ſincera, ejuſque vitia refundenda eſſe in antiquum Librarium:

E pertinuiſſe eadem potuit ad Annum Chriſti DCCCLXI. vel DCCCLXII. Ludovico II. Auguſto imperante, ac emendanda erunt verba illa *Anno Imperii eorum XXXII*. Attamen vox *eorum* indicat, excidiſſe nomen *Lotharii*, ſive is conſors Imperii cum Ludovico patre fuerit, ſive Ludovicum filium ſocium in ea dignitate habuerit. Ita vero ſe habet Charta illa.

Dona-

Donatio Warti Vaſſi Imperialis facta Monaſterio Nonantulano agri Mutinenſis, ac ejus Abbati Liutefredo, circiter Annum 861.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Domnus Imperator Lodovicus *divina ordinante providentia Imperator Auguſtus*, Anno Imperii eorum XXXIV. *Tertiodecimo Kalendas Novembris, Indictione X. Monaſterio beatiſſimorum Apoſtolorum & Chriſti Confeſſoris Silveſtri ſito Nonantulam in territorio Motinenſe, ubi* Liutefredus Abbas *eſſe videtur. Ego in Dei nomine* Warti Vaſſus Domni Imperatoris, Legibus vivens Allamannorum, *preſens preſentibus dixi: Quiſquis in ſanctis ac venerabilibus locis ex ſuis aliquid contulerit rebus, juxta auctoris vocem centuplum accipiet, & vitam poſſidebit eternam. Ideo ego* Warti *Vaſſus Domni Imperatoris, dono & offero a die preſenti in antea ha venerabilem locum, ideſt Caſa, Curtem maſſariciam juris mei, quam habeo in loco & in fundo Madio, territorio Veronienſe, tam mea porcionem, quamque quondam Teovaldi germano meo, ut dictum eſt, tam caſas cum horto, campis, vineis, pratis & ſilvis vel omnia & in omnibus quicquid in predicto loco vel inibi circiter ea per ſingula loca, & caſaliam ad ipſa Caſa pertinet ...... & intus Civitate Verona caſa in loco ...... a Iſachio germ .. ... poſſeſſam, & defenſatam fuerint ...... ſanctum hac venerabilem locum in ſubſidium Fratrum do & offero per preſente Cartula, que ſupraſcripte terre ...... corporalem tibi Liutefredo venerabili ..... ejuſdem Monaſterii a parte Monaſterii facta eſt, & me exinde foris expuli & abſaſito ..... & Monaſterium veſtrum intromiſi perpetualiter poſſidendum. Si vero quod futurum eſſe non credo, ego ipſe, quod abſit, aut alius de heredibus ac proheredi-* A *bus meis, ſeu qualibet perſona contra hanc paginam offerſionis me venire aut eam infrangere conaverit, inferet ad partem ipſius Monaſterii, quod eſt pena auri optimi Libre decem, argenti pondera decem, & quod repeterit, vindicare non valeat, ſed preſens pagina offerſionis mee omni tempore inviolata permaneat cum ſtipulacione ſubnixa*, & bergamina cum atramentario de terra levavi; *Andrea Notarius tradidit ſcribere rogavi, in qua cubter confirmavi, teſtibuſque obtulit roborandam.*

Actum in Civitate Mantua, in Palacio ... .

Qui autem *Franci* aut *Alamanni* erant, e B ritu dignoſci ſolent, quo utuntur in donationibus atque venditionibus. Nam in ſignum traditi dominii ac poſſeſſionis, *feſtucum nodatum, waſonem terre*, vel *ramum arboris*, vel *pergamenum*, vel *calamum cum atramentario*, vel *cultellum* &c. de terra attollentes, emtori aut donatario tradebant. Plurima ſunt in Opere iſto hujus ritus exempla; attamen heic adferre decrevi nonnulla. E Chartæ Ferrarienſis peſſimè deſcriptæ exemplo hæc excerpſi: *Petrus Vaſſo & Miſſo Domni Bulgaru Comes de Comiato Cumiaclenſis apprehendit guazone de terra, & miſit in manibus Romaldelli, dicens: Ecce trado ad per inveſtituram a te per te, ad* C *permanendum in te, & in veſtris heredibus & proheredibus in perpetuum* &c. Annus heic deſideratur. Berengario I. Italiæ Regi inter paucos carus fuit *Anſelmus Urbis Veronenſis Comes*, uti ex ſequenti Diplomate patebit, cujus apographum vetuſtum in Nonantulani Monaſterii Tabulario vidi.

Berengarii I. Italiæ Regis Diploma, per quod Anſelmo Comiti Veronenſi Curtem Duas Robores donat, Anno 910.

IN nomine ſancte & individue Trinitatis. Berengarius divina ordinante clementia Rex. Juſtum ac congruum ſatis omnino ...... dilectiſſime Conjugis noſtrique Regni conſortis Berchtile *precibus noſtre ſerenitatis aurem libenter accommodamus. Quapropter univerſorum ſancte Dei Eccleſie noſtrorumque, preſentium ſcilicet ac futurorum comperiat experientia, qualiter dilecta Conjux noſtra, noſtrique Regni conſortis Berchtila noſtram deprecata eſt clementiam pro fideli noſtro* Anſelmo *glorioſo* Comite, noſtroque Compatre & Conſiliario, *ob fidei illius puritatem, quam ſepe probavimus, ut ei per hoc noſtre auctoritatis ...... proprietario nomine Curtem juris Regni noſtri, que Duas Robores dicitur, pertinentem de Comitatu Veronenſe; nec non terras & predium in Roveſcello cum Capella, que in onore beati Zenonis ante irruptionem* Paganorum *in eodem loco conſtructa erat, concedere dignaremur. Nos verò ejus humilitatis precibus gratanter acclinati, eidem fideli noſtro Anſelmo glorioſo Comiti prefatam Curtem noſtram, que ad Duas Robores dicitur, cum omnibus rebus & pertinentiis ſuis, mobilibus & immobilibus, terris videlicet &c. Servis utriuſque ſexus, colonis, redhibitionibus, ſeu cum omnibus, que-* D *dici vel nominari poſſunt, ad eamdem Curtem hactenus pertinentibus; predium quoque & terras in Roveſcello adjacentes, cultas & incultas, una cum Capella nominata, ſeu cum omnibus mobilibus & immobilibus cum Pratis &c. theloneis, ripaticis, publicis exactionibus, vel quicquid in Portu & in fundo Roveſcelli Regie parti in preſenti pertinere dinoſcitur prefato Anſelmo Comiti jure proprietario per hoc noſtre conceſſionis Preceptum ...... & de noſtro jure & dominio in ejus jus & dominium omnino transfundimus atque donamus ad habendum &c. Si quis igitur &c.*

Signum Domni Berengarii ſereniſſimi Regis.

E *Ambroſius Cancellarius ad vicem Ardingi Epiſcopi & Archicancellarii recognovi.*

Data VI. Kalendas Auguſti, Anno Dominice Incarnationis DCCCCX. Domni vero Berengarii ſereniſſimi Regis XXIII. Indictione XIII.

Actum in Curte Rodingo, in Chriſti nomine feliciter. Amen.

Atque hic idem *Anſelmus Veronenſis Comes* ex *genere Francorum* fuit, ac filius Walderien*ſis*. Teſtem habeo alteram Chartam, ex eodem Nonantulano Archivo depromtam.

An-

Anſelmus Veronenſis Comes Monaſterio Nonantulano Mutinenſis agri Caſtrum, aliaque donat, Anno 911.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Regnante Domno noſtro Berengario Rege hic in Italia Anno Vigeſimo Quarto, ſub die de Menſe Septembris, Indictione XV. feliciter. Monaſterio Sancti Silveſtri ſito in Comitatu Mutinenſe, loco, ubi vocabulum eſt Nonantula, ubi ad modernum tempore Gregorius venerabilis Abbas eſſe videtur, & ubi multas res a bonis hominibus delegate ſunt: ego quidem in Dei omnipotentis nomine Anſelmus gratia Dei Comes Comitatu Veronenſe, & filius bone memorie Waldoruinſis Francorum genere do & concedo & trado atque offero in ſupraſcripto Monaſterio beati Sancti Silveſtri pro remedio anime mee vel parentum meorum, ideſt quod Deo & ad ipſum ſanctum Monaſterium do, cedo ac trado atque offero preſenti die obitus mei ad jure ipſius Monaſterii, ad habendum ad victum & veſtitum Monachorum ſeu pauperum, qui ibidem modo ſunt, vel qui pro temporibus ipſum ſanctum locum Monaſtice militaverint; hoc eſt Caſis juris illius proprietatis mee, quod eſt Caſtrum unum cum caſis & rebus, que mihi ſupraſcripto Anſelmus Comes jam ante hos plurimos dies per Cartam donationis pro ſuſcepto Launegild da Audiberto Diacono, qui Audo vocatur, ſancte Veronenſis Eccleſie advenit: quas ego habere & poſſidere videor hic in Comitatu Veronenſi in loco & fundo, qui vocatur Caſtro de Nogaria non valde longe a Curte, que vocatur Duas Roberes, ab ipſis prenominatis Caſis & rebus cum omnia de quantum ibidem habere viſus ſum. Quod ſunt terra cum caſas & alias edificias earum ſuper ſe habente cum Curtis & aliis rebus tam infra eodem Caſtro, qui nominatur Nogaria, quamque & de foris ipſo Caſtro inſimul adherentem cum caſis & rebus, & cum omnia de quantum ibidem habere viſus ſum, de quantum mihi ſupraſcripto Anſelmo Comiti per jam dicta Carta donationis, quas ſupra legitur, mihi Legibus pertinet aut pertinere debet cum omni integritate & pertinentia ſua ab ipſis ſupraſcriptis Caſis & rebus mihi pertinentem vel aſpicientem, preſenti die obitus mei de meo jure & dominium in poteſtatem & dominium ſit in poteſtatem Abbati, qui modo eſt, vel qui pro temporibus fuerint: ad jure ipſius Monaſterii habendum, tenendum, & faciendum exinde ipſis caſis & rebus, ſicut ſuperius legitur, ad regendum & gubernandum, ſicut & de aliis caſis & rebus ipſius Monaſterii facere ſoliti ſunt. Et ut hec preſens meam paginam offerſionis, ſicut ſupra legitur, preſenti die obitus mei cum omnia, qualiter ſuperius legitur, omnique tempore in ipſum ſanctum locum firmam & ſtabilem perpetualiter permaneat ſine omni contradictione hominum, & ex mei vel heredumque meorum; & ſi aliquid de heredibus ac proheredibus meis aut quelibet ulli oppoſita perſona hominum poſt diem obitus mei ſurrexerit, qui contra hanc meam paginam offerſionis ire quandoque temtaverint aut eam iſrangere & contradicere voluerint, tunc componat ipſis heredibus ac proheredibus meis ad jure ipſius Monaſterii ipſis hominibus, rebus in duplum, & inſuper componat pena aurum optimum Libras tres, argentum pondera ſex coactos abſolvant, & de hoc quod repetierint, nihil vendicare valeant, ſed preſens hec meam paginam offerſionis, quem ego ſupraſcriptus Anſelmus Comes meo bono animo fieri rogavi in eodem ſanctum locum, ſicut ſupra legitur, firmam & ſtabilem permaneat cum ſtipulatione ſubnixa. Et quia ego ipſe ſupraſcriptus Anſelmus Comes huic membrana inſimul cum calamo, ſeo & atramentario & pinna, & waſone terre, ramo pommis, fiſtucum notatum, atque & cultellum, & wantos, totum inſimul juſta Legem meam Francorum de terra levavi: & Martino Notario tradidi ad ſcribendum, & teſtes in qua hic ſubtus confirmans ad me rogatos obtuli ad roborandum.

Acto in Civitate Verona feliciter.

Signum ✠ *ſupraſcripti Anſelmi Comitis, qui hac paginam, ſicut ſuperius legitur fieri rogavit ad omnia ſupraſcripta, & ei relectum eſt.*

Signa ✠ ✠ ✠ *manibus Betoni Vaſſo ejuſdem Anſelmi Comiti & Martinus Vaſſo ejus, & Iſembertus filio quondam Gonberto* ex Francorum genere, *teſtes.*

Ego Petrus Scavinus rogatus manu mea ſubſcripſi.

Ego G.ſulfus rogatus manu mea ſubſcripſi.

Ego Ildebertus Scavinus rogatus manu mea ſubſcripſi.

Ego Donatus Scavinus rogatus manu mea ſubſcripſi.

Ego Rogerius Notarius manu mea ſubſcripſi.

Ego qui ſupra legitur Martinus Notarius rogatus hanc paginam ſcripſi & poſt traditam complevi.

Ejuſmodi autem donationi, ut ſtabilis in poſterum foret, curâ Monachorum acceſſit etiam confirmatio ſupra memorati Berengarii I. Regis, cujus Diploma ex pervetuſto apographo in Tabulario Nonantulani ejuſdem Monaſterii adtexo.

Beren-

Berengarii I. Italiæ Regis Diploma, per quod Monachis Nonantulanis Curtem Duas Robores eis ab Anſelmo Comite donatam confirmat, Anno 911.

A *IN nomine Domini Dei eterni. Berengarius Rex. Noverit omnium fidelium ſancte Dei Eccleſie, noſtrorumque, preſentium ſcilicet ac futurorum, induſtria, eo quod* Anſelmus Comes Veronenſis *per Cartulam oblationis Monaſterio beati Silveſtri ſito Nonantulas contulerit pro remedio anime noſtre & ſue, Curtem, que dicitur ad Duas Robores, & predia quedam locata in Portu & fundo Roveſcella, una cum Capella ibidem in honore Sancti Zenonis edificata finibus Veronenſibus, ſub integritate, ſicut nos dudum noſtre largitatis Precepto eidem Anſelmo Comiti jure proprietario conceſſimus. Ac per hoc duo prefati Monaſterii venerabiles Monachi, Petrus videlicet Presbiter & Johannes Decanus per Odelricum noſtrum kariſſimum fidelem & nobilem virum ſuppliciter nobis . . . . , petentes noſtre pietatis clementiam, ut eamdem Cartulam oblationis ſimul cum prefata Curte Duas Robores & predia ſita Roveſcello pariter cum jam dicta Capella ad honorem beati Zenonis conſtructa in integrum, ſicut nos hactenus pretaxato Anſelmo Comiti per noſtrum donavimus Preceptum, ita divino amore ſuccenſi noſtre confirmationis titulo corroborare dignaremur: Quorum precibus acclinati eamdem Curtem Duas Robores cum omnibus appendititiis ſuis, caſis videlicet, terris, &c. ſimul cum prediis & Capella, &c. pro ut prefato Anſelmo Comiti contulimus proprietario jure &c. per hoc noſtrum regale Preceptum confirmamus eidem Monaſterio uſque in perpetuum ad habendum & commutandum, quatenus Abbas &c.*

Signum Domni Berengarii ſereniſſimi Regis.

Johannes Notarius juſſu Regis recognovi.

Data V. Kalendas Novembris Anno Dominice Incarnationis DCCCCXI. Domni vero Berengarii ſereniſſimi Regis XXIV. Indictione V. Decima.

Actum Papiæ in Chriſti nomine feliciter. Amen.

B Animadvertas etiam velim, non in Contractibus tantùm homines Salicæ, ſeu Francicæ Legis adhibuiſſe ritus illos *waſonis*, *feſtuci*, *rami*, *andilaginis*, *&c.*, ſed etiam in poſtremis tabulis: quod tamen rarum mihi viſum eſt in altera Charta ejuſdem Anſelmi Comitis. Fortaſſe tamen id factum fuerit, quòd Donationem potiùs quàm Teſtamentum ſuprema hæc ejus voluntas referre videatur. En illam ex antiquo apographo, exiſtente in nuper laudato Archivo, depromtam.

Teſtamentum Anſelmi Comitis Veronenſis, omnia ſua Monaſterio Nonantulano deſtinantis, Anno 910.

C *IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Regnante Domino noſtro Berengario Rege hic in Italia Anno Viceſimo tercio ſub die de menſe Decembrio, Indictione XIV. Dum pius ac Redemptor omnipotens Deus homini in hoc ſeculo vitam conceſſerit, ſemper debet illud agere, quod Deo acceptabile eſt, & purum Deum . . . . . in hoc ſeculo protegente Chriſto incolumis aſſiſtere valeat, & inſuper quod melius, vitam poſſideat eternam, & vocem Domini audire mereatur:* venite ad me, qui veſtra reliquiſtis, & me ſequuti eſtis. *Ideoque ego* Anſelmus Comes Comitatu Veronenſe: *manifeſtum eſt mihi eo quod abſque filiis filiabuſque legitimis eſſe invenior, qui mihi ſecundùm Legem ſuccedere debeant, propterea previdi ut aliquid de rebus meis juris proprietatis mee, quas hic ſubter nominatim declaravero, deveniat preſenti die obitus mei* in Monaſterio beati Silveſtri ſito in Comitatu Motinenſe, loco ubi vocatur Nonantula, *ubi multa Corpora Sanctorum requieſcunt in pace, & ubi multæ res a bonis hominibus delegate ſunt, ubi* Gregorius Abbas *Cuſtos & Rector eſſe videtur . . . . ideſt quod Deo & ibidem ad ſupraſcripto Monaſterio beati Sancti Silveſtri preſenti die obitus mei do ac trado atque offero ad victum & cibum Monachorum & pauperum. Hoc eſt Cortes meas nominative, quas ego ſupraſcriptus Anſelmus Comes habere videor, que poſite ſunt in finibus Veronenſis locus, ubi vocabulum eſt Duas Robores. Et addo ibidem in ſupraſcripto Monaſterio beati Sancti Silveſtri, ideſt Capella una, & Oratorium Sancti Zenonis, que dicitur ſita in Villa, que nominatur Roverſella, cum omni ad eaſdem Cortes & Capellam pertinente uſque in fluvio Menzgo percurrente in Tartaro; & ſicut mihi ſupraſcripto Anſelmo Comiti per paginam ſcriptionis Preceptum da Domno & Seniore meo Berengario glorioſo Rege advenit ab ipſis prenominatis Curtis & Capella, qualiter ſuperius legitur, una cum terris, caſalinis, & ſediminas earum, cum Curtis, ortis, & viridario ſuo, & cum arboribus & pomiferis, & omnia ſuper aſtante, cum caſalibus maſſariciis, cum curtis, ortis, areis. A foris verò tam terris aratoriis ſeu vigris, vineis, campis, pratis, paſcuis, ſilvis, ſalectis, ſacionibus,* D *ripis, rupinis, decimis, piſcationibus, penſionibus, venationibus, aquis, aquarumque decurſibus, & cum omnia, & ex omnibus caſis & rebus ad eaſdem Cortes & Capella pertinentem vel adſpicientem in integrum; ego qui ſupra Anſelmus Comes preſenti die obitus mei in predicto ſancto Monaſterio, ſicut ſupra legitur, do, trado, atque offero pro remedio anime mee, inſuper Domno & ſeniore meo Berengario . . . . . Rege, ſeu ſucceſſores & anteceſſores ejus, & pro anima mea, & parentum meorum; ut Abbas, qui pro tempore fuerit in prenominato Monaſterio Sancti Silveſtri, ut haveant poteſtatem ad regendum, gubernandum, ſicut de aliis Ca-* E *ſis & rebus ipſius Monaſterii facere viſi ſunt, ſecundùm Deum, qualiter melius providerint. Ita tamen ut ſi aliquis Veronenſis Eccleſie, aut quislibet perſona ſurrexerit, que contra hanc meam paginam offerſionis ſeu ordinationis, quam ego Anſelmus Comes mea bona & ſpontanea vo-*

homines fieri poſſit, ut quandoque contemſerit, aut eum infringere voluerint pro qualibet ingenio, aut .... ſupraſcriptis omnibus rebus & caſis, ſicut ſupra legitur, de eodem ſupraſcripto Monaſterio ſubtrahere quæſierint, aut in beneficium dare voluerint, tunc preſentialiter ipſe ſupraſcripte res, ſicut ſupra legitur, ad propinquiores parentes meos revertantur, & ipſi habeant poteſtatem ad ordinandum & diſponendum in ſupraſcripto Monaſterio, ſicut ſupra legitur, & ſicut ſupra ſtatui & ordinavi. Et ſi aliter fecerint, judicem habeant Deum omnipotentem. Et ſi propinquiores parentes mei non fuerint, qui hoc faciant, aut forte ſi tam diſtulerint facere, tunc volo ego Anſelmus Comes, ut Pontifex Tridentinus talem exinde habeat poteſtatem ordinandi & diſponendi de ipſis ſupraſcriptis rebus & caſis meis, ſicut ſupra legitur, in predicto Monaſterio, ſicut ſupra ſtatui, & mee ordinationis decrevit voluntas. Et ſi hoc facere diſtulerit, quod non fecerit, tunc volo, quod intromittat ſe Pontifex hujus Veronenſis Eccleſie, qui hoc faciat, & adimpleat meam ordinationem, ſicut ſupra ſtatui & ordinavi in predicto Monaſterio. Nam non exinde ſubtrahere querat de predicto ſancto Monaſterio, quod volo ut ibidem permaneat, ſicut ſupra ſtatui & ordinavi. Et ſi facere diſtulerit & non fecerit, aut forſitan ſubtrahere voluerit, tunc volo ego Anſelmus Comes, ut Pontifex Mantuanenſis Eccleſie habeat poteſtatem ipſis Caſis & rebus ad ordinandum & diſponendum in eodem ſupraſcripto Monaſterio, ſicut mea decrevit voluntas, & ſupra ſtatui. Et ſi hoc facere diſtulerit & non fecerit, aut ſubtrahere quæſierit, volo ut intromittat ſe Pontifex Brixiane Eccleſie, ut ipſe ordinet & diſponat in predicto Monaſterio ſecundum meam ordinationem, ſicut ſupra ſtatui & ordinavi, ad jure ipſius Monaſterii ſupraſcripti ad habendum proprietario nomine, ut ſupra dixi. Volo ut ſic permaneat preſenti die obitus mei, ſicut ſupra ſtatui & ordinavi, abſque ulla contradictione hominum & heredum vel proheredum meorum, ſicut ſupra legitur. Et ut hec preſens mea pagina offerſionis & ordinationis mee, ſicut ſupra ſtatui & ordinavi, preſenti die obitus mei in eodem ſupraſcripto Monaſterio, ſicut ſupra legitur, firma & ſtabilis, inconvulſa & inrevocabilis perpetualiter permaneat cum ſtipulatione ſubnixa. Et quia ego ſupraſcriptus Anſelmus Comes hanc membranam una inſimul cum calamo ſeu & atramentario, waſone terre, ramo pomis, cum fiſtuco nudato, atque cultellum, & wantone, totum inſimul juxta Legem meam Francorum, de terra levavi: *& Martino Notario tradidi ad ſcribendum, & teſtibus ſimiliter ad nec rogatis obtuli ad roborandum.*

Actum in Civitate Verona feliciter.

Signum ✠ ſupraſcripto Anſelmi Comiti, qui hanc paginam, ſicut ſupra legitur, fieri rogavit ad omnia ſupraſcripta, & ei relectum eſt.

Signa ✠ ✠ ✠ Helie Vicecomitis, & alius Helie Nepotis eius, & Bernardi item Nepotis ejus ex Francorum genere, *teſtes.*

Signa ✠ ✠ Gunmerichi, & Mileadelmus Sculdaſius, Vaſſi ejuſdem Anſelmi Comitis, teſtes.

Ego Petrus Stephanus in hac pagina rogatus manu mea ſubſcripſi.

Ego Amelbertus Notarius rogatus manu propria ſubſcripſi.

Ego Robertus Notarius rogatus manu mea ſubſcripſi.

Ego Adelbertus rogatus manu mea ſubſcripſi.

Ego Giſemundus rogatus manu mea ſubſcripſi.

Ego Lanemperto de Strauſias, & Teupaldo de ipſo loco, & Grauſo de Antea rogati teſtes.

Signa ✠ ✠ Giſulfo, & Pedelbertus de Turre.

✠ Ego ſupraſcriptus Martinus Notarius rogatus hanc paginam, ſicut ſupra legitur, ſcripſi, tradidi & complevi.

Profeſſio autem Legis, ac potiſſimum Nationis ad originem Familiarum dignoſcendam potiſſimùm inſervire conſuevit. Exemplum accipe. Situm olim erat in Marchia Tarviſina Monaſterium Campi Sion, vulgo *di Campeſe*, juxta fines Tridentini agri, cujus nunc levis imago ſupereſt. In inſignis Monaſterii Sancti Benedicti Padolironenſis Tabulario Charta adſervatur, ſcripta Anno MCXXVII. in qua *Tiſo Novellus* (unde Nobilis Familia Patavina de Campo Sancti Petri) *Albericus de Romano*, ac alii, Henrico Abbati Monaſterii Padolironenſis ſubjiciunt, ac regendum tradunt Campenſe illud Cœnobium. Hic idem *Albericus* in altera Charta Anno MCXXV. exaratâ, una cum *Cuniza* conjuge ſua, eidem Campenſi Monaſterio aliquot fundos eſt elargitus. Albericus *Nationem & Legem Salicam* profitetur, Cuniza uxor *Langobardam*. Heic ſane habemus unum ex antiquioribus Familiæ de Honaria, ſive de Romano, quæ tres Eccelinos & Albericum enixa eſt, ob crudelitatem præcipue famoſos in Hiſtoria Patavina, Veronenſi, ac Tarviſina. Gerardus Mauriſius in Hiſtor. de Reb. geſt. Eccelini, Tomo VIII. Rer. Italicar. ait: *Quidam Dominus Eccelinus fuit pater cujuſdam Domini Alberici*, ad quem Albericum referenda omnino eſt Charta nuper indicata. *Qui Albericus fuit pater Domini Eccelini. Et hic Eccelinus* (ſcilicet Balbus) *pater fuit alterius Domini Eccelini* (ideſt Monachi) *patris præſentium Dominorum Eccelini* (hoc eſt, Tertii ſæviſſimi Tyranni) *& Alberici fratrum de Romano*. Quum ergo Albericus ille Primus Nationem & Legem *Salicam* profiteatur, Germaniæ inferiori, aut Franciæ tribuendi ſunt illius Majores. In altera Charta Anno MCLIV. ſcriptâ Eccelinus Balbus una cum *Cuniza matre* ſua contractum facit cum eodem Padolironenſi Monaſterio: hanc autem *Cunizam* nuper vidimus *Alberici de Romano* ſenioris uxorem. Ceterum *Nogariæ Caſtrum* celebre ſupra memoratum in Charta jam edita donationis Anſelmi Comitis, poſt multos annos *Bonifacius* Marchio, poſtea Dux Tuſciæ, magnus helluo bonorum Eccleſiaſticorum, ſub ſpecie Feudi vel Emphyteuſis, a Nonantulanis Monachis accepit; eique etiam dominata eſt ejus filia *Comitiſſa Mathildis*, ut prodit Donizo Monachus in ejus Vita Lib. 2. Cap. 6. & 9. Tomo V. Rer. Italicarum. In eodem Caſtro Monachi ipſi Nonantulani Eccleſiam Sancti Silveſtri Anno MLXXXVIII. evicerunt: quod prodet ſubſequens Charta, ex eodem Nonantulano Archivo, ubi autographum adſervatur, deſumta.

Ma-

Mathildis inclytæ Comitiſſæ Charta, per quam Monachis Nonantulanis dimittit Eccleſiam Sancti Silveſtri in Caſtro Nogariæ ſitam, Anno 1088.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Anno ab Incarnatione ejuſdem Milleſimo Octuageſimo Octavo, V. Kalendas Marcii, Indictione XI. Manifeſta cauſa eſt michi Matildæ, *Dei gratia ſi quid ſum,* filiæ quondam Bonefacii *incliti* Marchionis, *quod propter Dominum, & anime mee remedium ac meorum parentum promitto atque exſpondeo, ſi unquam in tempore ego vel mei heredes ac proheredes agere aut cauſare preſumpſerimus, vel agere aut cauſare preſumpſerimus, vel agere conſentientes fuerimus, vobis Johanni Præpoſito, & Adicrio Avocato Eccleſie Sancti Silveſtri ſite Nonantula, vel veſtris ſucceſſoribus a parte predicte Eccleſiæ, vel adverſus predictam Eccleſiam, ideſt nominative* Eccleſiam Sancti Silveſtri ſitam in Caſtro Nogarie, *cum omnibus terris, caſis, campis, pratis, ſilvis, & piſcationibus, & omnibus pertinentiis, & nominative ſicuti ante hos dies & annos habite ſeu detente fuerunt a jure ipſius Eccleſie per conceſſionem & largitatem quondam* Richilde *inclite* Comitiſſe, *ſeu per ſupraſcriptum* Bonefacium & Beatricem genitores meos. *Et nominative Manſum de Boniza Galiarda, & omnibus pertinentiis ad predictum manſum, ſeu etiam clauſuram de Mercato, & clauſuram de Valle Cederano, quas* Wido *& Berta Baila habuerunt & detinuerunt, de quibus ex jurejurando definitum eſt per Marcum Clericum de Sancto Petro ante detentas fuiſſe per Johannem Presbiterum de Nonantula ipſius Eccleſie de Nogaria; & me exinde warpivi, & abſentem feci. Dicendum, mibi aliquid exinde pertinere debet ſive per ſcriptum, ſive ſine ſcripto, ſive per quocumquevis ingenium. Et ſi de meo dato aut facto exinde in aliam partem apparuerit cuiquam dediſſe aut feciſſe, vel in antea ego vel mei heredes dederimus aut fecerimus, & auctores & defenſores omni tempore de ſupraſcriptis rebus, qualiter ſupra legitur, non fuerimus, tunc componere promittimus predicte Eccleſie Sancti Silveſtri de Nonantula ſupraſcriptas res in duplum ſicut pro tempore meliorate fuerint aut valuerint ſub extimatione. Et nec mibi liceat ammodo ullo tempore nolle, quod ſemel volui, ſed quod hic a me ſemel factum vel conſcriptum eſt, ſub jurejurando inviolabiliter conſervare promitto cum ſtipulatione ſubnixa.*

Actum in Caſtro Nogarie.

MA TIL
DA DI
GRA SI
QD EST

Ego Azzo Cauſidicus & Advocatus ſubſcripſi. Signa ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ *manuum Maginfredi de Sorbaria, atque Bernardi filii ipſius, Bernardi de Parma, ac Saſſi de Bibianello, Ser Lanfranci de Sancto Marco, qui in his omnibus, ut ſupra legitur, teſtes interfuerunt.*

Johannes Notarius ſacri Palatii, hujus promiſſionis & obligationis Cartule ſcriptor, poſt traditam complevi & dedi.

Redeo nunc ad *Anſelmum Comitem Veronenſem*, qui non diu ſupervixiſſe videtur donationibus ſupra memoratis: nam modico poſt tempore in eodem munere ſubrogatum invenio alterum, cujus nunc mihi mentio facienda. Adſervatur in eximio Parthenone Sanctimonialium Venetarum Sancti Zachariæ antiquum Regeſtum, in quo leguntur multa illuſtris loci vetera monumenta. Inde ego excerpſi partem Donationis Anno DCCCCVI. ab Adelardo Epiſcopo Veronenſe factam Ingelfredo gente Alamanno, habitatori in Foro Julii, hiſce verbis: *In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Regnante Domno Berengario Rege hic in Italia, Anno Nonodecimo, ſub die primo Menſis Septembris, Indictione . . . . . . Dilectiſſimo atque amantiſſimo michi ſemper Ingelfredus ex gente Almannorum, qui habitaturus in fine Furijulanenſe, amicus michi fideliter ſervire viſus eſt. Ego in Dei omnipotentis nomine Adelardus venerabilis Epiſcopus ſancte Veronenſis Eccleſie, Amicus & Donator tuus, preſens preſentibus dixi* &c. Ei ergo Chartam donationis facit *de omnibus rebus illis, quas michi advenit da Wikerio, & ſite ſunt ipſe res in Comitatu Montis Siligani, ſeu in Cona, aut in Montanana, ſeu in Petriolo* &c. Mos autem erat (Lege etiam 14. Langobardor. Ludovici Pii Auguſti idem ſancitum fuit) ut quando teſtes ejuſdem Nationis haberi poterant in celebrandis contractibus, ii adhiberentur, non verò alterius. Itaque eidem Chartæ ita ſubſcribitur. *Ego Adelardus Epiſcopus ſancte Veronenſis Eccleſie hanc Cartam donationis a me facta ſubſcripſi. Sinibaldus ex Almannorum genere, filius bone memorie Tobaldo de Saltus. Ingoni filio ex Almannorum . . . . . Milo ex genere Francorum, Alteheno filius Dominico ex Comitatu Ceneza*, ideſt Cenetenſi. Qui heic dicitur *Milo ex genere Francorum*, idem omnino fuiſſe videtur ac *Milo* egregius vir, Berengarii I. Auguſti alumnus, qui & ejus mortem Liutprando teſte Lib. 2. Cap. 20. Hiſtor. viriliter ultus fuit. Niſi idem ſit, certe ad ejus familiam ſpectare videtur *Milo Marchio* (ideſt Veronenſi, ut opinari licet, Marchiæ Præfectus) qui Anno Chriſti DCCCCLV. ſupremis tabulis ſuis ingentem copiam bonorum elargitus eſt eiſdem Sanctimonialibus Venetis Sancti Zachariæ. Tabulas ipſas vidi in antiquo Regeſto prælaudati Cœnobii, illaſque antea evulgavit Ughellius Tomo V. Ital. Sacræ in Epiſcop. Veronenſib. ubi is dicitur *Milo Marchio filius bonæ recordationis Manfredi, qui Lege Salica vivere viſus ſum*. Neque immerito Milonis iſtius Marchionis aut heredes, aut deſcendentes fuiſſe cenſentur *Comites olim Veronenſes*, qui poſtea *Comites de Sancto Bonifacio* appellati fuere. Nam in eodem Tabulario Veneto Sancti Zachariæ Chartæ exiſtunt, quibus Anno MLV. *Bonifacius, Henricus, & Ubertus germani, filii quondam Uberti Comitis* pollicentur, ſe quotannis traditturos Monaſterio quinquaginta modios tritici pro redituum dimidio, quod reliquit *Milo Mar-*

Marchio in ſuo teſtamento. Eodem Anno MLV. *Berta filia quondam Arduini Comitis*, *uxorque quondam Uberti Comitis*, ſeſe obligat ad modios viginti quinque eidem Monaſterio perſolvendos. Tum ipſo Anno *Henricus Comes Veronenſis* (idem, ut puto, qui ſupra) ſe ipſe alios viginti quinque modios annuos ſe daturum promittit, *ſecundum ordinationem Manaſis Marchionis proavi ſui*. Ita ſcriptum in Indice Chartarum, neque enim Chartas ipſas ad alia intentus ſcrutatus fui. Ibi quoque pergamena ad Annum MLXXXIII referebatur, in qua *Albertus de Runcho filius quondam Uberti Comitis* modios octodecim perſolvendos a ſe agnoſcit propter portionem, quæ ſibi contigerat de bonis *Milonis* quondam *Marchionis*. Verùm hæc omnia ſubtiliore examine indigent, quum apud Ughellium in Epiſcop. Veronenſib. Charta legatur Anno MLXII exarata, in qua occurrit *Milo filius quondam Ugonis Veronæ Comitis, qui profeſſus ſum ex Natione meâ Lege vivere Romana*. Si vera hæc ſunt, ſuſpicionem ingerere poſſunt, Comitatum Veronenſem minime in una Familia fuiſſe continuatum.

Redeo ad *Ingelfredum ex genere Alemannorum*, cui Adelardus Veronenſis Antiſtes donationem fecit. Is poſtea *Veronenſium Comes* a Berengario I. Italiæ Rege conſtitutus eſt, perſpicuo indicio, ipſum in aula quoque Regis multum gratiæ ſibi conquiſiviſſe, quando cariſſimam omnium Urbem Berengarius illius regimini commendavit. In Chartario nuper laudati Cœnobii Veneti Sancti Zachariæ ſupremæ illius tabulæ leguntur, Anno DCCCCXIV. conſcriptæ. Ex iiſdem hæc pauca decerpſi: *In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Regnante Domno noſtro Berengario Rege hic in Italia Anno Vigeſimo ſeptimo, ſub die Menſe Decembris, Indictione Tercia feliciter. Monaſterio Sancti Zacharie Puellarum, qui eſt conſtructus in finibus Venetiarum non longe a Palliatio de Rivoalto, ſanctum & venerabile locum. Ego quidem in Dei omnipotentis nomine Ingelfredus gratia Dei Comes Comitatu Veronenſe, & filius bone memorie Grimaldo ex Alemannorum genere* &c. Ille multa largitur eidem Parthenoni: ſibi tamen, ac *Ettingo* filio ſuo, dum in vivis fuerint, reſervato eorum dominio; *ut uſque dum ego quidem ſupradictus Ingelfredus Comes, & Ettingo filio meo in hoc Seculo advixerimus, omnia in noſtra ſit poteſtate ad judicandum & ordinandum* &c. Quod verò attinet ad Chartam Adelardi Epiſcopi Veronenſis, ſcriptam *Anno XIX. Berengarii Regis*, hoc eſt Anno Chriſti

A DCCCCVI. omittendum non eſt, ejus ope Chronologiam Epiſcoporum Veronenſium vitiatam, ut mihi videtur, reſarciri poſſe. Si Panvinio, Peretto, & Ughellio fides, circiter Annum DCCCXCI. *Adelardus Epiſcopus* vivere deſiit, & ſucceſſorem habuit *Adelbertum*: hoc autem e vivis ſublato, Cathedram Veronenſem tenuit *Notherius II.* Atqui nos e Charta ſupra memorata habemus, Adelardi vitam ſaltem ad Annum DCCCCVI. productam fuiſſe. Præterea *Adelbertus* ille, donec certiora monumenta afferantur, expungendus eſt e catalogo Antiſtitum Veronenſium. *Adelbertus* quidem *Epiſcopus* in monumentis ejuſdem temporis celebris eſt, ſed Bergomatis Eccleſiæ præ-
B fuit. Ac proinde veri puto ſimilius, Adelardo vitâ functo e veſtigio ſucceſſiſſe *Notherium*. Sed & hic *Notcherius* potius eſt appellandus: neque eum *Secundum* vocare ego auderem, quum juſtæ cauſſæ adſint ſuſpicandi, *Notherium Primum*, quem Anno DCCCLVI. ſine ullis tabulis Epiſcopatu Veronenſi auctum tradunt, non alium fuiſſe a *Notcherio* Adelardi ſucceſſore. Ad hunc autem ſpectat Charta, quam in Regeſto ſæpe laudati Monaſterii Veneti Sancti Zachariæ adſervatam ſub oculis habui. Priora illius verba, argumento huic congrua, audire neminem pigebit. *In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Regnante Domno noſtro Ugo Rege hic in Italia Anno Primo, ſub die*
C *primo Kalendis Auguſti, Indictione Prima feliciter. Monaſterium Sancti Zachariæ Prophete, ſito in Venetias. Ego in Dei omnipotentis nomine Notekerius Epiſcopus ſancte Veronenſis Eccleſie, & filius bone pie recordationis Adelmari ex Longobardorum genere, do trado atque offero pro remedio anime mee, vel bone memorie Ingelfredo Comes in ſupradicto Monaſterio* &c. Sed heic vitium eſt in Notis Chronologicis. Amanuenſis enim incaute a *die primo* & *Indictione Prima* deceptus, *Annum* etiam *Primum* conſignavit, niſi ego præ feſtinatione has perperam deſcripſerim. Scribendum ibi *Anno Tertio* aut *Secundo*, & referenda eſt Charta ad Annum Chriſti DCCCCXXVIII. Dixi adhi-
D bitos fuiſſe teſtes ejuſdem Nationis, quotieſcumque haberi in promtu poterant, idque luculentius intelligemus e Charta, cujus antiquum apographum vidi in Tabulario Archiepiſcopii Lucenſis. *Hubertus Tuſciæ Marchio*, filius Hugonis Italiæ Regis, *Salicam Legem* profitebatur, quum e Francorum gente deſcendiſſet. Proinde in ejus contractibus Salicos teſtes invenias, ac præcipue in ſubſequenti.

Huber-

Hubertus Tuſciæ Marchio aliquot ædes & agros vendit Teudimundo filio Fraolmi, Anno 952.

A IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Dei & eterni. Anno ab Incarnationis ejus Nomgenteſimo Quinquageſimo Secundo, Quinto Nonas Magii, Indictione X. Manifeſtus ſum ego Uberto Marchio, Legem vivente Saliga, bone memorie Donni Ugoni Regi, quia ſecundo Legem meam atramentario, pinna, & pergamena de terra levavi, & Arnifridi Notario ad ſcribendum tradidi, per waſone terre, & fiſtucum nodatum, ſeo ramum arboribus, adque per cultellum & wantonem, ſeu andilanc: & ſic per hanc Cartula juſta Legem meam Saliga, vindo, dono, trado, cedo adque transfundo, & mitto in poteſtate tua Teudimundo filio bone memorie Fraolmi, ideſt quinque caſis & rebus juris mei illis maſſariciis, quas abeo in loco & B finibus ubi dicitur Pozeuli, que una ex ipſe caſa & res maſſariciis regere videtur per Flaiperto Maſſario, ſecunda verò per Urſo, tertia verò per Petrus, quarta per Teutio, quinta verò regere videtur per Cerbonio Maſſario. Simulque & vindo tibi ideſt undecim caſas & rebus juris meis illis maſſariciis, quam abeo in loco & finibus, ubi dicitur Porcari, una ex ipſe caſa &c. Ita & vindo tibi ideſt inter terra & ſilva illa ſeo Padule, qui vocatur Cluſa, & Quinto, ſeo Oliveto, adque Teulaja, que de predictas caſis & rebus maſſariciis &c. Tibi eas vindo, dono, trado, cedo, adque transfundo, & mitto de juris dominationis mei in juris dominationis tue, & per ec omnia ſupraſcripta mea venditio, do- C natio, traditio, quas tibi venundavit, recepit ad te pretium argentum Libras quinquaginta in preſinito, & deliberatum pretium, & dum ipſum pretium per manibus accepiſſet me qui ſupra Uberto Marchio, ex ipſis caſis & rebus foris warpivit, & exitum fecit, & tibi qui ſupra Teudimundo tuiſque eredibus intromiſi &c. Hanc cartulam venditionis & traditionis mee tibi qui ſupra Arnifridi Notario ad ſcribendum tradidit, & ſcribere rogavit, & teſtibus obtulit roborandum.

Actum Curte, que dicitur Aurane.

Ubertus Marchio in hac Cartula a me facta ſubſcripſi.

Signum ✠ ✠ ✠ manus Atenolfi, & Bernardi, adque G..... Lege viventem Saliga teſtis, & pretio dante viderunt.

Signum ✠ ✠ ✠ manuum Saligi, Ingelberti, ſeo Inghilelmi, Legem viventem Saliga teſtis, & pretio dante viderunt.

Ego Arnifridi Notario &c.

Atque iſta confer cum iis, quæ de Huberto Salico Marchione Tuſciæ attuli in Antiquitatib. Eſtenſib. Par. I. Cap XV. Ripuariæ quoque Legis aliqua eſt mihi facienda mentio, quam profeſſi ſunt Populi ad Rhenum inferiorem conſidentes. Rara veſtigia in Italicis Chartis occurrunt adhibentium hanc Legem: occurrunt tamen. Ac præſertim inter Nobiles Dynaſtas ex Ripuaria regione in Italiam translatos memoratus fuit Ughellio, Florentinio, & mihi quoque ſupra in Diſſertatione VI. *de Marchionibus*, *Bonifacius Marchio filius Alberti Comitis, qui profeſſus eſt Legem vivere Ribuariorum*. Hunc Anno Chriſti MII. in Tuſciæ regimine ſucceſſiſſe Hugoni Magno Marchioni opinatus eſt Cardinalis Baronius in Annalib. Eccleſiaſticis. Sed uti in eâdem Diſſertatione animadverti, ſine bonis tabulis Bonifacius Alberti filius Etruriæ Marchio reputatus eſt: certumque reor, Baronium a vero diſceſſiſſe, quum Bonifacium eumdem nobis obtruſit germanum fratrem laudati Hugonis Marchionis; quippe Hugo Huberti natione Salici filius fuit; Bonifacius autem Alberti ſive Adelberti, natione Ribuarii. Age verò, quis iſte *Albertus* ſeu *Adelbertus Comes* fuerit, inquiramus. Eſt mihi exemplum Chartæ ob vetuſtatem attritæ, quam Joſeph Antenor Scalabrinius Ferrarienſis, antiquitatum ſtudioſiſſimus ſcrutator, in Tabulario Monaſterii Bononienſis Sancti Stephani vidit. Qualiſcumque ſit, digna ſane eſt, quæ tenebris eripiatur.

Donatio terrarum Monaſterio Sanctorum Bartholomæi & Savini, ſito in agro Bononienſi, vico Muſſiliano, facta ab Adelberto Comite, & Bertilla Comitiſſa conjugibus, Anno, ut videtur, 981.

IN nomine ...... intrante Auguſto. Regnante .... Imperatore .... Indictione VII.... Anno p .... Auguſtus filius Dono Octonis Imperatoris, ſcilicet Anno Imperii ejus .... Comes & Bertilla Dei miſericordiâ Comitiſſa, hanc traditionem & conceſſionem concedere dignemini, ut Deus ..... in noſtro Monaſterio, qui eſt in honorem Sancti Bartholomei Apoſtoli, & beati Savini Martiris ...... genitricis Marie, & beati Ambroſii Confeſſoris, & aliorum Sanctorum, quod nos facere cupimus & obnixe deſideramus, ad utilitatem Monachorum ſervientium Chriſti die & nocte ...... ſalmodus referendum Deo creatori noſtro pro noſtris peccatis, ab oratione non recedentes .... & ſemper & aſſidue exorent, ut Dei omnipotentis medelam & requiem ſempiternam in tremendo die Judicii D miſereri dignetur animabus pro Domna Gualdrada, que fuit glorioſa Comitiſſa, & pro Domno Teobaldo, qui fuit Dux & Marchio, genitore & genitrice meis: ſicque pro animabus & Bonifacii & Walfredi & Adelberti filiorum noſtrorum, pro animabus omnium heredum noſtrorum, Hic vero preſentialiter elegimus & concedimus atque in dicto ..... Dei voluntate & de rebus quas predicto Monaſterio concedimus in nullo homine nec vendere nec donare nec appo ...., nec ..... Monachorum ..... concedimus ... ipſo Monaſterio jure proprietario .... noſtras Vineas circa ipſum Monaſterium & Oratorium in quo ortum pro oleribus, piſtrinum, & coquina, & cetera que neceſſaria ſunt: finis de ſupraſcriptis vineis, quas concedimus, eſſe videtur, ab uno latere Lavino ...... jura in donnicata

&

& . . . . . terra una . . . . . . *&* ar . . . . in ipso fundo Mu. . . , que culta *&* laborata . . . . . . una . . . *&* . . . fuit, excepto Johanne Cafa . . . fuit, alia omnia *&* ex omnibus super eis, qualiter superius legitur, cum servis *&* ancillis, omnia in integrum. Atque concedimus in suprascripto Monasterio omnia *&* ex omnibus terram . . . *&* . . . , que culta *&* laborata in supradicto . . . . per man . . . . Mariano . . . suo, *&* in fundum . . . Similiter omnia *&* ex omnibus in integrum que acquesivi per cartulam venditionis de Ildrada, quod vocatur fundo Cignaulo, sit concessum in supradicto loco, petia una terre ubi Ecclesia edificata . . . . mansione. Necnon petia una terra, quam acquesivit in supradicto fundo Cignaulo, quam in suprascripto Monasterio concessi per remedium anime sue: *&* terra illa, que est in loco qui vocatur . . . *&* in supradicto fundo Cignaulo, omnia *&* ex omnibus concessum a supradicto Monasterio in integrum. Seu *&* intra Plebe Sancte Marie Matris Christi in fundo Lupolito, omnia *&* ex omnibus, que nobis pertinent de Carte, qui vocatur de Lanare, cum omnia super se *&* in se habente in integrum, una cum terris, vineis, campis, pratis, pascuis, silvis, salectis, arbustis, arboribus pomiferis, divisis quam . . . . . . aquis, rupinis, usibus aquarum, fontibus, cultum *&* incultum, omnia *&* ex omnibus, qualiter superius legitur, sit concessum in supradicto Monasterio Sancti Bartholomei Apostoli, omnibus qualiter superius dictum est, . . . *&* . . . . . utilitatem predictorum Monachorum, ut possint, qui inibi Deo ordinati fuerint, vivere *&* cibum sumere *&* alere, ita ut nostra, quorum supra dictum est, possit vita . . . , in nostra sit potestate regendi *&* agregandi *&* . . . . misericordia Dei omnia, qualiter superius legitur, in honore Monachorum servientium, *&* post nostrum obitum, quando Domino placuerit, deveniet in potestate heredum nostrorum similiter gubernandi *&* regendi in honore Monachorum. Et si autem, quod avertat Deus, aliqua occasio vel prava contemptio, instigante antiquo hoste . . . . . heredibus emendentur; *&* quicquid in ipso Cenobio sancto *&* Oratorio datum, offertum, oblatumque fuerit, sit in potestate supradicti Petri Presbyteri & Abbatis, *&* Monachorum ipsius sancti Monasterii, ubi pauperes *&* peregrini refectionem habent. Mundiburdium vero ab avaris *&* pravis hominibus in nostra sit potestate defendere, *&* solatium prebere in ipso sancto Monasterio, *&* in ipso Abbate omni tempore sine obstaculo *&* impedimento adversorum hominum *&* pravarum gentium, semper maneant quieti *&* securi a nobis *&* a nostris heredibus. Et si aliqua controversia *&* superstitiosam causam in ipso sancto Cenobio vel super ipsos Monachos adversa . . . . . de his omnibus, que pro animabus nostris dedimus, sciant esse compositurus in ipso sancto Monasterio *&* ipso Abbati *&* Fratribus Deo servientibus, eorumque successoribus, auri optimi Libras triginta. Nos denique Adelbertus Dei misericordia Comes, *&* Bertilla Christi clementiá Comitissa, secundum nostram Legem Rubuariam facere mittimur defensionem. Hec omnia, que superius diximus, omni tempore in perpetuum maneant, *&* lux indeficiens sit nobis. Et si aliquis de heredibus ac proheredibus . . . . . . contrarietatem commiserit, aut minuare conaverit, vel distruere vel frangere voluerit, cum Deo vivo *&* vero eternam habeat altercationem, *&* cum Angelis *&* Archangelis, *&* cum omni militia cele-

A *stium reddat rationem in die Judicii.*

Actum in dicto Vico Panigale, Indictione supradicta Nona.

Signa ✠ ✠ ✠ ✠ *manuum supradicti* Adelberti Comitis, *&* Bertille *jugalis* Comitisse, *&* Bonifacii, *&* Walfredi germani, *qui hic Cartula donationis consenserunt, & manus posuerunt, sicut supra legitur, rogaverunt, & omnia eis relecta est.*

Signa ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ *manuum* Wido *filio Geremie*, Natio Francorum, *& Johanne de Pelegno de Fiena, & Antonino, & Petro Medicus, & Leo . . . . Strada de Panigale, rogatis testibus.*

B *Ego Ildebrandus testes.*

Scripta hanc Carta donationis per manus Johannis Notarii, rogatus a supradictis, sicut supra legitur, scripsi, complevi, & dedi.

Anno Dominice Incarnationis Millesimo Nonagesimo Septimo ex authentico Reginaldus Tabellio, in quantum recognoscere potuit, exemplavit.

Presbiter Homodeus, Manfredinus, & Wide Pot . . . . . *&* Widizone, *&* . . . . . *ad omnia suprascripta audienda, sicut supra relegitur in antiquo Instrumento, interfuerunt, & hujus rei causa rogati sunt testes.*

C *Ego Girardinus Dei gratia Notarius, hoc presens Instrumentum, ut supra legitur, legi.*

Habemus heic ***Adelbertum Comitem***, ejuſque conjugem *Bertillam Comitiſſam*, qui *ſecundùm noſtram Legem Ribuariam* defenſuros ſe eſſe donationem factam pollicentur. Ad hæc oblationem iſtam faciunt pro animabus etiam *Bonifacii* & Walfredi & *Adelberti filiorum noſtrorum*. Certa heic indicia ſunt, agi de patre *Bonifacii Marchionis Lege Ribuaria viventis* Anno MIX. ut in membranis legitur. Præterea offeruntur hæc etiam Deo *pro Domna Gualdrada, quæ fuit glorioſa Comitiſſa, & pro Domno Theobaldo, qui fuit Dux & Marchio, Genitore & Genitrice meis*. Hæc referenda videntur ad ipD ſum Adelbertum Comitem donatorem. Quod ubi ſtatuas, habes Adelberti ipſius patrem *Theobaldum Camerinorum & Spoletinorum Marchionem & Ducem*, quem Liutprandus Ticinenſis Hiſtoriæ ſuæ Lib. 4. Cap. 4. commemoravit, & *affinitate conjunctum Hugoni Italiæ Regi*, & Lib. 5. Cap. 2. *Nepotem* dixit. Ejus uxor *Gualdrada Comitiſſa* fuit: ac proinde emendandus Lilius in Hiſtoria Camertium, qui Ermengardam uxorem ei tribuit. Proxime autem præceſſit *Theobaldo* in regimine Spoletani Ducatus *Bonifacius Marchio* & *Comes potentiſſimus*, uti idem Liutprandus eum appellat Lib. 3. Cap. 18. atque hic ***Gualdradam*** duxerat *ſororem RodulE phi Burgundionum Regis*, diverſam a *Gualdrada* Adelberti Comitis conjuge. Decernant autem alii, quibus plus otii ſit, an Adelbertus iſte, ſive Albertus Comes e Bonifacio Spoletano Duce deſcendiſſe potuerit, quum ejus pater Theobaldus certe eidem Ducatui præfuerit, & recreatum videamus in ejus filiis *Bonifacii* nomen, immo primogenitus illius Bonifacius Ribuarius *Marchionis* titulum geſſerit. Vide etiam Chartam Anno MIX. ſcriptam apud Ughellium Tom. 3. Italiæ ſacræ in Archiepiſ. Florentinis, ubi *Bonifacius inclytus Marchio, filius Domni Alberti, qui fuit Comes, profitetur ſe Legem vivere Ribuariorum*. Idem ille omni-

omnino videtur, qui in modò evulgatâ Chartâ enuntiatur. Atque hæc jungenda iis, quæ antea commentatus ſum de Ducibus Spoletanis in Diſſertatione VI. *de Marchionibus*. Hactenus dixi, in more fuiſſe, ut qui *Nationem* profitebatur, *Legem* quoque ejuſdem Nationis tacite ſe amplecti proteſtaretur. Attamen quum licuerit, ut infra adjiciam, Italiæ incolis aliam a ſua Natione profiteri Legem; ac propterea quum certam ejuſdem Legis notitiam minime is præberet, qui Nationem ſuam tantummodo patefaciebat: ſenſim invectus eſt ritus, ut in donationum, permutationum, aliorumque contractuum Chartis, homines Italici diſertis verbis profiterentur, cui Legi obnoxius quilibet foret. Exempli cauſsâ ajebant: *Ego Adelbertus filius* &c. *qui profeſſus ſum ex Natione mea Lege vivere Langobardorum*; cujus rei exempla bene multa dedi in Antiquitatibus Eſtenſibus. Hujus profeſſionis indicia, non multa tamen, occurrunt in Chartis Sæculi Noni. Unum adferam, excerptum e pergamenâ Monaſterii Ambroſiani Mediolanenſis. Ita illic legitur: *Scriptum pro futuris tempori-*

A *bus ſecuritate & firmitate, qualiter preſentia bonorum hominum Francos & Langobardos, eorum nomina ſupter leguntur, tradedit Giſulfus Miniſterialis Domni Imperatoris, qui profitebatur Salica vivere Lege, per cultellum, wantonem, & fiſtucum notatum, ſeu ramum arboris, juſta ſua Lege Salica, in manus Petri quondam Paulici, ſeu Ercembaldi, Vaſallo ſuo* &c. *rebus mobilibus & immobilibus tam in Valtelina Judiciaria Mediolanenſis, & in Caſale Judiciaria Planluenſe, vel ubi ubi* &c. *Anno Imperii Domni Hludowici Octabo Decimo, XVI. Kalendas Magias, Indictione XV.* Eſt is Annus Chriſti DCCCLXVII. Animadverte *Vallem Tellinam* temporibus iis ad Comitatum ſive di-

B ſtrictum Civitatis Mediolanenſis ſpectaſſe. Quid fuerit *Judiciaria* illa *Planluenſis*, inquirant alii. De hoc ipſo in præcedenti Diſſertatione mentionem feci. Ineunte etiam Sæculo X. expreſſa invenitur eadem Legis profeſſio. Ipſam intuere in membrana authentica ſcripturæ difficillimæ, exſiſtente in Archivo Eſtenſi, cujus hæc ſunt verba.

Donatio bonorum facta a Luvone filio Gonzolini Severo Nauclero Ticinenſi, Anno 919.

IN nomine Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Regnante Berēgario Rex Auguſtus ic in Italia Deo propitio; decimo ſu die de Menſe Julius, Indictione Setima, feliciter: Conſtat me Luvo filio Gouzolino de Civitate, que vocatur Verona, & Berengario Rege, vivente Lege Longobardorum, *tradediſſe, ita tradedit tibi verò Severo Nauclerio filio Siro da Pavia per anc preſente pagina donacionis mee a die preſente & ora, a tua proprietate at abendum: ideſt Terra juris proprietatis mee, quam ego abere & poſſidere viſo ſum, & poſita eſt ipſa dicta res in Comitato Gavello, & in finibus Longuria in loco, ubi vocabulum eſt Curte Colognia, que fuit de Cono. Et Curte, que dicitur Perlogina in uno tenente, & cum Curteſella, que nominatur Prodognica. Et que terre fines Valle Prodognica & da uno lato Sirmone & Fenicla abente, & da alio latus. Que res ipſe pertinet & in Canpirſo abente, & da uno latus Villa Zacara abente, & que in jura Dognica jacente, & alio latus Curgocavo jacente, & que in jure Curte pertinet, aut pertinere debet, & infra deſignato loco, vel ejus menſura, ſeu predita coërencia cum omni ſupra ſe abente, ego jam dictus Donator exinde mihi nulla reſervo, una cum ingreſſo comune. Et pro dita mea donacione accepit ego ditus Donator ad te dicto Entore fenito merito cauſa Anigilda Manicias duas. Et quidem ſpondeo atque repromito ego jam dito Donator vel meis & heredibus tibi dito Entor vel tuis vel heredibus, aut cui tu dederis, ſit. Et ſi de dita mea donacione aliquādo tempore moleſtare preſunſerimus, & quitquit homo defendere non potuerimus, a tantum in quantum dita mea donacione aliquando tempore, cum omnia ſupra ſe abente, in conſimili loco res valuerit, duplare promitimus. Et anc preſentem paginam donacionis mee, ſicut ſupra legitur, hognique tempore firma & reabile inconvulſa inrevocabilis permaneat, cum ſtipulacionis ſugnixa.*

Acto in preſenti loco finibus Longuria, feliciter

C *Signum* ✠ *manus dito Luvo filio Gonzolino, & Berengario Res, qui anc preſentem paginam donacionis ſcribere rogavit, & omnia, que ſicut ſupra legitur.*

Signum ✠ ✠ ✠ *manus Arcuberto, & Fredingo, & Almerico,* vivente Lege Salica, *a ſcribere.*

Signum ✠ ✠ ✠ *manus Aurengo & Felicis & Agino,* vivente Lege Longobardorum, *rogatus ad ſcribere, & omnia, que ſicut ſupra legitur.*

Et ego Gausfredo Notarius atque Judes de omnia, que ſupra legitur, qui anc paginam donacionis ſcripſit & poſt tradita complevit & atſolvit.

D Exinde verò crebrius & accuratius ſignata in Chartis cernitur *Legis*, & non raro *Nationis* quoque, confeſſio; idque familiare fuit Sæculo XI. ſimulque XII. Nunc repeto, licuiſſe olim Italicis, abjectâ Nationis ſuæ Lege, alteram publice profiteri. Huc facit Edictum Lotharii I. Auguſti Romæ promulgatum, ut ſupra vidimus. Quare nuda profeſſio Legis etſi plerumque Nationem quoque indicare conſueverit, certum tamen ejuſdem argumentum præbere nequit. In Præfatione ad Antiquitates Italicas animadverti, *Umbertum Comitem filium quondam Amedei*, profeſſum fuiſſe Anno MXCVIII. ſe *Lege vivere Romana*, uti patet ex Charta ab Ughellio edita Tom. 4. Ital. Sa-

E cræ. Ex eo deſcendit Regia Sabaudienſium Ducum, nunc Sardiniæ Regum, Familia, quam tamen Guichenonius contendit olim uſam fuiſſe *Lege Salica*. Ex hac autem Charta Clariſs. Marchio Scipio Maffejus Veron. Illuſtrat. Lib. XI. pag. 306. conjecturam deduxit, nobiliſſimos eos Principes Romanæ originis fuiſſe, ac præcipue, quod familiare eis fuerit *Amadei* nomen, Latinum nempe, ſive Romanum, non verò exteræ gentis. Proinde is in alteram conjecturam progreditur, videlicet fieri potuiſſe, ut ii deſcenderint ab Amedeo, *Milite apprime nobili*, qui Anno DCCCCXL comi-

cognomen de Ardo Berengario Comiti ſuo (teſte Liutprando Lib. 5. Cap. 8. Hiſtor.) dum in Germaniam fugeret, Hugonis Regis inſidias eluſit. Deinde addit: *Forſe Berengario fatto poi Re d'Italia in premio della ſua affezione e del ſuo valore, gli donò la Savoja, o gran parte d'eſſa.* Equidem certum puto, non ita Romanorum fuiſſe proprium *Amadei* nomen, ut etiam Francis etiam, & Salicæ Legis profeſſores nunquam legatur. Anno DCCCXXVIII Ludovicus Pius Auguſtus *Amadeo Comiti, Hilae, & Waldo Vaſſis noſtris* imperat, *ut adjutorium faciant Heriberto Diacono ad reſtaurandam Eccleſiam Sancti Benigni*, Divionenſis in Burgundia. Alii quoque ejuſdem nominis in Gallia & Belgio olim occurrebant. Illud contra concedo, videlicet fieri potuiſſe, ut ab iſto Comite *Amadeo* antiqui Maurienna Comites, poſtea Sabaudiæ Duces, deſcenderint. At quod eſt ad Berengarium II. Italiæ Regem, is minime potuit largiri Sabaudiam aut potiorem ejus partem illuſtri illi ſuo Militi Amedeo: quod facile intelliget Doctiſſimus Scipio Maffejus, quotieſcumque recogitet, Sabaudiam nunquam ad Italicum Regnum pertinuiſſe, & præcipue Sæculo Chriſti Decimo partem fuiſſe Burgundici Regni. Dixi, nudam Legis profeſſionem minime certum præbere Nationis cujuſque indicium; atque hoc potiſſimum animadvertere opus eſt, quum agitur de Eccleſiaſtici ordinis viris, tam Sæcularibus quam Monachis; ii quippe *Lege Romana* regebantur, ita ut ubi quiſquam Clero nomen dandum deberat, is continuo, ſive Langobardum ſive Francum, ſive alterius gentis foret, ſe Romanis Legibus addictum profiteretur. A Ludovico Pio Auguſto in Lege 55. Langobard. ſtatutum eſt: *Ut omnis Ordo Eccleſiarum ſecundum Legem Romanam vivat: & ſic inquirantur & defendantur res Eccleſiaſticæ.* Proinde videmus in Chartis noſtris Presbyteros, qui ſe natione *Langobardos* aut *Franciſcos* appellant; *ſed propter honorem Sacerdotii Romana Lege* ſe vivere profitentur. Privilegii loco id Clericis conceſſum ego opinor, neque per vim eos adactos fuiſſe ad ejurandam gentis ſuæ Legem, dum hæc ſibi gratior foret. Interdum enim Eccleſiaſtici viri deprehenduntur alia potius quam Romanâ Lege uſi. Apud Campium in Appendice Tomi primi Hiſtor. Eccleſ. Placentin. ad Annum DCCCCXXXIII. *Andreas humilis ſanctæ Derthonenſis Eccleſiæ Epiſcopus, & filius bonæ memoriæ Ariprandi de loco Racle, Lege vivens Langobardorum*, poſtremas tabulas condit. En ut ille adhuc pergit uti Langobardicâ Lege. Idem obſervatum videas ab Attone Bergomate Epiſcopo Anno MLXXII. Tom. 4. Ital. Sacræ. Et ille ſe profitetur ex *Natione ſua Lege vivere Longobardorum*. Profeſſus itidem fuit *Nationem* ac *Legem Francorum* Odelricus Epiſcopus Cremonenſis, ut patebit e formulis dicendi in ejus Charta legendis, cujus antiquum apographum vidi in Tabulario Capituli Canonicorum Cremonenſium.

Odelricus Epiſcopus Cremonenſis Monaſterium Sancti Laurentii in Suburbio Civitatis Cremonæ fundat, atque illud multis bonis donat, quibuſdam conditionibus Abbatem & Monachos conſtringens, Anno 990.

ANno ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti Nongenteſimo Nonageſimo, Pridie Kalendas Junii, Indictione Tercia. Dum primus ac Creator omnium rerum omnipotens Dominus homini in hoc Seculo vitam concedit, ſemper debet illud agere, quod Deo acceptabile ſit & purum munus Deo afferre. Unde in hoc Seculo protegente Chriſto incolumis eſſe reperiatur, & quod melius eſt, vitam eternam percipere mereatur. Quapropter ego Odelricus Epiſcopus *ſanctę* Cremonenſis Eccleſie, filius *bone memorie* Nantelmi Comitis, ex genere Francorum, *accepto ſuperno conſilio, non mea operante clementia, edificare viſus ſum Monaſterium in honore Sancti Laurentii Martyris in area una de terra juris mei, cum duabus Eccleſiis inibi conſtructis, quarum una in honore Sancti Laurentii, alia in honore Sanctę Marie, ſeu beatorum Apoſtolorum Philippi & Jacobi eſt edificata: quas ego a fundamentis noviter edifiſsavi, que eſſe videntur in ſuburbio hujus Civitatis Cremone, non multum longe a Porta Canonicorum, ſive pecia una de vitibus cum area in qua eſtat, in qua via percurrit, cum parte terre aratorie ibi ſe tenente, atque pecia una de prato cum Pal ide ſimul ſe tenente, que eſt per menſuram omnis ſimul jugera undecim: coheret ei a duabus partibus, a mane ſcilicet & meridie terra ipſius Epiſcopii ſanctę Cremonenſis Eccleſie; a tercia parte, ideſt a ſera, terra Ildeprandi, Rozonis; a quarta parte, ideſt a meridie via publica. Et dono ſeu offero atque judico eidem ſancto & venerabili Monaſterio pro anime mee remedio, ſcilicet caſas & omnes res, que ſunt ſimiliter juris mei, poſite in loco & fundo que dicitur Pladena, que eſt Curtis una domui cultile cum Caſtro ibi conſtructo & foſſato, cum tunimine circumdato, & Capella conſecrata in honore Sancti Michaëlis Archangeli cum ſervis & ancillis ibidem habitantibus, ſeu cum caſis & omnibus rebus & maſſariciis ad eandem Cortem pertinentibus, & eſt pro menſura ſedimina cum eodem Caſtro ibi & Capella cum areis ex parte vitatis jugera undecim &c. Servos & Ancillas, quorum nomina ſunt: Leo, Pederunga jugales, Urſenga, filia eorum Bruna, Alchinda, Andrea, Adam, Arnoldus, Dominicus, Liutaldus, Dagibertus, Adalbertus, Remedius, Johannes, & item Johannes, Teupertus, Petrus, Attale, Pedeuga, Ropga, Roteperga, Garlinda, Walperga, Ageuga, item Benedicta, Odenga, Guperga, Bona, Dominica. Omnes quoque ille caſe & res, que ſunt in locis & fundis Raigada ſita prope Urſocaſale, & eſt per menſura juſta ſedimina & vineas cum areis ſuis terris arabilibus & ſilvis atque Caſtanetis jugera ſexaginta &c. Et dono ſeu offero atque judico eidem ſancto & venerabili Monaſterio pro anime mee remedio, ſcilicet caſas & omnes res, que eſt ſimiliter juris mei, poſite in loco & fundo, que dicitur Pladena &c. De terris vero arabilibus & pratis jugera centum: de Silvis quoque & ſtallareis ſeu buſcaleis & jer-*

Jerbidis jugera centum quinquaginta, ſive caſes & omnes res in locis & fundis Canedo &c. A

Ab hac die in eo Monaſterio dono & offero, & per præſentem Cartula ibidem habendum confirmo. Inſuper cultellum, feſtucam nodatam, wantonem, & waſonem terre, atque ramum arboris *parti ipſius Monaſterii, legitimam facio traditionem & veſtituram, &* me exinde foras expuli, warpivi, *&* abſaſcito feci *&c. Proinde volo & inſtituo, ſeu judico, ut ſit idem Monaſterium cum omni ſua integritate & pertinencia ſub mundio & tuitione pretaxati Epiſcopii ſancte Cremonenſis Eccleſie tantum, ad id defendendum, & Abbatem ibidem ordinandum & conſecrandum, quando neceſſe fuerit, ſecundum conſtitucionem ſanctorum Patrum ab Epiſcopo ejuſdem Epiſcopii, ſuiſque ſucceſſoribus, ita ut munera nullus exinde accipiat, & prelibata Abbacia perpetuo erga cultum religionis & regulam Sancti Benedicti in ſua virtute permaneat ſub regimine ſcilicet Abbatis & Congregationis Monachorum ſine aliqua diminucione terrarum & rerum atque familie, que ad utilitatem Abbatis & Monachorum pertinent. Set neque Abbas quempiam quocumque tempore ordinare preſumat in religioſum quemque, quem ſi tota Congregatio concors elegerit. Illud & attendendum eſt, ut ſi forte diſſenſerint vel diſcrepaverint, ſecundum precepta ſanctorum Canonum ac religioſiori parti ſemper cedant. Si autem Monachi in eodem Monaſterio conſtituti tepidi in amore Dei,* C *aut contra inſtituta Patrum torpentes, qui non conſpiciuntur inſiſtere ſecundum Regulam ſanctorum Patrum, ab Abbate ejuſdem Monaſterii corrigantur. Si autem Abbas contra ſtatuta Patrum fuerit deprehenſus, & in ſiniſtram partem declinaverit, aſſiſtentibus duobus Presbiteris Abbas, qui . . . . . non religioſiores inventi fuerint, eorum iudicio & prudentia definiatur. Ab Epiſcopo ipſius Eccleſie, ſuiſque ſucceſſoribus tam ipſum & ſucceſſores ejus inſtituto corrigendum. Nec licentia ſit Epiſcopi ejuſdem Epiſcopii ſuiſque ſucceſſoribus ſub . . . . . reprenſionis zelo cupiditatis aliquam Monaſterio offendere controverſiam contra preſcripta omnia. Nam ſi, quod Deus avertat, & fieri non credo, Epiſcopus aut pars ejuſdem Epiſcopii Abbatem & Monachos, qui in eodem Monaſterio ordinati fuerint, quiete & pacifice ſub ſancta Regula vivere non permiſerint, vel de eadem Abbatia & rebus vel familiis aliquam ſubtractionem aut minorationem facere queſierit, & hanc meam ordinationem per omnia ſic ſtabilem eſſe non permiſerit, ſicut ſupra decrevi, tunc volo & per hanc Cartulam confirmo atque judico, ut veniat & ſit eadem Abbatia in poteſtate Archiepiſcopi ſancte Mediolanenſis Eccleſie &c.* D

Ego Odelricus Epiſcopus in hoc judicato a me facto ſubſcripſi.

Signa ✠ ✠ ✠ *manuum Adam Vaſſi predicti Odelrici Epiſcopi, & Boncjovis, ſeu Gotefredi de eadem Civitate Cremona,* teſtes Lege viventes Salica.

Ego qui ſupra Adelbertus Notarius, Scriptor hujus Cartule ordinationis ſeu Judicati atque diſpoſitionis, poſt tradita complevi & dedi.

Ad hæc vide infra in Diſſertatione LVI. *de Religion. Chriſtian.* Rorii Patavini Epiſcopi Chartam, qui *Lege Salica* utebatur. Ita in Tabulario Canonicorum Mutinenſium habetur Charta ſcripta his Notis: *Henricus gratia Dei Rex, Anno Regni ejus Deo propitio ic in Italia Quarto, V. Kalendas Novembris, Indictione VI.* B ideſt Anno Chriſti MVII Continetur ibi commutatio *inter Domnus Wido Epiſcopus Epiſcopio ſancte Ticinenſis Eccleſie, nec non & Johannes Presbiter, filius quondam Andree, qui profeſſus ex Nacione ſua Legem vivere Langobardorum* &c. Chartam quoque produxit ſupramemoratus Campius pag. 491. ſcriptam Anno DCCCCXLIX. ubi occurrit *Adelprandus Diaconus de ordine ſancte Placentine Eccleſie, qui profiteor me ex Natione mea Lege vivere Longobardorum*. In Charta autem Anni DCCCCLXXXVIII. pag. 492. nominatur *Sigulfus Epiſcopus ſancte Placentine Eccleſie, qui profeſſo ſum ex Natione mea Lege vivere Salica*. Inſigne etiam Monaſterium Farfenſe mordicus ſemper contendit, ſe *Capitulis Langobardorum Legis*, non verò *Romanæ*, eſſe regendum, ut in Chronico Farfenſi habetur Part. 2. Tomi II. Rer. Italicar. pag. 501. 503. & 520. Dignum eſt, quod legatur Placitum ibi editum pag. 505. ubi qui ritus in Judiciis ſervarentur, vel in ipſa Urbe, conſtabit. Liberti quoque Legem Dominorum ſuorum ſequi juſſi ſunt in Lege 229. Rotharis Regis. Itidem in Decreto Liutprandi Regis Feminæ ſui Conjugis Legem profiteri cogebantur; ejuſque moris Sigonius, Chiffletius, Florentinius, & alii, atque ego ipſe in Antiquitatibus Eſtenſibus, non unum exemplum attulimus. Attamen morem hunc novis aliis exemplis confirmare juvat. *Beatrix* uxor Bonifacii Ducis & Marchionis Tuſciæ, ac mater Mathildis celeberrimæ Comitiſſæ, ex gente Langobardica profectò ſuum ſanguinem non hauſit, utpote quæ patrem habuit Fridericum Lotharingiæ Ducem, & Salicam Legem in aliquot Chartis profitetur. Verùm cum eodem Bonifacio Marchione conjuncta, hoc eſt cum Principe Langobardici generis, adhæſiſſe & ipſa invenitur Legi viri ſui. Profero Chartam ex Archivo Benedictinorum Regienſium, olim Sancti Proſperi, nunc Sancti Petri, teſtem hujus veritatis.

Concordia inter Beatricem Comitiſſam, Bonifacii Ducis & Marchionis uxorem, & Johannem Abbatem Monaſterii Regienſis Sancti Proſperi, Anno 1041.

ANno ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti Milleſimo Quadrageſimo Primo, die Tertiadecima Menſe Marcii, Indictione X. Monaſterio Sancti Proſperi Chriſti Confeſſoris, ubi ejus humatum quieſcit Corpus, ſito ſuburbium .... *ubi nunc* Domnus Johannes Abbas *ordinatum eſſe videtur. Ego* Beatrice Cometiſſa, filia quondam Frederici, & conjux Boneſacii Marchio, que profeſſa ſum Lege vivere Langobardorum: *ipſo namque jugale & mundoaldo meo michi conſentiente & ſubter confirmante, preſens preſentibus dixi: Promitto atque diſpondeo me ego, que ſupra, Beatrice Cometiſſa, una cum meos heredes, a parte predicto Moneſterio* ...... *nullam unquam in tempore non habeamus licenciam nec poteſtatem per nullumvis ingenium, nullamque ocaſionem, quod fieri poteſt, agere nec cauſare nominative Maſaricias ſeu rebus territoriis juris prefato Moneſterio, quibus eſſe videntur duas ex ipſes in loco, qui dicitur Campaniola; una que recta fit per Dominico, & alia eſt recta per Johannes & Petro germanis. Tercia namque Maſaricia in loco ubi dicitur Campegenne, que recta ſunt per item Dominico; quarta Maſaricia in loco, qui dicitur Sorbolo, eſt recta per Bonizo Maſario; quinta Maſaricia in loco, qui nominatur* Paterno, *que recta ſunt per Madelberto Maſario; ſexta Maſaricia in loco, ubi dicitur Monticello prope Viliano, que recta & laborata ſunt per item Johanne Maſario. Nominative quod ipſe Boneſacio Marchionis* .... *Maſarici per Cartulam offerſionis in eodem Moneſterio emiſit omnia, & ex omnibus, ut dictum eſt, in integrum. Quot ſi amodo aliquanto tempore ego que ſupra Beatrice Cometiſſa vel meos heredes a parte jam dicto Moneſterio predictes Maſaricies agere aut cauſare vel removere preſumſerimus per nos, aut noſtra ſummitentes perſonas, vel ſi apparuerit ullum datum aut factum, vel colibet ſcriptum, quod nos de predictes Maſaricies inde in aliam partem feciſſemus, & claruerit & exinde* .... *ore tacita & quieti non permanſerimus: tunc promitto componere ego que ſupra Beatrice vel meos heredes a parte predicto Moneſterio pena dubles ipſes Maſaricies, ſicut pro tempore fuerint melioratas, aut valuerint ſub extimatione in conſimilibus locis, & inſuper pena argentum denariis bonis Papienſibus Libres centum. Quidem & ad anc confirmandam promiſionis Cartulam accepi ego, que ſupra Beatrice Cometiſa ad te jam dictus Domnus Johannes Abbas da partem predicto Moneſterio exinde Launechil Capello uno, manente anc Cartula promiſionis omnique tempore in ſua firmitate.*

Actum in loco, qui dicitur Bondino, feliciter.

✠ *Signum manus ſupraſcripta Beatrice Cometiſa, que anc Cartulam promiſionis per conſenſum ipſius Boneſacii Marchio jugale ſuo fieri & firmare rogavi, & ſupradicto Launechild accepi, & ei relecta eſt.*

Signum ✠ ✠ ✠ *manibus Marci, & Ingelberti, ſeu Johanni,* Lege viventes Langobardorum *rogatis teſtes.*

Scripſi ego Adelbertus Notarius, poſtradita complevi & dedi.

Alterum exemplum prodeat, hauſtum ex Archivo ampliſſimi Viri Antonii Rambaldi Comitis de Collalto, intimi Conſiliarii Cæſareis.

Rambaldi Comitis Tarviſini donatio facta Monaſterio Sancti Euſtachii Martyris de Narveſia, Anno 1081.

ANno Dominice Incarnationis MLXXXI. pridie Kalendas Auguſti, Indictione XIV. in Monaſterio Eccleſie Sancti Euſtachii Martyris Chriſti, ſito in loco Montelli ad locum, ubi dicitur Narviſia, ubi Domnus Petrus *eſſe videtur.* Nos Rambaldus Comes, filius Rambaldi Comitis de Civitate Tarviſii, & Magthilda filia Burgundi Marchionis, conjugales, qui profeſſi ſum ego quidem Rambaldus Comes ex natione mea Lege vivere Longobardorum, & ego Magthilda ex natione mea Lege vivere videor Salica, ſed nunc pro Viro meo Lege vivere videor Longobardorum: *ipſo namque jugali meo & mundualdo mihi, cui ſupra, conſentienti, & ſubſcripſi, & confirmare preſens preſentibus dicemus: Vita & mors in manu Dei eſt. Melius eſt enim homini, metu mortis vivere, quam ſpe vivendi ad mortem ſubitaneam pervenire, ut quiſquis in ſanctis & venerabilibus locis ex ſuis aliquid contulerit rebus, juſta Auctoris vocem in hoc Seculo centuplum accipiet, & inſuper quod melius eſt vitam poſſidebit eternam. Ideo nos qui ſupra Rambaldus Comes & Magthilda jugales pro remedio anime noſtre & parentum noſtrorum offerimus, donamus & tradimus predicto Monaſterio Sancti Euſtachii inprimis ſex Maſſaritias in Calcade, que ſunt laborate, & recte per Maſſarios liberos homines. Hi ſunt, prima per Andream: ſecunda* ..... *& tres alias in eadem Villa, & eodem territorio ejuſdem Ville Calcade, quas Pater meus & Mater mea eidem contulerunt Monaſterio pro remedio anime ſue. In Sancto Martino quinque Manſos & Mercatum. Prima Maſſaritia eſt laborata & recta per Johannem Lindum: ſecunda per Petrum: tertia per Stephanum: quarta per Pagiſanum: quinta per* .... *liberos homines. Et inſuper alias decem damus, concedimus, & firmamus ſupradicto Monaſterio. Et Eccleſiam Sancte Marie in eadem Villa, quam Pater meus, & Mater mea eidem contulerunt Monaſterio. In Ronchade Capellam Sancte Cecilie cum Manſo uno laborato per Vitalem liberum hominem. Et inſuper omnia, que Pater meus & Mater mea contulerunt eidem Monaſterio pro remedio anime ſue. In Narviſia*

ſta Maſſaritias decem . In Archade tres . In Spercellano duas . In Maſerata duas . In Sperzenigo tres . In Arnas ſex . In Meſtre quatuor . In Vedelago duodecim . Et Eccleſiam Sancti Pelagii cum dote & petia una terre extra Civitatem Tarviſii infra ambos Cagnanos : cum caſis & horto & Curte , inſimul ſe tenentibus . Eccleſiam Sancti Michaëlis , & culturam ipſius cum dote . Molendinum ſubtus Croda cum ſuis pertinentiis . Quas omnes ſupradictas Maſſaritias , Capellas , & Molendinum juris noſtri , cum caſis , vineis , campis , pratis , paſcuis , ſilvis , & ſtallariis , ripis , rupinis & paludibus, cultis & incultis , diviſis & indiviſis , una cum finibus , terminis , & acceſſionibus , & uſibus aquarum , aquarumque ductibus , cum omnibus ſupradictis Capellis , Maſſaritiis , cum ſuis pertinentiis in integrum predicto Monaſterio obtulimus pro remedio anime noſtre & parentum noſtrorum, & omnibus ingreſſibus ſuis generaliter , ut ſuperius legitur . Et decernimus ab hac die predicto Monaſterio , & Abbati Petro & Monacis , qui pro tempore ordinati fuerint , ut faciant jure proprietario & nomine quicquid voluerint ſine omni noſtra & parentum noſtrorum mercede . Eidem ſpondemus, atque promittimus nos qui ſupra Rambaldus Comes & Magthilda jugales , una cum noſtris heredibus predicto Monaſterio & Abbati & ſuis ſucceſſoribus , aut cui pars dicti Monaſterii dederit , ab omni homine defenſare . Et ſi defenſare non potuerimus , aut ſi nobis exinde aliquid per quovis ingenium ſubtrahere queſiverimus : tunc in duplum reſtituemus vobis eadem offerſionis Cartula , ſicut pro tempore fuerint meliorata , aut valuerint ſub eſtimatione , & in conſimili loco .

Actum in Civitate Tarviſii in Turre ipſorum Jugalium ſupradictorum , feliciter .

✠ ✠ Signum Rambaldi Comitis , ac Magthilde Jugalium , qui hanc Cartulam offerſionis pro anime ſue & ſuorum parentum ſcribere rogaverunt .

Ego Opius de Fontanea rogatus , & Imperiali auctoritate Notarius ſcripſi .

✠ ✠ ✠ ✠ Marſilius de Vico Avigini , Odulphus Villanus , & Egidius de Romano , & item Peregrinus , Lege Longobardorum atque Salica viventes teſtes .

Non pigebit Lectorem accipere alteram Chartam , quæ ad filiam ejuſdem Rambaldi Comitis pertinere videtur . Eam ego depromſi e nuper laudato Tabulario Monachorum Benedictinorum olim Sancti Proſperi , nunc Sancti Petri Regienſis .

Mathildis Comitiſſa , uxor Uchonis Comitis Monachis Regienſibus Sancti Proſperi quædam a viro ſuo donata confirmat , Anno 1091.

In nomine Domini Dei eterni . Anni ab Incarnatione Domini noſtri Jheſu Chriſti Milleſimo Nonageſimo Primo , X. die menſe Decembris , Indicione XV. Tibi , que dicitur Eccleſia de Monaſterio Sancti Proſperi , ſita extra Civitate Regi , ibi prope eſt non multum longe , ego Matilda Comitiſſa , filia quondam Regibaldi Comitis de Comitatu Terviſi , & conius Uchoni Comitis , qui profeſſa ſum ego ipſa Matilda Comitiſſa ex Nacione mea Lege vivere Langobardorum , ſet nunc pro ipſo viro meo Lege vivere Alamanorum . *Ipſo namque predicto Ucho Comes jugale meo mihi conſencientes & ſubtus confirmantes preſens preſentibus diſi ; promitto adque epſpondeo me ego que ſupra Matilda Comitiſa , una cum meis heredibus a pars Eccleſia de Moneſteri iſte Sancti Proſperi , ut amodum nullum quempiam tempore non abeamus licenciam , nec poteſtatem per nullumvis ingenium , nullamque occaſionem , quod fieri poteſt , agere , nec cauſare adverſus eodem ſupraſcripto Moneſteri Sancti Proſperi , ſorte una Maſaricia in Loco & fundo Caſtello Walteri , & in loco , ubi dicitur Roncale , que eſt recta & laborata per Bonotempo Maſario , & eſt ipſa ſorte Maſaricia inter ſediminis , & vineis cum areis ſuarum , ſeu terris arabilis & pratis pro menſura juſta juges quinque ; & omnibus rebus terectoris in loco & fundo Campezini , in locis ubi dicitur Curte Gaſtaldii , & a la Molla . Et ſunt iſtis rebus terectoriis inter ſediminis ſeu vineis cum areis ſuarum ſeu terris arabilibus & pratis juges ſunt item quinque , & ſi amplius in jam nominatis locis Campizini ſupraſcriptis rebus & terectoriis inventum fuerit, quod ſint ſupra dicta menſura , a pars Eccleſia dicti Moneſterii Sancti Proſperi per . . . . poteſtatem proprietario jure , unde ſupraſcripto Ucho Comes jugale meo per Cartulam ufferſionis emiſit in poteſtatem . . . . Eccleſia dicto Moneſterio Sancti Proſperi dicendum , quod michi pertineat , aut pertinere debeat ; ſed omni tempore ego que prius Matilda Comitiſa , meiſque heredibus exinde tacitis & contentis permaneant . Quod ſi amodo aliquando tempore ego que ſupra Matilda Comitiſa cum meis heredes adverſus Eccleſiam dicti Moneſterii Sancti Proſperi , aut ili , qui ipſa ſorte Maſaricia & de ſupraſcriptis rebus terectoriis tenuerit da parte dicti ſupraſcripto Moneſterio , agere aut cauſare vel removere preſumſerimus , aut ſi aparuerit ullum datum aut factum vel col. . . . . exinde in aliam partem aparuerit , cui ego que ſupra Matilda Comitiſa de ſupraſcripta ſorte Maſaricia & de ſupraſcriptis rebus terectoriis dediſemus aut feciſemus , tunc ſi oc aparuerit & clarum fuerit , tunc componere promitto me ego que ſupra Matilda Comitiſa a pars Eccleſie dicti Moneſterii Sancti Proſperi pena dupla ſupraſcripta ſorte Maſaricia & omnibus rebus terectoriis in duplum , ſicut pro tempore fuerint meliorates , aut valuerit ſub eſtimatione in conſimilis locis , quia oc in tali tenore facere juſſi. Et accepi ego que ſupra Matilda Comitiſa da pars Eccleſia dicti Moneſterii Sancti Proſperi pro miſo Landulfo Monachus merita cauſa & inde Launechil croſna una , ut ec mea mens firma & ſtabilis permaneat adque perſiſtat , quia omnia ſic ut inter nobis convenit .*

Actum in Caſtro Calviſiano , feliciter .

Signum ✠ manum ſupraſcripta Matilda Comitiſa , que anc Cartulam promiſionis fieri rogavi , & iſte Launechil accepit ut ſupra .

Signum ✠ manus Uberti Comes, qui eadem Marchiſſa Comitiſſa conjux ſua conſenſit, ubi ut ſupra.

Signum ✠ ✠ manibus Lanfranchi, & alio Lanfranco gradu hominibus teſtes Lege Langobardorum ibi viventes.

Ego Rodulfus Notarius & Judex ſacri Palatii rogatus ſcripſi unum Cartule promiſſionis poſt tradita complevi & dedi.

A Hic etiam exemplum accipe, quod de Tabulario Nonantulani Monaſterii eduxi, ubi antiquum apographum adſervatur. Libenter vero, ejuſmodi Chartas oblivioni ereptas volo, quod in iis illuſtres perſonæ memorentur, quarum memoriam aut reſtituere, aut conſervare decet.

Charta permutationis bonorum inter Rodulphum Abbatem Nonantulanum & Adelbertum Comitem filium Uberti Comitis, Anno 1034.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Chuonradus gratia Dei Imperator Auguſtus, Anno imperii ejus Deo propitio VIII. quarta die menſis Julii, Indictione II. Commutatione in Dei nomine noſcitur eſſe contractum bone fidei, ut vicem contractus optinent firmitatem eodemque nexu obligant contrahentes. Placuit itaque bona convenit voluntatem inter nos Rodulphus Abbas Monaſterio Sancti Silveſtri ſito Nonantula, nec non Adelbertus Comes, filius quondam Uberti, qui fuit item Comes, & Sophia jugalibus, filia Pochlourandi, qui fuit ſimiliter Comes, que profitebitur ſe ipſa Sophia ex Natione ſua Lege vivere Langobardorum, ſed nunc per eundem Viro ſuo Legem vivere videtur Salicha. Ipſe namque jugalis & mundoaldo ſuo ei conſentiente & pariter confirmante, & ex juſtis capitulis Domni Imperatoris, in quis inter cetera continere videtur, ut ſic mulier cum viro & marito ſuo . . . . poteſtatem res ſuas commutandum ita & donandum commutare valeat. Idemque ipſa Sophia, una cum notitia Domni Widoni item hujus Comitatu Plumbienſe, in cujus preſentia vero teſtium certa ſe nullam pati tur violentiam cujuſpiam hominem, nec ab ipſo jugali & mundualdo ſuo, verò ſua bona & ſpontanea voluntate, ut in Dei nomine debeat dare, ſicut a preſenti dederunt ac tradiderunt viciſſim. In primis dedit ipſe Domnus Rodulfus Abbas da parte ipſius Moneſterii eiſdem jugalibus commutationibus nomine, ideſt quartam porcionem de Corte una domui coltile in loco & fundo Monte, qui dicitur Surdo, & quartam porcionem de Capella una inibi conſtructa in onore Sancti Silveſtri, atque & quartam porcionem de caſis & maſſariciis & omnibus rebus, quibus ſunt poſitis tam in ſupraſcripta loco & fundas Minciori, Montelauri, Marcelingo Avvilia, Serra, Maliolo, Cucularia magno, Pauliano, Pinariano, Paſiano, Albertiano, Gebiano Magni, Vaſariano, Cavallo, Cinciano, Palacio, Marti . . . . Baldiano, Cele, Caſtori, Caſole, Andecho, Regiano, Pauliano, cum tercia porcione de Caſtro inibi habente, Merantino, Uncianore, Novale, Balbiano, Montejovis, Paverio, Sulcis, Lanceli, Caſtale infra finibus . . . . inter Paciano & Buſcelli in Cavadolia, Puliano, Siſie, Corte Darina, Corte de Scataldeis, cum Capella inibi edificata in onore Sancti Petri, Caſtello . . . , Carmagnola . . . . . . cum Capella . . . . ente Braida, Sancto Georgio, Gramignano infra Civitatem Torino de Capella una, que eſt edificata in onore Sancti . . . . . & de medietatem de Mercato iſtius Civitatis, & de ortis & rebus . . . . & de caſa una B cum Curte uno tenente prope eodem Mercato, ſive foris muro iſtius Civitatis in circuitu ibi prope Corte de Marcilago, & de Capella una, Cornelsano, Mandalone, Taurino, Valenceri, Se. . . . . . . Corte juſta Trevetia, de Capella una, que eſt edificata in onore Sancti Martini, & de Molendinis quatuor integris, & de medietatem de aliis tribus, Buſineto, Silva de Cillari . . . . . . Monte . . . . . . Jermaniſco, Alpis & Vallis, Rivalta, de medietatem de Caſtro inibi abente Girone, Rivole, Alpiniano, & de Piſcaria inibi abente, Riceſe, Romaniſe, Savve . . . . . . atque tre ceteris locis & vocabulis ad ipſa Corte & Capellis, ſeu rebus pertinentibus, cum quarta portione de ſervis & C ancillis, aldiones, aldianis utriuſque ſexu ad eadem Corte . . . . . . quarta portione de eadem Corte & Caſtris ſeu Capellis, ſive de ſediminibus & vineis, cum areis ſuarum, ſeu terris arabilis atque pratis & ſilvis ſeu jerbis & areis ſuarum ſuper . . . . commutacione recepit ipſe Domnus Rodulfus Abbas a parte ipſius Monaſterii ab eoſdem jugalibus meliorata res, ſicut Lex habet, ideſt omni eorum porcione; item de Corte una domui coltile ipſis Corte . . . . . ſe in loco & fundo, ubi Wilzachara dicitur, cum eorum porcione de Capellas tres inibi edificate in onore Sanctorum Ceſarii & Geminiani, ſeu . . . . omni eorum porcione de caſis & maſſariciis . . . . & omnibus rebus ad eaſdem D Cortes & Capellas pertinentibus vel aſpicientibus, quibus ſunt poſitis tam in ipſo loco, qui Wilzachara, quamque in locas & fundas Palezatico, Orteſana, Siliano, Lizi, Pinetelo, Figaro, Oliolo . . . . Caſiliani, Moſiano, Solſiti, Colegaria, Manſulino, Taviolo, Carzoleto, Cazareli, Meeſina, Perſiceta, Fraſeneta, Gavile, Vicofrigido, Duliolo, Fontaneſe, Tabiano, Montegenario, Sanguineti, &c. ut in alia Charta.

ADELBERTVS COMS SSI

Signa ✠ manus ſupraſcripta Sophia, que anc Cartam commutacionis fieri rogavi, ut ſupra legitur.

E VVIDO COMES SSI

Signum ✠ ✠ ✠ manibus ſupraſcriptorum Ozoni, & Ugoni, ſeu Warnerii, qui ſuper ipſis res acceſſerunt, & eſtimaverunt, ut ſupra.

Signa ✠ ✠ manibus Tetaldi & Rozoni, ambo Lege viventes Romana teſtes.

Gribaldus Notarius ſacri Palatii, Scriptor ujus Cartule vel commutationis poſt tradita complevi, & dedi.

Heic

Heic memoratum vides, ſubſcriptumque *Widonem Comitem Comitatus Plumbienſis*. Oppidum fuit *Plumbii* nunc in agro Novarienſi ſitum, uti adnotavit Cl. Vir Gaſpar Berettus, Benedictini Ordinis clarum ornamentum, in Tabula Chorographica pag. 126. Tomi X. Rerum Italicar. Tunc verò conterminum fuit Novarienſi Comitatui, atque a peculiari Comite regebatur, ut jam monui in Diſſertatione præcedenti *de Statu Italiæ*. *Adelbertus* autem *Comes* permutationis auctor fortaſſe fuit illius ejuſdem *Uberti Comitis* filius, quem Henricus I. Auguſtus damnavit, una cum Marchionibus Eſtenſibus Anno MXIV. Vide Antiquit. Eſtenſ. Par. I. Cap. 13. pag. 108. Sed & illud conſtat, Mulieres, viris earum vivere deſinentibus, repetiiſſe Legem propriam. Conſtitutum quippe fuit a Lothario I. Auguſto Lege 14. *Ut mulieres Romanæ* (ita ille edicit), *quæ viros habuerunt Langobardos, eis defunctis, a Lege viri ſui ſint abſolutæ, & ad ſuam revertantur Legem. Et hoc ſtatuimus, ut ſimili modo ſervetur in ceterarum Natione mulierum*. Exemplum hujus ritus ſit tibi Charta eruta e prælaudato Chartophylacio Benedictinorum Sancti Petri Regienſis. Ibi Berta Vidua profitetur, ſe *ex Natione ſua Lege vivere Salica*, quum tamen Walfredus ejus olim vir *Lege Langobardorum* viveret.

Donatio agrorum facta a Berta Walfredi conjuge, & ab Alberto ejus filio, Monaſterio Sancti Proſperi Regienſis, Anno 1111.

IN nomine Sancte & individue Trinitatis. Anno ab Incarnacione Domini noſtri Jheſu Chriſti Milleſimo Centeſimo Undecimo, IX. Kalendas Februarii, Indictione Quarta. Monaſterio Sancti Proſperi, ſito in loco ſuburbio Civitatis Regio, ubi nunc Domnus Pacificus Abbas preeſſe videtur. Nos Berta filia quondam Gerardi, & relicta quondam Walfredi *de Comitatu Trivixino, & Albertus filius ejuſdem* Walfredi, *& meus, que ſupradicta Berte*; qui profeſſi ſumus, ego que ſupra Berta ex Nacione mea Lege vivere Salica, & ego ipſe Albertus Lege vivere Langobardorum, *preſentes preſentibus diximus: Quiſquis in ſanctis &c. Ideoque nos qui ſupra Berta & Albertus, mater, & filius, donamus, & offerimus in eodem venerabili Monaſterio, ideſt medietatem de Maſſaricia una de terra juris noſtri, qui ſupradicti mater, & filii, quam habere & detinere viſi ſumus in eodem Comitatu Parmenſi in loco, ubi dicitur Caſale Cavagnoli, & eſt de Curte, que vocatur Caſtrum* Walterii, *& dividitur cum alia medietate de Maſſaricia quadam, que olim fuit* Comitiſſe Donolle; *ſed nunc eſſe videtur ejuſdem Monaſterii Sancti Proſperi, cum terris & vineis ſeu pratis, & cum omnibus jure adjacenciis &c. Etiam & donamus & offerimus nos, qui ſupra mater, & filius, eidem venerabili Monaſterio Sancti Proſperi, ideſt petiam unam de terra cum vitibus, que jacet in loco, ubi dicitur Roncore in eadem Curte Caſtri* Walterii, *prope ſilvam ejuſdem Curtis &c. Et quidem ſpondimus atque promittimus nos qui ſupra Mater & filius, iſtam donacionem, qualiter ſuperius &c. in integrum ab omni contradicente homine defenſare &c. Et inſuper ego que ſupra Berta, obligo me ſub pena, que eſt auri obtimi uncias decem, argenti pondera viginti &c.*

Actum Runcalie in caſa dominicata ejuſdem matris, & filii feliciter.

Signum ✠ ✠ manuum jam dicte Berte & Alberti, Mater, & Filius, qui hanc Chartulam offerſionis fieri rogaverunt ad omnia ut ſupra.

Signum ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ manuum Agicardi filii Goſberti, & Ugonis filius Alberti, & Beneincaſa filius Johannis Decani, & Bulgarelli Maleaſſetati, nec non Alberti Pinzabona, atque Armani filius Taurelli, teſtes.

Signum ✠ ✠ ✠ manuum Laurentii Vixoſo, ſeu Uberti de Campigine, atque Viviani de Monticello, Lege Salica viventes teſtium.

Ego Johannes Palatinus Judex, Scriptor hujus Cartule offerſionis, poſt traditam complevi & dedi.

Sed aut ejuſmodi Leges interdum contemnebantur, aut illas conſuetudo aliquando obruebat. Certe invenio mulieres, quæ quamquam conjugatæ, viri tamen ſui Legem minime ſequebantur. In Tabulario Canonicorum Cremonenſium duas pergamenas legi, quarum prima exarata fuit Anno Chriſti MX. unde paucula hæc excerpſi: *In nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Einricus gratia Dei Rex, Anno Regni ejus Deo propicio ic in Italia Septimo, XI. die menſ. . . . . . Indictione VIII. Epiſcopio ſanctæ Cremonenſis Eccleſiæ, ubi Domnus Landulfus Epiſcopus præordinatus eſſe videtur. Ego Elena Cometiſſa filia bonæ memoriæ Oberti, & conius . . . . gobardorum* (ideſt quæ profeſſa ſum ex Natione mea Lege vivere Langobardorum) *ſed nunc pro ipſo viro meo Lege vivere videor Salica &c.* Hæc autem poſt multa dono data eidem Epiſcopo, ab ipſo in emphyteuſim accipit, *ſeſtam partem de Corte una domui coltile, & ſeſtam partem de Caſtro & Capella inibi conſtructis juris Epiſcopii veſtri in ſuprafcripto Comitatu Cremonenſe, qui pertinet de Comitatu Breſienſe in loco & fundo Seſto &c.* Subſcribunt Elena ipſa Comitiſſa, tum literis majuſculis *BERNARDUS COMES*, tum duo teſtes *Lege viventes Salica* pro muliere, & duo *Lege viventes Romana* pro Epiſcopo. Habemus heic ritum vulgarem profeſſionis Legis, quod eſt ad Feminas conjugatas. Alterius Chartæ Anno MLXVI. exaratæ, & ritum diverſum præferentis, en verba priora: *Anno ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti Milleſimo Sexageſimo Sexto, VII. Kalendas Novembris, Indictione V. Conſtat nos Garibaldus, & Bado, ſeu Ribaldus, germanis filiis quondam item Ribaldi, qui fuit Vicecomes de Comitatu Bergomenſe, & Berta conius ipſius Garibaldi, filia quondam Osberti, & Berta coniux jam dicti Ribaldi, filia Alcherii: qui profeſſi ſumus omnes Lege vivere Langobardorum, & ego ipſa Berta profeſſa ſum ex Natione mea Lege vivere Allamanorum. Ipſis namque jugalibus & mundualdibus noſtris nobis conſentientibus, una cum noticia Domni Arialdi Comi-*

Comites hujus Comitatus Bergomenſis, de ſub cujus judiciaria poteſtate eſſe invenitur &c. accepimus a vobis Domno Hubaldo Dei gratia Epiſcopo ſanctæ Cremonenſis Eccleſiæ, argentum Denariorum bonus Mediolanenſis Libras ſex & ſolidos viginti, finitum pretium pro Corte & Caſtro cum area ſua juris noſtri, que nominatur Rovingnga &c. Actum loco Grumello feliciter. Signum manus ſuprascripti Domni Arnulfi Comitis, qui ut ſignum Crucis fecit &c. Ex ambabus hiſce Chartis intelliges, quam incertos non ſemel fines veteres Comitatuum, ſive Diſtrictuum. *Grumellum* in Charta poſtrema memoratum pertinebat olim ad Comitatum *Bergomenſem*, quum tamen perquam longe ab ea Civitate jaceat, & contra octo tantum millibus paſſuum a Cremona diſtet. Sic *Juvenalta*, nunc *Gonvalta*, Bergomenſis agri olim fuit, nunc verò Cremonenſis, uti ex eorumdem Canonicorum Archivo didici, ubi Charta legitur ſcripta *Anno Imperii Tertii Ottonis Deo propitio Quarto, menſe Madio, Indictione XII*, idest Anno DCCCCXCIX. cujus exordium: *Dum in Dei nomine Comitatu Pergomenſe Caſtro, que dicitur Juvenalta, per data licentia Domni Odelrici Epiſcopi Epiſcopus ſanctæ Cremonenſis, in judicio reſideret Caſtello Dei gratia Diaconus & Miſſus Domni Ottoni Imperatoris, ſingulorum omnium juſtitias &c.* Redeo ad Chartam, quam ante attuli, ſcriptam Anno MX. Ibi vidimus Cortem & Caſtrum conſtructum *in Comitatu Cremonenſe, qui pertinet de Comitatu Briſienſe in loco Sexto*. *Sextum* aberat ac abeſt a Cremonenſi Urbe ſex tantùm millibus paſſuum. Num ergo eo uſque ſe protendebat Comitatus Brixianus? Profecto niſi Brixianæ Civitati, ejuſque Comiti jus in ea loca fuiſſet, nihil erat, cur heic Brixianus Comes memoraretur. Et profecto in Antiquitat. Eſtenſ. Par. I. Cap. 7. jam oſtendi, latiſſime olim excurriſſe fines Comitatus Brixiani. Vide etiam Diſſertat. VIII. *de Comitibus*, ubi de Cremonenſium Comitatu decurtato egi.

Sed ut in ſemitam redeamus, nuper vidimus *Bertam* conjugem Ribaldi viventis, præſentis, ac *ſecundùm Legem Langobardorum* viventis, quæ tamen profitetur, ſe *ex Natione ſua Lege*

A *vivere Alemannorum*. Guichenonius in Bibliothec. Sebuſ. Centur. prima, Cap. 93. Chartam refert, ubi hæc verba: *Nos Guilielmus Marchio* (Montiſferrati) *& Julita jugalis, filia quondam Leopoldi Marchionis de Auſtria. . . . . Nos itaque ſupradicti jugales, qui profeſſi ſumus ex Natione noſtra Lege vivere Salica; ſed ego Julita mea Lege vivere videor Alemannorum*. Hæc obſcura & fortaſſis ex apographo vitiato deducta. Clariora ego adferam ex Chartis Mutinenſibus. In Archivo nempe Canonicorum Mutinenſium non unum Legis diverſæ a Conjugibus obſervatæ exemplum occurrit: ſed unum ego inde excerptum appono. *Anno Dominice Incarnationis Milleſimo Tertio, XIV. Kalendis Magii, Indictione*

B *Prima. Eccleſia Sancti Geminiani Chriſti Confeſſoris, ubi ejus humatum quieſcit Corpus, ſita intra hanc Civitatem Motina. Nos quidem in Dei nomine Petrus filius quondam item Petroni, qui profeſſus ſum Lege vivere Romana* (neque hoc præteribo, in eiſdem Chartis Mutinenſibus ſæpiſſime incuntes contractus profiteri Legem Romanam, quum in aliis bene multis Urbibus frequentius occurrat Langobardicæ profeſſio) *& Rozza jugalibus, filia Everardi, qui ſumus habitatores in Pago Perſiceta, qui profeſſa ſum ego Rozza Legem vivere*

C *Langobardorum: ipſo namque Petrus viro jugale & Mundoaldo meo mihi conſenciente, & ſubter in omnibus confirmante, & ut Lex, in qua profeſſa ſum vivere, habet auctoritas una cum noticia de parentibus meis &c.* Donant iſti Warino Epiſcopo *medietatem de Caſtellum unum cum foſſato & tonimine circundato juris noſtri cum Capella inibi edificata &c. Nominatur namque Caſtellum Novum. Locus autem, ubi conſtructum eſſe videtur, vocatur Caſale Utantula. Eſt area ejuſdem Caſtri noſtram porcionem per menſura juſta ad pertica legitima de pedes duodecim menſurata tabulas ſexaginta ſex &c.* Habemus heic Petrum Legi *Romanæ* obnoxium, Rozzam vero ejus conjugem *Langobardicæ* addictam. Id quoque luculentius con-

D firmabitur altero exemplo, quod mihi Sereniſſimi Ducis Mutinæ Archivum ſuppeditavit.

Charta donationis factæ Adelberto Presbytero habitatori in loco Caſtellione a Gezone & Teuza Conjugibus, Anno 1019.

IN *nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Enricus gratia Dei Imperator Auguſtus, Anno Imperii ejus Quinto, X. die menſe Auguſtus, Indictione II. Tibi Adelberti Presbitero, qui eſt abitator in loco Caſtellione, nos Gezo filio quondam Johannis & Teuza jugalibus, filia quondam Aliprandi*, qui profeſſus ſum ego ipſe Gezo ex Natione mea Lege vivere Romana, & ego ipſa Teuza profeſſa ſum ex natione mea Lege vivere Langobardorum: *predicto namque jugale meo mihi conſenciente, & ſubter confirmante*, & juxta eandem Legem, in qua nata ſum, *una cum noticia & interrogatione de propinquioribus Parentibus meis, qui ſunt Teuzani . . . . Wibertus, & Girardo propinquioribus parentibus meis, in quorum preſencia, vel teſtium certam facio profeſſione, quod nullam me pati violentiam at quempiam hominem, nec ipſo ju-*

E *gale ac mundualdo meo, niſi mea bona ex ſpontanea voluntate, amicus & amica, donator & donatrix tua Presbiteri diximus. Quapropter donamus a preſente die dilectionis tue, & in tuo jure & poteſtatem per hanc Cartula donationis proprietario nomine in te abendum confirmamus: hoc eſt Caſis & rebus territoriis illis juris noſtri, quem ſupra jugalibus, quam habere viſi ſumus in loco, ubi dicitur Banniolo, qui eſt infra Corte, que dicitur Baſillica, Docius, Stadengarda, & Campo qui dicitur Binda, vel in eorum atiacentiis & pertinentiis earum rerum per locas & vocabolas ab ipſis caſis & hærebus territoriis pertinentibus vel inde aſpicientibus in integrum. Que predictis caſis & rebus territoriis de eodem loco Banniolo per menſura juſta inter ſediminas & areis, ubi vitis eſtant, ſeu terris arabilis, atque pratis juges duo rebus terrectoriis de eodem loco Standegarda eſt*

per

A

per menſura juſta juge uno , Campo de Binda eſt per menſura juſta pert cas novem , & quantum plus de noſtri , quorum ſupra jugalibus , juris & rebus in eiſdem . . . . ut ſupra menſura legitur, inventum fuerit, omnia per eadem Cartula donationis in tua , qui ſupra Adelberti Presbitero , aut cui tu dederis perſiſtans poteſtatem proprietario juri . Que autem ſupraſcriptis caſis & rebus territoriis illis juris noſtris ſuperius dictis una cum acceſſionibus & ingreſſoras earum , ſeu cum ſuperioribus & inferioribus ſuorum , qualiter ſuperius menſura legitur , ab hac die tibi , qui ſupra Adelberti Presbitero dilecto amico noſtro donamus , cedimus , conferimus , & per preſentem Cartulam

B

donationis proprietario nomine in te habendum confirmamus , & facias exinde a preſente die tu aut cui tu dederis proprietario nomine quicquid volueritis ſine omni noſtra , quem ſupra Gezoni & Teuzani jugalibus & heredum noſtrorum contradicione vel defenſione & abſque rextauracione ; excepto quod Geuzoni & Teuzani jugalibus datum aut factum vel quolibet ſcriptum apparuerit , quod nos ipſis exinde in aliam partem feciſſemus , aut emiſſemus , nihil vobis defendere nec reſtaurare promittimus . Nam ſi de noſtro jugalibus datum aut factum apparuerit , quod nos exinde in aliam partem feciſſemus aut emiſſemus , & claruerit , tunc da illam partem

C

unde oc apparuerit , nos qui ſupra jugalibus una cum noſtriſque heredibus tibi , qui ſupra Adelberti Presbitero , aut cui tu dederis , defendere & reſtaurare promittimus , excepto ut ſupra . Qui ſi defendere non potuerimus , aut ſi vobis exinde aliquod per covis ingenium ſubtraëre queſierimus , tunc in duplum eadem donatio , ſicut ſupra legitur , vobis reſtituamus , ſicut ſupra tempore fuerit melioratis , aut valuerit ſub eſtimatione in conſimilibus locis . Quidem & ad hanc confirmandam donationis Cartula , accepimus nos quem ſupra Gezo & Teuza jugalibus at te , quem ſupra Adhelbertus Presbiter exinde Launechil Capello uno , ut hec

C

noſtra donatio omni tempore firma permaneat , atque perſiſtans con ſtipulatione ſubnixa . Et nec mihi qui ſupra Gezoni liceat ullo tempore nolle quod volui , ſed quod ad me ſemel factum , vel quod ſcriptum eſt , ſub jusjurandum inviolabiliter conſervare promitto con ſtipulatione ſubnixa .

Actum locus , ubi dicitur Lucaniono feliciter .

Signum ✠ ✠ manibus ſupraſcriptorum Gezoni & Teuzani jugalibus , qui hanc donationis fieri rogaverunt , & predicto Gezo eidem Conius ſue conſenſit , ut ſupra , & eorum relecta eſt .

Signum ✠ ✠ manibus Wiberti , & Girardi propinquioribus eidem Teuzani , qui eam interrogaverunt , & conſenſerunt ut ſupra .

Signum ✠ ✠ ✠ Azoni , & Bernardi , ſeu Teuzoni Lege vivere Romana rogatis teſtes .

Signum ✠ ✠ manibus Oddoni atque Andrei rogatis teſtes .

Ego Raginerius Notarius ſacri Palatii rogatus Scriptor ujus Cartula donacionis poſt tradita complevit & dedit .

Et heic vides , nihil penſi habuiſſe Mulieres , an viri ſui Legem ſequerentur . His autem conſona eſt Charta evulgata a Campio Tomo I. Hiſtor. Eccleſ. Placentin. pag. 498. , & ſcripta Anno Chriſti MX. Ibi *Johannes filius Berulfi Judicis , qui ex Natione ſua* profeſſus eſt ſe *Lege vivere Romana* , & *Walderada* , *quæ & Wiza* conjux ſupraſcripti Johannis , quæ profeſſa eſt , ſe ex Natione ſua *Lege vivere Longobardorum* , donant Oratorium ædi ſacræ Sanctæ Juſtinæ . Atque heic potiſſimùm animadvertenda ſunt , quæ in Appendice Hiſtoriæ Monaſterii Padolironenſis pag. 45. & ſeqq. Clariſs. Bacchinius evulgavit , hoc eſt , plures celeberrimæ Comitiſſæ Mathildis Chartas . In una ex iis inclyta mulier dicitur *ex Natione ſua Lege vivere Longobardorum* . In reliquis bene multis Tabulis eadem fatetur , ſe tantùm *Lege vivere Salicâ* . Atque hæ ſcriptæ fuerunt omnes poſt Annum Chriſti Milleſimum Centeſimum , hoc eſt diutiſſime poſt mortem Godefridi Ducis primi ejus viri , Lege Salica utentis . Parum dixi . Chartam habeo , quam in Tabulario Monaſterii Benedictinorum Regienſium , olim Sancti Proſperi , nunc Sancti Petri , ſub oculis habui , ubi eadem Comitiſſa ait , ſe *ex Natione ſua Lege vivere Salica* . Juvat nunc ipſam producere .

Mathildis Comitiſſæ & Duciſſæ donatio facta Monaſterio S. Proſperi Regienſis , nunc S. Petri , Anno 1080.

D

IN nomine Sanctiſſimæ & individuæ Trinitatis . Anno ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti Milleſimo Octoageſimo , die IX. menſis Decembris , Indictione III. Monaſterio Sancti Proſperi ſito foris & prope Civitate Regenſe , ubi Domnus Giſelbertus Abbas *præeſſe videtur . Ego quidem in Dei nomine* Matelda Comitiſſa , filia quondam Bonefacii Marchio , quæ profeſſa ſum ex Natione mea Lege vivere Salicha , *offertrix & donatrix ipſius Monaſterii , præſens præſentibus dixi : Quiſquis in ſanctis , ac in venerabilibus locis ex ſuis aliquid contulerit rebus , juxta Actoris vocem in hoc Seculo centuplum accipiet , & inſu-*

E

per quod melius eſt , vitam poſſidebit æternam . Ideoque ego que ſupra Matelda Cometipſa dono & offero in eodem ſancto Monaſterio a preſenti die , hoc eſt peties duæ de terra , una laboratoria , & altera prativa , quæ prativa dividitur in tribus partibus pro nimia abundantia aquarum : quas habere viſa ſum in loco & fundo , ubi dicitur Caſtello Gualteri ; & ſunt ipſe peties de terra per menſuram juſtam juges viginti & novem . Finis ad prædicta terra prativa a meridie hæredes quondam Gandulfi , a mane & de ſubto prædicta Curte de Caſtro Gualteri , ad ſuper per totam a ſera funditur . Item a meridie Comes Ubertus : *& ſi quæ aliæ ſunt cohærenties . Item ſi amplius inventum fuerit de prædictis petiis de terra laboratoria & prativa , quod ad meum jus pertinuiſſet , quæ ut ſupra menſura , & omnia . . . . poſſeſſionis meæ permaneat & perſiſtat in integrum . Qui autem ſupraſcriptæ peties de terra laboratoria & prativa juris mei una cum acceſſione & ingreſſores . . . . oribus illarum , & qualiter ſuperius legitur in integrum ab hac die in eodem Monaſterio dono & offero , & per præſentem Cartu-*

lam

tam offerſionis dicitur ad habendum confirmo , ſicut ſupra , & per anima mea mercedem . Inſuper cultellum , feſtucam nodatum , wantonem , & waſonem terræ , atque ramum arboris , eorum [illegible] legitimam facio traditionem & [illegible] , & me exinde foris expuli , warpivi , & abſentem feci , & ad partem prædicti Monaſterii habendum reliqui , ut ſit facias prædictum Monaſterium proprietario nomine , ſicut ſuperius legitur , quicquid voluerit ſine omni mea et hæredum & prohæredum meorum contradictione vel repetitione . Si quis vero , quod futurum eſſe non credo , ſi ego ipſa Matilda , quod abſit , aut ullus de hæredibus ac prohæredibus meis contra hanc Cartulam offerſionis ire quandoque tentaverimus , aut eam per quodvis ingenium infringere quæſierimus : tunc inferamus ad illam partem , contra quam litem intulerimus , multa , quod eſt pena auri optimi uncias quatuor , argenti pondera [illegible] , & quod repetierimus , vindicare non valeamus , ſed præſens hæc Cartula offerſionis diuturnis temporibus firma maneat atque perſiſtat inconvulſa cum ſtipulatione ſubnixa . Ego quæ ſupra Comitiſſa Matilda , meique hæredes , ac prohæredes parti ipſius Monaſterii , ſicut ſuperius legitur , in integrum ab omni homine defenſare . Quod ſi defendere non potuerimus , aut ſi vobis exinde aliquid per quodvis ingenium ſubtrahere quæſierimus , tunc in duplum eandem offerſionem ut ſupra , & parti ipſius Monaſterii reſtituamus , ſicut pro tempore fuerint meliorata , aut valuerint ſub æſtimatione in conſimilibus locis . Et pergamena cum atramentario de terra ego quæ ſupra Matilda Comitiſſa levavi . Hanc enim paginam Cartulæ offerſionis Heinuwardi Notario ſacri Palatii tradidi & ſcribere rogavi , in qua ſubter confirmans , teſtibuſque obtuli roborandam .

Actum infra prædicto Monaſterio Sancti Proſperi feliciter .

Matilda Dei gratia , ſi quid eſt , in hac Cartula a me facta ſubſcripſi .

Signum ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ *manibus Audo de Cerviziano , & Gerardo nepote ſuo , ſeu Raginerio filius Ugonis , filii Alberti , atque Bernardo , & Petro germanis* Lege viventium Salicha rogati teſtes .

Signum ✠ *manibus Bulgari de Nonantula rogatis teſtes .*

Ego Heinuwardus Notarius ſacri Palatii Scriptor hujus Cartulæ offerſionis poſt tradita complevi & dedi .

Equidem miratus ſum , Mathildem Comitiſſam , e Langobardo patre natam , tunc ob mortem Godefridi Ducis primi viri ſui priſtinæ ſuæ libertati reſtitutam , appellatam a quopiam fuiſſe non tantum *Lege* ſed & *Natione Salicam*. Id fortaſſe factum , quod ejus mater Beatrix ex eadem gente fuerat . Nam uti jampridem animadverti in Antiquitat. Eſtenſ. Par. I. Cap. 23. multa habuit antiquitas , quorum cauſſas nunc difficile aſſequimur . & uti *Legem* , ita quoque *Nationem* diverſam profiteri olim licuiſſe videtur . Ac præcipue ſi qui advenientes ex Regnis exteris ad incolendam Langobardiam heic lares figebant ; eorum quippe nepotes ac pronepotes ex longo , ut ita dicam , indigenatu jus acquirebant ſe quoque appellandi *Natione Langobardos* . Tabulas reapſe illic attuli , quibus Oddo Blancus *Nationem ac Legem Romanam* profitetur , ejus verò filii *Langobardam* . Ceterum quo tempore profeſſio ejuſmodi deſierit , is nullo negotio intelliget , cui Chartas antiquas in Archivis latentes inviſere liceat . Scilicet Sæculo Chriſti XIII. decurrente ea conſuetudo paullatim evanuit , idque non aliâ de cauſsâ , quàm quod Romanæ Leges forum & Scholas ubique implere cœperint , ac priorum temporum ritus antiquarint . Exemplum tamen unum proferam , quo conſervata inſpiciatur Anno MCCXII. profeſſio Legis , Chartam videlicet , quam ex Archivo Curiæ Epiſcopalis Parmæ acceptam ſuppeditavit mihi , dum viveret , Comes Franciſcus Torellus , ex avita nobilitate ac ſtudio eruditionis Hiſtoricæ mihi ſemper cum honore commemorandus .

Charta venditionis duarum partium medietatis Caſtri Gualterii ſacta a Maladobato Prandorum Opizoni Epiſcopo Parmenſi , Anno 1212.

IN *nomine Domini . Milleſimo Ducenteſimo Duodecimo , XII. Kalendas Novembris , Indictione XV. in præſentia infraſcriptorum teſtium* , Maladobatus Prandorum , & Prandus ejus filius , profitentes ſe Lege Lumbarda vivere , *vendidere atque tradidere ad proprium & per allodium* Domino Opizoni *Dei gratia* Parmenſi Epiſcopo *duas partes medietatis , ſive res ſit diviſa , ſive indiviſa* Caſtri Caſtrigualterii Prandorum , & Doglonis , & Turris , *domorum & caſamentorum , cum omnibus edificiis & terralius & foveis atque ſpaldis , & ingreſſibus , & cum omni juriſdictione , conditionibus , fodrinibus , redditibus , fictis , albergariis , colteis , rationibus , & exactionibus , hominibus & habitatoribus & manentis , piſcationibus & venationibus , & cum omni jure & juriſdictione Curtis & Caſtri , & ſpetialiter Guaritæ & Salvriguatæ , bocatæ , & philangatæ , atque ſepis & Pontis , & in omni jure & honore Curtis & Caſtri , & juriſdictionibus ejuſdem Caſtri . Præterea dicti Maladobatus & Prandus dedere , ceſſere , atque mandavere eidem Domino Epiſcopo & ejus ſucceſſori omnia jura & actiones utiles & directas , quæ & quas habebant , ſibique competebant in rem & in perſonam , nomine vel occaſione hujus rei venditæ , & ipſum Dominum Epiſcopum tamquam in rem ſuam Procuratorem , & ſe Poſſeſſores ejuſdem rei pro eodem Domino Epiſcopo , & ejus nomine fecerint & conſtituerint , & pro pretio ejuſdem rei dicti Maladobatus & Prandus fuere confeſſi , ſe triginta Libras Imperiales a prefato Domino Epiſcopo accepiſſe . Et renunciavere exceptioni non numeratæ pecuniæ hujus pretii , atque omni juri & legibus , quibus dicere , aut objicere poſſent hanc venditionem duplum , aut plus dupli valere , vel quod deberent reſtitui ad ſuplementum predicti pretii , vel ad dictas res venditas petendas : ut amodo dictus Dominus Epiſcopus & ejus ſucceſſores , & cui dederint , faciant de omnibus dictis rebus venditis & cum acceſſibus & ingreſſibus , cum ſuperioribus , & inferioribus ſuis jure proprietario quidquid voluerint , ſine omni præfatorum Maladobati , & Prandi atque heredum eorum contradictione .*

Pro-

Promiſere quoque dicti venditores, & una cum ſuis heredibus ſeſe obligavere præfato Domino Epiſcopo, & ejus ſucceſſori, & cui dederit, dictas res venditas ab omni impediente & contradicente perſona cum ratione defendere & diſbrigare. Quod ſi facere noluerint, aut ſi per quodvis ingenium ſe ſubtrahere quæſierint, tunc in duplum, ut ratio exigit, ei reſtituere promiſere, ſicut pro tempore fuerit meliorata, aut valuerit ſub extimatione in conſimili loco.

Actum Parmæ feliciter in Palatio dicti Domini Epiſcopi cum ſtipulatione ſubnixa.

Ibi verò teſtes rogati fuere Guido de Intiola, & Gerardus Gilii de Intiola, qui fuere rogati dare tenutam, Johannes Nibii, Rodulfus Cavazutus, Magiſter Henricus de Caſtrogualterio, Dominus Beltrammis Judex.

Item in Milleſimo Ducenteſimo Decimotertio, die XVI. intrante Aprilis, Indictione Prima, præſentibus Guilielmo de Rivalta, Gundo Villani, Gerardo Suzopupo, Gerardino de Sancto Hillario, teſtibus rogatis, Domina Mauxibilia uxor dicti Maladobati, & Domina Jacoba uxor dicti Prandi huic venditioni conſenſere & parabolam dedere, & in ea omni ſuo juri pignoris & ypotecæ dotis, donationis quartæ, vel cujuslibet alterius ſui juris . . . . renunciavere, & hoc in domo dicti Maladobati.

Ego Domninus Pungolinus ſacri Palatii Notarius interſui, & hanc Chartam rogatus ſcripſi.

Verùm, ut nuper dixi, *Romanarum Legum* dignitas ac ſtudium ita eodem Seculo XIII. invaluit, ut illarum diſciplinæ ac regimini Italia univerſa ſeſe ultra ſenſim addixerit, & reliquarum Legum non uſu tantùm, ſed & nomine tamdem pæne exoleto, unum Jus Romanum univerſos fere Italiæ Populos exinde conſtrinxerit. Huic autem *Statuta*, ſive *Leges Municipales*, præferebantur ſemper, & adhuc præferuntur; tunc enim dumtaxat ad Romanam Legem recurritur, ubi Statuta nihil contra decrevere. Quid tamen unam Legem heic memoro? Quaſi videlicet oblitus, iiſdem temporibus ſuccreviſſe immanem illam ejuſmodi Municipalium Legum, ſive Statutorum ſilvam, quæ nunc Italiam ferme totam occupat ac premit. Quod in ditione Sereniſſimi heri mei Ducis Mutinæ factum intuemur, nimirum non Civitates tantùm, ſed & Oppida ipſa, immo & aliquot Caſtella, proprio Statuto regi, idem in compluribus aliis, Italiæ, Galliæ, Germaniæ, aliorumque Regnorum Provinciis & locis notiſſimum eſt obſervari: quod quanto incommodo ſit tum Legum ſtudioſis, tum Populis ipſis, non eſt inſtituti mei nunc diſſerere. Illud unice adnotabo, originem Municipalium Legum, ſi quid video, referendam eſſe ad tempora ſubſequuta Pacem Conſtantiæ, quæ, ut eruditi norunt, ſtabilita eſt Anno Chriſti MCLXXXIII. inter Fridericum I. Auguſtum, & Civitates Societatis Lombardorum. Antea certe *Conſuetudines* quædam invectæ fuerant in fere omnium Urbium regimen; immo iſtæ pro *Legibus* habebantur, quum has ipſas Carolus Magnus probaſſet in Lege Langobard. 148 quam ex Eſtenſi Codice ego primum evulgavi Part. II. Tomi I. Rer. Italicar. Eam heic repeto: *Ut longa Conſuetudo, quæ utilitatem publicam non impedit, pro Lege ſervetur.* Præcipue verò plures invaluere, poſtquam Populi non pauci ex Italicis in libertatem aſſurrexere, & ſub Conſulibus pro neceſſitate ac utilitate Civium conſtituere multa cœperunt. Clariſſimus Vir D. Guido Grandius Abbas Camaldulenſis nonnullas ex hiſce Conſtitutionibus a Piſana Republica efformatas Anno MCXLVI. MCLVI. & ſubſequentibus, atque in MSto Codice adhuc ſervatas, laudavit in Epiſtol. de Pandectis. Nuſquam tamen decreta ejuſmodi ab Urbibus condita, compulſa fuerunt in unum corpus, cui *Statutorum compilatio* nomen eſſet. At poſtquam in Pace Conſtantiæ Fridericus I. Auguſtus fœderatis Lombardorum Civitatibus *Regalia & Conſuetudines* conceſſit, ſive confirmavit: tunc cœptæ ſunt accuratius ac ſæpius efformari Leges, quibus eſſet aut in præſenti neceſſitate, aut in poſterum Reſpublica regenda. Hæ autem in unum collectæ, *Statuta* appellatæ ſunt, quæ primo paucas paginas implerunt, tum ſupervenientibus in dies novis decretis juſtum volumen tamdem conſtituerunt. *Conſuetudines* etiam nuncupatæ ſunt ejuſmodi Leges, uti Du-Cangius antea in Gloſſario Latino animadvertit. Jamque ante Annum MCCVIII. conditum fuiſſe *Statutum Civitatis Ferrariæ*, in Antiquit. Eſtenſ. Par. I. Cap. 39. oſtendi, producto Decreto, quo Ferrarienſis Populus Anno eodem *Azzonem VI. Marchionem Eſtenſem* ſibi perpetuum dominum elegit. Ibi hæc habentur: *Adjicientes, quod de Anno in Annum hoc Statutum firmetur, & cetera ſupra dicta, & ſcribantur in corpore Statutorum &c. Et Statutarii, qui pro tempore fuerint, hoc Statutum, & ſupra dicta teneantur firmare, & ſcribi facere in volumine Statutorum Communis Civitatis Ferrariæ.* Infra eorumdem Statutorum mentio recurrit. Neque ſegniorem ſe præſtitit in concinnando Statutorum ſuorum Libro Populus Mutinenſis: nam vel ante Annum MCCXIII. ejus mentio mihi occurrit in Charta adſervata in Tabulario Reipublicæ Mutinenſis, cujus hæc ſunt verba.

Concordia inter Commune Mutinæ & Sallinguerram pro deſtruendo Caſtro Pontis Ducis, ſecundùm promiſſionem jam factam a Marchione Eſtenſi, Anno 1213.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Tale pactum & concordia fuit inter Commune Mutine & Dominum Sallinguerram & Nepotem, & ſuos, videlicet, quod Sallinguerra debet dare Caſtrum Pontis Ducis Communi Mutine ad deſtruendum, & ad faciendum totam ſuam voluntatem, & omnes homines ipſius Caſtri & totum mobile, quod habent in ipſo Caſtro ſine fraude. De aliis verò rebus omnibus, erit arbitrio Poteſtatis Mutine. Et debet reſtituere omnes priſonerios, quos habet de Civitate & Epiſcopatu Mutinenſi cum navibus ſuis, que ablate fuerunt, vel extimationem, ſi que eſſent deperdite, & cum ſcutis & zappis, que in Caſtro invenientur. Et debent jurare tenere dictum Caſtrum Pontis Ducis deſtructum, ſecundum quod alii homines Ferrarie & Marchio juravere & promiſere. Et debent dare & datum facere & promittere ſecundùm quod homines Ferrarie & Marchio dederunt & fecerunt de dicto Caſtro & Curia tota & Diſtrictu. Et debent Sallinguerra & Nepos jurare ſtare preceptis Poteſtatis Mutine & Poteſtatis Parme, & avere Mercatorum Parme reddere. Et Commune Mutine debet dare Sallinguerre & Nepoti mille Libras ad rationem Imperialium, & debet eos extrahere de banno, & reſtituere ei podere Regalie Imperii, quod habebat in Epiſcopatu Mutine, eo jure tantum, quo habebat prius. Item debet promittere Commune Mutine, quod faciet ponere in Statuto Civitatis, *quod ſi aliqua partium Ferrarie*, Marchio, *vel Sallinguerra fuerit de Civitate Ferrarie expulſa, quod non debeat prohiberi pro Communi amicis partis expulſe, quin poſſint preſtare auxilium & adjutorium, ſecundùm quod voluerint, parti expulſe. Idem in omnibus & per omnia promiſerunt & juraverunt Domino Bernardo Poteſtati Mutine & Domino Rambertino Poteſtati Parme ſua bona ipſis ſimiliter obligando in pena quinque millium Marcharum argenti.*

Actum apud Pontem Ducis in exercitu, in caſtris hominum Parme; MCCXIII. Indictione Prima, die Veneris VIII. intrante Novembri, preſentia & teſtimonio Bernardi de Cornazano &c.

Ego Petrus de Oliveto quondam Imperatoris Henrici Notarius, & tunc Poteſtatis Mutine Notarius & Communis, interfui, & rogatus ſcripſi.

Primis verò temporibus nihil aliud Statuta Urbium & Locorum complectebantur, niſi decreta Reipublicæ aut Poteſtatum, qualia quotidiani regiminis, & publicorum negotiorum cura expoſcebat. Raro autem quiſquam diſcedebat a Romanis aut Langobardis Legibus, quibus Majores obſtricti fuerant. Sed tempore conſequente ab hiſce etiam receſſum eſt; hoc eſt efformata ſunt Statuta, per quæ Langobardorum, aut Juſtiniani Leges non paucæ abrogatæ ſunt, ſive immutatæ; nam prout quiſque Populus ſatius duxit, tunc alio ordine ſucceſſiones, contractus, aliaque tum civilia, tum criminalia negotia peragenda conſtituit. Apud Venetos Statuta collegit ac edidit Anno MCCXLII. Jacobus Theupulus Dux. *Reperiens enim* (ut ſcribit Andreas Dandulus in Chronico pag. 353. Tomi XII. Rerum Italicarum) *Statuta ab eo, & Prædeceſſoribus edita tantæ confuſioni ſubmiſſa, ut in eorum obſervatione Judices frequenti ſine vacillarent, pro eorum reformatione elegit viros doctos, qui antiqua corrigentes, & nova ſtatuentes, Duci in uno volumine redacta obtulerunt &c.* Et ſane eodem Sæculo XIII. pleræque Civitates corpus Statutorum ſuorum adornarunt, ac pro Lege in poſterum elegerunt. Poſtremo tandem loco mihi ſunt præcipue commemorandæ Municipales Leges Populi Veronenſis Anno MCCXXVIII. promulgatæ, ac in unum Librum conjunctæ. Has Anno MDCCXXVIII. publici juris fecit doctiſſimus Amicus meus Bartholomæus Campagnola Archipresbyter Sanctæ Cæciliæ Veronenſis, in omnium eruditorum utilitatem, quippe ex eiuſmodi fontibus plura educi poſſunt ad eorum temporum mores & regimen Italicarum Urbium rite dignoſcendum. Propterea & ego in calce Diſſertationis L. *de Civitat. Italicar. Libertat.* antiqua *Civitatis Piſtorienſis Statuta* evulganda cenſui, per quæ ad barbaricæ Eruditionis ſuppellectilem augmentum accedet. Neque hoc prætermittendum eſt, Majores noſtros, antequam inveheretur per univerſam Italiam profeſſio Romani juris, & in Scholis Bononienſibus, aliiſque ſubſequutis, Romanæ Leges explicarentur, controverſiæ ſine tot Citationibus, Proteſtationibus, Exceptionibus, Inſtantiis, Contradictoriis, aliiſque æternis Fori nodis ac funibus expediebantur. At vix Legulejorum Reſpublica invaluit, & Juris Romani ſacraria aperta fuere, quum via quoque reſerata fuit tricis omnibus, quibus lites nunc temporis obnoxiæ ſunt, & ob quas interdum perpetuantur. Vide quæſo Actum unum in lite, quæ circiter Annum MCXC. agitata fuit inter Obizonem I. Marchionem Eſtenſem & Heredes nobilis Viri Alberti de Baone. De iſta ſermo mihi fuit Par. I. Cap. 38. Antiquitat. Eſtenſ. Eâ occaſione, uti videtur, facta fuit ſequens proteſtatio, quæ ſe mihi obtulit in Archivo Eſtenſi; ac ſatis prodet, quantâ cautelâ jam tum Legum periti inſtituere cœpiſſent longam litium navigationem, quorum induſtriam non ſolùm ſubſequentes æmulati ſunt, ſed mirum in modum ſuperarunt.

Proteſtatio Procuratoris nobilis mulieris Aychæ de Camino contra Obizonem I Marchionem Eſtenſem in controverſia de Villis & Caſtris Baonis, circiter Annum 1190.

PEncius Tabellio, qui fuit de Curterodulo, & nunc Padue moratur, Procurator nobilis mulieris Domine Ayche de Camino, & Domini Tiſolini de Ungarellis, Civium Padue, proteſtatus denuntiat & dicit Illuſtri Viro Domino Opizoni Eſtenſi Marchioni, *quod Domina Aycha ſupradicta, & Dominus Tiſolinus jam dictus, parata & paratus eſt, ſi aliquid de jure tenetur, & debet facere, agere, tractare, & complere ipſi Domino Marchioni, tamquam ſucceſſores Domini Alberti de Baone & Domine Darie quondam ejus filie, predicto Domino Marchioni facere & complere: Viſis Inſtrumentis, ad que facienda, gerenda & complenda tenebantur predicti Domini Albertus de Baone & Domina Daria filia ejus, & ad que tenentur dicto Domino Marchioni de jure ſucceſſores eorum, ſcilicet Domini Alberti & Domine Darie. Et cum inſtancia magna petiit & petit ab ipſo Domino Marchione, & ab eo requirit, ut Inſtrumenta, de quibus Dominicus Caccia Procurator ipſius Domini Marchionis procuratorio nomine pro eo fecit intimationem tempore quo ipſe fecit denuntiare Domine Ayche & Domino Tiſolino, ſuper facto Villarum & Caſtrorum Baonis & Vallis, ut videant & cognoſcant ad que ipſi tenentur & tenebantur Domino Marchioni antedicto: cum ipſi per ſe nullos contractus umquam vel obligationem fecerint cum Marchione aliquo Eſtenſe; & ſi Majores ſui aliquos contractus vel obligationem umquam fecerint, quod ipſi nec ſciunt, nec credunt aliquos contractus vel obligacionem feciſſe, ignorant illos. Et ſupplicavit & petiit ab ipſo Domino Marchione, ut oſtendat & exhibeat Inſtrumenta predicta, de quibus dictus Procurator procuratorio nomine pro eodem Domino Marchione fecit intimationem tempore denuntiationis predicte, quia ſi aliqua Inſtrumenta exiſtunt, & ſunt vera, communia ſunt ipſius Domini Marchionis & ſucceſſorum predictorum Dominorum Alberti & Darie*. Proteſtatur, denuntiat, & dicit Procurator predictus, *non aſſentiendo, predictam Dominam Aycham & Dominum Tiſolinum, nec confitendo, heredes eſſe predictorum Dominorum Alberti & Darie, ſalvis omnibus aliis juribus, exceptionibus communibus, & defenſionibus Dominis Ayche & Tiſolino predictis*.

Ceterum abrogatane umquam fuerit apud Italos Langobardorum Lex, an potius paullatim ipſa in deſuetudinem abierit, antea inveſtigavi, ſcilicet in Præfatione ad Leges Langobardicas Part. 2. Tomi II. Rerum Italicarum. Ibi in primis eviciſſe me puto, veritate minime niti eorum ſententiam, qui Leges Romanas probatas, Langobardicas vero dejectas decreto Lotharii II. Auguſti, circiter Annum MCXXXVI. ſunt opinati. Memini, me vidiſſe Chartam non unam, ineunte ipſo Sæculo XIII. hoc eſt tamdiu poſt ipſius Lotharii imperium, ſcriptam; in quibus profeſſio Langobardicæ Legis occurrit. Et Lib. I. Conſtitution. Sicular. Cap. 59. Fridericus II. Imperator ait: *Secundum conſuetudines approbatas, ac demum ſecundum jura communia, Langobarda videlicet & Romana*. Ita in Antiquitatib. Eſtenſib. Par. I. Cap. 40. pag. 397. & 399. in duobus Diplomatis Ottonis IV. datis Anno MCCXII. legitur: *Nullâ Lege Romanâ, vel Lombardâ, ſeu conſuetudine vel Statuto gentis cujuslibet obviare valente*. Hanc eamdem veritatem aliis argumentis ex eruditione veterum petitis confirmavit celeberrimus Abbas D. Guido Grandius, nuper mihi laudatus, in eâdem Epiſtolâ *de Pandectis*. Norunt autem Eruditi, Leges Langobardicas, Salicas, Ribuarias, &c. editas fuiſſe ab Heroldo, Lindenbrogio, Wendelino, Goldaſto, Baluzio, &c. Langobardicarum editionem dedi & ego Part. II. Tomi I. Rer. Italicarum, fortaſſe non contemnendam. Nunc addo, haberi in MSto Codice Bibliothecæ Eſtenſis *Legem Salicam*. Et quoniam occurrunt ibi variantes Lectiones, aut Gloſſæ, ex quibus textui adhuc obſcuro lux aliqua affulgere poteſt, quaſdam ſeligere, atque in omnium commodum proferre nunc liceat. Editionem Baluzii præ oculis habeo.

Ibi Tit. 2. Cap. primo legitur: *Si quis porcellum lactantem furaverit de Chranne prima, aut de mediana &c.* In Eccardi editione habetur *de Rhanne prima*. Tenebroſam hanc vocem interpretatus Bignonius, & Du-Cangius, *Haram porcorum* heic ſignificari cenſuerunt. Eccardus verò propius vim vocabuli attigit, ſcribens *de Rhanne prima* idem eſſe ac *de primo coitu*. Fortaſſis omnium rectiſſime explicat Gloſſa Codicis Eſtenſis: ubi *de Chranne prima* dicitur, id eſt *de primo partu*.

Tit. 2. Cap. 3. *Si quis porcellum de Sude furaverit, qui clavem habet*. Porcorum ſtabulum *Sudem* interpretatur Pithœus. Stabulum ſeu Haram ceteri. Recte. Nam Gloſſa Codicis Eſtenſis *Sudem* eſſe dicit *Aram porcorum*. Ibi verò non *qui clavem habet*, aut *habuerit*, legitur, ſed *de Sude furatus fuerit, quæ clavem habet*, hoc eſt *ſeram*. Infra habemus *acceptorem*, ideſt *accipitrem intra clavem poſitum*; quod idem ſignificat.

Tit. 2. Cap. 10. *Si quis tertuſſum porcellum furaverit*. Wendelinus *Tertuſſum* interpretatur *tertii gregis*. Pithœus, *qui domi nutritur*. Eccardus ſuſpicatur ſignificari *ſuem tertio jacto editam*. Accipe nunc, quid habet Codex Eſtenſis. Neſcio num ibi ſit *Tertuſſum* aut *Tertuſtum*. Gloſſa: *ideſt* caſtratum. Linguæ Germanicæ periti videant, unde ejuſmodi interpretatio emerſerit.

Tit. 2. Cap. 13. *Septingentis Denariis, qui faciunt Solidos decem & ſeptem cum dimidio*. In MSto Eſtenſi: *DCCXX. Denariis, qui faciunt Solidos XVIII.* Ita quoque in duobus Capitibus ſubſequentibus.

Tit. 2. Cap. 14. *Si quis majalem ſacrivum, qui dicitur votivus, furaverit*. Gloſſa Codicis Eſtenſis *Votivum* explicat *ad occidendum*. Neque enim toleranda interpretatio, quæ a Pithœo profertur ad vocem *Sacrivus*, hoc eſt: *qui & defenſor aliorum porcorum*. Sacrivi ſeu votivi ſues fuiſſe videntur, qui ad ſacrificium deſtinati erant. Quod ubi admittamus, neceſſe eſt, adhuc inter Salicos fuerint, qui Ethni-

Fabricatorum depoſitionem adduxi. Hoc porro affirmare nemo audeat ſub Carolo Magno Principe Chriſtianiſſimo. Verùm Salicæ Legis Pactum, ut dictum, conditum fuit, dum Francorum gens adhuc teneretur barbarie, hoc eſt Orientium nodus.

Tit. 3. Cap. 5. Si quis [illegible] domitum &c. Eſtenſis Codex habet domeſticum.

Tit. 3. Cap. 7. Si quis taurum gregem regentem furaverit, qui de tribus Villis communes vaccas tenuerit, hoc eſt treppillus &c. Apud Eccardum hæc ita leguntur: Si quis taurum, qui gregem regit, & nunquam junctus fuit, furaverit. Codex Eſtenſis: Si quis taurum gregem regentem furatus fuerit, qui de tribus Villis communes vaccas tenuerit, nec unquam junctus fuiſſet, hoc eſt treppillus. Gloſſa, idem qui [illegible]. Apud Germanos Treppe eſt quod Italis Salita, Montata. Hoc tauro admiſſario ſatis conveniat, qui ex hoc Treppellus appellatus fuerit, non verò quod triumtum [illegible] fuerit.

Tit. XI. Cap. 6. Si quis homo Ingenuus alienum Servum in Texaga duxerit, aut aliquid cum eo negotiaverit. Pithœi Gloſſa ad illud Texaga habet: intra tecto. Eccardus Texaga interpretatur [illegible], ſive ablatiuncum occultum. At in Eſtenſi Codice habetur, in taxetam, idest [illegible]. Erit eruditum gentis Germanicæ inveſtigare, num cujuſmodi interpretatio ferendi ſit.

Tit. XI. Cap. 5. Aut fabrum, ſive vinitorem, vel [illegible], aut carpentarium, ſive venatorem. In Eſtenſi MSto fabrum, ſive venatorem &c. ſive vinitorem. Eccardi editio plane diverſa præfert.

Tit. 14. Cap. 10. Si quis puellam, quæ Drauhte ducitur ad maritum, in via adſallierit. Eſtenſis Codex habet: Si quis puellam, quæ Trahe ducitur &c. Gloſſa: ideſt per Nuptiales. Vide Notas meas ad Legem 6. Aiſtulphi Regis Langobardorum, & Diſſertationem XX. de Mulierum Actibus, uti & XXIX. de Spectaculis.

Tit. 14. Cap. 11. Si quis Ingenuus ancillam alienam in conjugium acceperit, ipſe cum ea in ſervitio implicetur. In Codice Eſtenſi applicetur. Tum additur: Dum ipſa vixerit tantùm: quod ad Jurisprudentiam & mores eorum temporum animadvertendum.

Tit. 14. Cap. 16. Pro fratris uxorem, aut avunculi, legitur in Codice Eſtenſi aut avunculum.

Tit. 15. Cap. 4. Si quis hominem &c. adſallire, vel vim [illegible] ei facere præſumpſerit. Eſtenſis Codex: adſallierit, vel violentiam ei facere præſumpſerit.

Tit. 16. Cap. prim. De eo, qui Villam alienam adſallierit. In Eſtenſi Codice additur: cum collecta, hoc eſt cum agmine aliorum hominum.

Tit. 16. Cap. 4. Si quis Ariſtatonem. Vide Diſſertationem XXIII. de Moribus Ital.

Tit. 17. Cap. 2. Si quis ſpicarium, aut mabolum cum annona incenderit. Eſtenſis Codex: Si quis [illegible] (ideſt Cellarium) aut Machalum (ideſt Canavam) cum annona incenderit. Heic latere vitia ſuſpicor. Attamen Spicarium pro horreo poni, ut alii cenſent, vix eſt credibile. In horreo recondi ſpicæ minime conſueverunt. Quid verò ſit Mabolum, ideſt horreum ſine tecto, ut Pithœo placuit, difficilius intelligam.

Tit. 18. Cap. 4. Si quis concidam, vel ſepem

A alienam capulaverit. Ut dixi in Diſſertatione XXX. de Orig. Ital. Italicar. in quibuſdam Mutinenſium pagis ſepes adhuc appellantur Cciſe, profectò a Concide. Ita nempe a cædendo appellare Sepes. In Eſtenſi MSto Codice habetur: Si quis concidam vel ſepem (ideſt [illegible]) quæ vox corrupta, & nihil ſignificans videtur; vel Palencatum, ſive Palencatum, quæ voce barbarica Secula ſignificarunt ſepem e palis confectam.

Tit. 19. Cap. 10. Si quis alterum in via adſallire & expoliare tentaverit &c. bismille ducentis Denariis, qui faciunt Solidos triginta, culpabilis judicetur. In Codice Eſtenſi: & cum expoliaverit, vel tentaverit &c. MCC. Denariis, qui faciunt Solidos XXX. culpabilis

B judicetur. Atque ita ſcribendum: nam revera Solidi triginta dant ſecundùm Salicos Mille ducentos Denarios.

Tit. 23. Cap. 3. Si quis navem vel aſcum de intro clave furaverit. Codex Eſtenſis: Si quis navem vel aſcum de intro clavem furatus fuerit. Sed præferendum Aſcum, ideſt Scaphulam, ut ibi Gloſſa addit, cum reliquis Interpretibus concors.

Tit. 24. Cap. 3. Si quis ſcluſam de farinario alieno ruperit. In Eſtenſ. Codice: Si quis clauſuram de Molino alieno. Quid Scluſa, quid Farinarium fuerit, hinc habes. Italica Lingua pro Scluſa dicit Chiuſa.

C Tit. 25. Cap. 8. Si quis feminam poſtquam &c. Eſtenſis Codex: feminam ingenuam.

Tit. 27. Cap. 6. Si quis meſſem alienam per furtum metere aut reſſire præſumpſerit. In Eſtenſi Codice: aut treſſire. In Gloſsâ additur: id eſt ſpicamen vellere. In editione Eccardi eſt metere aut rapiſcere. Tu illius Notas adi, ſi lubet: neque enim immorari juvat.

Tit. 29. Cap. 8. Si quis impotos de melario &c. tulerit. Eſtenſis Codex: Si quis impotus &c. Addit Gloſſa: ideſt pomi. Neſcio an Interpres divinum egerit. Heic enim ſurculi ad inſerendum indicari potius videntur.

Tit. 29. Cap. 13. in Napinam. Codex Eſt.

D in Rapinam, ideſt ubi rapæ habentur.

Tit. 29. Cap. 19. Si quis iter in campum alienum intrare prohibuerit &c. vel teſtaverit. Habet Eſtenſis Codex: vel reſtaverit, ideſt vetaverit.

Tit. 29. Cap. 24. Codex Eſtenſis addit in fine: Et ſi in caballo adduxerit, XV. Solidos. Et ſi in dorſo, VI. Solidos culpabilis judicetur.

Tit. 29. Cap. 32. Si quis ſtatuam aut tremaclum &c. In Eſtenſi Codice: Si quis ſtatuam (ideſt retis) aut tremaclum. Wendelinus & Du-Cangius ſtatuam fuiſſe contum arbitrantur. At heic non de navibus, ſed de retibus agitur. Tremaclum, nunc Tuſcis Tramaglio,

E nobis Lombardis Tramacchio, retis genus, de cujus vocis origine conſule Ferrarium ac Menagium.

Tit. 30. Cap. prim. & pretium propter hoc dederit. Legitur in Eſtenſi MSto: & pretium propter hoc acceperit, & non fecerit.

Tit. 32. Cap. 1. Si quis alterum Cenitum clamaverit. In Codice Eſtenſi: Cenitum (ideſt Arga). De voce Arga vide, quæ Du Cangius habet. Vide etiam Diſſertationem XXIII. ſubſequentem de Moribus Ital. Cum Wendelini interpretatione Gloſſa Eſtenſis conſonat.

Tit. 32. Cap. 7. Si quis alterum delatorem clamaverit. Vox iſta Italicum Spia ſignificat, ut

ut omnes norunt . Eruditi Germani videant , cur Gloſſa Eſtenſis explicet : *Delatorem , ideſt Lindegarium* .

Tit. 37. Cap. prim. *Homicidam illum domini inter ſe dividant* . In Codice Eſtenſi : *Homicidium illud &c.*

Tit. 37. Cap. 2. Gloſſa in fine hæc addit : *Indicant Franci , qui LX. aut pluſquam XL. Denarios valent , furatus fuerit, ut ſit Latro . Qui verò minus , non ſit.*

Tit. 37. Cap. 8. Gloſſa Codicis Eſtenſis ad verba illa : *Si legem intellexerit* , hæc habet : *ideſt, ſi homo ille, qui occiſus eſt , aut parentes Domino vel Servo illi malefecerint , ut per legem ſint culpabiles , poterit ſe reclamare , ut Leudem non ſolvat, vel non tribuat quicquam, niſi quod Servum tradat ; & priuſquam tradiderit eum, dicat, illum Servum non habere, unde mallatus eſt : & liberabitur a compoſitione medietatis*. Hæc non inutilia ad Juriſprudentiam barbarici ævi .

Tit. 40. Cap. 6. in fine hæc adduntur a Codice Eſtenſi: *Si verò minus de ſex fuerint, mille Denariis, qui faciunt Solidos XXV. culpabilis judicetur , excepto capitale & dilatura.*

Tit. 42. Cap. 5. *etiam nolenti Domino Servi pignus donare debet* . In Codice Eſtenſi: *aut nolente Domino Servi, pignus &c.*

Tit. 43. Cap. 1. *Si quis Ingenuus hominem Francum, aut Barbarum occiderit* &c. En Gloſſam Codicis Eſtenſis: *aut hominem Barbarum, ideſt, quos Franci ex alia patria in ſuam adduxerunt , & ipſos captos Lege Salicâ vivere nolunt* . Hæc animadvertenda. Nam Du-Cangius in Gloſſario, & Eccardus in Notis ad Titulum XV. Legis Salicæ opinantur, *Transrhenanas omnes gentes, Theutonicâ Linguâ utentes*, ſub *Barbarorum* nomine veniſſe : quaſi eâdem Linguâ non uterentur & *Franci* , quos tamen a *Barbaris* diſtinctos eadem Salica Lex prodit . Quare cum ejuſmodi Gloſsâ conferenda eſt hæc opinio . Ad alia propero.

Tit. 43. in Eſtenſi Codice non legitur Cap. Secundum : neque immeritò, nam infra repetitum videas .

Tit. 47. eſt in Codice Eſtenſi *De Reipu viduæ mulieris* , hoc eſt, ut Eccardus explicat , *de iterato Matrimonio viduæ* , ſive *de pretio viduæ iterum nubentis* . Cap. autem 2. in medio hæc leguntur : *tunc ipſe , qui ei teſtatus eſt , ſuper fortuna ſua ponat , & Grafionem roget , ut accedat ad locum , & ipſum inde expellat* . Ita in editione Baluziana. Accipe quid habeat Eſtenſis Codex : *Tunc ipſe , qui ei teſtatus eſt ,*

A *omnem ſubſtantiam ſuam promittat . Si illi ſupradicta probare non potuerit , ſuper fortunam ſuam ponetur , & Grafionem (ideſt Comitem) roget , ut accedat ad locum , & ipſe inde expellat eum* .

Tit. 48. *de Affatomiæ*, in MSto Eſtenſi inſcribitur *de Affattoone* . Contendit Eccardus , hæc omnia vitiata eſſe, & ſcribendum *de Adhramire*, ſive *de Adramire*. Lector eum conſulat. Pro *in laiſum ſuum* , ibi ſcribitur *in lapſum* , ideſt *in ſinum* . Pro *in beo ſuo pultes manducaſſent* , Codex Eſtenſis habet : *Et in beudo ſuo pultem &c. ideſt in menſa ſua* .

Tit. 49. *Iſta omnia ubi ſuus Hamallus eſt* . Gloſſa Codicis Eſtenſis : *Hamallus, ideſt Debitor* . Eccardus legit *Rhamallus* , & vocem inſalutatam dimittit .

B Tit. 52. Cap. prim. *Si quis Ingenuus aut Lidus alteri fidem fecerit* . Eſtenſis Gloſſa : *Ideſt fidejuſſor extiterit* .

Tit. 55. Cap. prim. *Si quis ad æneum mallatus fuerit* . Gloſſa Codicis Eſtenſis : *ad æneum, ideſt ut manum mittat in Caldariam* . Recte . Hac de re vide infra Diſſertationem XXXVIII. *de Judiciis Dei* .

Tit. 59. *per compoſitionem ſe educeret* . In MSto Eſtenſi: *ſe exdiceret*. Ita infra *ſe exdicere voluerit*; & infra , *ita ille culpabilis judicetur*.

Tit. 60. *de Rachinburgiis* , eſt in Codice Eſtenſi : *de Raginburgiis* . Cap. primo pro *in*

C *tertia vice* , idem Codex habet *ad tertiam vicem* . Et infra pro *dicendi ſe legem diſtulerint* , ibi legitur *legem dicere diſtulerint* .

Tit. 61. *de Chrenecruda*, in MSto Eſtenſi per iſtam Gloſſam ſenſus juvatur: *de Chrenequida , ideſt terra collecta de quatuor angulis domus, legaliter in aliquem projecta*. De hac verò voce conſulendus Clariſs. Eccardus . Infra pro *in durpilo* , Codex Eſtenſis habet *in Durbillo, hoc eſt , in limitari, & intercaptare*. Infra pro *quantum de compoſitione diger eſt*, in Eſtenſi Codice legitur *quantum de compoſitione debet digerere* . Infra pro *Chrenecruda* , habetur *Chrenetruda, ideſt de illa terra* .

Tit. 62. Cap. 6. pro *tota terræ hereditas per-*

D *veniat*, Codex Eſtenſis tantùm habet , *tota hereditas perveniat* .

Tit. 64. eſt de *Charoëna* . In MSto Eſtenſi *de Charenova* .

Atque hæc paucula delibaſſe ſufficiat ad Legem Salicam illuſtrandam , quæ multis adhuc tenebris ſcatet , & varia eſt in variis Manuſcriptis . Reliqua minutiora prætermiſi .

DE
MORIBUS
ITALICORUM
POST ARREPTAM
A BARBARIS ITALIÆ
DOMINATIONEM.

DISSERTATIO
VIGESIMATERTIA.

DISSERTATIO VIGESIMATERTIA.

A ETiamſi *Barbarorum* vocabulo Latini, & Græci olim, ac deinde Italici eos plerumque appellarint, qui alienigenæ, peregrini, atque extranei, ſive alterius nationis erant: quod plurimis exemplis oſtendi poſſet: attamen eâ præſertim voce a Populis elegantibus & cultis, quales fuere iidem Græci, atque Latini, deſignari conſueverunt Populi, moribus incultis, rudes, impoliti, humanitatis ſæpe obliti, & unâ ferme ferocitate ſpectabiles. Corporis quidem habitus, ac diverſitas veſtium, unam ab altera gentem interdum diſtinguit; ſed levis momenti exteriorem iſtam diſſimilitudinem unuſquiſque agnoſcat, quum ſub diſpari veſtimentorum uſu par inveniri poſſit in utraque gente morum elegantia. Quod revera hos Barbaros & ruſticos conſtituit, illos verò civiles & cultos, in moribus ſitum eſt, atque in ingenii ac animi habitibus, quos adhuc plane diverſos ac varios pro gentium varietate cernimus, & aut laude, aut vituperatione dignos cenſemus. Anno CCCCLXXVI Odoacer Turcilingorum & Herulorum ductor Italiam Romanis Principibus ereptam ſibi ſubdidit. Succeſſere in idem imperium Gothi ſub Theoderico, qui Anno Chriſti CCCCXCIII. Odoacre interemto, Rex Italiæ conſtitutus eſt. Gothis ſubſequente Sæculo dejectis, Juſtinianus Auguſtus Italiam recepit. Tum eodem Sæculo, circiter Annum DLXVIII. Langobardi Italiâ fere universâ potiti, Regnum ſuum ultra ducentos annos produxere. Tum Anno DCCLXXIV. proſtrato Langobardorum Rege, Franci ſub Carolo Magno Italiæ dominari cœpere. Denique Anno DCCCCLXII. Romanum Imperium Germanis delatum eſt, apud quos adhuc perdurat. Inter tot dominorum mutationes, & incurſum, atque incolatum exterarum gentium, qui Italicorum mores fuerint, nunc eſt inquirendum. Et primo, ſi quando nova Natio alteram profligat, & conquiſitum Regnum, translatis laribus, ſibi habitandum ſumit (quod ab Herulis, Gothis, & Langobardis in Italia factum novimus, a Francis in Gallia, a Saxonibus & Normannis in Britannia, a Viſigothis in Hiſpania) nonnunquam contingit, ut victor Populus in victum ſuos mores ac ritus transfundat. Regis enim ad exemplum Populi aut lubentes, aut inviti non raro ſe ſe componunt. Sed & æque facile eſt, ut victores ipſi a victis meliores mores edocti, ſenſim ad eorum vitam ſe ſe accommodent, & feritate ac ruſticitate depoſitâ, manſuete ac civiliter vivere diſcant.

Sub Odoacre Herulorum Rege Italicis Populis inflictæ fuerunt innumeræ clades. Et Populus quidem ille ab extremo Septemtrione, atque ab Oceani maris, ſinuſve Baltici litoribus evocatus, aſperos & crudeles ſecum deduxerat animos, & jam ſylveſcentem Italiæ gentem ad ruſticitatem pertrahere potuiſſet, ſi diutius heic ſuam ſedem fixiſſet. Verùm paucos poſt annos Theodericus Oſtrogothorum Rex, ſublato e vivis Odoacre, ejuſque copiis debellatis, novos incolas & dominos Italiæ dedit, hoc eſt *Gothorum* Regnum apud nos ſtatuit. Ad *Gothorum* nomen nos, quamquam adeo ab illorum temporibus diſſiti, exhorreſcimus, quaſi in mentem noſtram incurrat gens plus quàm barbara, & prorſus immanis. Gerræ, gerræ. Non certe Gothos cum Romanis æquem: attamen eorum, ſimulque & Italiæ Regem Theodericum quamplurimis Romanorum Imperatoribus gloriâ, fortitudine, ſapientiâ, & moribus liberalibus præferam. Eum, ut Ennodius in illius Panegyrico auctor eſt, aliæque Hiſtoriæ teſtantur, *educaverat in gremio civilitatis Græcia*, ita ut Italia non ſæviſſimum Tyrannum, ſed æquiſſimum Regem acceperit, qui vitiis certe non caruit, ſed pluri- B bus abundavit virtutibus, qui in manſuetudine, magnificentia, & liberalitate præcipuum decus ſuum collocabat, ſub quo Leges, & Artes, & priſtini Magiſtratus nequaquam exciderunt, immo uberius quàm antea floruiſſe deprehenduntur. Neque ipſa gens Gothica ab inhoſpita aliqua regione atque horrido cælo tunc primum præciſa, ſed inter Populos humaniores verſata, avitam aſperitatem jamdiu dedidicerat. *Nec defuerunt*, Jordane teſte de Reb. Getic. Cap. 5. *qui eos ſapientiam erudirent. Unde & pæne omnibus Barbaris Gothi ſapientiores ſemper exſtiterunt, Græciſque pæne conſimiles, ut refert Dio*. Proinde nil mirum, C ſi, ut Anonymus Valeſianus Auctor eſt, adeo Theodericus non Italicam tantummodo, ſed & *vicinas oblectavit gentes, ut ſe illi ſub fœdus darent, ſibi eum Regem ſperantes. Negotiantes vero de diverſis provinciis ad ipſum concurrebant. Tantæ enim diſciplinæ fuit, ut ſi quis voluit in agro ſuo argentum vel aurum dimittere, ac ſi intra muros Civitatis eſſet, ita exiſtimaretur. Et hoc per totam Italiam augurium habebat, ut nulli Civitati portas faceret, nec in Civitate portæ claudebantur: quis quod opus habebat, faciebat, qua hora vellet, ac ſi in die*. Plura de illo Ennodius habet, plura Caſſiodorius, quæ ego miſſa facio. Sed po- D tiſſimum legenda Gothorum ipſorum oratio ad Beliſarium Lib. 2. Cap. 6. Procopii de Bello Gothico. Quare ne tunc quidem Italia cenſenda eſt ex antiquæ dignitatis ſtatu, quamquam longe antea imminuto, in infeliciſſimum ſquallorem, ac poſtremam barbariem deflexiſſe. Non pulſi, non cæſi a Gothis Italiæ Populi. Quod ſolùm paſſi ſunt, Procopio teſte ac Ennodio, agrorum partem eis ereptam ſuis Gothis Theodericus aſſignavit: idemque jam antea fecerat Odoacer; & olim Romanos quoque, Livio in primis, & Siculo Flacco teſtibus, præſtitiſſe novimus.

Si quid igitur video, quod mores Italico- E rum revera nimium a veteri ſtatu dejecit atque immutavit, Langobardorum fuit in Italiam irruptio, atque heic longe lateque eorum dominatio conſtabilita. Nam quo tempore Alboinus cum ſuis Pannoniæ vale dicens in haſce regiones irruit, ex diverſis etiam aliis gentibus Germanicis integras acies ſibi junctas ducens, æque ad Italorum ſpolia inhiantes, ferrea plane & immitis & brutorum æmula gens iſta fuit. Sub Alboino fuſus multis in locis Italicorum ſanguis; at pejora ſub Ducum regimi-

A gentem conſequuta ſunt: nam eorum gladiis in quoslibet nobiliores converſis habitatoribus Urbes ac rura ſpoliavere, ita ut Paullo Diacono teſte Lib. 2 Cap. 32 de Geſt. Langobardorum, *ſpoliatis Eccleſiis, Sacerdotibus interfectis, Civitatibus ſubrutis, Populiſque, qui more ſegetum excreverant, extinctis, exceptis his regionibus, quas Alboin ceperat, Italia ex maxima parte capta ſit, & a Langobardis ſubjugata*. Excepta illa ab Albuino jam occupata. In his enim jam five compoſitis pacem Langobardi alebant. Itaque eorum furor in loca alia ſeſe convertebat, quæ adhuc adverſaria fuere, ac præcipue in agrum Romanum, quum Urbs ea ſede Auguſtorum ſemper conſtans numquam adduci potuerit, ut barbaro Populo faceret B deditionem. Audi Gregorium Magnum, qui exeunte eodem Sæculo Romanam Cathedram implevit, Dialogor. Lib 3. Cap. 38. *Mox effera Langobardorum gens de vagina ſuæ habitationis educta, in noſtram cervicem graſſata eſt; atque humanum genus, quod in Hac Terra præ nimia multitudine quaſi ſpiſſæ ſegetis more ſurrexerat, ſucciſum aruit. Nam depopulatæ Urbes, everſa Caſtra, concrematæ Eccleſiæ, deſtructa Monaſteria virorum & fœminarum, deſolata ab hominibus prædia, atque ab omni cultore deſtituta in ſolitudine vacat Terra: nullus hanc poſſeſſor inhabitat: occupaverunt beſtiæ loca, quæ prius multitudo hominum tenebat*. Hæc de Romano Ducatu Sanctus C Gregorius. Neque enim in deditos ſibi Populos, ſibique parentes, debacchata videtur rabies Langobardorum. Illud tamen minime diſſimulandum, a Clepho Albuini ſucceſſore multos *Romanorum viros potentes, alios gladio extinctos, alios ab Italia fuiſſe exturbatos*, ut idem Paullus tradit. Acceſſit ad Italiæ calamitates horrenda peſtis ac intoleranda fames, quæ mala vel ante Langobardorum adventum habitatoribus Urbes & agros exhauſerant, ut propterea in vacuo veluti Regno ſeſe ac ſobolem ſuam, immo & mores barbari facile propagarint. Mores, inquam; nam quum attenuati forent veteres Italiæ incolæ, & plerique in deterrimam paupertatis ſortem dejecti, nihil virium D aut exempli hiſce fuit, ut novos dominatores ad aliud vivendi genus elegantius, ac humanius allicerent. Propterea perrexere diu Langobardi in feritate ac ruſticitate primæva, atque in barbarico vultus & veſtium ornatu, donec mitius Italiæ cælum, & Romanorum & Græcorum contermina exempla, eos ad morum culturam aliquam, & ad urbanitatem ſenſim deduxit. Ab Agilulfi Regis conjuge Theodelinda, narrat Paullus Lib. 4 Cap. 23. de Geſt. Langobardor. conſtructam fuiſſe in honorem beati Johannis Baptiſtæ inſignem Baſilicam Modoetiæ, ubi & picta fuere Langobardorum geſta. *In qua pictura*, ut idem ſcribit, *manifeſte oſtenditur, quomodo Langobardi eo tempore comam capitis tondebant, vel qualis illis veſtitus, qualiſve habitus erat. Siquidem cervicem uſque ad occipitium radentes nudabant: capillos a facie uſque ad os demiſſos habentes, quos in utramque partem in frontis diſcrimine dividebant. Veſtimenta vero eis erant laxa & linea, qualia Angloſaxones habere ſolent, ornata inſtitis latioribus vario colore contextis. Calcei vero eis erant uſque ad ſummum pollicem pæne aperti, & alternatim laqueis corrigiarum retenti. Poſtea vero cœperunt Hoſis uti, ſuper quas equitantes Tybrugos birreos mittebant. Sed hoc de Romanorum conſuetudine traxerunt*. Hæc ille, ſatis oſtendens, alium poſtea veſtium & capitis ornatum invaluiſſe. *Hoſæ* ſive *Oſæ* tibialia, ſeu calceamenta fuiſſe putantur, quales nunc *Stivali* & *Stivaletti* Italis. De iis Voſſius & Du-Cangius. Germani tamen *Hoſen* appellant *Bracas*, nobis *Calzoni*: contra Anglis *Hose* ſignificat *Tibiale*. Quare Langobardorum *Hoſas* ſuſpicari poſſumus non diſſimiles ab ocreis Hungarorum peditum, quæ pedes, tibias, ſimulque coxas veſtiunt. Matthæus Villanius Lib. 8. Cap. 74. Hiſtoriar. ait: *Dove gli Ungheri in Uoſa, e gravi di loro arme, e gibboni non poteano ſalire*. Apud Boccaccium quoque *Voſe* non ſemel memoratur. Vox autem *Stivali* ex Germanico *Stiefel* produſſe cenſetur, eaque ſententia fuit Menagii & Ferrarii. Attamen addidit Ferrarius, ipſum Germanicum *Stiefel* efformatum fuiſſe ex Latino *Æſtivalis*, ſubintelligendo *ocrea*. Et ſane Du-Cangium vide ad vocem *Æſtivalia*. Sed hæc ipſa exempla non ejus ſunt antiquitatis, ut mihi dubitationem omnem eripiant: Fieri quippe potuit, ut quum vetuſtiſſimum nomen *Stivali* reddere Latine vellent, *Æſtivalia* dicerent, quod propior iſta vox eſſet, non quod revera *Æſtivales ocreæ* forent: namque hyemali tempore eorum quoque uſus fuit, immo neceſſitas major. Germanis id accuratius inquirendum relinquo.

Porro extra controverſiam poſitum eſt, Langobardos aluiſſe barbam; immo inde eis acceſſiſſe hoc nomen *ab intactæ ferro barbæ longitudine*, veluti rem certam narrat ſupra memoratus Paullus Warnefridi. Sunt qui aliunde illud arceſſendum conſtantiſſime contendunt. Ego hac de re litigantes dimitto. Inter Leges Rotharis damnatur, qui *ſurgente rixa per barbam, aut per capillos hominem liberum traxerit*. Ravennæ quoque pro foribus Templi Sancti Vitalis, eodem Paullo Diacono, & Rubeo in Hiſtor. Ravennat. teſtibus, poſitus fuit lapis ſepulcralis Droctulfo, qui ab Authari Langobardorum Rege ad Exarchum deficiens, bellicis virtutibus famam ſibi prægrandem quæſierat. Hæc ibi de illo:

TERRIBILIS VISV. FACIES, SED CORDA BENIGNA,

Sed mente benignus, habet Paullus;

LONGAQVE ROBVSTO PECTORE BARBA FVIT.

E Grimoaldo quoque Regi *prominentem barbam fuiſſe* idem Paullus tradit. Scilicet barbam nutrire, Langobardis decorum ac virile viſum eſt olim. Fortaſſis etiam facie quodammodo barbæ ipſius ope ad terrorem compoſitâ, ſe metum hoſtibus incuſſuros ſperabant: quod & nunc a nonnullis præſtatur, retentâ dumtaxat, & utrinque pendente, labri ſuperioris barbâ: nos *Muſtacchi* appellamus. Adeoque id certum, ut ignominiæ loco haberetur apud multas gentes, barbâ ſpoliari: fortaſſe quod Servorum tantummodo eſſet, ſine capillis & barbâ incedere. Idem Paullus Lib. 6. Cap. 6. de Ariberto Rege ſcribit: *Comprehenſumque Rotharit*

vharit pſeudo-Regem, *ejus caput*, *barbamque radens*, *Taurinis in exilium retruſit*. Vide Barthium Lib. 51. Cap. 7. Adverſarior. atque alios Eruditos in hoc eodem argumento verſatos, quos prætereo. Romani contra ex antiquiſſima conſuetudine barbam aut caſtigabant, aut radebant. Crinem quoque, uti & nunc fit, honeſtâ tonſurâ compoſuiſſe videntur. Certe formam tonſuræ diverſam a Langobardica ſervarunt. Audi Anaſtaſium in Vita Hadriani I. Papæ ſcribentem, Langobardos illos, qui in fide & ſervitio Beati Petri ſe futuros pollicebantur, *more Romanorum tonſuratos fuiſſe*. Contra Liutprandus Rex apud ipſum Anaſtaſium in Vita Gregorii III. *multos Nobiles de Romanis more Longobardorum totondit*, *atque veſtivit*. Quænam verò foret diverſitas iſta Tonſuræ, & in quo ſita eſſet ipſa hominum illius temporis crinium decurtatio, is tantummodo rite deſcribere poſſet, qui picturas tunc factas aliquandò reperiret. In antiquiſſimo Rituali MSto Caſanatenſis, apud PP. Prædicatores Cœnobium Romanum S. M. in Minerva incolentes, variæ Benedictiones leguntur, inter quas una ad *Capillos tondendos*. Ibi hæc Oratio: *Omnipotens Chriſte Salvator*; *innocens*, *& innocentiæ amator*: *humilis*, *& humilitatis aſſumptor*; *manſuetus*, *& manſuetudinis inhabitator*: *qui venientibus ad te parvulis manus tuæ benedictionem imponens*, *talium dixiſti eſſe Regnum Cœlorum*: *benedic hunc famulum tuum N. cujus in tuo nomine ſuperflua recidimus Capillorum*: *da ei intellectum cum ætatis augmento*, *ut te timeat*, *te intelligat*, *& tua mandata cuſtodiat*, *& te auxiliante uſque ad annos ſenectutis cum ſumma ſanitate perveniat*, *per te*, *Salvator Mundi*, *qui cum Patre &c.* Illud quidem certum eſt, Francos a barba promiſſa abſtinuiſſe; fortaſſis & nullam nutriebant, Myſtacibus tantùm contenti. Agnellus in Vita Gratioſi Archiepiſcopi Ravennatis, eum inducit hæc prædicentem: *Venient ex Occiduis partibus raſi barbas*: quo nomine Francorum gentem deſignat. Eginharto teſte prioris ſtirpis Reges Francici *crine profuſo*, *barbâ ſubmiſſâ* incedebant. At ſub Carolo Magno alii mores invecti videntur. Quum ipſe omnibus notum vellet, ſe Grimoaldo Beneventanum Principatum contuliſſe jure beneficiario, & intacta ſuprema poteſtate ſua, inter cetera ab eo exegit (verba ſunt Anonymi Salernitani, ſeu Erchemperti Cap. 4. Hiſtor. Langobardor.) *ut Langobardorum mentum tonderi faceret*. Verùm pacta hæc non diu ſtetere. Quare *more Romanorum* tonderi, hoc præcipuè importabat, ut barba deponeretur, aut ſaltem curtaretur. Neque enim audeo, eos prorſus imberbes præſtare, quum Ravennates Romanorum ſocios, neque Langobardis ſubjectos, inveniam ſaltem barbæ aliquid aluiſſe. Agnellus in Vita Damiani Archiepiſcopi, eos nobis exhibet *capillos & barbas extrahentes*. *Omnes nobiles & ignobiles ſquallidâ barbâ mœrendo inincedebant*. Ita a Landulpho ſeniore Lib. 3. Cap. 12. Hiſtor. Mediolanenſ. circiter Annum MLIX. Landulphus Populi Capitaneus dicitur, *Barbam*, *ut uſus antiquus exigebat*, *quaſi purpuream gerens*. Bonifacius quoque Dux & Marchio Tuſciæ, pater Comitiſſæ Mathildis, Anno MXLII. iratus in quoſdam Burgundiones, *barbam quatiendo minatur*, uti ſcribit Donizo in Vita Mathildis Lib. primo Cap. 11.

Græcorum quoque mos fuit ipſam nutrire barbam, ac promittere; quumque ad eorum mores ſe Veneti conformarent, propterea & ipſi procedebant barbati. Petrus Urſeolus Venetorum Dux, qui Sæculo Chriſti X. Ducatu ſeſe abdicavit, ut Monaſticam vitam amplecteretur, dum fugeret una cum Guarino Abbate, conſpiceretque inſtare, qui ad ſe revocandum convolabant, converſus ad Abbatem ait: *Quantocius accipe novaculam*, *& depone mihi barbam*, *ſicque colobium indue Monaſticum*. Hac arte evaſit minime ab eis agnitus. Ita in ejus Vita lego. Ad hæc Anno MXXVIII. in Charta Chronici Vulturnenſis Part. II. Tomi I. Rer. Italicarum pag. 506. Ildecardus quidam ait: *Inſpiravit me omnipotens Deus*, *ut hoc Mundum derelinquam*, *& tundam* (pro *tondeam*) *caput & barbam meam*, *& veſtem ſanctam Monachilem induam*. Præterea mos fuit, ut Clerici Latini, potiſſimum Romani, barbam raderent. Gregorius VII. Papa Lib 8. Epiſt. 10. ſcribebat: *Quemadmodum totius Occidentalis Eccleſiæ Clerus ab ipſis Fidei Chriſtianæ primordiis barbam radendi morem tenuit*, *ita &c.* Verùm non hæc tam diſerte Gregorio Pontifici affirmanda erant. Alii enim fuere ac varii veterum Clericorum mores. Concilii IV. Carthaginenſis Canonem 44. audi: *Clericus nec comam nutriat*; *nec barbam radat*, ſive, ut alii Codices habent, *tondeat*. Non tam certus eſt, fateor, textus Canonis hujus, Codicibus non bene concordibus. At procul dubio Apollinaris Sidonius Lib 4. Epiſt. 24. apertiſſime prodit, *Clericos* ſuo tempore in Galliis Barbam aluiſſe. Sed alii deinde mores obtinuere. Et quidem Sæculo eodem, quo Sanctus Gregorius VII., floruit etiam Petrus Damiani. Is verò Barbæ a Clericis raſæ luculentus eſt teſtis, dum Lib. primo Epiſtola 15. ſcribit: *Eccleſiarum plane Rectores tanto vertiginis quotidie rotantur impulſu*, *ut eos a Sæcularibus Barbiraſium quidem dividat*, *ſed actio non diſcernat*. Quibus ex verbis diſcimus, Laicos Romanos intactam ſervaſſe Barbam, aut eam curtaſſe, non ſuſtuliſſe. Animadverte tamen, quid habeat Ditmarus ſub initium Libri VII. ubi Romanam Coronationem Henrici I. inter Auguſtos ad Annum Ch. 1014. deſcribit. Eum nempe nobis exhibet *a Senatoribus duodecim vallatum*, *quorum ſex raſi Barbâ*, *alii prolixâ myſtice incedebant cum baculis*. Rurſus in Vita prælaudati Gregorii VII. per Cardinalem Aragonium ex antiquis decerptâ, atque a me editâ Tomo III. Rer. Italicar. Sanctus ille Pontifex abjeciſſe dicitur *ſexaginta Manſionarios beati Petri*. *Erant enim Cives Romani uxorati*, *ſeu concubinarii*, *barbâ raſi*, *& mithrati*, *aſſerentes*, *ſe Cardinales Presbyteros eſſe*. Scilicet Laici erant, ſeque eodem tempore Presbyteros mentiebantur, in cujus rei ſignum *barbâ raſi* procedebant. Ita Dandulo teſte in Chronico, circiter Annum Chriſti DCCCCXLVI. Dominicus Vir Laicus a Populo Veneto *expetitus Epiſcopus*, *abſciſſâ barbâ ſibi*, *invitus Epiſcopatum accepit*. Proinde in antiquiſſimis picturis, & anaglyphis, Monachi & Clerici ſæculares imberbes occurrunt. Quod riſum moveat: barbati Græcæ Eccleſiæ Miniſtri Sæculo IX. & ſubſequentibus, hac etiam de cauſsâ Latinos veluti ingentis flagitii inſimularunt, quod barbam tonderent: quaſi ex barbâ promiſsâ pendere poſſit hominum probitas atque ſanctitas. Ratramnus Corbejenſis Monachus Lib. 4. Cap. 5. Operis contra Græcorum oppoſita, editi a Dacherio futilem hac de re illorum calumniam refellit, ſimul prodens,

dens, ne apud Latinos quidem Clericos conſtantem fuiſſe radendæ conſuetudinem. Certe, ut videbis, Barbam radebant Monachi. Attamen Angelus de Nuce in Notis ad Cap. 24 Vitæ Sancti Benedicti, Tomo IV Rer. Italic. antiquiſſimam picturam exhibet, in qua Sanctus ipſe Patriarcha, ac Johannes Caſinenſis Abbas Barbam extantem præferunt, immo & Myſtaces. Goldaſtus quoque in Notis ad Vitam Caroli Magni hæc ſcribit: *Rariſſimæ namque ſunt in veteribus Monachorum imaginibus, quas ego quamplurimas vidi, quæ barbam non præferant.* Ergo pro temporum ac locorum varietate varia fuerit Barbæ aut nutriendæ, aut cædendæ conſuetudo. Sed & Græcis alia tondendæ ratio fuit; quod ex Epiſtol. 88 Codicis Caroli conſtat, ſcripta Carolo Magno ab Hadriano I Papa, ex qua intelligimus, Arichiſum Beneventanum Ducem ſeu Principem ab Imperatore Græco petiiſſe *auxilium & honorem Patriciatus una cum Ducatu Neapolitano ſub integritate. Pro quo re pollicitus eſt ei tam in tonſura, quàm in veſtibus uſu Græcorum perfrui, ſub ejuſdem Imperatoris ditione.* Deinde ſubdit: *Hæc audiens autem Imperator, emiſit illi ſuos Legatos, ſcilicet Spatarios duos, in ditionem Siciliæ ad Patricium eum conſtituendum, ferentes ſecum veſtes auro textas, ſimul & ſpatam, vel pectinem, & forcipes, ſicut illi prædictus Arichiſus indui & tonderi pollicitus fuerat.* En ergo quàm tenaces olim forent homines ejuſmodi rituum, & quàm ſedule peculiarem veſtium ſuarum, ac tonſuræ formam ſervarent, ut ſeſe a reliquis Nationibus diſtinguerent.

Ad Langobardos redeo. Illi ubi Arianiſmo abjurato Religionem Catholicam & Leges amplexi ſunt, tunc, ut ita dicam, cicurati, pietatis, clementiæ, juſtitiæ, ac humanitatis operibus, cum aliis Nationibus certarunt, ita ut in eorum Regno, & ſub ipſorum Regibus, bene Populo fuerit. Illos profecto ſævos ac intolerandos Romani interdum ſenſere. Sed nihil ab iis actum, quod non & aliarum gentium Reges in bellorum tumultu ac rabie egerint, & millies poſtea ſit actum ab aliis, uti Hiſtoria nos edocet. Inhiarunt quotidie Græci, quum vires ſuppetebant, ad Langobardorum interitum, in quos veluti Italiæ uſurpatores internecino odio ferebantur. Viciſſim verò & Langobardos ſolicitabat cupido ſubdendi ſibi Exarchatum Ravennatem, Ducatum Romanum, Neapolim, aliaſque maritimas Urbes, adhuc in Græcorum fide conſtantes, ne hoſtes diutius in ſinu haberent. Hinc bella, hinc incendia & clades. Acceſſit & Græcorum ipſorum ſævitia & impotentia in Romanos Pontifices, & Iconoclaſtica Hæreſis ab ipſis Imperatoribus Græcis diſſeminata, ac propagata. Quæ omnia Langobardorum Regum animos incenderunt ad invadendam Ravennam, & ad tentandam obſidione Romanam ipſam Urbem. Sed hinc eis exitium, & Regni finis fuit: nam Romani Pontifices, a ſubeundo Langobardorum jugo nimis alieni, adverſus illos Pippinum & Carolum Francorum Reges in Italiam advocarunt; & ſubinde occaſionem conſpicati gerendæ etiam utilius rei ſuæ, non ſolùm Langobardos, ſed & Græcos ab Italiæ dominatione dejecerunt, & pactis initis cum victoribus Francis univerſam Italiam inter ſe partiti ſunt. Itaque ſucceſſere in Italico Regno, tum & in Romanorum Imperio Franci, quæ gens & ipſa e Germaniæ viſceribus

A olim egreſſa, & Gallis, aliiſque Populis ſubactis, victorias longe lateque protulerat. Sub novo Principe Carolo Magno, ejuſque ſucceſſoribus, quales Italicorum mores evaſerint; facile æſtimare poſſumus. Nam Franci vel antea quam ſuum proferrent imperium in Galliam, concinnitate vitæ Langobardos ſuperarunt; deinde verò inſigni terrarum tractu potiti, elegantiores etiam paullatim ſunt facti; quod enim barbarici apud ſe erat, ſenſim deponentes, Romanorum devictorum moribus ſe ſe tamdem attemperarunt. Illuſtre eſt hujus gentis elogium apud Agathiam Scholaſticum, qui ſub Juſtiniano I. Auguſto, circiter Annum Chriſti DLX floruit, Lib. primo Hiſtor. Ita B ille præter cetera ſcribit: *Sunt enim Franci non campeſtres* (νομάδες, ideſt non errantes per paſcua, neque mapalia ſua, ut ruſtici, circumferentes) *ut fere plerique Barbarorum; ſed & politiâ ut plurimum utuntur Romanâ, & legibus iiſdem; eandem etiam contractuum & nuptiarum rationem, & divini Numinis cultum tenent. Chriſtiani enim omnes ſunt, rectiſſimeque de Deo ſentiunt. Habent & Magiſtratus in Urbibus, & Sacerdotes. Feſta etiam perinde atque nos celebrant; & pro barbara natione, valde mihi videntur civiles & urbani; nihiloque a nobis differre, quàm tantummodo barbarico veſtitu & linguæ proprietate. Ergo certe eos cum ob alia, quibus præditi ſunt, bo-* C *na, tum verò ob mutuam inter ſe juſtitiam & concordiam ſummopere miror &c.* En quam bene compoſiti vel ipſo Sæculo Chriſti VI. forent Francorum mores; quos etiam lævigaſſe & expoliviſſe uberius videtur Carolus Magnus, Princeps ille tum rebus geſtis, tum animi, ac mentis magnitudine maximis quibuſque æquiparandus. Nihil ergo ex hoc novo domino, noviſve incolis deperiit moribus Langobardicæ ſive Italicæ gentis: immo in eorum utilitatem ac ornamentum converſa eſt tanta rerum mutatio, quum certum ſit, aſſumtos e Francorum genere Romanorum Imperatores Langobardicis Legibus alias addidiſſe ſumme laudabiles, & ſapientiam, rectumque Populorum D regimen aperte indicantes. Italia verò cum ſub Regibus Langobardis, tum præcipue ſub Francis, inteſtinâ pace fere ſemper fruens, in exteros tantùm hoſtes arma & fortitudinem exercebat.

Atque heic potiſſimùm, ideſt in armorum uſu ac fortitudine, gloriam ſuam Langobardi æque, atque Franci, ſtatuebant, uti & animi oblectationem in Venatu, & Aucupio. Et profecto ad feras inſequendas, & necandas adeo Populorum illorum animi proni tunc erant, ut Epiſcopi ipſi & Clerici ab his abſtinere difficillimum putarent. Quare in multis Conciliis opus fuit pravum ejuſmodi uſum ſacris viris interdicere. At earum gentium Reges, dum E pace fruerentur, immo & belli tempore, Hiſtoria nobis exhibet fere ſemper Venationi addictos atque intentos. Romanos procul dubio & ipſos venationis amore captos legimus. Numiſmata etiam vidi aprorum cædem referentia. Immo Plinius in Panegyrico Cap. 81. Trajanum laudat, quod ubi otium & quies daretur, *luſtraret ſaltus, excuteret cubilibus feras,* ſubdens: *His artibus futuri Duces imbuebantur, certare cum fugacibus feris curſu, cum audacibus robore, cum callidis aſtu.* Attamen plerique Romanorum ab ejuſmodi ſtudio abſtinebant, aut potius per Servos aucupium, leporumve capturam exercebant. Falconum quoque uſus Sæcu-

lo tantùm IV. Æræ Chriſtianæ in Italiam invectus creditur. At Populi ceteri tum Aſiæ, tum Europæ, ac præſertim ad Boream poſiti, ex antiquiſſimo more venationem deperibant; neque tantùm Reges atque Optimates, ſed & ipſum vulgus liberorum hominum. Hanc illi hereditatem ad poſteros, atque ad ipſa tempora noſtra tranſmiſerunt, ita ut Barbarorum potiùs ritum quàm Romanorum, appellare liceat Regum, Principum, ac Nobilium adeo impenſum venationis ſtudium. Hinc venatoriæ rei multiplex mentio in Legibus Langobardicis, Francicis, Salicis, Ripuariis &c. Inde etiam ſaltus & ſilvæ ad cuſtodiam ferarum, muro interdum, aut palis, aut foſſis circumdatæ. *Gajum*, *Parcum*, *Brolium* nuncupabant hæc loca, illaque Regibus Perſis antea in uſu fuiſſe tradit Zoſimus Lib. 3. Hiſtor. Deſcriptum habes Caroli Magni venationem magnificam in Carmine Anonymi, edito a Caniſio in Lection. Antiqu. Hoc etiam ſtudio mire delectatus eſt Lambertus Imperator. Verùm Anno DCCCXCVIII. dum in luco Marinco huic operam daret, necatus eſt. Uti etiam habet Leo Marſicanus Lib. 2. Cap. 60 Chronic. Caſinenſ. Sergius Dux Neapolitanus *venatum in ipſo Sancto Paſchali Sabbato pergens, ſilvam ſuis cum pueris, ut apros caperet, eſt ingreſſus; tenſiſque retibus, ad inſequendos eos ſeſe cum canibus huc illucque unanimiter omnes per ſilvam diffundunt*. De Carolo Magno ſupra laudato hæc habet Eginhartus in ejus Vita: *Aſſidue exercebatur equitando ac venando: quod illi gentilitium erat. Quia vix ulla in terris natio invenitur, quæ in hac arte Francis poſſit æquari*. Ante etiam de eodem Principe dixerat: *Filios more Francorum equitare, & armis ac venationibus exerceri fecit*. Ludovicus autem Pius recte conſiderans, quam carum & pretioſum apud Italicam ſive Langobardicam gentem eſſet Gladium deferre in fortitudinis ac nobilitatis ſignum, & Venari voluptatis cauſsâ: ſtatuit in Lege 16. Langobard. Part. II. Tomi I. Rer. Italicar. ut quum ad perſolvendas pœnas auferenda forent pignora, intactus cuicumque relinqueretur Gladius & Accipiter. *In compoſitione guidrigild*, (ſunt ejus verba) *ut ea dentur, quæ in Lege continentur, excepto accipitre & ſpatâ*. Rationem quoque reddit, ſubjiciens: *Quia propter illa duo aliquotiens perjurium committitur, quando majoris pretii, quàm illa ſint, eſſe jurantur*. Et quidem Venationis amor, & Volucres rapaces ad ejus uſum diu ſervati fuerunt apud Italos. Quod etiam colligo ex Statuto Populi Mutinenſis, ante annos quadringentos manu exarato, in quo ut ſemina diſcordiarum ob hoſce volucres ſubinde nata in poſterum tollantur, hæc decreta legas: *Si quis invenerit Falconem, Aſturem, Terzolum, & Sparaverium alterius, & ipſum ceperit, ſalvum faciat ipſum, & deferat ea ad domum Maſſarii Communis; & præſentare teneatur Maſſario vel Poteſtati vel Judicibus ſuis. Et Maſſarius teneatur eum ſalvare, donec ſciat cujus ſit, & eidem reddatur. Et Poteſtas faciat dari de avere Communis tres Soldos Ferrarienſis ei, qui ceperit Sparaverium, & ei, qui ceperit Falconem vel Aſturem, & præſentaverit, decem Soldos Ferrarienſis*. Tum contra facienti pœna indicitur. Id autem tanti momenti tunc viſum eſt, ut Maſſarii volucrem illam repertam indicare omnibus publico proclamate cogerentur, *ut dominus inveniretur*. Id quoque in aliarum Urbium Legibus municipalibus cautum invenio, ac præcipue in Mediolanenſi. Sed in iſto etiam animadverſione dignum eſt, quod habetur Part. II. Cap. 444. ubi decretum eſt, ut *nullus capiat Ciconias, nec Hirundines, ſub pœna Librarum quinque Imperialium*. Hoc ait Carpanus interdictum, *eo quod nullum damnum afferunt publico*. Non illâ, ut puto, de cauſsâ; ſunt enim & aliæ volucres complures, quæ nihil inferunt damni: ſed quia utiles cenſentur homini, quum inſecta pernicioſa & ſerpentes tollant, & hominis amicæ reputentur, quippe in ipſis ædibus nidificant; aliaque narrantur ſive fabuloſa, ſive vera, de earum pietate, prudentia, ac prædictionibus. Sæpe ego miratus ſum, cur ætate noſtrâ pæne ignota inviſaque ſit apud nos *Ciconia*, quam tamen veteres in Italia conſediſſe ac nidos exſtruxiſſe ferunt. Non alia mihi cauſſa occurrit, niſi quod poſt invectum uſum pulveris tormentarii & ſcloporum, Ciconiis antea nidificantibus in tectis facile bellum illatum fuerit, propter quod vertere ſolum elegerint. In Germania crebræ viſuntur ac habitant: incolæ quippe religioni ſibi ducerent, amicam avem interimere, fauſtumque omen arbitrantur Ciconiam habere ſui tecti incolam. Certe in Hiſtoriis Patavinis legi, vel Sæculo Chriſti XIV. pacifice habitaſſe Ciconias in agro Patavino. Aulicus verò Ticinenſis, qui eodem Sæculo circiter Annum MCCCXXX. Opuſculum ſcribebat de Laudib. Papiæ, editum Tomo XI. Rer. Italicar. hæc de Ticinenſi agro memoriæ prodebat: *Mundatur autem tota regio illa a venenoſis animalibus, & maxime ſerpentibus, per Ciconias, quæ illic toto tempore veris & æſtatis morantur*. Iraſcendum ergo, inquiet aliquis, majoribus noſtris, qui tam utile ac innocens volatilium genus ab Italico cælo exterminarunt.

Denique amorem venationis in Italicis Principibus diu perduraſſe, multis exemplis oſtendere poſſem. Sed ſufficiant duo Mediolanenſes, ſcilicet Johannes, & Luchinus Vicecomites, qui teſte Gualvaneo de la Flamma, ſynchrono auctore, *canibus venaticis, falconibus, aſturibus, accipitribus, in maxima quantitate* abundarunt. Neque tantùm mirere, Johannem Vicecomitem, Epiſcopum Novarienſem, ac deinde Mediolanenſis Urbis Archiepiſcopum & Dominum, venationi adeo addictum. Sæculis iis non minus Clerici quàm Laici ejuſmodi ſtudio ad furorem uſque delectabantur, contemtis Conciliorum decretis, a quibus vetantur ſacrati viri, falcones, venaticoſque canes alere, ipſique venationi operam dare: quod ſane & nunc Clericorum inſtitutum dedecere poteſt, ſi tumultu & exceſſu res peragatur, uti olim fiebat. Sed quo pluries olim vetitum id audimus, eo evidentius intelligimus, tunc ejuſmodi morbum adeo invaluiſſe, ut medicos amplius non audiret. Vidimus *Spatam*, ſive Gladium ſupra ceteras res antiquis Populis cordi fuiſſe. Tunc enim nulli rei enixius illi ſtudebant, quàm gloriæ Fortitudinis. Eſſe fortes amabant, aut ſaltem videri. Adeo autem in honore apud ipſos Langobardos fuit laus iſta & opinio, ut nullâ majori contumeliâ onerari quis poſſet, quàm eum appellando *Arga*, ideſt, ut nunc dicimus, *un poltrone*, ſive inertem ac timidum. In Lege 384. Rotharis: *Si quis alium Arga per furorem clamaverit*, is revocare *injurioſum verbum* jubetur, ſolutâ tamen pœnâ duodecim Solidorum; aut *per pugnam* ſuſtinere cogitur ſuum dictum aut dicacitatem. Appoſite Paullus Warnefridi Lib. 6. Cap. 24. narrat, Argaidum vi-

rum

rum illaturum, quòd a Ferdulfo Duce *Arga*, appellatus fuiſſet. Si convicium ferre non potuit, ne inultus hoſtes invaſit, ut morte ſua dedecus ſibi a Principe illatum elueret. Idemque quoque in Lege Salica fuiſſe conſtitutum oſtendi in Notis ad eamdem Rothari Legem. In tolerandum atque convicium par erat apud Francos fuit, virum appellari *Leporem*, hoc eſt, timidum ſive fugacem. Tunc ergo Populis omnibus a Septentrione, in nova ad Meridiem data regna prolapſis, par fuit ſtudium, arma tractare, in his ſeſe exercere, equos agitare, haſtas, jacula, & ſagittas emittere, clypeum ad ictus ictibus offerre, cunctiſque, brevi dicam, induſtriis aſſueſcere, qui tum in ſingularia certamina, tum in publico bello accedere poſſent. De hominibus Liberis hic loquor. Servi enim, ut alibi monui, militiæ nomen dare nequaquam ſinebantur. Theodericum Gothorum Regem eâ etiam de cauſſâ commendat Ennodius in Panegyrico, quod pacis tempore pubem indomitam ſub oculis ſuis faceret bella proludere. *Vidit*, inquit, *in mente in ſoliditate caſtrenſia agmina, & alia in ... creverant. Durantur lacertis miſſilibus, & implent alti nem... fortium, dum jocantur. Agitur vice ſpectaculi, quod ſequenti tempore poterit ſatis eſſe virtuti. Dum amentis puerilibus haſtilia lenta torquentur; dum arcus quotidiano capitum neces dirigunt, Urbis omne pomerium ſimulacro congreſſionis atteritur. Agit figuras certaminum, nec cum periculo vera naſcantur*. Paria e Caſſiodoro afferri poſſent. Neque aliter egiſſe Romanos rerum dominos, ut milites ſuos ad prœlia mature erudirent, Vergilius, Joſephus, Silius, Plinius, aliique veteres memoriæ prodidere, *Simulacra bellorum agere* dicebantur, ut habet Julius Capitolinus in Maximino. Vide & Vegetium. Ita ut qui poſt Annum Chriſti Milleſimum emerſere Ludi militares, Haſtiludia videlicet ac Torneamenta, ſemen ſuum ac imaginem in fictis iis antiquorum certaminibus habeant. Vide infra Diſſertationem XXIX. *de Spectaculis*. Quum verò poſt Barbaros Italiâ potitos Literarum ſtudia languere ac deprimi cœperint, ac diutiſſime præſertim apud Italos in humili fuerint loco: liceat mihi, ut arbitror, reliquis hanc etiam cauſſam addere neglectæ, immo abjectæ Literaturæ. Nimirum in armis ac militarium rerum amore & uſu præcipua nobilitatis & honoris ſumma tunc ſtatuebatur. Et præterquamquod Literæ Monachorum potius & Clericorum, quam Sæcularium virorum inſtitutis congruæ credebantur, ſibi etiam Barbari perſuadebant, per eas nimium emolliri hominum pectora, & auferri illarum commercio durum illud & aſperum, quod exigere fortitudo bellica credebatur: *Theodericus*, Gothorum & Italiæ Rex, *inliteratus erat* (ait Anonymus Valeſianus) *& ſic obruto ſenſu, ut in decem annos Regni ſui quatuor literas ſubſcriptionis edicti ſui diſcere nullatenus potuiſſet. De qua re laminam auream juſſit interraſilem fieri, quatuor literas Regis habentem* THEOD. *ut ſi ſubſcribere voluiſſet, poſitâ laminâ ſuper chartam, per eam penna duceretur, & ſubſcriptio ejus tantùm videretur*. Vide, quantâ antiquitate conſtet uſus adhuc apud quoſdam Principes familiaris inſtrumenti illius, quod ab Hiſpanico nos appellamus *Stampiglia*. Sed ſucceſſorem, ac nepotem Theoderici Athalaricum Amalaſuntha ejus mater aliter inſtituendum cenſuit, uti Procopius tradit Lib. primo Cap. 2. de Bello Gothico. Nam ut vitam, ac mores Principum Romanorum æquaret, eum Literis imbuendum curavit. At rem non æquo animo tulere Gothorum Optimates. Quamobrem Amalaſuntham adeuntes ſignificant: *Literas a fortitudine longe eſſe disjunctas, traditamque a ſenibus inſtitutionem in timiditatem & animi humilitatem plerumque verti. Itaque oportere, ut in re bellica futurus animoſus, gloriaque inſignis, amoto pædagogorum metu, armis exerceatur. Theodericum alligant, nunquam paſſum Gothorum liberos ad Ludimagiſtros mitti: quum diceret omnibus, eos nunquam haſtam aut gladium intrepido pectore viſuros, ſi ſcuticam tremuiſſent*. En quare barbara gens olim non tantùm negligeret, ſed etiam averſaretur Literas. Atque is mos in univerſam Italiam, & ad plura deinde Sæcula permeavit, eâ deformitate, ut non pauci ex ipſis Clericis in armorum potius uſu, quam in Literarum cultura, famam & delicias quærerent.

Sub Carolinæ ſtirpis imperio uſque ad Annum Chriſti DCCCLXXXVIII. moribus tolerandis Italicus Populus vixit. Sed tunc de Imperio contendentibus Berengario Duce Forojulienſi, inde Guidone Duce Spoletano, inteſtinis ac diuturnis bellis reſerata ſunt claustra, & vitiis fere cunctis ferali tempore illo aperta adeo eſt via, ut Sæculo etiam ſubſequenti Italia rapinis, cædibus, fraudibus, laſciviâ quoque cum perditis & improbis quibuſque Populis certare potuerit. Neque immunis a tanta contagione Clerus ipſe abiit: immo, teſtante Petro Damiani, in omnium fœdiſſimam libidinem tunc eſt prolapſus. Anno autem DCCCCLXII. Germanica gens ſub Ottone Magno imperium in Italia exercere cœpit. Erant Germani non pauci Francorum genus, aut certe diutius etiam, quàm Italia, Francorum Regibus paruerant, ita ut ſub Franciæ Orientalis nomine illa regio paſſim adhuc deſignaretur. Quin apud eos multa e laudandis Francorum moribus ſervarentur, vix dubito. Quod etiam certum eſt, Sæculo illo & ſequenti Germania ſanctis viris præ ceteris Chriſtianorum regnis abundavit. Et ſane Germanicorum Principum potentia per unum fere Sæculum aliquantulum compeſcuit effrenem Italicorum licentiam. Sed an eis aliquid elegantiorum morum inſpirarit, nuſquam lego. Immo per gentis illius commercium, e cujus laribus ne noſtro quidem ævo paſſa eſt ruſticitas atque aſperitas ſe prorſus excludi, ferociores evaſiſſe videntur Itali. Eorum quippe exemplo, immo & legibus factum, ut Duellum, ſive ſingulare certamen, antea profectò uſitatum, in longe pluribus etiam caſibus liceret: de qua re dubitare nos non ſinunt Leges Ottonis II. & Henrici I. Auguſtorum inter Langobardicas. Ad hæc eorum temporum Germani Baccho & Lyeo præcipuum honorem habebant, & liberioribus cyathis utentes, nihil ſibi ab ebrietate timuiſſe videntur. Eos certe *vino deditos* nobis exhibet Landulphus ſenior in Hiſtoria Mediolanenſi circiter Annum MLXXX. ſcripta. Et ne Franci quidem ipſi, Germanorum genus, ſe vini oſores ac hoſtes prodidere. Statuit Carolus Magnus in Capitularibus, ſimulque in Lege 42. inter Langobardicas, *ut Judices jejuni cauſſas audirent, & diſcernerent*. Et quamquam ſub primis Germanis Auguſtis compreſſa quidem nonnihil fuerit nimia in Populo Italico improborum veſana licentia; attamen multa adhuc vitia ea ætate palam ac impune regnarunt, immo etiam cre-

creverunt. Simonia præſertim & incontinentia in Clero; in Laicis autem rapina ſacrorum bonorum, pauperum & peregrinorum oppreſſio, & ferales privatorum inimicitiæ. Ditmarus Lib. 7. Hiſtor. *Multæ ſunt*, inquit, *proh dolor! in Romania atque in Langobardia inſidiæ. Cunctis huc advenientibus exigua patet caritas. Omne, quod ibi hoſpites exigunt, venale eſt: & hoc cum dolo: multique toxicato cibo pereunt*. Ad hæc in Italia diu perduravit ab antiquiſſimis Sæculis invectus inſanus uſus *Faidæ*, hoc eſt belli privati, ſive inimicitiæ, quam ſingulares perſonæ ac familiæ invicem exercebant, ac pertinaciſſime fovebant. Nam ſi quando alicujus cædes accidebat, aut dolo malo cuiquam ædes incendebantur, aut grave probrum inferebatur; tunc non tantum Princeps pœnam criminis exigebat, quæ fere ſemper apud Populos Septemtrionales pecuniaria fuit, ſed & perſonæ læſæ, aut earum propinqui & affines Vindictam inde armis proſequebantur, & ſumere etiam eis quaſi licitum videbatur. *Faidæ*, ſive *Inimicitiæ privatæ*, ſæpe mentio occurrit in Legibus Langobardicis, Anglicis, Saxonicis & Capitularibus Regum Francorum. Immo ipſe Tacitus ejuſmodi Inimicitias ſuo quoque tempore apud Germanos viguiſſe aperte indicat. Neque verò pro quibuslibet damnis aut injuriis illatis jus *Faidæ* decurrebat, puta pro vulneribus; nam in Lege 45. & 74. Rotharis, pro iis quidem exigitur multa, ſed *ceſſante Faidâ*. Ita & in aliis quibuſdam caſibus Inimicitia interdicitur, uti in cæde latronis. Reo fas erat pecuniâ læſis oblatâ Faidam redimere; & pleriſque accipere dedecus minime videbatur. Quod *ſi quis pro Faida pretium recipere noluiſſet*, tunc, ut habent Leges Langobard. 19. & 20. Caroli Magni & 21. Ludovici Pii, Rex intercedebat, ne res in deterius ruerent: quod idem præſtabat Princeps, ubi contra reus *pro Faida pretium ſolvere* recuſaſſet. Et in ſuis quidem Legibus Ludovicus Pius & Lotharius *de Faidis pagandis*, ſive *pacandis*, & *de Faidis coërcendis* ſolicitos cupiunt Reipublicæ Miniſtros.

Verùm Sæculo X. & XI. eò proceſſerunt vitia ac ejuſmodi privatorum bella, deprædationes, & ſimultates, ut inde univerſa Reſpublica plane fuerit perturbata. Augebatur etiam calamitas per Nobiles, qui Caſtellis dominantes ſæpe adversùs vicinos inimicitias alebant, ac tyrannidem interdum extra ſuos fines protendere cœperunt. Neque ad avertenda tot mala ſatis erat virium & auctoritatis Principibus. Haſce inimicitias eodem Sæculo Chriſti XI. deſcribebat Petrus Damiani Lib. 4. Epiſtol. 17. iis verbis: *Vir quidam potentiorem ſe hominem interfecit, a cujus etiam filio, more Sæculi, non Legibus Evangelii, multas bellorum moleſtias pertulit. Paterni ſcilicet ultor interitûs & ſtrages anhelabat hominum, & frequentium reportabat manubias rapinarum* &c. Apud Corſicæ incolas rudes ac efferos impiam conſuetudinem adhuc perdurare intellexi. Rurſus etiam vide eumdem Petrum Damiani Opuſcul. 34. Cap. 4. ubi refert bellum & prœlium inter Clericum Burgundici Regni, & Potentem, inter ſe litigantes de jure in Eccleſiam Beati Mauritii. At in ipſa Gallia, ubi gravius etiam quàm in Italiâ, graſſabatur hæc peſtis, circiter Annum Chriſti MXXXI.: adinventum eſt tamdem aliquod levamen; inſtitutis nempe per ſacros viros induciis ubique ſervandis, quæ ſub nomine *Treugæ Dei* celebres evaſere in Hiſtoriis atque Conciliis. Eas hiſce verbis deſcribit Landulphus ſenior Lib. 2. Cap. 30. Hiſtor. Tomo IV. Rer. Italicarum. *Quatenus omnes homines ſecure ab hora prima Jovis, uſque ad primam horam diei Lunæ, cujuſcumque culpæ forent, ſua negotia agentes permanerent. Et quicumque hanc Legem offenderet, videlicet Treguam Dei, in exilio damnatus per aliqua tempora pœnam patiatur corpoream. At qui eamdem ſervaverit, ab omnium peccatorum vinculis Dei miſericordiâ abſolvatur*. Has inducias varia Concilia probarunt, & varii Pontifices, nempe Urbanus II. Paſchalis II. Innocentius II. &c. Vide potiſſimùm Petrum de Marca Lib. 4. Cap. 14. de Concordia. Hac igitur viâ non leviter proſpectum eſt privatis bellis; & viatoribus ac peregrinis tutiora itinera diebus induciarum patuere. Sed quæ ſubingreſſa ſunt in Italiam diſſidia inter Sacerdotium & Imperium, graviora etiam mala in has regiones invexere, de quibus in præſentia ſilendum.

Succeſſere deinde alia tempora in Italia, & novum regimen: quum nempe Reipublicæ formam quamplurimæ Civitates aſſumſere, & non tantùm Nobiles, ſed & ipſi Plebeji ad Magiſtratus in patria ſua gerendos, & ad imperandum, ut ita dicam, ſunt adhibiti. Id factum Sæculo XII. & uberius ſubſequenti. Ejuſmodi autem Libertatis beneficio, & potiſſimùm quod Cives aſſueſcerent conſiliis magnarum rerum, & identidem ſplendidis muneribus fungerentur, facile quiſque opinetur, erectos fuiſſe tunc Italicorum animos, & ruſticitate poſitâ induiſſe mores magis ingenuos ac liberales. Literarum quoque ſtudia inſtaurata fuere, quibus exploratum eſt, vim ineſſe traducendi homines ad humanitatis officia. Et multa ſane in melius converſa fuere. Sed quum fere ſemper Sæculo XII. & XIII. Italiam bellorum furor incenderit, & Guelphorum & Gibellinorum inteſtinas factiones ex Orco Erynnis ad nos per ea tempora deduxerit: nihil mirum, ſi feritas, ſi barbaries quædam ex miti hac & amœna Orbis parte, prorſus exulare neſciverit. Quale foret de Lombardis noſtris Sancti Bernardi judicium, ejus Epiſtola 155. indicat, ad Innocentium Papam II. ſcripta circiter Annum MCXXXV. in qua eum rogat, ne hominem Gallicum Bernardum de Portis in Italia Epiſcopum conſtituat. *Inſolentia*, inquit, *Lombardorum, & inquietudo eorum, cui non eſt nota? aut cui magis quàm vobis? Quid putamus eſſe facturum juvenem, viribus corporis fractum, & quieti eremi aſſuetum, in Populo barbaro, tumultuoſo, procelloſo?* Nihil minus quàm barbariem Lombardis Populis tribuit Bernardus, qui coram noverat, quibus vitiis tunc inficeretur Italica natio. Tanto auctori majorem fidem adhibendam quiſque fateatur, quàm Johanni Sariſberienſi, ſatyrico alioquin & lepido homini, narranti Libro primo Cap. 4. de Nug. Curial. irriſos a Gallis Æmiliæ & Liguriæ Populos, quaſi timidam aut prudentem nimis cautamque gentem. Ita ille Sæculo eodem, quo Bernardus, quamquam poſterior, ſcribit: *Æmilianos & Ligures Galli derident, dicentes, eos teſtamenta conficere, viciniam convocare, armorum implorare præſidia, ſi finibus eorum teſtudo immineat, quam oporteat oppugnari*. An Æmilienſes & Ligures eodem Sæculo metum in pectore aluerint, ſat patuiſſe puto in diuturna contentione cum Friderico I. Auguſto, hoſte potentiſſimo. Proinde ridendi Galli, qui gentem noſtram ridebant, tunc ipsâ Germanorum fortitudine fortiorem. Lombardos alibi idem Sariſberienſis *parciſſimos*, *ne-*

ava-

A [illegible], appellat. Præterea apud eundem Libro 4. Cap. 11. Placentinos quoſdam viros, ſanguine generoſos, & prudentia Mundi ornatos, apud quos hoſpitium invenerat Abbas Salzburgenſis, ajebat: *Hoc in Civitatibus Italiæ uſu frequenti celeberrimum eſt, quod dum pacem diligunt, & juſtitiam colunt, & perjuriis abſtinent, tanta libertatis & pacis gaudio perfruuntur, quod nihil eſt omnino, quod vel minimum quietem eorum commutet. Quum vero prolabuntur ad fraudes, & per varias injuſtitiæ ſemitas feruntur in ſemetipſis, ſtatim vel faſtum Romanum, vel furorem Teutonicum, aliudve flagellum inducit Dominus ſuper eos.* Sed aliud de Italis judicium fuit Jacobi de Vitriaco, qui B Anno MCCXX. Hiſtoriam Hieroſolymitanam ſcribebat, editam inter Geſta Dei per Francos. Is ergo poſtquam Cap. 66. *Januenſes, Venetianos, & Piſanos marinis prœliis peritos ſupra reliquas gentes* laudaſſet, hæc ſubdit: *Homines ſiquidem Italici graviores, & maturi, & prudentes, & compoſiti, in cibo parci, in potu ſobrii, in verbis ornati & prolixi, in conſiliis circumſpecti, in re ſua publica procuranda diligentes & ſtudioſi; tenaces & ſibi in poſterum providentes, aliis ſubjici renuentes, ante omnia libertatem ſibi defendentes, ſub uno, quem eligunt, Capitaneo Communitati ſuæ jura & inſtituta dictantes, & firmiter obſervantes, Terræ Sanctæ valde ſunt neceſſarii non ſolum in prœ-* C *liando, ſed in navali exercitio, in mercimoniis, & peregrinis, & victualibus deportandis. Et quoniam in potu & cibo modeſti ſunt, diutius in Orientali regione vivunt, quam aliæ Occidentales regiones.* Contrariis hiſce de antiquis Italicorum moribus ſententiis adde, quæ Landulphus ſenior, Hiſtoricus Mediolanenſis, tradit Tomo IV. pag. 95. Rer. Italicar. Floruit ille Anno Chriſti MLXXXV. ac tempora anteacta deſcribens, tam miram rerum faciem inter Italos exhibet, ut in eo majorem ſinceritatem deſiderare pæne cogar. Inquit enim: *Caritas, quæ multitudinem peccatorum cooperit, univerſis omnibus bonis affluentes, ut mater tuebatur. Præterea ætas ſine bellorum incurſionibus gentium vicinarum, aut hoſtium extraneorum mo-* D *tionibus in viris aut mulieribus perfectis, integra, atque jocunda erat. Et quamvis per parvula tempora antecedentia otio vacabant, libidini aut variis cupiditatibus minime inſiſtebant. Tanta enim circa virorum & mulierum præcordia erat conſtantia, ut nemo niſi ſuam uxorem aliam cognoſceret; & prius (quod incredibile videtur) triginta annorum viri & mulieres erant, quàm ſeſe negotiis conjugalibus traderent. Unde homines & feminæ integri, fortes atque perfecti, ſi invenirent hominem duorum pedum aut trium, hunc non hominem, ſed monſtrum judicabant. Ætas integra, ſana, ac opibus univerſis affluens. Tempus habile, pacificum, jocundum, amœnum,* E *caritativum, atque ſalubre nobis, & omnibus gentibus, quarum in noſtris finibus reſonabat.* Sed Landulphus hæc ſcripſerit ſenex: omnis autem ſenex

„ - - - - - - *laudator temporis acti.*

Jamdiu certe Italia morbis graviſſimis laborabat. Neque ſane ejus laudes ad Sæculum X. præcedens, quo nullum deterius, referendæ ſunt.

Ceterum Sæculo XII. & XIII. quum Langobardi & reliqui Italiæ Populi, perpetuis ferme bellis occupati, atque in armis, ſeditionibus, A civilibuſve diſcordiis innutriti fuerint, nil mirum, ſi feritas quædam in eorum animis inſedit. Verùm non is ſum, qui temporibus iis ruſticitatem morum in habitando, in veſcendo, in veſtiendo, atque in aliis humanæ vitæ officiis tribuendam arbitrer, quamquam id viſum fuerit Ricobaldo Ferrarienſi, qui ſub finem Sæculi XIII. ſuum Chronicon ſcripſit, editum Tomo IX. Rer. Italicarum. Celeberrima ſunt ejus verba, eaque a ſubſequentibus Hiſtoricis avide fuerunt, ut in MStis Codicibus animadverti, accepta, ubi *de rudibus moribus in Italia* agit. Ad Annum circiter MCCXXXIV. ſub Friderico II. Auguſto: *Per hujus*, inquit, B *Imperatoris tempora rudes erant in Italia ritus & mores: nam viri inſulas de ſquamis ferreis capite geſtabant, inſutas biretis, quas appellabant Majatas. In cœnis vir & uxor unâ manducabant paropſide. Uſus inciſoriorum lignorum non erat in menſis: unus vel duo ſcyphi in familiis erant. Nocte cœnantes lucernis vel facibus illuminabant menſas, facem tenente uno puerorum vel ſervo; nam candelarum de ſebo vel de cera uſus non erat. Viri chlamydibus pelliceis ſine operimento, vel laneis ſine pellibus, & inſulis de Pignolato utebantur. Mulieres tunicis de Pignolato; etiam quando veniebant ad nuptias viris ſuis conjugatæ. Viles tunc erant cultus virorum & mulierum. Aurum & argentum rarum vel nullum erat in veſtibus: parcus quo-* C *que erat victus. Plebeji homines ter in ſeptimana carnibus recentibus veſcebantur. Tunc prandio edebant olera cocta carnibus. Cœnam autem ducebant ipſis carnibus frigidis reſervatis. Non omnibus erat uſus vini æſtate; modicâ denariorum ſummâ ſe locupletes habebant. Parvæ tunc erant cellæ vinariæ. Horrea non ampla, promptuariis contenti. Modicâ dote nubebant feminæ, quod earum cultus erat parciſſimus. Virgines in domibus patrum tunicâ de Pignolato, quæ appellatur Sotanum, & paludamento lineo, quod dicebant Xoccam, erant contentæ. Ornatus capitis non pretioſus erat Virginibus atque Nuptis. Conjugatæ latis vittis tempora & genas ſub mentum vittabant. Virorum tunc erat glo-* D *ria eſſe in armis & equis commodos. Nobilium locupletum erat gloria Turres habere: quo tempore Urbes Italiæ ſingulæ multis Turribus inclytæ viſebantur.* Hæc Ricobaldus, quæ tamen alicui, immo & mihi, vix credibilia videantur. Nam ſi ante illa tempora luxum in Eccleſiaſticis viris damnatum videmus, cur immunes ab eo Sæculares credere poſſimus? Audi Petrum Damiani, qui circiter Annum MLXX. Opuſc. 31. Cap. 6. hæc de Cardinalibus, & Epiſcopis Italicis ſui temporis ſcribebat: *Ditari cupiunt, ut turritæ dapibus lances Indica pigmenta redoleant; ut in cryſtallinis vaſculis adulterata mille vina flaveſcant; ut quocumque deveniunt, præſto cubiculum operoſis & mirabiliter* E *textis cortinarum phaleris, induant. Sicque parietes domus ab oculis intuentium tamquam ſepeliendum cadaver obvolvant. Mox etiam tapetis prodigioſas imagines præferentibus ſedilia ſternunt: peripetaſmata laquearibus, ne quid occiduum delabatur, opponunt. Deinde clientum turba dividitur. Alii ſiquidem domino ſuo reverenter aſſiſtunt, nutumque ejus, ſi quid forte jubeatur, curioſâ nimis, velut rimatores ſiderum, obſervatione cuſtodiunt.* Alia addit, e quibus hæc tantùm decerpo: *Non diſſimilis & illa creditur eſſe dementia, dum lectulus tam operoſis decuſſatur impendiis, ut ornamentum ſacroſancti cujuslibet, vel etiam ipſius Apoſtolici,*

lici, præcellat Altaris &c. *Hoc ergo modo quum ſobrietas ſoleat commendare Pontifices, effuſis nunc opibus facti ſunt helluones. Regalis itaque purpura, quia unicolor eſt, vilipenditur; pallia verò diverſis fucata nitoribus ad ſublimis lectuli deputantur ornatum. Et quum domeſtici murices noſtris aſpectibus ſordeant, transmarinorum pelles, quia magno pretio coëmuntur, oblectant. Ovium itaque ſimul & agnorum deſpiciuntur exuviæ. Ermelini, Gebellini, Martores exquiruntur, & Vulpes* &c. *Tœdet cetera vanitatis attexere, non ridenda, ſed gemenda ridicula. Faſtidium eſt, tot ambitionis ac prodigioſæ veſaniæ dinumerare portenta. Papales ſcilicet infulas, gemmis micantibus, aureiſque bracteolis per diverſa loca corruptas. Imperiales equos, qui dum pernices greſſus arcuatis cervicibus glomerant, ſeſſoris ſui manus loris innexas, indomitâ ferocitate fatigant. Omitto anulos enormibus adhibitos margaritis. Prætereo virgas, non jam auro gemmiſque conſpicuas, ſed ſepultas. Numquam certe vidiſſe me memini Pontificales baculos tam continuo radiantis metalli nitore contectos, ſicut erant, qui ab Eſculano atque Tranenſi geſtabantur Epiſcopis.* Reliqua mitto.

Sed neque tot verba retuliſſe pœnitet, quum & ipſa veteres Italicorum mores nobis ſpectandos exhibeant. Si Eccleſiæ Proceres tanto laborabant luxu, num Sæculi Principes atque Optimates moderatiores fuiſſe arbitremur? Vide quæ Donizo habet Lib. primo Cap. 9. de nuptiis Bonifacii Marchionis & Beatricis, hoc eſt parentum Comitiſſæ Mathildis. Sed & ipſo ineunte Sæculo X. quo Anonymus Poëta Panegyricum contexuit Berengarii Auguſti, editum ab Hadriano Valeſio, atque a me recuſum Tomo II. Rer. Italicar. pag. 395. luxui, & conviviis indulſiſſe Italos invenio. Is enim Gallum Italis hæc exprobrantem inducit.

- - - - - - - - - - Quid inertia bello
Pectora, Ubertus ait, duris prætenditis armis,
O Itali? Potius vobis ſacra pocula cordi,
Sæpius & ſtomachum nitidis laxare saginis,
Elataſque domos rutilo fulcire metallo.

En Italos ævo illo genio indulgentes in menſis, & altis domibus, auroque refertis, ſuperbos. Quid verò de Gallis addat, accipe:

Non eadem Gallos ſimilis vel cura remordet,
Vicinas quibus eſt ſtudium devincere terras,
Depreſſumque larem ſpoliis hinc inde coactis
Suſtentare - - - - - - - - - - - - - - - -

Itaque tunc Galli ædibus humilibus contenti, ſuam gloriam collocabant in iis ornandis ex hoſtium devictorum armis. Landulphus verò ſenior, nuper memoratus Hiſtoricus Mediolanenſis, Tomo IV. pag. 84. Rer. Italicar. Theutonicos a Conrado I. Auguſto in Italiam adductos Anno Chriſti MXXXVI. nobis exhibet, *ſolitos Ticinenſi in Urbe etiam poſt cœnam in nucleolis* (nunc *Nocciuole*) *& majoribus nucibus optimo vino interjocare*. Addit eos uſos *aureis & argenteis ſcyphis*. Sariſberienſem quoque prælaudatum audi Sæculo XII. præcedente deſcribentem Lib. 8. Cap. 7 *cœnam divitis* cujuſdam *in Apulia*, cui & ipſe interfuit. Hæc *ab hora diei nona fere uſque ad duodecimam noctis, & hoc quidem tempore æque diali, protracta eſt. In hanc Canuſinus hoſpes Conſtantinopolitanas, Babylonicas, Alexandrinas, Palæſtinas, Tripolitanas* &c. *congeſſit delicias; ac ſi Sicilia, Calabria, Apulia, Campaniaque non ſufficiant convivium inſtruere delicatum. Copiam rerum, miniſterii diſciplinam, ſedulitatem obſequii, urbanitatem hoſpitis plenius & melius referet Johannes Theſaurarius Eboraci: nam & ipſe interfuit.* Huc quæſo oculos, bone Ricobalde. Non Romæ, non a Principe acta hæc ſunt, ſed a privato homine, & Canuſii. Talia Sariſberienſis laſciviente ſtilo & exaggerans effuderit: certe opiparum convivium, & convivam deſcribere voluit. Quid ergo tam rudes, tam parcos nobis exhibes Italicorum eo tempore mores? Profectò ſi viva hæc luxus & gulæ ſpectacula ante oculos omnium verſabantur, vix dubitandum videatur, quin & minores pro modulo ſuo ad eorum imitationem certarint, quum & nos ævo noſtro Nobiles intueamur Principum ornamenta affectare, & ignobiles ſtulte æmulari Nobilium ſplendorem. Præterea neſcio, cui perſuadere poſſit Ricobaldus, ante Friderici II. tempora *nocte cœnantes lucernis vel facibus* menſas illuminaſſe, *facem tenente uno puerorum vel ſervo; nam candelarum de ſebo vel de cera uſus non erat. Candelas ſebare* ſeu *ſevare*, apud vetuſtum Columellam reperimus. *Sebalem facem* memorat Ammianus Marcellinus Lib. 18. Cap. 6. ad Annum Chriſti CCCLIX. Sed & Apulejus Metamorphoſ. Lib. 4. *Tædis*, inquit, *lucernis, cereis, ſebaceis, & ceteris nocturni luminis inſtrumentis, clareſcunt tenebræ.* Harum excidiſſe inventum & uſum, vix eſt ut credam. Nam etſi *Candelæ* nomine Sæcula Barbarica Lucernas oleo nutritas ſignificarint, uti Du-Cangius, multis congeſtis teſtibus in Gloſſario, oſtendit, attamen e compluribus aliis Scriptoribus conſtat, *Candelas* cereas ſaltem in ſacris adhibitas fuiſſe, propriumque earum nomen perduraſſe ſemper. Præterquamquod etiamſi ante Ricobaldi tempora majores noſtri *candelas* nullas ad menſam adhibuiſſe crederentur, certe eis erant lucernæ oleariæ, quas etiam Ricobaldus ipſe agnovit. Quum hæ præſto cuique forent, quod ille ſubdit, de facibus menſam illuminantibus, & *facem tenente uno puerorum vel ſervo*, fidem numquam a me impetret, niſi hæc ad infimas vulgi quiſquilias referas. Nam quis de ditibus ac nobilibus credat? Ruſticos Ferrarienſes aut Ravennates præ oculis habuiſſe Ricobaldus videtur, numquam verò honeſtos Urbium illarum Cives, nedum univerſam Italicorum gentem. Ad hæc vide infra, quæ in Diſſertatione XXV. *de Textrina* diſſerui, ubi palam factum eſt, quàm pretioſis veſtibus olim quoque Majores noſtri ſint uſi. Quibus nunc addo, quid Landulphus junior Hiſtoricus Mediolanenſis, Tomo V. Rer. Italicar. editus, habeat Cap. 4. de Groſſulano Epiſcopo Savonenſi, qui Anno MC. pro Anſelmo Archiepiſcopo in Orientem profecto Clerum Mediolanenſem regebat. Affectabat ille *aſperitatem veſtitus & cibi*, cui propterea perſuadebat Liprandus Presbyter, *ut horridam cappam exueret, & convenientem tanto Vicario indueret*. Repugnabat Groſſulanus, *contemtum Mundi* ingeminans. Tum Liprandus: *Quum ſpernis Mundum, cur veniſti in Mundum? En Civitas iſta ſuo more utitur pellibus variis, grixis, Marturinis, & ceteris Pretioſis Ornamentis & Cibis. Turpe quidem erit nobis, quum advenæ & peregrini viderint te hiſpidum & pannoſum.* Accedat nunc Ricobaldus, ſuamque cantilenam nobis objiciat *de rudibus Italiæ moribus* tum in Veſtimentis, tum in Cibis. Nos reponemus: quei tanta parſimonia ac ruditas tunc Italis fuit, quan-

quando præcedenti Sæculo Civitas Mediolanenſis *Pretioſis Ornamentis & Cibis* inſultatur, ita ut nunquam vilibus indui pannis? Atque heic juvat mihi exhibere e membranis, quid Puricellius in Monumentis Baſilic. Ambroſian. habet pag. 722. Agitata eſt controverſia Anno Chriſti MCXLIX. inter Monachos & Canonicos ejuſdem Mediolanenſis Ambroſianæ Baſilicæ, contradicentibus illis, quoties accerſendi erant in convivium a Sancti Ambroſii Abbate, ipſum *debere habere novem diverſa fercula, de iſtis ſolummodo tribus*. *In prima appoſitione Pullos frigidos, Gambas de vino* (ignotum plane ferculum) *& Carnem porcinam frigidam. In ſecunda Pullos plenos, Carnem vaccinam cum Piperata, & Turtellam de Lavezolo. In tertia Pullos roſtitos, Lombolos cum Panitio, & Porcelletos plenos*. Paſchalis quoque II Papa Anno Chriſti MCVIII. in Synodo Beneventana *Veſtimenta Sæcularia & Pretioſa in Clericis reprehendit, & illis uti* interdixit, teſte Petro Diacono Lib. 4. Cap. 33. Chronic. Caſinenſ. En mores temporum illorum.

Propterea, ne Ricobaldi auctoritas heic prorſus pereat, ſtatuendum eſt, eum de Vulgi potiſſimum moribus loquutum fuiſſe; plebs enim aut militiæ, aut artibus intenta, uti a Principum ac Nobilium fortuna aberrat, ita ab eorum luxu amplectendo, nedum æmulando, ſibi abſtinendum ſentiebat. Veri etiam videtur ſimile, Urbes & Populos, quibus ignota erat Principum Aula, ignoraſſe etiam, quæ luxus eſſet facies. Ad hæc vel nos ipſi partim a Majoribus noſtris audivimus, partim noſtris oculis vidimus, aliam ſobrietatem morum, veſtimentorum, rhedarum, conviviorum, & hujuſmodi rerum in uſu fuiſſe tempore Avorum noſtrorum, ac præſentis ſit. At eodem Sæculo XIII qui rudes, qui agreſtes mores viſi ſunt Ricobaldo (nobiſque tanto plus videantur ætate luxurioſa viventibus, & parſimoniam ac temperantiam odioſo ſæpe nomine onerantibus) aſpectum plane diverſum cepere, immo & in luxum vergere cœperunt. Hanc morum mutationem circiter Annum MCCXXXIV. factam Ricobaldus ſcripſit, qua de re agam infra in Diſſertat. XXV. *de Textrina*. Accipe nunc qualis eſſet Anno MCCLXVIII. Romanorum ornatus. Deſcribit Sabas Malaſpina Lib. 4 Hiſtoriæ editæ Tomo VIII. Rer. Italicar. pag. 842. quo apparatu exceptus Romæ fuerit Anno eodem Conradinus Rex, Carolo I. Siciliæ Regi bellum poſtea infeliciſſime inlaturus: *Tripudiantium militum agmina veſtium pretioſarum, diverſorumque colorum deſuper arma varius habitus diſtinguebat*. (Hæ *Chlamydes* antiquis, nobis erant *Sopravveſte*.) *Quodque magnum eſt, & auditu mirabile, mulierum choreæ ludentium intra Urbem in cymbalis & tympanis, lituis & violis, & in omni muſicorum genere concinunt. Oſtentanteſque ſuarum pretioſarum rerum abundantiam, quam plerumque ſequitur voluptas, oſtendere, de domo in domum in oppoſitum conſiſtentem, ſublatis ad modum arcus, aut pontis, chordis & funibus, vias medias deſuper, non lauro, non ramis arboreis, ſed caris veſtibus & pellibus variis* (ideſt pretioſis illis, unde nomen *Vaja*) *velaverunt, ſuſpenſis ad chordas ſtrophiis, fibulis, dextrochiriis, priſcelidibus, arbitris, grammatis*, (quædam heic nomina corrupta puto) *armillis, friſiis, & diverſorum ac pretioſorum annulorum appenſione, diadematum etiam, & fibularum, ſeu monilium, in quibus gemmæ fulgentiſſimæ relucebant, burſis ſericis, culcitris tectis de pianoreo, ſamito, byſſo, & purpura, cortinis, tapetibus, & linteaminibus contextis auro, ſtringiſque per totum, junctis velis & paliis deauratis, quæ doctus opifex citra & ultra mare de diverſis & operoſa materia, certatim ſtruxerat*. Non hæc reor paucis ante temporibus ornamenta in Urbem confluxiſſe. Ibi a multis Sæculis opulentia non mediocris perdurabat, quæ luxus magiſtra. At in aliis Italiæ Urbibus plurimis, quibus longe diſſimilis erat opum copia, minor pompa excogitari non injuria poteſt. Interim a vero fortaſſe non abludam, ſi dixero, plurimùm contuliſſe ad traducendam Italicam gentem ab antiqua, ſi ita loqui fas eſt, ruſticitate, aut ſimplicitate ad elegantiam, immo & ad luxum, Apuli & Siculi Regni fata, quæ nempe Sæculo eodem, hoc eſt Anno MCCLXVI. ſublato Rege Manfredo, Carolum Andegavenſem Provinciæ Comitem in ſuum Regem accepere. Tunc in Italiam turmatim confluere vidiſſes Gallicorum millia. Augeſcente autem in dies Caroli ejuſdem potentia, ii non ſolùm in Apulia & Sicilia, ſed etiam in Tuſcia, ac in multis Italiæ ſub. Ipiæ locis ſedem ſuam fixere. Erant eo tempore, ſuntque adhuc, Gallicæ gentis mores longe molliores quàm Italicis, & ad pompam ac voluptatem apprime compoſiti. Eos φιλοκόσμους vel ſuo tempore appellavit Strabo Lib. 4. Ammianus quoque Marcellinus Sæculo Chriſti IV. de Gallis ſcribebat: *Terſi pari diligentia cuncti & mundi; nec in tractibus illis, maximeque apud Aquitanos, poterit aliquis videri, vel fœmina, licèt perquam pauper, ut alibi, fruſtis ſquallere pannorum*. Mirabantur primo boni Italici tam comtos hoſpites; tum facile, ut moris eſt, ad imitandum ſe contulere ſpecioſam hanc vivendi formam: dulcia enim vitia hortatore non indigent, ut hominum gratiam ineant. Et ſane quum primùm Neapolim ingreſſa eſt Beatrix Regina, Caroli ipſius Regis uxor, Matthæus Spinellus, Auctor ſynchronus in Ephemerid. Neapolitan. Tomo VII. Rer. Italicar. ad Annum MCCLXVI. in extaſim pæne raptum ſe fatetur, dum intueretur in ejus comitiva *milites Francos, omnes plumatos pulchre & decore indutos, & Proceres torquibus grandibus aureis ſpectabiles, & carpentum Reginæ holoſerico villoſo cæleſtis coloris obtectum, totum liliis aureis circumſperſum*. Antea profectò perquam raras fuiſſe rhedas puto, in quibus veherentur mulieres; rariores, quibus viri. In equis, aliiſque jumentis vehi uſitatior mos tunc fuit. Illuſtres Matronæ, ac Senes vehebantur carpento. Papias in Gloſſario ſuo memorat *Petorica, & Carriolas, vehicula feminarum*. Id tamen ſatis minime eſt, ut credamus, temporibus illius ejuſmodi vehicula multo in uſu fuiſſe; aut ſi erant, non tantùm ab equis, ſed & a bobus trahebantur. Rolandinus Lib. 4. Cap. 9. Chronic. tradit, Friderico Auguſto Patavium venienti Anno MCCXXXIX. obviam proceſſiſſe univerſum Populum. Quod & præſtitere *multæ Dominæ pulchritudine, pretioſis veſtibus refulgentes, ſedentes in phaleratis & ambulantibus palafredis*. Romanorum tempora potius deſignaſſe Papias mihi creditur, quibus *Petorita* (non *Petorica*) uſurpabantur. Varro, Quinctilianus, Feſtus, & alii *Petorita* commemorarunt, uti & *Baſternas, Rhedas, Lecticas* &c.

Certe ante ea tempora etſi Nobiles viri ac mulieres ſeſe a Populo diſtinguerent, & veſtium, & menſæ, & famulorum, & equorum, alia-

aliarumque rerum pompâ : attamen aberant & ipſi plerique a luxu, quem Gallica gens Sæculo XIII. in Italiam invexiſſe mihi creditur. Atque heic Ricobaldo egregium & ſynchronum Scriptorem, cum eo in multis concordem, adjungere volo. Is eſt Dantes Aligherius, qui in Cant. XV. Paradiſi Cacciaguidam unum e majoribus ſuis ita loquentem inducit :

Fiorenza dentro della cerchia anticha,
Ond' ella toglie ancora e Terza e Nona,
Si ſtava in pace, ſobria e pudica.

Non aurea catenella, non corona,
Non Donne contigiate, non cintura;
Che foſſe a veder più, che la perſona.

Non faceva naſcendo ancor paura
La figlia al padre; che 'l tempo e la dote
Non fuggian quinci e quindi la miſura.

Non avea caſe di famiglie vote:
Non v'era giunto ancor Sardanapalo,
A moſtrar ciò, che 'n camera ſi puote, &c.

Bellincion Berti vid' io andar cinto
Di Cuojo e d'Oſſo, e venir dallo ſpecchio
La Donna ſua ſenza 'l viſo dipinto.

E vidi quel de' Nerli, e quel del Vecchio
Eſſer contenti alla pelle ſcoverta,
E le ſue Donne al fuſo & al pennechio, &c.

Hæc & alia Dantes, quæ prætereo. Atque hæc ſatis ſint ad confirmandam aliquâ ex parte Ricobaldi ſententiam. Itaque paucorum annorum ſpatio, Sæculo XIII. Luxus mirifice in Italia crevit, & ſecum incommoda reliqua & vitia traxit, quæ comitari ſolent immanem hunc fortunarum voratorem, & multis earum latronem. Neceſſarium propterea duxerunt ſapientes Urbium moderatores gliſcenti morbo obices opponere, & multa reſecare, præſertim Mulierum ornamenta, quæ ad exceſſum quotidie inclinabant. Immo & ipſi Romani Pontifices in hanc rem intenti, curandum vulnus ſuſcepere. Teſte Ricordano Malaſpina Cap. 199. Hiſtoriar. Beatus Gregorius X. Papa in Concilio II. Lugdunenſi Anno MCCLXXIV. inter alias Conſtitutiones utiles univerſitati Chriſti Fidelium, *interdixit immodica feminarum ornamenta per univerſam Chriſtianorum Rempublicam*. Ex iis etiam, quæ Anno MCCCXXVII. Mutinæ conſtituta ſunt ab Urbis Rectoribus, aliarum quoque Urbium ritus ac mores intellige. In Legibus municipalibus MStis ejuſdem Anni, Lib. 4. Rubricâ 162. hæc *de camarereriis & mulieribus parvæ conditionis* decreta leguntur: *Pediſequæ, & aliæ ſervientes* (nobilium feminarum) *& quæcumque mulieres parvæ conditionis, non debeant portare aliquas veſtes, quæ tangant terram. Et ipſæ pediſequæ non portent in capite aliquod intrezatorium de ſeda*. Nihil aliud eſt *intrezatorium*, quàm ornamentum, quod interſerebatur comis (*treccie* nos appellamus) aut eas operiebat. Pleniora ſunt, quæ in eodem Staturo habentur Lib. 4. Rubric. 177. nobiſque delineant partem mundi muliebris eorum temporum. *Nulla mulier nupta, vel non nupta poſſit, nec debeat de cetero portare extra domum vel in domo, aliquam gonellam, vel guarnachiam, pellem, vel veſtem aliquam, quæ habeat caudam, quam portet per terram, & tangat terram ultra unum brachium ad brachium Communis, quod eſt in lapide Boniſſimæ in Platea Communis. Nec aliquam coronam, circlellum, vel filum, vel girlandam de perlis, auro, vel argento, vel gemmis, vel alterius cujuſcumque generis & maneriei. Nec aliquem intrezatorium platum, vel deauratum, vel arientatum, nec aliquam centuram, vel coregiam, quæ centura vel coregia valeat ultra decem Libras Mutinenſis, vel burſam, quæ valeat ultra quinquaginta Soldos Mutinenſis. Nec aliquem cavezium ad gonellam vel guarnachiam, vel ad aliquam veſtem, de auro, argento, gemmis, vel de perlis, quod cavezium ſit valoris ultra tres Libras Mutinenſis pro qualibet veſte ſeu cavezo. Et nullus Sartor vel Aurifex poſſit vel debeat talem Coronam, vel Cavezaturam, vel Caudam facere vel ponere &c.* Alio etiam in loco exuberantes in funeribus pompas coërcent. En ut Mutinenſes ante annos quadringentos Luxum ingruentem, quibus poſſent, legibus cohiberent. At ille tamquam ſubdolus hoſtis ex una parte pulſus, per alteram ſæpe regredi novit: immo & vi interdum adhibitâ leges ipſas lacerat atque conculcat. Illud exploratum eſt, poſt ea tempora non ſolùm nihil attenuatas vires Luxus, ſed ſenſim ita auctas, amore potiſſimùm novitatis, ut nunc peſſimos illius afflatus Reſpublica quotidie ſentiat, prudentes damnent, ſed nemo eliminandos curet. Jam indicavi, Gallicam gentem in luxum ab antiquo pronam, noviſque veſtium ac ornamentorum formis ſemper delectatam, ſuo morbo infeciſſe Italicam ſobrietatem: morbo, inquam, numquam amplius ſublato, & quo adhuc laboramus. En alterum exemplum, quod nobis ſuppeditat Johannes Villanius Lib. 12. Cap. 4. Hiſtoriar. ad Annum Chriſti MCCCXLII. *E non è da laſciare* (inquit ille) *di fare memoria d'una sfoggiata mutazione d'abito, che ci recarono di nuovo i Franceſchi, che vennono al Duca in Firenze. Che colà dove anticamente il loro veſtire ed abito era il più bello, nobile, e oneſto, che niuna altra Nazione, al modo de' togati Romani, sì ſi veſtivano i giovani una cotta, o vero gonella corta, e ſtretta, che non ſi potea veſtire ſanza ajuto d'altri, e una coreggia, come cinghia di cavallo con isfoggiata fibbia e puntale, e con isfoggiata ſcarſella alla Tedeſca ſopra il pettignone, e il capuccio veſtito a modo di ſcocobrini col battolo infino alla cintola; e più, ch'era capuccio e mantello con molti fregi e intagli: il becchetto del capuccio lungo fino a terra, per avolgere al capo per lo freddo: & colle barbe lunghe, per moſtrarſi più fieri in arme. I Cavalieri veſtivano uno ſorcotto, o vero guarnacca ſtretta ivi ſuſo cinti, e le punte de' manicottoli lunghi infino in terra, foderati di Vajo e Ermellini. Queſta inſtranianza d'abito non bello nè oneſto, fu di preſente preſo per li giovani di Firenze, e per le donne giovani di diſordinati manicottoli; come per natura ſiamo diſpoſti noi vani Cittadini alle mutazioni de' nuovi abiti, e i ſtrani contraffare, oltre al modo dell' altre Nazioni, ſempre al diſoneſto e vanitade.*

Hiſce adjecta volo, quæ leguntur in MSto Codice exiſtente pænes me, & complectente *Tractatum de Generatione aliquorum Civium Urbis Paduæ tam Nobilium quàm Ignobilium*. Floruiſſe videtur illius Auctor Anonymus ſub finem Sæculi XIV. Ille verò de moribus Patavinorum in hæc verba ſcribit. *Ante dominium Ezerini de Romano, & poſt per aliquod tempus, uſque dum Paduani attingebant annos viginti, ince-*

incedebant cum capite diſcooperto. Hoc etiam Modoëtiani olim ſolitum audivi, ut puerorum capita, capillis alto ſuperius, detonderentur, & obſequentem Majoribus mentem addiſcerent. Pergit Paduanus Scriptor dicere: *At illo [illegible] tempore, [illegible] & galeras [illegible] portare, aut Capucia cum [illegible], [illegible] plus in [illegible], quam ad [illegible] [illegible]. Interdum a lateribus [illegible] faciebant, & [illegible] ex anteriori parte; [illegible] a lateribus ſciſſas & a parte [illegible]. Omnes portabant Epitogia. [illegible] veſtium [illegible], quarum brachium ad plus [illegible]. Familiam [illegible], [illegible] & arma tenebant continue. Societates Civium Nobilium Paduanæ Urbis in certis Feſtorum diebus [illegible] Nobilibus [illegible] interdum [illegible], ut [illegible] Convivia [illegible] Dominabus; quæ a multis vel [illegible]. Atque in die [illegible] ſic ordinaverunt Convivarum, Nobiles [illegible] conſueta [illegible], ſuas [illegible] Dominabus in prandio aut in cœna; ad domum [illegible] eorum ob prandendum vel cœnandum veniebant, ut ordinaverant inter ſe. Et quum [illegible] vel cœnaverant, [illegible] cum eiſdem, aut Haſtiludia exercebant. Nobiles illi viri Urbis Paduanæ in ſuis Villis, ubi [illegible] habebant, Curias pulcherrimas [illegible]. In diebus feſtivis ſuper campis [illegible], propinquas Curtis, ducenti aut trecenti Nobiles juvenes [illegible] inveniebantur, qui propter caſum ad [illegible], aut . . . . ſe [illegible] multotiens. Et quia [illegible] Loca [illegible] & [illegible], dicta eſt [illegible].* Mores deinde Paduanarum mulierum idem Auctor hiſce verbis deſcribit: *Urbis Paduæ mulieres, antequam de potentia Ecerini de Romano auferretur, & etiam per quindecim annos poſt, ſuis interulis ſingulis girones faciebant. Earum tunicæ, & [illegible] pariter, ſuper ſpatulis criſpabantur, quibus ſingulis girones faciebant ante & retro. Sua [illegible] Epitogia cum ſingulis ordinabantur gironibus ante & retro, per ante ex ſtomachi, & aliquantulum ſupra pectus. Chlamydes tamen [illegible], cum criſpis amplis [illegible] poſt illarum ſcapulas erant ordinatæ. Et hæ Chlamydes groſſæ dicebantur, quas etiam [illegible] ætatis maturæ portabant. Tempore nominato Dominæ [illegible] Cottam de telis lini ſubtiliſſima portabant . . . . . criſpata, quarum ſingula quinquaginta vel ſexaginta brachia continebant, ut requirebant hominum facultates. Nobiliores inſuper Mulieres, ſi choream [illegible] faciebant ante dominium Ezerini, non fuiſſet auſus aliquis Popularis illam intrare, quia juvenes filii Nobilium ſuper ipſorum maxillas quam citius alapas apponebant. Et ſi aliquis Nobilium aliquam Popularem dilexiſſet, non [illegible] illam in Dominarum choream abſque [illegible] ab illis poſtulata.* Quæ de rudibus Italiæ Populis ſupra attulimus e Ricobaldi Pomario, non ignoravit circiter Annum MCCCXIII. Frater Franciſcus Pipinus in ſuo Chronico, Tomo IX. Rer. Italicarum. Quæ quum & ipſe ſingula deſcripſiſſet, colophonem ultimum his impoſuit Cap. 47. *Nunc vero præſenti laſciviente ætate multa inhoneſta ſunt inducta rebus priſcis [illegible] ad perniciem animarum. Mutata eſt enim parſimonia in lautitiam. Veſtimenta quoque materia & artificio exquiſito nimiſque ornatu cernuntur. Illic argentum, aurum, margaritæ miro fabricata, phrygia latiſſima, fulcimenta veſtium ſerica vel varia, pelles exoticæ, ideſt peregrinæ, ideſt pretioſæ. Irritamenta gulæ non deſunt. Vina peregrina bibuntur. Fere omnes ſunt potatores in publico. Obſonia ſumtuoſa. Eorum magiſtri coquinarii habentur in pretio magno. Omnia ad gulæ irritamenta & ambitiones quæruntur. Ut his ſuppeditari poſſit, avaritia militat. Hinc uſuræ, fraudes, rapinæ, expilationes, prædæ, contentiones in Republica. Vectigalia illicita, innocentium oppreſſiones, exterminia Civium, relegationes locupletum. Verum Deus noſter eſt venter noſter. Pompis, quibus renuntiavimus in Baptiſmo, inſiſtimus, facti adeo transfugæ ad hoſtem generis noſtri. Bene autem Seneca morum cultor Libro Declamationum noſtra tempora deflatur his verbis. Ait enim:* „ In deterius „ quotidie res data eſt. Omne enim certamen „ ad turpia. Torpent ecce ingenia deſidioſæ „ juventutis, nec in alicujus rei honeſtæ labo„ re vigilatur. Somnus & languor, ac ſomno „ & languore turpior malarum rerum induſtria „ invaſit animos. Cantandi, ſaltandi quoque „ obſcœna ſtudia effeminatos tenent. Capil„ lum frangere, ad muliebres blanditias exte„ nuare vocem, mollitie corporis certare cum „ fœminis, & immundiſſimis ſe excolere mundi„ tiis, noſtrorum adoleſcentum ſpecimen eſt. „ Hæc Pipinus ante annos quadringentos ſcribebat, quæ in noſtra quoque tempora non immerito retorqueri poſſent.

Tum Ricobaldi verba, tum Pippini additamenta ante oculos verſabantur Johannis Muſſi, qui circiter Annum MCCCLXXXVIII Chronicon Placentinum literis conſignabat, a me editum Tomo XVI. Rer. Italicar. Quouſque vero tunc progreſſus fuerit Luxus, & quanta in mores mutatio irrepſerit, perſpicue is Auctor indicat, pergens deſcribere Placentinorum Civium mores, quales ſibi eo tempore videbantur, his verbis.

De moribus Civium Placentiæ.

Nunc verò in præſenti tempore, ſcilicet Anno Chriſti MCCCLXXXVIII. fiunt per homines & Dominas Placentiæ ſumtuoſiſſimæ expenſæ in victu & veſtitu, & in omnibus, plusquam fieri ſolet. Nam Dominæ portant indumenta longa & larga de velato ſerico de grana, & de panno ſerico deaurato, & de panno de auro, & de panno ſerico tantùm, & de panno de lana ſcarlata de grana, & de paonacio de grana, & de aliis nobiliſſimis drappis de lana. Qui drappi de grana, vel de veluto, vel de auro, vel de aurato, vel de ſerico conſtant pro uno Cabano, vel Birillotto, vel Pellanda, a Florenis XXV. auri uſque in Florenos, ſive Ducatos LX. auri. Quæ indumenta fiunt cum manicis largis per totum tam de ſubtus, quàm de ſupra, ita longæ, quòd dictæ manicæ cooperiunt mediam manum, & aliquæ pendent uſque in terram apertæ exteriori tantùm, acutæ de ſubtus ad modum ſcuti Catellani longi, qui ſcutus eſt largus deſuper, & ſtrictus & acutus de ſubtus. Et ſuper aliquibus ex dictis indumentis ponuntur a tribus uſque in quinque unciis perlarum, valentibus uſque in Florenos X. pro qualibet uncia. Et ſuper aliquibus ponuntur friſia magna & larga auri circum circa collare gulæ in modum meniſerri, quod ponitur canibus circa collum eorum. Et etiam circum circa in extremitate manicarum, & circa manicas, quæ ſunt ſubtus dicta indumenta. Et portant capucios parvos cum frigiis largis

largis de auro, vel de perlis circum circa dictum capucium. Et vadunt cinctæ in medio pulcris cincturis de argento deaurato, & de perlis valentibus Florenos XXV. auri pro qualibet cinctura, & plus & minus: & aliquando vadunt non cinctæ. Et quælibet Domina communiter habet tot anulos & varetas cum lapidibus pretioſis, quæ valent a Florenis XXX auri uſque in L. Tamen talia indumenta ſunt honeſta, quia cum dictis indumentis non oſtendunt mamillas. Sed habent alia indumenta inhoneſta, quæ vocantur Ciprianæ, quæ ſunt largiſſimæ versùs pedes, & a medio ſupra ſunt ſtrictæ cum manicis longis & largis, ſicut alia prædicta indumenta, & ſimilis valoris: & ſuper quibus ponunt ſimilia jocalia & ſimilis valoris. Et ſunt impomelatæ de antea a gula uſque in terram pomellis argenti deaurati, vel de perlis. Quæ Ciprianæ habent gulam tam magnam, quòd oſtendunt mamillas; & videtur quòd dictæ mamillæ velint exire de ſinu earum. Qui habitus eſſet pulcher, ſi non oſtenderent mamillas, & gulæ eſſent ſic decenter ſtrictæ, quòd ad minus mamillæ ab aliquibus non poſſent videri. Et etiam dictæ Dominæ portant in capitibus earum jocalia maximi valoris. Videlicet aliquæ portant coronas de argento aureato, vel de auro puro cum perlis & lapidibus pretioſis, valoris a Florenis LXX. auri uſque in C. & aliquæ portant terzollas de perlis groſſi valoris Florenorum C. auri uſque in CXXV. & aliquæ portant ſagiotas de perlis, valoris Florenorum L. uſque in C. Quæ terzollæ vocantur terzollæ, quia ex CCC. perlis groſſis ſunt factæ, & quia in tribus filzis ſunt conſtructæ & ordinatæ. Et etiam dictæ Dominæ pro majori parte loco trezarum de auro vel de ſerico, quas portare ſolebant contextas, ſeu interzatas in capillis capitis earum, nunc portant bugolos, qui ſic nominantur, quos cooperiunt capillis capitis earum ligatis ſuper dictos bugulos, cum aſtalonis ſive chordibus ſericis vel deauratis, vel cum aſtalonis ſericis coopertis perlarum. Et aliquæ Dominæ utuntur mantellis, ſive chlamydibus curtis, quæ cooperiunt manus tantùm, fodratis de zendalo, vel de vairis. Et etiam utuntur pulcris filzis Pater noſter *de corallo rubeo, vel de lambro. Matronæ, ſive Dominæ antiquæ portant nobile mantum, ſive mantellum largum & longum uſque in terram, & rotundum versùs terram, & criſpum per totum, & apertum de antea uſque in terram. Tamen eſt pomellatum de versùs gulam pomellis argenti deaurati, vel de perlis per unam ſpanam. Et fiunt pro majori parte cum collare. Et quælibet Domina habet uſque in tribus mantellis ad plus: unum de blavo, unum de paonacia de grana, & alium de zamelloto undato: fodratos de zendali cum frixiis aureis; & aliqui ſunt fodrati de Variis. Et aliquæ portant Capucium, & aliquæ non. Et aliquæ quandoque portant Capucium, & quandoque non, ſed portant vellos de ſeta, vel de bambaxio pulcros, & ſubtiles, & albos. Dominæ viduæ portant ſimilia guarnimenta, tamen omnia de bruna, & ſine auro & perlis, ſed ſolùm cum pomellis dicti panni de bruna tantùm. Et utuntur Capuciis de bruna, vel vellis albis de bambaxio, vel de lino, ſubtilibus & albis.*

Similiter juvenes homines portant Cabanos. Birillotos, & Pellardas, longos & largos, longas & largas per totum uſque in terram, & cum pulchris foraturis pellarum domeſticarum & ſalvaticarum; omnes de panno tantùm, & A *aliquos de ſerico & veluto. Quæ indumenta conſtant a Florenis XX. auri uſque in XXX. Et etiam utuntur mantellis magnis & longis uſque in terram, & etiam utuntur de mantellis curtis, qui tantùm cooperiunt manus eorum. Homines antiqui portant ſimilia indumenta, & Capucios duplos de panno, & deſuper dictos Capucios portant biretas pulcras de grana non textas, nec ſutas, ſed factas ad acum. Item dicti juvenes portant alia indumenta curta & larga, & alia curta & ſtricta, & ſic curta, quòd oſtendunt medias nates, ſive naticas & membrum & genitalia; ſalvo quòd portant caligas de panno ſic longas ligatas in quinque partibus ad zuparellos curtos & ſtrictos, quos portant de ſubtus alia indumenta, quæ cooperiunt* B *totas nates, membrum, & genitalia cum dictis caligis. Et etiam de ſubtus habent zarabullas lineas ſtrictiſſimas. Nihilominus oſtendunt formam naticarũ, genitaliũ, & membri. Quæ indumenta ſic ſtricta, aliqua ſunt de panno lineo, ſive aliud ſupra, & ſupra aliqua ex eis ponunt brodaturas de argento & ſerico, & aliqui cum perlis, & aliqui plus & aliqui minus. Et aliqua ex dictis indumentis ſunt de veluto, vel de ſerico de grana, vel de alio colore, vel de zimelletto. Et dicta indumenta ſic curta aliquantulum ſunt plus longa de retro & de antea, quàm a galono. Et aliquando cincti in medio ſuper omnibus dictis indumentis, & aliquando non. Et pro majori* C *parte non portant capucium, ſalvo quod in hyeme ipſum portant. Qui capucii ſunt parviſſimi cum becho longo quaſi uſque in terram, ita quod omnes videntur eſſe in foza, ſic ſunt parvi dicti capucii, & ſtricti circum circa apud ipſos. Tamen non ſunt in foza. Caligæ portantur ſolatæ cum ſcarpis albis, de ſubtus dictas caligas ſolatas, & in æſtate & in hyeme, & aliquando portant ſcarpas & caligas ſolatas cum puntis longis onciarum trium ultra pedem ſubtilibus. Omnes alii Cives Placentiæ tam fœminæ quàm maſculi, ſicut ſolebant portare ſcarpas & caligas ſolatas ſine punta, nunc portant cum puntis parvis: quæ puntæ tam longæ quàm parvæ ſunt plenæ pilorum, ſive buræ bovis. Item ſunt* D *plures Dominæ & homines juvenes, qui portant ad collum torques, ſive circlos argenteos, ſive deauratos, vel de perlis, vel de corallis rubeis. Et etiam dicti juvenes portant barbam raſam & collum a mediis auriculis infra, & ab inde ſupra portant zazzaram, ſive cæſariem capillorum magnam & rotundam. Et aliqui eorum tenent unum roncinum, vel equum; & aliqui tenent uſque in quinque equos ſecundùm poſſe eorum, & aliqui nullum tenent. Et illi, qui tenent ab uno ronzino ſupra, tenent famulum ſive famulos, qui famuli lucrantur omni anno pro quolibet eorum pro eorum ſalario uſque in Florenos XII. auri. Pediſequæ lucrantur uſque in Florenos VII. auri quolibet anno pro qualibet earum,* E *& habent victum, ſed veſtitum non.*

Hæc ſane prolixa: ſed quum graphice nobis pingant ejus Sæculi faciem, omnia attuliſſe non pœnitet; immo quæ ſubſequuntur, ad victum hominum ſpectantia, addere juvat. Quod Placentiæ in uſu erat, pro conſuetudine hominum in reliquis ferme Italici Regni Urbibus uſurpatum excogitare licet: *De Victu* (inquit idem Muſſus) *omnes Cives Placentiæ faciunt mirabilia, & maxime in nuptiis & conviviis, quia pro majori parte dant, ut infra continetur. Et primò dant bona vina alba & rubea, & ante omnia dant confectum zuchari. Et pro prima imbanditione dant duos cappones, vel unum cappo-*

[illegible], & unum magnum pitetum carnis pro quolibet tajero ad laventum factum de amandolis & zucharo & aliis bonis ſpeciebus & rebus. Poſtea dant carnes aſſatas in magna quantitate, ſcilicet capponum, pullorum, faſianorum, perdicum, leporum, cingialorum, & capriolorum, & aliarum carnium, ſecundum quod tempora anni currunt. Poſtea dant turtas & junchatas cum tregea zuchari de ſupra. Poſtea dant fluges. Poſtea, lotis prius manibus, antequam tabulæ leventur, dant bibere, & confectum de zucharo, & poſtea bibere. Et aliqui loco turtarum & junchatarum dant in principio prandii turtas, quas appellant turtas, factas de ovibus & caſeo & lacte & zucharo ſuper dictas turtas in bona quantitate. In cœnis dant in hyeme zelatinam ſalvaticinarum, & capponum, & gallinarum, & vitelli, vel zelatinam piſcium. Et poſt, aſſatum de capponibus & vitello. Et poſt, fluges. Et poſt, lotis manibus, antequam tabulæ leventur, dant bibere, & confectum zuchari, & poſt, bibere. In æſtate in cœnis dant zelatinam de gallinis & capponibus, vitelli & capreoli, & carnium porci & pullorum, vel zelatinam piſcium. Et poſt, aſſatum pullorum, capreolorum, vitelli, vel [illegible], vel anatris, vel aliarum rerum, ſecundum quod tempora currunt, & poſt, fluges. Et poſt, lotis manibus, antequam tabulæ leventur, dant bibere, & confectum zuchari, & poſt, bibere. Secunda die in nuptiis dant primo [illegible] de paſta cum caſeo & croco & zibibo & ſpeciebus. Et poſt, carnes vituli aſſatas, & poſt, fluges; & poſt, lotis manibus, antequam tabulæ leventur, dant bibere, & confectum zuchari, & poſt, dant bibere. In cœnis omnes vadunt ad domum eorum, quia nuptiæ finitæ ſunt. Tempore Quadrageſimæ dant primo bibere & confectum zuchari, & poſt, bibere; & poſt, ficus cum amigdalis pelatis, & poſt, piſces groſſos ad piperatum; & poſt, meneſtram riſi cum lacte amigdalarum & zucharo & ſpeciebus, & cum anguillis ſalſis. Et poſt prædicta dant piſces Lucios aſſatos cum ſalſa de aceto, vel ſinapi cum vino cotto & ſpeciebus; & poſt, dant nuces; & poſt, dant alias fluges. Et poſt, lotis prius manibus, antequam tabulæ leventur, dant bibere, & confectum zuchari, & poſt, bibere. Homines Placentiæ ad præſens vivunt ſplendide & ordinate & nitide, & utuntur in domibus eorum pulcrioribus & melioribus arnixiis & vaſellamentis, quàm ſolebant a ſeptuaginta annis retro, ſcilicet ab Anno Chriſti MCCCXX. retro. Et habent pulcriores habitationes, quàm tunc habebant, quia in dictis eorum domibus ſunt pulcræ cameræ, & caminatæ, bora, curtaricia, putei, orticuli, jardini, & ſolaria pro majori parte. Et ſunt plures camini ab igne & fumo in una domo; in quibus domibus dicto tempore nullum ſolebat eſſe caminum: quia tunc faciebant unum ignem tantum in medio domus ſub cupis tecti, & omnes de dicta domo ſtabant circum circa dictum ignem, & ibi fiebat coquina. Et vidi meo tempore in pluribus domibus. Et non habebant puteos in dictis eorum domibus, vel quaſi nullos, & pauca ſolaria & curtaricia. Et utuntur communiter omnes Cives Placentiæ vinis melioribus, quam antiqui non faciebant.

Modus edendi pro majori parte hominum Placentiæ eſt, quod ad primam tabulam comedit Dominus domus cum Uxore & filiis in caminata, vel in camera ad unum ignem, & familia comedit poſt eos in alia parte ad alium ignem, vel in coquina pro majori parte. Et duo comedunt ſuper uno tajero. Et quilibet habet meneſtram ſuam, & unum mojolum vel duos vitri pro ſe, unum pro vino, & alium pro aqua. Et plures ſunt, qui ſe faciunt ſervire famulis ſuis cum cultellis magnis a tabula, & cum eis incidere carnes, & alia coram eis ad dictam tabulam. Et antequam dicti Domini ſint aſſectati ad tabulam, dant eis aquam cum bacino & bronzino; & poſt prandium & poſt cœnam iterum, antequam tabula levetur, dant eis aquam, & iterum lavant manus eorum. Arnixia, quibus nunc utuntur in domibus dictorum Civium Placentiæ, quæ a paucis ſolebant uti, a dicto Anno MCCCXX. retro, ſunt nunc pro uno duodecim. Et hoc eventum eſt a mercatoribus Placentiæ, qui utuntur vel utebantur in Francia, in Flandria, ac etiam in Hiſpania. Et primò communiter utuntur tabulis largis unciarum XVIII. quæ non ſolebant eſſe largæ, niſi unciæ XII. Et utuntur guardenapis, quæ a paucis utebantur. Et utuntur taciis, cugiariis, & forcellis argenti; & utuntur ſcudellis & ſcudellinis de petra, & curtellis magnis a tabula, & bronzinis, & bacinis, & ſarziis magnis & parvis a lectis, & cortinis de tela circum circa dicta lecta, & etiam banderiis de araſſa, & ca dileriis de bronzo, vel de ferro, & torciis ſive brandonis, & candelis de cera, & etiam candelis de ſebo, & aliis pulcris arnixiis & vaſellis & vaſellamentis. Et multi faciunt duos ignes, unum in caminata, & alium in coquina, vel in camera loco caminatæ. Et multi tenent bonas confectiones in domibus eorum de zucharo & de meile. Quæ omnia ſunt magnarum expenſarum. Quâ de cauſsâ magnæ dotes nunc oportent dari. Et communiter nunc dantur in dotem Floreni CCCC. & Floreni D. & Floreni DC. auri, & plus: qui omnes expenduntur per ſponſum in adobbando ſponſam, & in nuptiis, & aliquando plus. Et ille, qui maritat dictam ſponſam, expendit ultra dotem Florenos C. auri, vel circa in faciendo de novo aliqua indumenta ſponſæ, & in donis & nuptiis. Qua de cauſſa ſi debent poſſe fieri tales expenſæ, ut ſupra dictum eſt, oportet, quod lucra inlicita fiant. Et plures ſunt, qui talibus de cauſſis ſunt conſumti, qui volunt facere, ſive oportet facere, pluſquam non poſſunt. Certe ad præſens ſi unus habet in ſua familia novem buccas, & duos roncinos, expendit omni anno ultra Florenos CCC. auri, valentes Libras CCCCLXXX. Imperialium. Et ſic pro rata buccarum, videlicet in victu & veſtitu, ſalariis familiorum, gabellis, taleis, & aliis expenſis extraordinariis, quæ quotidie eveniunt, quæ non poſſunt evitari: certe pauci ſunt, qui talibus expenſis poſſint componere; & ideo multi ſunt, quos tali de cauſſa oportet deſerere patriam eorum, & ire ad ſtipendium, vel pro famulis, vel pro mercatoribus, & in uſuris &c. Non credat aliquis, quòd in ſupradictis contineantur mechanici, ſed ſolùm Nobiles & Mercatores, & alii boni & antiqui Cives Placentiæ, qui non faciunt aliquam artem. Qui etiam mechanici faciunt ſumtuoſas expenſas pluſquam ſolet, & maxime in indumentis circa eos & uxores. Tamen ars ſemper & quocumque tempore ſuſtinet omnes, qui volunt cum honore vivere. Ad præſens gentes non poſſent vivere ſine vino, ſic ſunt omnes uſi bibere vinum.

Confer nunc Sæculi XIV. ritus & luxum cum Sæculi noſtri moribus: tum computatione factâ decerne, quid ſupra antiquorum mores tempora noſtra profecerint. Pictoribus autem veterum rituum hactenus a me productis adjunctum volo Aulicum Ticinenſem, cuius Opu-

ſculum dedi Tomo XI. Rer. Italicarum. Scribebat ille circiter Annum Chriſti MCCCXXX. multoſque ſuorum temporum mores literis conſignavit, e quibus hunc unum Cap. 14. ſcriptum decerpo. *In crepidine*, inquit, *pontis veteris aliquando erecta eſt Pertica, quæ poteſt inclinari deorſum, in cujus cacumine ligatum eſt vas vimineum magnum. Et ſi quis Ribaldus compertus fuerit, Deum aut Beatam Virginem blaſphemare, ſtatim vaſe illo impoſitus ſubmergitur in Ticinum, & extrahitur madefactus*. Fortaſſe non abſimilis pœna apud antiquiſſimos Germanos in uſu fuit. De iis enim Tacitus in Libro de Moribus Germanor. Cap. 12. ait: *Ignavos, & imbelles, & corpore infames, cœno ac palude injecto ſuper crate mergunt*. Ait, *mergunt*, non verò ſuffocant, ſcilicet ad emendationem, non ad mortem. Sed & Suetonius in Cajo Caligula Cap. XX. Lugdunenſe certamen deſcribens, ait: *Eos autem, qui maxime diſplicuiſſent, ſcripta ſua ſpongiâ linguâve delere juſſos, niſi ferulis objurgari, aut Flumine proximo Mergi maluiſſent*. Adeo verum illud eſt, *nihil ſub Sole novum*. Hoc pœnæ genus Gallicâ Linguâ *Cale* appellatur, de qua voce videndus Fureterius. Tuſci adhibent vocem *Colla* pro funis tormento, quo rei ad brachia & ad humeros excruciantur: & inde verbum *Collare*, pro *fune torquere*. Monoſinius a Græco χολάζειν, ſignificante *Torquere*, hanc vocem traxit. Menagius *Colla* pro *Fune* a *Collum* deduxit, *che val propriamente laccio, che ſi mette al Collo*. Laqueo quidèm franguntur Colla reorum; at in tormento Funis nulla Collo moleſtia infertur; ac proinde non amplectenda ejuſmodi Etymologia. Videndum, an vox *Colla* a *Calare*, hoc eſt *Demittere*, emerſiſſe potuerit. Quippe Tuſci pro *Calare* interdum adhibuerunt *Collare*. Boccaccius in Fabulis: *Diliberarono di legarlo alla fune, e di Collarlo nel pozzo*. Uti Gallicum *Cale* uſurpatum videtur ab Italico *Calare* pro *Demittere*: ita videri poſſit enatum *Colla* a *Collare*, idem ſignificante atque *Calare*. Neque diſpar videtur origo verbi Italici *Tracollare*, cujus ſignificatio eſt *Corruere*, *Collabi*. In re tamen adeo abſtruſa ego nihil decerno. Redeo ad Aulicum Ticinenſem. Quæ is nuper nos docuit de pœna blaſphemantium Deum, aliis quoque Civitatibus communia fuere, dum ad litus maris ſitæ eſſent, aut ipſas allueret magnificum aliquod flumen, in quo ſpectaculum ejuſmodi præbere liceret. Id pœnæ genus *Accabuſſare* Maſſilienſes, Du-Cangio teſte, appellabant. En eorum Statutum contra eos, qui ludendo injurias in Deum evomebant. *Et ſi duodecim Denarios dare & ſolvere non poterit, Accabuſſetur penitus, indutus cum veſtibus, quas tunc detulerit, & in portu Maſſiliæ tot vicibus, quot juraverit*. Germanicum vocabulum habes in *Accabuſſare*, compoſitum nempe ex *Acha* & *Buſſe*, ut ſit *Aquæ pœna*. Lenones quoque, meretrices, & qui in ludendo irreligioſe jurant, apud Burdegalenſes eâdem pœnâ plectebantur. Statutum Ferrarienſe Anno MCCLXXXVIII. manu exaratum, & in Eſtenſi Bibliotheca adſervatum, hæc habet Lib. 4. Rub. 68. *Quod Poteſtas teneatur facere fieri unam Corbellam in Contrata Sancti Pauli in Pado, in quam poni faciat, & pluries ſubmergi in aquam blaſphemantes Deum & beatam Virginem, & ceteros Sanctos, ſi non poſſent ſolvere centum Soldos Ferrarienſis. Et ſi ſolvere poſſent, non ponantur ad Corbellam*. Tunc Rubricâ 78. *Statuitur, quod Scutiferi non currant*

A *equos per Civitatem, quum vadunt ad aquam & redeunt. Qui contra fecerit, ſolvat pro banno viginti Soldos Ferrarinos. Et ſi ſolvere non poterit, ponatur ad Corbellam*. Evanuit in Italia hujuſmodi pœnæ uſus; at is Vindobonæ in Cæſarum Auſtriacorum Metropoli adhuc perſeverat, piſtoribus, lanionibus, ac aliis id genus publicæ rei fraudatoribus deſtinatus. Atque hoc in memoriam mihi revocat par pœnæ genus, qua mulieres rixoſæ apud Anglos olim caſtigatæ traduntur; dejiciebantur enim in aquam, & inde bene madidæ ac potæ educebantur.

Sed quoniam de Pœnis veterum injecta eſt mentio, & heic de iis aliqua innuam. Crimina, ut alibi jam monui, pauca olim erant, propter quæ *animæ incurrebatur periculum*, ut

B Rotharis Regis verba adhibeam, hoc eſt, quibus capitis ſupplicium indictum foret. Quicumque contra vitam Regis conſilia miſcebat, aut ſeditionem adversùs Ducem ſuum excitabat, aut domino, aut marito ſuo necem inferebat, aut extra Regnum fugam tentabat, aut ab exercitu fugiebat, ut alia pauca omittam, reus mortis erat. Perjurii reis manus amputabatur. Cetera ferme omnia pecuniâ redimebantur. Cujus etiam moris multa exempla priſci Græci reliquerunt. Ad hæc inter Pœnas numerata eſt *Servitus*, de qua alibi actum eſt. *Decalvatio* quoque, & *Flagellatio*, ſive *Fuſtigatio*, uti nunc dicimus, in uſu fuere.

C Nam apud Veteres, ac præcipue apud Septemtrionales gentes, ignominiæ gravis loco habebatur tonderi, eoque gravius fuit ad cutem uſque capillis, aut barbâ ſpoliari. De feminis ad ſeditiones commotis decrevit Liutprandus Langobardorum Rex Lib. 6. Lege 88. *Publicus* (ideſt *Judex*) *qui eſt in loco, ubi factum fuerit, comprehendat ipſas mulieres, & faciat eas decalvari, & fruſtari per vicos vicinantes ipſis locis*. Olim fuſtibus liberi homines cædebantur, flagellis ſervi. A *fuſte* derivata creditur vox Italica *fruſta*, *fruſtare*. Et ſane in Lege ſupra relata 88. Lib. 6. Liutprandi Regis habemus *Fruſtare per vicos Civitatis*, & inter Caroli Calvi Francorum Regis Capitula-

D ria edicitur, *ut Servi per hoc convicti, non cum groſſa fuſte, ſed nudi cum virgis vapulent*, ita tamen, ut *diſciplinam ſuſtinentes in corpore ſuo debiliores non fiant*. Liber homo, aut Servus in furto deprehenſus, ſi furtum *ad decem ſiliquas* auri aſcendebat, præter rem furto ſublatam, Solidis octoginta multabatur. Quoſi ſi ad redimendum ſe impotens erat, capitis damnabatur. Ita Rotharis Rex in Lege 258. & 259. De reliquis autem furibus omnino legenda ſunt, quæ Liutprandus Rex conſtituit Lib. 6. Lege 25. *De furonibus* inquit, *unuſquiſque Judex in ſua Civitate faciat carcerem ſub terra. Et quum inventus fuerit fur cum ipſo furto, ipſum furtum componat. Et*

E *comprehendat ipſum furonem, & mittat in ipſo carcere uſque ad annos duos vel tres. Et poſtea dimittat eum ſanum. Et ſi talis perſona fuerit, ut non habeat, unde ipſum furtum componère poſſit, debeat eum Judex dare in manu ipſius, cui ipſum furtum fecit: & ipſe de eo faciat, quod voluerit. Et ſi poſtea ipſe iterum in furto tentus fuerit, decalvet eum, & cædat per diſciplinam, ſicut decet furonem, & ponat ſignum in fronte & in facie. Et ſi ſic non emendaverit, & poſt ipſas diſtrictiones in furto tentus fuerit, vendat eum Judex foris Provincia* (ideſt extra Regnum) *& habeat ſibi pretium ipſius*. Carolus verò Magnus in Lege

Lan-

Langobard. 44. de Latronibus ſtatuit, *ut pro prima culpa non moriantur, ſed oculum perdant; de ſecunda naſus ipſius Latronis capilletur, ſicut adjudicatur; de tertia vero, ſi ſe non emendaverit, moriatur*. Idem repetit in Lege 85. Hi ſub Latronum nomine veniunt *Ladri* quoque, unde Italicum *Ladro*, & *Ladrone*. Pœna quoque ſeditioſorum hominum & conjuratorum contra Reipublicæ tranquillitatem, ſtatuta eſt in Lege 85. Lotharii I. Auguſti. Scilicet *auctores facti interficiantur; adjutores verò eorum ſinguli alter ab altero flagellentur, & capillos ſuos invicem, & nares ſuas invicem præcidant*. Ceterum, ut alibi monui, Homicidis pœna capitis olim minime infligebatur, ſed tantùm multa pecuniaria: atque (id, quod miraberis) etiamſi Epiſcopo illata mors fuiſſet. Immo nulla olim peculiaris pœna Homicidis ſacrorum hominum apud Langobardos indicta videtur. Audi Arichiſum Principem Beneventanum ex genere Langobardorum, qui ſub finem Seculi a Chriſto nato VIII Capitulare edidit, evulgatum a Peregrinio, atque a me rurſus editum Tomo II. Rer. Italicar. pag. 336. *Hactenus*, ait, *Religioſorum homicidia, eo quod aut inerme genus, aut in omnibus venerandum haberetur, nullius compoſitionis, & aperta lex judiciali calculo claruit. Et ſi quondam forſitan contigiſſet, aut ſub oſtenſu legalis negligentiæ, vel oblita rationis omittebatur, aut certe Cenſorum opinione, aut illud, ut cuique libitum erat, decernebatur*. Propterea is ſtatuit, ut ſi quis in poſterum *occiderit Monachum, vel Presbyterum, aut Diaconem primatum tenentem, componat*, ideſt, Fiſco perſolvat *ducentos Solidos; aut ſi Principi libuerit, uſque ad trecentos*. Pro reliquorum Eccleſiaſticorum extra Palatium degentium cæde, *centum & quinquaginta Solidi* perſolvantur, *ſicut de Laicis, qui exercitalibus militant armis*. En tenuem pœnæ menſuram propoſitam olim ſacrorum hominum homicidis. Auxit deinde multam Carolus Magnus Auguſtus, uti conſtat ex ejus Lege 101. inter Langobardicas, Part. II. Tomi I. Rerum Italicarum. Idem verò mos perdurabat etiam Anno Chriſti MLV uti ſubſequens Diploma patefaciet, quod in Chartophylacio Canonicorum Parmenſium adſervatur.

Literæ protectionis, ſeu Mundiburdii, Canonicis Parmenſibus conceſſæ ab Henrico Rege III. Imperatore II. Anno 1055.

IN *nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Heinricus divinâ providentiâ Romanorum Imperator Auguſtus. Licet nos ad hoc divina diſpoſitio præ ceteris ſublimaverit, ut omnibus ſub noſtri Imperii poteſtate degentibus noſtra Imperialis debeat ſubvenire Majeſtas, quibus tamen magis debemus, quibuſque ex meliori parte committimus, præ ceteris his ſubveniendum decernimus. Clericis itaque divina ſorte ſignatis, & divino cultui mancipatis, quibus animarum noſtrarum cura committitur, meritò nos debere prodeſſe cognoſcimus, quatinus ſub nobis temporis tranquillitate gaudentes pro animarum noſtrarum ſalute, & pro totius noſtri Imperii incolumitate, ſummum Imperatorem ſecure exorare valeant. In quorum tamen provectu noſtra debet eſſe Imperialis diſcretio, ut plus merentibus, majus a nobis conferatur præmium. Omnibus itaque noſtra ſub poteſtate degentibus Clero & univerſo Populo notum fieri volumus, quod juſto interventu Domni Gunteris noſtri dilecti Cancellarii, ſub tuitionis noſtræ Mundiburdio recipimus omnes Parmenſes Canonicos tam præſentes, quàm & proceſſu temporis futuros, cunctoſque ad ſe pertinentes, cum omnibus rebus ſuis mobilibus & immobilibus, libellariis & precariis, prediis & beneficiis tam Secularibus, quam Eccleſiaſticis, ſeu acquiſitis vel acquirendis, ſive cum omnibus ad ſe reſpicientibus*. Si quis igitur eos Archiepiſcopus, Epiſcopus, Marchio, Comes, Vicecomes, vel qui ſub his ſunt, Clerici, vel Laici, aſſalire, vulnerare, vel occidere quæſierit, vel qui eis ſuper his auxilium, conſiliumque preſtiterit, vel de ſuis aliquid invaſerit, vel violentiâ & rapinis abſtulerit, pro morte vitæ ſuæ pœnam pro cæteris ſe centum Libras auri ex æquo partiendas nobis, ſibique compoſiturum agnoſcat. *Quod ut nos ſtabile ac firmum eſſe velle monſtremus, Sigillo noſtro inſigniri precipimus*.

Guntherius Cancellarius vice Herimanni Archicancellarii recognovit.

Locus ✠ Sigilli.

Data VIII. Idus Junii, Anno Dominicæ Incarnationis MLV. Indictione VIII. Anno autem Domni Heinrici Tertii Regis-Imperatoris autem Secundi, ordinationi, ejus XXVII. Regni quidem XVI. Imperii verò IX.

Actum verò Florentiæ in Dei nomine feliciter. Amen.

Si quis autem multam non ſolvebat, in ejus bona Fiſcus inſurgebat, atque omnia interdum arripiebat, prout ejus crimini decreta pœna exigere videbatur. Neque conſtat, an rei ob ejuſmodi culpam capti diutius in carceribus macerarentur. *Confiſcationis*, ut ajunt, exemplum accipe, deprömptum e Regeſto antiquiſſimo Epiſcopii Cremonenſis.

Con-

Conradi II. Regis, Imperatoris Primi Præceptum, quo omnia prædia cujuſdam Adami, qui Henricum Diaconum Cardinalem Cremonenſis Eccleſiæ injuſte occiderat, eidem Eccleſiæ ad reparationem damni concedit, circiter Annum 1037.

IN *nomine Sancte & individue Trinitatis. Chuonradus divinâ favente clementiâ Romanorum Imperator Auguſtus. Si ſancte Dei Eccleſie &c. In veritate namque comperimus, quod* quidam Cremonenſis vir, Adam nomine, *ſuperbie ſpiritu inflatus, & diabolicâ audaciâ concitatus, quendam* Diaconum Henricum nomine ſancte Cremonenſis Eccleſie Cardinalem, *& utilimum famulum, & quem nos cum omnibus ſuis rebus mobilibus & immobilibus ſub noſtre poteſtatis tuitione recepimus, noſtre majeſtatis reverentiam vilipendens*, innocentem occiderat, ejus morte Eccleſie, cujus erat famulus in omnibus commodus, tanta dampna conferens, quanta extimare non ſufficimus. *Quapropter omnibus &c. notum eſſe volumus, quod interventu dilecte* Conjugis noſtre Giſle Imperatricis, *ut Eccleſia ex parte recuperaret dampna morte ſui famuli ſibi illata, & tanti facinoris contagia nequaquam in conſuetudinem prorumpat*: omnia predia, que prefatus Adam infra Civitatem Cremonam, & extra per totius Epiſcopatus ſpatia habere videtur, & omnem rem mobilem & immobilem, quam poſſederat, prelibate ſancte Cremonenſi Eccleſie, per hujus noſtri Precepti paginam, proprietario jure habenda & detinenda concedimus, & in jus ac dominium prenominate Eccleſie noſtrâ Imperiali auctoritate transfundimus: *eâ videlicet ratione, ut tam* Hubaldus *dilectus fidelis noſter, ejuſdem Eccleſie venerabilis* Epiſcopus, *quàm ſucceſſores ſui, de predictis omnibus rebus predicti homicide quicquid eis recte viſum fuerit ad utilitatem Eccleſie perpetualiter faciant. Inſuper etiam Imperiali cenſurâ jubemus, ut nullus Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, Judex, Scul dlaſcio, ſeu magna parvaque Regni noſtri perſona de predictis omnibus pretaxati homicide ſanctam Cremonenſem Eccleſiam atque Hubaldum ejuſdem Sedis Antiſtitem, ejuſque ſucceſſores diſveſtire, aut inquietare alico ingenio, aut occaſione preſumat. Si quis verò &c.*

Signum Domni Chuonradi ſereniſſimi Imperatoris Auguſti.

Reliqua deſiderantur.

Quum verò invaluiſſet Sæculo Chriſti XI. in Italia deteſtandus *Veneficii* ſive *Veneni* uſus, aliiſque modis furtiva mors inferretur, criminis hujus reus capitale ſupplicium incurrere cœpit, ex decreto Henrici II. Auguſti, quod in Leges Langobardicas invectum fuit. Sed & antiquis Sæculis mos invaluit, ut qui homine necato fugerent ad Eccleſiam ſibi ipſis ſponte indicatam, aut a Sacerdotibus impoſitam pœnam aſſumerent. Ferreis videlicet vinculis conſtricti & ſeminudi, aut alio Pœnitentis habitu, jubebantur peregrinari ad loca Sanctorum, hoc eſt, ubi celebriorum Sanctorum corpora in veneratione erant: quo facto & Regi, & Eccleſiæ ſatis fiebat. In Appendice ad Marculfi Formulas Tom. 2. Capitular. Baluzii Cap. 10. legitur. *Tractoria pro itinere peragendo.* Ibi Epiſcopus omnibus commendat peregrinum, *qui inſtigante adverſario, peccatis facientibus, proprio filio ſuo, vel fratri ſuo, ſive nepoti interfecit: & nos pro hac cauſa ſecundùm Conſuetudinem, vel Canonicam inſtitutionem dijudicavimus, ut in lege Peregrinorum ipſe præfatus vir annis tot in peregrinatione ambulare deberet &c.* Ita Dauferius vir nobilis Beneventanus ob cædem Grimoaldo Principi Beneventano inlatam *pœnitentiâ ductus, ſine morâ in Hieroſolymam eſt profectus mirum in modum, & re ſcilicet inauditâ. Illuc enim iens, & inde Beneventum rediens, non valde exiguum lapidem in ore geſtavit, & tantummodo quoties cibum potumque ſumebat, illo carebat.* Verba hæc ſunt Anonymi Salernitani Cap. 42. Paralipomen. Part. II. Tomi II. Rer Italic. Pariter Erchemperto teſte Cap. 9. Radelchis Comes, paris flagitii reus *catenâ cervice tenus vinctus, Cœnobium Beati Benedicti, Chriſto militaturus, adiit.* Multa etiam in veterum Libris miracula de his facta narrantur, ſoluta nempe divinitus fuiſſe eorum vincula ad tumulos Sanctorum. Ut uno, aut altero exemplo utar, Lib. 3. de Geſtis Sanctor. Rothonenſium traditur Diaconus quidam in Monaſterio Spoletanæ Provinciæ Anno DCCCL. incaute ac nolens Fratrem alterum interfeciſſe. Tum ille Romam pergit, pœnitentiam accepturus, juſſuſque eſt *ferro ligari per collum & brachia, ſicut in lege parricidarum cenſetur*, & loca ſancta circuire, dum noxæ veniam a Deo impetret. Ad minorem Britanniam profectus, atque in Rhotonenſis Monaſterii Baſilicâ ad tumulum Sancti Marcellini adductus, ingenti prodigio diſruptis vinculis, liber & abſolutus abiit. Alterum ſimile miraculum in iis Libris refertur ad Annum Chriſti DCCCLVI. In Vita quoque Sancti Appiani Monachi Ticinenſis Comaclenſi in Urbe ſepulti, a Bollando editâ, hæc habentur: *Quædam femina venit de Francia ad Eccleſiam beatæ Virginis Juſtinæ: quæ portabat in ſiniſtro brachio circulum ferreum pro pœnitentia ab Epiſcopo ſibi inditum; & caro brachii in tantum jam ſupercreſcebat, quod circulus pæne totus carne erat coopertus.* Quum Comacli tumulum Sancti Appiani adiiſſet, *ſtatim ferreus confractus eſt circulus, & brachium ita ſanatum, quòd numquam melius fuit.* Ita in Libro Miraculorum Sancti Bononii Abbatis Lucedienſis in Vercellenſi agro, Sæculo Chriſti XI. *Homo quidam fratricidii pœnitens, qui habebat mucronem, cum quo peremerat fratrem, fixum in circulo ferreo circum dextrum brachium ſtrictiùs poſito, cute & carne jam ſuperimminente*, ad Sepulcrum Sancti Bononii, circulum ipſum fractum vidit. Paria leguntur in Vita Sancti Theobaldi Eremitæ in agro Vicentino defuncti eodem Sæculo XI.

Verumtamen a Carolo Magno ejuſmodi pœnitentiæ genus in Capitulari Aquiſgranenſi apud Sirmundum Tom 2. Concilior. Gall., & in Appendice ad Lib. 4. Capitularium Baluzii, improbatum fuerat, & conſtitutum, ut iſti

mangones & cotiones, qui vagabundi vadunt, per illam terram non ſinantur vagari, ut deceptiones hominum agere. Nec iſti nudi cum ferro, qui dicunt, ſe data poenitentia ire vagantes. Melius videtur, ut ſi aliquod inconſuetum & capitale crimen commiſerint, in uno loco permaneant laborantes, & ſervientes, & poenitentiam agentes, ſecundum quod Canonice ſibi impoſitum ſit. Carolo Magno Lex illa tribuitur apud Baluzium, ac ſedulo ejus verba animadvertenda ſunt. Fraudes enim irrepſiſſe oportet in haſce peregrinationes, ac poenitentiæ genus; & arte, non miraculo, quorundam vincula excidiſſe deprehenſa fuiſſe. At nihilo ſecius per aliquot etiam Sæcula mos ille perduravit, ſaltem inter Francos. Anno Chriſti MLIV. quum Sanctus Leo IX. Papa finem vivendi feciſſet, atque ad ejus tumulum miracula multa Deus operaretur, *venit quidam vir de Francia, qui habebat corpus ſuum ferreo cingulo conſtrictum, ita ut per gyrum corporis ſanies multa decurreret in terram. Quod videntes, qui aderant, nares ſibi præ nimio pavore & fœtore obturaverant, deprecantes Dominum, ut per Sancti Leonis merita miſero illi ſuccurrere dignaretur. Res mira! ſtatim ferrum crepuit, & multa fuſa ſanie homo redditus eſt penitus ſanitati.* Infra leguntur geminæ ſimiles prodigioſæ curationes. Hæc in ejus Vita a Bollandiſtis edita in inſigni Opere Actor. Sanctor. ad diem IX. Aprilis. Id genus alia miracula in Veterum ſcriptis narrantur: quæ omnia ſi quis in dubium revocare velit, temere certe agat. Sed ſimul dubitare liceat, non defuiſſe interdum, qui ſacris Miniſtris ſub hac ſpecie fucum facerent. Atque hæc in mentem mihi redeunt, quæ Auctor Anonymus Chronici Sublacenſis à me jam evulgati habet, quum Vitam texit Johannis Abbatis Sublacenſis XXXII. *Quodam tempore*, ait, *venerunt in Italiam ex Francia homines inſani, qui dicebantur Confuſi, qui circumquaque pergentes, per Campaniam & reliquas Provincias calamitatis tantæ incutiebant timorem. Contigit, ut tres ex ipſis advenirent Sublacum, agitando ſine intermiſſione caput, inſana facta agendo. Quumque ibi per dies aliquot moraretur, primus eorum in præfatá eſt ſanatus, Domino juvante, Eccleſiá. Poſtea vero reliqui duo ibidem adducti, gratiá Dei ſano capite exierunt, laudantes & benedicentes Dominum. Quibus jam dictus Domnus Abbas Johannes plurima beneficia largitus eſt; & ſic ad ſua remiſit cum gaudio.* Sed utinam a *Confuſis* iis confuſa non fuerit prudentia Johannis Abbatis & Monachorum Sublacenſium. Felicem nimium ſe quiſque temporibus præcipue illis reputabat, ſi ſuis in Templis, & ad ſuas ſacras Reliquias, miranda patrabantur; & propterea bene erat iis etiam, in quibus miracula perfecta credebantur: Inſanis iis Francis ſanitate reſtitutis Abbas *plurima beneficia largitus eſt*. Fieri ne poteſt, ut improbi morbis, ac prodigiis confictis nimium credulæ genti nonnunquam illuderent?

Redeo ad Pœnas olim uſitatas. A Francis nimirum & Suevis in Italiam invectus eſt ritus pœnæ militaris, Nobilibus viris inflictæ, ubi delinquebant: quam deſcribit Otto Friſingenſis Lib. 2. Cap. 28. de Geſt. Friderici I. & poſt eum Guntherus Lib. V. Ligur. una cum aliis Scriptoribus. Arnulphus quoque Hiſtoricus Mediolanenſis Lib. primo, Cap. 19. Hiſt. Tom. IV. Rer. Italicar. auctor eſt, coactos fuiſſe Mainfredum Marchionem, ejuſque fratrem Odelricum Epiſcopum Aſtenſem, pacem petere ab Arnulpho Archiepiſcopo Mediolanenſi. En pacis conditiones: *Quod venientes Mediolanum, tertio ab Urbe milliario, nudis incedendo veſtigiis, Epiſcopus Codicem, Marchio canem bajulans, ante fores Eccleſiæ Beati Ambroſii reatus proprios devotiſſime confiterentur.* Quid hoc ritu ii ſignificarent, divinandum Lectori relinquitur. Sed & alterum accipe a Wippone in Vita Conradi Salici. Seditionem contra Auguſtum Romani commoverant: ſed metu ac pœnitentiâ ducti, *poſtera die ante Imperatorem venientes, nudatis pedibus, liberi cum nudis gladiis, ſervi cum torquibus vimineis circa collum, quaſi ad ſuſpenſionem præparati, ut Imperator juſſit, ſatisfaciebant*. Scilicet præferebant Liberi denudatum enſem, quo, ſi Cæſar vellet, in ſontes animadverteret: quippe Nobilium pœna decollatio erat. At Servi ſignum laquei ad colla geſtabant, ut ſe faterentur dignos ſuſpendio, qua pœna plectebatur ejuſmodi hominum genus. Atque hinc nata, & adhuc vigens apud nos dicendi formula: *Chiedere perdono colla corda al collo*, aut *co'l capeſtro al collo*: tunc enim homo ita ſe deliquiſſe fatetur, ut ſe veluti morte dignum agnoſcat, & vitam a læſo deprecetur. Propterea *laqueis ad collum poſitis* Cremonenſes Anno MCCCXI. Henrico VII. Auguſto occurrerunt, ut ſcribit Bonincontrus Morigia Lib. 1. Cap. 8. Chronic. Modoëtienſ. Tomo XII. Rer. Italicarum. Leone Marſicano teſte Lib. 2. Cap. 2. Chronic. Caſinenſ. Adenulfus Caſtaldeus Aquinenſis a Principe Capuano obſidione preſſus, *videns, ſe non poſſe Principis manus evadere, funem in collum ſuum miſit, & per manus conjugis ſuæ ad Principis pedes ſe trahi præcepit*. Scilicet qui tunc ſuſpendii pœnâ damnati erant, ad patibulum trahebantur per carnificem, manu tenentem funem ad collum reorum alligatum. Mediolanenſes verò coacti deditionem facere Friderico I. Auguſto Anno MCLVIII. *abjectâ veſte, pedibus nudis, exertos ſuper cervices gladios habentes* (funis nempe loco) *ſeſe Imperatori ſtiterunt*, ut habet Radevicus Lib. prim. Cap. 42. de Geſtis Friderici. Otto de Sancto Blaſio addit, vulgus etiam, ſupplex adveniſſe *torque collo innexo*. Alii quoque miſericordiam aut opem imploraturi, *Cruces* in manibus geſtare aut in humeris conſueverunt: quod & Mediolanenſes tunc fecere, ut habetur in Epiſtola Burchardi Notarii. Attamen ſæpius occurrunt & ipſi Nobiles perduellionis rei, qui fune ad collum poſito veniam a Principe implorant. Nobilis certe fuit Sæculo XII. *Adenulfus Caſtri Aquæ-putridæ dominus*. At is a Pontificio exercitu deditionem facere coactus, *nudis pedibus, ligatus per collum, proſtravit ſe ad pedes Domni Papæ*. Accipe ejus facti teſtem Chartam e Regeſto MSto Cencii Camerarii depromtam.

Inveſtitura Caſtri Aquæ-putridæ data Adenulfo ab Hadriano IV. Romano Pontifice, Anno 1158.

Hoc tempore, Anno videlicet MCLVIII. Indictione VI. Quinto Kalendas Octobris, quod Aqua-putrida juris Beati Petri ſit, & in Feudum conceſſa.

ADenulfus de Aqua-putrida, *poſt longam & diutinam obſidionem Capitaneorum & Romanorum peditum, quam Domnus Papa ſuper Caſtrum ipſum præceperat fieri, valde adſtrictus, & uſque ad deditionem adſtrictus, recepto & poſito Vexillo Sancti Petri a tribus hominibus Domni Papæ ſuper Turrim, exivit ad tentorium Domni B. Diaconi Cardinalis Sanctorum Coſmæ & Damiani, Domni Papæ Camerarii: ibique coram P. Sancti Euſtachii Diacono Cardinali, O. Frajapane, G. de Ceccano, L. de Senino, G. Pagano, & aliâ multitudine militum & peditum, redditâ in manus prædictorum Cardinalium munitione ipſius Caſtri juravit ſuper ſacroſancta Evangelia, quod juxta eorum diſpoſitionem poneret ſe & ipſum Caſtrum abſque omni conditione in manibus & miſericordia Domni Papæ. Secundâ verò die cum eiſdem Cardinalibus ad præſentiam Domni Papæ venit Albam, ibique abſolutus ab excommunicatione ſecundùm Eccleſiæ morem,* nudis pedibus, ligatus per collum, proſtravit ſe ad pedes. *Domni Papæ in Conſiſtorio reſidentis, & reddidit atque refutavit per fuſtem myrthinum in manibus ejus prædictum Caſtrum; & quòd juris Beati Petri eſſet, adſtantibus Epiſcopis, Cardinalibus, & aliis multis, recognovit. Deditque ſibi filium obſidem, atque fidejuſſores pro CCC. Libris Afforciatorum. Fecitque etiam hominium & fidelitatem ſibi, ſucceſſoribus, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ. Juravit quoque fidelitatem Stratæ publicæ. Tunc Domnus Papa de conſueta benignitate Sedis Apoſtolicæ inveſtivit prædictum Adenulfum de ipſo Caſtro pro Feudo, pro quo debet ei & ſucceſſoribus ſuis ſervire cum militibus & ſervientibus per totam Regaliam juxta ſuum poſſe & facere exinde pacem & guerram juxta eorum mandatum. Quod ſi Domnus Papa, qui pro tempore fuerit, per alios homines de ipſo Caſtro guerram voluerit facere, licitum & liberum ſibi erit. Recipiet quoque in ipſo Caſtro Romanos Pontifices tamquam Dominos ſuos, eorumque Nuntios.*

Poſtremis etiam Sæculis ad opprobrium deducebatur reus ſuper Aſinum facie converſâ ad caudam, quam manu tenebat. Ita Burdinus Antipapa Anno Ch. 1121. Calliſto II. Papæ traditus, & camelo impoſitus, ſpectaculum Romano Populo præbuit. Audi etiam, quid Nepeſinus Populus Anno Ch 1131. ſtatuerit. Decretum marmoreæ tabulæ inſcriptum legebatur in Sancti Heliæ templo, uti e MSto Pyrrhi Ligorii didici.

ANNI. DOMINI. MILL CXXXI
TEMPORIBVS. ANACLETI. II. PP.
MEN. IVL. INDICT. VIIII. NEPESINI
MILITES. NECNON. ET. CONSVLES
FIRMAVERVNT. SACRAMENTO. VT
QVIS. HORVM . . . . VVL. FRANGERE SOCIE
TATEM. DE. OMNI. HONORE. ATQVE. DIGNITATE
DO. VOLENTE. CVM. SVIS. SEQVACIBVS. SIT. OMNINO. EIE
CTVS. ET. INSVPER. CVM IVDA. ET. CAYPHA ET . . .
PILATO. HABEAT. PORTIONEM. ITEM
TVRPISSIMAM. SVSTINEAT. MORTEM. VT. CY
LO. QVI. SVOS. TRADIDIT. SOCIOS. NON
EIVS. SIT. MEMORIA. SET. IN. ASELLA
RETRORSVM. SEDEAT. ET. CAVDAM. IN. MANV. TENEAT.

Per ea quoque tempora communis per Italiam hic alter mos fuit. Scilicet, ſi quando proditores patriæ, fugâ ſibi conſulentes, ſuppliciis ſeſe ſubducebant, tunc animadvertebatur ignominiâ in eorum nomen, confiĉto eorum corpore ad crucem ſuſpenſo, eorumque effigie in publico loco depictâ, qualis in patibulo reapſe fuiſſet, adjectâ epigraphe, nomen & crimen facinoroſi hominis prodente. Exempla hujus pœnæ, quam facile improbi concoquebant, præter alias Hiſtoria Florentina ſuppeditat. Vide & Chronicon Romanum Antonii Petri, a me editum Part. II. Tomi III. Rer. Italicar. ubi enarratur idem honor habitus Sfortiæ Attendulo, celebri militum duci, quòd a Romano Populo defeciſſet. Ejuſdem verò pœnæ poſtremis temporibus exemplum dedere Bononienſes, pictâ in pariete externo publici Palatii effigie Ugolini, qui ineunte Sæculo Chriſti XVI. ad Mutinenſes tranſtulit Artem ædificiorum, quæ *Filatoi da Seta* appellamus.

Ad Funera quod attinet, olim quoque ritibus noſtris, hoc eſt, ſecundùm mores Romanæ Eccleſiæ illa deducebantur. Quid heic habeat Aulicus Ticinenſis Cap. 13. de Laudib. Papiæ, Tomo XI. Rer. Italicar. audi: *Conſuetudo* (ita ille Anno MCCCXXX.) *omnium Funeralium talis eſt. Quia quicumque moriatur, penſatâ tamen conditione ſui ſtatus, poſt Cruces, quarum aliquando multas portant, ſequuntur Laici bini, illic per præconem ſæpe vocati: deinde Clerici & Sacerdotes, quos tamen Religioſi præcedunt, ſi adſunt vocati. Poſtea ſequitur funus in lecto cum culcitra & linteaminibus & opertorio, ſub quo poſitum eſt indutum veſtibus ſui ſtatus vel ordinis, ut ab omnibus videatur*

Pulſant … ſequuntur Mulieres, ex quibus propinquiores … [illegible] *… ſuſtentantur. Et ita procedunt ad Eccleſiam cum luminaribus & ſonitu campanarum. Laici vero intrantes Eccleſiam recedunt, remanentibus cum funere in Eccleſia, & uſque ad ſepulcrum* [illegible] *Clericis, Sacerdotibus, & Mulieribus. Nunc audivi ab hujuſmodi proceſſionibus Feminas* [illegible]. Hæc ille. Occiſorum verò cadavera … inlota tumulari conſueverunt. Ceterorum contra (quod & nunc fieri videmus) mos fuit lavare, & unguentis odoriferis perungere. Id vel ab ipſis Græcis antiquitùs uſurpatum, Homero teſte, uti & a Judæis, atque Romanis. Sed præcipuè Magnatum, ac Martyrum, aliorumque ſanctitate florentium hominum cadavera cum unguentis, balſamo & aromatibus antiquitus ſepeliebantur; quod probè animadvertendum. Sæcula enim rudia, quoties retegendi erant Sanctorum tumuli, & eorum oſſa transferenda, miraculi loco interdum accepere manantem e ſepulcris & ex ipſis pigmentis ſuavem odorem, quem tamen tribuendum id fuerit primis aut præcedentibus corporum conditoribus. Olim quoque *pretioſis veſtibus* divitum defunctorum corpora veſtiebantur: quem luxum in funere non unus Sanctorum Patrum improbavit. Epiſcopi, Sacerdotes, & reliquus Clerus, ſui Ordinis indumenta ad ſepulcrum deferebant: qui ritus adhuc perdurat. Sed & priſcis temporibus, poſtquam rogo & uſtrinâ ſublatis, humare integra corpora unuſquiſque cœpit (quod Chriſti Cultores præſertim curarunt) præter pretioſa veſtimenta, anuli etiam, armillæ, aliaque ex auro aut argento ornamenta cum ipſis ditiorum cadaveribus interdum tumulabantur. Vide Legem ultimam ff. *de Auro & Argento*, ubi mulier in poſtremis tabulis hæc ſtatuit: *Funerari me arbitrio viri mei volo: & inferri mihi quæcumque ſepulturæ meæ cauſſa feram ex ornamentis, lineas duas ex margaritis, & viriolas ex ſmaragdis*.

Neque enim locus amplius erat Legi duodecim Tabularum, interdicenti inferre aurum in Sepulcra. Hæc autem cauſſa ſubinde fuit, cur per tot Sæcula & Principum Leges, & meliorum invectivæ contra Sepulcrorum violatores & effractores intonuerint. Hoſce Græci τυμβωρύχοι appellarunt. Scilicet ii rapti cupiditate impii, ac ſpe venandi auri in mortuorum tumulis, impias manus iis inferre conſueverunt. Adversùs iſtud perditiſſimum hominum genus complura Nazianzeni Carmina ego publici juris feci in Anecdotis meis Græcis. Diſertis autem verbis ibi ſanctus Poeta prodit, effoſſa fuiſſe Sepulcra εἵνεκα χρυσοῦ, *auri cauſſâ*, atque Sepulcrorum vaſtationes eſſe *fraudolenti auri opera*, hoc eſt, Avaritiæ: χρυσοῦ ἔργματα δολίου. Et Carmine 150. quærens, cur tumulum improbus everterit, ſubdit: χρυσὸν ἔχοι σκοτίην, *ut aurum tenebrionem haberet*. Illud certum, non Ethnicos tantum, ſed & Chriſti fideles antiquis temporibus pretioſa ornamenta ſecum tuliſſe ad tumulum; neque Barbaris tantùm, ſed & Græcis ac Romanis id in uſu fuiſſe: ita ut quum Anno 1717. *Diſcus argenteus, fibula aurea, inaures ac anuli pariter aurei*, effoſſa in Peruſino quodam Sepulcro fuerint, ac inde translata in celebre Muſeum ampliſſimi Cardinalis Alexandri Albani, fruſtra contenderit Fontaninus Archiepiſcopus Ancyranus in Commentario, quo Diſcum illum illuſtravit, non alium quam hominem *Gothum* ibi fuiſſe ſepultum, quòd Gothis ceteriſque Germaniæ Populis mos eſſet, *cum theſauris & opibus ſuis cadavera humare*. Verùm, ut dixi, communis olim hic ritus fuit etiam Romanis, & Græcis, uti ex Quintiliano, Phædro, Sancto Zenone, Syneſio, Gregorio Magno, aliiſque conſtat. Suo autem tempore idem Sanctus Gregorius innuere videtur, jam deſiiſſe inſanam illam conſuetudinem. Attamen teſte Gregorio Turonenſi Lib. 8 Cap. 21. Hiſtor. Franc. circiter Annum Chriſti DXC. atque adeo Romanam Cathedram implente Gregorio Magno eodem, Brunichildis Reginæ *propinquus, mortuus ſine filiis, in Baſilica Urbis Metenſis ſepultus eſt cum grandibus ornamentis, & multo auro*: quæ poſt paucos dies prædonum manus ſenſere. Ad hæc quia fama diu viguit, in Veterum Sepulcris theſauros fuiſſe reconditos, diu etiam tumulorum effoſſores numerati ſunt, contra quos & ipſi Reges Langobardorum non unam tulere Legem. Neque hujuſmodi criminum exemplis caruere Sæcula ſubſequuta: nam vis illata eſt Principum præcipue atque Epiſcoporum Sepulcris, e quibus latrones plus lucri ſe capturos ſperabant. At vulgus ſuis indutum veſtibus efferebatur: quem uſum pauperes in Italia adhuc ſervant, immo fortaſſis & reliqui ſervabant Durandi tempore, qui in Rationali Lib. 7. Cap. 35. num. 40. ſcripſit: *Nec debent indui veſtibus communibus, prout in Italia fit*. Hoc ait Durandus, quia tunc apud quoſdam Galliæ Populos mos erat, & adhuc eſſe intelligo, ut defunctorum corpora Sindone involverentur ſecundùm veterum Judæorum morem, & Chriſti Domini exemplum. Immo idem Durandus addit: *Et, ut quidam dicunt, debent habere caligas circa tibias, & ſotulares in pedibus, ut per hoc ipſos eſſe paratos ad judicium repræſentetur*. Attamen ex quo Fratres Mendicantes, & piorum hominum Confraternitates invaluerunt, eorum veſtes a nonnullis adhiberi cœptæ ſunt in funere, reliqui vero Cives oblongâ, modeſtâque veſte induti ad tumulum deferuntur. Animadvertit etiam DuCangius in Gloſſar. Latin. Pallas, ſive Pallia, ſeu Stragula, tumbis ac monumentis non minùs *Sanctorum*, quàm *Nobilium & honoratiorum* fuiſſe impoſita. Rei teſtem profert ille Titul. 17. Cap. 4. Legis Salicæ, ubi legitur: *Si quis Ariſtatonem ſuper hominem mortuum capulaverit, ſexcentis Denariis culpabilis judicetur*. Eadem ſententia fuit Pitœi, Lindenbrogi, Bignonii. Et ſane hujus moris exempla minime deſiderantur. Verùm e Salica Lege, palpando tantùm in tenebris, hoc exculpas. Eccardus noviſſimus ejuſdem Legis interpres, rectius ſubodoratus eſt, *Ariſtatonem* fuiſſe *ex ligno fabricatum*, hoc eſt, *ligneum ædificium*, tumulis mortuorum impoſitum. Sententiam Eccardi confirmare poteſt Codex MStus Salicæ Legis in Eſtenſi Bibliotheca adſervatus, ubi lex illa hiſce verbis concepta eſt: *Si quis Ariſtatonem, (ideſt Bancularii) ſuper hominem mortuum capulaverit* &c. Nomine *Bancularum* a *Banco* deſignantur Cancelli lignei tumulis impoſiti. Vide Titul. 57. Cap. 3. ejuſdem Legis, ubi ſecundùm editionem Baluzii legimus: *Si quis Ariſtatonem, hoc eſt, Staplum, qui ſuper mortuum miſſus eſt, capulaverit; aut Mandualem, quod eſt eá ſtructurá, ſive Selave, qui eſt ponticulus, ſicut more antiquorum faciendum fuit*. In Eſtenſi Codice ejuſdem Legis habetur: *hoc eſt Scaplum* &c. *Mandualem, quod eſt aſtructura, ſive Selave, qui eſt ponticulum, ſicut mos antiquorum fuit faciendi*. Quæ omnia, licèt

cèt

eet obſcura , indicant tamen , ſtructuram, ſive ædiculam quampiam ligneam , & cancellos ad Sepulcra mortuorum condita fuiſſe . In editione Eccardi non eadem ſunt verba , ſed idem ſenſus eſt , aut inde eruitur .

Ceterum quod officii & nos præſtamus , ſcilicet claudendi morientibus oculos, priſca quoque gens tam Græcorum , quàm Romanorum præſtitit. Componebantur autem ab ipſis Græcis & Latinis cadavera divitum ſuper Lecto in veſtibulo domus, pedibus ad oſtium converſis , atque horâ debitâ in eodem Lecto efferebantur ; quem morem , a nobis adhuc ſervatum , accepiſſe ab antiquioribus majores noſtri cenſendi ſunt . Perſius Satyrâ 3. Verſ. 103.

- - - - - - - tamdemque beatulus alto
Compoſitus Lecto , craſſiſque lutatus amomis ,
In portam rigidos calces extendit .

Atque ab iis Lectis defluxiſſe ego cenſui vocem noſtram *Cataletto* , ut monebo in Diſſertatione XXXIII. *de Orig. Voc. Italic.* Ad funus Magnatum , quos ordo Militaris decorabat , & Principum in primis, ingens pullatorum hominum turba , & equi phalerati , ſive cooperti , nullo ſeſſore , Vexilla & Clypei cum Inſignibus , honoris cauſsâ procedebant . Inter Vergerii Epiſtolas Tom. XVI. Rer. Ital. pag. 190. & ſeqq. graphice depictum habes magnificum funus Franciſci Carrarienſis ſenioris . Patavii domini . Sed quoniam præ ceteris apud Italos omnium animos in admirationem rapuit pompa funeris Johannis Galeatii Vicecomitis. primi Mediolanenſium Ducis Anno MCCCCII. peracti , cujus deſcriptionem evulgavi Tomo XVI. Rer. Italicar. pag. 1019. & ſeqq. heic ultra immorari nolo : habet enim Lector illic , unde ſibi fiat ſatis , ac unde a tanto exemplo reliqua metiri poſſit . Verùm quia æmulatio ac ambitio minorum gentium Patriciis , ipſique etiam vulgo ſenſim ſuaſit , ut ſuis vitâ functis laudationem quoque funebrem conquirerent , ſublata multis in locis penitus eadem conſuetudo fuit , pœnâ indictâ ſecus facientibus . In Statuto MSto Mutinenſis Reſpublica Anno MCCCXXVII. Lib. 2. Rubricam 46. inſcribit *de non concionando pro Mortuis* , & Legis hujuſce verba addit : *Nullus debeat reſpondere concionando* ad Mortuos , *ſive ad domum , ſive ad Eccleſiam* . Ibique etiam ſtatuitur , *ut nullus debeat ire ad Septimas* (hoc eſt , Officia ſeptimo ab obitu die celebrata) *nec de ſua parentela , nec de aliena.* Neque enim hominibus ad luxum proclivibus ſat erat , ipſo die ſepulturæ funus , quanto poterant , familiarium & amicorum comitatu proſequi , ingentemque ceræ copiam in eo apparatu inſumere , ſed etiam ſeptimo , ac trigeſimo , & anniverſario die ſacra pro defuncto curantes , lugubrem hanc pompam non ſine aliorum incommodo & impenſâ repetebant . Quod etiam rideas , defuncti hominis heredes eodem exequiarum & humationis die , ut amicorum & affinium laborem aliqua ex parte levarent , eos ad lautum convivium adhibebant , cyathiſque intercurrentibus , tum ſuam tum aliorum mœſtitiam temperabant . Modum aliquem ſtatuerunt hujuſmodi prodigalitati conditores Legum municipalium Mediolani . Habes Part.II. Cap. 471. hoc Decretum : *Poſt mortem alicujus ad exequias , vel ſeptimum , vel trigeſimum, in Civitate nec Ducatu Mediolani , non ſit licitum alicui ſtare ad comedendum cum familia defuncti vel defunctæ in domo defuncti , vel defunctæ , niſi fuerit agnatus vel cognatus uſque ad quartum gradum incluſive.* Cereorum quoque ad feretrum deferendorum , & Crucium, ſive Ordinum Religioſorum numerum ad exequias advocandorum, in pleriſque Statutis præſcriptum videas . Præterea in eiſdem Mediolanenſium Statutis Part. 2. Cap. 447. hæc leguntur : *Nullum cadaver induatur taliter, quod diſcoopertum deferatur , nec diſcoopertum portetur , nec in Eccleſia diſcoopertum teneatur , ſub pœnâ* &c. Idem quoque in Statuto MSto Ferrarienſi Lib. 6. cautum invenio . Quod ſane aliis Populis minime probatum eſt . Pœnam quippe indixere efferentibus cadavera , quorum aſpectus oculis circumſtantium eriperetur ; nimirum ut multis fraudibus , quas enumerare ſuperfluum puto , præcluderetur aditus .

Porro notiſſimum eſt , apud veteres Romanos in uſu fuiſſe *Præficas* , hoc eſt , Mulieres , quæ pretio conductæ , ejulatibus , fictis lacrymis , laceratis crinibus , & lamentabili ad tibiam cantu , aut ad lectum mortuorum , aut dum cadavera efferebantur , lugubre ſpectaculum præbebant . Unum Lucilium audi Satyrâ 22. apud Nonium Marcellum .

- - - - - - - - - - - - mercede quæ
Conductæ flent alieno in funere Præficæ ,
Multo & capillos ſcindunt , & clamant magis.

Judæos quoque ejuſmodi feminis ad funera uſos , indicare videtur Hieremias Cap. 9. ubi *lamentatrices* appellantur . Mihi nullo negotio perſuadeatur , Italicum Populum per plurima Sæcula eumdem continuaſſe morem . Falcone Beneventano teſte in Chronico , Guilielmus Apuliæ Dux , Roberti Guiſcardi nepos , finem vivendi fecit . *Continuò ejus uxor crines ſuos , quos pulcros & ſuaves nutrierat , coram omnibus , qui aderant , totondit , & lacrymis manantibus , vocibuſque ad aſtra levatis , ſuper Ducis defuncti pectus projecit . Populus quoque crinibus , geniſque evulſis , Patrem eorum & Dominum mirabiliter invocabant* . Paria Homerus quoque tradit facta in funeribus antiquorum . *Cantatrices* ejuſmodi feminis nomen erat . Quod quum ſuperſtitioni proximum Majoribus noſtris videretur , & riſum ſæpe , ut arbitror , earum geſticulationes , falſique ululatus excitarent , digniſque & indignis officium idem perſolveretur : ideo Legibus cautum eſt , ne iis locus amplius in hominum funere palam eſſet . Statutorum Mutinenſium collectio , Anno Chriſti MCCCXXVII ſcripta , Lib. 4. Rubric. 172. hæc ſtatuit : *Nulla perſona audeat extra domum , in qua fuerit aliquis mortuus , plorare fortiter , vel plane , nec palmas ſive manus ad invicem percutere , vel diſcaviare , nec in Eccleſia , nec per viam , eundo ad Eccleſiam .* In ſupra memorato Statuto Ferrarienſi , quod exaratum Anno MCCLXIX. Eſtenſis Bibliotheca adſervat , eodem Lib. 6. decernitur , *quod nemini de Civitate Ferrariæ , ſeu Burgis , liceat levare corruptum* (apud nos enim perdurat adhuc *fare il corrotto*, ſive *lo ſcorruccio* , ſed ad deſignandum tantummodo lugubris veſtis uſum in luctu pro funeribus) *ſeu Plangere altâ voce propter aliquod corpus mortuum , poſtquam ipſum corpus extractum fuit de domo , & portabitur , ſeu portatum fuerit ad Eccleſiam , pœna* &c. *Et quod aliquæ Mulieres non poſſint nec debeant ſequi aliquod corpus , nec ire ad Eccleſiam , quando portabitur , ſeu portatum fuerit ad Eccleſiam , pœnâ* &c. Formula autem illa *levare corruptum* heic mihi potius creditur ſigni-

ſignificare lamentabiles voces ac ejulatus, quæ funerum occaſione emittebantur. Ita Mediolani, Anno MCCXCII. teſte Gualvaneo de la Flamma in Manipulo Florum Cap. 331. Tomo XI Rer. Italicar. fuit ordinatum, quod Mulieres funera non ſequerentur. Attamen, ut audio, in Corſica regione Fori Julii adhuc in uſu eſt virginum fletus ac lamentatio ad funus ſuorum, quod officium octavo etiam die repetunt. Educantur quoque illæ ad hanc artem ſtudio non modico, ut rite ſuo munere fungantur. Sed cur olim Cantatrices appellatæ ejuſmodi feminæ? Quia Rhythmicis verſibus memoriæ commendatis mortuorum laudes multis in locis canebant, & uno aut paucis Rhythmis fine delectu omnium ambitioni ſatisfaciebant, virtutes commemorando, quas fortaſſe numquam in ſe defuncti agnoverant, immo contrariis interdum vitiis omnino conciliarant. Egregium hujus moris documentum debemus Clariſs. Du-Cangio, qui in Appendice ad Gloſſar. Latin. e MSto Libro Boncompagni Florentini, Rhetoricæ humaniorum Litterarum Profeſſoris, Anno MCCXIII (uti jam monui Tomo VI Rer. Italicarum) fruſtulum hujus antiquitatis nobis exhibet. *Dicuntur*, inquit Boncompagnus, *Romæ quædam feminæ pretio mercenario ad plangendum ſuper corpora defunctorum, quæ Computatrices vocantur, ex eo quod ſub ſpecie Rhythmica nobilitates, divitias, formas, fortunas & omnes laudabiles mortuorum actus computant ſeriatim. Sedet utique computatrix, aut interdum recta, vel interdum proclivis ſtat ſuper genua crinibus diſſolutis, & incipit præconia laudum voce variabili juxta corpus defuncti narrare, & ſemper in fine clauſulæ, oh vel ih! premit more plangentis. Et tunc omnes aliæ inter ſe ipſas flebiles voces emittunt. Sed Computatrix producit lacrymas pretii, non doloris.* Ex Boncompagni verbis elicio, ejuſmodi feminas non *Cantatrices* a Cantu, ſed *Contatrices* a *Contando*, ſive *Raccontando*, ideſt a Narrando egregia Defunctorum facta, fuiſſe, ſaltem apud Italos, appellatas: nam *Computare* eſt *Contare*. Præterea ex hactenus delibatis intelligimus, non ſublatas prorſus fuiſſe Præficarum veterum nænias & conſuetudinem, ſed illas dumtaxat juſſas fuiſſe abſtinere publico, & licuiſſe eis ficta lamenta profundere intra ædes defuncti. Sed quum parum id videretur mortuorum heredibus, inanis gloriæ cupidis, ſenſim in deſuetudinem abiit, ita ut nullum ejus veſtigium, quod norim, apud Lombardos ſuperſit. Si qui ſunt, qui retineant, ſciant ſe noſtram minime commovere invidiam. Regienſes tamen in ſuis Statutis Lib. 7. Cap. 21. etiam interdixere, ne *per aliquam perſonam in domo defuncti, vel in via* &c. *fieret planctus vel ululatus aliquis cum clamore & altá voce, vel forſitan percutere cum palmis elevatis* &c. Decreverunt etiam, non licere in poſterum heredibus vel propinquis defuncti *fieri facere per Civitatem aliquod præconizamentum de eundo ad ipſum mortuum ſeu ad ſepulturam ipſius mortui* &c. quæ indicant, antea ingenti Civium commotione curata fuiſſe mortuorum funera. Ritum hunc tamen Turcæ retinent, a quibus Mulieres conducuntur, mortuis parentaturæ. Hoſce illæ ululatibus horriſonis, lacrymis, laudibus etiam intermixtis, ita perſequuntur, ut incredibilem ac moleſtiſſimum auditoribus ſtrepitum edant. Auctorem habeo Cornelium Bruynum in Libris ſuarum peregrinationum.

Quantum per complura Sæcula primitivi Chriſtiani Bigamiam, veluti intemperantiæ ſignum, deteſtati fuerint, & quid Eccleſia in variis Conciliis hac de re olim ſtatuerit, neceſſe non eſt, ut ego ediſſeram. Hac de re aliquid innui in Diſſertatione XX. *de Medicorum Artibus*. Neque heic locus eſt, re præſertim inter eruditos notiſſimâ, uſque adeo, ut Bigamia Irregularitatem ad ſacros Ordines adhuc pariat. Ac tametſi nemo ignoret, ſecundas Nuptias inire perpetuò licuiſſe Chriſti Fidelibus, conſuetudo tamen Eccleſiæ abhorrentis olim ab ejuſmodi nuptiis, quamquam antiquata, veſtigia ſervat in Populis compluribus Italiæ noſtræ. Nam ſi quando Vidua plebeja cum Viduo per ſacrum connubium copulatur, tunc vici illius habitatores dicteriis, ſibilis, vaſis fractis e feneſtrâ projectis, dirè plaudunt novis conjugatis. Hic Mutinæ mos. Immo & heic ab antiquo tempore multa ad rationem dotis auferuntur ab iis, perſolvenda famulis Principis noſtri: adeo verum eſt, non facile tolli poſſe e Populo quaſdam conſuetudines inveteratas. Hunc etiam morem in Gallia viguiſſe, e nonnullis veterum actis intelligas, quæ publici juris facta fuere a Clariſs. viris Martene & Durand Tom. IV. pag. 654. & alibi Theſaur. nov. Anecdot. *Charivaris* appellabatur ſtrepitus illudentium ejuſmodi nuptiis: quæ vox adhuc perdurat apud Gallos. Ad alia, prout memoria ſuggerit, progredior. Maximo in uſu apud Græcos & Romanos fuerunt olim *Lotiones* & *Balnea*, unde *Balneare* proceſſit, atque inde noſtrum *Bagno* & *Bagnare*. Eadem & Orientales Populi nunc uſurpant, addito apud Turcas Religionis imperio. Diu, atque ipſis temporibus barbaricis, hunc morem Italia, immo & reliqui Europæ Populi, retinuerunt, quem nunc a paucis, aut a nemine obſervatum videmus. Ad alia propero. Secundùm Legem Langobardorum omnes liberi, niſi juſta cauſſa interceſſiſſet, patri in hereditate ſuccedebant. Neque enim tunc Primogenituræ, Majoratus, Fideicommiſſa audiebantur, quæ nunc in foro tot lites excitant, neque ægro animo a Judicibus, cauſſarumque patronis excipiuntur. Hæc invexit, aut reſtituit poſterior ætas. Alium morem fuiſſe Francis, ſive Salicis, nondum certo teſte didici. Proinde fiebat, ut in rebus individuis, aut communi jure poſſeſſis, unus *medietatem*, aut *tertiam*, *quartamve* partem, ejus verò filii *decimam*, *vigeſimam* &c. haberent. Sæpe etiam dividebatur hereditas, ita ut quiſque ſuam portionem bonorum a reliquis ſegregatam poſſideret. Atque inter alias cauſſas, quod agri in minutas particulas dividerentur, hæc etiam, & quidem præcipua, numeranda videtur. Nam ubi unum prædium partiri inter heredes opus erat; plures ex eo partes fiebant; ac deinde hæ ipſæ partes in nepotes diviſæ in particulas evadebant, ita ut patrimonia in fragmenta innumera tamdem declinarint. In grave Reipublicæ incommodum vergebat tanta agrorum conciſio, quippe tot disjuncta loca colere, aut rite excolere difficillimum erat. Itaque rationem majores noſtri excogitarunt reſtaurandæ hac in re agrorum culturæ. Decreta Populi Mutinenſis vidi, quibus Officiales creati ſunt (*Æſtimatores* appellabantur) eiſque data facultas cogendi unumquemque ad permutandum aut vendendum fruſtula agrorum finitimis ſuis, ita ut juſta prædia ex hiſce fragmentis conſtituerentur, liceretque eis *drizare* terras ac foſſata: ideſt, figuram rectam ac ordinem campis ac viis reſtituere. Neminem pigebit accipere,

pere, quæ tunc Mutinenſis Reſpublica ſtatuit, ex ejus vetuſto Regeſto manu exarato decerpta, quum alicubi fortaſſis exoptanda ſit agris male diviſis, aut in nimium minuta fruſta proſciſſis, par medicina. Quod Mutinenſes fecere, ab aliis quoque præſtitum novi: & ſunt Statuta, quibus eadem regula obſervanda jubetur.

Juramentum Prætoris Mutinenſis de Æſtimatoribus eligendis; aliaque Statura ad ipſorum officium ſpectantia: circiter Annum 1225.

EXtimatores ſine machinatione eligi faciam: qui jurabunt ſecundùm quod ordinatum fuerit a Conſilio obſervare. Quorum quilibet habeat domum in Civitate, quæ ſit ſua, ante electionem, & habeat valens in bonis centum Librarum Imperialium ad minus, in quo debeant habere ultra unum jugerem terræ ante diem electionis, ad hoc ut melius poſſint cognoſcere terram, & ſit major vigintiquinque annis. Qui Extimatores poſſint dare Curatores Minoribus in cambiis & diviſionibus, & de iis, quæ ad eorum officium ſpectant. Et habeat quilibet Perticam bullatam, & a quolibet capite ferratam, & ejuſdem groſſitudinis in capitibus; & nulla alia currere debeat per Civitatem & Epiſcopatum, niſi fuerit eodem modo bullata & ferrata, ut Pertica Extimatoris. Et non faciet ingroxationem de Villa in Villam alteri, parte invitâ, neque in Civitate, neque in Burgis, ſicut diffinitæ ſunt confines in Statuto Prechariorum, niſi conſenſu partium, vel in Caſtris & acceſſionibus Caſtrorum. Acceſſio Caſtri intelligatur juramentum Caſtri prædicti. Et Caſamentum non auferet alicui, niſi Caſamentum pro Caſamento, & vineam, niſi pro vinea, nec pecia . . . . ſit minus unâ perticâ. Et ſi quis habuerit terram per totum ab uno latere, & ab alio pro majori parte alterius cambium, bene poſſit fieri cambium invito provocato, ſi pecia provocati fuerit in terrâ cultâ minor uno jugere, vel vinea minor medio jugere. Sed ſi invenerit terram juxta terram alterius, a qua non habeat ab uno latere per totum, & ab alio pro majori parte, vel quam non poterat ei auferre per cambium, non valeat ingroxatio, nec eam faciat Extimator, niſi prius juraverit, quod eam accepit & acquiſivit animo retinendi, & domino non reſtituendi, & quod eam non reſtituet venditori, vel ei qui eam dedit uſque ad quinque annos, habente ſemper acquiſitore uſumfructum ejus. Et ſi contra factum fuerit, revertatur provocatus ad ſuam ſuâ auctoritate impune: nec contra voluntatem alterius partis ingroxatio ingroxabit de vineâ peciam majorem medio jugero, & de aliis terris peciam majorem medio jugero, niſi provocans voluerit totam ſuam terram in una parte in eodem loco ſibi aſſignari. Quo caſu ſi petia illa ſit vel fuerit major etiam duobus jugeribus, vel quantacumque fuerit, ab una parte aſſignabit; intellecto, ſi pecia vineæ ſit major medio jugero, vel petia alterius major uno jugero. Si fuerit plurium conſortum, intelligatur uniuſcujuſque quantùm ad evitandum ingroxationem, præter de boſchis, qui non ſunt ita diſtingui, in quibus quantitas non taxatur, quantacumque fuerit pecia boſchi. Et quod Exſtimatores non poſſint contra voluntatem alicujus partis auferre petiam boſchi alicuius per cambium, ſive ingroxamentum, quæ ſit duorum jugerum vel pluris, niſi ſuum boſchum voluerit ſibi deſignari ab uno latere, quem habuerit inter boſchum alterius, nec alicui invito pro ſuâ terrâ cultâ boſchus pro cambio dari poſſit. Et ſi pecia vineæ unius partis fuerit minus uſque ad unam perticam quàm pecia alterius, non eo minus fiet ingroxatio, ſi de terrâ cultâ poſſit ei dare conſultum. Sed de vineâ quantitatis minoris XXXVI. tabularum poſſit fieri cambium, ſicut de terrâ cultâ alibi juxta terram provocati, & ſi non ſit de vineâ, vel ſi Dominus Caſamenti & vineæ hoc voluerit.

Statutum fuit, quod de Caſamentis non fiat cambium ſive ingroxatio de Villa in Villam invitâ alterâ parte. Et quod terras recochatas rectis finibus diſtinguat, & ſi non poſſit rectis finibus diſtinguere, dabit de illa cocha conſultum de terrâ cultâ alibi juxta terram provocati in eodem territorio, & eas diſtinguat eodem modo, quo ſibi meliùs viſum fuerit. Et ſi quod de cocha, quæ drizari non poſſit, cambium alibi, cujus cocha eſt, dari non debeat, nec ab eo auferri, ſi promotione illius cochæ jugis minuatur, nullâ contrarietate in hoc Statuto huic capitulo obſtante. Et quod Exſtimatores non poſſint facere cambia vel drizatam vel aliquam remotionem de illo, & contra illum, qui habeat duas bubulcas terræ, & ab inde ſupra, in qua habeat domum, & habitet, & in qua habeat XXX. tabulas vineæ. Et quod ei, qui intra terram alterius terram habuerit, illam ab una parte exterius conſignabit, vel in eodem territorio, quamvis juxta eum non habeat. Et ſi ille, qui habet terram intra terram alterius poſtulaverit, cogam eum dare conſultum de illis terris vel alibi in eodem territorio. Intra terram intelligatur, ſi habet a duobus lateribus, vel a duabus partibus per totum; & pro ingroxatione & diviſione contentus ero pro uno Denario pro qualibet parte. Sed a Civibus Mutinæ pro datia nichil auferam. Nec ultra hoc ab aliqua perſona per ſe vel per alium accipiat, quàm non juxta terram provocati in omnibus peciis, in quibus dederit. In MCCXXVIII. Indictione I. additum eſt: ſive in una. *Et contra ſi petierit in una parte, non poſſit ei dare in pluribus partibus, niſi juxta terram provocati in omnibus peciis, in quibus dederit. Et ſi aliquis in terris alienis, quas habet ad fictum, jus in re habens provocetur ad ingroxationem, non fiet ingroxatio, niſi prius domino citato & præſente, ſi venire voluerit. Poſtea fiet ingroxatio invito domino. Item obſervetur, ſi ille, qui habet ad fictum, jus in re habens, provocaverit. Et ſi qui minor vel major auctoritate Tutoris vel Curatoris aliquam ingroxationem terrarum provocaverit, ſi provocatus fuerit, ſupraſcriptis & lectis ſtare compellatur, & ſecundùm quod ſtatuerunt, vel a præcedentibus ſtatutum eſt, obſervari faciat, quæcumque fuerint ingroxationes majores vel minores: ita quod res, quæ datur in loco illius, quæ accipitur, ſuccedat, ſive Feudum ſit, ſive Pignus, ſive reſtitutioni ſubjaceat, vel alii gravamini. Et ſi quæ res ab aliqua vicinancia, vel a pluribus, vel ab Univerſitate facta a*

XXX.

XXX. omni anno, & eum [illegible] querimonia facta fuerit, [illegible] & ſuam partem unuſquiſque faciat [illegible]. Et hoc obſervabit uſque ad exitum ſui Officii. In MCCXXVIII. Indictione I. additum eſt huic capitulo: Quod poſſit & debeat facere diviſiones terrarum communium inter aliquos alios, & toto tempore ſui Officii de ſuis terris, & ſuorum heredum, ſive eorum, qui erunt ejus Conſortes, vel ingroxationem non faciant, niſi fuerint ab aliis provocati. *In MCCXXVIII. Indictione I. additum eſt:* Sive aliquam partem ſuæ terræ alienaverit. *Et ſi quis permutantium dicat, terram ſuam, quam alius negat, illius eſſe, non credatur, niſi teſtibus idoneis vel inſtrumento probaverit ſuam eſſe. Nec poſſit alicui cambium valere, vel cambium evitare, ſi terram vicinus ſua prope ſuam poſitam acquiſiverit, niſi totam petiam terræ, quam vicinus ibi habuerit, ſuam fecerit. MCCXXV. etiamſi ab eo acquiſierit, quod partem prædictæ terræ juxta ſuam poſitam a vicino acquiſierit, ut prius fuit Statutum. Item plantamina arborum, non deferentium fructum, faciat reduci ad æqualem ſtaturam hominis, ſi querimoniam habuerit. Et ſi quis habet arborem pendentem ſupra terram alterius, quod damnum vicino faciat, teneatur dominus arboris uſque ad [illegible] brachia ad brachium Communis eam incidere in ſurſum vel vicino ſub extimatione Exſtimatoris arborem dictam vendere domino arboris reſervata electione vendendi vel incidendi: quod in montaneis locum non habere [illegible], qui iſtud poſſit facere, intra confines Civitatis Mutinæ & Caſtrorum incidere arbores. Item quod non accipiet pro expenſis & victuariis ſibi, & Notario, & Conſiliatoribus, & omnibus, qui ſecum erunt, ultra tres Solidos Imperiales in die, exceptâ datiâ Communis, & chartâ Notarii, ſecundùm quod ordinatum eſt. Et bonâ fide coæquabit permutationes in expenſis. De quibus expenſis dabit menſuratori & duobus Conſiliatoribus unicuique tres Denarios, vel dabit eis manducare. Et bonâ fide faciat quantaſcumque permutationes potuerit.*

Item permutationes terrarum factis conſenſu partium, ubicumque fuerint in diſtrictu Mutinæ poſitæ terræ ſine precio terminabit, niſi pecunia ab aliqua parte fuerit data. Et pro dacia non accipiet, nec accipi faciet ultra unum denarium pro Libra. In MCCXXVIII. Indictione I. huic capitulo additum eſt. Quod locum habeat in præteritis & futuris. Et Judices Poteſtatis debeant & poſſint firmare cambia, ſicuti extimationes terrarum, conſenſu partium factæ, & Advocati Communis. *Item quod non dabit terram alterius partis pro datis & expenſis alterius partis præſentis & abſentis. Et quod non faciet cambia a Caſale ſurſum ab una bubulca ſuperius, & non auferet niſi Caſamentum pro Caſamento, & Linarium pro Linario, & Vineam pro Vinea, quæ ſit * ultra contrarium unum ille, cui auferetur, & Canevarium pro Canevario. Et talia fiant ibi cambia, quod quælibet pars ſit ſalva uſque ad duplum; nec ultra alicui parti poſſit dari. Et quod Exſtimatores teneantur ducere ſecum ſuos Notarios, quando vadunt ad cambia facienda, qui ſunt cum eis electi in Officiis Communis, & non alios Notarios, ſi non ſtaret juſto impedimento. Et ſi controverſia fuerit de confinibus vel terminis terrarum inter duos homines, vel plures, illam controverſiam cognoſcant, vocatis partibus, ſi eſſe voluerint, & terminos inter eos ponant, aſſignando unicuique ſecundùm*

A *quod habere debent. Et ſi addere voluerint, nihilominus faciant, dum tamen denuntietur eis per octo dies, antequam terminos ponant. Et ſi quis dederit terram alienam a domino tunc poſſeſſam alicui per cambium ſine voluntate ejus, cujus fuerit cambium, non valeat; & ille, cujus terra fuerit, impune ad eam reverti, & eam poſſit retinere. Et ille, qui dederit, totis expenſis teneatur facere, & quinque Solidos Imperiales Communi pro banno ſolvat, ſi ab eo, cujus terra fuerit, querimonia facta fuerit. Et ille, cui terra aliena, ut dictum eſt, fuerit data per cambium, libere & impune, & ſine communi revertitur ad ſuam intra quinquennium, ab inde retro intra non ſine ratione. Et quod aliquis terram*

B *alienam, in qua non habeat jus in re, ſine præſentia & voluntate illius, cujus eſt, dare & aſſignare non poſſit alicui per cambium, vel ingroxamentum. Statutum eſt, quod unuſquiſque homo Epiſcopatus Mutinæ, ſive diſtrictus, qui habeat foſſatum pænes vicinum ſuum, teneatur dictum foſſatum communicare cum illo vicino, qui habet terram ibi prope juxta ipſum foſſatum, habito precio de medietate alicujus foſſati ad exſtimationem Exſtimatoris, ſi requiſitus fuerit ab illo, qui habet terram juxta illud foſſatum, teneatur accipere medietatem illius foſſati, & dare ei precium illius medietatis ad exſtimationem Exſtimatoris. Et quilibet poſſit*

C *illud foſſatum fodere, appellato altero. Et ſi voluerit cavare, ab octo diebus in antea poſſit alter ſolus cavare, & terram a ſua parte projicere. Et ſi aliquis habet terram juxta alterius, in qua velit fodere foſſatum de novo, teneatur Exſtimator compellere illum vicinum, communicare terram illius foſſati cum eo. Et habeat locum iſtud ordinamentum intra confines Civitatis Mutinæ, & extra per totum Epiſcopatum & diſtrictum Mutinæ; & propter hanc communicationem non intelligatur terra diminuta ad exſtimationem & ingroxamentum terrarum. Super facto Exſtimatorum, & Tabellionum eorum hoc ordinatum fuit, ut occaſione compromiſſi vel Laudi, vel aliquâ alia occaſio-*

D *ne non accipiant ultra id, quod continetur in Statuto extra. Et quod Exſtimatores Communis Mutinæ non poſſint cambiare, ingroxare, neque drizare in vineis, & terris, quæ fuerunt deſignatæ, & datæ Hominibus de Spimlumberto pro Communi, neque illis, quæ fuerunt deſignatæ illis de Finali pro Communi. Et ſi aliquis Exſtimator fecerit aliquod cambium contra Statutum, teneatur ipſe Exſtimator reſtituere expenſas illi parti, quæ probaret cambium eſſe factum contra Statutum. In MCCXXVIII. Indictione I. additum eſt huic Capitulo:* Sive præter Statutum & cambium non valeat ſive permutatio, ſive ingroxatio. *Nec poſſit, nec de-*

E *beat Exſtimator facere aliquod cambium, vel ingroxationem, niſi inter perſonas juriſdictioni Communis Mutinæ ſuppoſitas. Quod locum habeat in terris Eccleſiarum, quas habent ad donicatum, de quibus non poſſit facere cambia pro omnibus perſonis tam ſubjectis. In MCCXXVIII. Indictione I. heic additum eſt:* Contra eos, nec pro eis de aliis terris Epiſcopatus bene poſſint, quàm non ſubjectis. *Et in omnibus negotiis, quæ ante eos fuerint, pro eorum officio, æqualitatem & juſtitiam obſervabunt, & nominatim in conſiliis habendis ſine ſuſpicione in cognoſcendo vel determinando. Et ſi de cetero ingroxatio, vel diviſio facta fuerit, & aliquis intra decem dies ab ingroxatione, vel divi-*

A *diviſione conqueſtus fuerit, ſe in ea ingroxatione, vel diviſione facta deceptum, uſque ad ſextum audiat, & deceptum emendari faciat intra XXX. dies, niſi conſenſu partium remanſerit. In MCCXXVIII. Indictione I. additum eſt:* In eodem loco & eiſdem terris, de quibus deceptio eſt, ſi fieri poteſt, alioquin cambium ſive cambia non valeant, & quilibet ad ſua impune revertatur. *Elapſis autem XXX. diebus, Exſtimator debeat cognoſcere, & judicare de querimoniâ deceptionis factâ ſub eo, vel de qua cognoverit, & teſtes recipere inſtante eo, qui conqueſtus fuerit in deceptione intra X. dies, eo ſalvo, quod teſtes recipiantur intra XXX. dies, computando a tempore ingroxationis, de qua fuit facta querimonia, & non ultra. Et prae-* B *dictas ingroxationes non faciat, niſi ut ſupra legitur, & in Inſtrumentis ingroxationis poni faciat, quantum Feudi datur, & quantum nomine Feudi accipitur, & in quo loco, & cujus eſt Feudum, hoc cognito per confeſſiones Vaſſallorum.*

Sacramentum Exſtimatoris.

E*Go Exſtimator juro bona fide, cambia, ſive permutationes, & drizatas, & diviſiones, ad meum Officium pertinentes, facere ſecundùm Statuta, & Ordinamenta Communis Mutinae, quae factae ſunt, vel fuerint ad utilitatem pro-* C *vocantis & provocati, ſecundùm quod mihi videtur poſſe fieri, remoto omni odio & amore & timore, praemio, precio, & precibus; & permutationes ſive cambia vel diviſiones vel drizatas aliter non faciam, niſi ſecundùm Statuta, ut dictum eſt. Et omnem pecuniam, quae ad manus meas pervenerit occaſione hujus mei Officii, ſingulis tribus menſibus Maſſario Communis dabo, & talem qualem accipiam; nec fraude vitabo, quin ad manus ſuas perveniat illud quod ſtatutum eſt, ſed illud bona fide exigam & exigi faciam, ſcilicet Solidum unum Imperiale pro Libra. Nec de ea furtum faciam, nec fraudem, nec fieri conſentiam. Nec aliquod Feudum a Communi accipiam, vel accipi fa-* D *ciam, etiamſi Concio vel Conſilium mihi dare vellet; nec propterea dimittam, vel evitabo, quin ingroxationem & cambia terrarum faciam, ſecundùm quod potero, ſalvo eo quod dictum eſt ſupra de praedictis tribus Solidis a partibus pro expenſis. Quae omnia Exſtimator & Notarius per medium dividant, ſcilicet precium Chartae Notarii, & tres Solidi ſolutis chartis de eo, quod lucrati fuerint, factis expenſis communiter. Et quod non accipiam aliquod ſervitium vel viaticum, vel vecturam: ſed meis equis & meis expenſis, excepto eo, quod continetur in Capitulis Exſtimatorum. Nec propter hoc evitabo permutare in Montaneis. In MCCXXVIII. Indictione I. additum eſt in Sacramento & Ca-* E *pitulo Exſtimatorum:* Quod ingroxationes, cambia, & diviſiones non fiant diebus Dominicis & feriatis, & in feſtivitate Apoſtolorum, & Beatae Virginis Mariae, & tempore meſſium & vindemiarum, & diebus Paſchalibus. Et ſi de cetero fient, minime valeant. *Et in omnibus cambiis, ſive drizatis, vel ingroxationibus, vel me actore fient, in ſententia diffiniam & ſtatuam, quod de fructibus terrae utriuſque partis fieri debeant, ſi in ea terra fructus pendentes erant. Et illud obſervetur de fructibus, quod Exſtimator ſtatuerit in ſententia. Item ſtatutum eſt, quod in montaneis, ſcilicet a Caſtro Florani, & a Caſtro Spezani, & a Caſtro Marani, & a Caſtro Gorzani, & a Caſtro Predoſeri, & a Caſtroveteri, & a Caſtro Vignolae, & Caſtro Savignani, & Badiani ſuperiùs non fiant aliter cambia, niſi de conſenſu partium fuerit. Scilicet Caſamentum tantùm auferant pro Caſamento, quod ſit in eadem Villa, ſcilicet id quod datur & accipitur, & Vineam pro Vinea, dum tamen illa, quae eſt quartarium unum, vel plus, non removeatur, Canevarium pro Canevario, & Linarium pro Linario; & non auferatur alicui Boſchum, Caſtagnetum, Pratum, terra culta ſive inculta, quae fuerit bubulca una, vel ab inde ſupra, ſive pro cambio, vel ingroxatione, vel aliqua alia remotione. Et intelligatur, ſi omnes conſortes conſentiant ad cambium faciendum & habendum pro eorum communicare, caſſato Statuto, ſi quod contradicebat cambiis hinc retro factis a praedictis locis ſive confinibus ſuperiùs ſecundùm formam antiqui Statuti in ſua firmitate manentibus. Et pro terra, quae aufertur alicui, non debeat ei dare ultra duplum de terra alterius; & pro viatico ipſe, nec Tabellio, nec Menſurator, nec aliquis eorum pro aliquo aliquid accipiant; nec propter hoc evitabit ire in montaneis ad cambiandum, ſi requiſitus fuerit. Item Exſtimatores teneantur non facere aliqua cambia ſive ingroxationes a confinibus ſuperiùs deſignatis pro facto montaneae; in quibus & pro quibus cambiis & ingroxationibus aut diviſionibus dare debeant vel deſignare ultra triplum, niſi voluntate partium fuerit. Item ordinaverunt, quòd a ſerra de Legorzano, & a Ziliano, & a Trebanello inferiùs debeant fieri cambia, ſecundùm quod in plano fuerit ab inde ſupra, nullo modo non obſtante aliquo Statuto, quod contrarium eſſet, niſi de conſenſu fuerit factum, poſſit per Exſtimatores firmari.*

Sacramentum Notarii Exſtimatorum.

E*Go Notarius juro bonâ fide operam dare Exſtimatoribus, ut Extimatores ſuum ſacramentum obſervent, & daciam bonâ fide exigere & ricuperare, & eam bonâ fide cuſtodire, quae ad manus meas pervenerit, & dare ad utilitatem Communis Mutinae Maſſario Communis Mutinae ſingulis tribus menſibus conſenſu ipſorum Exſtimatorum, vel dari facere. Et quod in ſcriptis redigam quantum a qualibet parte datum erit pro dacia; & quod ponam in Inſtrumentis ingroxationum quantum Feudi datur, & quantum nomine Feudi accipitur, & in quo loco, & cujus eſt Feudum, hoc cognito per confeſſiones Vaſſallorum. Idem obſervabo, ſi fuerit Precaria, vel Pignus, vel Libellus, vel Afficta, aut in perpetuum Conducta, vel aliis aliquibus gravaminibus ſuppoſita, hoc cognito per confeſſiones Vaſſallorum, Precariorum, Libellariorum, & aliorum omnium habentium terras aliquibus gravaminibus ſuppoſitas, & intra XXX. dies, poſtquam permutatio facta fuerit vel ingroxatio; inſtrumentum bona fide faciam, & parti, ſi petierit, dabo; & pro inſtrumento ingroxationum non accipiam niſi duos Imperiales ab unaquaque parte, & homines bona fide coaequabo in expenſis. Et quod apponam fines terrarum permutatarum in Chartis, ſi mihi dictae fuerint. Et uſque ad tres annos a tempore depoſiti Officii non ero in ſimili Officio Communis, ſed in omnibus aliis Officiis Communis & negotiis, pro ut in aliis Statutis continetur, bene poſſint eſſe. Et teneatur inſtrumentum ingroxationum, quod conficiam,*

ſtatis terrarum utriuſque partis ponere: & illud, quod Extimator dixerit de fructibus proventuras, vel ſtimaverit, in ſtrumentis ponere bona fide, & ſine fraude, & conſcium, quare dictum conſtitum ſuit, in dicto inſtrumento ponere teneatur.

Antiquis Romanis in uſu fuit, ſi quando tabellæ victoriam nuntiantes deferebantur, eas lauro frondibus ſpectanda ornare: ſi quid verò adverſi, pinnæ in eiſdem epiſtolis inſixæ videbantur. Aut baſtis laureis in ſummo, ſive pennæ additæ fuere. Servium in Lib 9. Æneid. & Juvenalem in Satyr. 4. teſtes habeo. Ita inſtitori ævo noſtri pacis olivæ ramos adducebant, ut Populum vel tacentes docerent, quid ageretur, atque primo conſpectu exhilararent. Qui verò Nuntii a Principibus ad Principes, ſive Urbes liberas, mittebantur, aliquid fauſti denuntiaturi, immo & bellum indicturi, hos novis veſtibus indutos, in quibus inſignia Principis, aut Urbis Nuntium accipientis, texta aut acu picta habebantur, remittere conſuetudo fuit. De *Titulis* etiam honorificis, quibus antiqua Secula uſa fuere, eſſet mihi aliquid diſſerendum. Verùm in ejuſmodi argumento tanta notionum copia, tantaque varietas occurrit, ut nolim ſylvam horrentem ac ſpiſſam niſi e limine ſalutare. Itaque hoc unum advocabo, videlicet poſt declinationem Imperii Romani, & invectos in Italiam barbaros, non ſeces atque in veſtibus, cibis, aliiſque rebus, in Titulis quoque luxum deſiiſſe. Hinc ſaltem fructum in tanta morum corruptela & iniquitate temporum tulere majores noſtri, ut tunc modeſte ſe habere didicerint, neque adulationis antea invectæ conſiliis abripi diu ſe paſſi fuerint. Romani quippe quamdiu operam dedere fortitudini, ceteriſque virtutibus, temperantiam quoque & modeſtiam enixe coluere, atque ab ambitioſis Titulis abſtinuerunt. At ubi re in Imperatores translatâ, ſenſim aſſentatio creſcere cœpit, qui e Civibus non opibus tantùm atque muneribus, ſed & ſuperbiâ reliquis præibant, grandes titulos ab aliis accipere, & majoribus effuſe impertiri mirum in modum amarunt. Raro barbaricis temporibus in oculos tuos incurrat Titulorum immanis pompa & exceſſus *Domni*

A Titulus, ſimplex & vetuſtiſſimus, quippe uſitatus Sæculo etiam Vulgaris Epochæ quarto, apud Chriſtianos per plura ſubinde Sæcula viguit. Quæ vox, quamquam e *Dominus* contracto prodierit, obſervata tamen fere ſemper diguoſcitur ad Homines honorandos, quum Deum tantummodo, ejuſque Filium Salvatorem noſtrum, appellare *Dominum* ſolerent. Itaque paſſim videas Comites, Marchiones, & Duces, eorum ſcilicet temporum Principes, aut nullo titulo addito commemorari, aut *Domni* dumtaxat vocabulo donari: cujus loco apud nos ſucceſſit *Signore* a Latino *Senior*. Immo & ipſi Imperatores, ac Reges, ipſique etiam Romani Pontifices, *Domni* appellatione B contenti erant. *Domnus Hugo Rex*, *Domnus Berengarius Auguſtus*, &c. in tabulis ipſis, quæ ante eos legebantur, tibi identidem occurrent. Ita *Domnus Apoſtolicus* Papam a reliquis diſtinguere conſuevit. Interdum ſane inter Regum & Auguſtorum Titulos honorarios ſeſe nobis offerunt, *veſtra Altitudo*, *veſtra Celſitudo*, *veſtra Eminentia*, *veſtra Dominatio* (nunc *voſtra Signoria*, ſive *Voſſignoria*), *Excellentiſſimus* quoque, & *Sereniſſimus*; uti & Titulus *Beatitudinis* & *Beatiſſimus*, & *Reverentiſſimus*, Epiſcopis, & præcipue Pontificibus Romanis collatus. Plerique tamen uno *Domni* titulo utentes, honorem ſummis ipſis Viris atque Principibus habebant. C Monachi titulum *Domni* retinuerunt, & alicubi Sacerdotes, eoque etiam in ſe ſubſcribendo utuntur: quod ridendum videri poſſit, quum idem ſit *Domnus*, & *Signore*. Ita Sæculo XIV. Italicos Principes non aliis decoratos titulis plerumque invenias, niſi *Illuſtris*, *Magnifici*, & *Potentis Principis*. Porro quantum in exceſſum poſtrema duo Sæcula hac in re declinarint, poſtquam videlicet Hiſpanicæ gentis faſtus Italicorum mores infecit, nihil eſt, quod ego commemorem. Quod pejus eſt, cæca noſtra ambitio, cui nunquam finis ac modus, graviora adhuc minatur, dum quiſque minor ad majorum honores inhiat, tituliſque ventoſis ſinguli delectamur & paſ- D ſcimur. Sed manum e tabulâ tollere præſtat.

DE

DE
ARTIBUS
ITALICORUM
POST INCLINATIONEM
ROMANI IMPERII.

DISSERTATIO
VIGESIMAQUARTA.

DISSERTATIO DECIMAQUARTA.

RUdia & barbarica Sæcula appellavi, atque appellare pergo, quæ a Barbaris in Italiam delapſis, atque heic conſtabilita dominatione regnantibus, deinceps effluxere uſque ad proxime præterita, quibus elegantiæ priſtinæ reſtituta eſt hæc noſtra regio. Heic autem inveſtigare juvat, quo in loco Artes forent infauſto eo tempore: nam & hoc pertinet ad faciem ævi illius rectiùs dignoſcendam. Primò itaque ſtatuo, quod eſt ad Artes homini ad vitam neceſſarias, & ad pleraſque etiam ad commodum aut voluptatem compoſitas, eas numquam deperiiſſe, vel poſtquam in Italicam regionem invecta eſt barbaries. Primas præcipue, etſi heic Barbari non inveniſſent, ſecum tamen comites adduxiſſent: quippe ne ulla quidem tunc fuit aliquantulum culta Europæ regio, cui non eſſent opifices, ad explendas humanæ vitæ neceſſitates opportuni; atque horum numquam, dum tellus ſtabit, excidet genus. Nemo igitur in Italia iis ipſis temporibus deſideravit Piſtores, Textores, Fullones, Sutores, Figulos, loricarum, enſium, aliorumque armorum Artifices, Sarcitores, Fabros ferrarios, Cæmentarios, Aurifices, Carpentarios, alioſque ejuſmodi non paucos. Atque inter eos hoc peculiare notandum eſt, Cæmentarios, ſive Fabros, ut ajunt, Murarios, ſingulari vocabulo ſub Langobardis appellatos fuiſſe *Magiſtros Comacinos*: quod conſtat e Lege 144. & ſequenti Rotharis Regis. Minime audiendus Hugo Grotius, qui *Comacinum* interpretatur *Architectum*, eamque vocem ex Germanico *Gemach*, ſignificante *Domum*, deducit. *Gemach* Teutonicum potius *Conclave*, *Penetrale* ſignificat, quàm *Domum*. Sed, ut ut velis, ſignificet, *Gemachinus* non *Comacinus* inde efformatum fuiſſet, ſi hæc voci illi tribuenda foret origo. Lindenbrogius & Du-Cangius vocem a loco effictam cenſent, *a Comacina forte inſula in Romanula, ubi Langobardorum ævo periti architecti fuerint*. Ea profectò vox a loco deſumta, non autem a loco poſito in *Romanula*, ſive *Romandiola*, quam veteres Flaminiam dixere, ſed ab Urbe & Comitatu Novocomenſi, ſive Comenſi. Veteres enim dixere *Lacum Comacinum*, *Inſulam Comacinam* pro *Comenſem*. Quod crebros, eoſque omnium peritiſſimos Cæmentarios univerſæ fere Langobardiæ ſuppeditaret Urbs & ager Comenſis, illi propterea *Comacini* nomine donati ſunt. Adhuc inde multi id genus artifices ad nos veniunt, & adhuc *Magiſtri*, ſive Italice *Miſtri* & *Maeſtri* nuncupantur. Sunt Matthæi Villanii verba Lib. 8. Cap. 58. *Tutti maſchi e femmine, piccoli e grandi, vi furono per Maeſtri e Manovali*. Ita & apud alios Scriptores. Eâdem de cauſsa temporibus barbaricis ad victum homini quærendum, & ad excolendos agros, nunquam defuere periti ac ſagaces Ruſtici & hortulani, inſtrumentaque omnia agriculturæ. Eoſque Ruſticos honorifico interdum titulo *Magiſtri* donatos invenio. Vide Chartam Anno Chriſti DCCLXXIX. ſcriptam, quam evulgavi in Chronico Vulturnenſi pag. 363. Part. II. Tomi I. Rerum Italicar. Ibi

A hæc verba: *Nunc & Magiſtros, hoc eſt, Villanos, qui cum mannarias ſuas ſoliti fuerant in ſupraſcripta Curte Magiſterium facere, ideſt Lupari, &c.*

Atque heic mihi præfari liceat, accepiſſe nos ab antiquis Sæculis, & adhuc apud agricolas noſtros ſervari varias annonæ & leguminum ſpecies, quæ antiquum retinent nomen; ſed & alias eſſe, quæ aliud ſubiere vocabulum, propterea que non tam facile cum iis comparantur, quæ apud veteres rei ruſticæ Scriptores occurrunt. Fortaſſis etiam aliquas habemus, quas antiqui ignorarunt, qualis certe eſt *Granum* ſive *Frumentum Turcicum*, appellandum potius *Indicum*, quod nos *Frumentone*, B Mediolanenſes *Melgone*, Indi *Maiz*, aliique aliis nominibus donarunt. Sunt enim nobis duæ illæ *Tritici* ſpecies, *minuti* & *groſſi*, quas in Diſſertatione XIV. *de Servis* invenimus. Sunt & nota nomina *Hordei*, *Milii*, *Panici*, *Fabæ*, *Farris*, *Ciceris* varii generis, *Viciæ*, quam *Veccia* dicimus; *Orizæ*, quæ nobis *Riſo* nuncupatur; *Cicertulæ*, quam Mutinenſes *Ciſercia* vocant, *Faſeolorum* multiplicis generis; *Lentis*, *Secalis*, quæ *Siligo* antiquorum creditur Mattiolo, Scaligero tamen repugnante; *Lupinorum*, *Avenæ*, *Piſorum*, quæ *Piſelli* Romæ & alibi, a Mutinenſibus verò *Rudea* vocitantur; cujus alteram ſpeciem habemus, quæ a Florentinis *Rubiglia* (fortaſſis C *Ervilla* Varronis) a ruſticis verò noſtris, & ab Hiſpanis dicitur *Arveia*. Neque a *Lupino*, ut opinatur Menagius, deſcendit vox *Rubiglia*, ſed ab *Ervilla*. Bobienſis Monachus, qui circa Annum Chriſti DCCCCXXX. florebat, in Lib. Miraculor. Sancti Columbani edito curâ P. Mabillonii in Sæcul. 2. Benedictin. pag. 43. *Legumen*, ait, *Pis* (fortaſſe *Piſi*) *quod ruſtici Herbiliam vocant*. Ab *Herbilia Ervilia*, denique *Erveia*, aut *Arveia*. Nobis præterea eſt *Spelda*, aut *Spelta*, quam Latini appellarunt *Zeam*. Sunt & aliæ ſpecies apud antiquos. Ajebam, nos non unam *Tritici*, ſive *Frumenti* ſpeciem numerare. At ſingulas etiam antiquis Latinis notas opinor, quum Columel- D la, & Plinius *Tritici genera complura* fuiſſe commemorent: Sed neſcio an & ii norint *la Scandella*, *la Mellica*, *il Moco* (fortaſſis *Ervum* iis erat) & *il Sorgo* in Veronenſibus & Vicentinis agris uſitatum, & alias fortaſſe ſingulares locorum fruges, quas numquam vidi, ſed audio minime deeſſe. Profectò occurrunt apud Latinos alia leguminum nomina, ſub quibus veri videtur ſimile, & noſtras haſce ſpecies comprehendi. Sed immorari heic ultra non vacat. Illud tantummodo animadvertam, variis nominibus apud varios ipſius Italiæ Populos eaſdem fruges interdum appellari, ac proinde hoſpites in rebus dignoſcendis ex ipſa vocabulorum mutatione quandoque nos E eſſe. Du-Cangius vir doctiſſimus in Charta Alexandri III. Papæ deprehendit pro *Scandela Comitis XIII. Solidos*. Alibi *Scandellæ* nomen offendit. Sed quid rei eſſet, non ſatis eſt aſſequutus. Eſt ergo *Scandella* genus frugum non ſecus atque Avena, Hordeum, & Zea, ſive Spelta, acuminato integumento veſtitum. *Mar-*

Marzuolo etiam apud Mutinenſes appellatur, quod Martio menſe ſeri traditur. In Creſcentii Libro de Agricultura, Italice reddito legi habeo: *L'Orzo Marzuolo, che a Bologna ſi chiama Marzolla, ſi ſemina per tutto il meſe di Marzo*. Antiquus Ægidius Menagius hoc vocabulum, atque in Libro, cui titulus *Le origini della Lingua Italiana*, ejus originem nobis exhibuit. Nempe *Mars*, *Martis*, *Martius*, *Marciolus*, *Marciolus*, *Margiolus*, *Margolus*, *Marzuolo*, *Marzolla*. At *Marzolla* numquam in rerum natura fuit. In Creſcentii Italicâ verſione ſcribendum eſt *Marzolo*, ſive *Marzuolo*, quo nomine & nos Mutinenſes communi cum Bononienſibus illam Hordei ſpeciem donamus, quod fortaſſis eſt *Hordeum Cantherinum* ab antiquis ruſticæ rei Scriptoribus memoratum. Præterea in Charta Innocentii IV. Papæ Du-Cangio occurrerunt hæc verba: *In frumento, hordeo, faba, milica, & aliis bladis* (*Bladi* enim voce nos fruges univerſas deſignare conſuevimus) *& leguminibus*. De hac lectione, ſcilicet de voce *Milica*, dubitavit vir eruditus, ac ſubjecit *an Milium*? Non Milium, ſed *Milica* legendum: ita enim nos Itali appellamus: atque is oblitus fuit, ſe alibi *Milicam grani ſpeciem*, de qua paſſim veteres Chartæ Italicæ, recenſuiſſe. *Milium Indicum* idem eſſe ac *Milicam* cenſuit Mattiolus. Et nomen ſane, ac Plinii verba in eam opinionem conſpirant. *Sorgum* eſt Populis Etruriæ. Bauhinum, aliosque hallucinatos certe novi, quum idem putant *Milicam* atque *Sorgum*. Nimium hæc tum formâ, tum colore inter ſe differunt. *Sorgum* ſupra mihi memoratum, ciceris ad inſtar creſcit, ac ſua grana efformat, toto cælo a *Milicæ* granis diverſa. Ratherius Veronenſis Epiſcopus ante annos pæne octingentos in Opuſculo *de Monachis amoveatis ex Abbatiola* apud Dacherium, ejus nomen nobis ſervavit, ſcribens: *Milium modia decem: de Surico modia decem: de Vino modia duodecim*. Frumentum *Saracenicum*, ni fallor, a Mattiolo appellatur. Ita quum *Oplum* arborem idem Du-Cangius reperiſſet in Charta Deſiderii Regis apud Margarinum, & in altera Mathildis Comitiſſæ, ea voce *Populum* arborem deſignari cenſuit. Verùm *Oplus* eſt Italis *Oppio*, quæ arbor ad vites alendas æque ac Ulmus, aptiſſima eſt, uti jamdiu monuere Mattiolus, Menagius, & alii: neque *Populus*, ſed *Oplus* Latinorum dicenda eſt, de qua præter Columellam & Plinium Varro Lib. primo Cap. 8. ſcribit; *ut Mediolanenſes faciunt in arboribus, quas vocant Opulos*. Quòd verò Jonſtonus, Bauhinus, idem Menagius, ac alii *Opulum* Aceris ſpeciem ſcribant, referantque inter arbores *Nuciferas*, ii numquam aſpexiſſe, ac plane ignoraſſe mihi videntur, quid ſit Italica arbor *Oppio*. Sunt & alia complura, quæ nominibus prorſus variatis, nunc ægre agnoſcimus, quo vocabulo ſignarentur apud Antiquos, qui tamen iis minime caruerunt. Et quia

> ------ *non omnis fert omnia tellus*;

nos in alienæ regionis rebus ac moribus deſcribendis vix ab errore nobis cavemus.

Ad agriculturam autem ævi medii dignoſcendam aliquid conferunt Chartæ veterum, in quibus agri Locationis, aut Emphyteuſis titulo excolendi traduntur. En tibi Chartam Ferrarienſem ex Archivo Sanctimonialium Sancti Silveſtri depromtam, quam tamen diligentius deſcriptam optaſſem. Ibi hæc quoannis pendenda Monaſterio dicuntur: *De Grano, & Sica*, ideſt Sicala, *in campo Capa, quarta trahenda ad area, & tritolatum: Faba in area Modio quarto: Ordeata in area Modio quinto: omem alio majori menſe a minuto* (in aliis Chartis legi, *de omni alio majorimine & minuto*) *atque Legumina in area Modio ſexto: Lino Manna ſexta: Vino Amphora quarta: duabus vicibus arbore pecto ponendo & deſtorcendo &c.* Sed Chartam ipſam qualiſcumque ſit, accipe.

Bonafilia Abbatiſſa Aſceterii Ferrarienſis Sancti Silveſtri, terras in emphyteuſim concedit Urſæ, quæ vocatur Bocaroſola, Anno Chriſti 1083.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo Octuageſimo Tercio. Regnante Domno Heinrico Heinrici Imperatoris filio, Anno Vieſimo Seſto, die IX. Menſis Marcii, Indicione Seſta, Ferrarie. Petivi ad te quidem in Dei nomine Domna Adalaſia, *que vocaris* Bonafilia, *gratia Dei* Abbatiſſa de Monaſterio Sancti Silveſtri de feriori Burgo Ferrarie, *unaque conſenſu & largetatem Monache ejuſdem Cenobio conceditrice, uti mihi preſente in Dei nomine Urſa, que vocor Bocaroſola petitrice, ſeu filiis & heredibus meis Libellum nomini concediſtis, atque largiſtis mihi de rem juris Monaſterii Sancti Silveſtri. Ideſt omnes res ſeu ſortes, vel portiones tuas integras quantaſcunque abuit atque detinuit Paullo Martorello ad jure veſtra in fundo, qui dicitur Corizo maro, & in fundo qui dicitur Caſaliclo. Quæ omnia cum terris & vineis ſeu edificiis, caſis ſeu & Caſalibus, campis, paludibus, vel omnibus quantas ad ſupraſcriptas res: hæc omnia concediſti atque largiſti mihi ipſa petitrice, meiſque filiis & heredibus, ad abendum, tenendum, poſſedendum, laborandum, cultandum, paſtinandum, ordinandum, & diſponendum, defenſandum, & in omnibus meliorandum, in annis advenientibus viginti & novem ad renovandum, ſalvâ ſanacione Dominicâ, dandum pencionis renovetur. Ita ſane, ut deinde inferatis dominice rationibus ego ſupraſcripta petitrice, meiſque filiis & heredibus, tibi ſupraſcripta conceditrice tuiſque ſucceſſitrice annualiter* de Grano, & Sica in campo Capa quarta traenda de area, & tritulatum *per me ſupraſcripta petitrice, & de meis filiis & heredibus*, faba in area modio quarto, ordeata in area modio quinto, omem alio majori menſe a minuto atque legumina in area modio ſexto, lino manna ſexta, vino anfora quarta, duabus vicibus arbore pecto ponendo & deſtorcendo; *& poſtea ſit mihi petitrici conceſſum*, & ſi vineam plantaverim, da uſquequo plantaverimus uſque ad annis quinque, & poſtea rendere debeamus vinum, *ſicut ſupra legi-*

legitur, deductum atque conductum ipſum terratico dominio hic in Monaſterio veſtro Majore quidem dominico veſtro, vel veſtra dominacione cum onore & obediencia ſuſcipere debeamus hec ſucceſſione ei facere ſine dolo vel fraude. Et non abeamus licencia de ipſas res a nullo Placito andare, niſi ad te vel tuis ſucceſſitrice. Et ſi quis vero pagina noſtra contra os peticionis ire tentaverimus, & omnia que ſupra non obſervaverimus vel adimpleverimus, cum meis filiis & heredibus dare tibi ſupraſcripta conceditrice, vel a tuis ſucceſſitrice penam uncia una, & poſt manead in ſua firmitate. Quam ſcribere rogavi Ruſticus Chriſti miſericordiâ Ferrarienſis Tabellio, in qua manu mea propria firmavi que ſupra contradidiſti, ſub die Menſis & Indictione ſupraſcripta.

✠ *Signum manus ſupraſcripta Urſa, quæ vocatur Bocarofola petitrice, ad omnia ſupraſcripta, cui relectum eſt.*

In Chartis Ravennatibus, quas Archivum Eſtenſe complectitur, ejuſmodi penſiones fructuum naturalium ſæpenumero occurrunt. Charta Anni MCLXXXIV. *Et reddere debeamus Terraticum de prædicta terra, de Grano & Segale quartam partem: Faba & Tritico quintam: Vino tertiam partem, totum reddi tum tritulatum, & vectum per nos in Caſtro veſtro Argenteo* &c. Altera Anni MCXXXIII. habet: *de Grano ſtarium unum, & Gallinam unam, & de Lino gramulato leſineo triginta: ſignum & alia ſervicia vobis facere debeamus*. In alia Charta Anni MCLXXIV. occurrunt *triginta brancatæ Lini grammulati*. Ita in Charta Libellaria Landulfi Epiſcopi Ferrarienſis, ſcriptâ Anno MCVI. pollicetur Emphyteuta ſe daturum annuatim *Terraticum de Grano in campo Capam quartam: de Sicale in campo Capam quintam, trahendas ad aream, & trituratas per vos petitores: De Faba in area modium quintum: de Mixtura ingranata, & de Triſico, Mileo, & Panico, atque Legumine in area modium ſextum: de Lino Manna . . . . . . de Vino anforam terciam; duabus viteibus arbore pecto ponendo* &c. *Et pro veſtro caſale dabitis annualiter exſenium pullum unum, & ova quinque, & operas tres cum bovibus, & operas tres cum manibus*. Quod de Agricolis dixi, de aliis Artibus neceſſariis ad hominum vitam, multiſque etiam ad voluptatem excogitatis, dicendum erit. Carolus Magnus in Capitulari Anni DCCC. Tomo I. pag. 337. editionis Baluzianæ decernit: *Ut unuſquiſque Judex* (ideſt Civitati Præfectus) *in ſuo miniſterio bonos habeat Artifices, ideſt Fabros Ferrarios, & Aurifices, vel Argentarios, Sutores, Tornatores, Carpentarios, Scutatores, Precatores, Accipitares, ideſt Aucellatores, Saponarios, Siceratores, ideſt qui cerviſiam vel pomarium, ſive piratium* &c. *facere ſciant, Piſtores, Retiatores* &c. Quod ſolùm deerat Sæculis iis barbaricis, non eâ elegantiâ & perfectione quædam ex hujuſmodi Artibus tunc exercebantur, quam noſtris temporibus cernimus. Exempli cauſsâ & domus & templa condere perpetuo in uſu fuit: verùm poſt illapſas in Italiam barbaricas gentes, in fabricandi quoque Artem eorum barbaries irrepſit. Dum ædes ad tegendos & continendos habitatores attollerentur, fortique muro, bene contignato tecto, ac neceſſariis cubiculis inſtructæ extruerentur, rite ſuo munere functus erat faber murarius. Ornamenta, commoda, venuſtatem, partium diſpoſitionem rectam, aliaſque hujuſmodi dotes ædium, A quam nunc ſuſpicimus non in Urbibus tantùm, ſed & in pleriſque Caſtellis, raro deprehendiſſes. Nam ad conſtruenda ædificia firma, quantùm ad hominum habitationem attinet, ſtructor quiſque in Arte hac paululum exercitatus ſatis eſt; verùm ad exornanda & ſymmetriâ eleganti conficienda ædificia, aliâ opus eſt Arte, Architectonicâ videlicet, quæ non neceſſitati tantùm inſervit, ſed & voluptati. Hæc autem ſub Regibus barbaris debilitata nimiùm jacebat; non quod Artis hujus præcepta ac profeſſio in Italia, finitimiſque Regnis, umquam exciderint, ſed quod Græcæ ac Romanæ Architectonices nullam ferme curam barbaræ nationes in Italiam deductæ habuere, ejuſque B rudimenta aut in deſuetudinem abiere, aut etiam contemta ſunt, quod minus ſtudii ac laboris exigeret barbaricæ ſtructuræ conſuetudo. Itaque invecta eſt in Italiam alia Architecturæ ratio, diverſa ab illa, quæ Græcis ac Romanis antea in uſu fuerat, atque hæc per plura Sæcula obſervata eſt cum in Italia tum in Gallia, Germania, aliiſque nobilibus Europæ Regnis. *Gothicam* nos appellare conſuevimus: quod quo titulo fiat, equidem ignorare me fateor. Nam paucis iis annis, quibus Italia Gothis paruit Sæculo Chriſtianæ Æræ Sexto, Italicam Architecturam in pejus ruiſſe non conſtat, aut diverſam ab ea fuiſſe, quæ per Romanos antea exercebatur. Immo Romanam ſervatam fuiſſe, C teſtis eſt mihi Caſſiodorius, qui Lib. 4. Epiſtol. 30. Theodericum Regem ſcribentem hæc ad Albinum Patricium inducit: *Unde nos, qui Urbem nitere cupimus fabricarum ſurgentium componi, facultatem concedimus poſtulatam; ita tamen, ſi res petita aut utilitati publicæ non officit aut decori. Quapropter rebus ſperatis ſecurus innitere, ut dignus* ROMANIS *fabricis habitator appareas, perfectumque opus ſuum laudet auctorem. Nulla enim res eſt, per quam melius poſſit agnoſci & prudentis ingenium, & largitatis effectus*. Sed fuſius in hanc rem Caſſiodorius floridâ ſui ſtili prodigalitate rapitur Lib. 7. ubi Formulam curæ Palatii num. V. exerit, & in laudes ac originem Architectonices D excurrit. Inter cetera ait: *Quapropter quicquid ad te pertinet, ita decenter, ita firmiter volumus explicari, ut ab opere Veterum ſola diſtet novitas fabricarum*. Et multa quidem Ravennæ cum Templa, tum opera publica *admirabili ſtructurâ*, ut Rubeus in Hiſtor. Ravennat. tradit, a Theoderico excitata fuere. Confirmatur idem ab Agnello in Lib. Pontificali. Ticini quoque Theodericus paria præſtitit. Propterea non immeritò Anonymus Valeſianus eum nobis exhibet *amatorem fabricarum, & reſtauratorem Civitatum*, enumeratque Palatia, Thermas, Aquæductus, Amphitheatra Ticini, Ravennæ, ac Veronæ ab eo conſtructa. Eidem hanc ipſam laudem tribuit Ennodius in Pane- E gyrico. Quid eſt ergo, quod rudem Architecturam per tot ſubſequentia Sæcula in Italiâ innutritam, Gothis unis tribuamus? Si jam tunc declinare apud nos Ars iſta cœperat, non id culpâ Gothorum novorum hoſpitum eſt factum, ſed quod Romanorum Imperio declinante, Artes ipſæ jam ad imum cum illo tendebant. Eoque minus Gothi huc trahendi, quum non multis poſt eorum ingreſſum annis dejecti fuerint, atque Italiam univerſam, ut liquet, Græci receperint.

Quod ergo æquius exiſtimandum puto, per abuſionem aut errorem, *Gothicum* dixerunt noſtri quidquid indolem barbaricam præſeferebat,

ſive

ſive a Langobardis, ſive a Francis, ſive a Germanis proceſſiſſe, non a Græcis atque Romanis. Et certe reſtat ſub Langobardis in Europam ſive Architectonicæ modus etiam denominationem barbari ac ruſtici, quod reliquum fuit Romanæ ſive Italicæ antiquæ genio, inſcitiæ, ita ut in tanta ſive Artium Italia, quæ ad obſoleſcentem pertinent, ignorantia ſeſe ingruiſſet, multaque ex eripuerit vetuſti decoris atque decoris. Certe neque ſub ipſis Langobardis prorſus periit, neque deinde ſub Francis, ſive Alderant publica privataque magnæ molis ædificia in Italia; ſed in iis magnificentiam fortè atque opulentiam laudaſſes, nihil vero eam elegantiam, aut in toto corpore, aut in ſingulis partibus inveniſſes, quam florente Romanorum Imperio vel ipſorum privatorum fabricæ, neque magis publicæ, prætulerant. Attamen aliquantum ego lubenter, ſi tempus illud tuliſſet, Templa quædam & alia ædificia ſub Regibus Langobardis & Francis conſtructa. Ut Paullus Warnefridi tradit Lib. 5. Cap 34. Hiſtor. Langobard. Rodelinda Regina Bertarithi Langobardorum Regis conjux, *Baſilicam Sanctæ Dei Genitricis extra muros Civitatis Ticinenſis, quæ ad Perticas appellatur, opere mirabili condidit, ornamentiſque mirificis decoravit*. Liutprandus quoque Rex, uti narrat idem Auctor Lib. 6. Cap. 58. *in Olonna ſuo prædio, miro opere in honorem Sancti Anaſtaſii Martyris, Chriſti domicilium ſtatuit, in quo & Monaſterium fecit*. Hominis Langobardi ſeu barbari oculis mira opera ea viſa fuerint, inquies. Ut lubet, opinare. Paullus tamen Romæ & alibi Romanorum ædificia illuſtriora etiam aſpexerit, ita ut judicare non ei difficile foret, num Langobardica ad illorum comparationem deformia apparerent. Chronographus quoque Vulturnenſis, Part. II. Tomi I. Rer. Italicar. pag. 369. Baſilicam deſcribens a Joſue Abbate conſtructam, hæc habet: *Certe nos, qui nunc videmus, vel qui tunc illis videre temporibus, ſatis mirari non poſſumus illius Eccleſiæ magnitudinem vel pulcritudinem in his regionibus*. Et longe quidem plures, quam nunc, ſupererant iis temporibus in Urbe æternâ fabricæ, exquiſito magiſterio ſtructæ, quas præ oculis Architecti habere poterant. Quod tamen mirere, aliunde petiti videntur Architecti, aut ſaltem Artifices. Deſiderius Caſinenſis Abbas, poſtea ad Romanum Pontificatum evectus, quum novam inſignem Baſilicam in Caſinenſi Monte Anno MLXVI. conſtruere decreviſſet (Leone Marſicano teſte Lib. 3. Cap. 28. Chronic. Caſinenſ.) *conductis protinus peritiſſimis Artificibus tam Amalfitanis quam & Lombardis, & jactis in Chriſti nomine fundamentis, cœpit ejuſdem Baſilicæ fabricam*. Magnifici operis deſcriptionem apud eumdem Leonem vide. Alia quoque eodem Sæculo XI. & ſubſequentibus ſtructa fuere ædificia ſacra atque profana, incredibilibus ſtructa fuere ædificia ſacra atque profana, incredibilibus expenſis, & muris undequaque firmis, e quibus nonnulla ſuperſunt, ingentia ſane atque ornatiſſima opera, & injuriam temporum minime verita. Præſertim verò dignæ ſunt, quæ inſpiciantur Arces ſive Rochæ & Turres omnes ferme poſt Sæculum X. immo poſterius, animis Regiis conditæ, in quibus murorum compagem ampliſſimam, affluentiam marmorum, proceritatem ac ſtabilitatem fabricæ mireris. Verùm cuncta hæc barbariem ſapiunt, ita ut Romanæ Architecturæ ſtudioſis vel ipſum

A magnificentiſſimum Templum maximum Civitatis Mediolanenſis, & Sancti Marci Venetiarum, & Ticinenſis Carthuſia, atque alia ampliſſima rudium Sæculorum ædificia, quamquam vulgi oculos præſtringant, incompoſita tamen, & ordine ac venuſtate deſtituta, ornamentiſque onerata potius, quàm ornata videantur. Ad quorum ſententiam accedat quiſquis meliora ſapit. Neque alius tunc fuit Architecturæ ſapor in Germania, Gallia, Britannia, cæteriſque Europæ Regnis. Addere tamen liceat, gratulandum certe poſtremis hiſce tribus Sæculis, quibus Græcæ ac Romanæ Architectonices ſtudium reſtauratum eſt, operâ potiſſimum Florentinorum, & Jacobi Barroccii

B Vineolenſis conterranei mei; ſed ne contemnenda quidem eſſe, immo ſuum pretium, neque leve, habitura eſſe apud cordatos quoſque viros complura rudium Sæculorum ædificia. Ejuſdem quippe ſtructuræ generi ſua eſt magnificentia, ſua eſt dignitas; & ex ipſa facie vetuſtorum illorum operum non injuſta oblectatio exſurgere poteſt. Quamobrem non facile in illorum præcipitem opinionem concedendum eſt, qui ſine ullo diſcrimine ſublatis, dejectiſque omnibus, etiam ſplendidis ac magnificis, barbaricæ conſtructionis ædificiis, ubique ſuccedere vellent nova ad Romanæ pulcritudinis normam extructa, quæ tamen interdum elegantiæ quidem multum habere

C poſſunt, ſed parum fortaſſis habeant majeſtatis.

Simili ratione ajo, Muſicen numquam in Italia periiſſe. Cantum Eccleſiaſticum ſane gravem ac virilem, a Gregorii Magni tempore, immo & ante illum, Populus Chriſtianus audivit. Sed & Muſicam aliqualem Chromaticam & Enharmonicam tunc in uſu fuiſſe, eruditi Viri oſtenderunt. Nam præterquamquod fieri non poteſt, ut homines aliquantulum a majoribus, aut a finitimis edocti, ad Muſicam ſuapte non ferantur, hoc eſt, canunt ſine arte, & ſolâ judice aure; quum & ruſtica gens in ſuos modos & cantilenas erumpat: ſemper etiam fuere in Italia, Muſicæ tenuis quidem, ſi velimus, ſed tamen Muſicæ

D & cantus Magiſtri. Et ſane ejuſmodi Artis præcepta, præter Græcos, ex Latinis tradidere Sanctus Auguſtinus, Martianus, Capella, Boëthius, Caſſiodorius, & Beda. Eam quoque Anno MXXII. Micrologo edito illuſtravit Guido Arretinus, ut infra in Diſſertatione XLIII. commemorabo, ubi & alios Muſicæ Auctores innuam. Eiſdem jungas velim Hermannum Contractum, qui circiter Annum ML. florebat, & Conſtantinum Caſinenſem Monachum, Muſices eo ipſo Sæculo peritum, Albertum Magnum, alioſque. Et horum quidem proſtabant Libri; neque deerant, qui ex ipſis proficerent. Citharæ quoque, tibiæ,

E aliorumque aut pneumaticorum, aut e fidibus conſtantium Muſicæ inſtrumentorum uſus, ab antiquis acceptus, numquam excidit; ad quæ Sæculo VIII. & IX. apud Italos, & Francos acceſſiſſe creduntur Organa, uti conjicere licet, ex admiratione excitata ob Organum in Franciam delatum ſub Pippino, tum ſub Carolo Magno, & Ludovico Pio: de qua regi in Notis ad Lib. 4. Ermoldi Nigelli, Part. II. Tom. II. Rerum Italicar. Sciſciteris tamen, cur Galli Organa mirati fuerint. Caſſiodorius enim & Iſidorus *Organa* tamdiu ante noverant ac deſcripſerant. Immo Venantius Fortunatus, Italus Poëta ad Gallos translatus, Lib. 2.

Cat-

Carmin. 10. *ad Clerum Pariſiacum*, in ipſis Galliis Organa agnoviſſe videtur : nam Cleri illius ac Populi varia in Templo munia recenſens, inter alia hæc ſcribit circiter Annum DLXXX. hoc eſt tanto ante Pippinum tempore.

Hinc puer exiguis attemperat Organa cannis,
Inde ſenex largam ructat ab ore Tubam.
Cymbalicæ voces calamis miſcentur acutis,
Diſparibuſque tropis Fiſtula dulce ſonat.
Tympana rauca ſenum puerilis Tibia mulcet
Atq; hominũ reparant verba canora Lyram.

Jonas quoque Italus, ac Bobienſis Monachus, qui eodem Sæculo, ſed ante Fortunatum Venantium, floruit, in Præfatione ad Vitam Sancti Columbani ait : *Pleroſque Organi ſcilicet, Pſalterii, Cytharæ melos aures oppletas, mollis ſæpe Avenæ modulamini auditum accommodare.* En muſica inſtrumenta illius ævi. Attamen quum exploratum minime ſit, quid *Organorum* voce Jonas & Fortunatus proprie & verè deſignent, hærere cogimur. Videntur enim *Organa* illo uſurpata tempore, e *cannis exiguis* conflata, ac proinde ab ore hominis tantùm inflata, cujuſmodi fuere Syringæ, ſeu Tybiæ, aut Fiſtulæ multicalami apud Antiquos; & conſequenter ab Organis e Græcia in Franciam delatis nimiùm diverſa. Porro certum eſt, apud unos Græcos Sæculo VIII. adhuc viguiſſe, diligenterque cuſtoditam fuiſſe artem conficiendi Organa, qualia nunc uſurpamus. Illam ſurreptam Græcis Georgius Presbyter Venetus ad Ludovicum Pium tamdem tranſtulit, uti Annales Francorum teſtantur ad Annum DCCCXXVI. Sed longe ante ea tempora in pulſandis Organis nunc vulgaribus peritiſſimi fuere Romani : quod adnotavit ad Annum DCCLXXXVII. Monachus Engoliſmenſis in Vita Caroli Magni Tom. 2. Du Cheſnii. Dignus eſt locus, qui integer ſiſtatur Lectori, quum inde elucere poſſit, quantùm in cantu tunc excelleret Eccleſia Romana. Verſabatur eo Anno Romæ Carolus Magnus, illâque occaſione *orta eſt contentio inter Cantores Romanorum & Gallorum. Dicebant ſe Galli meliùs cantare & pulcrius quàm Romani. Dicebant ſe Romani doctiſſime cantilenas Eccleſiaſticas proferre &c. Galli Romanis exprobrabant : hi contra appellabant eos ſtultos, ruſticos & indoctos : velut bruta animalia affirmabant ; & doctrinam Sancti Gregorii præferebant ruſticitati eorum.* Infra hæc addit : *Omnes Franciæ Cantores didicerunt notam Romanam, quam nunc vocant notam Franciſcam : excepto quod tremulas* (quo nomine fortaſſe ſignificantur, qui nunc Italice *Trilli* appellantur) *vel tinnulas, ſive colliſibiles, vel ſecabiles voces* (fortaſſe Diæſim & B. molle) *in cantu non poterant perfecte exprimere Franci naturali voce barbarica, frangentes in gutture voces potiùs quàm exprimentes &c.* Denique adjicit: *Similiter erudierunt Romani Cantores ſupradicti Cantores Francorum in arte Organandi.* Hæc attuli, ex quibus nutare mihi videtur Mabillonii eximii viri opinio in Annal. Bened. ad Annum DCCLVII. ubi ſcribit: *Organorum uſũ ſub finem Sæculi IX. apud Italos ex Germaniâ primùm acceptum fuiſſe colligimus ex Epiſtola Johannis Papæ VIII. ad Annonem Epiſcopum Friſingenſem, rogantis, ut optimum Organum cum Artifice, qui hoc moderari & facere ad omnem modulationis efficaciam poſſit, ſibi aut deferat, aut mittat.*

Verba Johannis Papæ hæc ſunt Lib. 5. pag. 490. Miſcellaneor. Baluzii : *Precamur autem, ut optimum Organum cum Artifice, qui hoc moderari & facere ad omnem modulationis efficaciam poſſit, ad inſtructionem Muſicæ diſciplinæ nobis aut deferas, aut mittas.*

Verùm inter Romanos & Græcos tamdiu Romæ dominatos ea familiaritas & conſuetudo interceſſerat, ut vix credi poſſit tam ſerò invectus in Romanorum Templa uſus Organorum. Quod ejuſmodi machinæ Sæculo IX. uti & nunc, in Germania exquiſito artificio fabricarentur, ibique eſſent *ad omnem modulationem* periti Organorum pulſatores, ideo illinc Johannes VIII. & Organum & Artificem petiiſſe videtur. Quod etiam animadverti, ſub Conſtantino Magno Auguſto, circiter Annum Chriſti CCCXXII. Publius Optatianus Porphyrius in Panegyrico metrico, edito inter Opera Velſeri, diſertam mentionem facit *Organorum*, quæ per folles ventum concipiebant. Neque reticendum, cenſuiſſe Clariſs. Du-Cangium in Gloſſar. Latin. Organa fuiſſe Veronenſi etiam Eccleſiæ tempore Caroli Magni, quum apud Ughellium Tom. V. Ital. Sacr. in duabus Chartis circiter ea tempora ſcriptis occurrat *Porta Organi*. Sed quòd una ex Portis Veronæ nomen hoc prætulerit, ibique prope etiam conditum fuerit antiquiſſimum Cœnobium appellatum *Sanctæ Mariæ ad Organum*, non continuò inferre poſſumus, Organa pneumatica in uſu Veronenſibus tunc Templis fuiſſe. Nil rei habet Porta cum Templis. Præterea vocabulo *Organi* veteres complectebantur quæcumque Muſicorum Inſtrumenta. Immo etiam Machinæ quædam *Organa* nuncupata fuere, Vitruvio ſcribente Lib. 10. Cap. primo. *Inter Machinas & Organa id videtur eſſe diſcrimen, quòd Machinæ pluribus operibus, aut vi majore coguntur effectus habere, ut baliſtæ &c. Organa verò unius ope, uti ſcorpionis, aut aniſocyclorum verſationes.* Denique *Organa* appellata fuere inſtrumenta quædam ad metiendum, Columella teſte Lib. 3. Cap. 13. Quæ omnia dubium faciunt, cur ab *Organo* nomen Veronenſi Portæ acceſſerit. An verò Muſica multarum vocum in ipſa diſcordia conſonantium, quam *Contraponto* appellamus, ætate noſtra uſitata, magnoque ſtudio exculta, nota uſurpataque fuerit antiquis temporibus, diſputandum relinquam Meibomio, Zarlino, Angelino, aliiſque majore otio utentibus. Si Kirchero doctiſſimo viro e Societate Jeſu acquieſcendum eſt in Muſurgia Lib. 5. Tom. prim pag. 215. *Guido Arretinus, de quo ſupra egimus, auctor etiam fuit Inſtrumentorum polyplectrorum, uti ſunt clavicymbala, clavichordia, ſimiliaque : quod & ipſa jam citata Dedicatoria innuit, dum ad cantum adhibuit monochordum quoddam harmonice conſtructum. Ex quibus concludo, Guidonem exſtitiſſe Inventorem polyphonæ Muſicæ, quum ante ejus tempora ex nullis Veterum monumentis poſſit colligi, id genus Muſicæ apud Veteres fuiſſe in uſu.* Eamdem ſententiam Angelinus Peruſinus tuetur. Apud illos ſit fides. Hoc unum ego adjiciam, Johannem Sariſberienſem circiter Annum MCLXX. Lib. Primo. Cap. 6. Policrat. de Muſica loqui, ac dolere, quod mollis & luxurians modulatio aditum in ſacra invenerit. *Ipſum*, inquit, *cultum Religionis inceſtat, quod ante conſpectum Domini in ipſis penetralibus Sanctuarii, laſcivientis vocis luxu, quadam oſtentatione ſui, muliebribus modis, notarum, articulorumque cæſuris ſtu-*

A
[illegible] animalis ſimiliter utuntur. *Quum præcinentium & ſuccinentium, canentium, & decinentium, intercinentium, & incinentium præmolles modulationes audieris, Sirenarum concentus credas eſſe &c. Ea ſiquidem eſt aſcendendi, deſcendendique facilitas, ea ſectio, vel geminatio notularum, ea replicatio articulorum, ſingulorumque conſolidatio, ſic acuta vel acutiſſima, gravibus & ſubgravibus temperantur, ut auribus ſui judicii fere ſubtrahatur auctoritas,* &c. At hanc Muſicam figuratam, ut appellant, ſive noſtri ævi, deſiderent, perpendant, qui hodie ſtudiis oblectantur, & cum eis eruditionem conjungunt. Nulla autem dubitatio eſt, quin diutius etiam poſt Guidonem Aretinum Sæculis longe Muſica abfuerit a ſcientia & perB fectione illa, quam hodie tenemus, tum in Muſica Humana, tum in Organica, ſive Inſtrumentorum. Sæculo tantùm XV. hæc aſſurgere cœpit, diligenterque excoli a doctiſſimis viris. Sed potiſſimum ſubſequenti Sæculo XVI. amplificata eſt illius ſcientia, conſpirantibus Italis ad eam exornandam, inter quos Horatius Vecchius Mutinenſis: *Harmoniam primus Comicæ facultati conjunxit, totumque terrarum orbem in ſui admirationem traxit*, ut in ejus Epitaphio habetur, quod evulgavi Lib. 3. Cap. 4. Tomi 2. Perfect. Poetic. Italicæ. Nunc certe ſtuporem ingerat Muſicæ noſtræ in tanta varietate vocum ac inſtrumentorum conſonantia atque conſenſus. Liceat tamen dicere, noC bis tantum non eſſe plaudendum ex hujuſmodi inventis, hoc eſt, ex admirabili, ut putamus, Muſicæ Artis progreſſu, quin ſimul illius pravos effectus agnoſcamus, dum pro virili Muſicam mollem ac effeminatam regnare cernimus, quam Græci & Romani omnes cordati olim averſabantur: neque nos, ſi ſapimus, umquam laudabimus, quum inde mollities, & occulta corruptela morum in Populos exſurgat.

Ad Picturam venio. Inſignem in ea peritiam Græcorum, unde ad Romanos nobilis hæc Ars profluxit, antiqui extollunt, & admiranda narrant: qua de re in primis conſulendus Junius *de Pictura Veterum*. Nulla, aut exigua illius veſtigia ad nos uſque pervenere, D ut tot laudes factis confirmatas intueamur. Verùm ſuperſunt tot Statuæ, tot Nummi, tot Anaglypta, aliaque antiquitatis rudera, adeo comte, artificioſe, exquiſiteque fabricata, ut illinc etiam qualis eſſet veterum vis, ac virtus in pingendo, argumentari facile liceat; magna enim inter Picturam ac Statuariam affinitas intercedit. Ubi verò irruptiones barbarorum ſentire, tum eorum dominatione premi Italia cœpit, delectabili quidem, ſed minime neceſſariæ Arti ingentia illata ſunt vulnera, pleriſque eam negligentibus, aut eam infeliciter exercentibus, qui ad ipſam excolendam ſe ſeſe conferebant. Ceterum nulla tempora fuere, E quibus Pictores deſiderati fuerint: Sed qui, qualeſve Pictores, bone Deus! inquiat aliquis. At neque ego, neque illi hujuſmodi picturas conſpicati ſumus, ut rectum de illis judicium ferre liceat. Theodelinda Langobardorum Regina circiter Annum Chriſti DXCII. Modoetiæ *ſuum Palatium condidit, in quo aliquid & de Langobardorum geſtis depingi fecit*. Ermoldus Nigellus de Geſt. Ludovici Pii Lib. 4. pag. 65. Part II. Tomi II. Rer. Italicar. deſcribens Palatium ac Templum Ingelheimenſe a Carolo Magno conditum, ſigillatim recenſet, quæ ibi picta fuere, & quidem, ut is ait, *pictura inſigni*, quod profectò præſtare ego nolim:

Inclita geſta Dei, ſeries memoranda Virorum,
Pictura inſigni quo relegenda patent.

Sic Johannes VII. Papa circiter Annum DCCVI. *fecit Imagines per diverſas Eccleſias, quas quicumque noſſe deſiderat, in eis ejus vultum depictum reperiet. Baſilicam itemque Sanctæ Dei Genitricis, quæ antiqua vocatur, pictura decoravit*. Hæc Anaſtaſius. Neque ſecus Gregorius III. Papa, ut eſt in ejus Vita, *Baſilicam Sanctæ Dei Genitricis, quæ in Aquiro dicitur, a fundamentis longiorem & latiorem conſtruxit, atque depinxit*. Zacharias quoque Primus *in Lateranenſi Patriarchio fecit triclinium, quod diverſis marmoribus &c., & pictura ornavit*. Nicolaus etiam Primus circiter Annum DCCCLX. Eccleſiam novam Dei Genitricis *pulcris & variis fecit depingi coloribus*. Reliqua mitto, omnium loco illud commemorans, ſacras Imagines per ea ſemper Sæcula ſervatas fuiſſe in ſacris Templis, Ædibuſque privatis; & quum Græci Auguſti in eas debaccharentur, ſummi Pontifices, & Reges Occidentis ad earum uſum & cultum conſervandum acrius exarſerunt. Conſtantinus quoque Papa ea occaſione *fecit picturas in Porticu Sancti Petri, quæ geſta ſex Sanctorum Synodorum univerſalium retinent*, ut auctor eſt Paullus Diaconus Lib. 6. Cap. 34. quocum conſentit Anaſtaſius. Neque prorſus excidiſſe videtur ante Annum a Chriſto nato Milleſimum *Graphice*, quo nomine fas mihi nunc ſit ſignificare Artem delineandi, ſive *l'Arte del Diſegno*, quum Nummi in Italia temporibus iis percuſſi, & Sigilla Diplomatis appoſita, in quibus capita occurrunt Imperatorum aut Regum veſtigium aliquod retineant veteris elegantiæ. Neque *Sculpturæ* & *Anaglyphorum* Ars iis Sæculis deſiderata eſt. Nunc Anaglypha, ſive Cælaturas appellamus *baſſi Rilievi*, ſive marmore, ſive argento & auro imagines, aliaque ornamenta inſculpantur. De hiſce mentio eſt non ſemel apud Anaſtaſium Bibliothecarium, Leonem Oſtienſem, & alios. *Interraſile* etiam opus memoratum videas ab antiquis, ac potiſſimum ab eodem Anaſtaſio: quo nomine opinor, non omnem cælaturam deſignari, ſed eam tantùm, quæ incidendo figuras efformabat, ut eſt in Sigillis. *Caligraphia* quoque uſque ad Annum Chriſti Milleſimum uſurpata non ſolùm in Diplomatis & Bullis, ſed & in multis Codicibus, venuſte, & Romanis literis manu exaratis, ſpectandam ſe præbet. Poſt Sæculum X. pleroſque e Codicibus rudi ſcripturâ, & compendiis innumeris horrentes cernimus, uti & in multis lapidibus adhibitos characteres Germanicæ ſcripturæ propiores, quos Gothicos perperam nuncupamus. Statuæ verò & Anaglypta, ut ut in paucis Urbibus, ac præcipue Romæ, opere tolerando exculpta fuere, ſæpius tamen ævi illius barbariem exhibent, riſumque facile a ſpectantibus exprimunt. Illud ergo ſtatuendum, Sæculo tantùm XIV. Picturam, Statuariam, Calligraphiam, aliaſque Artes iis affines una cum Literis exſurgere cœpiſſe: quo eodem Sæculo floruit Jottus Florentinus Pictor, vir magni nominis, aliique ſucceſſere præſtantes bonarum Artium reſtitutores in Italia; unde quod elegantiæ in hiſce Artibus habent

bent alia Occidentis Regna , acceperunt .

Non eſt tamen rudibus iis Sæculis neganda laus , quod nempe *Muſivis* conficiendis , ac teſſellato & vermiculato operi diligentiſſime ſe ſe addixerunt . Diu eſt quod effluxit ejuſmodi Ars ex Italicis officinis , ita ut aliam ego Urbem (ſi Romam excipias & Venetias , quæ noſtris temporibus ipſam Artem antea neglectam revocarunt , immo ſuperatâ veterum diligentiâ , ad culmen venuſtatis perduxerunt) minime in Italia agnoſcam , cui ſtudium nunc ſit & uſus Muſivorum . At olim Romæ, Ravennæ , Mediolani , Caſini , aliiſque in locis periti in ea Arte Magiſtri non pauci numerabantur , qui etiam reliquere eximia ejuſmodi picturæ, e minutiſſimis vitreis lapillis varii coloris conflatæ , monumenta. *Diverſis coloribus , minutiſque vitreis lapillis , fulvo auro ſupertectis opere Mauſoleo* (lege *Muſeo* , aut *Muſileo*) ornata dicitur Eccleſia Sipontina S. Johannis Baptiſtæ a Sancto Laurentio Epiſcopo illius Urbis in ejus Vita ad diem 7. Februarii apud Bollandum . Et ea quidem Ars a Romanis olim rerum dominis diligenter exculta . Apud Gorium Virum Clariſs. Lib. prim. Cap. 8. Inſcriptio Florentina occurrit , in qua legitur *Camera OPERE MUSEO EXORNATA*. Eſt & ejus mentio apud Scriptores Hiſtoriæ Auguſtæ ; ſed frequentior Sæculis ſubſequutis . Ita Sæculo VI. Symmachus Papa *Cantharum beati Petri cum quadriporticu marmoribus ornavit, & ex Muſivo agnos & cruces & palmas ornavit* . Sæculo VII. Honorius Primus *fecit abſidam Baſilicæ beatæ Agnetis ex Muſibo* . Severinus ejus ſucceſſor *renovavit abſidam beati Petri Apoſtoli ex Muſivo* . Sergius Primus *Muſivum , quod ex parte in fronte Atrii Baſilicæ Salvatoris fuerat dirutum , innovavit* . Johannes Septimus Sæculo VIII. fecit Oratorium , *cujus parietes Muſivo depinxit* . Nam ſub *Picturæ* nomine Muſiva quoque venere : neque injuriâ . At heic me Leo Marſicanus interpellat ac ſiſtit , dum gloriam Muſivorum Sæculis iis negare videtur. Ipſo teſte in Chronic. Caſinenſ. Lib. 3. Cap. 29. non ex Romanis officinis, ſed ex Conſtantinopolitana Urbe Muſivarios artifices accivit Deſiderius Abbas Caſinenſis , quum novæ Baſilicæ a ſe excitatæ circiter Annum MLXX. ornamenta addere conſtituiſſet . En ejuſdem Oſtienſis verba de inſigni illo Abbate : *Legatos interea Conſtantinopolim ad locandos* (ideſt conducendos , ut e Varronis exemplo diſcimus) *artifices deſtinat , peritos utique in Arte Muſiaria & Quadrataria . Ex quibus videlicet alii abſidam & arcum, atque veſtibulum majoris Baſilicæ Muſivo comerent &c.* Addit infra: *Quarum Artium tunc ei deſtinati Magiſtri , cujus perfectionis exſtiterint , in eorum eſt operibus exſtimari ; quum & in Muſivo animatas fere autumet eſſe quiſque figuratas , & quæque virentia cernere , & in marmoribus omnigenûm colorum flores pulcrâ putet diverſitate vernare* . Habes veterum opera noſtris quoque laudibus digna . Habeto etiam curam eximiam Deſiderii Abbatis , qui *quoniam Artium iſtarum ingenium a Quingentis & ultra jam annis magiſtra Latinitas intermiſerat , & ſtudio hujus , inſpirante & cooperante Deo noſtro , hoc tempore recuperare promeruit , ne ſane id ultra Italiæ deperiret , ſtuduit vir totius prudentiæ , pleroſque de Monaſterii pueris diligenter eiſdem Artibus erudiri* . Eja bone Leo , *a Quingentis & amplius annis* intermiſſam ais Muſivorum & Lithoſtrothorum Artem ? Turbam teſtium en contra te exero . Sed prius excutiamus volo Scholiaſten tuum , hoc eſt Angelum a Nuce , qui in Notis hæc addit : *Scitè , a Quingentis & ultra , nempe a tempore Theoderici , qui omnes bonas Artes eliminavit ab Italia , quarum ipſa Magiſtra fuerat*. Immò *inſcitè*. Theodericus enim, ut antea oſtendi, totis viribus Artes fovit , ac reſtauravit . Caſſiodorium, Anonymum Valeſianum, Panvinium , Rubeum , ut alios omittam , præcones locupletiſſimos habemus illuſtrium Theoderici geſtorum : neque alia addere opus eſt . Ceterum multis etiam poſt Theodericum Sæculis Muſivorum Ars in Italia viguit ; cujus rei exempla jam attuli , quæ novis confirmatum nunc pergo. Maximianus Archiepiſcopus Ravennas , qui poſt Theodericum floruit , Agnello tradente in ejus Vita , Tomo II. Rer. Italicar. *Eccleſiam ædificavit beati Stephani a fundamentis mira magnitudine , & in Cameris Tribunæ ſua effigies Teſſellis variis infixa eſt* . De eo rurſus ſcribitur : *Ad latera ipſius Baſilicæ Monaſteria parva ſubjunxit ; quæ omnia novis Teſſellis auratis , ſimulque promiſcuis aliis calci infixis mirabiliter apparent* . Pari curâ Agnellus ejuſdem Urbis Archiepiſcopus Eccleſiam Sancti Martini , *quæ vocatur Cælum Aureum* , Ravennæ reconciliavit ; *& parietes de imaginibus Martyrum , Virginumque Teſſellis decoravit , & pavimentum Lithoſtratis mire compoſuit* . En Muſivum , en Lithoſtratum . Templum autem iſtud a fundamentis erexerat Theodericus Rex, ut Agnellus idem teſtatur , qui etiam in Vita Sancti Petri ſenioris ſcribit , ſe Ticini aſpexiſſe *Palatium Theoderici , & Tribunalis Cameras Teſſellis ornatas* . Præterea conſtat , in eadem Civitate Ravennæ Juſtiniano I. & Juſtiniano minore imperantibus , Templa Sancti Apollinaris, vetus & novum, & Sanctæ Mariæ in Comeſdin Muſivis decorata fuiſſe . Noſtris adhuc temporibus eadem proſtant . Vide Agnellum , qui in aliis bene multis locis *Teſſellata* opera in Ravennatibus Templis commemorat . Plura etiam Romæ viſuntur . Pleraque collegit atque illuſtravit olim Cl. V. Johannes Ciampinius in ſingulari Opere Monumentor. Veter. , quæ heic repetere ſupervacaneum puto . Illud exploratum eſt , vix ullum Sæculum oſtendi poſſe , quo ejuſmodi Arte Urbium Regina Roma caruerit . Sed potiſſimum in hiſce operibus adhuc incorruptis emicuit Sæculo VIII. & IX. pia cura Hadriani I. Leonis III. & Paſchalis I. Et circiter Annum DCCCXLVIII. Leo IV. *intra Baſilicam beati Petri Apoſtoli Oraculum miræ pulcritudinis , ſummique decoris conſtruxit* (& hoc animadverte, ne Sæcula illa , eorumque Artes ac opera ultra æquum contemnas) *quod pulcris marmoribus circumdans ſplendide compſit : abſidamque ejus ex Muſivo , aureo ſuperinducto colore , glorifice decoravit* . Eodem beneficio is proſequutus eſt Ædem Sanctæ Mariæ Novæ . Simili largitate Benedictus III. Papa circiter Annum DCCCLVI. *abſidam majorem Eccleſiæ Beatæ Dei Genitricis trans Tiberim erexit ad meliorem ſtatum ; feneſtras verò vitreis coloribus , & picturâ Muſivi decoravit* . Si ſubſequentium Romanorum Pontificum Vitæ exſtarent , fortaſſis alia exempla occurrerent .

Supra vidimus excitatam a Liutprando Langobardorum Rege Baſilicam Sancti Anaſta-

[illegible] circiter Annum DCCXXV. [illegible], [illegible]. At [illegible] quoque Muſiva in ornamentum loci adhibita fuiſſe diſcimus ex Inſcriptione pag. 1168. Gruteriani Operis illic poſita, ubi hi verſus:

ECCE DOMVS DOMINI PERPVLCRO CONDITA TEXTV

EMICAT, ET VARIO FVLGET DISTINCTA METALLO,

MARMORA CVI PRETIOSA DEDIT, MVSEVMQVE, COLVMNAS. &c.

Sunt qui hanc Inſcriptionem referant ad Eccleſiam Sancti Anaſtaſii Romæ poſitam, atque inter alios Du-Cangius, ad vocem *Muſeum*; ſed manifeſto errore. In eo enim Epigrammate LEVTBRANDVS Rex diſertis verbis dicitur Templi illius Conditor. Is autem Romæ nullum conſtruxit. Hoc etiam vidit, atque aperte faſſus eſt Cardinalis Baronius in Appendice ad Annal. Eccleſiaſtic. Tom. 12. Mediolani quoque Odeum celeberrimæ Baſilicæ Ambroſianæ ſub Ludovico Pio Auguſto circiter Annum DCCCXXXVI ornatum eſt *Muſivo*, quod laminis æreis expreſſit ac illuſtravit Puricellius in Monumentis Baſilicæ Ambroſianæ. Campinius autem ignoraſſe videtur. Capitula quoque Eccleſia aut cadente Sæculo IX. aut ineunte X. Muſivo adhuc illæſo exornata creditur. Epigrammata illic poſita attulit Ughellius Tom. 6. Ital. Sacr. Muſivum deinde integrum publici juris fecit prælaudatus Campinius. Legitur ibi:

VITREVM DEDIT VGO DECOREM.

Inobſervatum dimittas nolim locum: hæc enim verba, non uti Du-Dangius idem cenſuit in Gloſſar. Latin. *feneſtras vitreas* ſignificant: quod certe minimum fuiſſet, nec memorandum; ſed innuunt *Muſivum* ipſum. Hoc enim ex vitreis teſſellis varii coloris compactum ſupra diximus. Petro Manlio ſcribenti circiter Annum MCLXX. in Hiſtor. Baſilic. Vatican. memoratur *Baſilica Sancti Angeli mirifico Muſivo depicta Auro & Vitro*. Hinc etiam lux accedet, puto, verſibus Apollinaris Sidonii, deſcribentis Cryptam Lugdunenſis Baſilicæ, Lib. 2. Epiſt. 10.

Ac ſub verſicoloribus figuris

Vernans herbida cruſta, ſapphyratos

Flectit per praſinum Vitrum lapillos.

Angelus de Nuce in Notis ad prælaudatam Oſtienſis verba tradit, *Muſivum opus ex ſectilibus, parvisque variis coloris cruſtis, & lapillis verſis conſtructum & teſſellatum, omne genus imaginum repræſentare*. Vir doctus ignoraſſe videtur, Muſiva non ex Lapide, ſed ex Vitro conſtare. Atque ex his e veſtigio aſſequare, cur Agnellus in Vitis Archiepiſcopor. Ravennat. Cap. 2. Vitæ Sancti Maximiani ſcripſerit: *Eccleſiam beati Stephani pulcherrime ornavit, & in Camera Tribunæ ſua effigies Teſſellis variis infixa eſt, & in giro mirifice Opere Vitreo conſtructa eſt*. Aquisgrani quoque, uti ſupra innui, inſignem Baſilicam excitavit Carolus Magnus circiter Annum DCCXCVI. eamque eximiis ornamentis, atque in primis peregrino & vario marmore, ac *Muſivis* adhuc intactis, illuſtrem fecit. Habet etiam Gallia multis in locis Muſiva ante Annum Milleſimum a Chriſto nato elaborata. Lithoſtrata iiſdem Sæculis apud Italos in uſu fuere. Hæc facilioris operis, ita ut Berwardus Epiſcopus Hildesheimenſis, teſte Tangmaro Scriptore ſynchrono in ejus Vita Cap. 5. *Muſivum in pavimentis ornandis ſtudium propria induſtria, nullo monſtrante, compoſuerit*. Attamen omittere nolo Anonymum Salernitanum, qui in Paralipomen. Part. II. Tomi II. Rerum Italicar. de Bernardo Salernitano Epiſcopo agens (vixit ille circiter Annum DCCCLV.) hæc habet: *Eccleſiam mirabi miræ pulchritudinis conſtruere fecit, & pavimentum parvulis Teſſellis in variis coloribus componi juſſit*. Aulicus etiam Ticinenſis (vide Tomum XI. Rer. Italicarum) Cap. XI. de Laudib. Papiæ hæc habet: *Plures Eccleſiæ pavimentum habent minutis Lapillis ſtratum, ex quibus per diverſos colores Hiſtoriales imagines & literæ ſunt formatæ*. Ex hiſce Lithoſtratis multa videas Romæ ac Venetiis; mireris autem, quæ Templum maximum Senenſis Urbis ſpectanda præbet. Sed poſtrema hæc poſteriorum Sæculorum induſtria peperit. *Sectivum opus* Veteres appellarunt varias ita marmorum cruſtas committere, ut inde figuræ veluti pictæ exſurgerent. Caſſiodorius, Gregorius Turonenſis, aliique meminerunt. Ennodium audi Lib. 2. Carmin. 91.

Unum de variis ſpeciem componere fruſtis
Qui potuit, ſaxum duxit in obſequium.

Nunc ergo redeat Leo Marſicanus nobis perſuaſurus, *Muſivariæ & Quadratariæ Artis ingenium a quingentis & ultra jam annis* uſque ad Annum MLXX. fuiſſe in Occidente intermiſſum: ego dicenti fidem, bonâ illius veniâ, minime adjungam. En quot Muſiva Sæculis iis ipſis fabricata vidimus. Ex his etiam multa ſuperſunt. Plura alia nulli memorata, jamque injuriâ temporum ſublata, nobis profectò mente concipere licet. Itaque hoc unum libens Oſtienſi dabo, videlicet Sæculo X., quo mirum in modum, una cum Literis Artes depreſſæ jacuere, Muſivariam quoque languorem in Italia contrahere potuiſſe, ita ut facile coactus fuerit, ſubſequenti Sæculo Deſiderius Caſinenſis Abbas, qui poſtea Romanus Pontifex renuntiatus eſt, hujus Artis peritos Anno eodem MLXX. e Conſtantinopoli in uſum ſuum evocare. Summa ſane fuit Græcis in Muſivis conficiendis, vel ab ipſa remota antiquitate peritia. Conſtantinopoli quoque vix ulla erant Tem-

Templa aut Opera publica, in quibus Muſivi aliquid non occurreret. Repugnare etiam nolim Manueli Chryſoloræ, qui circiter Annum MCCCC. in Epiſtola de comparatione Veteris & Novæ Romæ ſcripſit, a Græcis Byzantinis Muſivariam Artem in reliquas Europæ provincias emanaſſe. Nam, ut vidimus, Deſiderius Abbas Sæculo Chriſti XI. Artem hanc in Italia vel depreſſam, vel pæne antiquatam, revocavit e Græcia. At Sæculis præcedentibus fuit hæc iſta Latinis etiam familiaris, & paſſim ab Italis uſurpata: quod exempla producta confirmant.

A

Verùm nos (jam aperte dicam, quod ſentio) nos inquam ex Artibus noſtra ætate mirabiliter amplificatis, & tot ornamentis præditi, quibus omnibus Majores noſtri caruiſſe creduntur, ſuperbiâ elati, pæne eſt ut Sæcula illa, veluti omni humanitate ac ingenio deſtituta reputemus, & flocci faciamus. Sed non erat ne tunc quidem tanta morum & ingeniorum infelicitas. Et ne quis dubitet, an *Muſivorum* Artem gens olim Italica, veluti remſuam tenuerit, monumentum proferam, cui ſimilia bene pauca veterum membranæ ſervant. In Bibliotheca inſignis Capituli Canonicorum Lucenſium Arm. I. Cod. L. adſervatur antiquiſſimus Codex, ante annos fere nongentos manu exaratus, quem præ manibus habui; habuit & ante me Clariſs. Mabillonius, qui ætatem ejus, neque immeritò, retulit ad tempora Caroli Magni. Ibi inter cetera habetur *Euſebii Chronicon & Hiſtoria: Iſidori Chronicon, & Liber Officiorum: Hieronymus & Gennadius de Scriptoribus Eccleſiaſticis: Liber de geſtis ſummorum Pontificum*, deſinens in Hadriano I. Sunt illic & alia. Sed unum ego decerpſi, nempe *Compoſitiones* varias ad tingenda *Muſiva*, ad conficiendam *Chryſographiam*, ſive ad ſcribendum cum auro liquido, aliaque hujuſmodi fragmenta Artium & ſecretorum, ut vocant, Sæculi VIII. e quibus recte conjicias, tempora illa non tot tenebris involuta fuiſſe, quot nos liberaliſſime opinamur. Ante tamen Lectorem monitum volo, tum propter characterum implexas formas, tum etiam ob peregrinas voces illic occurrentes, ſed præcipue ob incuriam ac inſcitiam antiquiſſimi Librarii, multa eſſe vitiata in ipſo Lucenſi Codice, ac propterea mendis non carere exemplum, quod nunc profero.

B

Compoſitiones ad tingenda Muſiva, Pelles, & alia, ad deaurandum ferrum, ad Mineralia, ad Chryſographiam, ad glutina quædam conficienda, aliaque artium documenta, ante Annos nongentos ſcripta.

De tictio omnium Muſivorum.

C

Tictio omnium Muſivorum Praſini Vitri de mundo de Maſſa Libras V. limatura oramenti abſque plumbum ÷ II. Et mitte in vaſo nobo tecte, ſufferens ignem, & decoquens inferiora fornace Vitriari, die VI. Et poſt hæc eice, & confrangis minutatim, & iterum conflas; Praſino tingues.

De inoratione Muſiborum.

De inoratione Muſiborum facis pecula plus croſa quejiſſans. Poſt hæc facis illa alia: & pones peculum heramentinum, ut incenſum non herebit. Poſt hec pone pectalum aureum ſuper pectalum vitri. Et ſupra ponis pectala, ſuper alia multum ſupra petalum auri. Et mittis utraque in fornace, donec inchoat ſolvi petalum vitri; & poſtea ejcis, ut refridet. Et tolle: frigas faciem in tabulam plumbinam iſmironienan, donec adtenues faciam; & coloras illud.

D

De Moſibum de Argento.

Moſibum de Argento, ſecundò quod ſuperius expoſuimus, ita omnia facies.

De Smurettas tabulas.

E

Quomodo ſmiruttas tabulas plumbinas facis tabulam ex plumbum; & tolles miram viba, & teres bene munditer: aſpargis tabulam, & defricas ſemen vitrum, donec confringantur puliberas mire ad tabulam. Et poſt hec operaris cum aquam decolorationem; tolles tabulam, & ſcaraxas ſpiſſe erucatim.

De coloribus.

Metteres cretam argenti utiliter: aſpargis tabula, & defrigas ibi ipſum Vitrum, donec colari dietur.

Decoctia plumbi terra eſt fuſca.

Naſcitur in omni loco in ſolanis & calidis locis. Signum autem loci herbæ omnes infimæ & debiles: ſimiliter & arbores, terra foſca & petra, quæ ex ea naſcatur, & ipſa fuſca: cabatur autem in altitudinem propter eſtuantem Solis. Et poſt hæc tolles metallum ſolidas, & ipſa ſuperliter mittis in fornace. Iſta terra mutuoſa eſt Invenitur in montuoſis locis in ſolanis & calidis. Et non dimitte, ſicut principalis lapis, quia motuoſis & infirmus eſt. Frigida enim terram ſemper metalla debiles facit. Calida enim principale metallum redet fuſcum & mundum, & quod virtutem habeat fuſcum metallum invenietur. Lapis enim, qui in ea invenietur, ſubviridis eſt, eo quod virtutem habeat ſolarem & calidam, per quod metallus ardens ſintillas dimittit. In humidis enim locis pluſquam alitus metallus naſcitur.

Decoctio Plumbi.

Concoctio Plumbi. Metallum Plumbi foſcum eſt: & lapis, qui in ea invenietur, Praxinus deſuper exalbinum propter virtutem floris terræ metalli: & quod femininum ſit, ſintilla autem in probationem ali ſolbe: & lapis Praſinus naſcitur, ſed ſubalbidus, & pondus plus modicum metallus gravior. Maſculinum autem pluſquam gravior invenietur,

De-

Decoctio Plumbi.

Coctio Plumbi. Metallus ſuſeus naſcitur in omnibus locis: plus autem in calidis, & lapis, qui in eo naſcitur, variſus eſt, ſed non ſtabilis dat. Metallus verò gravat. Probatio autem metallis; tollis, mittis in ignem. Quod ubi ibi erit, & ſcintum fuerint, ſcintillas dimittit. Lapis, qui in eo naſcitur, humida eſt, & herbis, quæ in ea naſcitur, ſemper marceſcit præ calcinationem metallis. Colligitur autem ſic: pro veſtigationem. Solis cabat terra uſque ad cubitos tres altitudinem. Debilis eſt ipſa terra, & dum cabatur, deficit. Ipſa verò in fornace excoquitur, quemadmodum & ferrum. Plus autem invenitur Plumbum.

De alia plumbi coctio.

Alia plumbi coctio ex ipſa metallum. Ipſum metallum non ſiccat, ſed continuò dum labatum fuerit, mittitur in fornace ferri cum carbonibus, & lento igninum ſuccendes uſque ad noctem. Nocte autem ſuccende uſque ad dies horam quartam. Recoquitur autem, ut mundus fiat: & ſic mittitur in fornacem iterum, & ex carbonibus pini aut de abietem. Et decoques per horas tres: & operaris.

Decoctio Vetri.

Coctio Vetri. Arena eſt, quæ naſcitur in diverſis locis. Naſcitur autem & in partibus Italiæ in Montibus. Iſta arena eſt autem & petra: habet colorem vitri, ſubnigra. Iſta autem eſt probatio. Tolle ex ipſa arena. Mittis in caccaba utiliter. Incendis cum carbonibus; & decurret de ſub manum Vitrum, ſed inutilis. Tolle & eamdem arenam, & delabas propter pulverem, & dimittis deſiccare. Facies fornacem de Vitriarium. Et facies duos folles, & ipsá coctione priori Vitri decoque, veluti picis coctionem. Et tolles illud priore Vitrium, quod inutile eſt. Et comminues, & recoques in ipſa fornacem, ſicut picem.

De Pelle alithina etinguere.

Qualiter debeatur **Pelles** *tingui alithine. Tolles pellem depelatam & labatam utiliter: & tolles gallam. Mittis per unamquamque pellem Libras V; aqua verò Libras XV. Et mittis pellem, & exagita unâ die. Et poſt hæc labas bene, & deſiccas. Tollis alumen Aſianum, mittes calidam aquam in ipſum alumen, & dum reſiderit, inde ex illo ipſam aquam, & mitte iterum tepentem aquam, & exagita: & mitte in ipſam unam, aut duas, aut quantas volueris pelles, & tolles. Labas illas ſemel, & mittis bermiculum per unamquamque pellem dimidium Libr. . . . . . . Hæc eſt prima tictio Pellium. Tolles bermiculum, & teres in mortario. Mittis orinam exſpumatam in cacabum calidam, & ipſum bermiculum tritum mittis in linteolo raro; & mittis in cacabo calente, & exprime, quouſque exeat, quoad exierit de linteolo: & reliquum, quod remanet, mittis iterum in mortario, & teres. Et ſimiliter mittis, & exagitas, donec non remaneat in linteolo aliquid de ipſo bermiculo. Et tolle ex ipſa confectionum, & conficis ipſas pelles, ut utrem. Et mittis ex ipſa jotta per unamquamque pellem Libræ dimidiis. Et defrica bene, & dimittis tota nocte manere in ipſo, & manet. Confice,*

A *ut ſufficiat, & fundes. Laba, & deſiccas labora.*

De ſecunda Tinctio.

Secunda tinctio in eodem. Itaque extende priore pellem. Tinguitur pelle pecurinam in ipſa meditationem, in qua pelles caprinæ tinctæ ſunt.

De tinctio Pellis Praſinis.

Tinctio Pellis Praſini. Tolles pellem depelatam, & mitte ſtercus caninus & columbinus & gallinacium. Et ſolbis ea in jotta. Et mittis in ipſa pelles, & conficies eas ibi per tres dies. Et poſt hæc eice illas exinde, & labas utiliter.

B *Demitte deſiccare. Et poſt hæc tolles alumen Aſianum, & ſecundum quod ſuperius docuimus de alithina; & tolle poſt celuza. Et ipſas decoques utiliter cum urina. Dimittis refrigidare. Et cuſe ipſas pelles, ſicut utres, quomodo diximus de alithina. Et coctione mittis in ipſos utres, & confrica bene, & inſufflas modicum, ut habeant ventum. Et confice bene, donec combibat ipſum medicamen. Et poſt hæc refundis ex ipſis. Et tolles ipſas pelles. Laba ſemel. Et poſtea tolle de Lulacim ÷ IV. per pellem, & urinam deſpumata Libras I I. Et commiſce ipſum ut Lulacim. Mittis in ipſos utrem ſicut jotta luze, & conficis bene, donec ſumatur ipſe humore confectionis. Et refundis, quod ſuperat,*

C *in pecorina jotta luza & lulacin, ſicut prediximus in alithina. Et exiet pecorinas ſecundo Praſinum.*

Tertia tinctio.

Tertia tinctio vener pelle. Sicut ſuperius diximus, confices. Et poſtquam labantur, mittuntur in alumen, ſicut diximus, & poſt ei celeſtipterea. Et poſt tolle Lulacin dimidia Libra, burinam ſpumatam Libras X. Et commiſce in unum. Mittis in duos folles: & mittis modicum ventum. Confice, ſicut ſuperius diximus. Illa autem per dies quattuor aſſidue conficies. Similiter & poſt quattuor dies mittis in

D *pecorinam. Similiter & ipſas confices per dies quinque, & labas. Dimittis ſiccare.*

Quarta tinctio.

Quarta tinctio melini. Confices ſimiliter ipſas Pelles alumina eodem modo. Et poſt hæc labas: de poſt alumen. Et tolle Luza, piſa, & decoques bene cum burina diſpumata. Et poſtquam refricdaberit, mittis ipſa jotta in ipſos folles. Et conficis, ſicut prediximus per dies quinque vel ſex. Et poſt hec refundis; & tinguis pecorinas, ſicut ſuperius diximus, & labas: deſiccas.

E

De prima pandii tinctio.

Prima pandii tictio. Confice eodem modo pelles. Et mittis ſimiliter in alumen. Et poſt hec labas. Tinguis ipſas pelles in Vitriolo, & labas bene. Et compones bermiculum, ſicut ſupra. Et deinde ex ipſa jotta coctionis mittis in ipſe folles, & conficis, ut docuimus, & refundis operari pecorinas. Et labas: deſiccas.

De ſecunda pandii tictio.

Secunda pandii tictio operaris. Tingue, ſicut prediximus, cum Vitriolo. Et labas utiliter.

Mit-

Mitte ex jotta Luze in ipſos folles. Et confi-ces per tres dies.

A

De tertiis pandiis.

Tertius pandius. Tingues, ad modum diximus, melino. Et poſt hæc tolle jotta concina, & mitte. Confice, ſicut prediximus: corallus tenuis boni coloris, rubeis, marinis; tritis Libra una Lacca; conquilium Libra una; & calcitarin ÷ duas: galla ÷ duas. Trita omnia, & commiſce. Et decoques cum hurina adſolet, & volueris ipſas pelles, ſicut prediximus; & dum volueris tinguere, mittis ex ipſa jotta, & de urina diſpumata, & mittis in ipſos follem. Sed confices per dies tres. Poſt hæc labas bene, & deſiccas.

B

De Porfiro melino.

Porfiro melino. Confices ipſas Pelles, ut ſupra. Et mitte in alumen; & deinde labas, & tingue melino. Poſt hec temperas coccum, & ipsâ temperatione mittis in ipſa pelles tinctas. Et confices.

Tertius Pandius.

Tolle rubiam, & piſa bene. Mittis in caccabum, & hurina decoques utiliter. Et poſt mittis modicum alumen, & commiſce. Et ponis, ut refricdet. Et poſt hec colas ipſas. Jotta mittis in ipſos folles: & conficis bene die una. Et labas: deſiccas. Et poſt hec tolle jotta Luze ÷ unam, & lulacin ÷ unam: & commiſce, & tingue faciem de pelle.

C

Tinctio oſſuorum, & omnium cornorum, & omnium lignorum.

Tictio Praſinarum de quodvis ex omnibus ſupradictis. Oſſa autem mittis in alumen Aſiana dies duodecim. Cornum autem aluminas diebus octo. Lignum verò quattuor. Et poſt hæc decoques Luza bene. Deponis quodvis, donec ferveat, & dimittis, ut refricdet. Et deinde tolle ipſud, quod mittis, & facis lulacerin; mittis & dimittis illud diebus quinque. Et poſt cice: & labas.

D

De tinctio Veniti.

Secunda tinctio veniti. Aluminas, ſicut ſupra diximus, & facies lulacerin. Mitte, & quodvis & dimitte dies decem, cornum decem, & lignum tres.

De conpoſitio cathmiæ.

Conpoſitio cathmiæ: nitrum partem unam: ſulphur partem unam: Alia cathmia: alumen partem unam: ſulphur vibum partem unam: nitrum partem unam.

E

De tinctio Vitri Praſini.

Tinctio vitri Praſini. Tere vitrum bene. Limas heramen mundum, & mittes in Libras de biturum heramen ÷ III. & coques per dies III. Alia Tinctio. Teres bitrum bene. Mitte per .... heramen ÷ I. halumbi Hegiptii ÷ I. & quoques per dies III.

De alia Lactis coloris.

Alia lactis coloris. In Libr. mittes ſeagnum ÷ III. & quoques pir dies II.

De Tinctio ſanguinea.

Tictio ſanguinea in Libr. mittes cinnabarim ÷ III. & coques per dies II.

De Tinctio rubea.

In Libras vitris trita ſimitin ÷ II. & quoques & dies II.

De Tinctio Alithini.

Tinctio Alithini abſque ignem .... ungues ſubtiles vitrice, & ungues dracontea .... ſanguineus. Et fiet ſicut rubea de minus tincta melini colore minus tincta melini coloris in Libr. theuſpis ... ÷ II. & quoques dies III. Rubeo in Lib. ..... ÷ II. ..... iſta omnia commiſca. Et teres bene. Quoques unam ora fiet ignis, ſed ſecundùm priorem virtutem. ſed & modice ....

De Tictio melina.

Tinctio melina: alumina, ſicut ſupra diximus, & coque Luza utiliter cum hurina expumata, & mittis dum bulliet.

De colores ſimili cinnabarim.

Colores ſimiliter cinnabarim ſenopidem decocta partes duas, ſiricum partem unam. Commiſce in unum, & temperas cum aqua, & fac cod volueris.

De Pargamina.

Pargamina quomodo fieri debet. Mitte illam in calcem, & jaceat ibi per dies tres. Et tende illam in cantiro. Et rade illam cum nobacula de ambas partes; & laxas deſiccare. Deinde quodquod volueris ſcapilatura facere facere, fac, & poſt tingue cum coloribus.

De Compoſitio Pſimitthin.

Compoſitio Pſimitthin. Tolle acetum acerrimum: funde in anſum, ut facias quaſi dimidium. Deinde plumbum delatum & extenuatum ſuper acetum ſuſpenditur, ſicut acetum remiſſum: ipſa in anſum beluti fex ſubſedit, que facid elimpidatum acetum lebicam, & in Sole ſiccata terimus, & in aqua diu labamus, ut nihil habeat aſperum, & lebicatam aquam in Sole ſiceamus.

De Calecetis.

Calecetis. Glebæ naturalis, que in Cipro Inſulam invenitur, metalli cis colorem ſub auro ſum .... intus benas habet defiſſas, aſper ut alumen ſciſſus, & in modum ſtellarum fulgentis.

De Cebellino.

Cebellino fiet ſic. Tolle lignum cerrinum, aut de .... & munda ramus ejus ex corcite,

te, & fumem ipſo lebitur dolo. Et poſt hec mitte illud in aqua, & obruis in loco ubi eſt conſlum an . . . . XX. Et poſt hec mitte . . . . ſum, & dimitte ad umbra deſiccare omnem omnem. Et dum bolaveris, labora quid vis.

De Memoriam.

Memoriam univerſorum herbarum, lignorum, lapidum, terræ, metallorum, omnium, aquæ, fungi, ſolimntris, frenatrie, reſine, terre, ſulfuris, aluminis, de metallis. R. quidem metallorum quidem ſpecies hoc primis. Metallum ex quo fiet auro terra ruſa a modis ſubruſa, unde propter aſpe . . . . . . tant. . . . . . . tale terra eſt enim & alia ſimilis. Et dum incenditur, perdet colorem. Et non eſt arenoſa, ſicut alia prior. Naſcitur autem in ſolimnis locis ex terra, & ſit metallum auri. Metallum vero argentis umidis eſt. Metallum autem heramentis, petra eſt viridis, colore autem petre ſimilis heramentis. Dum percutis cum petre bolo, ingnem emittit. Auricalci autem petra eſt melina: eodem modo ingnem emittit.

De Metallum, lapis-eſt.

Metallum lapis eſt colore ipſo gagizon.

De Plumbum.

Plumbum autem terra eſt fuſca. Lapis verò, que in ea invenitur, viridis eſt.

De Vitri arena.

Arena, unde Vitrum etallizatur, eſt enim & lapis, & ipſi Vitri coloris.

De Vitriolum.

Vitriolum, unde fiet terra cgrizos . . . . crete ubi verno tempore gutta, que ipſa colligent, & deqnequet: ex ipſa terra fiet calcatarin; que autem arida, Vitriolo.

De Alumen.

Alumen autem metallum, eſt terra floriens de eritarin. Eritarin terra eſt alba, facilis ad piſandum.

De Sulfor.

Sulfur ex terra naſcitur, & ipſe incenditur locus. Coctum autem commixtum oleo, & coquitur.

De Nitro.

Nitro ſal eſt, quod naſcitur in ra. . . . . . & in limnas. In zelipo cavatur.

De Salſciſtis.

Salſciſtis naſcitur ſimiliter.

De Afronitro.

Afronitro verò naſcitur in loco Nitri prius qui . . l . . . . & componitur autem & alium ex Nitro principale autem ſpumam a . . . . alba ut nix. Compoſitum autem plus fuſcum: abet autem eandem virtute.

De Terra ſulforiton.

Terra ſulfuri tantum naſcitur in eodem loco, ubi ſulfur naſcitur. Ipſa autem terra generat ſulfur.

De Lapis etmathitis.

Lapis etmathitis naſcitur juxta locum, ubi ſulphur naſcitur.

De Argentum vibum.

Argentum vibum naſcitur ex terra. Naſcitur & alium ex metallum argenti in conſlationem.

De Auripimentum.

Auripimentum metallum eſt terre.

De Lapis gagatis.

Lapis gagatis invenitur in univerſis locis.

De Praſinus terra.

Praſinus terra eſt metall. . . . . . zatur.

Lulax.

Lulax componitur ex terra & erbis.

De Lazuri.

Lazuri compoſitum. Cimus compoſitus, ſicarim compoſitus, jarin heramen, flos pſimitthim, plumbi flos. Ogrea terra eſt pandia omnia colores omnes. Compoſitio Calcuce Caume numet. . . . . . eramen fiet. Cinnabarim ex argento vibo fiet. Stricum ex ipſimithim fiet enim, & ex plumbum herbarum autem terra & lignorum. Chriſocollon arbor eſt non alta, melinum habens interiorem lignum nucis cortices eſt frutrices oligine, cortice mela, cortice bulmi, cortice celta cortice. Hec omnia tinctioni ſunt. Rubia ſilvatica, Luza eſt monoclıſus, G lla glınde eſt Tamuſaticar puſtris eſt. Anticalbus Titimallin herba eſt. Dantral ſis diſſobogauto herba eſt reſina, omnes ſpecie ex pino, & ſappino: quoquitur pice recocta: pecolas ſemel hedria ex ligno cedrino coquitur. Reſina ex a pino naſcitur. Reſina abietiam ex abiete. Naſcitur maſtice ex lentis: connaſcitur Zigea ex Zigeo. Gumma ex Atrinia. Secunda gumma ex Acmidala. Oleo ex Oliba. Lineleon ex ſemine lini fiet. Corallum ex mare. Oleo lentiſſimo ex lentis. Co fiet conquilium ex mare. Sal ex mare. Hec omnia preſignavimus tinctionum coctionum, quorum Rec. . . . . . lapides prediximus, metalla, haluminationes, herbas, quas inveniatur, qu. . . . . . ex reſinas colea, reſinas terras; quid eſt ſulfur, olea, aqua negra, aquas aſmaginas, viſcum, & omnia plantationum agralia, & omnia, que germinantur & domeſticis & marinis. Cera Apium, axungia: aquarum autem dulcia omniaciem: lignorum verò pinus, ſalſerinus, giniperum, Cipariſſus, cinere autem, glınde & ficus: omnium iſtorum requiſitiorum ne aque recipit, qu. . . . ex urina expumata acetum cum aqua pluviabile aquam ante primus omnia iſta prediximus. Modo autem plena menſura . . . . Lib. X.

Sexta-

A *Sextarius Lib. III. Cont. . . . autem Lib. XII. Cal . . . IV. ideſt Lib. XL. Temperatio autem aceti cum aqua pro inluminatione ad hoc . . . . .*

De Petalo auri .

Quomodo Petalum auri fiet . Aurum Bizantium ÷ I. Argentum mundum ſicut . . . . . ÷ I. commiſce in unum , & purgat illum per plumbum . Et poſt funde : exinde commiſce, & batte lacmina ; & poſt illa battuta ſubtiliter recide illam per penſum uſquecumque tremiſſes Bizantii . Et poſtquam perfecti & qualiter : & ſi una longa fuerit aut curta , per martellum adequetur tam de latum quàm de longum , ſi qua fuerit . B *De ille ÷ duas , octo petiæ fieri debent . Scaldato illo in foco , batte , & tene illud cum tenalea ferrea , & cumque battis , ſed tornatur de intro in foras ut curtæ in medio ad paris eat ; & quando creſcens emiſce unum , recide illas ſuper cultellum per penſum tertias vices , & in quarta vices ubi equale penſet ſuper totum , & plicatum illud caput ad caput , & penſat equale , & dextende , & a forfice recide ; & ſuper ipſas capillatoras capud ad capud ponatur & battatur manu una lebiter , & mittatur in oleo . Et poſtquam ſunt de ille octo petie ſexaginta quatuor , & poſtea facis caſa eramenlea , & ſemper eum ſcalda , & aliud eramen pone ad battere una petia deſuper & una deſubtus . Et* C *quomodo battis ex martello plano tantæ manus de illo capite , quantæ de illo . Et quomodo creſcit ſemiſe prima recide illud : & pone unum ſuper unum uſque in tertia vice . Poſt in oleo mittatur : & ſemper eramen placantur & aliud jungantur , & tandium battatur , ut de ille octo petiæ mille XXVIII. Et circinetur illud a forfici , & ipſe circinant reſtringe in pannum lineum , ut debeat ardere in ipſa fornace , ubi petalum mittitur . Et ipſa fornace debet fieri pedes duos alta a terra ; & ponatur tegula pertuſa ſuper murum de uno latere , tres pertuſa , & de alio tres , & in medio unum , & alia tegula ponatur ſuper ſemiſſe unum altum a terra , & pertundat ipſa in medio loco & a terra pertuſa unde mittantur ligna , & denante unde mittatur aurum :* D *& ipſum aurum debeas commenere de femum bovinum munditer fiere & de ſale , & quale arſa trita ſicut cinere commiſce in prima vetere cinere mittatur , & in ſecunda nova , & in tertia a ſimili ſetaccientur . Et poſtquam petalum coloratum fuerit , quidquid laborare volueris deaurationem petali cum bluta de obum gallinacium . Et ſi deauratione vitri fuerit , ſic ſimiliter , & ſi deauratione lignum fuerit , cum gipſo bluta faciatur . Corium taurinum crudum capellatur , & bulliat in cacabum novum cum aqua , & deferbeat dies duos , & tres dies temperas cum gipſo , & in ligno , aut ubi volueris , facet : tollet pellem de ſquatru quadriga cum ipſum gipſum , & poſt illum ſiccum rade cum cultellum acutum ,* E *& deaura poſtea . Et ſi plumbum deaurare volueris , funde illud ſubtiliter , & rade munditer , & pone petalum ſuper , & cum ematite lixas , & ſtagnio opera ſi deaurare volueris ſimiliter .*

De ferrum deaurare .

Si autem ferrum deaurare volueris, tolle calcitarim & alumen Aſianum , & equis ponderibus , & ſal ſimiliter , & dracantum , tantum penſum , quantum tota tria , & commiſce cum aqua iſta tota , & in cacabo eramenteo mitte . Et per horam unam bolliant . Et ungue ipſum ferrum , ubi deaurare volueris , & modicum laxa ſtare , & terge illud , & fiet color eramentium . Et tolle lapidem onicinum , & lixa illud ; & ſi exierit & color eramenti , & retinguet eum , & ſi ipſa deauratura non voluerit , prinde , remiſce cum medicamen equaliter , & ungues .

De deauratione Pallii.

Ad deaurationem Pallii , ſicut ſuperius diximus , de bluta taurotica in qualemvis pannum facere volueris , & ſi lixare volueris , cum onicino lixas .

De Millii cum zubride aurare .

Si Millum cum zubride aurare volueris cum petalum cum blutam obi gallinacium , & ſi ipſum millum facere volueris , tolle maſticem libanum ÷ unam , piſa in mortario , & commiſces in unum , & fac millum .

De confectio Lucidæ .

Confectio Lucidæ quomodo fieri debeat petalum aureum lineleon ÷ V. galbanum ÷ II. terbentina ÷ I. piceſpina ÷ I. Iſtæ tres ſpecies ſolbe in unum ſemel cum modico lineleon , & poſt ea Crocum orientale ÷ I. libanum ÷ IV. murra ÷ II. maſtice ÷ II. reſina ſapphini ÷ II. flore puppla primotica ÷ II. veronicæ ÷ II. lineleon e tauricella commiſce eat maſrana , colas poſt tota ferſa miſce ibi cum maceras ÷ II. croeum , libanum , murra , gumma , ceraſim , reſina ſapphini , flore puppli , veronicæ . Piſa iſta tota , & cribellata bulliat cum uncias quatuor lineleon . Et poſt totæ bullite per linteum colatæ , ſic debeas miſcere iſtæ in ſpecies , quod eſt galbanum & terbentina , & piceſpina . Et ſi aliquid vitium poſtea habuerit , ut ſe deſiccare non poteat , junge maſtice quantum volueris , aut unciam unam , aut media .

De Petalo argenti .

Petali argenti in modum auri battatur de petalum ſtagneum , quomodo petalum ſtagneum fieri debeat ÷ II. batte lamina longa & gracile , & recide ea per penſum uſque at quinque vices & ſuventium eum divide .

De fila aurea facere .

Quomodo petalum fiet ad fila aurea auro bonum ſicut metrum , batte lamina longa , & gracile ; quando per longum battis , plica eam in unum ſuper unum ; & ſic eas battes : ſed plectaturas non battis . Et poſtea aperis aurum per medium , & amba capita non battuta in medio veniant ; & batte , & cum ala eum divide . Et poſt debeas adplanare cum matiola lignea , & de ſolum unum debeas facere tres petalas . Et poſt tolles forfices bonas ſuptiliſſimas longas & graciles ; & circina illum uſque ad ſanum , & plica unum cata unum petalum : & continua illa cum contena afferrea . Et tota ſic ſimiliter fieri debet . Et tolle carbones minutos . Adprehende illos in focario . Et debeas mittere tota petala intro modico & ſabata , & quale ut tota ſcaldata fiat . Et habeas aquam paratam : & berſa ſuper , ut adluminentur ſe ipſe petala . Et poſt tolle dragantum mundum : & diligenter piſta illud in mortario ; & ſal equis ponderibus . Et frica cum

aceto intemperaſſe, vadas per petala de ambas partes equaliter cum penni, & in focarium fundas per medium. Sic coloratur aurum. Et cum aquam munda laba: & divide eum, & abſconſis, & poſt capula polis . . . . . XII. tremiſſes penſent ad . . . . & ad aurum textum gravis, ut XV. tremiſſes penſent. Et ipſa fila longa palmi III. Et petala ſic eſſe debent.

Decoloratio petali argenti.

Decoloratio petali argenti. Alumen Aſianum partes duas. Sal unam. Piſta cum cribellatum unum ſit in petalum modicum, & mitte in fornacem, ſicut ſuperius docuimus ad aureum; alia coloratio: fimum de bove munditer incenditur & ſal, ſimiliter omnes.

De tictio calcis in colore.

Auripigmenti tolle una, & petia ad petias ſterne ſuper calce. Et faceat ſic die & nocte una in aer. Et quaquid volueris in pariete facere, fac.

De lucide ad lucidas.

Super colores quale fieri debet. Lineleon ÷ IV. terebentina — II. galbanum ÷ II. larice ÷ III. libanum — III. murra ÷ III. maſtice ÷ III. veronice — I. gumma ceraſi ÷ II. flore puppli ÷ II. gumma amygdalina ÷ II. reſina ſappini ÷ II. Quæ piſande ſunt. Piſa & gribela, & cum ſuperius mitte in gabata auricalca. Et mitte in fornaculicio, & ſine flamma coce, ut non exeat foras, & poſt cola cum linteo mundum. Et ſi radiaverint, decoque; & uſquedum ſpiſſa fiant, & quaslibet opera picta aut ſcarpilata inlucidare ſuper debeas. Et pone ad Sole. Deſicca illam.

De eramentum album.

Ut in focum non perdat colorem in calicelo in fundis in ſummum vitrum mitte, & ſic conflatum: & quomodo eum fondis cum ſubcellum aperi eum.

Chryſographia.

Aurum obrizo limas. Lima tenuiter. Et in mortarium porforiti committis. Et adicies acetum acerrimum. Et teris pariter, & labas quamdium nigro fuerit. Et effundes tunc. Demum mittis aut ſalis granum, aut certe nitrum. Et ſic ſolbitur. Et poſtea ſcribis, & litteras pellis. Sic omnia metalla ſolvuntur.

Alia Chryſographia.

Plumbum conflas, & frequenter inunguis in aqua frigida. Et tunc conflas aurum, & reſtingues in prædicta aqua. Et fit fragile. Deinde limatum teris diligenter aurum cum argento vivo, & purgas eum diligenter, cum eſt liquidum. Et ſcribes ante; in alumine liquido calcimum tingues, quod alumen cum ſale & aceto obptimo purgas.

Alia auri ſcriptio.

Sumes laminas aureas & argenteas, & teris in mortario in ſale Græco vel nitro, donec non pareat: deinde mittis aquam & effundis. Et iterum mittis ſal, & abluet ſimiliter. Et ubi

A *par aurum remanſeris, adicies æries flos modicum, & fel taurinum. Et conteris ſimul, & ſcribes, & literas polis. Si vero vis, ut diffuſum ſit, & ambundantis vis ſcribere, teris ſeparatim auripicmenti quatuor partes ſciſciles, & electri parte una: & crivella; & miſces inde tantum, quantum equales ſit auro; & conteris pariter, & ſcribes. Cum ſiccaberis, polis. Ex hoc autem & tinuitur eo & in marmore pinges, ita ut ſimili modo quaſi cum auro ſcribas.*

Scriptio ſimilis auri.

Scriptio: elirium ℥ *tres, rexine frixe lucidiſſime* ℥ *tres, gumen auricolores* ℥ *tres,*
B *auripigmentum clarum* ℥ *tres, fel teſtudinis* ℥ *tres, albumen oborum* ℥ *quinque. Sint autem omnia* ℥ *XX. Adicies autem croci Cilicenſis* ℥ *ſeptem. Scribis autem non ſolùm in membranam, aut carta, ſed etiam in vitreo, vel marmoreo vaſe.*

Inauratio pellis.

Tollas pellem rubeam, & pumicas eam diligenter, & temperas aquam tepidam, & labas
C *ea diligenter, quoadusque limpidam aqua egrediatur. Deinde tendis in cantario, & lamnizas uſque tres vices. Poſt hec tendis in axe mundam. Sic facies deſuper, & cum ligno mundo cuoequas diligenter. Poſtquam autem exſiccata fuerit, tollis albumen obi, & ſpungias munda, & intinguis in ipſum lacrimem: & inducis ſemel per ordinem. Si autem non ſufficit, inducis iterum. Et cum ſiccatum fuerit, ponis petalum. Deinde intinguis ſpungiam in aquam, & premis, & cum ſiccatum fuit, polis. Deinde ſuper cum pelle munda fricas. Iterum polis ſimiliter, & dracanto inauratur, ita tamen, ut mit-*
D *tas in aquas ſub nocte, quoadusque ſobatur.*

Quomodo eramen in colore auri tranſmutetur.

Tollis eramen mundum limatum partes duas, & alumen Aſſianum in mortarium piſatum diligenter & cribellatum partem unam, & comiſce. Et mittis in caliclo, & ponis in prunis, donec confletur, & comiſceatur heramen cum alumen. Et deſine ſuccendere. Nam ex multo incendio incendet alumen ipſut eramen. Et poſtea infundet ex urinam ipſam formam vaſorum, que vis facere. Et ſic funde ipſum eramen: in ſecunda cumflatura non perdet colorem; in tertia perdet. Cum limas, non perdet colorem,
E *& cum battis non perdet colorem. Cum verò frangitur, inutilis erit . . . . . omnia alumen Hegyptia freſa ſolid. tres, nitrus ÷ unam.*

Operatio Cinnabarim.

Componitur ſic. Tolles ydroargiris mundus partes II. ſulfuris vibi partem I. Et mitte ampulla ſine fumo, & leniter igni decoques: facies cinnabari. Et laba utiliter. Poſt hec tolles petala mundiſſimas de eramen. Et ſuſpende ſuper acetum accrrimum. Pones ad ſolem immobilem. Poſt dies aperies, & tolles ipſa petala. Colliges

ges florem, & facies jarim mundiſſimum. Poſt tolles plumbum. Facies petala. Suſpende ſicut primum ſuper acetum; & collige ipſum flore. Et labas bene, donec mundum fiat: & facies fini . . . . . Tolles de cinnabarim partem unam, & de jarim partem dimidia, & dimipſim partem dimidia. Et mittis in mortario marmoreo, & teres bene. Poſt tritionem mitte ex aqua, ubi coquitur hic titio-collon, & fiet.

Picmentum pandium.

Pandius porfirus: jotta decoctionis coquilii Lib. I. Cinnabrim ÷ I. ſiricum d . . . . . ÷ I. Omnia trita, & cum modica hurina commiſce. Mitte in vaſo vitreo, & reponis ad Solem, donec dicſiccetur.

Quianus noſcitur ſic.

Propter penſum ante commixtionem ſpecierum marmorem tritum bene commiſcis ſecunda menſuram coctionis. Pandius viridis quianus: Lib. I. ipſimittim ÷ Itu mitte: commiſce cum hurina expumata. Pandius quianus Lib. I. cinnabarim ÷ I. Trita cum hurina expumata. Hec omnia expoſuimus. Q . . . . . . ex terrenis maritimis floribus vel herbis expoſuimus virtutes vel operationes earum in parietibus, & lignis, linteolis, pellibus, & omnium Pictorum. Ita memoramus omnium operationes, quæ in paretibus simplice in ligno, ere commixtis coloribus in pellibus ictiocollon commixtum.

Compoſitio Pis.

Primo pice urida ÷ I. dragmas duas ſulfor vibus. Sol. III. Reſine ℥ III. Seyra: halii dicunt aqueoleum, halii flore, atque haluquedonia: Alexandrini autem amoraque. Naſcitur autem in aqua, ubi alba terra, terra ruſſea, terra nigra: & inde autem de aqua fiet melinus ſuper aqua in circuito exitus aquarum. Eſt autem qua gravis & egrota pro terra, que flore generat. Si autem colligitur, Martius, Aprilis, ſi calidos locos uſque ad Octobri menſe; colligitur autim ſic. Tolles ante lana molliſſima labata, & imponis ſuper aqua, & exprimis in vaſo vitreo, abentem pertuſo modicis ſicera: aperies ipſum pertuſum, & ſubpone lana munda, donec deliquetur ipſa acqua & remaneat amoraque. Itaque amorem aque mittis ℥ I. balſamum mundum ÷ I. aurias VI. oleum ſ. . . . licum. Alii oleum ricinum dicunt: alii laucidis, alii verò viſcum ſoli ℥ I. piciscipreſſini Sol. I. aureas XII. piciſpinis Sol. I. Rapone exoleos Sol. II. nitro Sol. I. relinisteo., alii ſodica, alii paudii ruſpeant, alii gugmam, alii manticam, alii timon, alii tricas, alii trico relmon, quo modo appii naſcitur in aqua, in parietibus. Ubi calce qui dicitur erba cappillacia arida: terita ÷ I. aulocias, alii ſticis, alii galmidam, alii gaddian, alii geropha, alii Marci Anini. Alexandrini autem ſcara mundianis, auri papati, herba ſubtilis ramoſa ſpina involuta albidiante: multi exinde accedent candelas. Naſcitur autem in locis petroſis & aſperis. Folia ſicut murta, & ipſa, arida & trita Sol. III. ℥ I. robaſticis, alii cocudera. Naſcitur ſicu rubus fortiores ramos & ſpiſſus: fructum verò ex-*

A *milem Zizi Feblus rotandus, pro quo vocaverunt gentiles Zizifa acreſtis, habet intus grana triangula piloſa: ipſa grana ſiccata & trita Sol. I. omnia arrida trita ſimot . . . . . Poſt hec comiſce omnia: adezizza Sol. duo, & comiſce & aterres hutiliter. Repones in vaſo teſteo vituminato. Et dum bullierit lento ignis ſemel, fiet compoſitio picis.*

De extinguendum ignis.

Dicamus nunc ad extinguendum, qualem opertet abere remedium; ſi exarderit ingnis, neceſſe eſt cum furvere extinguere. Si plus arſerit, arena infuſa netrina.

B

De Lazuri.

Lazuri: principale folia floris viole collige bene, & in murtario mundo teres bene, & mitte ſaponem: ex aur . . . . . . ungia ſine calcem mundus facies cum aqua tepidum; & ſolbe ſaponem in Lib. aque ÷ I. & fricas hutiliter ipſum ſaponem cum aqua, & dimittis refringerare. Et poſt hec mittis ipſam commixtionem in ipſos flores tritos tritura flores. Et mittes illum in vaſo vitreo, ubi poſſis manum mittere. Et reponis illut ibi; & poſt tempus ibis commiſcere. Semper commiſcis eodem modo, & permovis, comiſcis, aut non comiſcis, cotidie mobis ſemel in
C *die uſque ad unam ebdomadam. Poſt hec tres dimittis, & duos permobis, donec decoquas. Poſt hec tolle ÷ Lilium fuſcum malorem, qui eſt porfir . . . . . qui habet foliam veluti coltellus, ſimul & ipſum defricas in mortario hutiliter, & dimittis ſine ſapone, mittens aquam. Et poſt hec tolles ex viole compoſitionem Lib. II. alumen Egiptii. Spuma ſi forte eſt ſapone ſpumatum alumen mittis; ſi debile, crudus, mittis ÷ II. hurina ſpumata Lib. I. & lento igni decoques per oras ſes, & ſimul t . . . . . . eſt, mittis urinam ſive romultum Venetum. Mittis plus alumen. Si autem Lazurin viſci . . . . ex albo lilium domeſticum mittis, quas ſufficiat, & decoques. Cuſtum autem coctionis tollis lignum*
D *concabum. Eice Lazurin; erba papaberis cocta cum folia florum reponis in piniatu novum una die, & aperies, & pones ad una die, & dum marceſcit, tolles aquam inctio collon hutiliter cum modicum cinabarim: commiſce, & exiet color pandius.*

Compoſitio Lulacin.

Flore caucalide, flore lini inmundi magna mole duarum ſupradictarum, debiolam ÷ I. no . . . . . partes duas, de majore partem unam, magma autem talem nos ſecundum compoſitionem Lazuri, ſed tantum cum aqua: de Lilio autem Veneto majore partem una iſta magmata fient,
E *ambas in lignum detritum hutiliter. Reponentur in vas vitreum magmata duo: viole autem minore ſimutim facies magma, & de lilio Veneto majore ſimutim facies magna. Deinde mittis de labo, ideſt de cuo callida & de tenio partes duas, & de viola minorem partem I. & majorem partem I. alumen Egyptius ſpuma in Libras de magma quattuor ſpecierum alumen Sol. V. ſapone ex axungia ſine calce ÷ I. Iſta decoques. Modicum teres unguatum, exnerbiatum uvatum Lib. I. Poſt hec commiſce magma decocta cum ipſo uvatum, & comiſce cum coctione magme, & hutiliter teres, donec pulvis fiat. Tolles poſt hec, & pones ad Solem. Iſtud eſt Lulacim. Zebelu-*

ſe&ſtori ponis & ex floribus compoſitum eſt. Flores ... quod græce ... dicitur, alii camedrum; colliges flores & repones; & poſt hec uſque ... ex ſapone ... & deinde ... flores, & repones in vaſo. Poſt hec ... ſapone & ipſis flores ... defricat ... & repone ... donec ipſi flores conſumentur. Et repoſitum in vaſo cooperies utiliter in locum calidum. Et aperies. Coqueſce, donec fiat ... colores. Et poſt hec dimittis eum diſcoopertum: ... cum panno cooperis; ... Et tolles de ... viride, & decoques ex ..., dequoques cum hurina expumata, donec ... & ... quandiuſque conſumatur ipſa urina, & fiat ... ipſa ... Et dimitte, ut refrigidet. Et tolles de flore ... Lib. III. ... Lib. II. & cinnabarin dimidia —, & commiſce: teres utiliter. Cooperies ipſum mortarium, & dimitte illum requieſcere. Et tolles ip..... & ... intus & foris hutiliter, & dealbas, ut ... dimittis ... Et tolles ipſa ..., & ponis in cacabo novo, & dequoques in fornace, donec ardeat & fiat pulvis, & refrigidet. Teres ... hutiliter. Tolles ex ipſo pulverem Lib. I. & tolles ... mundum, & mittes in alia urina diſpumata; & teres diutius, donec turbuletur ipſa urina, & fiat viridis. Et poſt hec ex ipſa hurina turbula ... in ipſum mortarium, & ... Et repones in vaſo novo. Et pone ad Solem diem unum; & poſt cooperies, & lintes. Et pone in fornace de Vitriario ſuperius die una. Et exiet Lazuri.

De Ruſſeo.

Ruſſeum vero de tribus ſpeciebus componitur: hic coquitur ſic. Tolle lacca. Teres utiliter, & commiſce cum hurina expumata, & decoques bene lento igni. Et ipſa coctione mittis ÷ I. Lulacim Sol. I. & trita hutiliter. Demitte reſidere ad Solem.

Alia compoſitio vermiculi.

Mittis vermiculum Lib. I. coccarin Lib. I. Coccarin naſcitur, ſicut ſuperius dictum eſt in folia cedrin non tritæ. De poſt fornacem .... Lazurium primum ÷ commiſce. Teres hutiliter in mortario, & mittes hurinas diſpumatas Lib. XV. Et mittis in cacabo novo. Decoques donec ad dimidium veniat partem ipſa hurina, & ateres ipſa crama. Cum ... cinnabarim in linteole. Dealbas ſicut ſuperius continet, donec conſumatur. Et poſt hec reponis ad Solem.

Alia compoſitio vermiculi.

Vermiculum Lib. dimidia: alii vermiculi I. — VI. ... VI. Lulacim ÷ VI. trita utiliter. Ponis in cacabo. Addis hurinam expumata Lib. X. & mittis in linteolo raro. Piſas ipſum. Cetrum dealbas in urina, & iterum piſſas. Dealbas hurina, donec expendatur ipſud ... Sed decoque donec beniat ipſa hurina ad dimidiam partem, & reponis ad Solem.

Pandius purpurei colorem compoſitus ex IV. ſpeciebus Lulacim, Quianus, Cinnabarim, Lacca & quibus ponderibus trita, & componis in vaſo vitreo; & ponis ad ſolem, donec deſiccetur.

A

De Metallo.

De Metallo ad auro coquendo indicamus vobis, quomodo coctum fieri poſſit de pinguitudinem; & dum ipſum metallum inventu fuerit: fac et vaſum, quod de ipſum metallum recipere debeat Libras XX. Et poſtea mitte cum ipſo vaſo in fornace, & ſuſſlare ad ignem ad ora prima uſque ad hora ſexta. Poſtea vero pinguitudine metalli mittendum eſt corallum Lib. II. Anonacen ſandaracne ... Libram ſible ... Lib. II. cera alba ad ſufficientem, quantum opus fuerit, unſlum Lib. II. tartarum Lib. I. ... de omnem pigmentum per ſemetipſum ſingulis intratem, quod vos legitis, nos autem probatum habens ſi illo delectabile, quia tres metalla ad auro coquendo continet, & alium metallum indicamus vobis cocendum; ſed plus verò diſculuerit, quia metallum auri, quod ipſum cocere voluerit, ſicut nos odore erit, & in ipſo vaſo, ubi coctum fuerit mittentem: prima vero coctura pice ardaſtæ medietate Lib., alia vero perfuſa vetrum maſtilo. Tertia verò coctura ſtagnum Lib. II. qui ipſum metallum adopera ſalvum perducit. Et dum coctum fuerit, & ſic iſtud quid in ipſum metallum mixtum fuerit, ad pulberem vertitur, quia probatum eſt.

B

De Praſinus tera.

De Praſinus terrea eſt viridis & ipſe lapis terrea viridis, ex quo metala manatur; argentum naſcitur autem ex ipſa terra in locis ferris, ubi inveniuntur multa metala, & diverſis coloribus: iſta petra trita albus benus habet, & decocta exeunt nigra. Sic enim probatur; comminuta poſt coctionem, intus ut argenti colores oſtendit iſte lapis, quod exiet argentum. Tolle ex ipſo metallo; fornace enim ſuperius prime cathmite mittis ipſum metallum in catia communi, & imple carbonibus, & decoquis, ut ſuperius diximus, ipſu ligna, & ſus carbones: & decoques & fundis in die una: & dimittis recfriddare in ipſo loco. Et poſt hec tollis ipſa maſſa, & comminues minutatim. Remittis in ipſo caminum ſicut primum: & cum illud plumbum remininum in C. Lib. maſſe plumbi XV. Et coquis ſicut prius per dies III. Poſt hec jaeice ipſam maſſa. Et committis in caliclo, & conflas per duas oras.

C

De Lapis Adaman.

Lapis adaman naſcitur ex cathmia & auri coctione in prima contrictione miſſa, & poſt prima coctura, dum confringis maſſa omnis maſſa & confringitur lebiter iſa au... remanet alia magna, alia minima; quibus ferrum non dominatur, nec alìud quid aliorum lapidum: ipſa autem potes .... qui omnibus prevalet, ſolum plumbum poteſt; & hec plumbi potentia. Tollis plumbum femininum facilem & mollem, & ſolbis in loco & jactas ibi ipſum adamantem parem, quum volueris ſuptiliare. Et lento igni ſuccendis plumbum: & dum ceperit ſubtiliare, continuo cum mordace tolle, & in ſapone ex oleo operies. Et poſt hec tolle leniter mundiſſime, eo quod ſit debilis. Eſt enim fracilis, pluſquam plumbum, eo quod ſalbatur in ipſa plumbum. Et deinde tolle illud de ipſos ſapones, quantum volueris ſubtiliare. Et poſt mitte in igne diligenter, & candet per horas duas vel tres, donec candet utiliter. Deinde tolle, dealbas, & exiet ada-

D

E

adamans, cui ignis non dominatur, nec ferrum diſſipatur. Laboras, non cordatur, per quod omn . . . immitare quod volueris operare.

De Conquilium.

Conquilium naſcitur in omne mare, pluſquam in inſola, in his lacis, conculam habet in ſe locum ſanguinis, & ſanguis rubeus porfiri zontas, ex quo porfira tinguitur. Collieitur autem ſic. Tolle conquilium, & quoquet ipſum ſanguinem cum carnibus; & tolle moriam de mare aut ſalis morie, & componis in vas, & dimittis.

De tictio porfire.

Tictio porfire. Tolle alumen Alexandrinum, & terres utiliter, & pones in gabata, & mittis ſupra caldam bullientem, & permove diutius, & dimitte reſidere. Et poſt hec cola ipſam caldam, & exagintat. Mitte ibi quod habes ſtinguere, & quod periet. Dimitte duos dies. Et poſt dies duos commobe, & fac quod joſu ſuſu.

De difirentia exaurationis

Diffirentia exaurationis; ſi in ligno agmigdale in infuſa una die, deinde teres utiliter ipſam gummam cum aqua, & addito crocum, quod ſufficit. Tingue ipſam aquam cum gumam, & tepefacta omnia lento igni, ut neceſſe fuerit; operarit in ligno in primis, vel in parietibus. Tollis albumen obi ſubtile, & addito gracum, quod ſufficit, tingue, & commixta, & terrtarum panis in vaſo vitreo linelco ÷ I. gummam infuſa ÷ I. grogum, quod ſufficit. Commiſcet cum aqua. Dequoque iſta tria capitula; ubi neceſſe eſt in exaurazione petalarum operare.

De compoſitio linei.

Compoſitio Lineileum Lib. II., gumma ÷ reſina ſuppini ÷ I. Omnia trita dequoquantur in vaſo terre.

De Lineleo

Linelcon exauratione. Lineleon Liber II. gumma ÷ reſina ÷ crocu Solidus II. Iſta trita & commiſce, quemadmodum ſuperius.

De operatio externiture.

Operatio externiture exaurationis; ſi ſuper pelle cruda immobilem tinctam, aut ex pſimitthin mittis, aut ex aliquo quolor externitum iſta criſo-petala reponuntur. Et poſt deſiccationem deſuper lineleon perunge expoſitione, quod ſuperius docuimus, ubi crocum componi diximus.

De inductio exorationis.

Inductio exorationis. Petala fiant, de ſtagno fiant, aut, ſi ſolbe bene, ipſud ſtagnum effundes paulatim marmore. Et facies petala ſubtilia ſicut ex auro. Et ponis ſicut criſapetala, ut ſupra docuimus. Et quoques erba celedonia, & ex ipſa coctionem colatam mitti ÷ III. crocum Solidus III. auripigmentum Solidum I.

De Criſocollon.

Criſocollon in omnia: Calcuecceuamenon ÷ I. ſapone olei Sol. III. calciatarim Sol. I. Iſta

A *commiſce. Primum teres calcuetcummenon utiliter pulber & cactarium ſimatim, & commiſce cum ſaponem. Et quantum neceſſe fuerit aqua ipſam criſocollon.*

De alia criſocollon.

Alia criſocollon. Caleuetcaumenum Lib. I. alumen Sol. II.

De Criſocollon aurum.

Criſocollum aurum commixtum cum argento vibo: & poſt hec intra in caliclo, donec ardetur ipſud argentum vibum. Et poſt tolle aurum,
B *& teres in mortario munditer, donec fiant pulvis. Ei commiſcet illud cum ſaponem ex oleo quam ſufficit coctio criſocolli.*

De argenti gluten.

Argenti gluten partes duas, & heramen partem unam.

De alia argenti gluten.

Alia argenti gluten. Argento mixto cum argento vibo, & ponis in ignem donec deſiccetur ipſud argento vibo. Et poſt hec teres utiliter, donec fiat pulvis. Commiſce cum ſapones, &
C *aquas, quod ſufficit.*

De aeramenti gluten.

Aeramenti gluten. Aeramenti Liber una, plumbi Liber duas. Commiſce. Solbis primum aeramen. Deinde mittes plumbum, & commiſces in unum.

De Stagni gluten.

Stagni gluten. Stagni partes duas, & plumbi unam.

D De petre gluten.

Petre gluten: marmoris albe aridum pulber; & tolles hitiocollon ÷ I. taurocollon ÷ I. & mittis cum aqua commixta. Coquis dum bullierit. Mittis pulber marmoris, & facis gluten marmoris.

De petre gluten.

Petres gluten. Hitiocollò ÷ II. caſei gluten ÷ duas. Et mitte ex ipſo pulbere marmoris, ſicut ſuperius.

De Ligni gluten.

Ligni autem gluten. Taurocollon ſimatim, ictiocollon ſimotim, gluten aurum autem & argentum, ſicut ſuperius docuimus in exaurato.

De Glutinatio.

Glutinatio: lingna in aquam ictiocollon ÷ I. tauroncollon ÷ lacteficit ÷ I. titimalli lac ÷ I. Iſta miſce in aqua. Decoque. Eſt gluten ad ſcalphita ligna. Si lignum in lignum, unum ex tribus ſupradictis. Si autem oſſa in lignis, caſei gluten ÷ commixtum cum ictiocollon ÷ II. Et mittis. Decoques in unum, & gluten calidum calefacis modicum ipſa oſſa, & inglutinas.

De

De Lapis serbus.

Lapis serbus, quem vocant Alexandrini cathmia, naſcitur in omnibus locis. Eſt autem fiſsilis ad pulverem. Eſt enim niger. Ingreditur in ſolidatura argenti.

De Lapis arrietis.

Lapis arrietis, quem vocant ... eſt enim terra praſina, in qua naſcitur, creſcentem autem terra & refloriens florentes florem album rotund . . quadrangulum. Poſt hec ſtringit, & fit lapis florentem flore conſtringit terra ipſa praſina, & ſicut petre alie auri coloris melius, alie pandis, alie candidis, que dum per pericula fuerint, exiet ignis, ex ipſis generatur argentum vibum. Aprile Menſe & Magio creſcentem terra habundanter flore cabat humidum locum uſque ad genuculum, & diſcoperies terram. Invenies flores veteres duritas & aderentes terre falſos lapides. Alie enim floruerunt & induraverunt, & terrenum adeſerunt; ſed remanſerunt ut margaritas, eo quod non compleverunt tempus. Alia flore competenti tempore ſicut nibe alba, quam cum inveneris ipſam, alibat cum barga terra cum floribus. Et mittis in pila marmorea. Et dum impleveris, mittis aquam. Et commiſce bene; & terra, que in ea eſt, ... foris, & remanere argentum vibum. Exiet autem & de metallo argenti quando in qui ad incendere precurrit. Et colligent illud artifices.

De Lapis fumice.

Lapis fumice naſcitur in univerſis locis. Tritus ingreditur in cappenovo, & mittitur in fornace figuli, & coquitur bene, coopertum utiliter, ut non ingrediatur aliqua immunditia. Poſt hec eicitur, & teritur hutiliter, & in compoſitione auri per gemmamen ingreditur in temperatio . . . . decalama.

De compoſitione auripicmenti.

Compoſitio auripicmenti: triti mundi argenti vibi ÷ I. auro cremiſſe ÷ I. aurum autem battis, & facies petalum, & mittis ipſa petalam & ipſum argentum vibum in crulla ferrea, & incendis donec ſolbatur aurum, & commiſcuatur eum argentum vibum. Et poſt mittis auripicmentum in ipſa crulla modicum & commixtione argenti vibi. Et decoques bene. Et exaginta, donec fiat pandius.

De calcoce caumenum.

Calcoce caumenum fiet ex eramen mundiſſimum Petala munda: mittis in caccabum inuſitatum ipſa petala, & ſulfor vibum tritum; ſternis primum ipſa petala in caccabum, quantùm ſapet. Et poſt hec aſpargis ſulfor, & poſt ſuperpone petala, & deinde aſpargis ſulfor, & poſtea ſuperpone petala; & ita facis, donec impleas ipſum caccabum. Et poſt pone ipſum caccabum in fornace libitriari. Coque per dies quatuor. Et dum refrickaverit, confringes comminuto alumen Aſianum ſecundùm compoſitionem ſulferis ſimul. Cooperiatur ipſe caccabum, & letatur cum argilla ſecundùm operationem prioris, & coquitur per dies ſex. Ipſe autem dum cunfringatur ſolbe calcoce caumenu.

Ad cluttan auream de Letarum.

Letarum comodo fiet? Pones duas partes argenti, & eramenti tres, & auri tres. Aurum & eramen equibus.

De glute Auri.

Glutem auri: ad fiſtulas de criſoclabum, & teriis ÷ I. calcuctaumenum ÷ II. afronitro ÷ I. ſapone ex oleo ſmecalce ÷ I. vitriolum Sol. II. aceto dimidio ÷ I. aqua ÷ I. & commiſce. Pone modicum tepidis &c.

De Littargirium.

Littargiri compoſitio. Aliud quidem ex plumbum, aliud ex argento. Compoſitionem quem ex plumbo fiet, ſic componis. Plumbum imponis in caccabo potius femininum & molle, & ſolvis illud bene. Deinde cum ſolutus fuerit, cum piſtillo ligneo frica plumbum, & incenſetur. Mittis cinus cum carbonibus vivis, hac teres, & iterum mittis cinus. Et non deſinas terendo quodaduſque facias eum ut pulverem. Et poſt labis eum ex aqua. Si autem volueris eum, ut ſtringant & fiant ſpiſſus, mittis in caliclo cum oleo, & calefactum adunatur. Et dum refricdaverit, frangis caliclus, & exiet ut piſus.

De alia compoſitione Litargii.

Alia compoſitio Litthargiri ex argento fiet ſic: conflatum argento ex illa ſorditie, quæ ex eo exiit, trita cum oleo intra, ſecundùm ſuperiori compoſitione. Plus autem incendit propter fortitudinem argenti. Plumbi autem Litargiron, antequam ſolidetur, intrat cum aqua in vituminatione teſtea. Dum autem atrinxerit, ubi volueris, neceſſarium erit.

De Cemcauſis.

Cemcauſi: prima argenti & eramenti aſpri calci battis aurum & facis petalos ſubtiles tenues. Et poſt mittis argentum vibum. Et ipſa petala ſolbes, donec ſolbatur ipſut aurum. Si autem minuetur argentum vibum addis, donec coquatur aurum. Deinde mittis in teſtum, & cum alio teſtum teſtu terres, uſque quod adtenuetur & commiſcatur aurum cum argento vibo. Et radebas, quod habes inaurare. Perungues modicum: excalefacies, & exprimis cum linteolo mundo. Sic totum exterges. Quod aurum remanet, mittis, in ignem probas. Similiter & una & duas inaurationes in vas novum mittis. Si autem libiter ſemel unctum eſt, & defricas cum ferro, candens illum, & coloratur. Deinde micas panis defricad illud, donec elimpida colorem. Similis eſt & inauratio ferri. Sed primùm aluminatur. Tolles partem bitriolum, & modicum ſal, & acetum tam . . . . . in caliclum calefac, & exinde ungues ferrum, & ubi habes inaurare. Hec eſt inauratio prima. Que autem vitrum inaurat, tolle partem de cluta piſcis, & partem de gumma amigdale, & mittis, infunde, & coque, & ungues ipſum vas, & conside ſubtiliter petala . . . . . pone ſecundùm ſimilitudinem, quodvis facere ſimiliter, & lapidem labas cum aquas, ſimiliter & lignum, & dum ſiccaberit glutinatio cum aematita lapide aut cum ferro defricas.

De

De Criſografia.

Criſografia & petalis; eroce vetriſſimo tolles radices de ipſo flores & terres diutius. Tolles obum & aperies. Proice primum, ſequenti quod exiet albumen ſuſcipe in ipſo crocum; & teres utiliter. Ungue, & ſuppone petala.

De tertia Criſografia.

Tertia criſografia. Tolle argenteum vibum. Cummiſce cum aurum, ſit interrationem, & teres bene. Mittis in calicro, & pones in prunis, donec diſiccetur ipſum argentum, & remaneat aurum invalidum. Et deinde mittis in Mortario marmoreo, & cum piſtillo ferreo teres ipſud auro, & mittes in aqua. Decoquatur ſimiliter. Mittis in compoſitionem ipſam aquam de ſumam, teres utiliter, & pones in ampullam, & ſuſpende ad Sole, ubi volueris cum ipſo calamo cum quo ſcribere quod volueris: ſimiliter argentum & eramentum cumponis.

De tictio petalorum.

Tinctio petalorum ſtagnu. Tolle erocum mundum ÷ I. auripigmenti boni feſſi ÷ II. Et tere, & mitte cum gummo dimidia ÷ & line leon ÷ dimidia, & aqua plubiale aut dulce comiſce. Et bulliantnr. Et poſt commiſce con fectiones. Teres bene, & tolle; eum ſpugia unge ipſa petala. Et duni deſiccaverit ſecundo unge, & deſicata tolle unicinum, & deinde frica, ut ſplendeat.

De Sulfor.

Quomodo Sulfor quoquitur. Coquen lardum & ex ipſo oleo tolle Liber II. & ſulforis terra Liber IV. Mittis in cacabo. Trita ipſam terram, & bullies ſecundo vel tertio fundis latere.

De Catmia.

Cathmia compoſitio ſic. Eramen mundum Lib. I. calcitarin ÷ II. afronito ÷ I. Sulfor ÷ I. Hec mittis in celico, & ſolventur in unum, & coquentur, donec comburatur ipſut eramen & calcitarin. Et lavantur ea, quæ remanent. Cathmia quignus eramen partem unam, & plumbi parte I. tripſis nitri ÷ I. calcttarim ÷ I. afronitrum ÷ I. commixtam & combuſta: commiſcet eum aceto, & reponis ad Solem, & ſiccat tres: amfions fiet ſic. Tolles plumbum molle, & ſolbet in vaſo teſto forte & majorem, ut ſufferat tritura: tolles piſtillum, & mittis carbones cum cinos ſupra plumbum; priuſquam recfride, permobes illud cum peſtillo lenter & bene, donec adtenue ſubeilis, ipſum plumbum. Inmittis cinos cum carbonibus & teres. Poſt hec mittis in gabata lignea & delabas. Poſt hec componis in cacabo nobo cum ſulfur & decoques per III.

De compoſitio afroniari.

Compoſitio afronieri ſecunda que & queritur a gluete auri & argenti vel eramenti. Nitro Egiptium Lib. I. Sapone de axungia ſine calce Lib. I. Teres hutiliter, & commiſce. Deinde autem ad Solem ponis, aut in calido loco, hutile eſt a gluten auri; ad argentum autem propter mollitiam argenti componitur, molliat, duas partes de Sapone, & una de nitro.

De compoſitio brandiſii.

Compoſitio brandiſii: eramen partes II. plumbi parte I: ſtagni parte I.

De alia compoſitio brandiſii.

Alia compoſitio brandiſii: eramen partes II. plumbi partem I. Vitri dimidium, & ſtagni dimidium. Commiſces & conflas; fundis. Secundùm menſuram vaſorum facit, & agluten eramenti cum afrinitru.

De Compoſitio Cinnabarim.

Compoſitio Cinnabarim: al . . . . . inus mundiſpume ex argenti vibi & ſulforis vibi partem I. argenti vibi partes II. & ipſa mundiſſimam tolle ampullam for . . . & ſine fumum, quia & colorem ſulfori tritum & amixtum argentum vibum mittis in ampullam non plena minus abentem ÷ II. Quod ſi major eſt, & III ÷ minus habeat; & mixta exaginta. Et facies fornacem minorem vitriari, ut ampulla larga & capiat, & dimittis locum, unde ampullam ingrediatur. Et divides cannas, & inde incendis fornacem. Dimittis & aliam feneſtrellam minorem, unde exalet flammam in circuitu. Signum autem coctionis hoc eſt: dum videris ubi ampulla minus habet porfirizontam, fumum & colore facientem, ut cinnabarin, deſinis ſuccendere. Nam ex multo incendio ampulla crepat. Et dum percoctum fuerit, dimittes eum refricdare.

De Jarim quomodo debeat facere.

Quomodo debeat jarim facere. Tolles lamnas eramenti, & derade bene, & ſuſpende ſuper acetum, & collectionem, quam facit, rades & collige.

De Lulax.

Lulax ideſt Indicum: compoſitio jarim ÷ II. vitrioli mundi ÷ IIII. alumen Egyptium ÷ II. uvato ÷ II. Ipſum autem uvato ſimoti piſa munditer, jarim verò & vitriolo & alumen in unum. Et tolle ſaponem ex oleas II. & ſale dimidia ÷, & commiſces in ipſas tres ſpecies: poſt quod piſas; commiſcet diligenter ſecundo cum ſapone, & deinde tolle uvatu: piſa eum, ut . . . . . & commiſce ipſum cum ſupradictis ſpeciebus, & defricas diligenter, & dimittis diem unum requieſcere. Confectio ejus hec eſt. Hurinam mundam Libram I. requieſcere, & ipſam diſpumata & commiſce cum ipſas ſpecies, & terres diutius, & ſi eſt caccabus ferreus, ſi non in eo mittis & decoques. Signum coctionis donec veniat ad tertiam partem. Et tolle gypſum coctum bene piſatum. Mittis: & tolle coctionem: commiſce gypſum, & defrica diutius, & mittis in vaſo, & ponis ad Solem, & dum extraxerit frangi ſpetia, & ponis illa ſiccare.

De confectio Ficarim.

Confectio ficarim. Tolles lacca mundiſſima Libram I. & decoque cum urina expumata Libris V. & decoque munditer. Non dimittas ſupra modum bullire. Et tolle oſſa cranci munda, & incende munditer; & terres quod ſufficit, commiſcet in laca, & tolle ſimilia infuſa in aqua, deliqua bene; pinguis autem ſit illa deliquatio; & piſa in unum bene, ideſt oſſa granci

&

[illegible], & ipſo [illegible] ſimul, & commiſce. Mitte in vaſe, & [illegible] ad [illegible] bullitur [illegible].

[illegible] & dimitte alios III. dies. Et poſt hec [illegible]. Similiter & dimitte alios VIII. dies, & [illegible]. Et poſt hec tolle [illegible], & mitte [illegible] alumen. Et fac exinde [illegible] tincturam. Et mitte ibi. Et poſt tolle ipſum [illegible] ſemel. Et poſt hec mitte in [illegible]. Et tolle ipſum [illegible], & [illegible] ſemel in aqua. Et poſt hec [illegible] bullitur. [illegible], & [illegible] in ipſa [illegible]. Et poſt hec de ſanguine porcine, & [illegible], & ipſum bene ſimiliter [illegible]. Sanguinem [illegible] . . . . porcinum, [illegible] Libra, [illegible] III. de ſanguinem porci; & poſt hec [illegible] ſemel [illegible], & [illegible]. Mitte in caccabo, & fac bullire [illegible] . . . . [illegible] caccabi ſub eadem modo Liber [illegible] cum ſanguine, id eſt IX. [illegible], & III. ſanguini porcini.

De hoxſi portiones.

Oxi portiones. Et mitte [illegible]: mitte in eadem tinctionem quodquod volueris tantum ex alumen. Si autem volueris plus munditer tingere, mitte [illegible] caccabum ſicut primum. Fiet enim & tertia [illegible] eadem modo.

De porfiro citrino.

Porfiro citrino. Prius autem tingit citrino, & poſt hec intrat in tinctionem, ubi tingitur perfireur.

De Criſorantiſta.

Criſorantiſta: criſorentariſ ſana, [illegible], [illegible] argiros & [illegible], [illegible] chetis, [illegible], [illegible], ipſinion, ydroſargyros, [illegible], [illegible], ſceugneſias, [illegible], [illegible], [illegible], per dicti terra pulva ſimilis.

De Ariſparſio.

Ariſparſio criſopandio: pulver auri triti, ſicut ſuperius diximus, cum deſiccatione argenti vibi, id eſt pulver auri partes duas, & jarim partem unam commiſce. Tum compoſitionem dauſra, & diſpone exinde quod volueris.

Argiroſautiſta.

Argiroſautiſta: argentum mundum commiſce cum argento vibo, & deinde tolle ipſum argentum, & [illegible] fiat pulvis, & commiſce tum compoſitione da auſira, & diſpone ubi volueris.

De alia argenti ſparſio.

Alia argenti ſparſio p[illegible]ridio. Tolle argentum mundum, & commiſce cum argento vibo, ſicut prediximus. Et deinde mitte in caliclo, & [illegible] in igne [illegible] argento vibum. Et poſt tolle argenti partes duas & jarim partem unam, & commiſce ex compoſitione de auſira & diſpone.

De petra qui dicitur Smira.

Petra qui dicitur Smira incende omnem vitrum.

De terra que vocatur Limnia.

Terra qui vocatur Limnia, que eſt alba ſubperſira, naſcitur in petroſis locis, & [illegible] ſignis [illegible] eum. Cum inſuſa fuerit [illegible], alumen vero viridem & porſirum. Omne tingue, & craberillium, & . . . . . terra nigra non . . . . . eo quod eſt [illegible]. Naſcitur autem in Gyptum & Africa & in [illegible] & in Italia. Naſcitur in humidis locis, in vallibus. Ex ea tinguitur ruſſeum commixta cum aceto, [illegible] colorem, & poſt hec reberatitur in coccum.

De Lapis ſocaria.

Lapis, que dicitur ſocaria, ex qua cramen coquuntur. Naſcitur enim & altus ſimilis unum dum percutitur mittit ſintillas raras. Et eſt rubeus, & igneus colorem habens cramenti: & dum igne miſſus fuerit ut probetur, incenditur, & colorem non mutatur: collectum autem & contritum minutatim, & collecta maſſa, & cum letamen vobinum aut caprinum & palea coopertum incendis per dies duos & noctes duas, donec conſumetur ipſum letamen, in fornace autem ipſud poſſis coquere, & cramen & plumbum. Et poſt quod refrigidaverit, colligitur ipſe lapis qui jam coctus eſt, & prima penſionem Libras CCC. in prima coctum, in qua minuſtis carbonem coſinos decem; & toto faſces de tela. Et dum ingreſſi pueris magiſtri in opera & in cera omnia dimittis ſtare & refricidare, ut non currat ſicut plumbum aut ferrum aut cera metallita, eo quod piger fiat. Et dum ſe refricidaverit, comminues minutatim, & in fornacem conſtatum operaris ex eo.

De Lapis fiſſos.

Lapis fiſſus naſcitur in Cappadocia, Aſia, Iberia, & in Italia. Eſt enim fuſcos & furtis. Et dum comminutus fueri inveniens in eum venas albas. Dum vero incenſus fuerit, fiet rubeus, quem Alexandrini vocat eathmia, eo quod conſla vitr . . . . Naſcitur autem in altis locum & ventoſis. Eſt enim ipſe lapis crepidinoſus.

De Lapis gagatis.

Lapis gagatis ſimilis coloris auripicmenti: non enim ſic multum viridis, qui dum rumpitur, ignem etmitti, & finditur lamiminas lamnas, per quod Alexandrini vocant eum petram plana, ex qua fit ceramarmor, qui piſatur ſubtiliter. Mittis Lib. I. de ipſo lapide & duas taurocollo, & aque Lib. V. & bis, & tertio bulliens aſſidue commiſcens & fiet ceramarmor.

De Lapis trachias.

Lapiſtrachias naſcitur in univerſis locis viridis, fiſſus, fuſcus. Combuſtus fiet albus. Mittitur in czalimia in mundatione argenti.

Habes heic, ſi recte attendiſti, quo in loco Latina Lingua foret Sæculo VIII. apud minus doctos, & quot verba ac formæ dicendi e vulgi loquutione in Latinam irreperent: exempli cauſ-

cauſsâ : *ejicis , ut refridet* : *ſecundò quod*, pro *ſecondochè* : *cuſe ipſas pelles*, pro *cuci le ſteſſe pelli* : *laxas deſiccare*, pro *laſci ſeccare* : *batte lamina* , *& poſt illa battuta* : *per martellum adæquetur tam de latum quàm de longum* : *ſcaldato illo in foco* , *batte & tene illud cum tenalea ferrea* : *ſed tornatur de intro in foras* : *dextende* : *eum ibi ſcalda* : *pone ad battere* : *& denante* : *ſetacciantur* : *modicùm laxa ſtare* : *lixa illud* : *& ſi lixare volueris* : *prinde remiſce* : *flore puppli piſta iſta tota* (ſed fortaſſis ibi ſcriptum ut alibi *piſa* Latinum verbum) *& cribellata* : *adplunare* , ſeu *adplanare cum matiola lignea* : *divide eum & adſucca* : *oſſa granci* &c. Nuſquam memini me videre monumentum feræ antiquitatis Italicæ vulgaris Linguæ fruſtulis tam ſæpe immixſtum . Scilicet quoties Linguâ Latinâ, quæ ſola tunc in ſcripturis uſurpabatur, quiſquam minus peritus ſenſa ſua exponere ſtatuebat , ſi eum deficiebant Latina verba , verbis , ac formulis Vulgaris Linguæ utebatur in ſubſidium inſcitiæ ſuæ , agebatque coactus , quod poſtea conſulto egit Merlinus Coccajus , ſive Theophilus Folengus in ludicro Poëmate ſuo . Vide & Capitulum *de Criſorantiſta* , e Græco quidem deſumtum , literiſque Latinis redditum ac expreſſum , ſed aſpectu omnino deformi , ac poſtmodum in altero ſubſequenti Capitulo *de Argiroſantiſta* Latinâ rudi verſione translatum . Quod tamen interim ad rem noſtram facit , hinc habemus , vel Sæculis barbaris fuiſſe plura quàm credimus Artium documenta ac artificia . Plura non noſcimus , quia illorum memoriam literæ nullæ ſervarunt. Sed veri videtur ſimile , multa opificia iis etiam temporibus tum ad neceſſitatem hominum, tum ad commodum atque oblectationem peracta fuiſſe : quæ ſi ſupereſſent , laudem ſæpe, interdum quoque admirationem a nobis exigerent , atque impetrarent . Deſiderius Caſinenſis Abbas , de quo nuper fuit ſermo. non de Muſivorum arte reſtituenda tantummodo ſolicitus fuit, uti Oſtienſis ſcribit Lib. 3. Cap. 29. Chronic Caſinenſis : *ſed & de omnibus artificiis quæcumque ex auro vel argento* , *ære* , *ferro* , *vitro* , *ebore* , *ligno* , *gipſo* , *vel lapide patrari poſſunt, ſtudioſiſſimos prorſus artifices de ſuis ſibi paravit* . Ex his aliiſque Artibus , quarum etiam nonnullæ defecerunt , nulla erat, quæ ſtudioſiſſimos ac ingenioſos admodum artifices non numeraret , ita ut eo tempore *mira* perfeciſſe crederentur . Leo III. Papa , ut habet ſæpe laudatus Anaſtaſius in illius Vita , circiter Annum Chriſti DCCCII. *juxta Eccleſiam Beati Petri Apoſtoli fecit in triclinio majori Miræ Pulcritudinis decoratam Abſidam de Muſivo ornatam* ;*& Abſidas duas dextrâ lævâque ſuper marmore & picturâ ſplendentes* . Idem Pontifex *feneſtras Eccleſiæ beati Pauli Apoſtoli Miræ Pulcritudinis ex metallo cypſino decoravit* . Præterea in eâdem Baſilicâ Pauli *fecit Cyborium cum columnis ſuis ſuper Altare Miræ Magnitudinis & Pulcritudinis decoratum* , *ex argento puriſſimo*, *penſans Libras duo millia & quindecim*.

Atque heic minime omittendum eſt, præſertim videri floruiſſe Sæculis iis Aurifices, ſive fabros, qui ex auro & argento diverſa ingentis pretii & laboris opera conficiebant . Lupus Ferrarienſis in Gallia Abbas Sæculo Chriſti Nono ejuſmodi Artificum mentionem habet, ita ſcribens Epiſtolâ 22. *Veſtram opinatiſſimam flagito liberalitatem* , *ut duos noſtros famulos a veſtris Fabris* , *quos Peritiſſimos vos habere longe lateque Fama vulgavit* , *Auri & Argenti operibus erudiri jubeatis* . Et ſane Romanorum Pontificum Vitas adi apud eumdem Anaſtaſium . Ibi recenſita videas ex his innumera , atque eam copiam, ut excedere fidem quiſquam , ſed immeritò , ſuſpicetur. Nam præter alia vaſa miri artificii, Imagines Sanctorum, Lampades, Coronas, Calices &c. ex auro argentoque ſingulari induſtriâ paſſim ſtruebant . Idem Leo III. fecit Imaginem beati Petri *Apoſtolorum Principis in porta Virorum* , *ex auro puriſſimo* , *& gemmis pretioſiſſimis Miræ Magnitudinis & Pulcritudinis* , *penſantem Libras decem & novem* , *& uncias tres*. Pariter *in Baſilica Salvatoris* , *quæ appellatur Conſtantiniana* , *fecit Cyborium cum columnellis ſuis quatuor ex argento puriſſimo* , *diverſis depictum Hiſtoriis* , *cum cancellis & columnellis ſuis Miræ Magnitudinis & Pulcritudinis decoratum* , *quæ penſabant ſimul Libras Mille ducentas viginti ſeptem* . Neque aliter Paſchalis I. Papa in beati Petri Apoſtoli Eccleſia *Oratorium ſummæ magnitudinis atque pulcritudinis decoranter conſtruxit* : *& ſuper columnas in quadrificio camerantes Muſivo* , *pulcriſque metallis decoravit*, *& imaginem pulcherrimam de argento exauratam cum diverſis hiſtoriis inter marmorum conſtructiones ordinatis infixit*, *quæ penſant Libras ſexaginta duas & ſemis*. A pluribus recenſendis abſtineo . Sed certe omittendum non eſt , quod habet Eginhartus in calce Vitæ Caroli Magni , dum ſcribit : *Inter ceteros theſauros atque pecuniam tres Menſas argenteas* , *& auream unam præcipuæ Magnitudinis & ponderis eſſe conſtat* . *De quibus ſtatuit atque decrevit*, *ut una ex iis*, *quæ formâ quadrangulâ deſcriptionem Urbis Conſtantinopolitanæ continet* , *inter cetera donaria* , *quæ ad hoc deputata ſunt* , *Romam ad Baſilicam beati Petri Apoſtoli deferatur* . *Et altera*, *quæ formâ rotundâ* , *Romanæ Urbis effigie inſignita eſt* , *Epiſcopo Ravennatis Eccleſiæ conferatur* . *Tertiam*, *quæ ceteris & operis Pulcritudine & ponderis gravitate multùm excellit* , *quæ ex tribus orbibus connexa*, *totius Mundi deſcriptionem ſubtili ac minutâ figuratione complectitur* ; *& auream illam*, *quæ quarta eſſe dicta eſt*, *in tertiæ illius* , *& inter heredes ſuos* , *atque in eleemoſynam dividendæ partis eſſe conſtituit*. Ejuſmodi opificiis pretioſitas materiei bellum intulit , eaque ſupereſſe diu non ſivit . Verùm ſi per ſummum rarumque prodigium ad noſtra uſque tempora ſervata fuiſſent , fortaſſis etiam miraremur artificum illorum induſtriam : haberetque eruditio nobiliſſimum antiquitatis fragmentum in Topographicis & Geographicis iis deſcriptionibus. In uſu quoque fuit eiſdem temporibus Ars ducendi auri in fila , ut vela auro texta ſatis produnt , de quibus in ſubſequenti Diſſertatione XXV. ſermo erit. Equidem novi, quid heic ſe interferat dubitationis : nempe mira hæc & pulcherrima viſa fuiſſe oculis eorum temporum , quibus vel diſtorta recta apparebant . Neque is ego ſum , qui contendere velim, acceſſiſſe ad Romanæ & Græcæ elegantiæ venuſtatem artificia Sæculorum rudium : quippe quæ Artem recte delineandi parùm aut nihil excoluiſſe videntur; & quamvis ornamentis abundarent, ea tamen aut minutiora quàm par eſſet in magnificis operibus collocabant , aut ſine ordine ac proportione effundebant. Verùm ne tu quidem contendere contra poſſis, nil recti & eximii excidere potuiſſe e manibus ac ingenio Italicorum, aliorumque mortalium temporis illius, ac præſertim Romæ . Urbem hanc a ceteris , aut a pleriſque diſtinguere mihi liceat.

erat. Quum illic ante Sæculum XI. Chriſtianæ ſalutis longe plura, quàm nunc, ſuperfuerint monumenta perituræ ſeræ antiquitatis in Templis, in domibus, in tumulis, in vaſis, in ſtatuis, in columnis, in anaglyphis, in picturis, in muſivis, in vitris, in marmoribus, atque in aliis quibuſdam operibus, elegantiſſime olim artificum elaboratis; propterea facile etiam accidere, ut poſt declinationem Romani Imperii, inter tot exempla luminis commendanda emerſerint interdum Artifices, qui ſua efformarint ad veterum normam. In reliquis ferme Urbibus neque adeo illuſtria, neque tam crebra erant periſectarum Artium rudera & exemplaria; ac propterea nil mirum, ſi in earum Artificibus deſiderata eſt plerumque veræ pulcritudinis ac majeſtatis idea. Illud quoque animadvertendum, fuiſſe quaſdam Artes, quæ poſtquam cum honore uſque ad Sæculum Chriſti X. perſeveraſſent, exinde deficere, & in deterius ruere cœperunt, ſive quod barbari mores in Italia ulterius quàm antea invaluerint, ſive quod inteſtinis bellis & factionibus concuſſa & lacerata nobilis hæc Provincia, barbaram quoque ac horrentem faciem induerit in Artibus ſuis. Nemo certe neget, quin poſt Annum Vulgaris Æræ Milleſimum, marmora ſculpta, & nummi percuſſi, aliaque id genus opera Artificum, nimium recedere a liberalibus veterum Romanorum ſtudiis, & ruſticitatem quamdam ubique prodere cœperint.

Ad texendi Artem, atque ad Lanificium, & ad Serici opera quod attinet, erit de iis ſermo in ſubſequenti XXV. Diſſertatione. Mihi nunc minime prætereundum eſt, fuiſſe etiam Sæculis rudibus, qui novis inventis publicam rem auxere. Ego pauca delibabo, opinari tamen non deſinens, plura intercidiſſe, aut eorum memoriam minime ad nos perveniſſe ob Scriptorum inopiam. Referam in Diſſertatione XLIII. *de Literar. ſtatu* Epitaphium Pacifici Archidiaconi Veronenſis, qui Anno DCCCXLVI. vivere deſiit. Inter alia ejus merita legitur:

HOROLOGIVM NOCTVRNVM NVLLVS ANTE VIDERAT.
EN INVENIT ARGVMENTVM, ET PRIMVS FVNDAVERAT.
HOROLOGIOQVE CARMEN SPERÆ COELI OPTIMVM,
PLVRA ALIA GRAFIAQVE PRVDENS INVENIET.

Mirari ſubit, cur Epitaphii ejus Auctor ſcripſerit: *Horologium nocturnum nullus ante viderat*. Ante unum Sæculum, & circiter Annum Chriſti DCCLVIII. Paullus Romanus Pontifex (uti habetur in calce Epiſtolæ 25. Codicis Carolini) ad Pippinum Francorum Regem miſerat *Horologium nocturnum*. Fuerit quidem alterius & perfectioris formæ Horologium Veronenſe; at certe *Horologii nocturni* inventum appellandum non erat novum plane atque antea ignotum. Porro quid hujus *Horologii* nomine veteres ſignificarint, decernere ego in præſentia non auſim. Si enim Horologia heic indicari cenſemus, quæ ferreis rotis & ponderibus mota per campanulæ pulſum horas nocte indicarent, cur hæc *Nocturna* nuncupantur, quum & interdiu idem officium præſtent? Quamquam ejuſmodi Horologiis, ut olim Romani caruere, ita & plurima poſt eos Sæcula caruiſſe videntur. Tomo XVIII. Rer. Italicar. in Annalib. Bononienſibus ad Annum MCCCLVI. traditur poſitum Horologium in Turri publica Bononiæ, cujus campana horas pulſabat: *e queſto fu il Primo Orologio, che cominciaſſe mai a ſonare per lo Comune di Bologna*. Apud ſingulares perſonas erat antea uſus ejuſmodi Horologiorum. Et Dantes Cap. 24. Paradiſi, Horologia noſtra per rotas mota commemorat. Sed ſi antiquiſſimus eorum uſus fuiſſet, mirarer cur tam ſerò ad publica commoda tranſlatus fuiſſet. Horologium ad Lunæ aut Siderum radios tunc excogitatum, vix eſt ut ego ſuſpicer. Fortaſſe clepſydra fuerit, aut aquâ aut pulvere cadente inſtructa, a quibus horæ nocturnæ aut ad lucernam ibi conſtanter appoſitam, aut ad pulſum alicujus æris, indicarentur. Attamen ſi poſtremum ei tribuamus, iterum peto, cur non & diurnum Horologium illud fuerit. In Annal. Francorum ad Annum DCCCVII. Aaron Perſarum Rex miſit Carolo Magno inter cetera dona *Horologium ex auricalcho arte mechanica confectum, in quo duodecim horarum curſus ad clepſydram vertebatur, cum totidem æreis pilulis, quæ ad completionem horarum decidebant, & caſu ſuo ſubjectum ſibi cymbalum tinnire faciebant*. Si clepſydra fuit, ergo aquarium Horologium fuerit. Verùm ego ab hujuſmodi voce fucum mihi timens, id tantùm ajo, potuiſſe Perſicum illud Horologium aquæ unius, aut pulviſculi lapſu, pilas emittere, novamque horam novo ſonitu nuntiare; ſed nil rei eſſe ejuſmodi Horologus cum iis, quibus nunc utimur. Doctiſſimo tamen Mabillonio teſte, ante Annum a Chriſto nato Septingenteſimum Anonymus Auctor Regulæ Magiſtri floruit. Ibi verò Cap. 54. legitur: *Cum adveniſſe divinam horam percuſſus in Oratorio Index monſtraverit*. Cap. 55. *Cum ſonuerit Index*. Et Cap. 95. *Cum ad opus divinum Oratorii Index ſonuerit*. Hæc perpendenda: videntur enim indicare Horologium campanæ ſonitu horas tunc nuntians. Nauticæ quoque acus nobile inventum, & mirabilis ad navigationem Magnetis uſum, potius quàm Britannis & Belgis, deberi Johanni Gojæ ſeu Giræ Amalphitano, Auctores fide digni tradunt, ſcilicet Flavius Blondus, Panormitanus, Ortellius, & alii. Quod tamen accidiſſe quum nonnulli putent circiter Annum MCCCII. non bene cum calculis Chronologicis conſonat: ſunt enim quæ indicare videntur, medio Sæculo XIII. atque etiam antea, notum fuiſſe admirandum atque hoc utiliſſimum Naturæ arcanum. Neque eſt, quod ego commemorem celeberrimum inventum Typographiæ; uti & alterum exitioſiſſimum ſimul & mirificum Pulveris pyrii. Hæc enim Sæcula quidem poſteriora detexere, ſed nequaquam in Italia.

Quod eſt ad Artem Vitri conficiendi, non eam Itali tantummodo, ſed & Galli ſeu Franci antiquitus uſurparunt. Bedâ teſte in Vitâ Benedicti Biſcopi Abbatis, ſanctus ille vir circiter Annum DCLXXX. *miſit legatarios Galliam, qui Vitri factores, artifices, videlicet Britannis eatenus incognitos, ad cancellandas Eccleſias, porticuum-*

ticuumque & cœnaculorum ejus feneſtras adducerent. Factumque eſt, & venerunt. Nec ſolùm poſtulatum opus compleverunt, ſed & Anglorum ex eo gentem hujuſmodi artificium noſſe ac diſcere fecerunt. Petrus Damiani in Vita Sancti Odilonis auctor eſt, ei dono datum fuiſſe ab Heinrico I. Imperatore *vas holovitreum valde pretioſum, & Alexandrini operis arte compoſitum* Is idem infra commemorat *vitrea vaſcula anaglypha fuſilitate cælata*. An verò tingendi variis coloribus Vitri, illudque picturâ ornandi, præterquam in Græcia ac Italia, Ars excoleretur olim, notave foret, minime mihi compertum eſt. Eam certe Romanorum induſtria diu fovit, ac Leo Papa III. circiter Annum Chriſti DCCCII. *feneſtras de abſida Baſilicæ Conſtantinianæ ex Vitro diverſis coloribus concluſit, atque decoravit*, ut in ejus Vitâ apud Anaſtaſium habetur. Delectati autem ſunt picturatis etiam Vitris veteres Romani cum Ethnici tum Chriſtiani: quod argumentum ſi quis egregie pertractatum intueri cupit, adeat Librum Clariſſimi olim Viri Philippi Bonarotæ Senatoris Florentini, qui multa antiquitatis rudera in hanc rem collegit. Ceterum præter *Vitreas* feneſtras, duplex alia ratio lucis admittendæ per feneſtras, ſimulque venti ac frigoris arcendi antiquis fuit. Altera, vela ſeu telas obtendendo feneſtris; altera *Speculari* lapide eas obſtruendo, uti nunc fit vitreis orbiculis, aut laminis. Lapis iſte, ut Plinius Lib. 36. Cap. 22. ſcribit, *faciliore multo naturâ finditur in quamlibet tenuem cruſtam*, & lucem tranſmittit. Idem verò eſt atque *Gypſum*, cujus fodinæ ne in noſtris quidem regionibus deſiderantur. Propterea quæ *Gypſeæ feneſtræ* apud Scriptores rudium Sæculorum occurrunt, iſtis *Specularibus* munitæ erant, de quibus multa habet Salmaſius in Solinum. Leo Oſtienſis Lib. 3. Cap. 33. commemorat *Feneſtras vitro, tam gipſo, quàm plumbo inſigniter laboratas*. Et Cap. 34. *Feneſtras, quæ in porticibus ſunt, gipſeas quidem, pari verò decore, conſtruxit*. Apud Patres Cappuccinos, quibus ſolicitum ineſt ſtudium paupertatis, feneſtras ejuſmodi non ſemel vidi. Seræ autem antiquitati novimus fuiſſe *Specula*, quorum uſus numquam deſiit; ſed eorum fabricam apud Italos uni fortaſſe Veneti per tempora multa ſervarunt, & adhuc ſervant; quæ tamen aliò tranſlata, nunc in aliis quoque Regnis floret. At nos civi etiam Veneto, hoc eſt, Marco Paulo acceptum referimus, quòd primus vaſtum ac feliciſſimum Sinarum (ut appellare conſuevimus) Imperium Sæculis poſterioribus detexerit, uti & Columbo, & Americo Veſpuccio, quòd Indiarum Occidentalium notitiam & aditum reliquis Europæis aperuerint.

Quæ poſtea ducentis ab hinc annis mirabilia ſane inventa fuere, æquiori titulo omiſſa velim. Sed non prætereibo nonnulla a Gualvaneo de la Flamma ante quadringentos ferme annos ſcripta in hanc rem. Floruit ille, ut alibi non ſemel monui, in Ordine Prædicatorum Mediolani iis ipſis temporibus, quibus hæc ab ipſo narrata contigere. Leguntur autem in ejus Opuſculo, quod evulgatum a me fuit Tomo XII. Rer. Italicar. *Anno MCCCXLI.* (en ejus verba pag. 1037.) *Pontificatus Benedicti XII. Anno VI. vacante Imperio, & Sede Archiepiſcopali Mediolanenſi: Vicariatus Roberti Regis Siciliæ Imperii Anno XXVIII. ſub dominio duorum fratrum ex Vicecomitibus venerabilis Johannis Epiſcopi Novarienſis, & nobilis Militis Luchini de Vicecomitibus. In Civitate per Dominos*

A *Civitatis duæ novitates ſunt inchoatæ. Prima eſt, quod adinvenerunt facere Molendina, quæ non aqua, aut vento circumferuntur, ſed per pondera contra pondera, ſicut ſolet fieri in Horologiis*; (& heic animadverte uſum tunc ibi familiarem ferrei *Horologii*.) *Et ſunt ibi rotæ multæ & artificia ſubtilia multùm. Et non eſt opus, niſi unius pueri. Et moliunt continue quatuor modios tritici moliturâ optimâ nimis. Nec umquam in Italia tale opus fuit adinventum, licèt per multos annos exquiſitum. Secunda novitas fuit, quod adinvenerunt facere in Ticinello navigium. Et fuerunt illæ naves dictæ Ganzerræ. Et portat una navis quingentos vel ſexcentos homines armatos. Et ſunt nimis utiles pro* B *Communitate Mediolani, quia poſſunt ire uſque Venetias, & viſitare Civitates & Caſtra poſita ſuper Ticinum & Padum, & in Lacu Majori. Poſſunt etiam hoſtibus inferre damna plurima, & victualia deferre amicis. Sunt iſtæ Ganzerræ naves magnæ, habentes pro qualibet quinquaginta remos vel circiter. Et ſunt communitæ aſſeribus in circuitu cum bathfredis & machinis, cum maximis velis. Nec potuit Ticinellus ipſas tranſducere quantumcumque ingurgitatus, ſed cum camellis* (ita ibi ſcriptum) *& aliis inſtrumentis oportuit ipſas conduci uſque ad Lacum Majorem*. Præter hæc idem Gualvaneus in altero Capitulo nova quædam inventa recenſet, ita ſcribens: *Item alias nobiles & laudabiles conſuetudines adinvenerunt prædicti Domini Civitatis: & aliquas jam inchoatas per ſuos præde-* C *ceſſores repererunt. Videlicet quod equos emiſſarios equabus magnis commiſcuerunt; & procreati ſunt in noſtro territorio Deſtrarii nobiles, qui in magno pretio habentur. Item canes Alanos altæ ſtaturæ, & mirabilis fortitudinis nutrire ſtuduerunt. Et cuniculis Caſtra & Civitates repleverunt. Item racemi vernacini truncis inſerti pinum vernacinum inſertum producunt. Panni ve ſerico & de auro ſubtili artificio texuntur. Et plura alia mirabilia opera & novitates laudabiles introductæ eſſe dignoſcuntur*.

Ut etiam juſtæ conjecturæ ſuadent, Sæculis barbaricis atque Italiæ debemus originem *Perſ-* D *picillorum*, ſive *Specillorum vitreorum*: nos *Occhiali* appellamus. Profectò non defuere, qui ſibi viſi ſunt reperiſſe apud antiquos uſum inſtrumenti hujus ad oculorum vim adjuvandam. Sed incertis levibuſque rationibus eorum ſententia nititur. Samueli Pitiſco, atque aliis, ex antiqua Inſcriptione Romana laudatur *Faber Ocularíarius* (potius *Ocularius*) quaſi is eſſe potuerit ejuſmodi vitrorum fabricator, quod & Reineſius facile credidit Claſs. XI. num. 66. Inſcription. Antiquarum. Tenebroſam vocem nemo non videt: atque omnino latet, quid per eam ſignificatum fuerit, etiamſi ſtatuamus rectè ab Aldo deſcriptam fuiſſe Inſcriptionem illam, a Grutero ſubinde recuſam. Fortaſſis artifex effingebat oculos in Deorum templis, ſuſpendendos pro receptâ, uti ſtulte arbitrabantur, oculorum incolumitate. Ægyptii quoque, teſte Clemente Alexandrino Lib. 5. Stromat. oculos ex auro & argento confectos in Templis exponebant, ſignificaturi, *Deum omnia videre*. Ad hæc Florentiæ Inſcriptio legitur, ab accuratiſſimo Gorio producta Tomo prim. Inſcription. Florentin. pag. 406. ubi

M. RAPILIVS OCVLOS
REPOSVIT STATVIS

Erant enim antiquis ſtatuæ Deorum, oculos habentes ex auro aut gemmis confectos, uti idem

A [illegible] auctoritate Caroli [illegible] et Johannis Sarisberienſis deductam animadvertit. Quare nihil hic ſubſiſtendum. Alii Conſpicillum apud Plautum laudant, inſtrumentum nempe opinati quo adhibitum oculis, ut res majores appareant. Falluntur. Plautus ipſe in Fragmentis ait:

In conſpicillo adſervabam ;

Idest in Specula. Alterum verſum ex eodem Plauto affert Robertus Stephani, nempe:

Vitrum cedo: neceſſe eſt conſpicillo uti.

B At nuſquam apud Plautum verſum hunc reperio neque in Comœdiis, neque in Fragmentis, ita ut fidere huic non poſſimus; prætcrquamquod veteres adhiberent Vitrum ad accipiendam lucem in ædibus. *Specularia* nomen iis fuit. Ad hanc vocem legenda ſunt, quæ habet Du-Cangius in Gloſſar. Latin. & Salmaſius ad Solinum. Furetterus quoque in Vocabular. Gallic. Linguæ, tradit, ſe ab eodem Du-Cangio accepiſſe, adſervari in Regia Bibliotheca Poema Græcum, ex quo habetur, *Perſpicilla* in uſu fuiſſe Anno Chriſti MCL. Paria ſcribit Menagius in Origin. Linguæ Italicæ. En verſiculum illum, ubi de Medicis agitur:

[illegible]

C Idest: *Intuentur autem excrementa per Vitrum.* Verùm dubitat ipſe Menagius, an hoc ad Ocularia ſpectet, quum vitro potuerint uti Medici illi, ne tetro fœtore læderentur. Præterea is minime animadvertit, dubitationem omnem ab ipſo Du Cangio auferri, qui rurſus eundem verſum in Gloſſario Græco ad vocem [illegible] laudat, eumque ita Latine reddit: *Idest, inſpiciunt excrementa cum urinis*: neque hæc ad Specilla ſpectant. Scilicet [illegible] *Urinam* ſignificat, non *Vitrum*. Quum ergo nullum apertum locum aut teſtem ex univerſa antiquitate habeamus, tunc in uſu fuiſſe *Perſpicilla*, ſeu *Specilla*; & contra vix fieri potuerit, quin apud antiquos aliqua eorum mentio facta fuiſſet, ſi D ejuſmodi inſtrumenta noviſſent: ſententiæ accedendum eſt Clariſs. Viri Franciſci Redii Medici ac Philoſophi Arretini, qui in Epiſtolâ Anno MDCLXXVIII editâ contendit, *Perſpicillorum* inventum & uſum emerſiſſe ab Anno Chriſti MCCLXXX. uſque ad MCCCXI. & quidem in Tuſcia. Nam in Sermonibus MStis Fratris Jordani de Rivalto, qui e vivis abiit

A Anno MCCCXI. hæc leguntur: *Non è ancora vent' anni, che ſi trovò l' arte di fare gli Occhiali, che fanno veder bene; che è una delle migliori Arti, e delle piu neceſſarie, che 'l Mondo abbia.* Quæ verba jamdiu protulerant editores Vocabularii *della Cruſca*. Ad hæc idem Redius profert locum e Chronico Piſano, cujus auctor fuit Frater Dominicus de Peccioli Ordinis Prædicatorum. Ibi ſermo eſt de Fratre Alexandro Spina, qui Anno MCCCXIII finem vivendi fecit. En verba: *Frater Alexander de Spina Piſanus manibus ſuis, quicquid voluiſſet, operabatur, ac caritate victus aliis communicabat. Unde cum tempore illo Quidam Vitrea Specilla, quæ Ocula-* B *ria vulgus appellat, primus adinveniſſet, pulcro ſane, utili, ac novo invento, neminique vellet artem ipſam conficiendi communicare, hic bonus vir & Artifex, illis viſis, ſtatim nullo docente didicit, ac alios, qui ſcire voluerunt, docuit. Canebat modulate. Scicbat eleganter; & deſcriptos Libros, quos minia appellant, ornabat. Nullum prorſus manualium Artium ignoravit.* Alia congerit idem Redius ad ejuſmodi ſententiæ confirmationem: certumque eſt, exinde occurrere apud Scriptores eorumdem Perſpicillorum, ſive *Occhiali* nomen. Denique prætermitto inventa alia barbaricis Sæculis tribuenda: puta mirabilem Typographorum Artem, tormentorumque ignivomorum C fabricam, atque alia, de quibus poſt Polidorum Virgilium eruditiſſime egit Guido Pancirolius. De origine verò Typographicæ Artis vidi in Tranſactionibus Britannicis Diatribam, cujus Auctor omnium diligentiſſime in eam inquiſivit. Citius enim, quam vulgo creditur, apud Belgas ſive Germanos Ars illa adinventa, & longe antea, quàm multi crediderint, in Italiam advecta fuit. In Cœnobio Benedictinorum Sancti Georgii Venetiis viſus mihi fuit *Rationalis divinorum Officiorum* (Durandi) *Artificioſâ adinventione imprimendi ac caracterizandi abſque calami exaratione, ſic effigiatus per Johannem Fuſt Civem Maguntinum, & Petrum Gernsheym Clericum Diœceſis ejuſdem.* D *Anno Domini Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Nono, Sexta die Octobris.* Verùm de his conſulendi ſunt *Annales Typographici* Michaëlis Maittaire, ante paucos annos editi Londini, in quibus & origo & progreſſus Typographicæ Artis fuſiſſime & accuratiſſime pertractantur. Conſulendum quoque par Opus Bononiæ editum a P. Orlando Carmelita.

DE
TEXTRINA
ET
VESTIBUS
SÆCULORUM RUDIUM.

DISSERTATIO
VIGESIMAQUINCTA.

DISSERTATIO VIGESIMAQUINCTA.

DE Artibus Italicorum poſt declinationem Imperii Romani, quum in præcedenti Diſſertatione agerem, nihil de *Textrina*, ſive de Arte texendi pannos ac telas, nihil de *Veſtibus* antiquorum attuli. Hoc enim argumentum præſenti Diſſertationi reſervatum volui. Ars quoque iſta ex iis eſt, quam nulla calamitas, nulla barbarorum irruptio, tollere aut minuere potuit. Eam indumentorum neceſſitas invexit, eam propterea ſemper retinuit ac retinebit. Proinde ſemper in uſu fuere telæ bombycinæ ac lineæ, neſcio an & confectæ ex cannabe, ut nunc in quibuſdam Italiæ Urbibus fabricare mos eſt. Neque panni lanei umquam deſiere. Ulpianus in l. *Veſtis ff. de auro argento* ſcribit: *Veſtimentorum ſunt omnia lanea, lineaque, vel ſerica, vel bombucina*. Nunc nobis inquirendum, num barbarica Sæcula etiam agnoverint atque uſurparint, quos nunc appellamus *Drappi*. Occurrit hæc eadem vox apud Scriptores mediæ Latinitatis, uti indicavit Du-Cangius in Gloſſario Latino. Hoc autem nomine telas ſerico textas ſignificare animus eſt. Neque ulla dubitatio ſupereſt, quin Græcis ac Romanis perſpectiſſima fuerit Serici velleris venuſtas; veſteſque ex eo elaboratas veteres Romani primates, & matronæ potiſſimùm adhibuerint. Sed celebris quæſtio eſt, num Vergilius Lib. 2. Georgicor. verſ. 121. ſcribens:

Velleraque ut foliis depectant tenuia Seres.

& Plinius ſenior paria tradens, *Serici* nomine *Bombycinam* tantummodo telam olim deſignatam fuiſſe teſtentur; an verò decepti fuerint, uti veriſimilius eſt, opinati *Sericum* e lanugine in arboribus nata (qualis revera eſt *il Cottone*, ſive *il Bambagio*) in ſubtiliſſima fila trahi. Exercuit multorum ingenia ejuſmodi quæſtio, quam ego indicaſſe tantùm ſatis habeo, unum memorans, ne Plinio quidem ignotos fuiſſe Vermes, Bombyces appellatos, ex quorum opificio telæ magno emptæ, & maximi factæ, contexerentur. Vide la Cerda in Vergilium, Salmaſium in Solinum, ut complures alios viros doctos ea de re loquutos prætercam. Illud etiam extra controverſiam poſitum eſt, florente Romanorum Imperio, Artem Serici gignendi, atque texendi, Indis dumtaxat, & Sinenſibus præcipue, ut conjecturæ ferunt, notam fuiſſe. Quare quæcumque ſericæ telæ, ſive veſtes tunc a Græcis & Romanis uſurpatæ ſunt, ex una India per Perſiam advehebantur. Auctor eſt Procopius Lib. 4. Cap. 17. de Bello Gothico, ſub Juſtiniano tantùm Auguſto primùm innotuiſſe Græcis conficiendi Serici rationem quum Monachi quidam ova bombycum ex India Coſtantinopolim detulerint, & methodum ea fovendi, ac vermes inde natos alendi, & ex eorum cellulis fila ſerica educendi tradiderint. Habes illius verba Tom. I. Rer. Italicarum. Apud Græcos exinde, hoc eſt, poſt Annum Chriſti DL. conficiendi Serici Ars invaluit. Sed quo tempore a Græcis in Italiam tranſlata hæc fuerit, nulla, ut puto, monumenta nos docent. Invenio quidem in Capitulari de Villis Caroli Magni, & in Breviario rerum Fiſcalium ejuſdem Auguſti, edito per Eccardum, *Morarios*, ſcilicet arbores, nunc nobis *Mori*, Gallis *Meuriers*. Sed minime liquet, an eorum foliis Bombyces alerentur.

Quod nunc præ ceteris animadvertamus velim, in præcedenti Diſſertatione Ricobaldus Italicos nobis deſcripſit uſque ad medium Sæculum XIII. tantâ temperantiâ, ne dicam ruditate, uſos, ut vulgaribus pannis ac telis ad ſe induendos & ornandos contenti, Luxum omnem averſarentur: immo ne notum quidem haberent. Si huic fides, ad ea uſque tempora ſericas veſtes, aliaſque pretioſas telas Italia aut ignorarit, aut Populis in luxum pronis conſulto reliquerit. Verùm neque tam rudia, neque adeo inimica Luxus excogitare licet Sæcula illa. Certe longe antea, apud nos quoque, delicatiora Textrinæ opificia ſub oculis omnium verſata ſunt, ac præſertim in ſacrarum ædium ornamentum. Unum Anaſtaſium conſule in Vitis Romanorum Pontificum, atque ibi complura invenies, quorum etiam nomina tunc vulgo cognita, nunc autem exotica plane deprehendantur. Exempli gratiâ Paſchalis I. geſta percurre, qui Anno DCCCXVII. Romanum Pontificatum iniit. Is ædi Sanctorum Proceſſi & Martiniani *vela de fundato cum periclyſi de blattin circumſuta* largitus eſt. *Peryclyſis de blattin* eſt extremitas (ſive *orlo*, o *contorno*) ex tela coccinea, ſive purpurea. Nimirum Sæculis iis barbaris, *Blattæ*, ideſt Purpuræ, uſus, ejuſque tincturæ Ars viguit, quâ noſtra tempora alioqui tam ſuperba carent. Alibi apud eumdem Hiſtoricum Paſchalis I. *fecit veſtem de chryſoclavo cum diverſis hiſtoriis miræ magnitudinis & pulcritudinis*. Infra idem Pontifex *obtulit aliam veſtem chryſoclavam ex auro, gemmiſque confectam, habentem hiſtoriam Virginum cum facibus accenſis mirifice comtam*. Pari munificentiâ idem *fecit veſtem de ſtaurace habentem pavones: & veſtem ex auro textam: & coopertorium rubeum de ſerico*. Infra, ut idem Anaſtaſius ſcribit, *fecit vela de quadrapulo quinque, & vela Tyria duo*. Rurſus in alio Templo obtulit *veſtem de Blattin Byzantea: & veſtem de fundato alithino, habentem in circuitu periclyſin do olovero: & veſtem de fundato porphyretico*. Alibi fecit *veſtem de fundato Praſino*. Memorat exinde *vela holoſerica, & pannum Alexandrinum mirifice decoratum*. Oblata quoque ait in Vita Leonis IV. Papæ *tria vela de Spaniſco*. Infra commemorat *velum acupictile, habens hominis effigiem ſedentis ſuper pavonem unum*. Tum *vela ex auro texta, habentia hiſtoriam beati Petri Apoſtoli*. Stephanus quoque Papa V. ſub finem Sæculi IX. fecit *vela quatuor in circuitu Altaris majoris, quorum duo ſunt de ſerico pigacio, tertium pavonatile, quartum de Alexandrino, ornatum totum in circuitu de olovero*. Item *vela ſerica de blattin Byzantea quatuor, duo ex his aquitata, & duo de baſiliſci*.

ſolis. Sed quid plura perſequor? Satis ſit percepiſſe hæc loca, ut intelligamus, texendi Artem deſecutorum non defuiſſe temporibus iis, quæ nos tantadum ſupra meritum deſpicimus, noſtra paucommodo ditari. Neque ſi cile admodum, hæc omnia ex Oriente petita fuiſſe.

Hanc etiam puto, tum fabricatas fuiſſe telas, aureis filis ac ornamentis intermixtas, quas nunc Broccati appellamus. Pallium aurotextile apud eumdem Anaſtaſium occurrit. Quæ Chryſoclava, & Auroclava nuncupantur, non auſim cum Papia appellare Purpuras auratas: ſed tamen puto, fuiſſe lineas, aut fruſtula ornamenti aurei, ſive telæ ex auro textæ, quæ ſuper alteram telam jam confectam intexebantur, exiguis veluti clavis, ſed acu, adfixa. Alibi enim memorata vidi vela linea aureoclava. Præcipue verò in limbis veſtium clavi iſti inſerebantur. Verùm de hujus vocis ſignificatione multa eſt diſputatio inter Eruditos, & nihil mihi hoc in loco decernere eſt animus. Fuerunt & pictæ veſtes; quæ videlicet auro & coloribus ſuperinductis pictæ fuiſſe videntur, & hiſtorias varias atque figuras exhibuiſſe. Sed ſubinde intelligendum acu, ideſt acupictæ, ſeu ricamate veſtes. Neque enim iis temporibus deficere veſtes Phrygio opere variis figuris exornatæ, hoc eſt acu pictæ.

> .... *Babylonica picta ſuperbe*
> *Texta Semiramia quæ variantur acu.*

verba ſunt Martialis. Supra vidimus *velum acupictile*. Alibi eadem vox occurrit, qua ſignificatur noſtrum *Ricamo*, antiquiſſimis etiam temporibus uſurpatum, & præcipue Phrygiis. Sunt qui *Plumarium* opus idem cum *Phrygio* opere putant. Chronicon Farfenſe, quod evulgavi Part. II. Tom. II. Rer. Italicar. pag. 469. Cellam Sancti Benedicti in Silvaplana memorat, *ubi fuit antiquitus Congregatio Ancillarum, quæ Opere Plumario ornamenta Eccleſiæ laborabant*. In Notis ſuſpicabar ego poſt Fullerum & alios, innui heic poſſe non ſolùm Phrygium opus, ſed & affabre inſertas telis plumas avium coloris varii, aut ex ipſis ad Inſtar telæ ornamenta fuiſſe compoſita. Neque dixiſſe pœnitet, quamquam & alteram opinionem innuerim. Prudentius in Hamart. num. 293. hæc habet.

> ..... *Hunc videas laſcivus præpete curſu*
> *Venantem tunicas avium quoque verſicolorum*
> *Indumenta novis texentem plumea telis.*

Adde Senecam Epiſtol. 91. *Avium plumæ in uſum veſtis conferuntur*. Vide quæ congeſſit Du-Cangius in Gloſſario Latino, quum tamen in Græco ſecus ſentire videatur. Turnebus contra Adverſar. Lib. XI cap. 25. Vopiſcum explicans, hæc ad noſtrum *Ricamo* refert. *Plumandi*, ait, *texendi a quibuſdam, ab aliis acu pingendi exponitur. Et ſane videri poteſt pro acu pingere interdum accipi, ut ab Hieronymo. Species tamen quædam proprie eſt acu pingendi, cum clavi, aut patagia, aut ſegmenta, aut ſcutulæ, aut teſſellæ, ſic aliæ aliis aſſuuntur, ut plumam avium referant*. Salmaſius in Notis ad Vopiſcum pluribus hac de re agit, & cenſet πτίλωμα *eſſe omne id, quod in veſtibus Plumaria arte intextum erat, ſive eſſent tabulæ, ſive eſſent orbiculi, vel rotæ*. Et certe *Plumatum Babylonicum* occurrit apud Petronium. *Babylonica* autem *texta* acu variata fuiſſe ſuper vidimus. Præter cadere vix tur in hanc rem locus Procopii Lib. de Ædific. Juſtin., ita ille ſcribit, *ſericis auro ornamentis undique diſtinctis, quæ vulgo dicere ſolent*. Altaria linea opere Plumario etiam leguntur in Charta Anni MXIX. infra mihi edenda in Diſſertatione LVI. *de Religione Chriſtiana*. Mihi unum tantummodo ſtatuitur, nimirum videri intercedere diſcrimen inter opus *Phrygium*, ac *Plumarium*, quum in Regula Sancti Cæſarii ad Monachos Cap. 24. legatur: *Plumaria, & Acupictura, & omne polymitum &c. numquam in Monaſterio fiant*.

Ceterum pro Phrygio opere egregius eſt in hanc rem locus Petri Comeſtoris, qui Anno Chriſti MCLXX. floruit, in Caput 26. Exodi, ubi de *Opere Plumario* ita loquitur: *Plumaria Lingua quadam Acus dicitur, ſcilicet Ægyptiorum, quorum ſunt diverſæ Linguæ, ſicut Græcorum. Hoc genus veli vulgo Diſtratum dicitur, quaſi bis ſtratum. Prima enim fit tela, cui cum acu opere manuali ſubſternuntur picturationes. Sunt qui dicunt Opus Plumarium a ſimilitudine avium, quibus ſuperaddita plumarum varietas. Idem opus dicitur etiam polymitum*. Fallitur tamen. *Polymita* enim proprie varietatem colorum a texturæ artificio capiebant. *Plumarium* verò opus ab acu. Et Plumarii quidem operis non ſemel eſt mentio in Exodo. Druſius Rabbinos memorat, qui eam vocem *Phrygionicum opus*, ideſt *il Ricamo*, interpretantur. Sunt autem qui ipſam vocem *Ricamo* ad nos veniſſe ex Hebræo *Ricam* arbitrantur: neque immeritò. Sed poſt tot diverſas Eruditorum ſententias expendenda exhibeo verba Aldhelmi Occidentalium Saxonum in Britannia Epiſcopi in Lib. de Laudib. Virginitat. Cap. 6. Florebat Auctor circiter Annum Chriſti DCLXXX. atque illius Opus editum eſt in Tomo XIII. Bibliothecæ Patrum edition. Lugdunenſ. *Siquidem*, inquit, *cortinarum, ſive ſtragularum textura, niſi panniculæ purpureis, immo diverſis colorum varietatibus fucatæ, inter denſa filorum ſtamina ultro citroque decurrant, & Arte Plumariâ omne textrinum Opus diverſis imaginum thoracibus perornent, ſed uniformi coloris fuco ſigillatim confecta fuerit: liquet profectò, quomodo nec oculorum obtutibus jucunda, nec pulcherrimæ venuſtati formoſa videbitur*. Non eſt heic prætereundum, laudari locum iſtum ab Illuſtriſs. Fontaninio Archiepiſcopo Ancyrano in Comment. ad Diſcum Chriſtianum Cap. 17 ubi *Sanctus*, ait, *Aldhelmus morem ſuæ ætatis in hujuſmodi orbiculatis veſtibus contexendis ſugillat, neque ullo pacto in Virginibus probat*. Tum adfert ipſius Aldhelmi verba ſecundùm novam editionem, hoc eſt, caſtigatiorem, Henrici Whartoni, quæ ita ſe habent: *Cortinarum, ſive Stragularum texturæ non panniculæ purpureis, immo diverſis colorum varietatibus fucatæ inter denſa filorum ſtamina ultro citroque decurrant, & Arte Plumaria omne Textrinum opus diverſis Imaginum Thoraciculis perornent*. Verùm Fontaninius oppoſitum plane vidit, ac Aldhelmus ſcripſerit; & Whartonus lectionem illam non emendavit, ſed corrupit. Aperta mens eſt Aldhelmi, *ſolam Virginitatis prærogativam ſine ceterarum adjumento Virtutum non ſufficere ad perfectionem*, atque opus eſſe, *ut multimodâ mandatorum varietate decenter decoretur*. Tum exemplum adfert telæ *Cortinæ*, ſive *Stragulæ*, cujus erat uſus

uſu: præcipuus in ornamentis Templorum, & ſacris aliquot veſtibus: inquiens ipſam non ſolùm per varia licia a textoribus variâ Colorum venuſtate confici, ſed etiam Arte *Plumariâ* diverſis Imaginum Thoracibus (*ſcudetti* nunc nos appellaremus, & *Clypeos* etiam antiqui nuncuparunt) perornari. Nam ſi *uniformi colore* tela conficeretur, non tanti æſtimaretur, neque tam venuſta & grata intuentium oculis appareret. Sanctum Hieronymum præ oculis habuit Aldhelmus, ſcribentem in Epiſtol. de Caſtitate ſervanda: *Aſtitit Regina a dextris ejus in veſtitu deaurato circumdata varietate: qua veſte Polymitâ* (ideſt variorum Colorum) *& multarum virtutum adverſitate contextâ indutus fuit & Joſeph & Regum quondam utebantur filiæ*. Addere hoc etiam liceat. Whartonus pro *Stragularum textura, niſi panniculæ* &c. legit *Stragularum texturæ non pauculæ* &c. Repeto: is verum ſenſum Scriptoris vitiavit, quod non ſatis animadverterit, quæ mens foret Aldhelmi, & quid ſignificaret apud veteres vox *Panniculæ*, ſive, ut rectius loquar *Paniculæ*, ſeu *Panuculæ*. Iſidorus Lib. 19. Cap. 29. *Panuclæ*, inquit, *dictæ, quod ex iis panni texantur: ipſæ enim diſcurrunt per telam*. Nonius verò: *Panus tramæ involucrum, quem diminutive Panuclam vocamus*. Sed neutrum ſat exprimit ſignificationem *Panuclæ*. Quare audiendus Salmaſius in Notis ad Julium Capitolinum pag. 127. ubi ait: *Panuclium glomum eſſe ſubteminis radio textorio involutum*. Nempe *Glomus* Tuſcis eſt *Gomitolo*, Mutinenſibus *Gomiſſello*: utrumque ab ipſo *Glomo* diminutive progenitum: & *Radius* nobis eſt *la Spola* ſive *Spuola*, quæ ultro citroque decurrit, & ſubtemen ſtamini inſerit. *Radios acutos* Ovidius memorat ad telam texendam. Vide Diſſertationem XXXIII. ad vocem *Pania*, quid de *Spola* dixerim. Ita Plinio teſte *Panicum a paniculis dictum*, hoc eſt, a culmo fructus ſui, quem adhuc nos *Panocchia* appellamus: unde conjicere licet, *Panuculam* potius, ſive *Panuclam*, nuncupatum fuiſſe *racemum Panici*, quàm *Paniclam*. Inter Panuclam Panici, & Panuclam textoriam interceſſiſſe videtur aliqua ſimilitudo: quum ſimilis fortaſſe fuſo hæc foret, in quo involvitur ſubtemen intexendum. Recte propterea Papias in Gloſſario ſcribit: *Panus, lignum in quo trama componitur; diminutivum hæc Panucla*: ſed non recte, dum ait, ideo *dictum, quòd eo panni texantur*. *Panuelium* apud Iſidorum legebat Scaliger in Notis ad Varronem. Sed ſcribendum ibi *Panucliæ*, vel *Panuclæ*. Non ergo expungendæ erant Whartono *Panuclæ* ex textu Aldhelmi, neque ſubſtituenda vox *Panculæ*; & *Niſi* retinendum erat, ſenſui neceſſarium. Ceterum ex ipſius Aldhelmi verbis elucere videtur, *Plumariam Artem* nihil aliud fuiſſe, quàm Artem ornandi, ope ſcilicet acus, & diſtinguendi variis imaginibus, aliiſque florum, fructuum &c. telam jam contextam, ipſamque interdum coloribus variatam, qualis fuit *Stragula*. Eumdem Papiam rurſus audi: *Stragulum, veſtis diſcolor Plumario opere facta. Hinc Stragula veſtis*. Sed *Stragula* ſive *Stragulas* appellatas etiam arbitror telas & veſtes vario colore confectas, quamquam nullum accederet Plumariæ Artis ornamentum. *Phrygii* autem, ſeu *Plumarii* operis veſtigia ſublucent adhuc in Codicibus antiquis, ubi Principum effigies pictæ occurrunt. Apud Monachos Caſinates Romæ Bibliorum Codex venerandæ antiquitatis adſervatur, cui præmiſſa eſt Caroli

A Francorum Regis imago (Magni-ne, an Calvi, incertum) quam æneis typis edidere Nicolaus Alemannus, & Mabillonius viri Clariſſimi. Ibi toga Regis ac Reginæ opere Phrygio exornata viſitur. Quanta verò antiquis etiam temporibus Anglicæ gentis peritia foret in hiſce manuum operibus, teſtis eſt Auctor Geſtorum Guilielmi cognomine *Conquiſtatoris*, Angliæ Regis, cujus ſunt verba: *Anglicæ nationis feminæ multùm acu & auri texturâ, egregie viri in omni valent artificio*. Propterea celebre fuit *opus Anglicum*, ut conſtat ex Leone Marſicano Lib. 2. Cap. 33. Chronic. Caſinenſis. Sed & Sæculo Chriſti VI. ſumma fuiſſe videtur Italorum in hac Arte ſolertia. Commemorat Agnellus in B Vita Maximiani Archiepiſcopi Ravennatis, Tomo II. Rer. Italicar. *Endothin byſſinam pretioſiſſimam, illius juſſu factam*. Tum ſubdit: *Quis ſimilem videre potuit? Non poteſt aliter æſtimare ipſas imagines, aut beſtias, aut volucres, quæ ibi factæ ſunt, niſi quod in carne omnes vivæ ſint*. Immo vix fallatur, qui non tantùm Aſiaticis, ſed ipſis etiam Romanis, longe antea notam fuiſſe artem contexendi Aulæa, ſive telas imaginibus variatas arbitretur. Perpende quid velit Vergilius Georgicor. Lib. 3. verſ. 25. dum ait:

Purpurea intexti tollant Aulæa Britanni.

C Memoravit quoque Macrobius Lib. 5. Cap. 17. Saturnal. illos, *qui figmentis liciorum contextas imitantur figuras*.

Ad hæc erant Sæculis rudibus Pallia, ſive Aulæa, ſive Periſtromata, a Græcis & Latinis antea uſurpata: eorumque uſus præcipue fuit in ædium Regiarum, Templorumque ornamentis. Decernere minime auſim, an ex iis eſſent fabricata in Italia, quæ contextas haberent figuras hominum, belluarum, arborum, atque ejuſmodi rerum. Apud Aſiaticos certe fuerunt. Ea nunc nos appellamus *Arazzi*, ab Urbe Atrebatenſi, ſive *Araſſo*, nomine aſſumto, non quòd ibi primum excogitata fuerit ingenioſa eorum ſtructura, ſed quòd renovata ſucceſſu D plane felici. Ita *Duagio* olim appellabatur quoddam panni genus Duaci fabricatum; ita *Damaſco* ſerica tela vocatur, noſtris temporibus uſitatiſſima, quod olim ex Urbe Damaſco deveheretur. Neque aliâ de cauſsâ nobis *Renſa* dicitur quoddam ſubtiliſſimæ telæ genus, niſi quod Remis antiquo tempore fabricabatur, quam Urbem Itali *Rens* appellare conſueverunt. Memorantur etiam ab antiquis Periſtromata Babylonica *picta ſuperbe*, tum *Attalica*, immo & *Campanica*. Picta, inquam: quo tamen nomine figuras, veluti picturam, cum telis contextas ſignificabant. Servius ad Lib. I. Æneid. verſ. 701. *Aulæis, velis pictis: quæ ideo aulæa dicta ſunt, quòd primùm in aula Attali Regis Aſiæ inventa* E *ſunt*. An potius quod ornamento Aularum eſſent? Ita & Plinius Lib. 8. Cap. 48. *Colores diverſos picturæ intexere Babylon maxime celebravit, & nomen impoſuit*. Eâdem ratione *belluata tapetia* Plautus in Pſeudolo nominavit, quod ibi intextæ eſſent belluarum figuræ, de quibus etiam meminit Apulejus in Mileſiis. Quamobrem quum toties in Vitis Romanorum Pontificum apud Anaſtaſium invenimus *vela picta*, aut *veſtes pictas*, quærere quis poſſit, num ibi intelligenda ſit pictura telæ ſuperinducta, an ſimul contexta, an acu picta. In Hadriano I. *fecit veſtem de chryſoclabo, habentem Hiſtoriam Nativitatis* &c. Infra *fecit veſtem chryſoclabam*, pre-

prymnia gemmis ornatum, *habentem* [illegible] &c. Num in Italia tunc temporis Artis fuit, ut hiſtorias etiam in tela contexerent? Equidem puto, non pictoris manu, ſed acu acutiſſima, aut fortaſſe etiam Phrygio opere, Hiſtorias ejuſmodi fuiſſe telis ac pannis contextas ſive inſertas. Diu tamen perſeveravit *Picturæ* nomen ad *deſignandam* ingenioſam figurarum texturam. In Vita Honorii III. Papæ, qui Anno MCCXVI. Cathedram Petri conſcendit, a Cardinali Aragonio conſcripta Tomo III. Rer. Italicar. pag. 571. hæc legimus: [illegible] (five ſtrata); [illegible] compoſitis. Itaque crate [illegible] aulea, periſtromata, ac tapetia lanea, quibus eo tempore Hiſtoriæ & figuræ intexebantur, ex Ægypto, atque e Syria, & Gallia in Italiam afferebant. Etiam & vela ſerica, ſive telæ, Hiſtorias ſacras paſſim contextas præferentes, quas excogitare nequeo efformatas a Populis Arabum, tum ab Religionem noſtram, a qua ii omnino abhorrebant, tum etiam quod Imagines ſacras ad hominum genus deteſtatur. Ammianus Lib. 24. innuere quoque videtur, Syros in Aulæis bella [illegible], venationes exprimere conſueviſſe. Proinde reliquum eſt, ut aut in Italia, aut in Græcia, aliiſve Chriſtianorum Regnis ejuſmodi telæ pictæ ad ſacros uſus conficerentur. In Gloſſis antiquis ad Vitam & Canonizationem Sancti Petri Cæleſtini Papæ, a Jacobo Cardinali ſcriptam, editamque Tomo III. Rer. Italicar. Lib. 2. Cap. 5. hæc adnotanda ſunt: *In Pluviali Papæ erant imagines Sanctorum Patrum de ſerico & auro laborata & acu, operis Cyprenſis, ſeu Anglicani*. Otto autem Friſingenſis Lib. prim. Cap. 33. de Geſt. Frideric. auctor eſt, Rogerium Siciliæ Regem expeditione felici adverſus Græcos (id contigit Anno Chriſti MCXLVIII.) per ſuos Duces Corinthum, Thebas, ac Athenas expugnaſſe: *Maxima ibidem*, ſubdit ille, *præda direpta, opifices etiam, qui Sericos pannos texere ſolent, ob ignominiam Imperatoris illius, ſuique Principis gloriam, captivos deducunt. Quos Rogerius in Palermo Siciliæ metropoli collocans, Artem illam texendi ſuos edocere præcepit. Et exhinc prædicta Ars illa prius a Græcis tantum inter Chriſtianos habita, Romanis patere cœpit ingeniis*. Quæ tamen heic habet Friſingenſis, rigide excipienda non ſunt, quaſi nulla Europæis Populis antea fuerit Ars Serici texendi; ſed credendum, ad nos veniſſe ſingularem aliquam ejuſmodi texturæ methodum, qua panni Serici non ſimplices, ſed figurati contexerentur.

Conjecturæ meæ huic certitudinem poſtea addidit Hugo Falcandus ejuſdem Sæculi XII. Scriptor. Ejus verba, quibus nobiliſſimam Urbem Panormum deſcribit, e Præfatione excerpta, atque ad lucem argumento huic augendam aptiſſima, ſuum heic locum merentur. *Nec verò*, inquit ille in Hiſtor. Sicula, *illas Palatio adhærentes ſilentio præteriri convenit Officinas, ubi in fila variis diſtincta coloribus Serum vellera tenuantur, & ſibi invicem* MULTIPLICI *texendi genere coaptantur. Hinc enim videas Amita, Dimitaque, & Trimita minori peritiâ ſumtuque perfici* (ideſt vulgares telæ ſericeæ uno filo ſeu licio, duobus, aut tribus contextæ). *Hinc Examita uberioris materiæ copiâ condenſari*. (Veteres hanc telam *Sciamito*, utpote e ſex liciis ſive filis contextam, appellarunt.) *Heic Diarhodon igneo fulgore viſum reverberat*. (Hoc

A eſt, telæ Roſeo colore ſaturatæ) *Heic Diapiſti color ſubviridis intuentium oculis grato blanditur aſpectu*. (Ejuſmodi telas non ſemel memorat Anaſtaſius Bibliothecarius. Hinc diſcimus, viridi, ſive ſubviridi colore fuiſſe infectas.) *Heic Exarentaſmata circulorum varietatibus inſignita, majorem quidem Artificum induſtriam, & materiæ ubertatem deſiderant, majori nihilominus pretio diſtrahenda*. (Caruſius *Exanthemata* legendum ſuſpicatur, ita ut fuerint telæ floribus intextis ſpecioſæ. Sed *Circulorum* ibi legitur. Fortaſſe legendum quoque *Floſculorum varietatibus*.) Pergit Falcandus: *Multa quidem, & alia videas ibi varii coloris ac diverſi generis ornamenta, in quibus & Sericis*
B *aurum intexitur, & multiformis Picturæ varietas gemmis interlucentibus illuſtratur. Margaritæ quoque, aut integræ ciſtulis aureis includuntur, aut perforatæ filo tenui connectuntur, & eleganti quadam diſpoſitionis induſtriâ Picturati jubentur formam operis exhibere*. Hæc Falcandus circiter Annum Chriſti MCLXIX. memoriæ tradebat: ex quo intelligas, quanta tum foret Panormitanis Ars ad Serici texturam, & induſtria, quam a Græcis didicerant: neque deſideratas apud eos fuiſſe telas Picturatas, ita ut qui noſtri Sæculi textrinam, veteri ſane præferendam, miramur aut extollimus, fateri tamen cogimur, nos multùm antiquis debere, ſine quibus tanta hodie præſtare nequaquam
C poſſemus. Si fides Nicolao Tegrimo in Vita Caſtruccii pag. 1321. Tomi XI. Rer. Italicar. Sericorum pannorum textura deinde viguit apud unos Lucenſes: quumque poſt direptionem Urbis illius Anno MCCCXIV. ab Uguiccione Fagiolano factam, Artifices per univerſam Italiam diſperſi fuiſſent, tunc Opificium iſtud per alias quoque Civitates diſſeminatum fuit. *Alii*, inquit ille, *Venetias, Florentiam, alii Mediolanum, Bononiam quidam, partim in Germaniam, & ad Gallos, Britannoſque dilapſi ſunt. Sericorum pannorum Ars, quâ ſoli Lucenſes in Italia & divitiis affluebant, & gloriâ florebant, ubique exerceri cœpta*. Exteri nunc nobis vendunt, quæ ab Italis olim accepere. Ceterum
D *coopertoria, aulæa, penſiles cortinæ*, & ejuſmodi alia vela, barbaricis etiam temporibus adhibita fuere, tum ad ſacrum Altare veluti tabernaculo cooperiendum, tum ad columnas Templi aut parietes illius exornandos. Johannes Diaconus in Vita Sancti Athanaſii Epiſcopi Neapolitani Part. II. Tomi II. Rer. Italicar. *In Eccleſia Stephania*, inquit, *tredecim pannos fecit, Evangelicam in iis depingens Hiſtoriam, quos juſſit de columnarum capitibus ad ornamentum pendere*. Ejuſmodi vela & cortinas & tapetia offendas apud Anaſtaſium, alioſque veteres Scriptores. Et Tapetia quidem eadem olim fuère, ac quæ nunc ex Oriente ad nos deferuntur, pedibus ſubſternenda. Præterea ſub hoc
E nomine ſignificata etiam videntur Tapetia altèrius generis, hoc eſt penſilia, ſive periſtromata, ac peripetaſmata, quibus pariter uſa ſunt antiqua Sæcula.

Neque verò iis temporibus deerat Serici veli genus, quod nos nunc *Sendale*, *Zendale*, *Zendado* appellamus. Rolandinus in Chronico Lib. 4. Cap. 9. ait: *Tunc acceſſit unus de Popularibus ad Cendatum pendens de ſublimi antenna Carroccii*. Illud quoque Boccaccius in fabulis commemorat, ut exteros Scriptores prætercam. *Taffetani* etiam ſerici panni, & lanei alterius panni, qui vulgo *Saja* vocatur, & *Camelottum* quoque, *Camelatum* ſeu *Camelinum*, pannus

nempe

nempe e pilis aut caprarum aut camelorum confectus, apud veteres occurrit, *Zambilotum* Marco Paulli appellatur in Itinerario. Mutinenſibus nunc dicitur *Cambelloto*, & Tuſcis *Ciambellotto*. Hæc nobis nota ſunt, & adhuc in uſu. Verùm ſunt plurima nunc nobis obſcura aliarum telarum, velorum, ac pannorum genera in vetuſtis Libris, ac præcipue apud Anaſtaſium Bibliothecarium, Leonem Oſtienſem, Margarinum in Bullario Caſinenſi, & alibi, quorum nomina ſuperſunt, uti *vela de mizilo*, ſive *imizilo*, apud Anaſtaſium, *Planetæ Diaſpræ*, *Diapiſtæ*, *Diarhodinæ*, *de Fundato* &c. *Blata melella*, *Blata luſca*: quæ poſtrema nomina animadvertere poteris in apographo vetuſto Chartæ adſervatæ in inſigni Monaſterio Brixiano ſacrarum Virginum Sanctæ Juliæ.

Charta diviſionis curriculi aquarum inter Presbyteros Baſilicarum Sancti Deſiderii, Sancti Johannis Evangeliſtæ, & Sanctæ Euphemiæ in Urbe Brixiana, circiter Annum 761.

Cartula ſecuritatis & promiſſionis cauta Sabatio Archipresbitero Cuſtode de Baſilica Sancti Deſiderii, & Deuſdedit Presbitero Rectore Baſilicæ Sancti Johannis Evangeliſtæ, & Petro Clerico Cuſtode Baſilice Sancte Eufemie, unacum auctoritate Benedicti Epiſcopi *ſancte* Brixiane Ecclesie, *de Curriculo, qui ex parte in terra de ſupraſcriptis Baſilicis conſtat eſſe: hoc eſt de jure Sancti Deſiderii, comprehendit pedes manuales numero viginti quinque: & de Sancti Johannis pedes quinquaginta: & de Senodochio cauta quoddam Perenſindo, qui permanet ditioni Pontifici, pedes numero treginta: & de jure Sancte Eufemie denique longo pedes ſexaginta. Pro quibus datum eſt in ipſa venerabilia loca in primis ſupraſcripto Pontifici* Pallio uno de Blata melella: *ſimiliter Sabationi Archipresbitero alio* Pallio de Blata luſca: *nec non etiam Deuſdedit Presbitero ſimiliter; & Petro Clerico ſimili modo.*

Cur ad Annum circiter DCCLXI. monumentum hoc retulerim, in cauſſa fuit Epiſcopus Brixianæ Eccleſiæ *Benedictus*, cujus ſedes ad ea tempora ſpectat. Præterea erant mihi aliæ duæ Chartæ indicantes, Anno ipſo DCCLXI. de deducendis Curriculis aquæ ad Monaſterium Sanctimonialium Sanctæ Juliæ actum fuiſſe. In iis a me deperditis memini mentionem factam de *Blata Melella*, & de *Blata luſca*. Sunt ejuſmodi nomina non pauca in Veterum monumentis, quæ nunc difficilè explicentur. In MSto Codice Mediolanenſi additum vidi in fine *Breve recordationis earum rerum, quas venerabilis A. Urb.* [ideſt *Apoſtolicus Urbanus*, ſcilicet Tertius ejus nominis Papa Civis Mediolanenſis] *donavit Mediolanenſi Eccleſie. In primis Altari Planetam de coco, & toaliam cum frixio* &c. Id factum dicitur *Anno Dominicæ Incarnationis MCLXXXVI. Menſe Decembri, Secundo Pontificatus ſui*. Nunc doleo, me cetera non deſcripſiſſe. Uti veri videtur ſimile, ejuſmodi pannos alterum ab altero diſtinguebat aut diverſa textura, aut diverſa materies, aut coloris diverſitas. Vox *Drappo* apud nos pro panno uſitata, antiquiſſima eſt, ejuſque mentio occurrit in Legibus antiquis Alamannorum, & apud Marculfum, alioſque vetuſtos Scriptores. Tanta autem pannorum ac telarum ſericarum copia, in quibus neque induſtriam neque opulentiam deſideres, unde olim peteretur, & quo tempore eorum fabrica in Italiam invecta fuerit, jam vidimus, quamquam non mihi facile perſuadeam, ſocordes adeo fuiſſe, ac lucri ac ſui oblitos veterum Italicorum animos, ut nulla inter ipſos ſericarum ſaltem ſimplicium telarum officina numeraretur uſque ad Annum Chriſti MCXLVIII. Attamen & ego facile agnoſco, pleroſque ex iis pannis ac telis, ac præſertim pretioſiores, apud Græcos & Arabes in Oriente fabricatos fuiſſe; atque inde in Italiam advectos. Rem indicant ipſa eorum nomina, pleraque Græcæ originis, ut *Chryſoclava*, quam vocem uſurparunt & Græci medii ævi, *velum holoſericum*, *vela de Baſiliſci*, *fundatum alithinum*, & alia. Locum etiam fabricæ nomina ipſa interdum prodebant, uti *vela Tyria*, *Byzantea*, *pannus Alexandrinus* &c. Occurrunt & apud Anaſtaſium *vela de Spaniſco*, quæ aſportata puto ex Hiſpania, ubi Arabes dominabantur, & pannis condendis operam dabant. Otto Friſingenſis Lib. 2. Cap. 13. de Geſt. Friderici I. veniſſe ſcribit ad Curiam Imperatoris illius Anno Chriſti MCLIV. *Legatos Januenſium, qui non longe ante hæc ipſa tempora, captis in Hiſpaniâ inclytis Civitatibus, & in Sericorum pannorum opificio prænobiliſſimis, Almaria & Ulixibona, Saracenorum ſpoliis onuſti redierant*. Itaque Saraceni, ac præcipue in Hiſpania, illi tunc erant, qui præ ceteris in opificio ſericorum pannorum eminebant. Monacho quoque Sangallenſi auctore Lib. 2. Cap. 14. apud Du-Cheſnium, Carolus Magnus *Regi Perſarum direxit Nuntios, qui deferrent equos & mulos Hiſpanos, palliaque Friſionica alba, cana, vermiculata, vel ſaphyrina, quæ in illis partibus rara, & multùm cara comperit*. Ita ut videas, ne Occidenti quidem officinas pannorum, & ſane operis non contemnendi, olim defuiſſe. Bonifacius quoque Sanctus Martyr & Archiepiſcopus Moguntinus Sæculo VIII. Danieli Epiſcopo miſit *capſulam non holoſericam, ſed caprina lanugine mixtam & villoſam*. Hanc etiam in iis regionibus fabricatam arbitror, quum & adhuc pilis caprinis Gallia utatur ad quaſdam telarum ſpecies. Porro quum apud Orientales antiquæ Artes accuratius conſervatæ fuerint (neque enim in Græcæ aut Arabicæ aut Perſicæ gentis imperium gens aliqua barbara ſucceſſerat, ut in Italia) meliores ideo iſtarum mercium fabricæ in Oriente diu perdurarunt. Vel poſt Annum a Chriſto nato Milleſimum, hoc eſt Anno MXIX. Theobaldus Abbas Sancti Liberatoris Teatini, ut conſtat e Charta infra mihi edenda in Diſſertatione LVI. *de Religione*, inter ſacra donaria enumerat *duo Cercitoria, & Coopertoria tres, ſerica Conſtantinopolitana*. Infra memorat *duo Cercitoria ſerica Africana*. Ab eo quoque recenſentur *duo Scaramangæ, una diarodona*, ſive *Diarhodina*, ideſt roſei coloris, *& una purpurea*. Erat & *Scaramanga* panni ſpecies exteri, unde Planetæ ſacræ conficiebantur. Græcis uſitatum fuiſſe, Liutprandus Ticinenſis ſatis prodit. Ita Leone Marſicano teſte Lib. 3. Cap. 58. Chronic. Caſinenſ. Robertus Guiſcardus Apuliæ Dux Monaſterio Caſinenſi dono dedit *tunicam unam de panno Perſo, duas certinas*

nus Ardbinas. Et Cap. 58. Lib. 2. Epiſcopus Marſicanus oſtendit Planetam ſeramangianam. Abbas deprehendit eam ex duplicibus, pannum triblattum, hoc eſt triplici tinctura Blattæ infectum, ut reliqua omittam: quæ omnia ſatis indicare videntur, eximium non ſolum aut ſerici opificia, e peregrinis officinis in Italiam fuiſſe advecta. Atque heic magnam copiam eruditionis oſtentavit Angelus de Nuce, qui in Commentario ad Chronicon Caſinenſe Leonis Marſicani Lib. 3. Cap. 21. Tomo IV. pag. 410. Rer. Italicarum ſcribit: Eſt igitur Blatta vermiculus, libros & veſtes erodens: & quia Blatta compreſſus inficit manum hominis rubeo colore, hinc Blatta dictum exquiſitæ Purpuræ genus. Jam inter omnes conſtat, veram Purpuram ex Concharum marinarum vario ſanguine fuiſſe paratam. Deinde Blatteus color, uti Purpureus interdum dictus fuerit, proprio tamen nomine appellabatur Coccineus, nunc Chermisi, & Cremeſino. Porro omnino falſum, Blattam, cujus ſanguine panni inficiebantur olim, & adhuc inficiuntur, eumdem eſſe vermiculum, qui ab aliis Teredo aut Tinea appellatur. Decepti etiam, qui vermiculum Bombycem intellexerunt, cujus textu veſtes ſericæ conficerentur. Robertus Stephanus, Voſſius, aliique non pauci inter veteres Angelo Nuceo cauſſam erroris dedere. Nunc inter Eruditos conſtat, Blattam inſecti genus eſſe, Chermes a Populo Arabum appellatum, quod ex Ilicis aculeatæ mucoglandiferæ granis, ſive Cocco, educitur, ac inde illius colore lana tingitur. Hac de re Diſſertationem egregiam edidit Ferdinandus Marſilius Comes V. Cl. Bononienſis. Hinc nata vox *Vermiculus*. *Vermiculatus* idem ſignificabat apud Scriptores medii ævi. Quum verò ſupra occurrerit *Triblattum*, diſſimulare nolo, aliam vocis interpretationem videri apud Petrum Damiani Lib. 4. Epiſt. 7. qui hæc ſcribit: *Quidam Rodulphus mihi Pallium reverenter abſtulit, quod Triblathon juxta ſui generis ſpeciem nuncupatur. Trium quippe colorum eſt, & Blathin Pallium dicitur: unde Triblathon Pallium vocatur, quod trium cernitur eſſe colorum*. Verùm, niſi illud Gloſſema ſit, is mihi deceptus in ejuſmodi interpretatione videtur. Ipſe alibi, hoc eſt in Opuſcul. 31. Cap. 6. ſcribit: *Regalis itaque Purpura, quia unicolor eſt, vilipenditur. Pallia verò diverſis ſucata coloribus, ad ſublimis lectuli deputantur ornatum*.

Quum verò in uſum adſciſcerentur pretioſæ ejuſmodi merces, inquirendum nunc reſtat. Quæ telæ ex auro, aliiſve prærogativis inſignes erant, in ornamentum Sacrarum Ædium plerumque adhibebantur, aut in Regiæ Aulæ cultum. Ipſi Reges ac Principes telam pretioſam atque auream uſurpabant ad ſui corporis indumentum. Attamen nobiles etiam viros exoticis veſtibus delectatos fuiſſe perſuaſum habeo, multumque eos impendiſſe auri, ut ſeſe ſplendore ac raritate amictus a vulgo diſtinguerent. Monachus Sangallenſis ſupra laudatus Lib. 2. Cap. 27. de Reb. Bellic. Caroli Magni, rem lepidam narrat, cujus apud ipſum ſit fides. Verſabatur in Italia celebratiſſimus ille Princeps, & quum veniſſet *ad Urbem Forojulianam, quamque ſibi ſtulti videntur Forum-Julienſe nuncupare* (Forum utique Julii, nunc *Friuli*, & docti & indocti eam Civitatem appellant) ſuos ad venationem *in eodem habitu, quo inducti erant*, invitavit. *Erat autem imbrifera dies & frigida. Et ipſe quidem Carolus habebat pellicium berbicinum*. (Eginhartus in ejus Vita auctor eſt, ipſum Carolum hyberno tempore *pellibus lutrinis humeros & pectus contexiſſe*.) *Cæteri verò, utpote feriatis diebus* (feſtos dies hoc verbo innuere videtur, quibus indumenta elegantiora indui conſuevere) *& qui modò de Papia veniſſent, ad quam nuper Venetici de transmarinis partibus omnes Orientalium divitias advexiſſent, Phœnicum pellibus avium, ſericis circumdatis, & pavonum collis cum tergo & clunis mox floreſcere incipientibus, Tyria Purpura, vel diacedrina litra* (*litra* idem eſt ac *liſta*; atque ibi fortaſſis ita legendum) *alii de lodicibus, quidam de gliribus circumamicti procedebant*. *Lodicum* nomine deſignatur heic veſtis e pelle alicujus beſtiolæ confecta. Ex his etiam culcitræ operiebantur magnificentiæ cauſſa. *Varium ſtratum* ex pellibus Variorum memoret Sanctus Bernardus. Item apud nuper memoratum Petrum Damiani in Opuſcul. 31. Cap. 6. hæc lego: *Reſpuit animalia Redemtor, Mundi vocabulo decorata. Sed divites iſti non mediocri percellantur obſtaculo, quia dum phaleratis atque depictis ſe Lodicibus contegunt, apertis oculis dormire non poſſunt*. Nam quod eſt ad *glires*, eo vocabulo ſignificantur pelles *Hermellinæ* aut *Zebellinæ*, muribus Ponticis, aut aliis beſtiolis detractæ, quarum apud veteres major quàm noſtris temporibus uſus fuit. Pergit narrare Sangallenſis, quomodo pretioſæ pellas ac veſtes, quibus proceſſere induti comites Caroli Auguſti, ex imbre, & ſpinis in venando objectis, aut laceratæ, aut rugis contractis diſruptæ fuerint, conquerentibus Magnatibus iis, *ſe tantum pecuniæ ſuæ ſub una illa perdidiſſe*. Tum ſapientiſſimus Imperator ſingulis coram accitis, hæc ait. *O ſtultiſſimi mortalium, quod pellicium modò pretioſius & utilius eſt? Iſtud-ne meum uno Solido comparatum, an illa veſtra non ſolùm Libris, ſed & multis coëmta Talentis?* Anſprandus verò Langobardorum Rex, teſte Paullo de Geſt. Langobardor. Lib. 6. Cap. 35. *Advenientibus ad ſe exterarum gentium Legatis, vilibus coram eis veſtibus, ſive Pellicis utebatur: utque minus Italiæ inſidiaretur, nunquam eis pretioſa vina, vel cæterarum rerum delicias miniſtrabat*. Redeo ad Sangallenſem Monachum, ex cujus fide habemus, conſueviſſe *Veneticos* mercatores Papiam advectare *de transmarinis partibus omnis Orientalium divitias*. Quo nomine nemo non intelligit deſignari tum veſtes ac pannos, tum reliqua Orientalis luxus & induſtriæ inventa rariora: qualia boni Itali nunc ex Gallia, Britannia, & Belgio magnis ſumtibus ſibi conquirunt; ita ut jam firmatum videas, non caruiſſe tunc Italiam ſuo luxu, ſed ejus fomenta ferè omnia tunc ex Oriente fuiſſe devecta. Eodem quoque Sangallenſi teſte novimus, non tantùm Regibus pretioſa olim indumenta fuiſſe, ſed & nobilibus viris. Quem morem ſaltem excludere a militia conatus eſt (eodem Sangallenſi tradente) Ludovicus Germaniæ Rex, Caroli Magni nepos, lanea tantùm ac linea militibus commendans. *Quod ſi quiſquam inferiorum diſciplinæ illius ignarus, de ſerico, auro vel argento circa ſe habens, eum fortè incurriſſet*, duriſſime ab eodem Rege increpabatur. Qualia verò forent fœminarum ornamenta Ravennæ ſub finem Sæculi Septimi, indicat Agnellus in Vitis Pontific. Ravennat. de Damiano agens pag. 155. Tomi II. Rer. Italicar. *Abſtulerunt*, inquit, *a ſe mutatorias veſtes, & pallia: projecerunt a ſe inaures & anulos & dextralia, & perſelidas, & monilia, & olfactoria*,

ria , & *acus* , & *ſpecula* , & *lunulas* , & *liliola*, *præſidii* , & *laudoſias* &c. Pro *Lumulus*, quod eſt in Codice MSto , Bacchinius *Lunulas* repoſuit .

Pellibus quoque pretioſis non minus quàm Gallia, ſummo olim ſtudio uſa eſt Italica gens. Arnulphus Archiepiſcopus Mediolanenſis , uti memoriæ prodidit Landulphus ſenior Lib. 2. Cap. 18. Hiſtoriæ a me editæ Tom. IV. Rer. Italicar. Legatus Ottonis III. Auguſti Anno MI. Conſtantinopoli miſſus , *magno ducatu militum ſtipatus* coram Græco Imperatore ſtetit , *quos pellibus Martulinis , aut Cibellinis , aut Rhenonibus variis* (ideſt veſtibus appellatis Rhenonibus, confectis e pellibus *Variis*, ſcilicet *di Vajo*) *& Hermellinis ornaverat* . Gualvaneus de la Flamma in Manipul. Flor. Cap. 135. hæc ita expreſſit . *Fueruntque cum Archiepiſcopo Mediolani Duces duo , Prælati multi diverſorum graduum , induti aureis & ſericeis veſtibus, cum pellibus armellinis , aut zibilinis , vel darſibus* (alter Codex habet *foderis*) *Variis vel Martirinis* . Hiſce Donizonem adde Lib. primo Cap. 12. hæc de Henrico II. Auguſto , quum Mantuæ verſaretur , ſcribentem :

Rex ſibi Maſtrucas poſt eſcam maxime pulcras
Donavit : florent pariter quoque Pelliciones .

Maſtruca veſtis fuit , e pelliculis pretioſis ferarum confecta , nota etiam Romanis . Quod habet Prudentius Lib. 2. contra Symmach .

- - - - - *Maſtrucis proceres veſtire togatos* ,

ſatis indicat , quanti fieret hoc indumentum . Sed & ſupra laudatus Petrus Damiani Opuſcul. 31. eodem Sæculo XI. de Italicorum moribus hæc literis mandabat . *Ovium itaque ſimul & agnorum deſpiciuntur exſuviæ . Ermellini Gebellini, Martores exquiruntur , & Vulpes* . Cetera vide , quæ retuli in Diſſertat. XXIII. *de Moribus Italicorum* . Idem Scriptor , quales ſuæ ætatis mores eſſent , oſtendit , dum hiſce verbis Præſules ſui temporis carpit Lib. 2. Epiſt. I. *Non ergo conſtat Epiſcopatus in turritis Gebellinorum , tranſmarinarumquæ ferarum pileis, non in flammantibus Martorum ſubmentalibus roſis , non in bractearum circumfluentium phaleris* &c. E quibus veterum monumentis perſpicere poſſumus , quantum olim in pretioſarum pellium uſu luxuriarent Majores noſtri . Invectus autem fuit a Septemtrionali gente in Italiam tantus Pellium uſus , quum apud eos Populos inveterata ſint ad arcendum frigus ejuſmodi indumenta . Eaque conſuetudo non deſiit, regnantibus iis in Italia, Gallia, ac Hiſpania . Proinde *Pelliti Reges* olim appellati Gothi Reges , Franci , Hunni, Vandali, aliique Boreæ filii . In Carmine de Providentia , Libris Proſperi inſerto :

- - - - - - - - - - - - *Regeſque Getarum*
Reſpice , queis oſtro contemto & vellere Serum ,
Eximius decor eſt tergis horrere ferarum .

Ac proinde vix pronum me ſentio ad adjungendam prorſus fidem Gaufredo Priori Voſienſi , qui Sæculo XII. Chronicon ſcribens, editum a Clariſs. Labbeo in Tom. 2. Bibliothec. novæ , hæc tradit : *Barones tempore priſco munifici largitores vilibus utebantur pannis, adeo ut Euſtorgius Epiſcopus , Vicecomes Lemovicenſis, & Vicecomes Combornenſis arietinis & vulpinis pellibus aliquoties uterentur , quas poſt illos , mediocres deferre erubeſcunt* . Certe apud vulgus ad corporis indumentum familiares tunc fuiſſe puto vulgares ovium, agnorum, arietum, ac vulpium pelles. Adhuc Mutinenſes retinent vocabulum *Belſe*, quum ajunt : *Piglia le tue Belſe , e va con Dio* . Germanicæ Linguæ *Beltz* eſt *Pelliccia* , idem quod *Peltz* a Pellibus . Ab iis mutuati vocem Mutinenſes olim pro *piglia i tuoi panni* , dicebant, *piglia le tue Belſe* , ideſt pelliccias , ſeu veſtes tuas . Hæc, inquam, indumenta Populo fuerunt ; at Magnatibus pelles pretioſiores eſſe ſolebant . Mutinæ quæ Via nunc appellatur *il Mercato della Legna* , olim a variis Pellium officinis dicebatur *la Pellicceria* . Neque reponas , Gaufredum Voſienſem de Gallica gente loquutum , apud quam major fuerit, quàm apud Italicos moderatio in veſtibus. Tibi enim oppono Albertum Aquenſem , qui Lib. 2. Cap. 16. Hiſtor. Hieroſol. enarrans acceſſum Godefridi Ducis , & reliquorum Principum , ac *Baronum* Gallicorum ad Alexium Græcorum Imperatorem , Anno MXCVI. plane diverſos mores antiquæ Gallicæ genti tribuit : *Imperator* , ſunt ejus verba , *tam magnifico & honorifico Duce viſo , ejuſque ſequacibus , in ſplendore & ornatu pretioſarum veſtium, tam ex oſtro, quàm aurifrigio , & in niveo opere Harmelino , & ex mandrino , griſioque , & vario, quibus Gallorum Principes præcipue utuntur, vehementer admirans* &c. Pro *mandrino* legendum , aut ſaltem intelligendum *Marturino* , vel *Martrino* : pelles enim Marturinæ magno in honore tunc erant : quod etiam Helmoldus in Chronic. Sclav. Lib. prim. Cap. prim. & Adam Bremenſis Cap. 227. ſignificarunt, ſcribendo : *Ad Marturinam veſtem anhelamus , quaſi ad ſummam beatitudinem* . Enumerat idem Adam Cap. 229. inter inſtrumenta inanis gloriæ *pelles Caſtorum & Marturum , quæ nos admiratione ſui dementes faciunt* . Hinc Bernardus Sylveſter egregius verſificator apud Gervaſium Tilberienſem in Otiis Imperial. pag. 975. Scriptor. Brunſwicenſ. ait :

Ciſimus obrepſit , & veſtitura potentum
Marturis , & ſpolio non leviore Bever ;

ideſt pelles Caſtorinæ . Nam quod Gervaſius idem ſcribit , monſtratum ſibi *Beverem animal juxta Caſtrum Secuſium in Taurinenſi Epiſcopatu, quo ad anteriorem partem greſſibile, ſed ad ſubtiliorem medietatem in piſcem deſinens* ; noſtris temporibus vix crederetur , niſi Matthiolus jam fidem feciſſet, ævo ſuo in Alamannia , Auſtria , & Hungaria plures fibros ſive Caſtores habitaſſe. *Marmotta* in Alpibus Cottiis appellatur animal quoddam , quod incolæ per Italiam circumferre ſolent . An eo nomine Beverem ſignificare velint, aliis inveſtigandum relinquo . Stupidum atque inſulſum Animal eſt . Beveres contra uti ſagaciſſima Animalium nobis exhibentur , majoriſque molis.

Landulphus de Sancto Paulo Cap 10. Hiſtor. Mediolanenſ. Tomo V. Rer. Italicar. ſcribit , Liprando Presbytero fuiſſe *Lupicervinam pellem* . Addit Cap. XIV. Liprando iter faciente ſuper mulam, ejus puerum duxiſſe *ſuum aſinum oneratum pellibus Stambucinis* . Hæ veſtes illius . Difficile ſtatuas , quid *Stambucinæ* iſtæ pelles fuerint . Suſpicor ego , mendum ibi latere , & reſtituendum *Scambucinis* . Rupicapras nunc appellamus *Camoccie* , earumque pelles erant , & adhuc multo ſunt in honore .

Hæ

Hæ diverſæ olim *Scembariæ* appellatæ, & inde profectum videtur cognomentum *Vincentii Scamozzi*, celebris Architectonicæ Scriptoris. Litera B. facile detracta fuit, uti in *Cammurr*, quod a *Cambis* deductum nonnulli cenſent. Erant, ut videmus, *griſiæ* quoque & *variæ* pelles, e quibus magna aviditate, nec mediocri pretio, nobiles ac divites olim ſibi indumenta parabant. *Variorum* potiſſimùm multa eſt mentio apud Veteres, etiam Italico ſermone ſcriptores, a quibus *Vaio* & *Vai*, tamquam pretioſæ pelles ſummopere commendantur. Varii autem coloris fuiſſe videntur, non quòd ita natæ, ſed quòd ita tinctæ & confuſæ fuerint. Erant enim & pelles coccineæ, ſeu purpureæ, illo, uti & aliis coloribus, per artem ſaturatæ. Nomine *Griſiorum*, ſeu *Griſiorum* illas tunc deſignatas, quæ cinericii coloris erant, utpote *Zebellinæ*, ſive *Gibellinæ*. Quæ candidum colorem præferebant, *Armellinæ* appellatæ ſunt. Sed non facile definias, cujus beſtiolæ pelles revera hiſce vocibus expreſſerint Antiqui; nam ſine ullo diſcrimine de iis interdum loquuntur, & modò unam, modò alteram rem ſignificare videntur. Tantus autem Pellium uſus, atque negotium Sæculo etiam XIII. in cauſa fuit, uti in Charta Foederis initi Anno MCCVIII. inter Mantuanos & Ferrarienſes (quam infra in Diſſertatione XXX. *de Mercat. Nundinis*) cur cautum ſingulari curâ fuerit, ut Ferrarienſes in ſuis Nundinis *debeant dare, & deſignare Pelliparius Mantuanis ſtationes eis ſufficientes a frontibus ſuorum Pelliparierum*. *Stationum* nomine ſignificantur officinæ, ſive apothecæ Mercatorum; qua voce uſus eſt etiam Caſſiodorius, immo & veteres Latini. In Charta Anni MCLXIII. ab Ughellio editâ, Tom. 7. Ital. Sacr. in Archiepiſcop. Amalfitan. legitur: *Concedo prænominatæ Eccleſiæ tres eſtacones in Civitate Lavelicia*. Veri videtur ſimile, *Stationes* ibi ſcriptum fuiſſe, aut *Stazones*, ideſt cum C caudato, quod *Zediglia* appellamus, & pro Z. uſurpatum reperimus in antiquis Codicibus. Certum porro eſt, ibi officinas Mercatorum deſignari. *Pelliparii* verò Sæculis rudibus appellati ſunt, qui Pelles parabant, aut venum exponebant, olim apud Latinos *Pelliones*, nunc *Pellicciai*. Hæc omnia eo tamdem nos ducunt, ut intelligamus, Pellium uſum ad indumenta hominum vetuſtis Sæculis frequentiſſimum tam in Italia, quàm alibi fuiſſe. In hunc uſum præcipue luxus ſeſe intruſerat. Nobiliorem quiſque aut ditiorem ſeſe reputabat, quo pretioſiores, ſive cariores Pelles induebat, adeo ut vel ipſæ Sanctimoniales alicubi cum Laicis certarent. Quare in Concilio Londonienſi Anno MCXXVII. Canone 12. ſtatutum fuit, *ut nulla Abbatiſſa, vel Sanctimonialis carioribus utatur indumentis, quàm agninis, vel catinis*, hoc eſt, felium pellibus. Et in Regula Templariorum Cap. 23. Tom. 10. Concil. Labbei decretum fuit: *Ut nullus Frater remanens, Pelles perenniter, aut Pelliciam, vel aliquid tale, quod ad uſum corporis pertineat, etiamque coopertorium, niſi agnorum, vel arietum, habeat*. Anno quoque MCCXXV. a Romano Diacono Cardinali Sancti Angeli Conſtitutiones Monaſterii Jotrenſis promulgatæ fuere, quas Baluzius luce donavit Lib. V. Miſcellaneor. pag. 455. Ibi hæc verba: *Quælibet Monialis habeat in anno tres camiſias. Singulis duobus annis unam Pelliciam de vulpibus, leporibus, vel etiam agnis. Si aliqua voluerit*

A *pro altiori devotione agninis pellibus uti, habeat etiam quolibet anno duo ſuperpellicea alba, & duo nigra, quæ terram tangant*. Clerici ipſi ſub Pellibus pretioſis comti procedebant: & rei veſtigium adhuc ſupereſt in Cappis magnis Canonicorum, aliiſque Cleri ornamentis. Hæc idem e voce *Superpelliceum* (nunc *Cotta*) diſcere potes. Non enim alia de cauſâ invectum hoc nomen, niſi quia uti Durandus ſcribit in Rationali Lib. 3. Cap. prim. *Antiquitus ſuper tunicas Pellicias, de pellibus mortuorum animalium factas, induebatur*. Johannem quoque Villanium infra vide, teſtantem, circiter Annum Chriſti MCCLX. complures *Pellibus* in propatulo inceſſiſſe indutos. *Molti*
B *portavano le Pelli ſcoperte ſenza panno*. Quod tamen in deſuetudinem ſenſim abire cœpit; nam Johanne Stella teſte in Annalib. Genuenſ. ad Annum MCCCLXV. Genuæ Vicus erat, ubi *Pelles ſub veſtibus latæ* (ideſt *delatæ*) *venduntur*. Itaque ex hactenus adductis agnoviſſe jam potes, uſque ad Sæculum a Chriſto nato Decimum tertium Nobiles ſaltem viros pretioſo amictu fuiſſe delectatos; & propterea nil mirum, ſi in Vita Sancti Arialdi a Landulpho de Sancto Paulo ſcriptâ, atque editâ a Puricellio, Herlembaldus Sæculo Chriſti XI. unus e Mediolanenſibus primatibus Cap. 17. dicitur *coram Populo in veſtibus pretioſis ambulaſſe, equis & armis ſemper militari more fluitaſſe*. Immo & Clerici, quæ ſunt Mundi,
C ſolicite imitantes, cum ipſis Laicis ſtudio luxus certabant. Propterea ad Populum Mediolanenſem idem S. Arialdus Anno MLXXVI. (ut in altera Charta ejus Vitâ eſt, editâ ab eodem Puricellio Cap. 2.) in hæc verba loquebatur: *Veſtri Sacerdotes, qui effici poſſunt ditiores in terrenis rebus, excelſiores in ædificandis turribus & domibus, ſuperbiores in honoribus, in Mollibus, Delicatiſque Veſtibus pulcriores, ipſi putantur beatiores*. Phrygii quoque operis uſum tunc perduraſſe, ex Cap. 10. Vitæ Sanctæ Cunegundæ Imperatricis elicio. Ipſa Monaſticam vitam amplexa, *operabatur manibus ſuis*. *Nulli enim in diſtinguendis auri*
D *gemmiſque veſtibus plurimum, aut in ſtolis aut in cingulis, æſtimabatur inferior*.

Sæculo autem XII. luxum non minorem in veſtibus deprehendere nullo negotio poſſis. Quod Clerus potiſſimùm in ejuſmodi intemperantia Laicos æmularetur, ac interdum ſuperaret, hinc etiam Arnoldus Brixianus, eorum temporum hæreſiarcha, occaſionem arripuit in religioſos viros declamandi, Gunthero teſte, Lib. 3. Ligur. Paſchalis etiam II. Papa (uti auctor eſt Petrus Diaconus Lib. 4. Cap. 33. Chronic. Caſſinenſis) in Synodo Beneventanâ habitâ Anno MCVIII. *Veſtimenta ſæcularia & pretioſa in Clericis reprehendit, & talibus uti interdixit*. Quæ verò forent olim veſtes Cle-
E ricorum & Sacerdotum Sæcularium, inquirere nunc minime vacat. Præter pauca, quæ infra adferam, nunc illud tantùm monebo, non eumdem colorem uſitatum ſemper fuiſſe, qualis nunc communi conſtitutione & more uſurpatur. Sacerdotes autem in publicum prodeuntes ſemper Stolam e collo pendentem deferebant; immo ipſâ carere prohibiti ſunt in Concilio Moguntino Anno DCCCXIII. Canone 28. ubi hæc verba: *Presbyteri ſine intermiſſione utantur Orariis* (ideſt Stolis) *propter differentiam Sacerdotii dignitatis*. Et apud Reginonem de Eccleſ. Diſciplin. Cap. 333. e Synodo Tribirienſi idem reperitur: *Ut Presbyteri nova-*

va-

vadant niſi Stolâ vel Orario induti . Ceterum vulgus , ut puto , in uſu habuit pelles ovium , agnorum , quas *Agnellinas* appellabant , atque arietum , quæ *Andromedæ* dicebantur . Audi Johannem de Garlandia in Synonymis .

Veſtes , quæ fiunt de ſolis Pellibus , hæc ſunt, Pellicium, Rheno , quibus Andromeda ſociatur .

Rhenones e pellibus ovillis confectos agnovere etiam veteres Latini . Fuiſſe etiam Rhenones ex pretioſis pellibus conſutos , ſupra vidimus. *Fuſtaneum* , hoc eſt , pannus goſſypinus , aut *Fuſtanum* , ſive *Fuſtamum* apud Veteres occurrit , ut Meurſius , Voſſius , & alii dudum obſervarunt . Præſertim verò barbaricis temporibus invaluit uſus coccinei panni lanei , quem adhuc *Scarlatum* appellamus , & *Examiti* , hoc eſt panni holoſerici ex variis coloribus , ſed plerumque purpurei , ſive rubei . Bocaccius , & Johannes Villanius , quorum ætate res & nomen perdurabat, *Stiamito* Italice nuncupant . Vix dubitò , quin adhuc , uti *Scarlatum* , ita & *Examitum* , ſed ſub alio nomine , uſurpetur a nobis . Tangmarus Presbyter Synchronus in Vita Sancti Bernwardi Epiſcopi Hildesheimenſis Cap. 22. hæc habet ad Annum Chriſti M. aut MI. *Fritbericus Cardinalis Presbyter Sanctæ Romanæ Eccleſiæ , &c. Vicarius Domni Apoſtolici eligitur atque dirigitur , Apoſtolicis paramentis atque inſignis non minus infulatus , quàm ſi ipſe procedebat* . Tum Cap. 27. idem repetens , addit : *equis Apoſtolicâ ſellâ Romano more oſtro inſtratis* . Clariſſimus Floriacenſis (*de Fleury*) in ſua Hiſtoria Eccleſiaſtica *Oſtrum* pro *Scarlato* ſeu *Scarleto* accipit . Sed *Oſtri* vox *Purpuram* ſignificare conſuevit , quæ e muricis , ſeu conchyliorum ſanguine tingebatur , quum *Scarlatum* laneum e Blatta , ſive Cocco ſuum colorem acciperet . Quare *Scarlati* quidem vocem novitiam arbitror , hoc eſt , poſt Annum Milleſimum invectam : rem verò , ſive pannnm eo colore infectum , antiquis notiſſimum fuiſſe . Gualfredus de Vineſauf Poëta Anglicus , qui circiter Annum MCCII. ſcripſit *[illegible]* , *&c.* quam manu apud me exaratam habeo, de Romana Curia ait :

Cocco bis tincto Urbi dat Græcia pannos .

Matthæus verò Paris in Hiſtoria ad Annum MCCXLVIII. quanti ævo illo fieret *Scarlatum* , prodit his verbis : *Dedit eis veſtes pretioſiſſimas , quas Robas vulgariter appellamus , de Eſcarleto præelecto , cum penulis , & fururiis* (nos appellamus Fodere) *de Pellibus Variis* . Supralaudatus Tilberienſis pag 978. Tom. I. Leibnitii Scriptor. Brunswicenſ. *de Vermiculo* , hoc eſt , *Blattâ* recte ſcribebat Anno MCCXV. colligi vermen iſtum *in Arelatenſi Regno ex arbore* . Tum addit : *Vermiculus hic eſt, quo tinguntur pretioſiſſimi Regum panni , ſive ſerici , ut Examiti , ſive lanei , ut Scharlata* . Hinc *Examitum* , unde Italicum *Sciamito* , fuiſſe pannum holoſericum intelligimus . Et fortaſſe quod nunc *Velluto* dicimus, olim *Examitum* , ſive *Sciamito* , fuit . Nam Teutonici adhuc *Sammet* appellant *il Velluto* . Accedat & Johannes Villanius Lib. prim Cap. 60. qui (uti Vocabularii Florentini Auctores teſtantur) ſcribit : *In quello dì ſi correa un pallio di Sciamito Velluto vermiglio* . Iſtud *Velluto* gloſſema fuiſſe videtur , ab aliquo additum ad ſignificandum , quid eſſet *Sciamito* . Certe in optimo Codice Clariſſimi Recanati , quoad rurſus edendam Villanii Hiſtoriam ſum uſus Tomo XIII. Rer. Italicarum tantummodo legitur *un pallio di Sciamito* . Frequens autem ejuſmodi pannorum eſt mentio apud Scriptores Sæculi XII. XIII. & XIV. Et ſane quod eſt ad Sæculum XIII. quo Ricobaldus tantam parſimoniæ , ac morum immutationem factam perſuadere nobis conatus eſt in Diſſertatione XXIII. *de Moribus* , juvat nunc audire Rolandinum Patavinum Lib. I. Cap. 13. Chronici , qui ludum quemdam celebratum Anno MCCXIV. a Tarviſinis deſcribens , hæc literis conſignavit . *In eo Caſtro poſitæ ſunt Dominæ* (ideſt nobiles feminæ) *cum virginibus, ſeu domicellabus , & ſervitricibus earumdem, quæ ſine alicujus viri auxilio Caſtrum prudentiſſime defenderunt . Fuit etiam Caſtrum talibus munitionibus undique præmunitum , ſcilicet Varis , & Griſeis , & Cendatis , Purpuris , Samitis , & Ricelis , Scarletis , Baldachinis , & Anmerinis :* Gemmas deinde deſcribit Rolandinus , quibus ornatæ mulieres illæ ſpectandas ſeſe exhibuerunt. *Baldachinùs* heic memoratus , a *Baldach*, ſive Babylone, ubi conſtruebatur, nomen ſortitus, pannus pretioſiſſimus fuit ex ſerico & filo aureo contextus . Et quum ex eo fierent umbracula , ſive umbellæ ad excipiendos Principes , & Reges , hinc nata Italica vox *Baldacchino* . *Armerinorum* autem vocabulo *Hermellinæ* ſive *Armellinæ* pelles certò illic deſignantur . Infra apud eumdem Rolandinum Lib. 2. Cap. 14. Eccelinus de Romano ait : *Mantatura patris mei fuit de Armerinis , ſed aliorum fuit de pretioſis Varis Sclavoniæ* . Itaque habemus , quot genera pannorum ac pellium , ſingula magni pretii in uſu Italicæ gentis forent Sæculo XIII. quum tamen tanta nobis narret Ricobaldus de rudibus illius Sæculi moribus , & præſertim de veſtium modeſto , ne dicam vili modicoque apparatu . Ejus verba attuli in prædicta Diſſertatione XXIII. *de Moribus Italicor.*

Attamen Ricobaldi ſententiæ ſine ulla dubitatione ſubſcripſere, qui paucis poſt eum annis Hiſtoriam literis mandarunt : inter quos Frater Franciſcus Pipinus Ordinis Prædicatorum , cujus Chronicon ſcriptum circiter Annum MCCCXIV. edidi TomoIX. Rer. Italicar poſt repetita Ricobaldi verba, ſuis quoque Cap. 49. luxum ætatis , qua vivebat , deſcribit . Eadem habes in memorata nuper Diſſertatione XXIII. Nunc autem adjicere juvat, quæ in hanc ipſam rem ſcripta reliquit Johannes Villanius ejuſdem Sæculi Hiſtoricus, ubi Florentini Populi mores (Ricobaldum fortaſis & ipſe ante oculos habuit) ante Annum MCCLX. a luxu alienos deſcribit . *Allora* , inquit , *i Cittadini di Firenze viveano ſobrj , e di groſſe vivande , e con piccole ſpeſe , e di molti coſtumi groſſi e rudi, e di groſſi drappi veſtivano loro e loro Donne . E molti portavano le Pelli ſcoperte ſenza panno , con berrette in capo , & tutti con uſati* (ſtivaletti) *in piede . E le Donne Fiorentine co' calzari ſenza ornamenti ; e paſſavanſi le maggiori d'una gonella aſſai ſtretta di groſſo Scarlatto di pro , o di camo , cinta ivi ſu d'uno ſchegiale all' antica, e uno mantello foderato di Vajo col taſſello ſopra , e portavanlo in capo . E le comuni Donne andavano veſtite d'uno groſſo verde di cabragio per lo ſimile modo . E Libre cento era comune dota di moglie , e Libre dugento e trecento era a que' tempi tenuto sfolgorata . E*

e più

e più della gabella ancora venni e più anni, anzi che andaſſono a mercato. E di così fatte abbie e uſiamo a groſſi vendi ovvero allora i Fiorentini; ma erano di buona fede e leali tra loro, e al loro Comune: e colla loro groſſa vita e povertà facevano maggiori e più virtudioſe coſe, che non ſono fatte a' tempi noſtri con più morbidezza e con più ricchezza. Parum de antiquis Rusticis Etruſcis differunt. Occurrit heic nobis groſſi *Scarlatto di Ore e di Camo*. Si Ægidio Menagio adquieſcere volumus, Panni hujus ſpecies *nome di Camo Latino, che ſi diſſe a Rupicapra, cioè a quella Capra ſalvatica, che fa ce luoghi montuoſi*. Ita ille in Tract. de Orig. Linguæ Ital. Nos Rupicapras, uti nuper monui, appellamus *Camozze*, *Camoſcie*, numquam vero *Camo*. Neque ullum Latinorum exemplum afferre potuit Menagius ſylveſtres Capras Capricornes appellatione fuiſſe donatas. Et quidem pelles *di Camoſcio*, magni utique factas, veteres etiam agnoverunt; pannos autem ex hujuſmodi Caprarum pilis contextos an quiſquam memoraverit, ignoro; quamquam *Cameca*, & *Camocam* nobis dederit Du-Cangius in Gloſſario. Proinde mihi aut certum aut veri videtur ſimilius, a Villanio indicari *Scarlattum* Cadomi olim fabricatum, hoc eſt in Civitate Gallica *Caen*, quam Tuſci tunc appellabant *Camo*. Villanus idem Lib. XII. Cap. 62. de Angliæ Rege Galliam vaſtante ſcribit: *La Terra di Camo* (in Normandia) *gli fece reſiſtenza per lo Caſtello, che v'era forte*. Itaque is pannum commemorat Cadomenſi in Urbe fabricatum. Quod & præcedentia oſtendere poſſunt. Neque enim legendum ibi *di Pro*, ſed *d'Ipro*, ut alii Codices habent. Altera hæc fuit panni ſpecies, in *Iprenſi* Civitate elaborati. Porro ad Auctores hactenus memoratos accedat Frater Gualvaneus de la Flamma, Ordinis Prædicatorum. Florebat & ille eodem Sæculo XIV. hoc eſt, Anno MCCCXL. & præter Manipulum Florum, quem ego typis tradidi in Tomo XI. Rer. Italicar. multa alia Hiſtoriæ monumenta litteris conſignavit, adſervata adhuc in pluteis Ambroſianæ Bibliothecæ. Is ergo in Chronico Majori MSto Lib. 18 Cap. 6. ita ſuorum temporum mores delineat. Anno MCCCXL. *Illo tempore juvenes de Mediolano relinquentes ſuorum veſtigia patrum, ſeipſos in alienas figuras & ſpecies transformaverunt. Ipſi enim ceperunt ſtrictis & mundatis veſtibus more Hiſpanico uti; tondere caput more Gallico; barbam nutrire more Barbarico; furioſis calcaribus equitare more Theutonico; variis Linguis loqui more Tartarico. Mulieres ſimiliter in pejus ſuas conſuetudines immutaverunt. Ipſæ namque ſtrangulatis veſtibus, ſcapato gutture & collo, redimitæ fibulis aureis gyro [illegible]. Sericis, & interdum Aureis indumentis veſtiuntur. Crinibus criſpatis more alienigenarum capite perſtringuntur. Zonis Aureis ſupercinctæ Amazones eſſe videntur. Calceis roſtratis progrediuntur. Aleatum & teſſeræ luſibus occupantur.* Quod animadvertas velim, ne noſtra tantum tempora incuſes, & ſapientiora putes quæ jam dudum pertranſierunt. Pergit Gualvaneus: *Et ut breviter me expediam, equi militares, arma fulgentia, & quod pejus eſt, corda virilia, animorum libertas in Mulierum ornamenta, univerſi juvenum ſtudia, & antiquorum ſudores conſumuntur*. Tum Cap. 7. ſubdit: *Quomodo autem res in deterius delata ſit, antiquorum mores ad memoriam revocemus. Inquit enim Ricobaldus Ferrarienſis in Chronicis: Rudes erant tempore Federici II. in Lombardia ritus & mores. Nam homines portabant &c.*

Tum Ricobaldi verba ſive ſenta affert, inter quæ unum habet in Ricobaldini Chronici editione minime ſcriptum. *Non erant per domos camini ad ignem, aut ulla caminata*. Quæ res memoriæ meæ reſtituit, quod Andreas Gatarus habet in Hiſtoria Patavina pag. 46. Tomi XVII. Rer. Italicar. ubi enarrans iter Franciſci Senioris Carrarienſis, Patavini Principis, ad Romanam Urbem Anno MCCCLXVIII. in hæc verba loquitur: *Eſſendo il Signore giunto per albergare nell' Albergo della Luna, & in quella ſtanza non trovando alcun Camino per fare fuoco, perchè nella Città di Roma allora non ſi uſavano Camini; anzi tutti facevano fuoco in mezzo delle caſe in terra, e tali facevano ne i caſſoni pieni di terra i loro fuochi. E non parendo al Signore Meſſer Franceſco di ſtare con ſuo comodo in quel modo, avea menati con lui Muratori e Marangoni, ed ogni altra ſorte d'Arteſici. E ſubito fece fare due nappe di Camini, e le arcuole in volto al coſtume di Padova. E dopo quelle da altri a i tempi indietro ne furono fatte aſſai. E laſciò queſta memoria di ſe a Roma*. At Ricobaldus longe antea, ut vidiſti, *caminos ad ignem* laudavit. Immo Octavium Ferrarium, alioſque habemus, qui Caminos antiquis etiam Sæculis in uſu apud Lombardos ac Romanos fuiſſe contendunt, quòd interdum apud veteres occurrat *Caminatæ* nomen. Eo autem vocabulo (ſi recte Du-Cangius, Voſſius, & alii conjiciunt) cubiculum deſignatur, in quo *Caminus* conſtitutus erat ad ignem. Sed minime certam eſſe eorum ſententiam, ſaltem pro Italia, contendunt alii. In Charta, quam indicavi Par. I. Cap. 16 pag. 146. Antiquitat. Eſtenſ. ſcripta Anno DCCCCLXVII. legitur habitum Judicium *in Civitate Papia, in Caminata ſolariis domus Lietefredi Ticinenſis Epiſcopi*. Non ergo *Caminata* fuiſſe videtur *Camera*, in qua *Caminus*. Et ſunt, quæ indicare videntur, *Caminatas* fuiſſe aut Deambulatoria, aut Hypocauſta. (Italice *Stufe*) quibus ab antiquo tempore Germani, aliique Boreales Populi utuntur. Attamen rem in medio relinquo. Nam & Conſortus Pulex in Hiſtor. Vicentinâ, Tomo XIII. Rer. Italicar. pag. 1242. auctor eſt, *Caminatam Eccleſiæ Sovicii, firmiſſimis biſcantilibus, firmiſſimis undique muris ſtructam corruiſſe*. Unum ergo ſubjicio, videlicet Johannem de Janua Ordinis Prædicator. in ſuo Catholico Venetiis edito, ad vocem *Epicauſtorium* hæc habere: *Inſtrumentum, quod ſit ſuper ignem cauſa emittendi fumum*; quibus verbis ſignificare videtur aliquid diverſum a Caminis, quibus & nos ad emittendum fumum nunc utimur. Floruit, ſuumque Librum ſcripſit Johannes iſte Anno MCCLXVIII. Contra Papias Grammaticus, qui circiter Annum Chriſti MLI. ſcripſit, *Fumarium* ita interpretatur: *Caminus, per quem exit fumus*. Iohanni quoque Villanio Lib. 12. Cap. 121. memorantur *Fumajuoli*, ideſt Camini, de quibus nunc mihi ſermo. Sed ne hæc quidem ſatis ſunt ad perſuadendum, in hac re nobis tradenda deceptos fuiſſe Scriptores ſupra laudatos; nam & antiquis Sæculis in culinis, aliiſque ædium cubiculis ignis accendebatur, ac fumi inde educendi ne tunc quidem ratio deſiderabatur, quamquam tempora illa Caminis noſtris in tectum uſque productis caruiſſe ſtatueremus. Fortaſſis, heic inquies, non caruerunt Romani antiqui, quum Svetonius in Vi-

Vitellio Cap. 8. ſcripſerit : *Nec ante in Prætorium rediit , quàm flagrante triclinio ex conceptu Camini* . Attamen & hæc obſcura ſunt: *caminus* enim locum ſignificare conſuevit , ubi ignis paratus ardet , iſque ardere in triclinio potuit, nondum excogitatis vaginis ſupra tecta fumum educentibus , quas nunc appellamus *Caminos*, & Lombardicâ noſtrâ dialecto *Canne de' Camini* . Apollinaris Sidonius Lib. 2. Epiſtolâ primâ , villam ſuam deſcribens, ait : *In hyemale triclinium venitur , quod arcuatili Camino ſæpe ignis animatus pullâ fuligine infecit.* Quid ſit *arcuatilis Caminus* , alii decernant . Certe non hocce in Càmino noſtrorum Caminorum formam deprehendas , quum arcubus conſtaret , & pullâ caligine triclinium nigrefaceret. Hypocauſta quoque (quæ appellamus *Stufe*) a quibus per tubulos parietibus immiſſos miniſtratur calor per cubicula quæque, non defuiſſe antiquis, docent nos Seneca Epiſt. 90. Plinius junior Lib. 2. Epiſt. 17. , atque idem Apollinaris Sidonius Carm 22. Fortaſſis etiam *Caminatæ* nihil aliud fuere, niſi ſpecies Hypocauſti , ſive *Stufe* . Quare donec luculentius appareat , an antiquis Sæculis Camini noſtri in uſu fuerint, neganda minime fides eſt Scriptoribus, eorum inventum poſteriori ævo tribuentibus . Denique etſi ejuſmodi inventum longe ante Gualvanei , ſeu Ricobaldi , ac ſub ipſis Romanis rerum dominis, notum ac uſurpatum fuiſſet , fieri potuit , ut Barbaris in Italia regnantibus , ac moribus nimium rudibus in Italicam gentem invectis , Caminos neglexerint majores noſtri , breviori viâ per feneſtram in pariete apertam excludendo fumum . Fortaſſis etiam *Caminatis* Reges uni , Proceres , ac Monachi uſi fuerunt : vulgus verò , ſeu Populus , de quo præſertim Hiſtorici illi agunt, minori ſumtu fumum e cellis ſuis excluſit . Certè Johannes de Muſſis & ipſe Hiſtoricus Sæculi XIV. in Chronic. Placentin. Tomo XVI. Rer Italicar. pag. 582. auctoritatem addit Gualvanei verbis , ſcribens de retroactis temporibus : *In quibus domibus nullum ſolebat eſſe Caminum ; quia tunc faciebant unum ignem tantùm in medio domus ſub cupis tecti . Et omnes de dicta domo ſtabant circum circa dictum ignem ; & ibi fiebat coquina . Et vidi meo tempore in pluribus domibus* . Sed his tamdem dimiſſis , Gualvanei narrationem repetamus , qui Ricobaldi verbis hæc de ſuo penu adjecit : *Nunc verò in præſenti ætate priſcis moribus ſuperaddita ſunt multa ad perniciem animarum irritamenta . Nam veſtis eſt pretioſa , & artificio exquiſito , & ornatu ſuperfluo circumtecta per totum . In ipſis veſtibus tam virorum quàm mulierum , aurum , argentum , perlæ inſeruntur . Frixa latiſſima veſtibus ſuperinducuntur. Vina peregrina & de partibus ultramarinis bibuntur . Cibaria omnia ſunt ſumtuoſa . Magiſtri coquinæ in magno pretio habentur . Avaritia militat . Hinc uſuræ , hinc fraudes , hinc innocentium oppreſſiones exercentur . Inde Seneca in Libro Exclamationum* (pro *Declamationum*) *ſic ait : In deterius quotidie* &c. quæ eadem Frater Franciſcus Pipinus in ſuo Chronico refert , & ego retuli ſupra in præmemorata Diſſertatione XXIII.

A B C D E

Ceterum facile mihi foret, nomina Veſtium aliquot congerere , quæ barbaricis Sæculis a Laicis uſurpatæ fuerunt . Sed vereor , ut mihi aliiſve æque facile ſit eorumdem indumentorum formam tolerabili aliqua explicatione exprimere ; quum non noſtris tantùm temporibus , ſed & rudibus (quamquam nunc longe intemperantiùs quam tunc) novitas (ſive *la Moda*) hominum amictum nimis varium & inconſtantem effecerit , ita ut etiam *cultellatas* veſtes , ideſt ſciſſuris multis artificioſe & conſulto in pannum inductis , reperiamus . Dicam tamen aliqua . Hyemali tempore olim in uſu fuere , quæ nunc vocantur *Sclavinæ* veſtes , ideſt byrri villoſi , ita appellatæ , quod a Sclavis Populis conficerentur . Eas Græci appellabant ἀμφιμαλλυς, *Amphimallos* : atque eâdem voce interdum uſi ſunt Latini . Apud Gregorium Magnum Lib. 12. Epiſtol. 47. legitur *Amphimalum tunicam* . Inditum iis hoc nomen creditur , quòd ex utraque parte villoſæ forent . Sæpius tamen Latinis uſurpata eſt vox *Amphibalos*, ut eſt in Vita Sancti Martini ſcripta a Sulpicio Severo Dialogor. Lib. 2. Cap. primo , & apud Gregorium Turonenſem, Fortunatum & alios . *Birrhi* quoque non raró occurrunt in antiquorum Libris . Species *Lacernæ* fuere , ruſi coloris , pretioſi interdum panni , ſed ſæpius communis ac vilis . *Caputii* , ſive cucullos , Birrho conjunctos habere veteres conſueverunt . De Mediolanenſibus Clericis ſcribebat circiter Annum MLXXXV. Landulphus ſenior , Tomo IV. Rer. Italicar. pag. 93. *Nullus ſine candida toga* (nunc *Cotta*) *Chorum intrare audebat : nullus ſine Caputio Birri capite velato intrare Chorum audebat* . Ad hæc cenſet Menagius in Origin. Linguæ Italicæ , veſtes muliebres ab Italis appellatas olim *Gammurre* , quas Hiſpani dixere *Zamarra* (unde eſt hodiernum noſtrum *Zimarra*) nomen accepiſſe ab eâdem voce *Amphimallus* . Quis umquam credat ? Vide potius , num e *Gamba* , quæ a Neapolitanis dicitur *Gamma* , derivari potuerit hæc appellatio , quòd eæ veſtes crura tegerent ; aut an ex Hiſpanicâ, ſeu Arabicâ Linguâ ea vox deſcenderit . Temporibus pariter illis indumenta & panni erant , quorum nomina aut uſque ad nos perdurarunt, aut reſuſcitata ævo noſtro fuere . Sanctus Bernardus , & Petrus Venerabilis *Barracanum* , panni genus , quod nomen retinemus, commemorant ; multoque illud in honore tunc erat. Arabicæ originis nomen hoc videtur . Johanni Villanio, Boccaccio , aliiſque antiquis commemoratur etiam *Bucherame* , genus nempe telæ bombycinæ , ſive , ut rectius loquar , Bambaginæ , tenuis ac pretioſæ , qua divites ad luxum utebantur . Hanc in Oriente fabricatam, atque ad Italos delatam fuiſſe , tradit Marcus Paullus in Hiſtor. Orientali . Ita in Chartis antiquis , ubi *Launechild*, ideſt donum aliquod donanti repenſum intervenit, *Croſina*, ſeu *Croſna* memorari interdum videas . Exemplum habes in concordiâ initâ Anno MXCV. inter Fulconem & Hugonem Marchiones Eſtenſes Part. I. Cap. 27. pag. 273. Antiquitat. Eſtenſ. Alterum nunc addo, quod ex Archivo Capituli Canonicorum Cremonenſium deſcripſi .

Charta concordiæ inter Hubertum Comitis Huberti filium & Hubaldum Epiſcopum Cremonenſem, pro dono & Eccleſia Sancti Johannis, ſita in Urbe Ticinenſi, Anno 1004.

ANno ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti Milleſimo Quarto, XII°. die Menſis Februarii, Indictione Tertia. Vobis Domnus Hubaldo Epiſcopo Epiſcopii ſancte Cremonenſis Eccleſie ego Ubertus filius item Uberti Comes, *qui profeſſus ſum Lege vivere Salicha, preſens preſentibus dixi. Promitto & obligo me, qui ſupra Ubertus, una cum meis credibus ac procredibus vobis ſuprascripto Hubaldo Epiſcopo, veſtriſque ſucceſſoribus, ut ſi vos, aut veſtris ſucceſſoribus ſive veſtri Miſſi venerint in Civitate Papia, ut ego predictus Ubertus aut meis eredibus ac proeredibus, vel noſtri Miſſi, non abemus vobis venire oſpicium ad abere, ſicut nuper ſolitus fuiſti abere, & veſtris Anteceſſoribus, in pecia una de terra juris ſuprascripto Epiſcopio Sancte Cremonenſis Eccleſie, que eſſe videtur infra ſuprascripta Civitate Papia prope Monaſterio Sancti Felicis; & eſt ipſa pecia de terra cum in parte Eccleſia, que eſt dedicata & conſecrata in onore Sancti Johannis, & Caſa ſolariata atque terranea, etiam puteum, ſive broilo ſuper abente, & in parte curte & orto. Et abeo retinere & meliorare ego predictus Ubertus, & meos eredes ac proeredes predicta Eccleſia, & cum dictis caſis. Et non abemus ingumberare predicta pecia de terra, ſicut ſupra nominata eſt, in illa parte, pro quid vos ſuprascriptus Domnus Hubaldus Epiſcopus, nec veſtris ſucceſſoribus, ſive veſtri Miſſi predictum onorem perdatis vel ſuprascriptum Oſpicium &c. Quidem & ad confirmandum hanc promiſſionis cartulam* accepi ego, qui ſupra Ubertus a vos ſuprascriptus Domnus Hubaldus Epiſcopus exinde Launechilt Croſna una, *ut hec mea promiſſio, ut ſupra legitur, in vos veſtriſque ſucceſſoribus omni tempore firma & ſtabilis permaneat. Et pergamena cum atramentario de terra levavi; paginam Amizoni Notario tradi, & ſcribere rogavi, in qua etiam ſubter confirmans teſtibuſque obtulit roborandam.*

Actum in ſuprascripta Civitate Cremona feliciter.

Ego Umfredus Judex ſacri Palatii rogatus ſubſcripſi.

Signum manibus Adraldi, & Anſprandi, ſeu Adammi, Legem viventes Salicham teſtes.

Signum manibus Pagani, & Arimundi, ſeu Benincaſe, atque Widoni, *teſtes.*

Ego qui ſupra Amizo Notarius ſacri Palacii ſcripſi, poſt tradita complevi & dedi.

Nomine autem *Croſnæ* deſignabatur Pallii aut Veſtis genus, ex pellibus plerumque confectum, uti erudite Du-Cangius ad vocem *Cruſna* oſtendit in Gloſſario Latino. Addo Chartam Ferrarienſem, ſcriptam *Regnante Domno Henrico gratia Dei Rex, filius quondam item ave Henrici Imperatoris, Anno XXI. die VI. Kalendas Aprilis, Indictione Prima*, hoc eſt, Anno Chriſti MLXXVIII. *Bonafilia Dei gratia Abbatiſſa de Monaſterio Sancti Silveſtri de Ferraria* prædium emit, cujus pretium eſt *Croſna una vulpinea per extimacione ex valientibus de Denariorum Veronenſium Solidis triginta & duos*. Generali autem nomine Veſtes, nobilium præcipue, *Raubæ* & *Robæ* a

A Gallis ac Italis olim appellatæ ſunt, Saxonicâ antiquâ voce ad nos delatâ: quam poſtea gens Italica ad omnem ſupellectilem tranſtulit. Hiſpani quoque *Ropa* appellant quodvis genus veſtimentorum. Nulla autem dubitatio eſſe poteſt, quin a Germanico *Rauben* deſcenderit noſtrum *Rubare* & *Robare* pro furari. An autem & ipſa Germanica vox a Latino *Rapere* deducta fuerit (quod Voſſius ſentire videtur) id profectò incertum. Refert idem Du-Cangius Statuta Ordinis Sancti Benedicti in Provincia Narbonenſi conſcripta Anno MCCXXVI. Cap. 16 ubi hæc verba: *Illas quidem Veſtes, quæ vulgo Balandravæ, & Supertoti vocantur, penitus amputamus.* Ad quæ ille: *Sed videtur

B legendum Supercoti, Gallice Surcots, de quibus in Surcotium.* Nobis fortaſſe ejuſmodi vox retinenda videbitur, quibus in uſu eſt veſtis genus, eademque vox, *Surtù*, a Gallico *Surtout*: quod ſane vocabulum Furetierio Gallo recens viſum eſt, ſed in aliqua Galliæ provincia diu ſervatum, noſtro demum tempore renovatum fuerit. *Balandrana* autem non *Balandrava*, Italis eſt *Palandrana* & *Palandrano*, quod idem ſignificat atque *Gabbano*, hoc eſt, Pallium cum manicis, ſive Pænula. Eâdem ſignificatione *Capa*, ſive *Cappa*, vocabulo ab antiquis uſurpato, ſæpe occurrit. Quod *Pallium* verò ſine manicis fuit apud Græcos veteres uſitatum, atque apud Romanos ipſos no-

C tiſſimum poſteriora Sæcula deſignarunt, detortâ in rem aliam voce *Mantelli*, quod Latinis idem fuit ac *Mantile*, ſeu *Mantele*, nunc *Aſciugamani*. Appellarunt etiam *Tabardum*, nos nunc *Tabarro* dicimus. In Conſtitutionibus MStis Guidonis Epiſcopi Ferrarienſis, Anno MCCCXXXII. hæc lego: *Si Converſus ſit Eccleſiæ Sæcularis, ſuperiorem veſtem, ſcilicet Tabardum cum Caputio appenſo eidem, vel Scapulari honeſti coloris, teneatur portare. Et veſtem ſuperiorem, vel tunicam proximam Tabardo vel Scapulari prædictis habeat clauſam, quæ brevitate vel longitudine notari non poſſit.* Ejus quoque vocis mentio eſt in Synodis Ravennatibus habitis Anno MCCCXIV. &

D MCCCXVII. Menagio *Tabardum* deducenti ex *Manti*, ſive *Mantelli*, ſive *Capa*, vocibus nimiùm transfiguratis, nemo ſubſcribat. Erunt, qui putent, ab Anglis ad nos migraſſe hoc nomen; quum Henricus de Knygthon ad Annum MCCXCV. (uti Du-Cangius animadvertit) ſcripſerit: *Dederantque ſignum inter ſe, ut ſic ſuos mutuo cognoſcerent in congreſſu cum Anglicis, ut Scotus diceret Anglice Tabart, alter reſponderet Surcote, & e converſo.* In Hiſtoriola Ignoti Monachi Caſinenſis apud Peregrinium, Tomo II. Rer. Italicar. pag 266. de primis Saracenis, ſive Arabicis militibus in Beneventanam regionem Sæculo Chriſti IX. accitis hæc leguntur: *Horum iniquorum pri-

E mus vocabatur Alfonſus, obſitis quidem veſtimentis, & calciamentis, ſaltem nec Tarabare ſuccinctis, ſed ſolis arundinibus manu geſtantes.* Nequit tamen vox *Tarabare* id expreſſiſſe, quod poſtea *Tabarro* a nobis appellatum fuit. Proinde Occidentalium Populorum vocabulum hoc potius cenſendum eſt. Et ſane inter antiquas

voces

voces Celticas a Boxhornio in Gloſſario recenſetur etiam *Tabar*, *Tunica longa*. Sed ille animadvertit, adhuc a Populis Saxoniæ inferioris dici *ein groot Debbert*. D. preſſe pronuntiatum evadit T. Quæ verò veſtes ab antiquis dicuntur *Giubbe*, *Giubboni*, *Giubbetti*, *Giubberelli*, tunicarum brevium, ſive Thoracum ſpecies fuerunt, quæ ſub Tunica longiore deferebantur. *Zippone* adhuc Mutinenſes appellant. Nomen hoc omninò videtur ab Arabum Popplo in Italiam invectum. Nam Gollio teſte in Lexico Arabico, habent Arabes *Giubbaton*, ſignificans *Tunicam e panno goſſipino*, *cui Pallium ſive Toga imponitur*. Eſt & illis *Al-Giubbato*, *veſtis ex lana craſſiore*, *haud alio colore infecta*, *quàn quem a natura habet*, uti Giggeus in ſuo Lexico animadvertit. Fuerunt & *Pellardæ* (a Pellibus, ut puto, nomen ſortitæ) *Cabani* (nunc *Gabani*) & *Barilloti* veſtes memoratæ in Chronico Placentino, Tomo XVI. pag. 579. Rer. Italicarum.

Atque heic Linguarum exleges mutationes animadvertas velim. *Sottano*, ſive *Sottana* primò nuncupatæ videntur *Interulæ*, quòd ſub Tunicâ nunc appellatâ a Mutinenſibus *Giuſtacore*, deferrentur. Nam ævi medii homines *Subtus*, pro *Sub* præpoſitione, dixerunt, ac inde efformarunt *Subtanum* ſive *Subtanam*, ſubintelligendo veſtimentum, ſive veſtem, feminarum propriam. Neque enim accipienda conjectura Du-Cangii, opinantis ideo *Subtaneum dici*, *quod fortè Subtanorum ſeu Turcorum veſtis propria fuerit*. Ex ipſa voce fortaſſis emerſit Italica vox *Tana*, quaſi *ſubtana* via, ſive domus, arte aut caſu facta ſubtus monte aut tellure. Ita *Cava* dicitur ſubintelligendo *via*, *foſſa*, aut quid ſimile. *Sotano* Hiſpanis eſt cella vinaria, *la Cantina*. In Charta Cavenſi Anni DCCCLXXIV. quam dedi in Diſſertatione XIV. *de Servis* legitur: *Regia*, *quæ in ipſa Ecleſia eſt ædificata*, *in ipſa ſubdita Subtana de ipſa Eccleſia*. Ita fortaſſis a *Longe* efformatum fuit *Longitanus*, unde poſtea effluxit noſtrum *Lontano*, *Lontananza*, *Allontanare*. Audi nunc Ricobaldum, qui circiter Annum MCCXC. rudes Italicorum mores deſcribebat. Ita ille Tomo IX. pag. 128 Rer. Italicarum: *Virgines in domibus patrum Tunicâ de Pignolato*, *quæ appellatur Sotanum*, *& paludamento lineo*, *quod dicebant Xoccam*, *erant contentæ*. Ergo *Subtana* veſtis nuncupata eſt, quæ tamen *Super* aliis veſtibus induebatur, atque omnium aſpectui patebat. Ad hæc *Subtanum* non crura tunc mulierum tegebat, ſed ab humeris deſcendebat ad femora, aut ſummùm ad genua. In antiquis Fabulis, ſive *Novelle antiche*, Cap 83 legitur: *E feceli mettere un bel Sottano*, *il quale le dava a ginocchio*. Atqui nunc, *Sottana*, ac *Sottanino* dicimus muliebrem veſtem e femore uſque ad pedes defluentem, quam Ricobaldus *paludamentum & Xoccam* nuncupat, & a *Sotano* aperte diſtinguit. Angli appellant *Caſſock*, e *Socca* fortaſſis efformatum, ut ſignificent quod nos non ſecus ac Galli appellamus *Caſacca*, *Caſacchino*, *Giubbone*; ut videas, quàm varia fuerit apud gentes nominum ſignificatio, Apud Mediolanenſes adhuc perdurat vox *Socca*, per quam eadem veſtis deſignatur, quæ Etruſcis, aliiſque Populis eſt *Sottana*. Mutinenſes appellant *Stanella*, a *Sottanella* voce breviatâ. Fortaſſe veſtis *Subtana* appellata, non quod ſub alia veſte deferretur, ſed quòd inferiorem corporis partem tegeret, quam *parte di Sotto* dicimus.

A Neque præteribo, quod e Statutis Ferrarienſibus MStis, in Eſtenſi Bibliotheca adſervatis, appoſite in hanc rem animadverti. Anno Chriſti MCCLXXIX. concinnata fuere Statuta illa, ibique Lib. 2. Rubricâ 345. *de ſolutione Sartorum* iſta leguntur: *Statuimus & ordinamus*, *quod Sartores pro ſolutione de cetero recipiant in hunc modum*. *Videlicet pro Guarnello hominis octo Imperiales*. *Pro Sotano mulieris cum gironibus creſpis tres Solidos Ferrarienſes*. *De veſtito Bixelli*, *ideſt mezalanæ*, *tutalanæ*, *ſtinfortis*, *& cujuslibet alii panni*, *ſine tribus cucituris*, *tres Solidos Ferrarienſes*: *cum tribus cuſituris*, *& criſpis*, *quatuor Solidos Ferrarienſes*: *& ſi fuerint fodrati*. *quinque Solidos Ferrarienſes*. *Idem intelligimus de Guarnazonibus fodratis*, *ſi fuerint fodrati de Pelle*; B *ſi autem de Zendali*, *ſex Solidos Ferrarienſes*. *De Pellibus verò ab homine*, *tres Solidos Ferrarienſes*. *De Gauſcappis*, *& Cappettis cum tribus cuſituris*, *quinque Solidos Ferrarienſes*. *De Gonellis Dominarum frexatis cum gironibus & creſpis & butonis*, *octo Solidos Ferrarienſes*, *ſalvo quod de gironato ante & poſt*, *decem Solidos Ferrarienſes*. *De Guarnacchia fodrata*, *ſive de Pelle ſive de Zendali cum frexaturis*, *otto Solidos Ferrarienſes veteres*. *Et in Gonella de Mantatura fodrata de Pellibus*, *ſex Solidos Ferrarienſes*: *fodrata de zendali*, *ſeptem Solidos Ferrarienſes*. *Et hoc intelligimus de veſtimentis factis pro Hominibus & Dominabus magnis*. *Pro aliis autem veſtimentis factis pro* C *pueris vel juvenibus medii temporis*, *ſatisfiat eiſdem ſecundùm quod conveniens eſt*, *habito reſpectu ad ſupradicta pretia*. Heic habes diverſas indumentorum ſpecies, quibus tunc Ferrarienſes utebantur, *Guarnellos* ſcilicet, *Veſtes Bixelli*, laneas, *Guarnazones*, *Gauſcappas*, *Cappettas*, *Gonellas* muliebres, *Guarnacchias*, & *Gonellas de Mantatura*. Obiter moneo *frexaturas* heic memoratas, aut limbos fuiſſe, ſive *Liſte*, *Orlature*, *Guarnizioni*, ideſt ornatum in extremitatibus veſtium, aut lacinias, ſive fimbrias (*Frange* dicimus) veſtibus aſſutas. *Auriphrygia* mihi creduntur *frange d'oro*, de D quibus multa eſt mentio apud veteres, præcipue quum de ornamentis Eccleſiarum agunt. Hinc autem ad nos venerunt vocabula *Friſo*, *Fregio*, *Fregiatura*, & alia ejuſmodi.

Redeo ad Ferrarienſe decretum. Quæ ibi leguntur, aliquam moderationem in veſtibus adhuc a Populo Ferrarienſi ſervatam oſtendunt. Verùm Luxus in dies irrepere pertinacius, & imperium propagare cœpit fruſtra nitentibus contra Sapientibus Urbium ſuarum moderatoribus. Inter quos lubenter meos quoque Mutinenſes recenſeo, qui Leges municipales ſuas expurgantes atque expolientes, Anno MCCCCXX. die XIII. Menſis Februarii, decretum hoc promulgarunt, uti in Codice MSto legi, ex quo mores eorum temporum E æſtimare licebit: *Statuimus*, *quod aliquæ Mulieres*, *cujuſcumque conditionis exiſtant*, *non poſſint deferre aliquas Veſtes*, *quæ terram tangant*, *taliter quod per terram trahantur aliquo modo*, *nec aliquas Veſtes latitudinis ultra duodecim brachia*, *& a latere inferiori*, *nec aliquas Veſtes fodratas aliquâ Pelle in aliqua parte ipſarum Veſtium*. *Nulla mulier poſſit habere ultra quàm unam Veſtem panni Sirici*, *cum qualitatibus tamen antedictis*, *nec aliquam Veſtem panni Brocati-aurei*, *vel aliter deaurati*, *vel contexti de auro*: *nec aliquam Veſtem Recamandam in futurum aliquâ ſpecie Recama-*

tura. Nec poſſit deferre argentum vel aurum, ſuper aliqua ſua veſte ultra decem uncias argenti in totum. Nec poſſit deferre ultra tres Annulos valoris ad plus Ducatorum duodecim. Nec poſſit deferre ultra ſex uncias Perlarum valoris Librarum ſex Mutinenſium pro qualibet uncia ad plus. Nec aliquas gemmas, ſeu capillos alienos ſuper ſe portare, ſub pœna Solidorum quadraginta Mutinenſium &c. Et prædicta ſibi locum non vendicent (præterquam in lingua poſitas) in uxoribus Militum, Doctorum, & Nobilium, ac etiam Civium artem mechanicam non exercentium, & viventium more nobili &c. Sed quum exemplo iſto plures in Populo cuperent & quærelas excitaſſet, tandem poſtmodum & in Apulia decretum eſt, etiam fœminas Nobiles eâdem Lege conſtringi. Ita in Statutis Mediolanenſium, Regienſium, & aliarum aliquot Italiæ Urbium, cautum eſt nimio hominum, & fœminarum præcipue luxui. *Pragmaticam* factam, ſive *Prammaticas* nos appellare conſuevimus Legem, per quam ejuſmodi veſtium ac ornamentorum exceſſibus modus imponitur.

Neque inſalutatum relinquam antiquiſſimum, ſed jamdiu antiquatum apud Sæculares viros, *Caputiorum* uſum, cujus tamen formam feminæ nova quotidie excogitantes, & vetera refricantes, temporibus noſtris peregre ituræ aliqua ex parte reſtituerunt, uſque etiam intra Urbes teneras puellulas exornant. *Capitium* & *Caputium* occurrit apud Scriptores medii ævi. *Cappuccio* Itali appellarunt, & etiamnum appellant. Adhuc enim Monachi, aliique Religioſorum virorum ſacri Ordines ejuſmodi capitis tegumento utuntur, cui tamen plerique pileum majoris tutelæ causâ adjungunt. Neque in Italia tantùm, ſed & in Germania, Gallia, & Britannia, tegumenti hujus olim perquam communis uſus fuit, præſertim apud Nobiles viros. Ptolomæus Lucenſis in Annalib. brevib. ad Annum MCLXXXV. narrans Riccardi Regis captivitatem, hæc ait: *Rex autem ſimulavit habitum, & in effigie coqui ſe tranſtulit. Sed quum veniſſet Dux Auſtriæ cum ſua comitiva, ut viderent, qui eſſent, invenit Regem aſſantem anſeres, & veru volventem, clauſum in Caputio, Gallico more.* Nulla autem dubitatio eſt, quia & apud veteres Romanos adhiberetur hæc obtegendi caput & humero ratio, ut ſimul a vento, frigore, pluviâque ſeſe munirent, quemadmodum Columella Lib. primo, Cap. 8. ſcripſit. *Cucullus* quippe illorum nihil aliud fuit, quàm noſtrum *Capuccio*. Incertum tamen eſt, an *Capitia* a Varrone, aliiſque Latinis commemorata, capitis tegmen ſignificarint. Servi præcipue *Cucullis* tecti incedebant, quorum humilitatem Monachi imitantes, Caſſiano teſte de habitu Monach. Cap. 4. ab ipſa origine ſuæ inſtitutionis *Cucullos* aſſumſere. Rarius autem, Romanorum ſtante Imperio, nobiles & ingenui viri in quotidiano uſu habuiſſe videntur Cucullos, niſi quoties noctu latenti facie incedere vellent: quod & feminæ procaces interdum feciſſe deprehenduntur. Verùm temporibus barbaricis ſive ad Monachorum æmulationem, ſive quod hyeme in primis ad arcendum frigus perquàm commoda & apta videretur hæc tegumenti ſpecies, Sæculares viri, nobiles quoque, & Principes ipſi in honore & uſu *Caputia* habuerunt. Sunt qui arbitrantur, Hugonem Franciæ Regem, unde originem ducit tertia & inclyta Regum illorum nunc regnans proſapia, ideo *Capeti* agnomine donatum, quòd Caputia aliena ludi

A causâ auferre ſoleret. Neminem ex antiquis rei tam vulgaris triſtem laudare opus eſt. Nos aliis moribus nunc vivimus & vivemus donec varietatis & novitatis cupido, quod jamdiu cecidit, & nunc ſordet, recipiendum identidem ſuadeat.

Quæ autem dixi de *Caputiis*, ita intelligenda ſunt, ut ſimul ſtatuamus, numquam uſum *Pilei* vetuſtiſſimum apud Populos Occidentis intercidiſſe. Nam etſi Vocabularii Italici *della Cruſca* Auctoribus viſum fuerit, *Caputii* a Majoribus noſtris adhibita fuiſſe *in cambio di Capelli* (nos enim ita *Pileum* nuncupamus) attamen vix dubito, quin quo tempore *Caputia* uſurpabantur, Pilei etiam fuerint in uſu fre-

B quenti, & a pleriſque utrumque capitis tegumentum adhibitum fuerit, præſertim quando pluviæ incommoda a capite arcenda erant. Uſum hunc adhuc ſervant multi Religioſorum virorum Ordines, & Cardinales S. R. E. in quibuſdam ſolennibus equitationibus. Idque etiam intelliges ex Johannis Sariſberienſis verbis Lib. 3. Cap. 6. Policrat. *Memini*, ait, *me vidiſſe Romanum Pontificem ſolitum deridere Lombardos, dicens, eos Pileum omnibus colloquentibus facere* (cavarſi il Capello) *eo quòd in exordio dictionis benevolentiam captent*. Uſque ad finem Sæculi XV. ſaltem apud Presbyteros uſus *Caputii* perduravit. Circiter Annum MCCCCLXXXVIII. Petrus Cyrnæus Sacer-

C dos, ut eſt in Hiſtoria Corſicæ ab eo ſcriptâ, atque edita Tomo XXIV. Rer. Italicar., auctor eſt Libro IV., in ſe armatum hominem inſiluiſſe, atque *e domo ſummo mane ſacrorum rem divinam exeuntem, ſtricto ferro adortum eſſe*; ipſum autem *Caputio* (*habitus eſt, quem Sacerdotes ſuper humerum ferunt*) *circum lævum brachium intorto, ut eo pro ſcuto uteretur*, hoſtem *repuliſſe*. Quod etiam animadvertendum, Sacerdotes olim in publicum prodibant atque incedebant palliati, cum *Caputio* ſuper humeros, ac *Biretto* in capite, non utentes Pileo, uti Laici. Qualis etiam foret Anno MCCCXXX. Presbyterorum habitus Ticinenſi in Urbe, prodit Anonymus de

D Laudib. Papiæ, Tomo XI. Rer. Italicar. hiſce verbis: *Incedunt omnes Sacerdotes in habitu honeſto, ſcilicet Eccleſiarum Prælati, & Canonici Cathedralis, nec non quidam alii Canonici & Capellani nonnulli Parochiarum* (ideſt Parochi) *cum chlamyde clauſa, vel anterius aperta, cum Caputio magno pendente poſt ſcapulis, & Biretto in capite, & honeſta ſocietate. Qui verò præ paupertate non poſſunt hoc facere, vadunt ſaltem cum Tabardo decenti & Caputio in capite per modum diverſum a Laicis, immo a ceteris Clericis, vel etiam cum Biretto. Nec unquam ſine Tabardo procedunt, niſi forſan intra terminos Parochiæ ſuæ cum alba Cotta in humeris, quod in Gallia Superpelliceum*

E *dicitur*. Addit & iſta: *Nullus, niſi ſit in dignitate conſtitutus, vel aliqui Canonici Cathedralis, defert alterius coloris veſtimenta, quàm blavi, vel nigri, aut alicujus honeſti mixti, ſeu alicujus coloris obſcuri*. Sæculo autem IX. ideſt Anno DCCCLXXXVIII. in Concilio Metenſi Canone 6. ſtatutum fuit; *Ut nemo Clericorum arma portet, vel indumenta Laica induat; ideſt Cottos, vel Mantellos ſine Cappa non portet: & Laici Cappas non portent*. Quid *Cappa* fuerit, uni Clero portanda, quid *Cotti*, ſive *Mantelli*, ſi explicare ac decernere velim, & longo ſermone opus foret, & nihilominus tenebræ ſupereſſent. Quod heic tantummodo

ani-

animadvertam , Riculfus Sueſſionenſis Epiſcopus in ſua Conſtitutione edita Anno Chriſti DCCCLXXXIX. apud Labbeum , Tomo IX. Concilior. Cap. 7. hæc ad Presbyteros ait : *Prohibemus , ut nemo illâ Albâ utatur in ſacris myſteriis , qua in quotidiano , vel exteriori uſu induitur* . Hæc ſatis nobis ſunt , ut intelligamus, eo Sæculo Sacerdotes etiam extra ſacra myſteria , & extra Eccleſiam , palam proceſſiſſe *Albâ* indutos , hoc eſt , Camiſiâ , ſive Subuculâ , quam nunc *Rocchetto* appellamus , & qua etiam utuntur Canonici Regulares . Leo IV. Papa eodem Sæculo in Homelia de Cura paſtorali idem repetit .

Præter Calceos , Sandalia , Crepidas , Caligas , Cothurnos , Soleas (nunc *Pianelle*) aliaque pedum integumenta , de quibus fuſe ac erudite Balduinus, apud antiquos Romanos in uſu fuere *Socci* , hoc eſt , calceamentorum genus , quod facile , ut Iſidorus Lib. 19. Cap. 34. de Originib. & alii ſcribunt , induebatur , ac deponebatur ; quippe nullo vinculo pedi adſtrictum , ſive ſuperne anteriorem pedis partem continuatâ pelle obtegeret , ſive corrigiis tantummodo illam amplecteretur . An verò *Soccus* ita etiam efformatus fuerit, ut eam cruris partem pertingeret , qua tibiæ pes conjungitur , inquirant alii . Mihi unum dumtaxat commemorandum eſt , vocem hanc ad nos uſque pertranſiſſe ad deſignanda humilia quædam calceamenta a pauperibus uſurpata , ejuſdem fortaſſe formæ ac veterum *Socci* . Nobis appellantur *Zoccoli* . Plinius Lib. 9. Cap. 35. & alibi *Socculos* memorat , quibus feminæ in luxum effuſæ *gemmas* addebant . Itali tum rem retinuere , tum ipſam vocem, *S.* dumtaxat in *Z.* mutato . *Subtalares* , ſive *Subtulares* , aut *Subtelares* , vel *Sotulares* , in monumentis barbari ævi non rarò occurrunt , calceamenta nempe, quæ a *Soccis* parum diverſa videri poſſint, ſive ſoleâ, ſive ligno ſubſuerentur : nam & Subtalares lignei fuere . In Gloſſis MStis *Calopodes lignei Subtalares* dicuntur. Et quum *Subtalares* lavarentur , hinc intelligas , ſaltem non paucos e ligno fuiſſe efformatos . Vide Vitam Sancti Odonis Abbatis Cluniacenſis Lib. 2. Attamen uti diverſæ res alicubi memorantur , & Du-Cangio teſte apud Veteres inveniuntur *Calceamenta , ideſt Caligæ , Socci , & Subtalares* . Alvarus quoque Pelagius Epiſcopus Silvenſis, deſcribens circiter Annum Chriſti MCCCXL. Hiſpanorum luxum , inter alia hæc refert Lib. 2. Cap. 76. *Aliqui ex laſcivia camiſiis non utentes : Sotulares deauratos cum roſtris longis & recurvis habentes : foderaturas Mantellatorum ſive de Vario, ſive de pellibus albis Cuniculorum ſupra latus ſiniſtrum cubiti hominibus oſtendentes : caudas retro in capillis & barbis & minicis habentes , capillos barbarum dividentes & complectentes* . Vidiſti *Sotulares cum roſtris longis & recurvis* . Dum hæc ſcribo , adoleſcentes noſtri, quaſcumque novitatis & levitatis Gallicæ ineptias æmulati , Calceis nunc utuntur in anteriori parte curvatis , & in ſublime retortis . Rident hæc, qui ſaniora ſapiunt ; at juvenes inde ſibi placent , ſuiſque pedibus melius eſſe dictitant . Quod tamen animadvertendum , ligneas Soleas olim humilis fortunæ viri ac feminæ adhibebant, ad quorum prorſus mores quia ſe primùm compoſuere Fratres Minores Obſervantes , ideo apud nos *Zoccolanti* adhuc appellantur . Attamen ejuſmodi Socculorum dignitas atque fortuna Sæculo XIV. & XV. a Chriſto nato eo

A aſcendit , fortaſſe quod tutius quàm Soleæ coriaceæ a pedibus incedentium per humida loca humiditatem arcerent , ut vel ipſi Nobiles , ipſique Principes iis interdum delectarentur . In Hiſtoria Novarienſi Petri Azarii ad Annum MCCCLVI. Guillielmus Novariæ Capitaneus captâ ab hoſtibus Civitate , *in Caſtrum fugit in Zocholis* . Rem heic omnium curioſitate dignam referam. Fridericus ipſe Tertius Romanorum Imperator Auſtriacus, An. MCCCCLII. non aliis eſt uſus calceamentis. Cujus rei teſtem habeo Tabulam tunc pictam , in Sereniſſimi Domini mei Ducis Mutinæ Palatio adſervatam . Ferrariæ Anno illo fuit Fridericus idem Auguſtus , e Romana Coronatione regreſſus ; eaque occaſione in celeberrimo Urbis illius apparatu ac lætitiâ Borſium Ateſtinum Ferrariæ dominantem inſtituit Ducem Mutinæ, ac Regii , Marchionem Eſtenſem , & Rhodigii , Comaclique Comitem . Procurator Fiſci, reique privatæ Borſio tunc erat Johannes Blanchinus , *magnus Tabularum Aſtronomicarum Computator* , ut eum Ricciolius in Proſographia Almageſto novo præpoſita appellat , non patriâ Mutinenſis , neque Ferrarienſis , ut Blancanus , Voſſius , ac alii opinati ſunt , ſed Bononienſis . Has verò Tabulas ipſe obtulit Imperatori , atque ab eo jus Aquilæ deferendæ in inſignibus accepit . Ibi cernas Blanchinum in genua provolutum , & Auguſto offerentem volumen . Sedet Auguſtus *Socculos* in pedibus
C geſtans . Adſtat Borſius Dux , peculiari formâ mitræ & chlamydis indutus . Ceterum *Socculi* jamdiu viluerunt , & alicubi tantùm apud infimam ruſticorum plebem antiqua jura retinent, *Calceis* ubique uſitatis, quos *Scarpe* Itali appellant . Quum *Carpiſculus* apud Vopiſcum in Aureliano Cap. 30. memoretur pro calceamento multifariam cæſo , ut Salmaſius in Notis cenſuit , non improbanda eſt conjectura Cœlii Rhodigini Lib 20. Cap. 33. *Carporum* vocem in uſu fuiſſe Italicæ genti Sæculo Æræ Chriſtianæ Tertio , ad Calceorum genus deſignandum , *unde Calceis forſan indicta modò plebeja nuncupatio* , ideſt , unde ad nos vocabulum
D *Scarpa* . Attritos Calceos nos *Ciabatte* appellamus , Galli *Sabots* & *Savates* , Hiſpani *Zapatos* . Menagius hanc vocem a Latino *Sapa* deducit , quod *Laminam* ſignificat , quaſi ejus ſimilitudinem gerat Calceus vilis , ſive *Ciabatta* . Credat , qui velit . Nam præterquamquod inter *Laminam* , & *Calceum attritum* , non ſat ſimilitudinis intercedit , incertum quoque eſt , an *Sapa* Latinis *Lamina* fuerit . In Gloſſis antiquis , ait ille , occurrit *Sapula* , λάμβα : quam vocem is *Laminam* interpretatur . Ita certè in Gloſſis Philoxeni a Carolo Labbeo editis . Verum minime conſtat , an λάμβα *Laminam* ſignificet, quum Græci quoque poſterioris ævi λάμνα non λάμβα *Laminam*
E appellarint , Italicorum more , qui e *Lamina* efformarunt *Lama* , ut eſt in Gloſſario Græco Du-Cangii . Immo in ipſis Philoxeni , aliorumque Gloſſis *Lamella* dicitur λάμνα , non verò λάμβα . Et *Laminæ* dicuntur πίταλα . Antiquis autem Latinis nihil aliud *Sapa* fuit , niſi Italicum *Sapa* , Mutinenſibus *Saba* , ideſt muſtum decoctum . Quare alibi quærenda eſt origo vocis *Ciabatta* , ſive apud Arabes , ſive in antiquis Germanorum Linguis . Et quando huc delati ſumus, emendandus idem Menagius in voce *Suppa* , vel *Zuppa* ; cujus originem ille deducit ex *Sapâ* , *ſignificante ſpecie di mineſtra* . Non juſculi , ſeu *Mineſtræ* genus Ita-

ita ut *Zupa*, ſed ut mox antea dixi, Muſtum, ad medium, aut ad tertiam partem decoctum. Neque a *Zupa*, neque ab *inſupare* efformare Italica vocabula *Suppa*, *Zuppa*, *Inzuppare*, ut Ferrarius etiam opinatur, ſed ab antiqua Germanorum voce *Supp*, quam retinet illa gens, & Saxones in Britanniam invexere, ubi *Sipp* dicitur, & Franci in Galliam, ubi *Soupe* appellatur. Hickeſium in Grammatica Franco-Theotiſca audi: *Continue Suup*, *Supa*, *Sopa*, *Soppa*: *quæ omnia ſunt verbalia ab Abſupa*, *Sorbere*, *quod in præterito facit Suup*. *Ex Kerontis Sype eſt Sorbillum*, *& Sypan*, *Sorbere*.

Ad hæc in Codice Theodoſiano Lib. 14. Lege 2. *de Habitu*, *quo uti oportet intra Urbem*, Arcadius & Honorius Auguſti, *uſum Tzangarum atque Bracharum intra Urbem venerabilem interdicunt*. Multa de *Tzangis* attulere Salmaſius, Voſſius, Gothofredus, Du-Cangius, & alii. Ocreæ, ſive calceamenti genus fuiſſe creduntur. Recte ſane. Ocreas, ſeu Cothurnos & ego arbitror (nunc *Stivali*, aut *Stivaletti*) quibus in itinere Veteres utebantur. Et ſerius quidem earum uſus, ac nomen perduravit. In Vita Beati Petri Urſeoli Ducis Venetiarum edita a Mabillonio Seculo V. Actor. Sanctor. Benedictinor. pag. 884. legitur: *Velociter a cruribus extrahit Zangas cum calcaribus*, *videns ſe nudo dejectus ceſſare*. Ergo & crura & pedem *Zangæ* tegebant. Idem eruitur ex Libro de Coronatione Bonifacii VIII. Papæ, Tomo III. Rer. Italicar. *Ubi poſt Dominum Papam incedit Præfectus Urbis*, *indutus Manto pretioſo*, *& calceatus una Zanca aurea*, *altera rubea*: hoc eſt una aurei, altera rubei coloris. In Metro Jacobi Cardinalis idem ritus his verſibus exponitur:

- - - - - - Manto quod ſplendidus, *una*
Auri ſuccinctus caligâ, *ſuccinctus & una*
Scarletti, *ponendus erat Præfectus . . . .*

Caligarum, ſive *Zancarum* nomine deſignata vides Tibialia, ſive Ocreas, *Borzacchini*, tibiarum operimenta. Non idem Caligis illis color; nam altera aureum, altera rubeum præferebat; quem morem olim obſervatum animadvertam infra in Diſſertatione XXIX. *de Magnificent. & Spectacul.* Agnellus in Vita Maximiani Archiepiſcopi Ravennatis, Tomo II. Rer. Italicar. pag. 105. accerſitis ſutoribus *calceamentorum*, *præcepit illis*, *ut magnas Zanchas ex hircorum pellibus operarent*, *qui & ipſas ex Solidis aureis replevit*. Nunc addendum, Mutinenſes agricolas, alioſque Lombardiæ Populos, antiquam hanc vocem retinere, quippe qui *Zanchi*, preſſe Z. prolato appellant haſtam, ſive palum, ad cujus latus fulcimentum ligni prominens jungitur, altum a terra pro arbitrio, ſuper quod immiſſus pes innititur. Alter ſimilis palus alteri pedi paratur. Utrumque palum, ſive haſtam utraque manus regit; aut ſi brevioribus utuntur, eos cruri alligant. Infima pars ferro acuminato munita veſtigium, ne elabatur, fortiùs figit humi more baculorum, quos peregrinantes deferunt. Hac arte in modum etiam enormem ſtatura hominis augeri ſolet ac poteſt, & viæ lutoſæ, ipſæque etiam tenues fluviorum aquæ illotis pedibus ſuperantur. Bacchanaliorum tempore vidi ego aliquoties nonnullos in Urbe noſtra perſonatos per hippodromum, cum ejuſmodi altioribus palis, ſive *Zanchi* huc illuc obambulantes. A Florentinis *Trampoli* appellantur; & nullus fortaſſis Europæ Populus hac arte caret. La-Cerda in Adverſar. Sacr. Cap. 112. num. 18. *Zanca*, aut *Zanca*, aut *Tzanga calceamenti genus* eſſe ait. Tum Iſidorum laudat, cui *Zanga pellis dicitur*. Addit verba Codicis Theodoſiani, & denique ſtatuit: *Hoc nos ducunt ad ruſticum calceamentum*: *nec diſſimile apud Hiſpanos eſt*, *quod nunc Zancas dicitur*. *Eſt autem a Palo apud noſtrates*. Sed is domeſtica ignoravit. Neque enim Hiſpanis *Zancas* eſt Calceamenti genus, ſed *Zanco*, ut loquuntur, idem eis eſt ac Lombardis artificium nuper deſcriptum ad comparandam pedibus & corpori proceritatem. Audi Covaruviam in Theſaur. Linguæ Caſtellan. *Zanco*, *un Palo alto con una horquilla*, *donde haze fuerza el piè*. *D'eſtos uſan en las aldeas*, *por donde paſſa algun arroyo perquenno*, *por las partes*, *por donde no tienen puentezuelas*. Tum pergit confirmare, quæ dixi. Neque Latinis antiquis defuiſſe hunc uſum, Sextus Pompejus Feſtus indicare videtur, ſcribens: *Grallatores appellabantur Pantonimi*, *qui ut in ſaltatione imitarentur Ægipanas*, *adjectis perticis furculas habentibus*, *atque in his ſuperſtantes*, *ad ſimilitudinem crurum ejus generis gradiebantur*, *utique propter difficultatem conſiſtendi*. Nonius Marcellus: *Grallæ*, ait, *ſunt fuſtes*, *quis innituntur Grallatores*, *qui gradiuntur Grallis*, *quæ ſunt perticæ ligneæ*. Plautus in Pœnulo, Act. 3. Scen. prim.

Cervum curſu vinceres, *& Grallatorem gradu*.

Ita enim legendum, non *clavatorem*, ut habent editi Libri. Locum præterea Varronis Nonius in hanc rem laudat. Itaque *Grallæ* fuere *crura lignea*, ſeu perticæ, quibus veteres & ipſi ſunt uſi, atque idem fuere ac noſtri *Zanchi* & Hiſpani. A vero proinde non abhorret, *Tzangarum* nomine aut *Grallas* veterum ſignificari, aut ſaltem ocreas calceoſve ita compoſitos, ut ad inſtar *Grallarum*, procerioreṁ, quàm par eſſet, hominem efficerent: quod in Urbe omnino indecens viſum fuerit. A Trebellio Pollione Hiſtorico in Claudii Vita non *Tzingæ*, ſed *Zanchæ* appellantur, vocabulo cum Lingua noſtra concordi. Gallis *Eſchaſſes* vocitantur ejuſmodi haſtæ. Ex his Meurſium in Gloſſario Græco Barbaro corrige, ubi ſcribit: Τζαγκὸς, *italicum Zanco*, *Siniſter*. Perperam putavit idem nobis eſſe *Stanco* & *Zanco*. Dixi, a Florentinis appellari *Trampoli*, quos Lombardi & Hiſpani dicunt *Zanchi*. Menagius Gallicus Scriptor, mihi ſæpe memorandus in Diſſertationibus XXXII. & XXXIII. *de Origine Linguæ Italicæ*, & *Voc. Italicar.* ſcribit: *Trampani*, Pianelle, *come quando ſi dice*: *Voi ſiete poſto ſu i Trampani*; *per dire*: *Voi m'ingannate*, *facendovi del grande*. Heic fortaſſe non unus error. Scribendum enim videtur *Trampoli*, non *Trampani*. Neque *Trampani* ſunt *Pianelle*. Et nos quidem dicimus *andar ſu i Trampoli*, vel *ſu i Zanchi*, ſed ut indicemus hominem inſuetâ agendi formâ utentem, ac periculo cadendi expoſitum. Ad hæc idem Menagius alibi ſcripſit, *Zanca*, qua voce pro *Gamba* uſus fuit Dantes non uno in loco, uti in Vocabulario Florentino jamdiu adnotatum eſt, derivari ab ipſo vocabulo *Gamba* corrupto. Ab *Ancus* Octavius Ferrarius vocem illam *Zanca* deducit. Sed uterque fallitur. Diverſæ plane ori-

originis ſunt *Zanca* & *Gamba* : Dantes verò per metaphoram ad crura deſignanda adhibuit *Zanca* , quod *Tzangæ* , ſeu *Zanchi* ſint veluti crura , ſive *Gambe di legno* .

Ceterum neminem pigebit audire , quibus calceamentis uſus olim fuerit Bernardus Italiæ Rex , Caroli Magni nepos . Ejus tumulum Anno Chriſti MDCXXXVIII. Mediolani in Ambroſiana Baſilica reſeratum Puricellius pag. 70. Monument. Baſilic. ejuſdem deſcribit , atque inter cetera teſtis oculatus ait : *Superſtites adhuc e corio rubro calcei utrumque pedem contegebant : iidemque LIGNEAM quiſque SOLEAM , hinc inde coriaceis inſutam , habebant . Tam verò apte preſſeque ad ſuum quiſque pedem juxta ordinem digitorum congruebant , in acutum versùs primorem digitum deſinentes , ut calceus dexter nonniſi dextro pedi , quamdiu integer ille erat , ſiniſterque ſiniſtro adaptari potuiſſet . Ceterum quiſque calceus duabus tantùm corii partibus invicem conſutis , pedem ita contegebat , ut anterior corii pars in ſuprema versùs crura extremitate aliquantulum ſciſſa in longum eſſet , illicque pedi lignamine adſtringeretur , ad eum prorſus modum , quo ruſticana hodie calceamenta factitari ſolent.* Ita ille . Anno Chriſti DCCCXVIII. Bernardus Rex vivendi finem fecit . Profectò Ligneæ Soleæ inter coriaceas conſutæ , quum calceum alligatum nihil cedentem efficerent, aliquid incommodi euntibus attuliſſe videantur . Sed experimento priùs facto de his rectiùs judicare liceret . Certe antiquis in uſu fuerunt Soleæ ligneæ , quarum nomen adhuc in Italia , Gallia , & Germania perdurat, hoc eſt *Pantoffole*, e Germanico *Pan-Tofel* , ſignificante *Pedum Tabulas* . Sandalia nempe lignea fuere , corio deſuper deſtituta , uti illa Papias deſcribit . Uti verò nunc , ita & olim Calceorum nova forma identidem excogitabatur . Qua in re riſum fortaſſis alicui commoveat , quæ Sæculo XIV. invecta traditur a Continuatore Nangii ad Annum MCCCLXV. *Sotulares* , inquit , *habebant , in quibus roſtra longiſſima in parte anteriori ad modum unius cornu in longum , alii in obliquum , ut Griffones habent retro , & naturaliter pro unguibus , ipſi communiter deportabant* . Deformis adeo viſa eſt Calceorum figura , ut ipſo Hiſtorico teſte Carolus Rex Franciæ Pariſiis , & Urbanus V. Papa in Romana Curia illorum uſum inhibuerint . Neque tamen ea recens nata : nam Petrus Damiani in Opuſcul. 42. ad Landulfum Cap. 7. Clericum luxurioſum hiſce verbis delineat : *Hic itaque nitidulus , & ſemper ornatus , atque conſpicuus incedebat , ita ut caput ejus numquam niſi gibellinica pellis obtegeret , indumenta carbaſina atque niventia ſiligio per artem fullonis inficeret ; calceus poſtrema ad aquilini roſtri ſpeciem non falleret* . *Siligio* , ſeu potius *Siligo* , ni fallor , heic ſumitur pro ſelectâ tritici medullâ , e qua marceſcente fit glutinis candidi ac diluti ſpecies , rigorem lineis telis inferens . Hanc nos *Salda*, quòd fluentem , ſeu mollem telam *Solidam* efficit ; uti etiam a Latino *Amylum* , *Amito* , & *Amido* appellamus . Miraberis forſan & heic Linguarum mobilitatem & inconſtantiam . Nam quum Latina Lingua regnabat , *Calcei* vox , ut nemo neſcit , familiaris fuit ad deſignanda pedum tegumenta , ejuſque uſum nos adhuc retinemus in Italicis vocabulis *Calzolajo* , ſeu *Calzolaro* , pro *Sutor* , & *Calceolarius* , ut Veteres dixere , & in *Calzare il piè* pro *Calceare* . Contra nos nomen idem ſupra pedem , immo extra pedem tranſtuliſſe videmur . Tibiarum enim indumenta appellamus *Calze* , & *Calzetti* ; tum longius procedendo , Feminalia , ſive Femoralia nuncupantur *Calzoni* : Mutinenſibus verò idem ſunt , *Calze* , & *Calzoni* , & *Brache* . Hæ voces omnes a *Calceo* deſcendunt , quamquam ab ejus ſignificatione tam longe receſſiſſe videantur . Sed fortaſſe nulla mirandi cauſſa : veteribus enim *calceare* idem fuit ac *tegere* , *induere*, translata voce ab indumentis pedum ad alias corporis partes : quem uſum & poſteri ſunt imitati . Et quod attinet ad crurum ſive tibiarum integumenta , quæ *Calzetti* dicuntur, eis eſt etiam nomen *Scoffoni* apud Lombardos : qua voce præcipue ſignificantur vilia Populi indumenta cruralia . Neque recèns natum vocabulum . Du-Cangius in Epiſtola Innocentii III. Papæ , ſcriptâ ante Annos quingentos & ultra adnotavit *Scafones ſimiliter habeant duplicatos* : & in altera Alexandri IV. Papæ, ſcriptâ Anno MCCLXI. *quatuor Scuffones , & duo ſubtellares* . Addit Du-Cangius : *Heic Scaffones , vel Scuffones pedis ſpectare videntur* . Et ſane *Scoffoni* primò nihil aliud fuiſſe videntur, niſi tegumenta pedum . Prælaudatus Jacobus Cardinalis in Vita Cœleſtini V. Papæ Lib. 2. Cap. 2. verſ. 305. de Cardinalibus , qui ad eumdem ſanctum virum primi acceſſere , hæc ait :

„ *Illico ſubmiſſi Chiffonibus oſcula figunt*
„ *Villoſis* - - - - - - - - - - - - - - -

Gloſſa vetus explicat : *Nam habebat Chiffones in pedibus*. Atqui primo ad pedes contegendos e lana efformati fuere , ſenſim crura etiam , ſeu tibias texiſſe credendi ſunt .

Ad Sæcula verò remotiora quod attinet , fidenter dicam , me opinari, perſpectam minime fuiſſe antiquis Artem , quæ nunc in uſu eſt , contexendi ferreis bacillis , aut fabricandi in telario ad inſtar telæ Tibialia indumenta e ſerico , lana , canabe , aut lineo filo . Nam Romani pedibus calceo muniti , aut crus integrum , aut ejus partem , nuda deferebant . Toga tantùm demiſſa utentibus eâ , aut aliud veſtis genus nuditatem quandoque operiebat : atque hic inter ipſos familiaris mos fuit, uti & Braccas contemnere . Qui verò tibias veſtitas amabant , ſeu veſtire cogebantur , perones , ocreas , udones , cothurnos adhibere conſueverunt (nos *Stivali* , *Stivaletti* , *Burzacchini* appellamus) , e quibus tegumentis nonnulla a pede uſque ad ſuras , ſeu medium crus , alia uſque ad genu, & ſupra etiam protendebantur. Et ex his nonnulla Calcei pars erant . Apud alios Feminalia ipſa , ſive , ut melius dicam , Braccæ uſque ad talos & calceum deſcendebant . Orientis præcipue Populi , Septentrionales Barbari , Hungari, & alii, poſtremo hoc tibiarum amictu uſi deprehenduntur . Langobardi verò , uti ſcribit Paulus Diaconus Lib. 4. Cap. 23. *Cœperunt Hoſis* (Stivali) *uti , ſuper quas equitantes Tubrugos* (ſeu *Tubrucos*) *birreos mittebant ; ſed hoc de Romanorum conſuetudine traxerunt* . Utebantur ergo antea Romani *Tubrugis* , qui fuiſſe cenſentur Du-Cangio ocreæ laneæ coriaceis ocreis ſuperinductæ. Iſidoro autem *Tubruci* ita appellati, *quod tibias braccaſque tegant* . Qui etiam addit (ut Voſſius ſe in MStis legiſſe ſcribit) *Tubraci , quod a braccis ad tibias uſque perveniant* . In Columnæ Trajanæ ectypo viſuntur Barbari brac-

Braccæ uſque ad tibias demiſſæ. Ab Hoſis Italica vox Uoſa manavit, quæ alios ſignificat. Quidquid ſuerit, nihil horum me ducit ad agnoſcendum apud veteres Tibialium noſtrorum aliam & artem. Quæcumque enim apud eos crurium tegumenta occurrunt: aut ex corio, aut ex pellibus, pannove aut tellâ conſuta, & plerumque laxa, neque totam cruris figuram exprimant. Lubentius quoque in eam opinionem concedo, quod animadverterim Romanos, ſi quando aut frigoris arcendi, aut honoris, aut ægritudinis causâ crura amiciebant, in uſu tantummodo habuiſſe *Faſcias*, ſive *Faſciolas*, quas artificiosè circum tibias ducebant. Laneæ, lineæ, fortaſſis etiam ſericæ adhibebantur: qui tamen mos veluti luxus & delicatæ vitæ indicium ab auſteris Romanis maxime probibatur. Quinctiliani Lib. XI. Cap. 3. verba ſunt: *Palliolum, & Faſcias, quibus crura veſtiuntur, & focalia, & aurium ligamenta, ſola excuſare poteſt valetudo.* Horatius quoque Satirâ 2. nominat

> *- - - - - - - - - - - - - - - inſignia morbi*
> *Faſciolas, cubital, focalia - - - - - - -*

Verùm Romani ſenſim & ipſi didicere, vel ipſo Auguſto Cæſare imperante, crura tegere ſibi Faſciolis, & Feminalibus uti. Frigus præcipue ad veterem ſeveritatem aut conſuetudinem deponendam auctor eis fuit. Svetonio teſte Cap. 82. Auguſtus *hieme quaternis cum pingui toga tunicis, & ſubucula thorace laneo, & feminalibus, & tibialibus muniebatur.* Subintellige *Faſciis Tibialibus*, & *Faſciis* aut *Braccis feminalibus*. Serius tamen Romani Braccas, Barbaris familiares admiſerunt. De hiſce audiendus Sanctus Hieronymus in Cap. 3 Danielis: *Pro Braccis, quas Symmachus ἀναξυρίδας interpretatus eſt, Aquila & Theodotio Sarabàlla dixerunt; & non, ut corrupte legitur, Sarabara. Lingua autem Chaldæorum Sarabàlla crura hominum vocantur, & tibiæ: & braccæ etiam Braccæ eorum, quibus Crura teguntur & Tibiæ; quaſi Crurales & Tibiales appellatæ ſunt.* Erant *Faſciæ crurales*, erant & *pedules* ad pedes tantùm veſtiendos: quæ vox *Pedule* adhuc in Italia perdurat, communiori vocabulo apud nos dicta *Scarpetta*. Ulpianus propterea in l. *argumento* 25. ff. *de Auro argento*. commemorat *Faſcias crurales*. Nam & qui antiquitus nondum tibiis operimenta quæſierant, jam *Faſciis* pedes contegebant, calceumque ſuper eas inducebant. Lampridius in Alexandro Severo: *Donavit & caligas, & braccas, & calceamenta inter veſtimenta militaria.* Habes *Braccas* jam in uſum adductas inter milites Romanos. Ipſe verò Alexander Auguſtus *Faſciis ſemper uſus eſt. Braccas albas habuit, non coccineas, ut prius ſolebant.* Hoc eſt *Faſciis* pedulibus, & fortaſſis etiam cruralibus uſus eſt. Atque hic mos diutiſſime poſtea perſeveravit apud volentes crurum nativam venuſtatem ſervare, quam ocreæ, aut braccæ demiſſæ opprimebant. Immo & apud Barbaros eedem Faſciæ in uſu fuere. Teſte eodem Paulo Lib. prim. Cap. 24 Langobardi, antequam in Italiam deſcenderent, *ſuris inferius candidis utebantur Faſciolis*. In ectypis autem Columnæ Trajanæ, ac in aliis antiquiorum monumentis, Romanorum crura integumentum aliquod præferre videntur. Serius etiam Eginharto teſte, Carolus Magnus *Faſciolis crura, & pedes calciamentis conſtringebat*. Vide apud Baluzium Tom. 2. Capitular. pag. 1276. effigiem Caroli Calvi, cui adſtant Magnates, ejuſmodi Faſciolis tibias ambientibus. Attamen præter *Faſcias Tibiales* Eginhartus uſurpata a Carolo Magno ſcribit. Quod minime diſſimulandum.

Et ſane alius tegendi crura ritus invectus a Francis. Nempe *linea* tellâ eas veſtiebant, & hanc *Tibiale* appellabant: tum *Faſcialas* ſuper Tibiale, & ſuper omnia Corrigias inducebant, ut aptarent, conſtringerentque telam ad tibias. Audi Monachum Sangallenſem Lib. prim. Cap. 36 de Reb. geſt. Caroli Magni, ubi veterum Francorum veſtimenta deſcribit. *Erat*, inquit, *antiquorum ornatus vel paratura Francorum, calciamenta forinſecus aurata, corrigiis tricubitalibus inſignita. Faſciolæ crurales vermiculatæ, & ſubtus eas tibialia ac coxalia linea, quamvis ex eodem colore, tamen artificioſiſſimo opere variata, ſuper quæ & Faſciolas in crucis modum intrinſecus & extrinſecus, ante & retro, longiſſimæ illæ corrigiæ tendebantur. Deinde camiſia glizzina. Poſt hæc baltheus ſpatæ colligatus. Quæ ſpata primò vaginâ fagea, ſecundò corio qualicumque, tertiò linteamine candidiſſimo cerâ lucidiſſimâ roborato ita cingebatur, ut per medium Cruciculis eminentibus ad peremtionem Gentilium duraretur. Ultimum habitus eorum erat pallium canum, vel ſaphyrinum, quadrangulum, duplex, ſic formatum, ut, quum imponeretur humeris, ante & retro pedes tangeret, de lateribus verò vix genua contegeret. Tum baculus de arbore malo, nodis paribus admirabilis, rigidus & terribilis cuſpide, manubrii ex auro vel argento, cum cælaturis inſignibus præfixo, portabatur in dexterâ.* Hæc ille, cujus prolixa verba attuliſſe me non pœnitet. Apollinaris quoque Sidonius tum Lib. 8. Epiſtol 11. tum Carmin. 2. *Vincula* memorat, quibus Faſciæ a pedibus deductæ *per crura* decurrebant. Ita in Concilio Cloveſhovenſi Anno DCCXLVII. Cap. 38 de Monachis ſtatuitur: *Nec imitentur Sæculares in veſtitu crurium per Faſciolas.* Iſtarum autem uſus ne Sæculo quidem Chriſti X. & XI. deſierat. Nam in antiquioribus Cluniacenſis Monaſterii Conſuetudinibus, circiter Annum MLXX. ab Uldarico Monacho collectis, & a Dacherio editis Lib. 3. Cap. 11. *Faſciolæ* Monachis permittuntur *propter tibias infirmantes*. Sed neque eodem Sæculo Chriſti XI. meliorem artem conficiendi caligas excogitaſſe Occidentales Populi videntur. Sub initium ejuſdem Sæculi Sanctus Eremita Symeon, qui miraculis clarus Anno MXVI. vivere deſiit, ſepultus in Benedictinorum Monaſterio Padolironenſi, ut habetur in ejus Vita apud Mabillonium Sæcul. VI. Benedictin. Part. prim. pag. 161. dum ad Bonifacium Marchionem pergeret, caligas ſuas pauperi nudis cruribus, rigente hyeme, incedenti donavit. Miratus Marchio ſancti viri caritatem, *confeſtim duas hircorum pelles afferri, inde ſibi alias conſui fecit.* Ac proinde reſtat, ut agnoſcamus tamdem, inventum Tibialium noſtrorum deberi Sæculis poſterioribus. Nullius negotii ars nunc illa nobis videtur, quod eam nulla pœne mulier ignoret. Verùm invenire ipſam primùm, arduum plane fuit, quum difficile hominibus ſuccurreret ratio efformandi continuatum ſacculum, ut ita dicam, ſpiſſi retis ad inſtar, ex laneo, lineo, aut ſericeo filo, qui ſimul tibias bene conveſtiret, friguſque arceret, atque ita ſe ultro ex ſua laxitate cum tibiis componeret, ut nihil ex

earum

earum venuſtate & formâ deperiret. Difficilius etiam caligas ipſas in textrino conficere : quod tamen poſtremis hiſce temporibus adinventum in uſu eſſe cœpit. Sunt innumera alia inventa, quæ ad inſtar ovi, quod Columbus ſtare in lævigata tabula docuit, nunc omnes nos novimus, neque tantillum miramur, at ad inveniendum impares & nos olim fuiſſemus. Quid obvium magis, quàm *Staffæ*, ſive *Stapedes*, *Stapiæ*, ac *Stapedæ*, quarum ope nunc facile in equum inſilimus, & in quibus equitantium A pedes conſiſtunt & quieſcunt? Ignorarunt antiqui Romani, ut nemo nunc Eruditorum negat. Eis ſaltu aſcendere equos opus fuit, aut lapide, ſive ſtipite alto pro ſcala uti, aut *Stratorem* adhibere, qui ad ſcandendum equum auxiliares manus præberet. Pendula inſuper crura ac pedes in longa equitatione dolebant, erantque morbis nonnullis obnoxia. Subſequentium Sæculorum induſtria ejuſmodi ſubſidium & commodum, ac tam facili arte, nobis peperit.

DE
MILITIA
SÆCULORUM RUDIUM
IN ITALIA.
DISSERTATIO
VIGESIMASEXTA.

DISSERTATIO VIGESIMASEXTA.

EX quo barbaricæ Septemtrionis Nationes Sæculo Æræ Chriſtianæ Quinto Italiam ſibi ſubdidere, nulla dubitatio eſt, quin antiquos Militiæ ſuæ mores ſecum advexerint, atque heic propagarint. Gothis ſub Juſtiniano I. Auguſto hinc depulſis, per aliquot annos iterum heic floruit diſciplina militiæ Romanæ & Græcæ. At ſuccedentibus in dominatione Langobardis, ac ſubinde Francis, atque Germanis, rurſus per Sæcula multa res militaris in Italia ab illarum gentium inſtitutione pependit. Veri tamen ſimile eſt, barbaros heic conſtitutos ſcientiæ ſuæ militari aliqua addidiſſe, accepta tum ab indigenis, atque a veterum Romanorum reliquiis, tum a Græcis, qui diu Exarchatum Ravennatem ac Romam ipſam tenuere, ac diutiſſime Calabris, aliiſque Regni nunc Neapolitani maritimis Urbibus imperarunt. Erant iis, non ſecus ac aliis gentibus eadem ferme arma, non minus ad ſe tuendos, quàm ad hoſtes offendendos opportuna, ut gladii, acinaces, fundæ, miſſilia, clavæ, lanceæ, arcus & ſagittæ, clypei, galeæ, loricæ, ocreæ, & reliqua hominum armatura. Carolus Magnus in Lege XVII. inter Langobardicas præcepit, *ut nullus extra Regnum noſtrum Bruneas* (ideſt *loricas*) *vendere præſumat*. Idem quoque Lege 163. vetuit, *ne arma & bruniæ* venumdarentur extra Regnum. Etiam Lex 20. eſt *de armis intra patriam non portandis, id eſt ſcutis, lanceis, & loricis*. Nonne & ibi legendum *extra Patriam?* Sed vide, quæ adnotavi ad Legem 42. Pippini Italiæ Regis. Tentoria pariter apud eos in uſu fuere, uti & communia Romanis & Græcis inſtrumenta fere omnia ad Urbes oppugnandas. Ermoldus Nigellus Libr. prim. de Reb. geſt. Ludovici Pii, Part. II. Tomi II. Rer. Italicar. obſidionem Barchinonenſem deſcribens, hæc habet:

Ariete clauſtra terunt: undique Mars reſonat.
Machina nulla valet murorum frangere poſtes.

Infra etiam addit:

Machina denſa ſonat: pulſantur & undique muri;
Crebra ſagitta cadit, vi funda retorta fatigat.

Auctor Vitæ ejuſdem Ludovici Auguſti apud Du-Cheſnium narrat, Anno DCCCVIII. obſidionem Tortoſæ inſtitutam. *Quo perveniens Ludovicus Rex, adeo illam arietibus, mangonibus, vineis, & ceteris inſtrumentis laceſſivit & protrivit muralibus, ut Cives illius a ſpe deciderent, infractoſque ſuos adverſo marte cernentes, claves Civitatis traderent*. Fortaſſe pro *Mangonibus* ſcriptum fuerit *Manganis*. Hæc enim vox apud antiquos uſitatior fuit ad deſignanda tormenta, a quibus lapides projiciebantur in Civitates obſeſſas. Miſcellæ Auctor Lib. 21. de Leonis Iſaurici rebus agens ſcribit, impio militi, *a lapide tranſmiſſo ex Mangone* contritum caput fuiſſe. Illic etiam ſcriptum puto *ex Mangano*: nam Theophanes in Chronographia, quam Auctor Miſcellæ Latinam facit, habet

A ὑπὸ λίθου τοῦ ἐκ τοῦ Μαγγανικοῦ πεμφθέντος, ideſt *ex manganico*, ſupple *tormento*, niſi & ibi ſcriptum fuerit ἐκ τοῦ μαγγάνου. Idem quippe Hiſtoricus ad Annum XIII. Conſtantii Auguſti memorat μάγγανα τὰ παντοῖα, *Mangana omnis generis*. Paullo quoque Diacono teſte Lib. 6. Cap. 20. de Geſt. Langobardor. Aripertus Rex *Bergamum obſedit, eamque arietibus, & diverſis belli machinis oppugnans, mox cepit*. Ita & Ludovicus II. Auguſtus (uti fidem facit Anonymus Salernitanus in Paralipomen. Cap. 92. Part. II. Tomi II. Rer. Italicar.) *Civitatem Barim variis machinis expugnare cœpit*. Idem verò Cap. 114. obſidionem Salerni deſcribens, eodem Ludovico imperante B factam ſcribit; Agarenos *Machinam, quam nos Petrariam nuncupamus, conſtruxiſſe miræ magnitudinis, ut turrim unam atterrerent*. Addit Chriſtianos *in eâdem turri illico Machinam* alteram *conſtruxiſſe*. Ergo vox *Mangana* a *Machina* voce Græcâ & Latinâ manaſſe videtur.

Antiquorum quoque ordinem in militia regenda ſervavere Boreales Nationes Italiæ dominantes. Etſi in earum exercitu nulla mentio occurrat Legionum, Turmarum, Manipulorum, Cohortium, aliorumque hujuſmodi Romanorum nominum, nihilo tamen ſecius ordo non deerat, & copiis varii ductores ſubalterni præficiebantur. Erat ſupremus Dux belli, tum alii Duces minores, alter alteri gradu & auctoritate C antelatus. *Centenarii*, quaſi *Centuriones*, centenis militibus præerant, *Millenarii* millenis. *Comites* univerſum Populum, ex Urbe & agro ſuo coacervatum, in bello ductabant. *Gaſtaldii* idem præſtabant. Erant etiam *Vexilliferi*, ſive *Signiferi*. Agnellus in Vitis Pontific. Ravennatum, Tomo II. Rer. Italicar. auctor eſt Cap. 3. Vitæ Sancti Felicis, ineunte Sæculo VIII. a Ravennate Populo delectum fuiſſe ducem belli Georgium Johannicii filium in ſeditione oborta contra Græcos. Ille verò ad excubias armatam gentem locaturus, *diviſit Populum in undecim partes. Duodecima verò pars Eccleſiæ eſt reſervata. Unuſquiſque miles ſecundùm ſuam militiam & Numerum incedat. Ideſt* D *Ravenna, Bandus primus, Bandus ſecundus, Bandus Novus, Invictus, Conſtantinopolitanus, Firmans, Lætus, Mediolanenſis, Veronenſis, Claſſenſis. Partes Pontificis cum Clericis, cum honore dignis, & familia, & Stratoribus, vel aliis ſubjacentibus Eccleſiis. Et hæc ordinatio permanet uſque in præſentem diem*. Ita Agnellus circiter Annum Chriſti DCCCXL. ſcribebat. Ergo in undecim turmas ſive legiones aut cohortes (*Numeros* ii appellabant) partitus eſt Dux Ravennatem Populum. Uti nunc legionibus, quas *Reggimenti* appellamus, ſuum peculiare nomen inditur, ita & tunc factum videmus. *Bandus* tunc nuncupabatur legio a Bando, hoc eſt Vexillo, quod poſtea a Germanis apE pellatum fuit *Fano, Standardum, Guntfanonum*, Italice *Confalono, Confalone, Gonfalone*, & ab Oſtienſi *Inſigne*, unde uſitata vox *Inſegna*, uti & *Pennone* Gallicâ & Anglicâ voce. Audi Paullum Diaconum de Geſt. Langobardor. Lib. prim. Cap. 20. *Tato Rodulfi Vexillum, quod Bandum appel-*

appellant, troſsos gaitam, quam in bello geſſe-rat conſpexerat, abſtulit. Hinc nata Italica vox *Bandiera*; & *Banda* etiam appellata a noſtris ſunt agmina militum. Et ſane quidem antiquitus commendatum fuit vocabulum *Bandus* pro Vexillo. Procopius enim Lib. 2. Cap. 2. Vandal. commemorat *[illegible]*, *Vexillum*, *quod Romani Bandum appellant*. Ut propterea aſſentiri non poſſim doctiſſimo Du-Cangio, vocem hanc arceſſenti a *Banno*; quod nomen longe ſerius Italia in uſu habere cœpit. Neque certa Salmaſii ſententia deducentis hanc vocem e Latino *Pannum*. Ceterum alia vocabula Vexilla militaria barbarici ævi, e diverſa eorum figura, donata ſunt, eaque nomina occurrunt etiam in Italica Hiſtoria, nempe, ut dixi, *Confaloni*, *Inſegne*, *Pennoni*, *Pennoncelli*, *Stendardi* &c. Interea conſtat, olim quoque exercitum ordinatum fuiſſe in *Acies*, in *Sciras* (unde noſtrum *Schiera* manavit) in *Cuneos*, in *Cohortes*, aliaſque minutiores portiones peditum & equitum ſub ſuis ductoribus. Proinde Rotharis Rex in Lege 6. Langobardor. Part II. Tomi II. Rer. Italicar. editam hoc promulgavit: *Si quis foris in exercitu ſeditionem levaverit contra Ducem ſuum*, *aut contra eum*, *qui ordinatus eſt a Rege ad exercitum gubernandum*, *animæ ſuæ incurrat periculum*. Ejuſdem quoque Regis Leges 20. & 21. cum ſequentibus prodant, in quibus militarium Ducum mentio habetur. Hi Duces poſtea appellati *Capitanei*, voce deducta non a *Catapanis* Græcorum in Italia Præfectis, ſed quod *capita* militarium copiarum eſſent. Hæc autem in antiquis Francorum Annalibus, aliiſque medii ævi monumentis occurrit. Perantiqua vox eſt *Cataneus*, quæ tamen idem ſignificat, & eſt breviatio vocis *Capitaneus*. Neque enim ulla mihi dubitatio eſt, quin temporibus iis unuſquiſque Regum ac Principum certas & conſtantes aliquot militum turmas ſemper aleret, quibus aut ſtipendia numerarentur, aut annona ſufficiens conferretur, ut non ſolùm Prætorianos haberent, ad ſui corporis ac Palatii tutelam conſtitutos, ſed etiam excubias in Arcibus, & præſidia ad quemcumque belli aut ſeditionis motum expedita & promta. Ceterum, quod accurate nobis animadvertendum eſt, quoties contra hoſtes bellum inſtabat, tunc mos fuit, univerſum pæne Populum ad arma excitare. Hoc autem appellabant, *in Exercitum*, vel *Hoſtem bannire*. *Hoſtis* quippe idem olim fuit, atque *exercitus*, quòd exercitus ipſe cogeretur, ut in Hoſtes procederet. Quàm rigide hoc ageretur, prodit nobis altera Lex Langobardica, quæ auctorem habet Liutprandum Regem. Is ergo Lib. 6. Lege 29. nullum hominem militiæ deſtinatum, *quando in exercitum ambulare neceſſe fuerit*, immunem ab expeditione facit. Excipit tantummodo ſex homines *unum caballum habentes*, quorum tamen equos jubet uſui futuros *Judicibus*, hoc eſt Comitibus, *ad ſaumas ſuas*. *De minoribus etiam hominibus*, *qui nec caſas nec terras habent*, *decem* excipit, qui Judici *faciant per hebdomadam unam tres operas*, *uſque dum ipſe Judex de exercitu revertatur*. *Scultaſiis*, ideſt minoribus Judicibus, dimittuntur tres homines, equum habentes, & quinque de minoribus. *Saltariis* accipere ſibi unum equum licebat, & unum *de hominibus minimis*. Pauci iſti homines excepti, uti videtur, domi ſinebantur eſſe, dum reliqui militarent. Hoc tamen pro certo non ſtatuo: neque enim ſatis conſtat, quis illius Legis ſit

A ſenſus. Quod ſi opineris, ipſos in exercitum proceſſiſſe, certe perrexerint, non ut militarent, ſed ut ſarcinas Comitis, aut Sculdaſcii, aut Saltarii ſuis equis veherent, eiſque famularentur, dum ab expeditione reverterentur. Illud extra controverſiam eſt, ſi plures quàm ſupra excepti ex iis, *qui ad exercitum ambulare debent*, quiſquam dimiſiſſet *ſine Regis permiſſu aut juſſione*, *guidrigild ſuum* in ſacro Palatio componere cogebatur.

Heic autem ſciſcitetur quiſquam, num revera quiſquis aptus fuit ad arma ferenda, conſcribebatur Miles, & ad exercitum proficiſci cogebatur? Neque enim, inquies, prudentis Regis fuiſſet, Urbes & Caſtella præſidio ac de-

B fenſore quocumque exhaurire: atque impietatem redoluiſſet, miſeras mulieres pæne univerſas ac infantes, viris ſuis privatas, in incommoda intoleranda conjicere. Præterquamquod agrorum cultura & me[illegible]s, ubique peſſum iiſſet. Ad hæc tot viros ad militiam idoneos vel tunc Italia nutriebat, ut quoslibet adigere voluiſſe ad arma capienda, immanem nimis copiarum numerum reddidiſſet, unde plerumque plus detrimenti quàm utilitatis effluere conſuevit. Hæc & ego ante oculos habeo, quæ me a credendo avertunt, quando aliqua oboriebatur belli neceſſitas, accitam fuiſſe ad exercitum univerſam gentem. Et quamquam multa ignoremus, excogitare tamen licet, Langobardos

C Reges adhibuiſſe in delectu militum moderationem, qualem exigebat prudens Populorum regimen. Neque diſſimilis fortaſſe ab illa fuerit, quam nobis exhibet *Conſtitutio promotionis exercitus* Beneventum versùs, facta a Ludovico II. Imperatore circiter Annum DCCCLXVI. Hanc non ſine mendis quibuſdam edidit Peregrinius, & recuſam habes Part II. Tomi I. Rer. Italicar. pag. 264. Ibi *quicumque de mobilibus* Widrigild *ſuum habere poteſt*, *pergere in hoſte* jubetur. Ideſt, ut conjicio, cui tantum eſt fortunarum mobilium, ut pœnam inobedientiæ perſolvere poſſit, is ad exercitum pergat. *Qui verò medium* Widrigild *habet*, *duo juncti in unum qualitatem inſtruant*, *ut bene*

D *ire poſſint*. *Pauperes verò perſonæ ad cuſtodiam maritimam*, *vel patriæ pergant*, *ſi pluſquam decem Solidos habet de mobilibus*. Quibus ex verbis exceptionem primam habemus; pauperes enim ad cuſtodiam patriæ dimittebantur. Sequitur altera: *Qui non plus quàm decem Solidos habet de mobilibus*, *nil ei requiratur*. Accedit tertia: *Si pater unum filium habuerit*, *& ipſe filius utilior patre eſt*, *inſtructus a patre pergat*. *Nam ſi pater utilior eſt*, *ipſe pergat*. Neque heic conſiſtit moderatio generalis præcepti; Quarta enim exceptio ſubſequitur his verbis: *Qui duos filiòs habuerit*, *quicumque ex eis utilior fuerit*, *ipſe pergat*; *alius autem cum patre remaneat*. *Quod ſi plures filios habuerit*, *utilio-*

E *res omnes pergant*; *tantùm unus remaneat*, *qui inutilior fuerit*. *De fratribus indiviſis*, *ſi duo fuerint*, *ambo pergant*. *Si tres fuerint*, *unus*, *qui inutilior apparuerit*, *remaneat*. *Ceteri pergant*. *Si plures quoque omnes utiliores apparuerint*, *pergant*: *unus inutilior remaneat*. En ergo quot ab expeditione ſuſcipienda immunes olim forent. Addit Imperator, nulli excuſationi locum ſuperfuturum, niſi quod *Comes in unoquoque Comitatu unum relinquat*, *qui eumdem locum cuſtodiat*, *&* *duos cum uxore ſua*. Epiſcopis quoque præcipiebatur, ne *ullum Laicum*, hoc eſt, ullum Vaſſallum ſuum, ab exercitu eximerent. Præter viros hactenus recenſitos,

tos, quibus licebat a militari expeditione vacare, monendus eſt Lector, *Servos* quoque ab eo onere exceptos fuiſſe. Uti in Diſſertatione XIV. *de Servis* animadverti, honoris loco habebatur poſſe nomen dare militiæ. Itaque excludebantur ab ejuſmodi honore, quamquam multis ingrato, Servi, nempe vile hominum genus, atque ad illum Liberi tantùm homines admittebantur. Abhorruerunt ipſi quoque Romani & Græci olim ab adhibendo Servorum præſidio in bellis, ne gentem abjectam ſibi parem facerent, eorumque enormis numerus, animis grandibus conceptis, in ſeditionem aliquando erumperet, aut ad hoſtes recuperandæ libertatis cauſsâ facile deficeret. Bellum Servile Romanorum jam Eruditi norunt. Sed & Sarmatæ (nunc *Polacchi*) circiter Annum Chriſti CCCXXXIV. Idatio teſte in Faſtis, & Euſebio in Chronico, quum a Scythis (nunc *Tartari*) bello graviſſimo vexarentur, Servis ſuis arma dedere. Scythis profligatis, Servi in Dominos arma vertentes, eos e ſedibus ſuis deturbarunt, ita ut trecenta fere millia Sarmatarum miſtæ ætatis & ſexus profuga apud Conſtantinum Magnum ſeſe receperint, qui eos per Thraciam, Macedoniam, atque Italiam diviſit. Simile facinus de Servis Scythis habes apud Juſtinum. Quare fas certe fuit dominis ad famulitium vel in bello uti Servis ſuis: at nefas erat eos milites conſcribere atque habere. Ac proinde conſuevere Liberi homines, pleroſque ex illis domi dimittere, tum ad culturam agrorum, tum ad familiæ ſuæ commodum ac tutamentum, dum ipſi e militia regrederentur. Quod ſi neceſſitas ſuaſit, ut arma Servis traderentur ad militandum, & ad exercitum deducerentur, Libertate antea donabantur. Id Romanos difficillimis temporibus præſtitiſſe novimus. Sed & idem Langobardos egiſſe, auctor eſt Paullus Warnefridi de Geſt. Langobardor. Lib. prim. Cap. 13. de iis ſcribens: *Ut bellatorum poſſint ampliare numerum, plures a ſervili jugo ereptos ad Libertatis ſtatum perducunt*. Hoc autem Langobardi egerunt, quippe hominum genus ultra quàm credimus decoris avidum, ac nobilitatis ſuæ acerrimi cuſtodes. At Wiſigothi, ſub quorum jugo Hiſpania olim, & Galliarum pars gemebant, minus delicatos ſeſe hac in re præſtitere. In eorum Legibus Lib. 9. Tit. 2. l. 9. hæc habentur: *Nunc verò quia de generali omnium progreſſione prædiximus, reſtat ut de progreſſorum virtute vel copiis inſtitute ponamus. Et ideo id decreto ſpeciali decernimus, ut quiſquis ille eſt, ſive ſit Dux, ſive Comes, atque Gardingus, ſeu ſit Gothus, ſive Romanus, necnon ingenuus quiſque, vel etiam manumiſſus, ſeu etiam quilibet e Servis Fiſcalibus, quiſquis horum eſt in exercitum progreſſurus, decimam partem Servorum ſuorum ſecum in expeditionem bellicam ducturus accedat: ita ut hæc ipſa pars decima Servorum non in armis exiſtat, ſed vario armorumgenere inſtructa appareat. Sic quoque ut unuſquiſque de his, quos ſecum in exercitum duxerit, partem aliquam Zavis* (Giacco nos appellamus thoracem e maculis ſeu catenulis ferreis contextum. *Zaba* pro *Loricæ* ſpecie occurrit etiam apud Græcos) *vel Loricis munitam, pleroſque verè ſcutis, ſpatis, ſcramis*, (ſpathis nempe latioribus) *lanceis, ſagittiſque inſtructos, quoſdam etiam fundarum inſtrumentis, vel ceteris armis, quæ noviter forſan unuſquiſque a Seniore vel Domino ſuo injuncta habuerit, Principi, Duci, vel Comiti ſuo præſentare ſtudeat*. Pro *non in armis exiſtat*, lego *non inermis exiſtat*: id enim poſcunt, quæ ſequuntur.

An verò Franci quoque Servis in bello uterentur (quod ex hac lege doctiſſimus Pater Daniel e Societate Jeſu Lib. prim. de Militia Francor. deduci poſſe opinatur) equidem dubitare adhuc pergam, dum luculentior auctoritas accedat. Certe apud Baluzium Tom. prim. pag. 489. Capitularium Reg. Francor. legitur Conſtitutio Caroli Magni *ad exercitum promovendum*, atque ibi edicitur, quinam profecturi ſint; nempe, qui *proprium habent*; *& caſati Comitum*, ideſt domeſtici Comitum, liberi homines, *& homines*, hoc eſt, Vaſſi, *Regis, Epiſcoporum & Abbatum, qui vel Beneficia, vel propria habent*. Nullum ibi verbum de Servis. Neque Ludovicus Pius de aliis quàm de *Liberis hominibus* ad militiam aptis inquirendum juſſit Anno Chriſti DCCCXXIX. Tomo I. pag. 672. Capitularium: *Jubemus*, inquit, *ut Miſſi noſtri diligenter inquirant, quanti Liberi homines in ſingulis Comitatibus maneant, ut veraciter illos deſcribant, qui in exercitalem ire poſſunt expeditionem*. Repetitum id videas in Capitulari Caroli Calvi Anno DCCCLXIV. Tomo II. pag. 187. Capitular. Guilielmus quoque I. Angliæ Rex, Sæculo Chriſti XI. in ſuis Legibus Cap. 65. de manumiſſione Servi agens, ait: *Tradidit illi arma libera, ſcilicet lanceam & gladium*: quibus verbis ſatis ſignificat, non licuiſſe antea Servo iis uti armis. Nullus autem dubito, quin aliquis interdum e Servis in militiam olim furtim irreperit: ſed reclamantibus dominis ad ſervitium retrahebantur. In Bulla Paſchalis I. Papæ pro Archiepiſcopo Ravennate, Tomo II. pag. 220. Rer. Italicar. legitur *Colonos, aut Partiarios, & Servos ſubjacentes parti ſanctæ veſtræ Eccleſiæ, ad militandum ſubtrahere non liceat. Sed ſi militati fuerint, eos diſcingi, & diſmilitari jubemus*. Denique a ſæcularis militiæ onere liberi olim fuere, qui in ſortem Domini vocati militiam Eccleſiaſticam profitebantur. Nihilominus vetuſtis Sæculis, potiſſimùm Carolo Magno regnante, in hanc diſciplinæ Eccleſiaſticæ partem corruptela non modica irrepſit. Erant enim Epiſcopi & Clerici, qui arma induere & proſilire in exercitum religioni ſibi minime ducebant: immo illuc ab ipſis Regibus impellebantur, quod jam multis Regalibus fruerentur, & ad Vaſſallorum onera crederentur obſtricti. Vide infra Diſſertationem LXX. *de Cleri immunitate*. Piſtorienſem Chartam vidi Anno DCCCXII. ſcriptam, in qua Ildepertus Abbas ſæpe cogebatur *ire in hoſte*, ideſt *andare alla guerra*. Uti jam oſtendit clariſs. Thomaſſinus Part. 3. Lib. prim. Cap. 40. de Beneficiis, multis Legibus & Canonibus itum eſt obviam perverſæ huic conſuetudini. Digna eſt, quæ legatur in Tomo 8. Concilior. Labbei pag. 1162. ſupplicatio Populi ad Carolum Magnum, *ne Epiſcopi deinceps, ſicut hactenus, vexentur hoſtibus; ſed quando nos in hoſtem pergimus, ipſi propriis reſideant in Parochiis*. Pone ſequitur illic decretum ejuſdem Caroli, qui præſertim *Apoſtolicæ Sedis hortatu*, eximit Sacerdotes quoſvis ab onere pergendi in hoſtem, inter cetera ſcribens: *Hæc vero Galliarum, Spaniarum, Langobardorum, nonnullaſque alias gentes, & Reges earum feciſſe cognovimus, qui propter prædictum nefandiſſimum ſcelus nec victores exſtiterunt, nec patrias retinuerunt*. Paulini etiam ſanctiſſimi Patriarchæ Aquilejenſis Epiſtola,

ſtola, ad eumdem Carolum Magnum data legitur Lib. 7 Miſcellaneor. Baluzii, in qua eum rogant, ut liceat *Domini Sacerdotibus militare in* [illegible] *Domini*, ac ingentia incommoda & ſcandala recenſet, quibus obnoxius erat Clerus ad militiam coactus. Sed non eo ſucceſſu, quem boni & pii optaſſent, [illegible]. Nam ſub Ludovico Pio, ejuſque filiis ac nepotibus iterum [illegible]. Ermoldus Nigellus Anianenſis Abbas Lib. 4. de Reb. geſt. Ludovici Pii, Part. II Tom. II. Rer. Italicar. pag. 184. bellum narrat ſuſceptum contra Populum minoris Britanniæ, ſeque illi interfuiſſe, & amice a Pippino Rege ſe irriſum teſtatur:

Hic removet ſcutum humeris, enſemque revinctum
Cingit: ſed nemo me feriente dolet.

Pippin, hoc aſpiciens, riſit, miratur, & infit:
Cede armis, Frater. Litteram amato magis.

Repetamus nunc Ludovici II Conſtitutionem prælaudatam de promovendo exercitu ad partes Beneventi. Ibi Abbates & Abbatiſſæ jubentur dumtaxat *pleniſſime homines ſuos dirigere*, hoc eſt Vaſſallos ſuos. Ad Epiſcopos quod attinet, niſi manifeſta ægritudine prohiberentur, ad militiam & ipſi advocabantur: *Si Epiſcopus* (ſunt ejus verba) *abſque manifeſta infirmitate remanſerit, pro tali negligentia ita emendetur* &c. Subſequenti quoque Sæculo deprehenditur Otto Magnus Auguſtus ipſos compuliſſe ſacros Antiſtites ad bellicam expeditionem, quoties neceſſitas poſcebat. Cujus rei teſtem habeo Diploma Wormatienſi Epiſcopo Hannoni ab ipſo conceſſum, in quo hæc verba leguntur: *Nec ab hominibus ipſius Eccleſiæ hoſtilis expeditio requiratur, niſi quando neceſſitas utilitati Regum fuerit, ſimul cum ſuo Epiſcopo pergant*. Diploma iſtud, quandoquidem neſcio, an æreis typis hactenus commendatum fuerit, nunc integrum depromere ſtatui.

Privilegium immunitatis Epiſcopo Wormatienſi Hannoni conceſſum ab Uttone I. Magno Auguſto, Anno 965.

IN nomine Sancte & individue Trinitatis. Otto divina favente clementia Imperator Auguſtus. Dignum igitur cenſemus, ut quoniam exaltatio Eccleſiarum ſalus Regum vel Imperatorum & ſtabilitas creditur eſſe Regnorum, ſublimitas Imperialis in eo, quod eſt ſui officii, ſtudere non recuſet; quin potius decreta anteceſſorum ſuorum Regum videlicet aut Imperatorum eiſdem Dei & Eccleſiis divini cultus amore conceſſa, ſua etiam auctoritate roboret & confirmet. Unde notum eſſe volumus omnium fidelium noſtrorum tam preſentium quam futurorum induſtrie, qualiter vir venerabilis Hanno *Sancte* Wormatienſis, vel Wangionenſis Eccleſie Epiſcopus *noſtram adiit ſublimitatem, ferens ſecum Carthas ſeu Precepta Regum vel Imperatorum Chriſtianiſſimorum, videlicet anteceſſorum noſtrorum, in quibus continebatur, ipſam Sedem cum Eccleſiis, Cellulis, Feminis, ac Villis, vel rebus omnibus illuc aſpicientibus pleniſſima defenſione & emunitatis eorum tuitione ſemper fuiſſe munitam. Procuravitque, ut nos ob ſpem divine remunerationis ſimilia concederemus, & confirmationem noſtre auctoritatis impertiremus. Nos verò divino tactis amore pro ſtatu & incolumitate Regni vel Imperii noſtri, pro ſanitate etiam noſtra, dilecteque* conjugis noſtre Adelheadis, filiique noſtri *kariſſimi* Ottonis, *pie illius petitioni aſſenſum prebuimus & in omnibus, ſicut petiit, obtinuimus. Ita ſane, ut* W*angionenſis Sedes vel Eccleſia ſub perpetua Regie vel Imperatores emunitatis defenſione cum Eccleſiis in* L*obotemburg, vel* W*impina conſtructis conſiſtat: nulluſque Judex publicus, vel quislibet ex Judiciaria poteſtate, vel aliquis ex noſtris ſancteque Dei Eccleſie fidelibus, preſentibus ſcilicet & futuris, in Eccleſias vel* P*arochias, Cellas aut loca vel agros, ſeu reliquas poſſeſſiones predicte Sedis, vel Eccleſie* W*angionenſis in honore Sanctorum Apoſtolorum* P*etri & Pauli conſtructe, quas hactenus juſte & rationabiliter poſſediſſe. viſa eſt in quibuslibet pagis vel territoriis ſitas. vel quidquid ibidem tam a nobis quàm ab anteceſſoribus noſtris, ſeu ceteris fidelibus quoquo modo propter amorem divinum collatum eſt, vel que deinceps in jus ipſius Eccleſiæ ſuperna pietas addere vel amplificare voluerit, ad cauſas audiendas, vel Freda, ſeu Thelonia exigenda, aut Manſiones vel Paratas faciendas, aut Fidejuſſores tollendos, aut ullas redibitiones illicitas requirendas, aut ad homines ipſius Eccleſie tam ingenuos quam & Servos diſtringendos, ingredi audeat, vel quid exigere ullo tempore preſumat.* Nec ab hominibus ipſius Eccleſie hoſtilis Expeditio requiratur, niſi quando neceſſitas utilitati Regum fuerit, ſimul cum ſuo Epiſcopo pergant. *Quidquid autem de rebus prefate Eccleſie Fiſcus ſperare poteſt, totum nos pro noſtre mercedis incremento predicte Eccleſie concedimus, ut pro omnibus temporibus in perpetuos uſus ipſius Eccleſie, Deoque ibi famulantium proficiat; quatenus pro noſtra, dilecteque Conjugis noſtre, noſtreque prolis ſalute, vel pro ſtabilitate Regni vel Imperii noſtri illos jugiter exorare delectet. Et ut hec emunitatis noſtre confirmatio rata & probabilis exiſtat, volumus & firmiter jubemus, & anteceſſorum noſtrorum decreta ſive ſtatuta ſuper ejuſdem Eccleſie rebus noſtra auctoritate probamus, roboramus, & confirmamus. Et ut hoc authoritatis noſtre Preceptum firmum ac ſtabile permaneat, Cartam hanc conſcribi, & anuli noſtri impreſſione inſigniri juſſimus, quam & manu propria ſubtus firmavimus.*

Ludolfus Cancellarius ad vicem W*ilhelmi Archicancellarii recognovit.*

Data V. Kalendas Decembris, Anno Dominice Incarnationis DCCCCLXV. Indictione IX. Anno Regni Domni Ottonis XXXI. Imperii verò IV.

Actum in W*alahuſon, in Dei nomine feliciter. Amen.*

Immo quum duo alia antiquiora Diplomata ad eamdem Wangionum, ſive Wormatiæ Eccleſiam & Urbem ſpectantia præſto mihi ſint, ea quoque proferre mihi liceat in Eruditorum commodum, ſi fortè nondum evulgata fuere.

Pri-

Privilegium Ludovici I. Regis Germaniæ conceſſum Samueli Epiſcopo Wormatienſi, Anno 856.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Ludovicus divina providente clementia Rex. Si petitiones Sacerdotum Dei ad noſtram notitiam de neceſſitatibus Eccleſiarum ſibi commiſſarum . . . . . ad effectum perducimus, hoc nobis incunctanter & ad temporalis Regni ſtatum, & ad eterne beatitudinis incrementa profuturum concedimus. Idcirco omnium Dei noſtrorum fidelium preſentium videlicet & futurorum noverit magnitudo, quia vir venerabilis Samuel Wangionum Urbis Epiſcopus *excellentiam noſtram adiens, querula voce retulit, quod Regie Poteſtatis Procuratores & Exactores atque Comites frequens incommodum ſibi fecerint in rebus & locis ad* Wimpinam *reſpicientibus. Nos igitur divino tacti amore pro eterne mercedis aucmentatione, noſtrique Regni ſtabilitate, ad Baſilicam Sancti Petri Principis Apoſtolorum, que in* Wangionum *Urbe conſtructa eſt, per petitionem ejuſdem prefati Samuelis Epiſcopi, ſub integra emunitatis tuitione donavimus atque conceſſimus: ut nullus noſtrûm, aut ſucceſſorum noſtrorum, Comes, aut aliquis publicus Judex in rebus aut locis ad* Wimpinam *aſpicientibus, que certis nominibus & ſignis ſubnotantur, nec ad cauſas audiendo, nec homines ipſius Eccleſie tam ingenuos quàm ſervientes diſtringendo, Placitum vel aliquod incommodum audeat facere, ſive aliquam deinceps poteſtatem in eiſdem locis & rebus, niſi ad partem & utilitatem prefate Eccleſie habeat. Sed ipſe Pontifex Samuel & ſucceſſores ſui habeant conceſſum atque indultum quieto ordine poſſidere atque dominari, quod partibus Fiſci noſtri ſive conſuetudo fuerit retinendi. Que emunitas in eo loco incipit, ubi ille Fons in fluvium Neobar labitur, qui defluit de Villa Iſenesheim: & ſic ſurſum tendit uſque ad ortum ejuſdem Fontis; & ex ipſo Fonte tendit deorſum Kienbach; & de Kien-* A *bach pergit per unam vallem uſque per mediam Villam Biberaha; & de Biberaſſi pergit per unam vallem uſque ad Quercum, que ſita eſt ad Villam Eichuſa; & de Eichuſa tendit excelſam plateam uſque ad Duos Tumulos; & de Tumulis tendit omnem viam uſque ad Hirchbach; & de Hirchbach pergit deorſum in Villam Grunbach; & de Grunbach tendit deorſum uſque ad flumen Dungberges; & de Dungberges uſque ad Caminum Calcis; & de Camino uſque ad Villam Offenſegal; & de Offenſegal uſque ad Medelwiſa & de Medelwiſa ad Rudelacheſſedach: & de Rudelacheſſedach uſque ad illum locum, ubi Michelnbach cadit Swartzha; & de Swartzha ſurſum in Helmſtat; & de Helmſtat ſurſum uſque Wol-* B *lenberge; & de Wollenberge ad Mulenbach; & de Mulenbach in medium fundum Necharis; & omnem fluvium Necharis uſque ad Fontem, qui fluit per Iſeneſpei in Yechera. Eandem poteſtatem prefate Eccleſie conceſſimus in Villis ex utraque parte Necharis, que aut per totum, aut ex maxima parte ad* Wimpinam *pertinet. Similiter in predictis Villis, ubi quatuor, vel tres, ſive duas Hobas habeat, nihil Regie poteſtatis Exactor aut Comes vel Judex retineat, ſed totum ad manus Epiſcopi, ejuſque Advocati reſpiciat. Et ut hec emunitatis tuitio firma, ſtabiliſque ſub perpetua defenſione permaneat, manu noſtra ſubſcriptam communibus * ſubditis illam decrevimus roborare, noſtrique anuli im-* C *preſſione juſſum eſt ſigillare.*

Hadebertus Subdiaconus ad vicem Baldrici Abbatis recognovit.

Data XIII. Kalendas Septembris Anno XXIV. Regni Ludovici ſereniſſimi Regis in Orientali Francia regnantis, Indictione IV.

Actum Frankenfort, Palatio Regis, in Dei nomine feliciter. Amen.

Confirmatio Privilegii immunitatis conceſſum Epiſcopo & Eccleſiæ Wormatienſi ab Arnulfo Imperatore, Anno 897.

IN nomine. Sancte & individue Trinitatis. Arnolfus divina favente clementia Imperator Auguſtus. Si loca divino cultui mancipata, noſtre poteſtatis benivolentia defenderimus, hoc nobis ad eterne beatitudinis premia capeſſenda profuturum eſſe credimus. Quapropter noverit omnium fidelium noſtrorum induſtria, quia vir venerabilis Diedeloch *ſancte* Wormatienſis Eccleſie Epiſcopus *celſitudinem noſtram adiit, ſupplicans & petens, ut res & emunitates, quas anteceſſor noſter Ludovicus Rex & Imperator, Eccleſie ſibi commiſſe tradidit atque conceſſit, noſtra Imperiali auctoritate defenderemus atque confirmaremus. Nos vero petitionibus ejus pro Dei amore aſſenſum prebentes, hoc noſtre auctoritatis Preceptum eidem Eccleſie fieri decrevimus, per quod donationem emunitatis rerum atque locorum Sancti Petri ad* Wimpinam *aſpicientium, noſtra Imperiali ſubſcriptione noviter confirmamus. Firmiterque interdicimus, ut nullus publicus Judex, vel aliqua quelibet perſona eundem Epiſcopum Diedeloch aut ſucceſſores ejus in ſupradictis locis inquietare aut Placitum facere* D *aut familiam ipſius Eccleſie diſtringere, vel ullam regii juris exactionem de Colonis, Liberis, ſeu Servis poſthac preſumat repetere. Quin potius, ſicut a predeceſſore noſtro traditum eſt atque conceſſum, ita per hanc auctoritatis noſtre preceptionem in perpetua tuitione ſit ſtabilitum. Et ut hec auctoritas noſtre confirmationis per futura tempora inviolabilis permaneat, manu proprii ſubtus eam notavimus, anulique noſtri impreſſione ſignari juſſimus.*

Engilperto Notarius ad vicem Deetmari Archicapellani recognovit.

Data VII. Kalendas Auguſti, Anno Dominice Incarnationis DCCCXCVII. Indictione XV. Anno V. Regni Arnolfi Regis, Imperii ejus II.

E *Actum Frankenfort, in Curte Regis, in Dei nomine feliciter. Amen.*

Sæculo autem Decimo Reges contendiſſe, ut non Laici tantùm ad arma apti, atque in Caſtellis ac Terris Epiſcoporum habitantes, ducente eos Epiſcopo, ſed & Clerici univerſi militiam belli, urgente neceſſitate, ſuſtinerent, nos edocebit Ratherius Veronenſis Epiſcopus

apud Dacherium in Spicilegio. *Ecce ipſi*, inquit, *eumdem quem Imperiali præcepto urgeremur, Gardam obſidere Caſtrum, & Epiſcopi ac Clerici illius Provinciæ, non quidem religionis amore, ſed laboris obtenderent odio, ſui hoc Ordinis minime fore, petulanti, ut ſæpe, reſpondi ſermone: Ut non permittunt Canones Clericos pugnare, ſic nec Sabbato*. Ipſe autem Ratherius alibi auctor eſt, Clericos armis & militiæ operam ſua ætate dediſſe: quod tamen ipſe rurſus improbat. Poſt Annum quoque a Chriſto nato Milleſimum quot Epiſcopi & Clerici, quamquam repugnantibus ſacris Canonibus, militiæ nomen dederint, & armis contecti ad prœlia deſcenderint, Hiſtoria paſſim enarrat. Inde querelæ Gaudonis Abbatis Clarevallenſis apud Baluzium Tom. 2. Miſcellaneorum. *Olim*, inquit, *non habebant Caſtella & Arces Eccleſiæ Cathedrales: non incedebant Pontifices loricati. Sed nunc propter abundantiam temporalium rerum, flammis, ferro, cæde, poſſeſſiones Eccleſiarum Prælati defendunt, quas deberent pauperibus erogare*. Sed ego progredi ſatius duco. Si quis ad exercitum accitus, accedere recuſabat, graviſſima ab eo multa exigebatur. En Caroli Magni Edictum in Lege 35 Langobard. *Quicumque liber homo in hoſtem bannitus fuerit* (idest monitus, ut ad exercitum veniat) *& venire contempſerit, plenum Heribannum componat ſecundum Legem Francorum: ideſt ſexaginta Solidos ſolvat*. Qui ad tantum æris perſolvendum impotens erat, in morem Servi tamdiu Principi famulari cogebatur, dum impoſitæ multæ ſatisfaceret. Iterum audi Legem Caroli: *Quod ſi non habuerit, unde illam ſolvat ſummam* (ideſt pecuniam in promtu) *ſemetipſum per wadiam in ſervitio Principis tradat, donec per tempora ipſe bannus ab ipſo fiat perſolutus*. Dura hæc pœna fortaſſe videatur: neque eam componere facile queas cum altera ejuſdem Auguſti Lege, nempe 23. inter Langobardicas, niſi hanc ſtatuas præcedenti poſteriorem, ut aliqua moderatio rigoris foret erga pauperes, neque ab omnibus indiſcriminatim ſexaginta Solidi exigerentur. *De Heribanno*, ait ille, *volumus, ut Miſſi noſtri hoc anno exactare fideliter debeant; ideſt de homine habente ſex Libras in auro, & argento, bruneis, æramento, pannis, caballis, bobus, vaccis, aut peculiis, recipiant legitimum Heribannum, ideſt Libras tres, ita ut uxores aut infantes non fiant exſpoliati pro hac re de eorum veſtimentis*. Doctiſſimus Du-Cangius in Gloſſar. Latin. cenſet *legitimum Heribannum* fuiſſe illud, quod non plenarie exigebatur, ſed pro modo facultatum. Mihi contra videtur, idem fuiſſe atque *plenum Heribannum* ſupra memoratum. Tres enim Libræ conficiebant ſexaginta Solidos. Pergit dicere Carolus Auguſtus: *Qui verò non habuerit amplius in ſupraſcripto pretio valente, niſi Libras tres, Solidi triginta ab eo exigantur, ideſt Libra una & dimidia. Qui autem non habuerit amplius niſi Libras duas, Solidi decem. Si verò unam Libram, Solidi quinque*. Alias autem pœnas adjecit Ludovicus II. Imperator in ſupralaudata *Conſtitutione promotionis exercitus*. Nam Allodia inobedientibus, Vaſſallis Beneficia, Miſſis, & Comitibus aliquem immeritò prætermittentibus, Dignitates ſive Honores, auferenda decrevit. Quod etiam ſupra modum grave nunc videatur, addit idem Auguſtus: *Ut omnes omnem hoſtilem apparatum ſecum deferant* &c. *Veſtimenta autem habeant ad annum unum: victualia verò quouſque novum fructum ipſa patria habere poterit*. Si hæc revera indicant, uti indicare videntur, homines illos non operam tantùm ſuam adhibituros, vitamque pro Principe in bello expoſituros fuiſſe, ſed etiam coactos ſibi e proprio marſupio apparatum hoſtilem & victum parare: id ajo intolerandi oneris ſpeciem refert. Atque hoc ſane Francis præcipue in uſu fuiſſe videtur. Nam Carolus Magnus in Capitulari Lib. 3. Cap. 74. conſtituit, *ut ſecundùm conſuetudinem præparatio ad hoſtem faciendam indicetur & obſervetur: ideſt victualia de Marcha* (hoc eſt, provincia) *ad tres menſes, & arma atque veſtimenta ad dimidium annum*. Quum verò milites cœpiſſent indiſcriminatim annonam a provincialibus exigere, Ludovicus Pius, tunc tantummodo Rex (ut eſt in ejus Vita ab Aſtronomo, ut appellari ſolet, conſcripta ad Annum Chriſti DCCXCVI.) *inhibuit, a plebejis ulterius annonas militares, quas vulgo Foderum vocant, dari. Et licèt hoc viri militares ægre tulerint, tamen ille vir miſericordiæ, conſiderans & præbentium penuriam, & exigentium crudelitatem, ſatius judicavit de ſuo ſubminiſtrare ſuis, quàm ſic permittendo copiam rei frumentariæ, ſuos irretiri periculis*. Infra addit, Carolo Magno ejus patri adhuc regnanti tam grata & probata iſta fuiſſe, *ut hac imitatione ſtipendiariam in Francia interdiceret annonam militarem dari*. Nomine *Foderi* in loco ſupra memorato opinatur Du-Cangius deſignari tantummodo pabulum equorum, hoc eſt, paleam atque ſtramentum. Sed latiùs excurrere vocabulum illud videtur, quum *rei frumentariæ* mentio fiat. Ita quoque ſubſequutis Sæculis, quibus uſitatior fuit *Foderi*, vel *Fodri* vox, per eam victualia militibus danda ſignificabantur. Neque reticendum, capitis etiam ſupplicium indictum fuiſſe a Lothario I. Auguſto Lege 71. inter Langobardicas, cuicumque *libero homini*, qui monitus a Comite aut Miniſtris ejus, *ad patriam defendendam ire neglexerit*, quotieſcumque hoſtilis exercitus *ad iſtius Regni vaſtationem, vel ad contrarietatem fidelium noſtrorum ſupervenerit*. At in altera Lege ejuſdem Lotharii, quam edidi Part. II. Tomi I. Rer. Italicar. pag. 153. mitior pœna ſtatuitur contra eoſdem liberos homines, *qui tantum proprietatis habent, unde hoſtem bene facere poſſint, & juſſi facere nolunt*. Nulla verò iis indicitur multa, *qui propter nimiam paupertatem neque per ſe hoſtem facere, neque adjutorium præſtare poſſunt*. Quare videas, illos tantùm ad militandum impelli, qui paupertatis excuſationem adferre non poterant; eiſque etiam licuiſſe alterum pro ſe mittere.

Venio nunc ad munitiones Urbium. Firma atque alta mœnia, e marmore, aut lateribus coctis illas circumcingere mos fuit ipſis quoque antiquiſſimis Sæculis. Adjungebantur etiam Turres, certo ordine ac intervallo mœnibus inſertæ, ut non ſolùm a fronte, ſed a lateribus etiam irruenti cum ſcalis & machinis hoſti obſiſteretur. Foſſa quoque altiſſima ac latiſſima plerumque aut ſemper ducebatur circum Civitates in patentibus campis conſtitutas. An hæc olim raro aut ſæpe inundaretur aquis, diſputare in præſentia nolo. Vegetius hac de re pauca habet. Eamdem rationem muniendi ſuas Urbes & Caſtella ſervavere Sæcula barbarica. In deſcriptione Urbis Mediolanenſis, quam evulgavi Part. II. Tomi II. Rer. Italicar. pag. 689. hæc leguntur, quamquam rudi ſtilo expreſſa, ſatis tamen rem delineantia: *Celſas habet, operta-*

taſque

taſque Turres in circuitu. Duodecim (muri) *latitudo pedibus eſt: immenſumque deorſum eſt quadrata rupibus, perfectaque eriguntur ſurſum. Erga murum pretioſas novem habet Januas, vinclis ferreis, & claves circumſpectas naviter, ante quas cataractarum ſiſtunt propugnacula.* In eodem Tomo pag. 1095. Rhythmica deſcriptio Veronæ occurrit, in qua hæc rurſus habes: *Per quadrum eſt compaginata, murificata firmiter. Quadraginta & octo Turres præfulgent per circuitum: ex quibus octo ſunt excelſæ, quæ eminent omnibus.* Infra quoque *Caſtrum magnum & excelſum* ibi poſitum memoratur, in eo, ut opinor, edito loco ſitum, ubi adhuc viſitur. Pippino Caroli Magni filio tunc Italiæ Rege, Rhythmus ille ſcriptus fuit, hoc eſt, ut in Præfatione conjiciebam, circiter Annum Chriſti DCCXC. At circiter eadem tempora iis munitionibus auctam fuiſſe Civitatem Veronenſem, ex Charta diſcimus, quam Hieronymus della Corte Lib. 4. Hiſtor. Veronenſ. evulgavit, ac deinde Ughellius in Tomum V Italiæ Sacr. intulit. Ut ibi legitur, *tempore Regis Pippini, quum adhuc ipſe puer eſſet, gens Hunnorum, aliàs Avares dicta, Italiam cum exercitu invaſit. Quum de eorum adventu Carolus Rex Francorum certior factus eſſet, Veronam Tunc Majori ex Parte Dirutam reparare ſtuduit, Muroſque & Turres, foſſaſque per Urbis gyrum fecit, adjectiſque palis fixis a ſolo uſque munivit, ibique Pippinum filium reliquit.* Quod tamen mirum, quum in Vita Hadriani I. Papæ apud Anaſtaſium, Adalgiſus Deſiderii Langobardorum Regis filius paucos ante annos Veronam ad ſui tutelam elegerit, *pro eo quod fortiſſima præ omnibus Civitatibus Langobardorum eſſe videretur.* Anno Chriſti DCCXCI. Carolus Magnus vicem rependit Hunnis, in quorum ſinum bello illato, cædibuſque ac flammis eorum regione, hoc eſt, Pannonia vaſtata, immanem prædam inde deduxit. Ergo vides, quo tempore munita a Francis fuerit præclariſſima Veronenſium Civitas, & quodnam munitionum

A genus tunc foret in uſu. Velim in primis animadvertas, tunc uſurpatam fuiſſe, quæ nunc *Palizzata* appellatur. *Palancatum* ejuſmodi munitionem ex palis & tabulis nuncupabant olim Italici: quæ vox Du-Cangio excidiſſe videtur in Gloſſario Latino. In Statutis MStis Mutinenſis Populi ſcriptis Anno MCCCXXVII. hæc habentur: *Quod nullus audeat tollere vel accipere de lignis Butifredorum, vel Palancati, qui ſunt ſuper foveas Civitatis & Circarum Communis Mutinæ.* In altero ſtatuitur, ut *quilibet de Cinquantina teneatur reficere ſuam partem Palancati in ſua porta, & illud cuſtodire.* A Latina voce *Planca* ſignificante *tabulam* ſive *aſſerem*, efformatum eſt *Plancatum*, ac deinde *Palancatum*, niſi malimus e *Palis* vocem iſtam deducere. Et ſane *Stipitibus*, hoc eſt *Palis*, non autem mœnibus circumdata fuiſſe videtur circiter Annum MC. Mantua Civitas apud Donizonem in Vita Mathildis Lib. prim. Cap. 15. Tomo V. Rer. Italicar. pag. 358. Agnello quoque teſte in Vitis Archiepiſcoporum Ravennat. Cap. 2. Vitæ Sancti Petri Senioris, *juxta Ravennam a Longino Præfecto palocopia* (ſive palorum copia) *in modum muri propter metum Langobardorum exſtructa eſt.* Sed quales Urbium munitiones eſſent Sæculo Chriſti IX. luculentius cernere ſi quis cupit, mecum legat nobile Diploma Ludovici II. Imperatoris. Statuerat Angilberga Auguſta illius conjux condere in Urbe Placentina Monaſterium ſacrarum Virginum ſub nomine Sancti Sixti: quod & magnifice præſtitit. Sed poſtea ſublatis inde Sanctimonialibus, circiter Annum MCXII. urgente Comitiſſa Mathildi, traditus eſt ditiſſimus locus Monachis Benedictinis, qui illum adhuc ſervant. Prope mœnia Civitatis elegerat Angilberga locare fundamenta ædificandi Cœnobii: quapropter ab Auguſto conjuge impetravit, ut adnexa etiam muri publici portio in jus cederet ipſius Aſceterii. En ipſum Diploma, cujus authentica duo cuſtodiuntur in Archivo ejuſdem præclariſſimi Monaſterii.

Ludovici II. Imperatoris Diploma, quo Angilbergæ Auguſtæ conjugi ſuæ confirmat commutationes factas pro fundando Monaſterio Monialium Sancti Sixti, eidemque Cœnobio varia Privilegia concedit, Anno 874.

I*N nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Dei æterni. Hludowicus divina ordinante clementia Imperator Auguſtus. Omnibus ſanctæ Dei Eccleſiæ, noſtriſque fidelibus præſentibus atque futuris cognitum fieri volumus, eo quod* Angilberga *dilectiſſima* Conjux noſtra, & conſors Imperii *noſtræ humiliter ſuggeſſit Majeſtati, ſe per divinum auxilium infra muros Placentinæ Urbis in Dei nomine atque amore Monaſterium conſtruere velle. Qua de cauſa ad continuandam amplitudinem loci quaſdam cum Parte Publica de rebus ſuis commutationes feciſſe, quas ſibi petiit noſtra authoritate ſtabiliri. Nos, quia fas aliter non fuit, devotis ipſius precibus aſſenſum dedimus, confirmantes ipſi, & per hanc noſtræ ſublimitatis paginam roborantes non ſolùm illa, quæ in publico commutaſſe probabiliter comprobatur, verùm etiam ea omnia quæcumque cum alio quolibet hucuſque juſte ac legaliter commutavit, aut in antea Deo propitio commutatura erit, ut habeat illa ac retineat quiete ac pacifice, tanquam hæreditario jure ac-*

D *quiſita abſque ulla partis publicæ repetitione, vel cujuslibet hominis contradictione. Super hæc concedimus illi, donamus ac ſtabilimus, ubicumque voluerit, infra ipſam Urbem Placentinam, vel circum publicas ſtratas ad ſui Monaſterii fines dilatandos atque muniendos immutare:* adjungentes ipſi ex noſtro, & in perpetuum largientes omnem muri ipſius Civitatis intrinſecùs & extrinſecùs vallum a fundamentis uſque ad pinnas murorum, quantum protendit a Porta Mediolanenſi uſque ad Poſterulam ſubſequentem: ſed univerſas in circuitu murorum & antemuralium, Turrium quoque, & Portarum, ac Poſterularum macerias: *omneſque petras & cæmenta, quantacumque per eumdem Comitatum* E *Placentinum noſtro juri ex publico inventa fuerint pertinere in cunctis agris & Villis, præter Palatia, & principales Cortes. Pontem verò Nuri, ut ſupra, ad ſupplementum ejus operis perficere volumus, ita ut quantum futuri Monaſterii ſtructura exegerit, libere ac poteſtative de quibus prædiximus auferre liceat, quatenus*

omnimodo per Dei omnium [illegible] deſiderium fuerit Comitis, ad noſtræ ſemel & illius animæ proficiat in æterna Vitæ remedium. Confirmamus inſuper & in ejus poteſtatem dominiumque transfundimus antiquam [illegible] in eadem Comitatu Placentino, quæ, ſi voluerit, in priſtinum ſtatum reformet, aut certe in alterum partem transferat, vel certe novalles inſtituendi ubicumque in publico ſolo voluerit, poteſtatem habeat, & quas dirigere maluerit, ſine [illegible] auctoritate noſtra, omni Partis Publicæ contradictione vel inquietudine funditus remota. Si quis autem hæc noſtra ſtatuta infringere quæſierit, Dei omnipotentis iram incurrat, & inſuper multam, quod eſt pœnam, duodecim auri obrizi Librarum componat, medietatem Cameræ noſtræ, & medietatem ſæpe dictæ Conjugi noſtræ, cui injuriam inferre non timuit. Et ut hæc donationis ac ceſſionis auctoritas majorem in poſterum robur [illegible], manu noſtra monogrammate Auguſtaliter inſignitam ex Bulla noſtra ſubter eam juſſimus adnotari.

Signum manus  *Domini Hludovici ſereniſſimi Imperatoris.*

Locus ✠ *Sigilli.*

Gregorius ex juſſu Imperiali ſcripſi & ſubſcripſi.

Data III. Idus Octobris, Indictione VIII. Anno Imperii Domni Hludovici XXV.

Actum Olonna Curte Imperiali, in Dei nomine feliciter. Amen.

In altero autographo cernitur Sigillum plumbeum pendens, in quo caput Ludovici lauream cum epigraphe in antica parte HLVDOVVICVS IMP. R. & in averſa CL. AVG. DEC. IMP. id eſt *Clariſſimus Auguſtus*, *Decus Imperatorum*, ſive *Imperii*. Sed hæc ſunt plane conferenda cum iis, quæ Petrus Maria Campius in Hiſtoriæ Eccleſ. Placentinæ Tomo primo literis conſignavit. Profert ille ejuſdem Ludovici II. Diploma cum hiſce notis: *Data III. Idus Octobris, Indictione XV. Anno Imperii Domni Hludovici Octavo. Incarnationiſque Domini noſtri Jeſu Chriſti DCCCLII. Actum Placentiæ.* Ibi dicitur Angilberga Auguſta *intra muros Placentinæ Urbis Monaſterium unum ſororum Puellarum conſtruere velle*. Ac propterea idem Campius cum aliis Scriptoribus ad Annum DCCCLII refert illius Monaſterii fundationem. Sed quum Diploma nunc a me editum pertineat ad Annum DCCCLXXIV. ibique Angilberga Auguſta dicatur adhuc *conſtruere velle* idem Aſceterium, & petat ab Auguſto marito muri illius donationem ad ipſum ædificandum, alterum ex hiſce Chartis interpolatam, corruptamque ſuſpicari cogimur. Quamobrem liceat mihi dicere, Diploma Campianum laborare in ſuis notis non uno vitio. A vero quippe abeſt, Anno DCCCLII. decurriſſe *Annum Octavum Imperii* Ludovici II. Is enim, uti inter Eruditos jam conſtat, Anno DCCCXLIX. potius quam DCCCL. renuntiatus eſt & coronatus Imperator, ita ut Anno DCCCLII. ejus tantum Annus *Quartus* numeraretur. Deinde Anno DCCCLI. & DCCCLII. Ludovicus idem in Apulia & Calabria ſemper eſt verſatus, uti nos docent Leo Oſtienſis, Annales Bertiniani, aliaque monumenta. Ergo is eo tempore numquam egit Placentiæ, neque ibi Diploma firmare potuit, ut mittam *Tertio Idus Octobris* Anno DCCCLII. conſignandam potius fuiſſe *Indictionem Primam*, quam *Decimam Quintam*. Nullum ex hiſce vitiis occurrit in Diplomate, quod ego nunc protuli. Itaque ſupereſt, ut ſerius, quam Campius putarit, ædificatum ab Angilberga Auguſta Placentinum Monaſterium ſtatuamus. Iter inſtitutum nunc repeto. In eo Diplomate largitur Imperator *omnem muri ipſius Civitatis intrinſecus & extrinſecus vallum a fundamentis uſque ad tectum murorum, quantum protendit* (in Diplomate apud Campium hæc verba adduntur: *a manſione Supponi illius Comitis, & ſicut per Portam* &c.) *a Porta Mediolanenſi uſque ad Poſterulam ſubſequentem. Sed & univerſas in circuitu murorum & antemuralium, Turrium quoque & Portarum, ac Poſterularum macerias*. Viden ut munitæ eſſent atque ornatæ Urbes Vallo, Muris, Antemuralibus, Turribus, Portis, ac *Poſterulis*, hoc eſt portulis, quas nunc *Puſterle* aut *Poſterle* appellamus; *Cataractis* etiam ad portas, e ferro cancellato compactis, quæ ſuſpendi ac demitti poterant; nos nunc *Saracineſche* vocamus. Guntherus Ligurini Lib. 2. Derthonenſem Civitatem a Friderico I. Anno MCLV. obſeſſam ac vaſtatam hiſce verbis pingit.

Heic pariter validas Turres, quibus undique ſedes
Tuta videbatur, rubeo nitidiſſima muro,
Pro ſaxo laterem celeberrima Turris habebat.
Hanc ibi Tarquinum quondam fundaſſe Superbum
Rumor erat, nomenque loco retinente, Superba
Illa vocabatur longo jam tempore Turris.
Huic ſubjecta jugo, valido firmiſſima muro,
Turribus & celſis conſurgunt mœnia pinnis,
Exornantque ſuam tectis ſublimibus Urbem.

Antemurale antea memoratum vidimus. Quid foret, Albertus Aquenſis Lib. 3. Cap. 32. Hiſtor. Hieroſol. per alteram obſcuram vocem explicat, ſcribens: *Inter muros & Antemurale, quod vulgo Barbacanas vocant*. Ergo idem fuit *Antemurale* ac *Barbacane*. Alexander quoque Teleſinus Abbas Lib. 2. Cap. 10. Hiſtor. ſcribit: *Cum longiſſima pertica, in cujus ſummo uncinus ferreus erat, Antemurale, quod vulgo Barbacanus dicitur, toto divellitur conamine*. Idem ab ipſo repetitum videas Lib. 2. Cap. 43. Vide etiam in Hiſtoria debellationis Majoricæ Anno MCXIV. apud Ughellium Tomo 3. Ital. Sacr. in Archiepiſcop. Piſanis. Ibi hæc verba: *Chriſtianus exercitus exſultans, & Deum laudans, Caſtella duo & Mangana conducit ad Caſtrum* (ideſt ad Arcem). *Juxta quod erant Barbacanæ magnæ latitudinis & profundæ altitudinis, quas lignis* (Chriſtiani) *impleverunt, & Caſtella ſuperinduxerunt*. A Latinis ergo appellatum *Antemurale* id quod Saraceni ſive Arabes nuncupaſſe creduntur *Barbacan*. Verùm in Vocabulariis Arabicæ Linguæ nihil tale mihi hactenus occurrit. Hickeſius in Grammatica An-

Anglo-Saxonica quamquam repererit inter illius Linguæ voces *Barbycan*, *Propugnaculum*, *Antemurale*, putat tamen, illatam illuc vocem fuiſſe a Nortmannis & Gallis : Gallos verò accepiſſe ab Italis ; atque hos ex Arabum gente. Ego rem in medio relinquo . Itaque *Barbacanes* fuiſſe videntur muri breviores ſtructi ante Urbium & Arcium mœnia, ne Arietes & Turres hoſtiles ad ipſa mœnia niſi poſt multum laboris accederent . Annales Piſani ad Annum MCLVI. Tomo VI. Rer. Italicar. teſtantur, Piſanos feciſſe *Barbacanas circa Civitatem*. Hæc etiam fuit Du-Cangii ſententia . Quæ ſi vera ſunt , ſpeciem Antemuralium appellare poſſumus coronam illorum murorum , cui proxime præterito Sæculo *Falſa-braga* nomen inditum fuit .

Illud autem exploratum eſt , olim quoque portas Urbium , & Caſtrorum , ſinuoſis muris ante ſtructis ita celatas , obſtruſaſque fuiſſe , ut qua ad eas aditus foret , non facile dignoſceretur . Hos etiam muros *Barbacanes* appellarunt . Quare *Antemuralis* nomine munitiones quaſque muro confectas deſignatas puto , quæ hoſtibus opponerentur , ne ad mœnia invadenda , ac ſuperanda cito progrederentur . Mammotrecti Auctor, ideſt Johannes Marcheſinus Regienſis, Ordinis Minorum, hæc ſcribit: *Propugnaculum eſt Antemurale , ſeu pinna murorum , quia de eo pugnatur* . Supra quoque memoratas vidimus *pinnas murorum* . Aut fallitur hic Scriptor , aut corruptus iſte locus videtur . Saltem neceſſe eſt, heic latiſſima atque impropria ſignificatione *Antemurale* ſumi : videlicet ſub eo etiam nomine veniſſe murum prominentem & circumductum in ſummitate mœnium & turrium antiquarum (*un Corridore*) unde per hiatus apertos & crebros , telis , ignibus , & ſaxis vetabatur hoſtis accedere ad muros , eoſque aut machinis conterere , aut ſcalis appoſitis aſcendere . In Paralipomen. Anonymi Salernitani , Part. II. Tomi II. Rer. Italicar. Cap. 110. Saracenus quidam Guaiferium Principem Salernitanum adhortatur, *ut undique Urbem ſuam reædificari faciat , & Antemuralem illum, qui eſt juxta mare , ſine mora in altum elevet , & unam Turrim in uno capite , & aliam in alio , &c.* Ergo duplici quodammodo murorum ordine muniebantur Urbes & Caſtra , hoc eſt *Mœnibus* , *& Antemurali* . Audi Sanctum Hieronymum ad Cap. 26. Iſaïæ : *Et ponetur in ea Murus , & Antemurale Fidei , ut duplici ſepta ſit munimento . Hic Murus , & hoc Antemurale , de vivis lapidibus exſtruitur . Pro eo quod nos vertimus Antemurale , Symmachus Firmamentum interpretatus eſt : ut ipſi Muri munitionibus cincti ſint , & Vallo , Foſsáque , & aliis Muris, quos in ædificatione Caſtrorum ſolent Loriculas dicere* . Quibuſdam autem in locis pro Muro, & Antemurali duplex murus Civitatem , aut Caſtrum muniebat . Auctor eſt Cornelius Bruynus Lib. prim. Cap. 9. Peregrinationum ſuarum , adhuc Urbem Conſtantinopolitanam in aliquot locis duplici muro munitam eſſe . Radevicus etiam Lib. 2. Cap. 40. ſcribit, Cremam *duplici muro excelſo circumdatam* . Otto autem de Sancto Blaſio ad Annum MCXCIV. ait , Hieroſolymam a Saracenis *duplici muro , Antemurali oppoſito , ac foſſatis profundiſſimis cinctam fuiſſe* . Redeo ad *Antemurales* , *& Barbacanas*. In nuper laudatis Annalibus Piſanis , Tomo VI. pag. 104. Rer. Italicar. legimus , deducta fuiſſe a Piſanis duo Caſtella , & Mangana contra Caſſarum (ideſt Arcem) Majoricarum , *juxta quod erant Barbacanæ , &c.* uti ſuperius vidimus. Johannes autem Villanius Lib. 9. Cap. 135., Tomo XIII. Rer. Italicar. hæc habet : *S'ordinò ſi cominciaſſero i Barbacani, overo Confoſſi , di coſta alle mura da foſſi , per più fortezza , e bellezza della Città* . Idem Lib. 9. Cap. 257. ſcribit : *Le mura di quà dall' Arno groſſe braccia tre e mezzo , ſanza i Barbacani , & alte braccia venti co' merli : e quelle d'Oltrarno furono groſſe pur braccia tre , ſanza i Barbacani* . Suppoſitos autem fuiſſe *Barbacanes* mœnibus Urbium & Caſtellorum , neque ab iis multum remotos , ac modicæ profunditatis edocebit nos fruſtulum Hiſtoriæ a Benvogliento editum in Notis ad Chronicon Senenſe, Tomo XV. Rer. Italicar. Ibi ad Annum MCCCXXIX. Ghinotius in Arce quadam captivus , equum conſcendens oblectationis ſpecie , ipſum calcaribus concitavit , *e fe' ſaltare il cavallo, el rivellino de la Rocca ; e giunſe ſul Barbacane; e ſaltò in terra , e tocca da' ſperoni il cavallo ; e per la via correndo ſe ne andò a Saſſoforte* . Ergo Barbacanes adinventi , ut acceſſum ad mœnia impedirent Arieti , Teſtudini , Turribus , Scalis , aliiſque obſidentium machinis . Alibi verò non ante mœnia , ſed ante foſſas Antemuralia fabricata fuiſſe videntur . Nam Porcellius Lib. 9. Commentar. Jacobi Picinini pag. 151. Tomi XX. Rer. Italicar. expugnationem Caſtellionis Mantuani deſcribens , ait : *Vincunt hinc Antemurale Bracciani, prætereunt inde foras , & jam vallum aſcendebant* .

Sed quando de *Antemuralibus* cœpi diſſerere , hæc etiam addere liceat . Romæ ſub Janiculo monte in Sancti Jacobi ad Longaram Inſcriptio hæc legebattur, teſte Turrigio, Part. 2. pag. 401. de Crypt. Vatican.

HANC TVRREM ET PAGINE VNA
FACTA A MILITIÆ CAPRACORVM
TEM. DOM. LEONIS QVAR. PP.
EGO AGATHO CI. . . . .

hoc eſt, *Tempore Domni Leonis Quarti Papæ.* Et heic animadverte rubiginem Linguæ Latinæ . Joſeph Maria Suareſius in Diatriba de Foraminibus lapidum &c. legit *Pagineunna*, eamque interpretatur repagula , ſeu *Antemuralia* , quæ obtendi ſolent ad arcendos hoſtes . Altera Inſcriptio in Urbe Leonina legebatur his verbis , uti fidem facit Turrigius nuper laudatus :

TEMPORIBVS DOM. LEONIS QVAR. PP.
HANC PAGINE ET DVAS TVRRES
SALTI SINE MILITIA CONSTRVXIT.

Turrigius per vocem *Pagine* Vallum (nunc *Baſtione* , *Baluardo*) ſignificari cenſet . Unde ille hoc didicerit , ignoro . Sunt autem apud veteres nomina quædam , quorum ſignificatio nunc admodum obſcura eſt , qualis etiam videtur *Cortina* , cujus ſenſus apud recentiores in Architectura militari notiſſimus eſt, non ita verò apud veteres . In Charta Anno Chriſti MXXX. ſcripta apud eumdem Turrigium pag. 533. de domo quadam , & omnibus ad eam per-

permanentibus agitur, poſita infra Civitatem Leoninam, qui appellatur Leonina, juxta Cortinam Majorem beati Petri Apoſtoli &c. Acerbus etiam Morena obſidionem Romanæ Urbis Anno MCLXVII. cœptam a Friderico I. Auguſto deſcribens, hæc ait: *Locum, qui Cortina Sancti Petri dicitur, & etiam Porticum Sancti Petri cepit &c.* Quid vero *Cortinæ* nomine veteres ſignificarent, fortaſſis explicabit nobis Rolandinus Sæculi XIII. Hiſtoricus, qui Lib. 12. Cap. 14. obſidionem Caſtri Sancti Zenonis narrans, inquit: *Dederunt extrinſecus impugnantibus Caſtri munitionem extremam, quæ Cortina vulgariter dicitur, ſive Cinta*. Inveni tamen in veterum Tabulis *Domum cum Cortina ſua*, nunc *Cortile*. Et ſane audire hoc neceſſe eſt Benzonem Epiſcopum Albenſem in putidiſſimo Panegyrico Henrici IV. Regis Germaniæ, quem edidit Cl. V. Johannes Burchardus Menkenius, Tom. prim. Scriptor. Rer. Germanicar. Sunt ejus verba Lib. 2. Cap. 9. de Kadaloo Parmenſi Epiſcopo Pſeudo-Papa: *Sine ullo obſtaculo intravit exercitus Sancti Petri Cortinam, nam perituris erat ab incolis vacua*. Ergo *Cortina* Sancti Petri fuit, quod nunc appellatur *Cortile*, aut quod *Recinto di mura* dicimus. Poſtremum hoc veri videtur ſimilius; & quum *Cortina Major* nuper occurrerit, Baſilicam Sancti Petri duplici murorum ambitu cinctam & munitam tunc fuiſſe ſuſpicari fas eſſet. Sed hinc tenebras omnes amovet Petrus Manlius, qui Hiſtoriam Baſilicæ Vaticanæ, circiter Annum MCLX literis conſignabat, editam a Clariſs. Patre Janningo Soc. Jeſu, Tom. 7. Junii inter Acta Sanctorum. Ejus verba ſunt Cap. 7. *In Cortina beati Petri, ſcilicet in Platea ante gradus eſt quoddam Cantharum cum conca porphyretica*. Ad Urbium munitiones *Carbonariæ* quoque mihi pertinuiſſe creduntur. Earum mentio eſt in antiquis Chartis, & apud Falconem Beneventanum ſcribentem: *Reverſi ſunt uſque ad Carbonariam foris Civitatem, ubi ſtagnum luteum putridumque erat*. Alia exempla congerit Du-Cangius in Gloſſario Latino. Vide & Chartam Caſaurienſis Cœnobii pag. 997. Part. II. Tomi II. Rer. Italicar. Sed quid revera *Carbonariæ* fuerint, non auſus eſt dicere Du-Cangius. Non audeo & ego. Falconis verba foſſam aquis immiſſis abundantem indicare videntur. Vocabularii quoque Florentini Auctores *Carbonaia* appellatum ajunt: *Foſſo lungo le mura*. Sed quouſque major lux affulgeat, judicium continere juvat. Ptolomeus Lucenſis in Annalib. brevib. ad Annum MCLXXXIV. Tomo XI. Rerum Italicar. ſcribit: *Eodem Anno fuit Conſul Albertus Pagani, qui ædificavit Carbonarias*. Ergo ædificia fuiſſe *Carbonariæ* videntur. Cum *foſſis*, *& Carbonariis*, *& muris*, *& turre* legitur in Charta Comitiſſæ Mathildis apud Florentinium: quæ verba indicare poſſunt, non idem fuiſſe Foſſas, & Carbonarias. Attamen vide infra in Diſſertatione XLVI. *de Civitat. Italicar. Magiſtrat.* breve Chronicon Fulginatis Urbis, in quo ad Annum Chriſti MCCLXXXIII. legitur: *Statim quum viderunt Vexillum, apparuit eis maxima Carbonaria inter eos, & Fulginates. Et ſic hoſtes terga verterunt, credentes in Carbonariam præcipitari*. Ergo Carbonariæ loca profunda, & ad inſtar Fovearum fuerint. *Eccleſia Sancti Johannis in Carbonaria* in Urbe Neapolitana penes mœnia ſita erat, ac per eam partem furtive Alphonſus I. Rex ingreſſus Civitatem ſibi ſubdidit. Ego interea progredior.

Ex quo bella eſſe cœperunt, in uſu quoque cœperunt eſſe Caſtella, & Arces, ingenio ac arte hominum munitæ. Multaſque ex iis Italia numeravit ad Sæculum uſque a Chriſto nato Nonum, ſed Regis unius ſtudio ad reſiſtendum hoſtibus parata. Caſſiodorius præter alios memorat *munitiſſima Caſtella* a Theoderico Rege condita. Nulli autem fas erat privato homini, quamquam Regiis beneficiis ditato, Arces, ſive ut in Italia dicere amarunt *Rochas*, Caſtra, & Caſtella munita habere: aut ſi quis habuit, certe illi non ſine Auguſtorum, ſive Regum veniâ habere licuit. Leo IV. Papa Civitatem Leoninam, antea a Leone III. cœptam aut conſummavit, aut integram, hortante & rogante ipſo Lothario Auguſto, ædificavit. Rem multis narrat in ejus Vita Anaſtaſius, & ex eo Cardinalis Baronius. Turrigius in Lib. de Crypt. Vatican. pag. 404., & Aringhius in Roma ſubterranea Lib. 2. Cap. 8. Carmina marmore olim inſcripta ad memoriam conditæ Leoninæ Urbis, e MSto Codice hauſta, prodiderunt. Eadem & ego excepi olim ex altero Codice, quem mihi humaniſſime commodavit Illuſtriſſimus, mihique ob doctrinam, aliaſque egregias dotes ſumme commendandus, Dominicus Paſſioneus, & Archiepiſcopus Epheſinus, olim Apoſtolicus apud Auguſtiſſimum Cæſarem CAROLUM VI. Nuntius nunc S. R. E. Cardinalis. Et quoniam inter edita exempla, & Paſſioneum Codicem diſcrimen non unum animadverti, juvat illa rurſus producere in Eruditæ gentis commodum. Primam Inſcriptionem Aringhius poſitam fuiſſe ait *ſupra Portam Caſtri Sancti Angeli, quæ Porta Ænea dicebatur, & Sanctum Petrum reſpiciebat*. Turrigius *ſupra Portam olim appellatam Sancti Petri, ſive Leonianam*. In MSto Paſſioneo traditur exſtitiſſe *ad Portam Viridariam*. En qualis edita fuit a Turrigio, & Aringhio.

QVI

QVI VENIS AC VADIS, DECVS HOC ADTENDE VIATOR,
QVOD QVARTVS STRVXIT NVNC LEO PAPA LIBENS.
MARMORE PRÆCISO RADIANT HÆC CVLMINA PVLCHRA,
QVÆ MANIBVS HOMINVM FACTA DECORE PLACENT.
CÆSARIS INVICTI, QVOD ISTHIC CERNIS, HONESTVM
PRÆSVL TANTVM, QVOD TEMPORE GESSIT, OPVS.
CREDO MALIGNORVM SVA NVMQVAM BELLA NOCEBVNT,
NEQVE TRIVMPHVS ERIT HOSTIBVS VLTRA SVIS.
ROMA CAPVT ORBIS, SPLENDOR, SPES, AVREA ROMA,
PRÆSVLIS VT MONSTRAT EN LABOR ALMA TVI.
CIVITAS HÆC A CONDITORIS SVI NOMINE
LEONIANA VOCATVR.

Codex Paſſioneus ita quartum Verſum, & duos ſequentes præfert :

Quæ manibus hominum aucta decore placent,
Cæſaris invicti, quod cernis iſte HLOTARI,
Tantum Præſul ovans tempore geſſit opus.
Credo malignorum tibi numquam &c.

A Sunt & heic incompoſita quædam. Attamen *Lotharii* Auguſti nomen illic inſcriptum fuiſſe, ex ipſo ſenſu elucere poteſt. Alteram Inſcriptionem ſubdo e Turrigio, & Aringhio. Illam Codex Paſſioneus collocatam ait *ad Portam Urbis, juxta Molem Hadriani*.

ROMANVS, FRANCVS, BARDVSQVE VIATOR, ET OMNIS
HOC QVI INTENDIT OPVS, CANTICA DIGNA CANAT.
QVOD BONVS ANTISTES QVARTVS LEO RITE NOVAVIT
PRO PATRIÆ AC PLEBIS ECCE SALVTE SVÆ.
PRINCIPE CVM SVMMO GAVDENS HLOTHARIVS HEROS
PERFECIT, CVJVS EMICAT ALTVS HONOR.
QVOD VENERANDA FIDES NIMIO DEDVXIT AMORE,
HOC DEVS OMNIPOTENS PRÆFERAT ARCE POLI.
CIVITAS LEONIANA VOCATVR.

Poſtremos quatuor verſus, uti jacent in Codice Paſſioneo, accipe, e quibus longe diverſum ſenſum atque hiſtoriam elicio.

Principe cum ſummo gaudens hæc cuncta Johannes
Perfecit, cujus emicat altus honor.
Quos veneranda fides nimio devinxit amore,
Hos Deus omnipotens perferat arce Poli.
Civitas hæc a Conditoris ſui nomine
Leonina vocatur.

Si vera & germana eſt hæc lectio, ut mihi quidem perſuadeo, hinc intelligimus, non unum *Leonem IV.* Papam in opus Leoninæ Civitatis inſudaſſe; ſed & *Johannem* (ut opinor) *Octavum* ſuam contuliſſe operam, ut Civitas jam condita perficeretur, hoc eſt, novis munitionibus, aut habitatoribus firmaretur. Itaque verba illa *Principe cum ſummo*, ubi alteram hanc lectionem admittas, Imperatorem ejus temporis ſignificant, ſive is Ludovicus II, ſive Carolus Calvus, aut Carolus Craſſus fuerit. His enim Imperatoribus ſedit B Johannes VIII. Papa. Fortaſſe quod poſteri ignorarent, hunc etiam Pontificem, aut alterum ejuſdem nominis, in munienda accuratius Civitate Leonina ſolicitum fuiſſe, Inſcriptionem eamdem corrupere, ſubſtituto nomine *Hlotharii* Auguſti nomini *Johannis* Papæ. Si Vitam uberiorem Johannis VIII., & reliquorum ipſius nominis Pontificum haberemus, e veſtigio pateret, rectene, an ſecus in hiſce verſibus locus fuerit *Johanni Papæ*.

Sed quando heic in tenebris verſamur, quibus Hiſtoria non ſat lucis miniſtrat, alteram eruditionis Romanæ particulam exeramus. Illo quippe Sæculo e reſtaurandis, aut condendis Urbibus, eiſque ſuo nomine donandis non C unus Pontifex Romanus gloriam ſibi quæſivit. Oſtiam quoque rurſus ædificatam *Gregoriopolim* appellandam antea juſſerat Gregorius IV. Papa, Anaſtaſio teſte. Cui adjungenda eſt *Johannipolis*, hoc eſt, Civitas a prælaudato Johanne VIII. Papa condita. Hujus autem rei teſtes habeo Verſus ex nuper laudato Codice Paſſioneo excerptos.

In

In Porta Burgi Baſilicæ Sancti Pauli .

HIC MVRVS SALVATOR ADEST , INVICTAQVE PORTA ,
QVÆ REPROBOS ARCET , SVSCIPIATQVE PIOS .
HANC PROCERES INTRATE SENES , JVVENESQVE TOGATI ,
PLEBSQVE SACRATA DEI , LIMINA SANCTA PETENS .
QVAM PRÆSVL DOMINI PATRAVIT RITE JOHANNES ,
QVI NITIDIS FVLXIT MORIBVS AC MERITIS .
PRÆSVLIS OCTAVI DE NOMINE FACTA JOHANNIS
ECCE JOANNIPOLIS VRBS VENERANDA CLVIT .
ANGELVS HANC DOMINI PAVLO CVM PRINCIPE SANCTVS
CVSTODIAT PORTAM SEMPER AB HOSTE NEQVAM .
INSIGNEM NIMIVM , MVRO QVAM CONSTRVIT AMPLO
SEDIS APOSTOLICÆ PAPA JOHANNES OVANS .
VT SIBI POST OBITVM CELESTIS JANVA REGNI
PANDATVR , CHRISTO SAT MISERANTE DEO .

Nempe cum Baſilicam Vaticanam Leo IV. Pontifex ab irruptionibus Saracenorum immunem deinceps redditurus , condita nova Civitate *Leonina* , mœnibus ac propugnaculis munierat . Quum verò barbaricæ gentis inſultibus adhuc expoſita pateret altera inſignis Baſilica Sancti Pauli , extra Urbem ſita , Johannes VIII Leonem IV. æmulatus , novam Civitatem conſtruxit , eamdem Baſilicam intra illam complectens , & mœnibus , munitionibus , ac portis circumcingens , quam de ſuo nomine *Johannipolim* appellandam mandavit . Hanc verò memoratam alibi nondum vidi . Ita eodem Sæculo a Sicone Principe Beneventano condita eſt Civitas , quæ ex ejus nomine nuncupata eſt *Sicopolis* . Et Johannis quidem Octavi temporibus ferocientes Saraceni , Apuliæ Urbes infeſtabant , immo & Urbi ipſi excidium minitabantur . Audi Johannem ipſum Papam Epiſtol. 255. *Carolo Regi* , ideſt Craſso , qui poſtea Imperator eſt renuntiatus , Anno Chriſti DCCCLXXIX. aut DCCCLXXX. hæc ſcribentem : *Sed nos tam ipſi dicti Iſmaelitæ* (ii ſunt Saraceni) *quam alii concives noſtri impugnant , ac perſequuntur , ut extra muros Urbis nullatenus , vel qui labore manuum ſuarum vivere valeant , vel qui* (*ut ita dixerim*) *Chriſtianitatem ſuam , ſicut decet , obſervent , egredi libere poſſint* . Atque hæc de Johanne VIII. Papa , cujus glorioſa geſta dolendum eſt neminem ad nos perveniſſe , a diſerto aliquo , & ſynchrono Scriptore digeſta . Romanorum Pontificum exemplum in cauſa fuiſſe videtur , cur & alii Italiæ Epiſcopi temporibus eiſdem Civitates ſuas muniendas ſuſceperint , quamquam iis minime dominarentur , ut Romæ Romani Pontifices . Anſpertus Mediolanenſis Antiſtes , qui Anno Chriſti DCCCLXXXII. vitam cum morte mutavit , ut eſt in ejus Epitaphio apud Puricellium in Monument. Baſilic. Ambroſianæ , num. 134.

Mœnia ſollicitus commiſſæ reddidit Urbi
Diruta . - - - - - - - - - - - - - - - - -

Ita Leodoinus Mutinenſis Epiſcopus , ut in Diſſertat. I. *de Exter. gent.* prodidi , Urbem hanc noſtram circiter Annum DCCCXCIII. regnantibus Guidone & Lamberto Auguſtis munivit , *non contra Dominos* , ſed ut Cives difficillimis iis temporibus tueretur . In Diplomatibus eorumdem Auguſtorum apud Sillingardum & Ughellium Leodoino fas eſt , *foſſata cavare , Portas erigere , & ſuper unum milliarium in circuitu Eccleſiæ Civitatis circumquaque firmare , ad ſalvandam & muniendam ipſam ſanctam Eccleſiam* . Et profectò bella teterrima inter Guidonem , ſive ejus filium Lambertum Auguſtos , & Berengarium I. Regem , poſtea & ipſum Auguſtum oborta Anno DCCCLXXXIX. occaſionem dedêre excitandis novis aut muniendis antiquis Caſtellis . Præceſſerat etiam ſæviſſima irruptio nuper memorata Saracenicæ gentis in Apuliam Sæculo eodem IX. peracta , qui tum illis regionibus , tum finitimis , ac ipſi Urbium reginæ Romæ , incredibiles innumeraſque intulere calamitates per annos multos , quique inter Provinciam & Italiam ad Fraxinetum collocati , infeſtiſſimi fuere circumjacentibus locis. Ineunte quoque Sæculo X. Hungrorum ſæviſſima rabies e Pannonia in Langobardiam non ſemel illapſa , Provinciam hanc incendiis , cædibus , ac rapinis implevit atque vaſtavit . Hæc omnia cauſſam dedere , ut univerſa Italia faciem ſubinde aliam ſumeret . Paucæ ante illa tempora numerabantur Urbes & Caſtella , quibus firmiſſima forent mœnia ac propugnacula . Diuturna pax apud nos regnarat . Nullam externi hoſtis incurſionem ſenſerat hæc Italiæ portio a compluribus annis . Quare patebant omnia , & Caſtella potiſſimùm ac Vici latiſſime expoſiti erant barbarorum impreſſionibus . Nam qui *Burgi* appellabantur , Iſidoro teſte , fuerunt *domorum congregationes , quæ muro non claudebantur* . Romanorum quidem & Gothorum ſub dominatione munitiſſimis Caſtellis Italia abundavit . Bella deinde , ipſaque pax , & temporis diuturnitas pleraque munimenta disjecerant . Itaque ex quo diſceptari cœptum eſt de Re-

Regno inter Guidonem & Berengarium, & ab uno latere Saraceni, ab altero Hungri, ſeu Hungari, miſeram atterere Italiam cœperunt: tunc a tot ærumnis edocti Populi intellexere, quantæ neceſſitatis foret munitiones antiquas reſtaurare, novaſque conſtruere, quæ hoſtibus obſiſterent, animaſque & fortunas civium in præſenti ac futuro diſcrimine exciperent ac tutarentur. Hoc idem Galli Sæculo IX. ob Nortmannorum immanes incurſiones didicere. Quamobrem ut quiſque tunc potuit, facultate a Regibus aut Auguſtis, aut a Principibus Langobardis in Ducatu Beneventano & Salernitano impetratâ, ædificare cœpit Arces, Caſtra, & Turres, & muris ambire Caſtella & Urbes, & propugnacula multiplicare, præſertim in ſuis Beneficiis ſive Feudis, immo & in Curtibus, ſive Allodiis. Idem quoque pari occaſione olim factum. Nam Honoratus Novarienſis Epiſcopus ſub finem Sæculi V. Caſtellum ædificavit ac munivit, Ennodio teſte Lib. 2. Carmin. ut turbulentis iis temporibus eſſet ſibi tutus locus contra Barbarorum incurſiones. Hoc & alii imitati tunc fuere, & frequentius ſubinde. Auctor Chronici Vulturnenſis, Part. II. Tomi I Rer. Italicar. pag. 370. de Ludovici Pii temporibus agens, hæc habet Lib. 2. *Eo ſiquidem tempore rara in his regionibus Caſtella habebantur, ſed omnia Villis & Eccleſiis plena erant. Nec erat formido aut metus bellorum, quoniam altâ pace omnes gaudebant, uſque ad tempora Saracenorum. Ceſſante quoque devaſtatione & perſecutione illorum, qui tunc evadere potuerunt, vel ſua invenire potuerunt, Regis judicio & precariis poſſederunt, uſquequo Normanni in Italiam pervenerunt. Qui ſibi omnia diripientes, Caſtella ex Villis ædificare cœperunt, quibus ex locorum vocabulis nomina indiderunt.* Hæc ille.

Sed longe antea ſibi conſulere didicerunt Galliæ Ciſalpinæ, ſive Langobardiæ Populi, immo & Italiæ. Nam poſtquam Saracenorum furorem gens ſenſit, & bella inter diſſidentes de Regno invaluere, ac potiſſimùm ubi tot clades Hungri inferre Italiæ cœperunt, munimenta quotquot potuere ſibi pararunt. Apud Campium Tom. prim. Hiſtor. Eccleſ. Placentin. pag. 477. Eurardus Epiſcopus Placentinus Anno DCCCXCVIII. emit *ab Andrea habitatore Bardi montanea Placentina medietatem de petra, quod eſt ſaxum, in loco Bardi, ubi Caſtrum ædificatum eſſe videtur moderno tempore.* Ughellius Tom V. Ital. Sacr Chartam Canonicorum Veronenſium refert, multis tamen in locis vitiatam, ſcriptam Anno XI. poſtquam Berengarius ſolus cœpit regnare, fortaſſis Anno Chriſti DCCCCIX. Ibi Canonici indulgent, ut *pro perſecutione Ungarorum*, habitatores in Ceretæ Caſtro Turrim ibi ſitam muniant. Bergomenſis quoque Civitas, ut eſt in Berengarii I. Diploma te apud Cæ-

A leſtinum Capuccinum in Hiſtor. Bergomate, *maximâ ſævorum Ungarorum incurſione* turbabatur. Proinde Anno DCCCCIII. petebat Epiſcopus Adelbertus cum Civibus, ut ſibi liceret *Turres & Muros ipſius Civitatis reædificare*: quod ipſe Rex continuò indulſit. Neque ſecus Gauslinus Epiſcopus Patavinus ab Ottone Magno Anno DCCCCLXIV. impetravit, ut ſibi liceret, *Caſtella cum Turribus & Propugnaculis erigere*, ut eſt apud Ughellium in eodem Tom. V. Ital. Sacr. Ut autem dixi, ſine venia Principis, munitionem, aut Caſtrum conſtruere nefas erat. Idque etiam in Gallia obſervatum. Anno DCCCLXIV. ut eſt in Capitular. Reg. Francor. a Baluzio editis Tom. 2. pag. 195.
B Carolus Calvus Franciæ Rex hæc habet: *Expreſſe mandamus, ut quicumque iſtis temporibus Caſtella, & firmitates, & hajas ſine noſtro verbo fecerunt, Kalendis Auguſti omnes tales firmitates disfactas habeant.* Quod ſi quiſquam ſine venia Principis Caſtrum, Turres, aliaſve munitiones ædificabat, periculum ſuberat, ut non ſibi, ſed Principi ædificaret. Propterea Vulturnenſis Cœnobii Abbas Paulus Anno Chriſti DCCCCLXVII. (uti legitur in Chronico ejuſdem Monaſterii nuper memorato pag. 445.) a Pandulfo & Landulfo Principibus Beneventanis impetravit, *ut ubicumque ille, vel ſucceſſores in hereditate vel in pertinentia ejuſdem Monaſterii Turrem aut Caſtellum fecerint, ſemper*
C *in poteſtatem & dominationem ejuſdem Monaſterii, & ejus Abbatibus & Rectoribus eſſe debeant, & nullam dominationem ibidem habeat Pars noſtra Publica*, ideſt Beneventanorum Principum Fiſcus. Ita apud ſupralaudatum Ughellium Tom. 4. in Epiſcop. Aſtenſib. Otto Magnus Anno DCCCCLXIX. Rozoni Epiſcopo Aſtenſi licitum facit, *Caſtella, Turres, Merulos, Munitiones, Valla, Foſſas, Foſſata cum Propugnaculis ſtruere & ædificare.* Et hiſce quidem munita antiquis etiam temporibus erat Taurinenſis Civitas; verùm *Amnuli* (ſcribe *Amolonis*, qui Lamberti Auguſti Archicancellarius fuit) Epiſcopi impotentiâ hæc omnia ſub finem Sæculi IX. proſtrata fuere. Audi, quæ de eo ſcri-
D bat Auctor Chronici Novalicienſis, Part. II. Tom. II. Rer. Italicar. pag. 764. ubi meminit *Amnuli Epiſcopi Taurinenſis, qui ejuſdem Civitatis Turres & Muros perverſitate ſuâ deſtruxit. Fuerat hæc ſiquidem Civitas condenſiſſimis Turribus bene redimita, & arcus in circuitu per totum deambulatorios cum Propugnaculis deſuper, atque Antemuralibus* &c. Idem præterea indultum fuiſſe privatis perſonis, nos docebit Diploma, quod olim deſcripſi ex autographo exiſtente in Archivo ſacrarum Virginum Ticinenſium Sanctæ Mariæ Theodotæ, ſive de Poſterula.

Facultas ædificandi Caſtella in agris Monaſterii Sanctæ Mariæ Theodotæ Ticinenſis conceſſa a Berengario I. Italiæ Rege Riſindæ Abbatiſſæ, Anno 912.

IN nomine Domini Dei æterni. *Berengarius Rex. Si Regalis munificentia ſanctis Dei Eccleſiis & venerabilibus locis temporali cuſtodia protegit, morem ſuorum prædeceſſorum equiparat, & perpetuæ ſtabilitatis in æternis gaudiis a Domino ſuſcipitur, eiſque continuo perfrui nequaquam ambigitur. Proinde noverit omnium Fidelium Sanctæ Dei Eccleſiæ, noſtrorumque præſentium ſcilicet ac futurorum induſtria,* Johannem Sanctæ Ticinenſis Eccleſiæ Epiſcopum *noſtræ ſerenitatis humiliter exoraſſe clementiam, quatenus* Riſindæ *venerabili* Abbatiſſæ Monaſterii Deodotæ, Regali auctoritate edificandi Caſtella concedere dignaremur licentiam in prædiis & poſſeſſionibus præfati Monaſterii in noſtro Italico Regno adjacentibus, ubicumque utilius & melius viſum fuerit pro perſecutione & incurſione Paganorum. *Cujus petitionibus aſſenſum præbentes, jam ſæpe Abbatiſſæ Riſindæ, noſtræ videlicet ſpirituali matri, in rebus & poſſeſſionibus ſui Monaſterii, quod Deodotæ nominatur, per hoc noſtrum Præceptum* edificandi Caſtella in opportunis locis licentiam attribuimus, una cum Bertiſcis, Merulorum Propugnaculis, Aggeribus, atque Foſſatis, omnique argumento, ad Paganorum deprimendas inſidias. Concedimus etiam ſæpe dictæ Abbatiſſæ incidere, & claudere vias publicas circa ipſa Caſtella ad tutamen & firmamentum ſui, aliis donatis, per quas publicus meatus incedat. *Quam etiam Riſindam Abbatiſſam & ſua Caſtella, omniaque ſui Monaſterii prædia, una cum Servis & Ancillis, Libellariis, Colonis, ſuiſque commendatitiis, ſub noſtræ emunitatis atque defenſionis Præceptum recipimus, ut nullus Dux, Comes, Vicecomes, Sculdaſſio, Gaſtaldio, Decanus, aut aliqua magna parvaque perſona infra Caſtella ipſius Monaſterii manſionaticum faciat, nulluſque ibi poteſtative ingrediens Placitum cuſtodiat, neque Teloneum exquirat, aut infra ipſa Caſtella publicas exigat functiones: ſed omnia ſint in poteſtate & dominio ejuſdem Riſindæ Abbatiſſæ, ſuiſque ſucceſſoribus, remota totius Publicæ Partis contradictione. Si quis igitur hoc noſtræ auctoritatis & defenſionis Præceptum infringere vel violare temptaverit, ſciat ſe compoſiturum auri optimi Libras centum, medietatem Cameræ noſtræ, & medietatem prædictæ Riſindæ venerabili Abbatiſſæ, ſuiſque ſucceſſoribus. Quod ut verius credatur, & diligentius obſervetur, manu propria roborantes, de anulo noſtro ſubter inſigniri juſſimus.*

Signum Domni [monogram: B S E] *Berengarii ſereniſſimi Regis.*

Locus Sigilli ✠ cerei deperditi.

Johannes Cancellarius ad vicem Ardingi Epiſcopi & Archicancellarii recognovi & ſubſcripſi.

Data X. Kalendas Auguſti. Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXII. Domni verò Berengarii ſereniſſimi Regis XXV. Indictione XV.

Actum Papiæ, in Chriſti nomine feliciter. Amen.

Cur facultatem conſtruendi Caſtella Berengarius largiatur Riſindæ Abbatiſſæ, ipſa Charta ſat prodit. Nimirum *pro perſecutione & incurſione Paganorum*, & *ad Paganorum deprimendas inſidias*. Quo nomine Hungaros, gentem Scythicam, & idolorum cultui eo tempore addictam, ſignificant: quæ tunc ſingulis ferme annis ex Pannonia erumpens, Italicis Populis innumeras calamitates inferebat. Age vero oculos intende in ea verba: *Ædificandi Caſtella in opportunis locis licentiam attribuimus, una cum Bertiſcis, merulorum propugnaculis, aggeribus, atque foſſatis &c.* Quæ heic memorantur *Bertiſcæ*, apud veteres Italicæ Linguæ Hiſtoricos ſæpe occurrunt, atque appellantur *Bertesche*, & *Baltresche*, unde *imbertescare*, & *imbertescato*. Erant autem, ut opinor, lignea ædificia, ſeu turriculæ cum feneſtellis, in quibus ad cuſtodiam & excubias collocabantur milites, in vallo aut in pinnis murorum compoſita, unde ſagittæ, ſaxa, aliaque bellica tela in hoſtes emittebantur. A Germanica voce *Bret* illius originem deducit Menagius in Originib. Linguæ Italicæ. Du-Cangius cenſet, idem fuiſſe *Bretachias*, atque *Bertiſcas*. Aliis rem accuratius perpendendam relinquo. *Merulorum* quoque fit mentio in noſtro Diplomate. Eos ignoraſſe videtur idem Du-Cangius. Neque heic ſat felix ſupra memoratus Menagius, quum vocem hanc arceſſit ex Latino *Minæ* hoc pacto: *Mina*, *minum*, *minulum*, *menulum*, *merulum*, *Merlum*. Tantam metamorphoſim quis probet? Fortaſſis a *Merare Merli*, ac deinde *Meruli* appellati. Idem ſignificant *Merli*, ac Pinnæ murorum, unde ſagittæ emittebantur, ad quarum ſimilitudinem quum Coronarum radii, liliorum ſpeciem præferentes, efformarentur, propterea *Radii* interdum appellati ſunt *Merli*, niſi potius ex ipſis Coronis ad mœnium munitionem translata vox fuit. *Merulios* quoque vocatos invenio in altero Diplomate Lotharii Italiæ Regis, ubi is concedit cuidam Vaſſallo Regio, ut ædificare poſſit *Turres & Caſtella cum Meruliis & Propugnaculis, & cum omni bellico apparatu*. Quum rara ſint Diplomata privatis perſonis conceſſa, & præſens argumentum id poſcat, juvat ipſam producere Chartam, quam autographam vidi. Adſervatur autem in Archivo inſignis ac antiquiſſimi Monaſterii Ticinenſis Sancti Salvatoris.

Lotharii II. Regis Italiæ Diploma, quo cuidam Waremundo facultatem ſibi eligendi Advocatorem & Miſſum, ædificandi Turres & Caſtella, mercatum faciendi &c. concedit, Anno 948.

IN nomine Domini Dei æterni. Lotharius gratia Dei Rex. Oportet nos fidelium mentes leto aſſenſu exhilarare, ut ea, quæ de noſtro Regio jure appetunt, concedamus. Quapropter noverit omnium fidelium ſanctæ Dei Eccleſiæ, noſtrorumque præſentium videlicet ac futurorum ſollertia, qualiter interventu & petitione Aledrami *incliti* Comitis, *dilectique fidelis noſtri*, Waremundo *fideli noſtro, ut de ſuis rebus, & cauſis atque querelis, quemcumque voluerit, Advocatorem & Miſſum, quem ſibi elegerit, habeat, ante cujus Miſſi preſentiam diffiniatur omnis ejus intentio & quærimonia, tamquam ante præſentiam Comitis vel Miſſi noſtri percurrentis.* In ſuis quoque proprietatibus edificare Turres & Caſtella cum Meruliis & Propugnaculis, & cum omni bellico apparatu. *Legem etiam ſine ſua voluntate in alico loco non faciat, niſi in Palatio noſtro, per hoc noſtrum Preceptum, prout juſte & legaliter poſſumus, tam illi, quam ſuis heredibus licentiam concedimus. Inſuper quoque ſi aliquod negotium* in ſuis Caſtellis, *vel Villis, ſeu in aliis ſuis propriis locis fractum ſtruerit, vel ſi ipſe* Waremundus *& ſui heredes aliquod Mercatum in ſupradictis eorum propriis locis fecerint, quicquid exinde Parti Publicæ pertinere debetur, donamus eidem* Waremundo, *& ſuis heredibus concedimus atque largimur; & denique Regio jure & poteſtate in eorum proprium jus & poteſtatem eorumque mittimus ac delegamus: eo ſcilicet ordine, ut nullus Publicus inibi aliquam poteſtatem habeat, omnium hominum injuſta contradictione & moleſtatione remota. Si quis igitur hujus noſtri Precepti temerarius corruptor extiterit, quinquaginta Mancoſos aureos ſciat ſe compoſiturum, medietatem Palatii noſtri Kameræ, & medietatem ſupranominato* Waremundo, *ſuiſque heredibus. Quod ut verius credatur, & ab omnibus diligentius obſervetur, manu propria roborantes, ſigilli noſtri impreſſione ſubter inſigniri juſſimus.*

Signum Domni Lotharii  *piiſſimi Regis.*

Odelricus Cancellarius Bruninzi Epiſcopi & Archicancellarii recognovi & ſubſcripſi.

Data III. Nonas Julii, Anno Incarnationis Dominicæ DCCCCXLVIII. Regni verò Domini Lotharii Regis XVII. Indictione VI.

Actum Lucæ feliciter.




Denique addo alterum Diploma, quod in ſuo Chartophylacio adſervat Capitulum Canonicorum Regienſium. Aſpectum autographi præferebat Charta.

Berengarii I. Italiæ Regis Diploma quo facultatem ædificandi Caſtri in Plebe Sancti Stephani in Vico-longo concedit Epiſcopo Regienſi, una cum aliis immunitatibus, Anno 911.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Dei æterni. Berengarius Rex. Si juſtis noſtrorum fidelium petitionibus noſtræ pietatis aurem accommodamus, devotiores eos ac promptiores ad noſtræ fidelitatis obſequium reddimus. Quapropter omnium ſanctæ Dei Eccleſiæ præſentium ſcilicet ac futurorum noverit induſtria, Ardingum *Reverentiſſimum* Epiſcopum *& Ingilfredum dilectum fidelem noſtrum ſuppliciter noſtram petiiſſe clementiam, quatinus* Petro *ſanctæ* Regienſis Eccleſiæ venerabili Epiſcopo edificandi Caſtrum in ſua Plebe ſita in Vicolongo licentiam concederemus. *Quorum precibus inclinati, ita fieri decrevimus, & hoc noſtræ largitionis Præceptum ſcribere juſſimus, per quod jam dicto Petro Epiſcopo* pleniſſima largitione licentiam conſtruendi Caſtrum in prefata ſua Plebe concedimus. *Illud præterea noſtra Regali inſtitutione ſancimus, ut nullus Dux, Comes, Vicecomes, Sculdaſſio, vel Decanus, aut quælibet magna parvaque perſona, ſeu aliquis Reipublicæ Exactor, in ipſum Caſtrum per vim ingredi præſumat, aut Placitum tenere audeat, vel teloneum aut aliquam publicam redibitionem homines in eodem Caſtello habitantes reddere compellat, vel manſionaticum inibi poteſtative accipiat. Nullus quoque eos diſtringere, pignorari, calumniari, aut per Placita fatigare abſque legali judicio præſumat; ſed liceat illis pro Dei omnipotentis amore, noſtræque animæ remedio in ipſo Caſtello pacifice & quiete vivere abſque alicujus poteſtatis inquie-*

[illegible] vel [illegible]. *Si quis igitur contra hoc noſtræ conceſſionis Præceptum inſurgere quæſierit, aut in aliquo violare tentaverit, ſciat ſe compoſiturum auri optimi Libras triginta, medietatem Cameræ Palatii noſtri, & medietatem prænominato Epiſcopo, ſuiſque ſucceſſoribus. Et ut hoc verius credatur, diligentiuſque ab omnibus obſervetur, manu propria roborantes, de annulo noſtro ſubter juſſimus inſigniri.*

Signum Domni  *Berengarii piiſſimi Regis.*

Locus Sigilli ✠ cerei deperditi.

Johannes Notarius juſſu Regio recognovi & ſubſcripſi.

Data Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXI. Domni verò Berengarii excellentiſſimi Regis XXIV. Indictione XIV.

Actum Sennis Curte Regia, in Dei nomine feliciter. Amen.

Neque hoc ſilentio prætereundum Caroli Craſſi Diploma, quod a Campio in Appendice Tomi prim. Hiſtor. Placentin. pag. 461. productum fuit. Ibi Carolus Craſſus Auguſtus *Adelberto de Ruzola* (a quo nobilis Rizzolorum Placentinorum gens deſcendiſſe dicitur) *concedit licentiam conſtruendi Caſtella in ſuis omnibus locis, cum muris, merulis, bertiſcis, foſſatis, ferratis* (quid hac voce ſignificetur, nondum divinavi) *aliiſque ornamentis* &c. Sed vereor ut Eruditorum cuiquam perſuadeatur, abeſſe Diploma illud ab illegitimorum fœtuum conditione. Confirmantur *Curtes habitas ab eodem Adelberto & ejus anteceſſoribus poſſeſſæ, ſcilicet Ruzolum, Papianum, Utianum* &c. *quas nunc tenent per præcepta & immunitates Regum Langobardorum Albuini, Clephi, Autharis, Agilulfi* &c. Heus bone Campi, etiam Diplomata *Albuini*, & *Clephi*? Nulla, ne Regum quidem, Familia annoſam adeo originem ſibi vendicare poteſt. Sed præſtat pergere. Ita ſenſim (neſcio an ſub Carolo Craſſo, certe poſt illum) tum Epiſcopi & Abbates, tum Comites, Vaſſi, & reliqui eorum temporum Proceres, excitare cœperunt quiſque in ſolo ſuo Arces ac munitiones, adeo ut Sæculo Decimo ſubſequenti veluti ſilva Caſtrorum ac Turrium hanc præcipue Italiæ partem viſa fuerit occupaſſe. Occurrebant ejuſmodi, ut ajebant, *Fortilitiæ*, ſeu *Fortalitia*, unde Italicum *Fortezza*, in camporum planitie, ſed præſertim in collibus ac montibus, ubi difficultas ipſa locorum robur arcibus augebat. Sæpius verò deligebantur cacumina collium aut rupium, ut ibi munimenta firmiora locarentur. Caſtella temporibus quoque Romanorum *in locis editis* pleraque ſita fuere. Vidiſſes ergo in collibus Mutinenſis agri coronam Caſtellorum & Turrium, quorum pars maxima pertinuit poſtea ad celebrem Comitiſſam Mathildem; incertum num jure Feudi aut Allodii, an verò quod ipſa Mutinenſi quoque Urbi titulo Comitis præeſſet. Idem conſpiciebatur in reliquis montibus Mutinenſium, ubi Comites minores, ſive rurales, Valvaſſores, Capitanei, Caſtellani, (quo nomine olim apud Livium deſignati ſunt habitatores Caſtri, ſed Sæculis barbaricis eo quoque donati ſunt Domini Caſtri alicujus) Caſtaldiones, aliique diverſorum nominum Proceres. Ipſaque etiam Caſtellorum Communia, in libertatem ac Reipublicæ formam poſtea erecta, ſibi identidem conſtituerunt Arces & propugnacula ad ſui tutelam. Neque ſecus egerunt finitimæ Urbes, immo & reliqua Italia; quum enim una aliquid excogitabat ac perficiebat in re bellica laudandum, continuo ceteræ imitabantur. Ita crebris ac fortiſſimis munitionibus univerſa hæc Provincia ſuperbire cœpit, quod tamen, ut eſt humanarum rerum conditio, non auſim dicere, pluſne utilitatis an detrimenti attulerit, quando emerſerunt inde tot cauſſæ ac fomenta innumera ſeditionum, defectionum, & bellorum, quorum prolixam ſeriem habes in Collectione Rer. Italicarum. Nam dum quiſque Primatum potentiam ſuam ſentiebat, in Urbes ſuas, in finitimos, ac in Reges ipſos ſui muneris non rarò obliviſcebatur. Jam tum Anno DCCCCXLVI. Wido Præſul Mutinenſis Eccleſiæ, Liutprando Ticinenſi teſte Lib. V. Cap. 12. ab Hugone Italiæ Rege deficiens, ejus iram in ſe concitavit. *Quod Hugo ut audivit, congregatis copiis ad ejus*, (ideſt Epiſcopi) *Caſtrum Vineolam venit: idque viriliter, ſed inutiliter oppugnavit*. Situm eſt Vineolæ Oppidum, nunc *Vignola* appellatum, in Mutinenſi agro ad Scultennam fluvium, Arce, Turribus, ac Mœnibus adhuc munitum. Quod libenter memoro; nam & ego ibi, quiſquis ſum, Anno MDCLXXII. primam lucem vidi. Ita celeberrima Canoſſæ Arx, ſaxo impoſita in Regienſi Comitatu, poſt Annum DCCCCL. diuturnam & graviſſimam obſidionem ſuſtinuit contra Berengarium II. Italiæ Regem, quam deſcribens Donizo in Vita Mathildis Lib. prim. Cap. 2. hæc habet:

Non Aries, Vulpis, neque Machina prævalet ullis
Viribus excelſis noſtris pertingere tectis.

Sic Liutprandi Continuatore teſte Mons Feretranus, *quod Oppidum Sancti Leonis dicitur*, Anno DCCCCLXIII. eidem Berengario refugium diu præbuit, donec fame compulſus copiis Ottonis Magni Auguſti obſidentibus victas manus dedit.

Quod affirmari poſſe puto, poſt Annum a Chriſto nato Milleſimum, & præſertim decurrente Sæculo XII. cœpit apud Italicam gentem acrius quàm antea fervere ſtudium rei militaris. Jam multæ ex Urbibus ad Libertatem inhiabant, atque ad eam impetrandam non pecuniâ tantùm, ſed & viribus opus eſſe intelligebant: quod & ſenſim præſtitere. Actum eſt de recuperanda antiqua ditione, de dilatando imperio, de ſubdendis ſibi Nobilibus viris, a quibus nullum amplius obſe-

obſequium erat erga patriam Urbem; actum denique de reſiſtendo ipſis Imperatoribus, reſcindere privilegia, vetereſque conſuetudines cupientibus, aut onera intoleranda imponentibus. Normanni in Apulia ac Sicilia Sæculo XI. mirandæ fortitudinis ac diſciplinæ militaris exempla dedere. Par eſt credere, ab iis potiſſimùm derivatam in reliquos Italiæ Populos illuſtriorem gloriæ cupiditatem, uberioremque peritiam belli ſuſtinendi atque inferendi. Quid in longa concertatione inter Fridericum I. Imperatorem, ejuſque ſucceſſores, & Italicam gentem, factum fuerit, nihil eſt, quod ego memorem. Habet Lector in Collectione Rer. Italicar. quod ego brevitatis cauſsâ omiſſum heic volo. Illud certum, Sæculo XII. vel ipſos Germanos profeciſſe ex Italicorum ſcientiâ militari. Arnaldus Lubecenſis in Chronic. Sclavor. Cap. 2. obſeſſam narrat Civitatem Wurlam Anno MCLXIII. ab inclyto Duce Saxoniæ atque Bavariæ Henrico Leone, atque inter cetera ait: *Et ſtatim præcepit ex abundanti nemore ligna conduci, & aptari bellica inſtrumenta, qualia viderat facta in Lombardia, ideſt Cremæ, ſive Mediolani. Fecitque Machinas efficaciſſimas, unam tabulatis compactam ad perfringendos muros; alteram verò, quæ excelſior erat, & in turris modum erecta, ſuperexaltatam Caſtro, ad dirigendas ſagittas, & ad abigendos eos, qui ſtabant in propugnaculis*. Turrium hujuſmodi ſupra rotas mobilium antiquus erat in Italia uſus. *Phalas* nonnulli eas appellarunt. Tunc autem ad ſummam perfectionem deducta fuere inſtrumenta bellica & machinæ lithobolæ varii generis, quas appellabant *Bricolas*, *Mangana*, *Petrarias*, *Prederias*, *Tortorellas*, *Trabuchetos*, *Trabuchellos*, *Trabuchos*, *Manganellas* &c. In Paralipomenis a me editis Anonymi Salernitani, Part. II. Tomi II. Rer Italicar. memoratur *Machina, quam nos Patriam nuncupamus*. Sphalma Typographicum. Scribendum fuit, *quam nos Petrariam nuncupamus*. Atque heic perpendendum eſt, an ſatis conſone Florentini Vocabularii Auctores interpretati fuerint vocem *Trabocchetto*. Per eam ſignificari ajunt *luogo fabbricato con inſidie, dentro al quale ſi precipita*. Sed nullum ipſi adferunt exemplum. Illud quidem certum eſt, *Trabucheta*, ſive *Trabucheta* appellata etiam fuiſſe bellica inſtrumenta illa, unde lapides ejaculari mos fuit, atque unum & idem cum *Trabuchis*, diminutivo tantùm nomine variata. Quæ ipſi veterum exempla adferunt, hoc ipſum produnt. Immo *Trabuchelli* quoque nomine donatæ ſunt ejuſmodi machinæ. In Epiſtola Anno MCCXX. ſcriptâ, ac editâ a Baluzio Tom. 2. Miſcellaneor. pag. 259. legimus: *Super unamquamque Turrim unus Trabuchellus fuit erectus*. Utique Sæculis Italiæ turbatiſſimis, quum Tyranni magni ac parvi dominarentur, ac ſævirent factiones Guelforum atque Gibellinorum, in uſu fuere teterrima inſidiarum loca, ideſt in cubiculis pavimentum perforatum, ac ligneâ tabulâ (*Ribalta* appellabant) ita caute coopertum, ut qui improvide alteram tabulæ partem pedibus premeret, cedente ipsâ in ima rueret. Locus in quodam Caſtro mihi indicatus olim fuit, ubi ejuſmodi nefaria decipula fuiſſe tradebatur. Erat autem nomen apud Italos hiſce inſidioſis locis *Trabocchello*: quod & adhuc perdurat ad capiendos mures, aves, ac feras. *Trabocchello* a *Traboccare* Italico derivatum videtur, quod ore demiſſo in præceps ruere ſignificat. Apud Gallos *Trebuchet* idem ſonat, ac nobis *Trabocchello*.

Ad Machinas jaculatorias redeo, quæ omnes ab antiquis *Ingenia* appellatæ ſunt, *Tormenta*, *Artificia*, *Ædificia*, a Florentinis *Difici*. Propterea *Ingeniarii* & *Ingenioſi* dici olim conſueverunt ejuſmodi machinarum Artifices, ad quas inveniendas & conficiendas quiſque intelligit, multum Ingenii adferendum fuiſſe. Durat adhuc apud nos eâdem ſignificatione ipſa vox *Ingegnere*, quæ ad Architectos quoque translata eſt. Lingua ipſa Italica olim haſce machinas *Ingegni* appellavit. Bartholomæus de Neocaſtro in Hiſtor. Siculâ, a me editâ in Tom. XIII. Rer. Ital. *Ingenias* non ſemel commemorat, & obſidionem Civitatis deſcribens, ait: *Lapides Ingeniarum volvuntur*. Addit: *Magiſter Ingeniæ Admirati, quæ vocabatur Caſtellionum, erecto diametro, adeo ſubtiliori ingenio temperavit Ingeniam, quod quotiens ex ipſa lapides immittebat in Caſtrum, ſingulos lapides immiſit in Puteum, qui vocatur Baſilius*. Atque heic non reticebo, ſingularem quondam Amicum meum P. Berettum in Diſſertatione Chorographicâ præpoſitâ Tomo X. Rer. Italic. retuliſſe ex Memoriali Poteſtat. Regienſ. Tomo VIII. pag. 1107. Rer. Italicar. hæc verba, eaque ita interpretatum fuiſſe: *Et habebant Manganellas* (fuſtes) *in plauſtris, & manganabant* (fuſtibus cædebant) *eas per Carroccium Parmæ, & homines illius partis*. Quæ heic *Manganellæ* dicuntur, & alibi *Mangonellæ* appellatæ reperiuntur, *Mangana* minora fuerunt, unde projiciebantur ſaxa adversùs Carroccium & Populum Parmenſem. Illarum quoque mentio eſt in Annalib Genuenſib. Caffari ad Annum MCCXXVII. Mos etiam fuit, nomen ſuum indere ejuſmodi Machinis prægrandibus, præcipue *Lupi* & *Aſini*. Et vetuſta quidem hujus moris origo. Ammianus Marcellinus Lib 23. Cap. 4. ad Annum Chriſti CCCLXIII. Machinam lithobolam deſcribens, quæ *ſaxum contorquet, quidquid incurrerit, colliſurum. Cui etiam Onagri vocabulum indidit ætas novella eâ re, quod Aſini feri, quum venatibus agitantur, ita eminus lapides poſt terga calcitrando emittunt, ut perforent pectora ſequentium, aut perfractis oſſibus capita ipſa diplodant*. In Annalibus Genuenſib. Stellæ ad Annum MCCCLXXII. memorantur *Machinæ plures, magni ponderis lapides jacientes: & præ aliis Machina una, quæ Troja* (ideſt Sus femina, ſive Scrofa) *vocata jaciens lapidem ponderis, quod Cantariorum XII. uſque in XVIII. vocatur*. Hoc mirum, ſi verum eſt, quod traditum vidi, apud Genuenſes *Cantarium* fuiſſe pondus centum quinquaginta Librarum. Vide & apud Du-Cangium in Gloſſario Latino alia bellicarum ejuſmodi Machinarum exempla, quibus inditum fuit nomen *Troja*. In Actis MStis Reipublicæ Mutinenſis ad Annum MCCCVI. memoratum vidi *Balliſtum, quod appellatur la Lova* (ideſt *Lupa*) *valoris, & exſtimationis circa trecentarum Librarum Mutinenſium*. Hiſce adde Henricum Roſlam Saxonem, qui Meibomio teſte circiter Annum MCCLXXXVII. ſcribebat:

Non heic unigena fabricatur Machina. Nomen
Hæc Librilla tenet, quaſi ſaxea pondera librans.
Obtinet illa Suis: ſed Hirundinis hæc: ſtat Aſelli
Illa vocata notâ.

Ita Abbo Lib. 2. de obſidione Pariſ. memorat *Arietes, vulgo Carcamuſas reſonantes*, hoc eſt, appellatos. In Vita Nicolai Laurentii (ſeu Cola de Rienzi) Tribuni Romanorum enarratur

erant hoſtiles eoſdem Populi Romani provenisse ad obſidionem Vetrallæ. Ibi, ut is ait, *fecero uno Manganello de legno, e comenzarola a tirar alla Porta della Rocca. La notte ſi fece. Quelli della Rocca meſcolaro Zaffe, Pece, Vegete, Trementina, Lena, & altre coſe, e gittavo quelle medeſime ſopra lo difitio. La Manella ſi fu quella notte arſa. La domane fu rezzata ...* Artes etiam & Artificia appellatæ ſunt ejuſmodi Machinæ, unde fortaſſe derivata eſt continuando nuncupandi tormenta bellica, quæ poſtea adinventa, *Artiglierie*, quibus etiam proprium nomen imponebatur. Ferrariæ in Armamentario Atestinorum Ducum erat (nunc autem eſt Mutinæ) immane tormentum aeneum, cui nomen *la Regina*. Erat & *il gran Diavolo* ab Arcolio memoratum. Manganum verò *Balearis Machina* a Gunthero appellatur Lib. 3. Ligur. ubi ait:

Erigitur muris Balearica Machina molis,
Quæ valido longum transjecerat aera jactu.

Jacobus Spiegelius in Scholiis ad hunc locum ſcribit: *Balearica Machina, id eſt funda: quæ primum inventa eſt apud Baleares Inſulas.* Hæc accepte, ſi vulgares fundas intelligit, quibus Balearis Populus præcipue valuit ad lapides ſaxeos aut plumbeos projiciendos. Guntherus heic prægrandem *Balliſtam* ſeu *Manganum* deſcribit, quo ingentia ſaxa torquebantur in Caſtrum obſeſſum. Verum quidem eſt, *fundam* ejuſmodi Machinis interdum fuiſſe inſertam, ut Lipſius Lib. 3. Dialog. 3. Poliorcet. oſtendit. Sed longe a vulgari diverſa fuit, ſimulque certum eſt, apud majores noſtros uſurpatas fuiſſe voces *Funda*, *Balea*, *Baleare*, *Balearius* &c. pro *fundendo* ſive lapides, ſive plumbum, ſive ſagittas. Et hinc vox *Baliſta*, *Baleſtra* a Græco βάλλειν. Vide Du-Cangium. Guntherus ipſe Lib. 9. *Fundas* primo, tum *Mangana* commemorat, ſcribens:

- - - - - - - - - - Lapides agitata minores
Funda rotat. Magnos Balearica Machina muros
Incutit, & duro munimina verberat ictu.

Itaque *Balearica Machina* idem ſignificavit ac *Machina da gittare, e da tirar groſſe pietre*. De *Funda* Manganellis junctâ mentio eſt in Charta, quam in Codice MSto Cencii Camerarii legebam, atque heic evulgandam cenſui.

Inſtrumentum de reſignatione Caſtri Fumonis, & victualium, utenſilium, aliorumque mobilium ad Caſtrum ipſum ſpectantium, factâ per Dominum Nicolaum de Anagnia quondam nepotem felicis recordationis Gregorii Papæ IX. cui per Dominum Urbanum Papam IV. commiſſum fuerat idem Caſtrum, Anno 1263.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Amen. Anno Nativitatis ejuſdem Milleſimo Ducenteſimo Sexageſimo Tertio, Pontificatus Domini Urbani IV. Papæ Anno II. Indictione II. Menſe Julii VIII. intrante. In præſentia mei Notarii & teſtium ſubſcriptorum, Frater Loffridus Converſus Foſſænovæ, & Caſtellanus Roccæ Fumonis, per Dominum Nicolaum de Anagnia Domini Papæ Capellanum, & Leotharius conſobrinus ejuſdem Domini, reſignaverunt Roccam Fumonis nomine & vice ipſius Domini, cui ipſa Rocca ab Apoſtolica Sede ad cuſtodiendum fuerat commiſſa, cum rebus inferius adnotatis, Buchino Servienti Domini Papæ, ſecundum mandatum receptum per Literas Domini Papæ ſupradicti. Quarum Literarum tenor talis erat. Urbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto filio Nicolao de Anagnia Capellano noſtro, nepoti felicis recordationis Gregorii Papæ prædeceſſoris noſtri ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quum propter quædam, quæ in his diebus in Campaniæ partibus emerſerunt, Caſtrum Fumonis Anagnienſis Diœceſis, cujus cuſtodia tibi eſt ab Apoſtolicâ Sede commiſſa, in noſtris manibus modis omnibus habere velimus, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta ſub pœna gratiæ noſtræ diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus ſtatim receptis præſentibus, ſicut honorem tuum diligis, & indignationem noſtram deſideras evitare, Caſtrum ipſum cum frumento, vino, hordeo, ſeu tam præſentis anni quàm etiam præteriti, ſi quæ de præterito anno reſidua ſunt in Caſtro ipſo, nec non cum Baliſtis, Armis, ac ejuſdem Caſtri ceteris Guarnimentis, dilecto filio Buchino Servienti noſtro, latori præſentium, ſublato cujuslibet difficultatis & dilationis obſtaculo, aſſignare procures, faciens ſuper aſſignatione Caſtri & aliorum prædictorum confici duo ſimilia publica Inſtrumenta, quorum unum penes prædictum Buchinum, tranſmittendum nobis, & reliquum penes te volumus remanere. Neque in aſſignatione ipſius Caſtri, quod nequaquam ad præſens dimittere tibi proponimus, ſub ſpe obtinendæ a nobis ulteriorem ejus detentionem, aliquam difficultatem inheras, ſive moram, quum nequaquam te in hoc exaudiremus, ſed gereremus ad grave potiùs & moleſtum. Datum apud Urbemveterem, V. Nonas Julii, Pontificatus noſtri Anno II. *Res autem reſignatæ ſunt hæ. In primis ſunt XLVI. tinæ de grano: item XV. tinæ de farina grani farri: & X. tinæ de farina grani ſpeltæ: item XXXIV. tinæ de ſpelta: item XVII. Scuta, de quibus quædam fracta ſunt: item XIII. tinæ de ſimula: item XVI. cappillinæ*, cum VII. Baliſtis de ligno fractis: item IV. fundæ de Manganello; *& una concula de torno. Item XI. vegetes cum V. caballatis vini, & una de aceto: item III. tini, & IV. ſcamna, & uno diſco, & duabus tabulis de diſco: item duæ catenæ, & una lucerna, & una capix ferrea, & una ſartago; item una grattarola, & unum par teſtorum, & quatuor caldariæ inter magnas & parvas: item I. ramarolum, & I. grappellum: item una caldarella pro ciſterna: item ſagimen medii porci: item unum ſtilum pro ferrandis equis: item duæ pallæ ferreæ. Item unus aſinus, & una aſina: item unum par barilorum pro aqua: item unum par flaſconum, & duo arcæ: item quatuor toaliæ pro diſco, & quatuor*

tuor manutergia : item duo coopertoria pro pane : item duæ pelles , & duæ molæ de centimulo : item IV. ſacci , & III. ſaccones , & II. cultræ : item I. funiculus : item I. calix cum patena argenteus , cum uno thuribulo argenteo : item I. paramentum completum , & unam ſimiliter Planetam : item I. Liber Miſſalis : item I. Paſſionarium , & I. Pſalterium , & II. Antiphonaria de die & nocte : item III. Homiliæ : item I. centenarium de paraſſidibus , & XXX. gradales : item XIX. gallinæ , & una calcaria . Quæ omnia ſupradictus Buchinus confeſſus fuit recepiſſe ad manus ſuas coram me Notario & teſtibus infraſcriptis cum Rocca memorata per prædictos Fratrem Loffridum & Leotherium , nomine & vice Domini Nicolai ſupradicti , ut ſupra continetur .

Actum in Minano prædictæ Roccæ coram Domino Philippo de Ferentino , Roberto dicto Coſſa ejuſdem Civitatis , Petro de Sancto Germano ſerviente Domini Papæ , Simeone de Verulis , Johanne Petri Rogerii de Lauzano , Oddone Amatonis , & Bartholomæo Giffredi . Et hujus rei vocati fuerunt teſtes .

Et ego Johannes de Guarcino , qui dicor de Sancto Joanne , auctoritate Sedis Apoſtolicæ Notarius , cui ab eadem Sede conceſſa eſt poteſtas , tutores & curatores dandi , decretum interponendi , alimenta decernendi , teſtes recipiendi , & publicandi , acta , protocolla & Inſtrumenta exemplandi , & alios legitimos actus , ad hoc interfui , rogatus ſcripſi , & ut ſuperius legitur , in publicam formam redegi , & feci ſignum , per quod cognoſcitur nomen meum .

Hæc eſt autem celebris Arx Fumonis , in quam conjectus fuit Anno MCCXCV. a Bonifacio VIII. Papa Petrus de Murrone , antea Cœleſtinus V. ſummus Pontifex , qui ibi ſanctiſſime dies ſuos complevit . Anonymus Beneventanus in Chronico ad Annum MXLII. apud Camillum Peregrinium , Tomo V. pag. 151. Rer. Italicar. hæc ſcribit : *Maniaki perrexit in Trane per mare , & terrâ obſedit eam . Fecit ibi Turrem excelſam ligneam , & Tractareas manculas , & Berbices , ut comprehenderet eam* . Hoc eſt Turrim mobilem ; & *tractorias* , ut opinor (*tiratore* nunc diceremus) *manculas* : lego *Machinas* , aut *Mancanas* , ſeu *Manganas* (hæc enim a Librariis vitiata fuere) & *Berbices* , ideſt Arietes . Atque heic mihi patefaciendus error complurium Eruditorum in inveſtiganda origine Italicæ vocis *Magagna* . Ægidii Menagii in Lib. de Originib. Linguæ Italicæ , verba ſunt . *Magagna , difetto , Mancamento , credo da Mancare , Mancanus , Mancana , Macana , Magana . Magagna . Da μαχανὰ Dorico lo cavano il Caninio e'l Monoſini . Voleva il Guieto , che derivaſſe da Magus . Magus , Maganeus , Maganea , Magagna . A Mangonibus , Mangonium , Mangonia , Magagna , il Signor Ferrari* . Procul a vero quilibet abiit . A *Manganum* prodiit vox *Magagna* . Quum enim imbrem ſaxorum Mangana projicerent , & homines , aut equos (ut domos prætercam) ferirent , percuterentque , vulnera iis , ſive ſupremam perniciem inferebant . Propterea equi aut homines Manganorum lapidibus percuſſi , *Manganati* , ſeu *Manganiati* appellabantur , ac tamdem *Magagnati* . Hinc *Magagnare* , *Mangano* ferire , & *Magagne* , ideſt vulnera *Mangano* illata , prodierunt , quæ poſtrema vox ad quodcumque vulnus & labem translata eſt . *Si fanno mura , che l'uomo non puote Magagnare per difici nè per Mangani* ; ita in antiqua Italica Expoſitione *Pater noſter* apud Academicos *della Cruſca* . Matthæus quoque Villanius Lib. prim. Cap. 22. ait : *E i loro cavalli erano più ſtanchi e Magagnati dalle ſaette de gl' Ingleſi* . Germanica Lingua adhuc appellat *Mangel la Magagna* . Sic vocat *Pferd-Mangel* , ut ſignificet *Magagna di Cavallo* . *Manganum* verò pariter *Mangel* nuncupat . Ita Angli ab eâdem Germanicâ voce ſuum *Mangle* deduxerunt , cujus ſignificatio eſt *cædere* , *lacerare* , *vulnerare* , *mutilare* , ſimulque ut Itali ajunt *ſtorpiare* . Incredibile verò dictu eſt , quanti ponderis lapides per Mangana , Petrerias , aliaſque ejuſmodi Machinas , projicerentur in hoſtes , atque in ædes . Interdum vel ipſæ Turres firmiores , nedum earum tecta ac tabulata , ab iis concutiebantur , & obſeſſis eripiebatur fere omnis locus quietis . Quod nunc , majori tamen ſucceſſu *Bombæ* peragunt , olim per Mangana tentabatur . Neque reticebo , quid hominum induſtria Anno MCXVIII. ad lithobolarum Machinarum vim aliqua ratione eludendam aut infirmandam excogitarit ; ſcilicet Rete e funibus , quo lapides evolantes exciperentur , ante locum impetitum protendebatur . Pandulphus Piſanus in Vita Gelaſii II. Papæ , editâ Tomo III. Rer. Italicar. hæc ſcribit : *Faciunt contra machinas , vineas , baliſtas , & arcus . Inde primùm Rete contra Petrarias ad Turres aperiendas ab aſtuto illo Tyranno* (Henrico Quarto inter Auguſtos , inter Reges Quincto) *in damnum plurimorum , & proficuum multis ingenium exquiſitum inventum eſt* . Quid Saraceni Ebuſani , teſte Laurentio Vernenſi , ſive Veronenſi , Lib. 4. Belli Balearic. meditati ſint ad eludendos ingentes lapides a Piſanis per machinas projectos Anno MCXIV. ex hiſce verſibus ediſces :

Protegitur murus pannis , latiſque tapetis ,
Et Turres habuere ſui munimina veſtes ,
Fulcraque collatæ luſerunt ſæpius ictus
Molis , & appoſitæ texerunt cetera crates .

Ita in obſidione Tortoſæ Anno MCXLVIII. ut habet Caffarus Lib. prim. Annal. Genuenſ Tomo VI. Rer. Italicar. quum Saraceni in Caſtellum ligneum Chriſtianorum *petras ducentarum Librarum ponderis* projicerent , Genuenſes hoc *citò emendaverunt , atque retia chordarum juxta parietes Caſtelli tanta poſuerunt , quod ictus petrarum Saracenorum nullo modo timuerunt* . Tunc etiam in Urbium & Caſtrorum oppugnationibus uſurpatæ ſunt *Vineæ* , ſeu *Crates* multiplicis generis , quas *Gatti* vulgaris Lingua appellavit , Latina vero barbara *Gatos* , *Gattos* , *Cattos* : ſub quibus latentes milites ad ſuffodiendos muros , aliaque in hoſtem tentanda procedebant . Vocabularii Cruſcani Auctores *Cattum* definiunt : *Iſtrumento bellico da percuoter muraglie , il quale ha il capo in forma di gatta . Latine Aries , teſtudo* . Errant . Bernius ipſe ab iis laudatus ſcribit :

Gatti teſſuti di vinchi e di legno .

En Crates , en Vineas veterum . Rolandinus Lib. 8. Cap. 13. Chronic. *Ædificium quoddam conſtruxere , quod vulgo Vinea dicitur , ideſt Gattus* . Infra addit : *qui ſub Gatto erant* . Dandulus quoque ſcribit *cum Gatto ſuppoſitum fuiſſe ignem Portæ Altinati* Patavii . Cortuſii in Hiſtor. Lib. 7. Cap. 7. inquiunt : *Fiunt Vineæ , ſive*

ſua Gatti, pontes, & ſcalæ &c. Ita Bartholomæus de Neocaſtro in Hiſtoria Sicula Gattum commemorat ex trabibus pariter. Guillelmus Brito Lib. 7. Philipp.

Hic Turonem rupere Catum, teſtique ſub illo Suffoſſum murum — — — — — — — — —

Item Nicolaus Specialis Lib. primo Cap. 15. Hiſtor. Siculæ, mentionem facit *de trabibus ligneis, quas vulgo Gattas appellant*. Du-Cangius ad vocem Catus, Vegetii verba affert ſequentia: *Vineas dixerunt veteres, quas nunc militari barbaricoque uſu Cattos vocant*. Quid vero ſint Vineæ ſcripſit, eruditi norunt. Elegantem eas deſcripſit Lipſius. Sed nihil diſſimulandum; diſſentiunt Codices Vegetii; alii enim pro Cattos habent Cautos, alii Catias. Quamobrem audiendus Otto Morena Tomo VI pag. 1041 Rer. Italicar. qui Gattum ingentis molis Friderici I. Auguſti juſſu conſtructum deſcribens, hæc inter cætera ait: *In ipſo enim Gatto quædam Troja ferrata, quam Berrellum appellabant, conſtabat, quam ipſi, qui infra ipſum Gattum fuerant, fortis plus de viginti brachiis propulſantes in murum ipſius Caſtri mirabiliter feriebant*. Editio Oſii pro *Berrello* habet *Berbicellum*; Utrumque recte. Nam a *Berbix* (quod e *Vervex* efformavere Secula barbara, ut ſignificarent *Arietem*, hoc eſt Machinam bellicam) derivatum fuit diminutivum *Berbicellum*; atque ex hac voce per ſyncopen pullulavit *Berellum*. Radevicus etiam Lib. 2. Cap. 54. de Geſt. Friderici I. obſidionem Cremenſem deſcribens, inquit de Cremenſibus: *Non ſegniter ſe & ipſi communiunt, magnaque audacia ſuper muros, & in ſuis Machinis, quas Gattas appellant, operiuntur*. Ipſe Morena infra ait: *Multas Gattas ex cratibus fecerunt*. Ergo vides, ſub Gatto compoſitum fuiſſe Arietem ad mœnia diruenda, ac proinde vocabulo *Gatti* deſignari quaſcumque Machinas mobiles e ligno & cratibus contextas, quibus bellatores ſeſe tegebant, ut aut hoſtium muros tuti contingerent ac dejicerent, aut lapidum e tormentis projectorum vim ſeu ignem & jacula hoſtilia eluderent. Quod ſi quis *Gatto* pertuſa mœnia dixit (& ſane in Annalib. Genuenſib. Stellæ, habemus *Gattos* adhibitos *pro fractione murorum*, & in Piſanis Annalibus *murum a Gatto foratum*) id per Figuram quamdam dictum fuit, quum *Gattus* Arietem complecteretur, quo mœnia frangebantur. Ac propterea naves etiam, ſub quibus milites latere poſſent, *Gattos* appellarunt. Bartholomæus Platina Lib. 4. Hiſtor. Mantuan. ſcribit: *Quatuor naviculas ſubmittit undique coopertas, quas Gattos incolæ vocant, relictis ab uno latere feneſtris quibuſdam, unde tuti ſecuribus ac dolabris exſcindere pontem liceret*. Apud Gallicos Scriptores *Sues* interdum memorantur. Iidem ii fuere ac nobis *Gatti*. *Muſculus* quoque, & *Murilegus* interdum eadem Machina eſt appellata.

Certum & ſub ipſis Romanis & Græcis uſurpatæ Machinæ lithobolæ ad tutelam aut ad offenſionem, ab uſu Italicorum numquam receſſere. Audi Anaſtaſium Bibliothecarium in Vita Gregorii IV. Papæ ſcribentem ad Annum circiter DCCCXXIX. *In Civitate Oſtienſi Civitatem aliam a ſolo valde fortiſſimam, muris quoque altioribus ac ſeris & cataractis eam undique permunivit, & deſuper ad inimicos* (idest Saracenos), *ſi venerint, expugnandos Petrarias nobili arte compoſuit, & a foris non longe ab eiſdem muris ipſam Civitatem altiori foſſato præcinxit, ne facilius muros contingere iſti valerent*. En quæ munimenta ad Urbes adhiberentur Sæculo Chriſti IX. inter quæ præſertim *Petrariæ* numerabantur. Atque eo deducta vis fuit hujuſmodi machinarum, ut quemadmodum jam monui, non ſolum apud antiquos, ſed & Sæculo XII & XIII. per eas ſaxa ingentis ponderis, atque ipſi molares, projicerentur in Urbes & Caſtra obſeſſa, in incommodum grave tam ædium quam hominum. Si fides Rolandini Chronico Lib. 6. Cap. 6. quum Eccelinus de Romano Anno MCCXLIX. Arcem Eſtenſem obſideret, adhibuit *XIV. ædificia trabuccantia undique ipſam Roccham. Et rotabant ædificia quædam lapides ad ipſum Caſtrum ponderis Librarum Mille ducentarum & ultra*. Annales quoque veteres Mutinenſium Tomo XI. Rer. Italicar. ad Annum MCCLXV. memorant *Trabuchum Mutinenſium, qui factus fuerat in Platea Communis Mutinæ, cujus pertica erat, quantùm ſex paria boum ducere poterant*. Quum *Manganis* & *Trabucchis* in obſidionibus pugnatum ſæpiſſime Hiſtorici ſcribant, indicio illud eſſe poteſt, non ejuſdem plane ſpeciei Machinas fuiſſe *Mangana* atque *Trabucchos*: quamquam certum ſit, utraſque ad lapides projiciendos fuiſſe uſurpatas. Jacobus tamen Malvecius in Chronic. Brixiano pag. 911. Tom. XIV. Rer. Italicar commemorat *Petrarias, quas nos Manganos, aut Trabuccos dicimus*. Teſte Fulvio Azzario in Hiſtoria MSta Regii Lepidi adhuc viſitur lapis ad Portam Sanctæ Crucis cum hac inſcriptione poſitus in honorem Guidonis Lambertini Prætoris Regienſium, qui amplificatâ Urbe Portam illam ædificandam curavit. En ipſam:

ANNO M. C. NONAGESIMO VIII.

HOC OPVS EST ACTVM, GVIDONIS TEMPORE FACTVM,

QVI LAMBERTINI COGNOMEN GESTAT AVINI.

HVNC HOMINEM CAVTVM TRIBVIT BONONIA LAVTVM

VRBI REGINE RECTOREM CELIBE FIDE.

BESMANTVM CEPIT, PVLGANVM GRANDINE FREGIT.

HANC PORTAM CRVCIS CENSEMVS JVBARE LVCIS.

Verba

Verba illa *Pulganum grandine fregit* ſignificant, Caſtrum Pulgani ab eo Prætore Manganorum lapidibus obtritum fuiſſe. Legitur etiam in Memoriali Poteſtat. Regienſ. Tomo VIII. Rer. Italicar. ad Annum Chriſti MCXCVIII. *Et captum eſt Caſtrum Puliani*. Verùm uti Dominicus de Gravina in Chronico edito Tomo XII. Rer. Italicar. pag. 674. memoriæ prodidit, ejuſmodi Machinæ grave ſane incommodum obſeſſis inferebant, at raro eos ad deditionem cogebant. *Capitanii*, inquit ille, *dicti exercitus ab exteriori parte Trabuccos quatuor erexerunt, per quos continuo nocte dieque impaſſibiles* (corruptum, ut puto, epithetum) *lapides jaciuntur. Sed, ut tunc vidi, exiſtimo numquam per Trabuccum Terram poſſe acquiri: quoniam Trabuccus non ad aliud bonus eſt, niſi in acquiſitione Caſtrorum, licèt ex ictibus Trabuccorum ipſorum & fractionibus lapidum, quos jaciebant, plurimi periiſſent homines in Berdeſcis, & Berdeſcas plurimas infregiſſent*. Sed quoniam præ manibus habemus Scriptorem hunc, qui Anno MCCCL. hæc literis mandabat, ſubſequentia adjungere juvabit, e quibus intelligemus, *Mantellos* aliud bellicæ Machinæ genus fuiſſe. *Fecerunt etiam*, ſubdit, *Capitanii ipſi diverſa Ingenia lignea præparari, Pontes, Caſtra* (ſcilicet Turres mobiles) *Scalas, Gattos, & Mantellos, Fundas plurimas, & Baliſtas; & ligna plurima, ſeu fraſcas incidere; ut cum eis & ex eis foſſatis adhæreant, & foſſatos faciant onerare*. Fortaſſis inditum fuit *Mantelli* nomen Cratibus aut Vineis, tranſlato in militiam nomine *Mantellorum*, quibus hominum corpora conteguntur. Petrus Azarius in Chronico, Tomo XVI. Rer. Italicar. pag. 328. de Comite Urbini ſcribit: *Qui ſuper Circhis ipſius Terræ Scarpariæ Mantellos firmos tenens, defenſores graviter offendebat*. *Ciconiæ bipennes* etiam memorantur a Bartholomæo de Neocaſtro in Hiſtor. Siculâ, Tomo XIII. Rer. Italicar. pag. 1135. Ad Tollenonis formam machina iſta conſtructa mihi creditur, apta & ipſa ad immittendos molares in Arces obſidione preſſas. Cadavera quoque fœtida jumentorum, & ſtercora interdum injiciebantur in loca obſeſſa, tum ad vexandos fœtore incluſos, tum etiam irriſionis cauſsâ. Anno MCCXLIX. profligati fuere Mutinenſes a Bononienſibus celebri eo prælio, in quo captus Henricus, qui & Hentius Sardiniæ Rex, Friderici II. Auguſti filius, victoris Populi triumphum auxit. Tum Bononienſes in fortuna belli non ſegnes, Mutinam afflictam arctâ obſidione vinxerunt, atque inter cetera per tormentum Aſini cadaver ſoleis argenteis ornatum ad opprobrium obſeſſorum noctu in Urbem projeciſſe feruntur. Annalium Bononienſium Auctor Anonymus Tomo XVIII. Rer. Italicar. his verbis rem tradit: *Del Meſe di Settembre i Bologneſi con grande oſte aſſediarono Modena per cinque ſettimane, e fecero vie coperte, e con Trabucchi buttarono molte pietre nella Città, e vi gittarono un' Aſino*. Verùm huic Scriptori addendum erat, quod Sigonius, Ghirardaccius, ac alii non prætermiſere; videlicet, percitum eâ ignominiâ atque irâ generoſum Populum Mutinenſem, continuo e Portis erupiſſe, ac tanta vi in apparatum Machinarum ſe conjeciſſe, ut *Briccolum*, qua Aſinum ejaculati fuerant, eis eripuerit, atque in Urbem feſtivo ululatu detulerit. Paria ante præſtiterant Florentini in obſidione Senarum Anno MCCXXXII. Hæc de iis ſcribit Ricordanus Ma-

A laſpina Hiſtor. Cap. 120. *Aſſediarono Siena dalle tre parti, e con molto edificio* (ita appellabant Mangana, aliaſque Machinas bellicas) *vi gittarono entro pietre aſſai; e per più diſpetto vi Manganarono entro Aſini, e molta bruttura.*

Atque heic rurſus animadverte morem veterum, ejuſmodi bellicis machinis imponendi plerumque nomen, e variis beſtiis petitum, ſive lithobolæ, ſive ad frangendos muros, ſive ad aggreſſores celandos compoſitæ forent. *Talpa cavans Arces* Godefrido Viterbienſi memoratur. *Ericii* jaculatoriæ machinæ fuiſſe videntur. *Vulpes* quoque Arietum ſpecies, ſive ligneæ machinæ, ſub quibus latens Aries deducebatur, apud veteres occurrunt. Otto de Sancto Blaſio Cap. 23. obſidionem Alexandriæ deſcribens, B Anno MCLXXI. a Friderico I. Auguſto inſtitutam, hæc omnia complectitur, inquiens: *Talpas, Vulpeculas, Ericios, Cattos (talibus enim cenſentur nominibus) exuri præcepit*. Ita Rolandino in Chronico Lib. 10. *Tortorellæ, ſive Prederiæ memorantur*; jamque ſupra nobis occurrerunt *Aſini, Sues, Gatti*, aliaque ejuſmodi animalium nomina in rem bellicam tranſlata. *Plutei* quoque fuerunt, *Vinearum* ſeu *Cratium* ſpecies, ſub quibus tecti milites ad mœnia hoſtilia deducebantur. Turres verò fabricabantur e ligno (*Caſtella* appellabant), quæ rotis ſuppoſitis admovebantur ad mœnia hoſtilia, poſtquam foſſæ æquatæ erant. Quibus in- C ſidentes armati cum obſeſſis confligebant, & in murum etiam, quoties licebat, demiſſo ponte irrumpebant. Miſſilibus præterea ignitis in tecta ejaculatis incendia inferre mos fuit: quod præſertim a Græcis Itali didicere. Horum felicior effectus in naves adverſas; *Græcuſque ignis* percelebris eſt, quem ne ipſa quidem aqua poterat extinguere. Memorata quoque videas ab Ottone Morena ſupra laudato pag. 1045. Tomi VI. Rer. Italicar. *Manganos, Pretariaſque, & Scrimalias, ſeu Machinas, ceteraque defenſionis Cremæ inſtrumenta*. Fuerunt *Scrimaliæ* Plutei, ſeu aliquid ſimile e ligno, ſuper Urbium & Caſtellorum mœnia poſiti, ſub quibus præſidiarii milites latentes cavebant D ſibi a ſagittis, telis, aliiſque hoſtium miſſilibus, & inde per feneſtellas & cataractas lapidibus, jaculis, *Pilotis* (ideſt *Ballotte*, glandibus plumbeis nempe, ſeu globulis lapideis) aliiſque armis pugnabant in hoſtes. *Scrimaliæ* appellatæ, hoc eſt, *Difeſe*, a Germanico *Schirm* & *Schirmen*, unde noſtrum *Scherma*, *Schermirſi*, *Schermare* &c. Supra idem Auctor ſcripſerat: *Fere nullus e Cremenſibus ibi ad Scrimalias, ſeu Machinas ipſius Caſtri apparere poterat, quod baliſtrerii, qui infra ipſum Caſtrum fuerant, ſtatim non interficerent illos*. Nunc in obſidionibus dicimus *levare le Difeſe*, quum obſidentes impetu ignivomi tormenti, propugnacula, ſcilicet vallum, loricas, ſaccos lanæ, & quidquid E ſupra mœnia ſtructum eſt, ſub quo obſeſſi milites pugnare ſolent, dejiciunt. Eâdem ratione uſi ſunt veteres voce *Scrimalia*. Nunc Mutinenſes *Schermaglio* appellant ligneam aut chartaceam tabellam, quam ad ignem ſedentes objiciunt calori, ne caput lædat. Quæ nunc etiam inſtrumenta *Cavalli di Friſia* in militia nuncupantur, non ignota antiquis fuiſſe mihi videntur. Nicolaus de Jamſilla, cujus Chronicon edidi Tomo VIII. Rer. Italicar. pag. 565. dum Manfredi poſtea Siciliæ Regis bellica geſta deſcribit, hæc habet: *Facta ſunt de ingenio Marchionis Bertholdi quædam lignea inſtrumenta triangulata, ſic artificioſe compoſita, quod de-*

bus ad locum leviter ducebantur, & quocumque modo revolverentur, ſemper ex uno capite erecta conſpiciebantur. His ergo ligneis inſtrumentis Papienſes exercitui ex illa parte, qua erat exercitus Principalis aſpectus, ſe circumvallavit, & ſic ſe ipſum compoſitione vallavit, ut non de facili ex illa parte poſſet invadi. Tribulos etiam ferreos temporibus barbaricis interdum adhibitos reperio, & per agrum ſparſos, ut equitatui acceſſus & curſus impediretur. Supra occurrit nobis Ghirardaccius in Hiſtoria Bononienſi. [illegible] cum mulo. Auctor ille eſt Lib. 17. pag. 575. Populum Bononienſem Anno Chriſti MCCCXIV. miſiſſe *quaranta Graffi all' eſercito del Frignano*. Hæc legit Du-Cangius, atque e veſtigio in ſuo Gloſſario Latino adnotavit: *Graphium, ſeu Grafium, ſpeciem machinæ bellicæ fuiſſe, videtur innuere Cherubinus Ghirardaccius*. Scilicet rem dubiam & incompertam ille reliquit: ego eorum uſum explicabo. *Graffium* nobis eſt, ut omnes norunt, quod Gallis *Croc*, ferreum videlicet inſtrumentum, uncis pluribus conſtans, cujus erat uſus in tuendis mœnibus, dum hoſtis impetum faceret. *Harpagones* Latinorum aut iidem aut parum ab iis diſſimiles fuere. In aſcendere volentes, aut ariete murum lacerantes, demittebantur *Graffii*, & ſi quem uncis implicabant, in ſublime ſtatim rapiebant. Habemus Dionis Caſſii verba in Severi Vita, & Taciti in Lib. 4. Hiſtoriar. quæ ſuis temporibus non ignotum neque inſuetum fuiſſe ejuſmodi inſtrumentum bellicum produnt. Vide Lipſium Lib. 5. Cap. 8. Poliorcet. Ejuſque uſum in Italia præſertim poſt Sæculum X. reperimus: quam in rem multa exempla ſuppeditantur ab Hiſtoriis a me editis in Collectione Rer. Italicar. Unum do Gualvaneum de la Flamma, qui Cap. 143. Manipul. Flor Tomo XI Rer. Italicar. obſidionem Mediolanenſem deſcribens a Conrado I. Auguſto peractam, inter cetera ait: *Armis fulgebat terra. Uncinis ferreis attrahitur hoſtis*. Neque heic reticendum, ab Angelo Monoſinio in Flor. Linguæ Italic. Lib. primo, e Græco verbo γράφειν, quod eſt *ſcribere*, deductum fuiſſe Italicum *Graffare* & *Graffiare*. Hanc Etymologiam *veriſſimam* Menagius in Lib. de Origin. Linguæ Italic. appellat. Contra ego falſam puto. *Graffiare* (fortaſſis & *Grafigner* Gallicum) a *Graffio*, ſive inſtrumento uncinato efformatum eſt, quo aliquid prehendimus, aut laceramus. *Graffium* verò ab antiqua voce Saxonica *Crapho*, *Krappelen*, ad nos venit, quam Angli Saxonum filii ſervant, *Grapple* appellantes id, quod nobis eſt *Uncino*, & *Rampino*. In Gloſſis Theotiſcis vetuſtiſſimis ab Eccardo editis legitur *Uncinus*, *crapho*. Noſtra verò vox *Rampino* a Latino *Harpagone* fluxit, converſo in *Rampicone*, quam vocem Boccaccius memorat, & intactam reliquit Menagius. Pro exiguo unco iidem dixere *Rampicino*, & breviatâ voce *Rampino*. Atque iſto etiam vocabulo uſus eſt Otto Morena in Hiſtor. Laudenſi. Et fortaſſis ex ipſa voce *Krappelen* (idem hæc eſt atque *Creep* Anglicum, quod *Crip* pronuntiant) aut e Saxonico *Gripan*, & Cimbrico *At-Grypa* (quas voces apud Hichefium reperio) profluxit Italicum *Grappare* & *Aggrapparſi*, *Aggraffare* & *Arrappare*, niſi ea malis ab *Adrepere* Latino. Id enim nobis ſignificat, *uncis manibus aliquid prenſare*, & manus in *Graffii*, ſeu *Grappoli* formam convertere. Ita *Arrampicare*, quaſi e manibus & pedibus *Rampinos* ſeu *Rampiones* efformare, ut in arduum locum aſcendatur. Erunt qui putent, inde etiam conflatam ſimilem vocem *Inerpicare*, non autem ex *Repo*, ut Menagius eſt opinatus. Inde quoque Hiſpanicum *Engarrafar*, *Unguibus apprehendere aliquid*.

Porro quum bella aut inter Cives factionibus inteſtinis dilaceratos, aut cum hoſtibus externis, frequentiſſima temporibus iis eſſent, nulla Civitas erat, nullum Oppidum, cujus Populo ſæpe in arma ruere, ac militiam, vellet nollet, edifcere opus non foret. Ingruente potiſſimùm belli neceſſitate univerſi Cives ad arma apti in exercitum proſilire jubebantur; aut ſi Caſtri alicujus obſidio facienda erat, modò pars una Populi armata, modò pars altera (*Quarteria* appellabantur) illuc deducebatur. B Neminem, ut puto, pigebit audire, quid Anno MCCCVI. in publico concilio ſtatuerit Mutinenſis Reſpublica, ut conſtat ex antiquo illius Anni Regeſto MSto, adhuc exiſtente in Archivo ejuſdem Urbis. *Providerunt* (ſunt ejus verba) *Domini Poteſtas, Capitaneus, & Decem Sapientes per quamlibet Portam deputati. Primo, quod fiat una electio centum Militum inter Cives Mutinæ: & quod cavalcata eorum debeat durare per unum annum; & quod quilibet ex ipſis Militibus habere debeat a Communi Mutinæ triginta Libras Mutinenſium pro equo in toto dicto anno. Secundo, quod quilibet equus ſit valoris quadraginta Librarum Mutinenſium. C Tertio, ſi equitabunt in ſervitium Communis & Populi Mutinenſis, extra Mutinam pernoctando, habere debeant a Communi Mutinæ illud ſoldum, quod videbitur Defenſori & Conſilio Populi Mutinenſis. Quarto, quod eligantur duo millia peditum de Civitate Mutinæ, de quibus eſſe debeant ducenti Baliſterii, & ducenti Paveſarii. Quinto, quod eligantur de Villis & Communibus Villarum diſtrictus Mutinæ mille pedites; trecenti quorum ſint Guaſtatores de zapis, vanghis, ſecuribus, & ronzileis. Sexto, quod eligantur unus Dominus & unus Notarius pro qualibet Porta, qui faciat parari Trabuchos, ſive Manganos, Baliſtas groſſas, Sagittamenta, Trulos, & alia neceſſaria. Septimo, item providerunt de eligendo mille pedites, qui appellentur Societas beati Geminiani; & de uno Vexillo D faciendo, quod vocetur Vexillum Juſtitiæ*. In primo Capitulo ſtatuitur de *centum Militibus eligendis*. Res poſcit, ut Lectorem minùs peritum moneam, *Milites* a Latinis promiſcue fuiſſe appellatos tam pedites quàm equites: qui ritus diu perduravit. Milites autem utriuſque ordinis in Legibus Langobardicis Rotharis Regis *Exercitales* dicuntur. In Capitulari Sicardi Principis Beneventani apud Peregrinium edito Cap. 20. legimus: *Ut non præſumat aliquis Tertiatorem Exercitalem aut Militem facere*. Cap. 21. *Si Tertiator abſconſe Exercitalis factus fuerit, aut Miles*. Videre heic mihi videor diſcrimen aliquod inter *Exercitalem* & *Militem*: E quod tamen quale fuerit, innuere neſcio, niſi ſit Peditis & Equitis; neque enim *Militis* vox ad Vaſſallum deſignandum ſæpe adhibita heic locum habere poteſt, quum *Tertiatores* non alii fuiſſe videantur, quam Caloni glebæ adſcripti, & pæne Servi. Quod certum eſt, poſt Sæculum Chriſtianæ Æræ Decimum aut Undecimum, vocabulo *Militum* ſignificare in Italia mos fuit *Equites*, hoc eſt, qui equo militabant. *Pedites* verò appellabantur ceteri gregarii pedibus merentes, ſive Sagittarii & Arcatores, ſive gladio & ſcuto armati. Innumera proſtant exempla iſtius vocis ac ſignificationis in

in Collectione Rer. Italicarum. Atque id neſcio cur ab eruditiſſimo Du-Cangio adnotatum minime fuerit in Gloſſario ſuo. Sed jamdiu adnotavit Angelus de la Nuce in Commentar. ad Lib. 3. Cap. 45. Chronic. Caſinenſ. Tom. IV. Rer. Italicar. pag. 462. Quod quum ignorent nonnulli in legendis veterum Hiſtoriis, ubi paucitatem *Militum* offendunt, aut mirantur tam exiles copias, aut Libros vitiatos ſuſpicantur. In Statuto manu exarato Populi Ferrarienſis Anno MCCLXIV. legitur *Juramentum omnium Civium Ferrarienſium Domino Marchioni Obizoni*: cujus hæc ſunt verba: *Et ad manutenendum Civitatem Ferrariæ, & Diſtrictum, & ipſius Domini Marchionis honores & juriſdictionem, conſuetum, & operam bonâ fide dabo per Milites, Pedites, Baliſtrerios, & Navigium ad totam ipſius Domini voluntatem* &c. Sed & adhuc animadvertendum, Sæculo XIII. & XIV. fuiſſe *Milites*, hoc eſt equites *a duobus equis, a tribus equis*. In Charta Fœderis Brixiæ Anno MCCLII. initi, quam proferam in Diſſertatione XLVIII. *de Civitat. Libert.* conſtitutum eſt, *ut de quadringentis Militibus quilibet ipſorum habere debeat tres equos, inter quos unum bonum & idoneum equum armigerum habere debeat & coopertum. Et alii ducenti duos equos pro quolibet habere debeant, inter quos unus bonus armigerus debeat eſſe equus*. Proinde Frater Jacoponus Tudertinus Lib. 3. Ode 25. ait:

Non vuol nullo Cavalieri,
Che non ſerva a tre deſtrieri.

Nimirum ſinguli tunc Equites ſecum adducebant præter ſuum equum, alterum aut pro ſupplemento, aut pro ſarcinis deſtinatum, ſive unum ſaltem, & quandoque duos ſcutiferos ſeu haſtiferos in equis inſidentes, ipſos quoque ad pugnandum, quoties res poſcebat, idoneos atque compoſitos, & ſtipendium poſtea percipientes.

Neque fortaſſe diſpar olim militiæ ratio apud Langobardos. Nam Procopio teſte Lib. 4. Cap. 26. de Bello Gothico: *Auduinus Langobardorum Rex, a Juſtiniano Auguſto multâ pecuniâ, & fœderis ſanctione inductus, delectu ſuorum habito, bis mille ducentos* (ſeu potius *quingentos*, quum Græcus textus habeat πεντακοσίους) *bellatores egregios auxilio miſerat, hiſque in famulatum addiderat amplius tria pugnatorum millia*. Liutprandus quoque Hiſtoricus Lib. 2. Cap. 16. Adelbertum Marchionem Eporedienſem nobis exhibet in prœlio cum Hungaris infauſto hac arte evaſiſſe. Nimirum *vilibus ſe Militis induit veſtimentis: captuſque & ſciſcitatus quis eſſet, Militis cujuſdam ſe Militem eſſe reſpondit*. Ita non agnitus, & Calcinariam ductus, *viliſſimo pretio comparatur. Emit autem illum ſuus ipſius Miles, nomine Leo*. Et hinc elucere videtur, *Milites*, hoc eſt Nobiles, & equo in militia utentes, ſub ſe alios duxiſſe militaturos ad præſidium ſimul ac famulatum. Vide Annales Genuenſes Caffari Lib. 6. editos Tomo VI. Rer. Italicar Ibi ad Annum MCCXXV. hæc leguntur: *Comes Thomas de Sabaudia per inſtrumentum & pactum inde factum, cum ducentis Militibus uſque ad menſes duos ſtare in exercitu ad ſervitium Communis Januæ tenebatur. Et inde habere debebat, & habuit Libras XXVI. pro Milite cum Donzello armatis, & duobus Scutiferis omni menſe; & pro ſua perſona centum Marchas argenti; & pro Capitaneis tribus pro quolibet Li-*

A *bras quinquaginta, & emendationem damni equorum prædictorum, & magnatorum nihilominus, & armatorum*. In poſtremis hiſce verbis vitium ineſt, & ſcribendum *magagnatorum, & armorum*. Additur infra: *In ipſo exercitu fuerunt viri nobiles Lotheringus de Martinengo Civis Brixienſis cum Militibus quinquaginta, quorum quiſque erat cum duobus equis, & cum tribus Scutiferis & Donzellis bene armatis*. Ex quo intelligas, Scutiferos & Donzellos ad pugnandum paratos inceſſiſſe. Præterea ibidem legitur, Prætorem Genuenſem miſiſſe in ſubſidium Aſtenſium *Milites trecentos optime armatos, quemlibet cum Savinerio, & duobus Scutiferis*. Pro *Savinerio* legendum *Savmerio*, vel B *Saumario*, jumento videlicet ad ſarcinas portandas deſtinato: unde Italica vox *Somaro*, quam nos Mutinenſes ad Aſinos tantùm conſtrinximus. Equites verò galeâ, clypeo, loricâ, aliiſque armis contecti, quæ extra prœlia a Scutiferis vehebantur, majoribus equis, perſæpe cataphractis utebantur, quos *equos ad arma, & Dextrarios* (unde noſtrum *Deſtrieri*, apud Johannem Villanium *ricchi e groſſi Cavalli*) appellabant. Subjuncti verò Scutiferi minores equos plerumque adhibebant, quos *Runcinos*, ſeu *Roncinos* appellare mos fuit. Radulfus Mediolanenſis de Reb. geſt. Friderici I. pag. 1181. Tomi VI. Rer. Italicar. hæc habet: *Interea Milites Mediolani egrediebantur* C *de Civitate, & auferebant Scutiferis exercitus Roncinos; & tantos abſtulerunt, quod Roncinus quatuor Soldis Tertiolorum in Civitate vendebatur*. Fuerunt & *Palafredi* ſive *Palafreni* (unde vox Italica *Palafreno*) Dextreriis minores, majores Runcinis. *Paraveredi* antiqua vox in *Palafreno* immutata Menagio creditur: quod aliis accuratiùs perpendendum relinquo. Hos ergo *Palafredos* in ſubſidium Militis ſeu Equitis ductos puto. Rolandinus Lib. 11. Cap. 5. Chronic. prœlium inter Patavinos milites atque Teutonicos actum deſcribens, hæc habet: *De Theotonicis etiam aliqui pugnaverunt prudenter, ut quoſdam de Paduanis proſternerent, dum Dextrariis per campum errantibus, Paduani quidam* D *in Palafredos aſcenderent, & aliqui in Runcinos*. Idem ſcripſerat Lib. 10. Cap. 15. *Tunc dictum fuit, Eccellinum de Dextrario fuiſſe proſtratum; ſed in ſtrepitu tanto non cognitus, aſcendit in Palafredum*. Itaque, ut dicam infra in Diſſertat. XXXIII. *de Originib. Voc. Italicar.* inditum equis majoribus ac præſtantioribus, & ad bellum educatis, *Dextrarii* nomen, quòd ſine ſeſſore ad dexteram a Scutiferis ducerentur, tradendi Militibus, quum poſceret occaſio pugnandi. Milites enim, hoc eſt Equites, in itinere *Palafredis* aut *Roncinis* non raro utebantur, ut pugnaces equos non fatigatos inſtante certaminis horâ reciperent. Nicolaus de Jamſilla in Hiſtoria edita Tomo VIII. Rer. Italicar. pag. 514. E *Aliqui*, ait, *de comitiva Principis Manfredi, qui ad tantæ ultionem injuriæ locum ſibi videbant, & tempus oblatum, deſcenderunt de Roncenis, quos equitabant, & Deſtrerios aſcenderunt* &c. Item pag. 532. Oddo Marchio, audito Manfredi Principis in Nucerinam Urbem ingreſſu, *miratus nimis, atque turbatus, de Roncino, quem equitabat, deſcendit, & Dextrerium ſuum, qui ſibi a dextris ducebatur, aſcendit, & versùs Fogiam retrocedebat*. Servatur adhuc in ſolemni Principum proceſſu mos iſte vehendi unum aut plures equos phaleratos ſeſſore vacuos in eorum comitiva. In Chronico Parmenſi Tomo IX. Rer. Italic. Anno MCCCII. cen-

Bannum Solidorum, tam Equi & Runcini quilibet, condemnati fuerunt per Commune Parmæ. Atque ex his intelligas, quid voluerit Fridericus I Auguſtus, quum leges militares promulgavit a Radevico commemoratas Lib. primo Cap. 26 de geſtis ejuſdem Friderici, ubi ait: *Si extraneus Miles* (idest Eques) *inermis ad caſtra accesserit, ſedens in Palafrido ſine ſcuto & armis, ſi quis eum læſerit, pacis violator judicabitur*. Scilicet Milites in Palafrido ſedentes ſine armis, quæ Scutiferis deferenda commendabant, iter facere conſueverant. In eos tunc nullum bellandi, aut cujuſquam lædendi ſpeciem præferentes, injuriam facere crimen fuit. Addit Fridericus: *Si autem ſedens in Dextrario, & habens ſcutum in manu, ad caſtra acceſſerit, ſi quis eum læſerit, pacem non violavit*. Quippe tunc credi poterat pugnandi, lædendive aliquem cauſâ, ad caſtra accedere, dum facie pugnam apparantis incederet. Nihil autem evidentius produci poteſt, quot Scutiferis tunc militia abundaret, quam pacta Anno MCCI inita inter Francos & Venetos, in Orientem navigaturos, atque edita in Notis ad Chronicon Danduli Tomo XII pag. 324 Rer. Italicarum. Petebant Franci, ut Veneti in ſuis navibus adveherent *quatuor mill. quingentos Milites* (idest Equites) *bene armatos, & totidem equos, & novem millia Scutiferos, & viginti mill. Pedites bene armatos*. In Chronico Cortuſiorum Lib. 2 Cap. 2 Tomo XII Rer. Italicar. *Scutiferi bene armis fulciti* dicuntur præmiſſi Equitibus, ut inveherentur in acies Florentinorum. Percutitur etiam ab uno *Scutifero* cæſus in prælio Manfredus Siciliæ Rex, teſte Johanne Villanio Lib. 7. Cap. 9. Hiſtoriar.

Arma, quibus *Milites* ſive equites, quos etiam *Uomini d'arme*, ideſt viros a ſummo ad imum armatos nuncupabant, olim induebantur, obiter indicavi. Juvat nunc ea ſigillatim enumerata accipere ex altero Statuto Reipublicæ Mutinenſis Anno MCCCXXVIII. in membranis exarato. Ibi Lib. primo Rubric. 24 hæc leguntur: *Quilibet Miles teneatur, & debeat habere in qualibet cavalcata & exercitu Panceriam, ſive Caſſettum, Gamberias, ſive Schinerias, Collare, Cirotecas ferri, Capellinam vel Capellum ferri, Elmum, & Lanceam, Scutum, & Spitum ſive Spontonem, & Cultellum, & bonam Sellam ad equum ab armis, & bonam Cirvelleriam*. Quæ heic appellatur *Cirvelleria*, tegumentum ferreum capitis fuit, a cerebro, ſive Italice *cervello*, tuendo ita appellatum, pro caſſide adhibitum, aut ſub caſſide celatum: unde fortaſſe Italicum *celata*, qua tamen voce caſſidem ipſam deſignatam ſæpe videmus. In Statuto Ferrarienſi, quod in Eſtenſi Bibliotheca adſervatur, Anno MCCLXXIX. exarato, hæc invenio Lib. 2. Rubric. 5. *Quod quilibet Cuſtos deputatus ad aliquam cuſtodiam alicujus Caſtri vel loci Civitatis Ferrariæ vel Diſtrictus teneatur & debeat toto tempore cuſtodiæ habere Ziponem* (ideſt tunicam e ferro contextam), *Collarium de ferro, Capellum ferreum, vel Bacinellum, ſive bonam Cervelleriam, Spitum, Lanceam, Tallavacium, ſive bonam Targetam, & Cultellum a ferire*. *Cervelleriæ* inſtitutor fuiſſe traditur Michael Scotus famoſus ſui temporis Aſtrologus. Du Cangius in Gloſſar. Latin. ad vocem *Cervellerium* adfert verba Chronici Nonantulani ſub Friderico II. Auguſto, hoc eſt ante Annum MCCL. hæc referentis: *Per hæc tempora Michael Scotus Aſtrologus, Federici Imperatoris familiaris agnoſcitur, qui invenit uſum Armaturæ Capitis, quæ dicitur Cervellerium. Hic quum vidiſſet, ſe moriturum ictu lapilli bruti in caput læſuri, ex lamina ferrea ſibi fieri fecit capitis infulam, quam geſtabat &c.* Nunc monendus Lector, quæ verba ex Nonantulano Chronico deſumſit Du-Cangius, partim in Pomario Riccobaldi Ferrarienſis edito Tomo IX. Rer. Italicar. integra vero haberi in Chronico Franciſci Pippini evulgato a me in eodem Tomo pag. 670. atque adeo veriſimile videri, non aliud eſſe Nonantulanum illud Chronicon, niſi Pippinianum, cujus antiquum Codicem Bibliotheca Eſtenſis adſervat. Repetamus Mutinenſe Statutum, in quo hæc verba ſubſequuntur: *Item quod nullus Miles in cavalcata Communis Mutinæ cum fuerit extra Civitatem vel Burgos, eundo vel redeundo audeat vel præſumat præire Vexilla Militiæ, vel Banderias Domini Poteſtatis & Communis Mutinæ. Item ſi contingeret, quod Militia Mutinenſis cum inimicis perveniret ad prælium, nullus Confanonerius* (ideſt *Signifer*) *debeat recedere de prælio, nec in fugam ſe ponere, nec declinare Vexillum. Et Confanonerius, qui contra fecerit, capite puniatur; & equus & ejus arma comburantur; nec in perpetuum heredes ſui vel ejus deſcendentes poſſint eſſe in aliquo officio vel honore Communis* &c. Hæc pauca e legibus militaribus eorum temporum excerpſi, quibus additam volo, utpote notâ dignam, hanc alteram ex Rubric. 32. deſcriptam: *Quod quilibet de Populo Mutinenſi ætatis decem & octo annorum uſque ad ſeptuaginta annos teneatur ire in exercitibus & andatis Communis, quotiens ſonuerit Campana Communis*. Porro in expeditionibus adducebantur *Tabernacula* ſive *Tentoria*, quæ variis nominibus indicata videas, ad deſignandam variam illorum figuram, quamquam per has voces eadem res interdum ſignificetur. *Trabacche, Tende, e Padiglioni abbattuti dal vento*, habet Johannes Villanius Lib. 7. Cap. 119. *Papiliones, Pavilliones, Paviones* idem nomen. *Tendæ*, ac *Tenſæ*, quòd extenderentur. *Baracchæ* fortaſſis appellata tentoria illa, quæ ex telâ *Barratâ*, ſive liſtatâ & variegatâ conſtabant, quamquam videatur id nomen datum tentoriis e ramis arborum confectis. *Trabacchæ*, & *Travacchæ*, (idem nomen) ita appellatas quiſquam putabit, quod e trabibus tenuibus efformarentur, arundine aut arborum ramis, tabuliſve, aut culmo contectæ, ſive quod Trabes tela circumcingeret. Verùm in Memoriali Poteſtat. Regienſ. Tomo VIII. pag. 1091. Rer. Italicar. legimus: *Et invenerunt Chriſtiani in dicto campo Papiliones & Travaclas rariſſimas*: quæ vox indicare poteſt *Trabaccas* non ex ligno, ſed ex panno fuiſſe compactas. Et certe prælaudatus Johannes Villanius Lib. 3. Cap. 79. Hiſtoriar. de Populo Belgico ſcribit: *In tre ſettimane dopo la ſconfitta detta hebbono rifatti Padiglioni e Trabacche; e chi non ebbe panno lino, ſi le fece di buona bianca di Prò, e di Guanto*. Legendum heic *d'Ipro e di Guanto*. Veterum Romanorum tentoria pleraque e Pellibus confecta fuere, uti notum eruditis: quod pluvio tempore variis incommodis obnoxium quiſquam fruſtra opinetur. Atqui Sæculis barbaricis nullus ad Tentoria uſus pellium fuiſſe videtur, ſed quidem Telæ diverſi generis. De nomine *Padiglioni* aliquid innuam infra in Diſſertatione XXXIII. *de origin. Voc. Italicarum*. Principum ac Magnatum Tentoria ſplendida

am-

ampla, pretioſa. Piſani Anno MCCCXI. Legatis Genuam ad Henricum VII. Auguſtum miſſis, eidem obtulere *Tentorii ſuperadmirabilis Exenium* (ideſt donum) *decem millium capacis militum cum ſtativis*, uti ſcribit Muſſatus Lib. 5. Rubric. 5. Hiſtor. Auguſt. Tanta molis vaſtitas fidem apud me nondum impetrare potuit.

Sed potiſſimum dignus eſt, qui a nobis commemoretur, *Carrociorum* in bello uſus, quum peculiaris hic fuerit temporum poſteriorum, de quibus nunc agimus. Ricordanus Malaſpina Cap. 164. Hiſtor. Tomo VIII. Rer. Italicar. his verbis Florentini Populi Carrocium deſcribit: *E nota, che'l Carroccio era un carro in ſu quattro ruote, tutto dipinto vermiglio; ed eravi ſuſo due grandi antenne vermiglie, in ſulle quali ſtava e ventolava un grande ſtendardo dell' Arme del Comune di Firenze, che era dimezzata bianca e vermiglia, e ancora ſi moſtra a Santo Giovanni. E trainavalo un gran pajo di buoi coperti di panno vermiglio, che ſolamente erano diputati a ciò, ed erano dello Spedale de' Preti. E'l guidatore era franco nel Comune. E quel Carroccio uſavano gli antichi per trionfo e dignitade. E quando s'andava in oſte, i Conti vicini e Cavalieri il traevano dell' Opera di Santo Giovanni, e conducevanlo in ſulla Piazza di Mercato Nuovo* &c. *e sì l'accomandavano al Popolo, e i Popolari il guidavano nell' oſte. E a ciò erano riputati in guardia i più perfetti e più forti e virtudioſi popolari della Città, e a quello s'ammaſſava tutta la forza del Popolo.* &c. Auguſtius & gravius fuiſſe Mediolanenſis Populi Carrocium inde argumentari poſſumus, quod quatuor juga procerorum boum ad illud trahendum adhiberentur. Sunt inter veteres & alii, qui *Carrociorum* formam deſcribunt. Ego ceteris prætermiſſis, quale Ticinenſium fuerit, ex Anonymo referam, qui Anno Chriſti MCCCXXX. Opuſculum ſcripſit de Laudibus Papiæ, editum Tomo XI. Rer. Italicar. Sunt ejus verba Cap. 13. *Quum ad ſolemnem & generalem exercitum procedunt, ſecum ducunt Plauſtrum, trahentibus pluribus paribus boum panno rubeo coopertorum; quod Plauſtrum vulgo Carochium dicitur. In quo Tabernaculum eſt ligneum, capiens aliquam hominum quantitatem: in cujus medio ſublimis eſt pertica ſurſum erecta cum pomo æreo deaurato, in qua inter alia inſignia rubeum Tentorium ponitur, & Vexillum longiſſimum rubeum, cum Cruce alba, & deſuper ramus Olivæ. Et ita celebratis in illo Miſſarum ſolemniis, ordinate procedunt.* Gualvaneus autem de la Flamma in Manipulo Flor. Cap. 144. Carrocium Mediolanenſium deſcribens, auctor eſt, Capellanum fuiſſe conſtitutum, *qui juxta Carrocerum* (ita *Carrocium* ille appellare conſuevit) *ſemper Miſſam celebret, & vulneratis det pœnitentiam.* Tradunt autem idem Gualvaneus Flamma, Corius & alii Scriptores, Heriberto Archiepiſcopo Mediolanenſi Sæculo Ch. XI. deberi originem atque inventum Carrocii. Neque immeritò. Arnulphus enim Mediolanenſis Hiſtoricus ejuſdem Sæculi Lib. 2. Cap. 16. Hiſtor. Mediolanen. Tomo IV. Rer. Italicar. vulgatus, hæc de Heriberto habet: *Signum autem, quod dimicaturos ſuos debebat præcedere, tale conſtituit. Procera trabs, inſtar mali navis, robuſto confixa Plauſtro erigitur in ſublime, aureum geſtans in cacumine pomum cum pendentibus duobus candidiſſimis veli limbis. Ad medium veneranda Crux depicta Salvatoris imagine extenſis late brachiis ſuperſpectabat circumfuſa agmina, ut qualiſcumque foret belli eventus, hoc ſigno confortarentur inſpecto.* En germana Carrocii exordia, ad cujus imitationem tot aliæ Urbes, præſertim ſplendidiſſimæ inter Italicas, Currum parùm abſimilem ſibi pararunt, eoque in bellorum diſcrimine ſunt uſæ. In Annalibus Cæſenatibus, Tomo XIV. Rer. Italicar. editis, Bononienſes Anno Chriſti MCLXX. *feciſſe Carrocium primum* dicuntur, hoc eſt primùm uſi fuiſſe Carrocio. Paria præſtitere Patavini, Veronenſes, Brixiani, Cremonenſes, Placentini, Ticinenſes, Parmenſes, Florentini &c. Fortiſſimorum militum agmen ad Plauſtri hujus cuſtodiam ac tutelam in prœliis deſtinabatur. Et quum reliquus exercitus ad Vexillum e procerâ illa trabe pendens reſpiceret, fortiter dimicabat. Eo autem ſublato vires & animus plerumque pugnantibus concidebant. Burchardus in Epiſtola de excidio Urbis Mediolanenſis, Tomo VI. pag. 917. Rer. Italicar. auctor eſt, devictum Populum Mediolanenſem Anno MCLXII. acceſſiſſe ad Fridericum I. Auguſtum cum *Curru*, in quo *tubicines ſtantes tubis æreis fortiùs intonabant*. Tum ipſum Currum hiſce verbis deſcribit: *Stabat autem Currus multiplici robore conſeptus, ad pugnandum deſuper ſatis aptatus, ferro fortiſſime ligatus; de cujus medio ſurrexit arbor procera, ab imo uſque ad ſummum ferro, nervis, & funibus tenaciſſime circumtecta. In hujus ſummitate ſupereminebat Crucis effigies, in cujus anteriori parte beatus depingebatur Ambroſius ante proſpiciens, & benedictionem intendens, quocumque currus verteretur.* Otto Morena in Hiſtor. Laudenſ. non ſemel (eodem Friderico I. imperante) memorat adhibitum a Mediolanenſibus Carrocium, quod ipſe *Carozolum* appellat, inquiens de eodem Imperatore manum cum ipſis Mediolanenſibus conſerente: *Irruens fere uſque ad Carozolum ipſorum, ubi erat multitudo peditum Mediolanenſium, eos impulit, ac boves ipſius Carozoli occidit, & ipſum Carozolum incidit, crucemque deauratam, quæ ſupra perticam Carozoli fuerat, atque vexillum ibi poſitum abſtulit.* Ita Morena pag. 1075. Tomi VI. Rer. Italicar. *Carrocenum* autem appellatur a Radulfo Mediolanenſi in Lib. de Reb. geſt. Friderici I. pag. 1184. ejuſdem Tomi VI.

Exploratum verò habemus, in uſu ejuſmodi Carrociorum, præſertim Sæculo XIII. vulgaris Epochæ, conſtitutum fuiſſe quoddam ſingulare Urbium ornamentum & præſidium in prœliis, non ſecus atque, ſi licet dicere, olim Judæorum Populus in Arca fœderis collocavit. Rolandinus Lib. 9. Cap. 2. Chronic. Tomo VIII. Rer. Italicar. ſcribit, poſt ereptum Patavium Eccelino de Romano, repertum fuiſſe *Carrocium Paduæ* putridum, deforme & confractum. De quo quum patrem filius quidam ſciſcitaretur, ita ille reſpondit: *Fili mi, hoc eſt Carrocium Paduanum, quod eſt quaſi pro Caſtro quodam, quod ducitur cum lætitia & honore, quando Civitas vult prodire in hoſtes. Et ſuper ipſum in quadam excellenti antenna defertur igneum & triumphale Vexillum, ad quod totus ſpectat exercitus. Nec eſt aliquod Caſtrum in Paduano diſtrictu in montibus vel in plano, pro quo defendendo totus Populus Paduanus adeo pugnaret viriliter, & exponeret ſuam vitam & animam omni periculo & fortunæ. In hoc enim pendet honor, vigor & gloria Paduani Communis.* Et revera enormi dedecori duce-

ducebat ſibi quilibet Populus Carrocium in prælio amiſiſſe ; ſumma autem gloriæ alieno potiri . Et tam quidem fecit ipſe Fridericus II. Auguſtus , Carrocium Mediolanenſibus in prælio profligatis rapuiſſe Anno MCCXXXVII. ut illud ipſum Romam mitteret , illic ad oſtentationem victoriæ , perpetuamque memoriam collocandum , hiſce verſibus inſcriptis , quos habes editos in Pomario Ricobaldi , Tomo IX. Rer. Italicar. pag. 147. ac ſubinde in Chronico Pipini , eodem Tomo pag. 658.

VRBS DECVS ORBIS AVE. VICTVS TIBI DESTINOR , AVE ,
CVRRVS AB AVGVSTO FRIDERICO CÆSARE JVSTO.
FLE MEDIOLANVM , JAM SENTIS SPERNERE VANVM ,
IMPERII VIRES PROPRIAS TIBI TOLLERE VIRES .
ERGO TRIVMPHORVM POTES VRBS MEMOR ESSE PRIORVM ,
QVOS TIBI MITTEBANT REGES , QVI BELLA GEREBANT.

Certus non Carrocium , ſed rotas tantùm Carrocii Mediolanenſis a Friderico ablatas fuiſſe , eaſque non Romam , ſed Veronam miſſas tradit . Fallitur . Nam etſi præfractè inficias ire nolim , quin rotæ deferri potuerint Veronam : illud tamen ſaturum eſt certum , Carrocium , ſive Currum ipſum Romam fuiſſe , jubente Friderico , vectum , ibique in Capitolio locatum . Et appoſite in hanc rem accidit , uti per literas certiorem me fecit Illuſtriſſimus & egregius antiquitatum Cultor Marchio Alexander Capponius , Patricius Romanus , & Clementis XII P. M. Furerius major , ut Anno MDCCXXVII. ejuſdem Carrocii marmoreum monumentum , diu ignoratum , in ipſo Capitolio detectum fuerit , videlicet in loco circumambiente carceres Capitolinos , quod Sixtus V. Pontifex Maximus claudendum juſſerat . Ibi erat lapis olim impoſitus ſupra quinque columnas rari marmoris cum Inſcriptione inſculpta , quam heic inſerere juvat.

CÆSARIS AVGVSTI FRIDERICI , ROMA , SECVNDI
DONA TENE , CVRRVM , PERPES IN VRBE DECVS.
HIC MEDIOLANI CAPTVS DE STRAGE TRIVMPHOS
CÆSARIS VT REFERAT , INCLITA PRÆDA VENIT.
HOSTIS IN OPPROBRIVM PENDEBIT. IN VRBIS HONOREM
MICTITVR . HVNC VRBIS MICTERE JVSSIT AMOR .

Ut vides , diverſa eſt Epigraphe Romæ reperta ab alterâ , quam Ricobaldus attulit . Utraque tamen dubitare nos non ſinit , quin Mediolanenſe Carrocium veluti eximium Friderici II. trophæum collocatum Romæ in Capitolio fuerit . Et ſane tum maxime potentiæ ſuæ ſpectaculum Civitates præbebant , quum Carrocium ſuum exerebant , tot agminibus robuſtorum militum ſtipatum . Itaque ubi honor advenientibus Auguſtis aut Regibus adhibendus erat , iis cum Carrocio occurrebatur ; & Anno MCCXXXIII. quum Frater Johannes Ordinis Prædicatorum vir ſumme pius , pacem inter diſcordes Marchiæ Tarviſinæ Urbes ſtatuere vellet , in agrum Veronenſem , Rolandino & Ricobaldo teſtibus , univerſos Populos attraxit , qui ad majorem pompam illuc *cum ſuis Carrociis* convenere . Honoris etiam cauſsâ Carrociis ipſi nomen indere conſueverunt . Audi Rolandinum loco ſupra laudato ita loquentem de origine Carrocii Patavini : *Reſpicies ſupra Altare majoris Eccleſiæ Paduanæ in pictūris pulcre & artificioſe protractis , Milonem tunc Epiſcopum Paduanum , Regem Corradum , & Reginam uxorem ejus nomine Bertam . Quæ Regina petiit pro Populo Paduano a Rege , ut Paduanis gratiam faceret , ut ædificarent Carrocium , quod eis Attila Tyrannus deſtruxerat* &c. *Intercedente Reginâ iſtam gratiam habuerunt . Fulgentiſſimum fecerunt Carrocium , & ad ipſius Reginæ memoriam & honorem impoſuerunt Carrocio nomen Berta : quo quidem nomine vocatur hodie & vocabitur in æternum* . Putidam fabulam nemo non videt in Carrocio ab Attila tot ante Sæcula confracto . Sed bonus Rolandinus , egregius alioqui Scriptor rerum ſui temporis , in eo quoque fallitur , quod *Conradum Regem* heic nobis obtrudit . Henricum IV. Regem , Tertium inter Auguſtos , ſignificare ille , ut puto , voluit , cujus uxor Bertha Patavinis cariſſima fuiſſe , & apud eos etiam tumulum , neſcio an certo auctore , inveniſſe traditur . Quo autem nomine Carrocia ſua Cremonenſes & Parmenſes diſtinguerent , indicavit nobis Anonymus Auctor Chronici Parmenſis Tomo IX. Rer. Italicar. ad Annum MCCLXXXI. deſcribens reſtitutionem utrimque factam *Carrocii Parmenſis , quod vocabatur Regolium Parmæ , & Cremonenſis , quod vocabatur Gajardus* .

Atque heic minime reticenda , quæ habet Auctor Chronici Eſtenſis Tomo XV Rer. Italicar. ad ipſum Annum MCCLXXXI. de eadem permutatione Carrociorum , ut diſcas , quanto in honore foret ejuſmodi Curruum inſtitutum . *Cambium* , inquit , *& permutatio facta eſt cum magno gaudio de Carrociis acceptis , inter Commune Parmæ ex una parte , & Commune Cremonæ ex aliâ : quia pax facta inter eos erat . Propter hoc dictum Commune Cremonæ incepit bene facere , quia ipſi fecerunt valde bene præparare Carrocium Parmæ , & pingere de novo : & fecit fieri Vexillum de novo : qui Carrocius voca-*

vocabatur Blancardus. Et dicti Cremonenſes dictum Carrocium conduxerunt ſuper Diſtrictum Parmæ, in loco, ubi dicitur Arcinoldum, cum tribus pariis bobum, coopertis purpurâ & zendali; & ibi dictum Carrocium cum bobus prædictis ſic coopertis dederunt & reſtituerunt dicto Communi Parmæ. Et die Dominico ſequenti dicti Parmenſes dictum Carrocium Parmam conduxerunt cum magno gaudio & lætitia. Sed ut luculentius intelligas, quanti æſtimaretur jactura aut recuperatio Carrocii, lege etiam quæ ſequuntur: *Et Poteſtas Civitatis Mutinæ cum magna quantitate Magnatum dictæ Civitatis, & etiam multi de Civitate Regii, iverunt Parmam, & ibi gaudium demonſtraverunt de dicto Carrocio*. Pergit dicere Hiſtoricus, a Parmenſibus quoque redditum fuiſſe Cremonenſibus eorum Carrocium *cum tribus pariis boum coopertis ſcarlato & ſyndone; qui Carrocius vocabatur Berta*. Mirum eſt, quantopere diſcordes inter ſe fuerint hi duo Hiſtorici. Parmenſis ſcribit, Carrocio Parmenſium fuiſſe nomen *Regolium*, Cremonenſium verò *Gajardus*: contra Eſtenſis Cremonenſi nomen *Bertæ*, & Parmenſi nomen *Blancardi* tribuit. Quod novi, Antonius etiam Campius in Hiſtor. Cremonenſ. ſuæ patriæ Carrocium affirmat appellatum fuiſſe *la Berta, o la Bertazzola*. Neque Italia tantùm ritu Carrociorum ejuſmodi uſa fuit, ſed brevi is ex Italia migravit in Germaniam, Belgium, Hungariam, aliaſque regiones, uti Du-Cangius animadvertit. Verùm Sæculo XIV. quòd alia militandi ratio ſucceſſiſſet, & oneri potiùs eſſe quàm utilitati Carrocia deprehenderentur, ſenſim deſita ſunt adhiberi. Plura non addam. Qui delineatum intueri cupit Carrocium hactenus deſcriptum, adeat prælaudatum Antonium Campium in Hiſtor. Cremonenſ. & Sertorium Orſatum in Hiſtoria Patavina. Immo oculos conferat ad tabulam præfixam Chronico Parmenſi, Tomo IX. Rer. Italicar. pag. 789. ubi pictor viſus eſt ſibi expreſſiſſe antiqui Carrocii formam, ſed nimis jejune. Alia enim fuit magnificentia ac ornatus ejuſmodi plauſtrorum. Illud denique certum, ex *Carrocio* efformatam fuiſſe nunc uſitatam vocem *Carrozza*.

Præter *Turres*, quæ ad cuſtodiam Civitatum & Caſtellorum in corona mœnium ædificari ſolebant, permultæ olim numerabantur in inſignioribus Italiæ Urbibus, ab ipſis Civibus privato ſtudio, eorumque ære, ad ædes proprias ornandas ac tuendas exſtructæ. Fuit olim indicium ſpectatæ Nobilitatis, habere ejuſmodi *Turres* ædibus ſuis adnexas ſive conjunctas; neque enim niſi Nobilibus ac ditiſſimis Civibus eas ſibi condere licuit. Erant præterea in Civitatibus Turres campanariæ a religioſis viris ad Templorum commodum ac ornamentum excitatæ, ita ut tanta Turrium copia accedentibus ad Urbes pulchrum non minus quàm nobile ſpectaculum exhiberet. Quo autem tempore ab Optimatibus Urbium cœptæ fuerint conſtrui privatæ iſtæ Turres, opinari quidem poſſumus, non autem certo decernere. Ego in eam potius pendeo ſententiam, earum uſum Sæculo Chriſti X. ſed potiſſimùm poſt Annum Chriſti Milleſimum, & præcipue ex quo Libertatem ſibi peperere Civitates non paucæ, aut in enormem potentiam nobiles viri aſſurrexerunt. Hinc olim appellata *Turrita Papia*, *Turrita Cremona*, aliæque Urbes eâdem laude exornatæ antiquitus fuere, quòd privatorum Nobilium Turres ibi eſſent in magna copia, præter muros turritos, & *Campanaria*, ut ajebant, ſive *Cloccari* Templorum. Sanctus Arialdus, ut in ejus Vita habetur, ſcripta ab Andrea Monacho Vallumbroſano ſynchrono Cap. 2. hæc ad Populum Mediolanenſem ajebat Anno MLXXVI. *Veſtri Sacerdotes, qui effici poſſunt ditiores in terrenis rebus, excelſiores in ædificandis Turribus & domibus* &c. *ipſi putantur beatiores*. Aulicus etiam Ticinenſis, cujus Opuſculum publici juris feci Tomo XI. Rer. Italicar. hæc circiter Annum Chriſti MCCCXXX. de Ticinenſi Civitate Cap. 11. ſcribebat: *Quaſi omnes Eccleſiæ habent Turres excelſas propter campanas* &c. *Ceterarum autem Turrium ſuper Laicorum domibus excelſarum mirabiliter maximus eſt numerus, ex quibus multæ tam ex vetuſtate, quàm ſtudio Civium ſe invicem perſequentium, ceciderunt*. Quod etiam mirere, exoticus illorum temporum guſtus rationem excogitavit ædificandi Turres non rectas, ſed pendentes, ſive inclinatas: cujus rei proſtant adhuc exempla in admirando Piſarum Campanario, atque in Turri Gariſenda Bononiæ, quæ altius etiam erigebatur olim, ſed a Johanne de Olegio Tyranno depreſſa fuit, teſte Benevenuto de Imola in Commentariis MStis ad Comœdiam Dantis, editis in hoc ipſo Opere. Ejuſmodi Turres caſu, ac deficientibus fundamentis, in latus integras declinaſſe opinatus eſt Clariſs. Montfauconius in Diario Italico; ſed eâ reapſe architecturâ fundatæ ab aliis creduntur, ut a conſuetâ ceterarum Turrium formâ recederent. Itaque vel in ipſa Urbe æterna id genus Turres, ut ita dicam, bellicas complures intueri olim licebat. In uno ejuſdem Civitatis Burgo, ſedente Martino V. Papa, eminebant Turres quadraginta quatuor cum *Meruliis*, ſive minis quatuormillibus quadringentis quadraginta quatuor, uti docet Turrigius in Libr. de Crypt. Vatican. Part. 2. pag. 407. *Turrim Creſcentii* ibi ædificatam non moror: hæc enim publica res fuit, nempe Adriani Moles, nunc *Caſtello Sant' Angelo*, quam occupatam ac munitam a Creſcentio, Populus novâ appellatione donavit. Erat ibi (teſte Romualdo Salernitano, Tomo VII. Rer. Italic. pag. 208.) *Turres Chartularia*, in quam ſe recepit Anno MCLXVII. Alexander III. Papa. Hanc ſpectaſſe ad nobilem & antiquiſſimam Frangepanum familiam, Baronius antea monuit. In Opuſculo quoque deſcriptionis Urbis Romanæ, quod in Codice Cencii Camerarii circiter Annum MCXCI exarato legi, & Clariſs. Montfauconius in ſuo Diario Italico evulgavit, recenſetur Templum Jani, *quod nunc dicitur Turris Centii Frajapanis*, hoc eſt altera Turris ad eamdem Frangepanum gentem pertinens. Ibi quoque legitur: *Ex alia parte, ubi nunc eſt Turris Centii de Orrigo fuit Templum Bacchi*. In Annal. Bononienſ. Tomo XVIII. Rer. Italicar. ad Annum MCXIX. traditur completa ædificatio *Turris Aſinellorum*, adhuc Bononiæ ſuperſtes, quam nempe Aſinella Familia condidit. Ad Annum verò MCXX. ibi pariter lego: *Fu compita in Bologna la Torre de' Rampuni, che è nel Mercato di mezzo. E in quel tempo furono ſimilmente compite alcune altre Torri nella Città di Bologna*. Ante eadem tempora, & paulo poſt, idem excogitatum peractumque puto a pleriſque reliquarum Civitatum, & præcipue Florentiæ. Teſte enim Ricordano Malaſpinâ ad Annum MCLIV. Cap. 80. Hiſtor. *di queſte Torri erano grande numero nella Città, alte quali cento, e quali cento venti braccia. E tutti i Nobili, o la mag-*

[illegible] Turres Mutinenſibus [illegible] ſunt Civium, quum in eorum viſceribus graſſaretur peſtifera Guelphorum & Gibellinorum factionum innumeris turbis ac cædibus Rerumpublicarum [illegible]. Hic ſeſe tuebantur Nobiles; inde quoque contiguis hoſtibus bellum inferebant. Vide Annales Genuenſes in Rer. Italicar. Collectione a me editos Tomo VI. pag. [illegible] atque [illegible], quo in iſtis [illegible] temporibus, quum civilia bella fervebant, haberentur ejuſmodi ſingularium Civium Turres. Credat tamen qui velit, quæ de Piſana Civitate ſcripſit Benjaminus Tudelenſis Judæus in Itinerario, in hæc verba loquens: *Ingens Urbs, in cujus domibus fere decem mille Turres numerantur, ad pugnandum aptæ & inſtructæ.* Ejus interpreti Benedicto Ariæ Montano, aut Conſtantino l'Empereur, non ipſi Benjamino tribuenda videtur immanis hæc Turrium copia, ſeu potius ſylva in una Urbe. Quum unis Nobilibus ædificandi Turres & facultas & vires eſſent, conjiciat nemo quod Benjamin ſcripſiſſe fertur. Recte quidem ab eo memoriæ proditum, Turres illas *ad pugnandum* aptas fuiſſe: & revera ex iis pugnabatur a Civibus ad inteſtinum bellum commotis. Quare nil mirum, ſi prudentiores finem aut modum deinde habendum juſſerint ejuſmodi propugnaculis, in perniciem potius quam tutelam quietis publicæ adinventis. Vide Leges Municipales a Populo Veronenſi Anno MCCXXVIII. promulgatas, atque ab amico meo doctiſſimo Bartholomæo Campagnola, Archipresbytero Sanctæ Cæciliæ Veronenſis juris publici factas. Ibi Cap 63. ſtatutum eſt, *ut non fiat Turris de novo, neque Caſſaturis, neque Belfredum, aut Berteſca, neque aliud ædificium, quod ad munitionem pertineat. Sed neque ſuper antiquis Turribus, vel aliis ædificiis ſuperædificetur aliquid, quod ad munitionem pertineat.* Ita & in Statutis Piſtorienſibus, quæ heic publici juris faciam, § 99. Prætor jurat, ſe non permiſſurum *in Civitate Piſtorii aliquam Turrim murari, nec in ſuis burgis ultra menſuram Turris filiorum quondam Ildiprandi Vandini, & ultra modum determinatum, ut Turres deſuper æquales fiant.*

Quod ſi fortè ſciſciteris, quid de antea ædificatis factum fuerit, reſponſum habeto, duabus de cauſſis eas ſtare deſiiſſe. Altera eſt injuria temporis, quippe aliquot aut ex turbinum vi, aut ex incuria dominorum, aut ex vetuſtate rimis contractis ſponte corruerunt. Auctor eſt Troncius in Hiſtor. Piſana ad Annum MCCCXXXV. a diriſſimo vento proſtratam fuiſſe *Turrim Judicum Galluræ, ſitam ad Plateam Portarum, & ſub ejus ruinis periiſſe circiter homines quinquaginta.* Ptolomeus Lucenſis in Annalib. ad Annum MCXCVI. hæc habet: *Eodem Anno ceciderunt duæ Turres Lucæ, videlicet filiorum Heſpiaſame, & filiorum Cor, quæ multos homines oppreſſerunt.* Tum Anno MCCXVII. cecidit *pars Turris Porta [illegible] & multos oppreſſit.* Deinde Anno MCCXX. *capellus Turris filiorum Siſmundi terruit Lucæ, & interfecit ultra homines ducentos.* Fortaſſe pro 200. ſcribendum eſt 20. Alia id genus exempla nobis ſuppeditat Bononienſium Hiſtoria. Altera cauſſa Turrium dejectarum fuit inteſtinorum bellorum rabies. Vide apud Ottonem Friſingenſem Lib. prim. Cap. 28. de Geſt. Friderici. Epiſtolam Romanorum ad Conradum III. Regem Anno MCXLV. ubi ajunt: *Fortitudines, ideſt Turres & domos potentum Urbis, qui veſtro Imperio una cum Siculo & Papa, reſiſtere parabant, cepimus; & quaſdam in veſtra fidelitate tenemus, quaſdam vero ſubvertentes ſolo coæquavimus.* Ad hæc Gibellinis & Guelfis contendentibus quoties una pars Civium victa ſolum vertere cogebatur, altera victrix in expulſorum Turres ſæviebat, aut eas dejiciens, aut ita a culmine extenuans, ut reliquarum ædium altitudinem minime excederent. Auctor Chronici parvi Ferrarienſis, Tomo VIII Rer. Italicar. pag. 482. Sæculo XIII. hæc literis conſignavit. *Colliſi ſunt itaque Cives Ferrariæ alterutrum, nunc rebus male ſecundis, nunc adverſis. Audivi a majoribus natu, quod in quadraginta annorum curriculo altera pars alteram decies e Civitate extruſerat &c. Accepi puer a Genitore meo, hiberno tempore confabulante in Lare, quod ejus tempore viderat in Civitate Ferrariæ Turres altas triginta duas, quas mox vidit proſterni & dirui.* Idem & alibi factum eſt, & præcipue quum aut delecti aut intruſi ad Principatum, vires ad nova molienda potentibus Civibus eripiendas duxerunt. Anno MCXCVI. ut ex Annalibus Genuenſibus Lib. 3. habetur, Tomo VI. Rer. Italicar. Drudus Marcellinus Genuenſium Poteſtas *ſuperfluitates Turrium, quas pro velle ſuo quidam Cives contra licitum & conſtitutionem Communitatis conſtruxerant, demoliri, & ad certum modum pedum octoginta redigi fecit.* Ita Anno MCCXXV. *Poteſtas Mutinæ fecit dirui Turres in Civitate Mutinæ*, ut habetur in Annalib. Veter. hujus Urbis, Tomo XI. Rer. Italicarum evulgatis. Neque ſecus in Urbe Lucenſi Caſtruccius Dux *trecentas Turres*, Tegrimo teſte in ejus Vitâ, reliquarum ædium tectis æquavit. Ipſe etiam Turrium ſponte ruentium facilis ac ſumme pernicioſus interitus Principes interdum aut Magiſtratus impulit ad reliquas adhuc ſtantes exſcindendas. Turres quoque Nobilium Florentinorum, ut ſcribit ſupra laudatus Ricordanus quum Populus dominationem arripuit, publico decreto jugulatæ ac depreſſæ, non ultra quinquaginta cubitos aſcendere juſſæ ſunt. Et profectò quantum ſpei in Turrium præſidio tempore belli collocaretur, ex eo intelligas, quod una Turris pro Arce habebatur; & quotieſcumque annonâ, militibus, armiſque munita hæc ſatis foret, diu reſiſtebat, atque impedimentum non leve hoſtibus adferebat. Plurimis in locis eorum temporum Hiſtoria prodit, non paucos olim dies inſumtos fuiſſe ab exercitibus ad unam Turrim expugnandam. Ac propterea mirandum non eſt, ſi tam ſolicita Sæculo XII. Mutinenſis Reſpublica fuerit, ut nova Turris excitaretur in Caſtro Badiani (nunc *Bazzano*) quod in agro Mutinenſi ab antiquis Sæculis ſitum fuit, ſed fervente poſtea bello ereptum, adhuc ſub jure Bononienſis Reipublicæ perſeverat. Chartam ex Archivo Mutinenſis Urbis deſcriptam legere neminem, ut ſpero, pigebit, qua polliciti ſunt Badianenſes ſe Turrim illam conſtructuros.

Qua

Qualiter Homines de Bazano jurant facere unam Turrim in Caſtro Bazani, Anno 1180.

E*Go juro facere & perficere* unam Turrim in Caſtro Badiani, ubi Poteſtas Mutinæ, Dominus ſcilicet Gerardus Rangonus, & Conſules voluerint pro modo & latitudine & craſſitudine Turris Paſſavancii de Carandulo, vel craſſiorem & latiorem ſeu etiam breviorem pro voluntate Poteſtatis & Conſulum Mutinæ, *a Kalendis Januarii proximi uſque ad duos annos expletos. Et aliam Turrim ſimilem in eodem Caſtro, ubi Conſules & Rectores Mutinæ voluerint illinc ad quatuor annos expletos, ſupradictæ craſſitudinis, altitudinis & latitudinis, ut ſupra legitur. Si Deus adjuvat me, & ſancta Dei Evangelia. Hoc ſacramentum fecerunt Pegolottus, Matucius, & Corvulus Conſules de Badiano, Bernardus Ribaldi &c.*

Actum in Caſtro Badiani Anno Domini MCLXXX. Indictione XIII. Octavo & Septimo Kalendas Septembris, die Lune & die Martis, in preſentia Domini Alberti de Peldeguerra Conſulis Mutine, qui a ſupradictis Conſulibus de Badiano penam quadraginta Librarum Imperialium pro Communi Mutinæ ſtipulatus eſt, ſi, ut ſupra legitur, integre non perficerent. Et ipſe voluntate & mandato Domini Gerardi Ramgoni Poteſtatis, & Sociorum ſuorum Conſulum parabolâ & conſenſu, ex eorum parte & Conſi-
A *lii Mutine, & ſua, pro Conſulatu remiſit Conſulibus de Badiano & eorum ſucceſſoribus, & hominibus de Badiano omnibus omnes collectas, & boatias, & factiones, quas Mutine deberent facere ab ea die uſque ad decem annos expletos propter dictas Turres, quas facere debent, ſi eas perfecerint, a quo ſimiliter penam quadraginta Librarum pro Communi de Badiano ſtipulati ſunt, ſi eis ita obſervatum non eſſet, ut ſupra legitur.*

Hujus rei teſtes fuerunt Presbiter Martinus, Presbiter Majus, Tamaginus, Albertinus Precenus, Tigrimucius, Gerardus Oddi, & filius ejus Albertus de Montebellio, & frater ejus.

Ego Blaxius Imperialis ſacri Palatii Nota-
B *rius interfui, & rogatus ſcripſi.*

Ita Arcis loco Turrim exſtructam fuiſſe invenio Carpinetæ in agro Regienſi, hoc eſt in Caſtro, ſeu loco illo, ubi animadverti plures Chartas a celebri Comitiſſa Mathilde fuiſſe ſignatas. De illa verò Turri agitur in *Brevi recordationis*, quod ex Archivo Eſtenſi acceptum proferre ſtatui, ut etiam inde conſtet, temporibus iis reſtauratam fuiſſe controverſiam inter Romanum Pontificem & Imperatorem, de hereditate, ſive *potentia Domus Comitiſſæ Mathildis*.

Charta pactorum, per quæ Ugo & fratres ejus de Baiſo Turrim de Carpineta cuſtodiendam & poſſidendam concedunt Ubaldo de Mandria, circiter Annum 1170.

B*Reve recordationis, qualiter Ugo & Raimundus & Albertus germani, filii condam Raimundi de Baiſio, & Ubaldus de Mandria inter ſe convenerunt* de Turri de Carpineta. *Ipſi namque predicti germani eo tenore* in guarda dederunt Turrim Ubaldo, *quod ipſi vel illorum heredes non debent tollere Turrim Ubaldo vel heredibus ejus ſine convicta culpa fellonie. Ubaldus verò, vel ſui heredes debent Turrim tenere & cuſtodire & defenſare contra omnem hominem in fidelitate eorum. Et ſi fortaſſe aliquo tempore, quod abſit, perdita fuerit, Ubaldus & ſui heredes ſecundùm ſuum poſſe debent adjuvare, & Turrim recuperare. Et ſi cauſſa alicujus guerræ illi germani, vel ipſorum heredes Turrim voluerint ad ſuam ſecuritatem, debent facere Ubaldo vel ejus heredibus, quod expleta guerra in conſtituto termino Turrim reddent Ubaldo, vel ejus heredibus. Ubaldus autem vel ſui heredes pro guarda illius Turris debent habere totum molendinum, & totam terram illius Turris, & fructus & fruges, ideſt pira, nuces, & vineam, que ibi nunc adeſt, & totam herbam, que ibi annuatim naſcitur. De omni alio beneficio, quod illi habent in Turri, tantùm medietatem. Homines vero, qui ſupraſcriptis germanis ex parte illius Turris pertinent, ad reſtaurationem Turris, ſicut illi, qui pertinent Ubaldo, adjuvare debent. Et ſi noluerint adjuvare, Ubaldus vel ejus heredes rationabiliter & miſurate illos debent conſtringere, ut reſtaurare adjuvent Turrim. De ſecuritatibus au-*
C *tem inter ſe ſic fecerunt. Ubaldus & ejus Uxor & filius ejus Anſelmus, & Servi ejus juraverunt Turrim ſupraſcriptis germanis & eorum heredibus contra omnem hominem. Filius autem ejus minor nomine Ubaldus debet fieri fidelis eorum contra omnem hominem, niſi contra illum,* qui communi conſenſu tenuerit regimen & potentiam Domus Comitiſſæ Matildis, *ſed extra Turrim contra omnem hominem. Si autem hic, quod Deus prohibeat, obierit, Anſelmus, ut poteſt, & convenit, fiat eorum fidelis. Ex hoc verò tenore duo Brevia ſunt ſcripta.*

Mœnia Urbium & Caſtrorum ſcalis adhibi-
D tis, turribuſque ambulatoriis admotis, interdum ſuperabantur; ſed ſæpius per Arietes, Teſtudines, aliaque tormenta & machinas bellicas oppugnari conſuevere, ita ut aditu aperto, quem olim *Cava*, nunc *Breccia* Gallico vocabulo, appellamus, & inſultu poſtea facto, in interiora Urbis aut Arcis tentaretur ingreſſus. Sæculo autem XIII. & XIV. mos oppugnantium præcipue Turres is fuit, qui Vegetio teſte apud ipſos Romanos diu obtinuit. Machinis protecti, aut per ſecretos cuniculos ad imos muros adducti, eos ariete, ſeu terebris, ligonibus, ſeu *picis* & *piconibus* (quibus adhuc apud nos no-
E men eſt *Picconi*) ſive malleis, aliiſque ferreis inſtrumentis, ſecabant, conterebantque. Superiori autem muro pendenti identidem fulcra lignea ſupponebantur, donec tanta vaſtatio facta fuiſſet, ut grandis ruina muris nutantibus immineret. Tum ad deditionem plerumque invitaban-

[illegible] abditi, indicato eis præſenti periculo. Si adhuc repugnabant, immiſſo igne in fulcra lignea, corruere muri ſinebantur. Frequens rei hujus uſus habetur in bellis Italicis, ſed & apud Francos. Rem eandem graviter deſcribit Willelmus Brito Lib. 2. Philippid. ubi ad Annum MCLXXXIV. obſidionem Caſtri Bobarum enarrat. Neque aliis atque ac temporibus in oblivionem abiit ars Cuniculos agendi; quod nunc appellamus *Mine*, ſive *Mine*, & eorum foſſores *Minatori*. Quum Cuniculi viæ eſſent ſubterraneæ, quæ ſub vallo & muris ducebantur, & Latini veteres pro *Ducere*, *Minare* (unde Italicum *Menare* effluxit) dicerent: a vero minime abhorret, derivatam fuiſſe exinde vocem *Mina* & *Minare*, uti & *Minarius* ſive *Minator*, pro Cuniculorum foſſore: quæ vocabula ſingula occurrunt apud Scriptores medii ævi poſt Seculum XI. Neque enim veri mihi videtur ſimile, a Latino *Minari*, quod per cuniculos hoſtis minetur, efformaſſe Italicum *Minare*, uti Johannes Henricus Ottios eſt opinatus. Neque aliâ de cauſſa metallorum fodinæ appellare videntur iiſdem temporibus *Mineræ*, niſi quia ſubterraneæ viæ ducuntur in viſcera montium, ut metalla inveniantur: quod Voſſius ante conjecit. Petrus Azarius in Chronic. Tomo XVI. pag. 351. Rer. Italicar. ſcribit: *Aggreſſores videntes prædicta non valere, ceperunt ponere in Civitate Tapponum valde occultum*

A *pro ipſo Caſtro obtinendo & cavando. Et quamvis aliquando per contrariam cavaturam ipſis Tapponatoribus male ſucceſſiſſet* &c. Heic *Tapponi* vox Cuniculum ſignificat, nomine, ut conjicio, a *Talpa* deſumto, & inde efformato *Talponum*, quod poſtea *Tapponum* evaſerit. Attamen ſupra vidimus *Talpam* inter Machinas recenſitam. Neque heic omittendum illud propugnaculorum genus, cui veteres *Dongionis* nomen impoſuere, atque Itali a Gallis accepiſſe videntur; nam & adhuc apud Gallos id nomen perdurat. Ita editiſſimum Arcis locum appellabant. Du-Cangius in Gloſſario Latino *Dunjonem* interpretatur *Caſtellulum, munitius propugnaculum, in dumo, ſeu colle ædificatum*; atque
B ipſo teſte appellata quoque munitio ejuſmodi *Dungeo*, *Dongio*, *Dangio*, *Domgio*, & *Domnio*. Videndus quoque in hanc rem Furetierius in Lexico Gallico. Et illorum quidem recta interpretatio; Celtica quippe vox eſt *Dun*, ſignificans *Collem*, *Montem*. Erat ex hiſce *Dongionibus* unus in colle, qui Oppido Ateſtino ſuperimminet, & *Delone* (dum vitio Chartæ careant) appellabatur, ut oſtendi Par. I. Cap. 35. pag. 347. Antiquitat. Eſtenſ. Ibi plerumque habitabant pro majori tutela Marchiones Eſtenſes. In Caſtro Albineæ Regienſis agri, quod ad nobilem Marchionum Manfredorum gentem olim ſpectabat, adhuc legitur marmori commendata hæc Inſcriptio :

ANNO DOMINI MCCLXXVII. IND. V.
HOC OPVS FVIT FACTVM
TEMPORE VENERABILIS PATRIS
D. GVLIELMI DE FOLIANO EPISCOPI REGII
SCILICET PALATIVM CVM DVJONO
ET PVTEVM ET TVRRIS ET DOMVS EXTRA DVJONVM
ET MVRVS DICTI CASTRI DE ALBINETA

Pariter in Charta, quam ex Archivo Archiepiſcopi Lucenſis depromſi, occurrit *ſummitas Caſtri Veteris, quæ Dongionem appellatur*:
C ibique non una Turris conſtrui potuiſſe videtur. Dabo ipſam Chartam, ut in eam diligentius introſpicere Lectori fas ſit.

Pacta inita inter Guilielmum Epiſcopum Lucenſem & Hugonem Comitem Lavaniæ, & alios, pro Dongione Caſtri Veteris in Garfagnana, Anno 1179.

IN Dei Patris omnipotentis nomine. Amen. *Brevis deſcriptus cauſa memoriæ, qualiter hoc actum in Eccleſia Sancti Petri de Vicoſ[illegible], bonorum hominum præſentia, nomina quorum ſubtus publicis literis apparebunt deſcripta. Pactio & conventio compoſita & firmata fuit inter* Dominum Gullielmum *ſanctæ* Lucanæ Eccleſiæ Epiſcopum, *&* Ugonem Comitem de Lavagna, *& Conemundum quondam Ugolinelli, atque Superbum de Caſtroveteri de Garfagnana, videlicet quod* de ſummitate Caſtriveteris, quæ Dongionem appellatur, *prædictus Dominus Gullielmus Lucanus Epiſcopus, ejuſque ſucceſſores Catholici debeant habere duas partes ipſius ſummitatis, ſcilicet ab uno latere uſque ad vineam Epiſcopi, & ab altero uſque ad flu-*
D *men Serculum, a latere Septemtrionis uſque ad Salam. Supradicti autem Ugo Comes & Conemundus atque Superbus, & eorum heredes alteram tertiam partem a latere meridiano uſque ad terminos, quos ſuperius nominavimus. Ceteræ vero partes debeant dividi, ita ſcilicet Dominus Gullielmus Lucanus Epiſcopus, ejuſque ſucceſſores debeat habere duas partes, & ſupraſcripti Ugo Comes & Conemundus atque Superbus, & eorum heredes tertiam partem ſive per tranſverſum ſive per longum debent, & tenere in feudum a Lucana Eccleſia, & a Lucenſe Epiſcopo illam tertiam partem quæ eis competit* in prædicto Dongione, *& in alio Caſtro, & in toto Podeo ejus Caſtri; & ipſe Ugo Comes, & Conemundus, atque Superbus & homines eorum de-*

debent jurare fidelitatem Lucenſi Eccleſiæ & Lucenſi Epiſcopo catholico, qui modò in ea eſt vel antea fuit, cum ab eo vel ſuo certo Miſſo inquiſiti fuerint contra omnem perſonam, excepto Imperatore & Lucenſe Epiſcopo, ita tamen quod pro Imperatore aut pro Lucenſe Epiſcopo non debent minuere in aliquo juſtitiam Lucenſis Eccleſiæ. Et item debeant facere pacem & guerram & guerras contra omnes homines ad mandatum Lucani Epiſcopi, qui modo ibi eſt, vel per tempora fuerit, vel ſui certi Miſſi in Curte de Sala, & in tota ejus pertinentia vel pertinentiis, & omnibus locis Lucenſis Epiſcopatus pertinentibus pro Curte de Sala, & in tota Curte de Caſtroveteri ſive in Curtibus illarum Terrarum & Caſtrorum, ex quibus Caſtrumvetus ædificatum eſt, videlicet de Sancto Michaële, de Sancto Donnino, & de Cruce juſtis & rationibus & uſibus Lucenſis Epiſcopi & Lucanæ Eccleſiæ conſervandis & retinendis atque recipiendis. Et ſimiliter omnes homines, qui modò morantur in Caſtroveteri, aut in antea moraturi ſunt, debent jurare fidelitatem dicto Gullielmo Epiſcopo, ejuſque ſucceſſoribus, qui pro tempore &c. & facere pacem & guerram contra omnes perſonas ad mandatum Lucenſis Epiſcopi infra prædictos confines, exceptis eorum Dominis, ita tamen quod non debent eſſe . . . . ad auferendum Lucano Epiſcopo prædictum Caſtrum vel juſtitiam, quam habet in prædicto Caſtro, ſive uſum minuere, vel minuendum Curtem de Arce de Sala. Et ſi ſupraſcripti Domini vellent auferre prædictum Caſtrum Lucenſi Epiſcopo aut juſtitiam vel uſum, quem habet vel antea habuerit in prædicto Caſtro, ut in Curte de Sala vel ejus pertinentiis minuere eum Lucano Epiſcopo contra illos . . . . . . debent. Et ſi præfatus Dominus Gullielmus Lucenſis Epiſcopus, vel ejus ſucceſſores non habuerint homines ad habitandum adlogatos ſine fraude in duabus ſuis partibus prædicti Caſtri, deinde uſque ad conſtitutum terminum duodecim annorum prædicti Ugo, Conemundus, atque Superbus & heredes eorum debent habere in feudo a Lucano Epiſcopo illud reſiduum, quod remanſerit de dictis duabus portionibus, quod non fuerit legatum, ita quod cum eorum tertia portione, & cum illo reſiduo non excedat vel traſendat medietatem de illis duabus portionibus ſeu partibus Dongionis, *& de apendiciis ſic ſupra deſcriptis, & terminatæ ſunt, nihil aliquo tempore debent habere, & placuerit dicto Lucano Epiſcopo, vel ejus ſucceſſoribus in ſua portione dicti* Dongionis *terminos facere, quod facere poſſit. Et ſimiliter Ugo Comes, atque . . . . . ſimiliter* Turrim facere poſſint: *tamen* Epiſcopus non habeat niſi unam Turrim, & Ugo Comes & Conemundus atque Superbus niſi unam Turrim ſimiliter, itaut cujuſcumque altitudinis fuerit, deſuper tamen ſint æquales, & menſura alicujus non ſit brachia quadraginta. Et qui æque partium primam ſuam Turrim ædificaverit, priuſquam decem brachiorum fuerit, altius eam non ædificet, nec ædificare faciat vel conſentiat, niſi primum juraverit alteri parti. Sed Lucanus Epiſcopus ſuam Turrim dictis ſuis conſortibus debeat facere jurare. *Intellectus tale eſt, quod de prato Epiſcopi, & de tota terra, quæ fuit vinea, remaneat libera Lucano Epiſcopo, ad ſuas manus detinendam & logandam cui vel quibus placuerit, ita quod ſit in arbitrio Magiſtri Damiani Prioris & Sancti Martini Canonici, & Tignoſi Cauſidici, & Tancredi Advocati, & Gualtieri Sacchettæ Schebattæ, & Albertini Farcioli, vel majoris partis eorum, dimittere de ea pro via & andito. Homines quidem Lucani Epiſcopi & homines ſupraſcriptorum Comitum omnes debent ſupraſcriptis omnibus jurare Caſtrumvetus, & omnia quæ ſuperius deſcripta ſunt. Taliter præfatus Dominus Gullielmus Lucanus Epiſcopus pro ſe & pro ſua parte obſervare promiſit ſupraſcriptis Ugoni Comiti & Conemundo atque Superbo, & eorum hæredibus &c. obligavit ſub pœna Librarum quingentarum optimi argenti, & ab ita facto & firmato fuere. Supradicti autem Ugo Comes, Conemundus, atque Superbus omnia ſupraſcripta obſervare promiſerunt ſupraſcripto Domino Gullielmo Epiſcopo, ejuſque ſucceſſoribus, & ſeſe, ſuoſque heredes obligaverunt ſub prædicta pœna &c. & ut perpetuo prædicta omnia firma teneantur ab eorum parte ſupradicto Domino Gullielmo Lucano Epiſcopo, ejuſque ſucceſſoribus pignoris nomine obligaverunt eorum portionem, quidquid eis pertinet in Caſtris, Terris, rebus & hominibus, & redditu atque diſtrictu in Caſtro & in Curte de Pontecolſi, in Caſtro & Curte & diſtrictu de Fosciano, & in Caſtro & Curte & diſtrictu de Caſtilione ſuis omnibus pactis. Supradicti Ugo Comes, Conemundus, atque Superbus fidelitatem juraverunt ſupraſcripto Domino Gullielmo Lucano Epiſcopo, in qua tantum . . . . . . Dominus expenſis, quibus pro fidelitatibus factis teneantur, & homines quibus teneantur pro ſervitutibus, quibus expletis, eas non renovabunt, per quam fidelitatem & ſervitutem factam ſupradicto Domino Gullielmo Epiſcopo non procedant, quod eam non excipiant.*

Acta fuerunt hæc omnia præſentia ſupraſcripti Magiſtri Damiani Prioris & Canonici Sancti Martini, Hujusfredi Plebani dicto Vico Pelago, Rolandoque Guidonis de Coppia, Tancredi Advocati quondam Sigiſmundi Advocati, Tignoſi Cauſidici, Albertini Faſcioli de Sancto Donnino, Gherardi de Lavagna, Anno Nativitatis Domini Milleſimo Centeſimo Septuageſimo Nono, X. Kalendas Decembris, Indictione XIII.

Bonusfilius Notarius Domini Imperatoris his omnibus interfui, & hic memoriæ cauſa publicis litteris deſcripſi.

Neque omittenda ſunt *Caſſara* ſive *Caſſera*, aliud nempe munitionum ac Arcium genus, quarum figura, ut opinari licet, a *Dongionibus* & reliquis *Rochis* diverſa fuit, quamquam & ipſa plerumque in ſublimiori parte Urbium & Caſtellorum, atque in aliis editis locis ſtatuerentur. *Caſtrum, quod Caſſarum vocant*, verba ſunt Nicolai Specialis Lib. 5. Cap. 8. Hiſtor. Siculæ. Ex Arabum Lingua mutuati ſunt nomen Itali, a quibus peculiarem iſtam formam conſtruendi Arces edidicere. Ac propterea vox iſta frequens occurrit apud Siculos, Apulos, & Tuſcos Scriptores, quibus multa cum Saracenis conſuetudo fuit. Quamquam non negem, quin hoc ipſo nomine ſignificare voluerint quodcumque Arcium genus Civitati aut Oppido dominans atque ſupereminens: aliquod tamen diſcriminis inter *Caſtrum*, *Turrim*, & *Caſſarum* interceſſiſſe, haurire mihi videor e Charta, quam Hubertus Benvoglientus, amicus olim meus, ex Archivo Noſocomii Senenſis de Scala depromtam mihi ſuppeditavit. *Martinum Epiſcopum Maſſanum* ignoravit Ughellius in Tom. 3. Ital. Sacræ; heic ipſum invenies.

Sententia Judicum Imperialium de reſtituenda Martino Epiſcopo Maſſano ditione ac poſſeſſione Civitatis, Caſtri, Turris, & Caſſari Maſſæ, Anno 1194.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Anno ab Incarnatione ejus Milleſimo Centeſimo Nonageſimo Quarto, Indictione XII. die Sabbati X. Kalendas Auguſti. Lis & controverſia, quæ vertebatur inter Martinum Epiſcopum Maſſanum *ex una parte litigantem pro ipſa Eccleſia Sancti Cerboni & Epiſcopatu, & Dominum Henricum ſereniſſimum Romanorum Imperatorem reſpondentem, & cauſam agentem per Syrum Salimbene Judicem ſuum, quem Procuratorem & defenſorem ad cauſſam agendum conſtituit coram Vicario & Judicibus, talis erat. Petebat ſiquidem præfatus Epiſcopus nomine prædictæ Eccleſie Sancti Cerboni, & Epiſcopatus ejuſdem Eccleſie, a Domino Imperatore, & Syro Procuratore & defenſore ejus, ut reſtitueret ei poſſeſſionem Civitatis Maſſe cum pertinentiis & diſtrictu & totius* Caſtri, *&* Turris, *&* Caſſari, *& ipſum Caſtrum ipſius Civitatis, ut libere poſſit habere & tenere & poſſidere; aſſerens, Nuncios Domini Imperatoris nomine ejuſdem Imperatoris, & eo ratum habente, abſtuliſſe poſſeſſionem ſibi per violentiam Civitatis Maſſe & diſtrictus & pertinentiarum, &* Caſtri *&* Turris *&* Caſſari. *Quod Dominus Imperator, & Syrus Procurator ejus confitebantur. Ego itaque Arnaldus Strictus de Placentia Imperialis Curie Judex, ex conſilio ſociorum meorum, videlicet Alberti Struxii de Cremona, Lotharii de Sancto Geneſio, Johannis de Pado de Placentia, ſimiliter Imperialis Curie Judicum, Domno Henrico Dei gratia Warmacienſe Epiſcopo, & Vicario Imperialis Curie, ſedente pro tribunali, viſis & auditis allegationibus & confeſſionibus utriuſque: condemno Syrum Salimbene Procuratorem Domini Imperatoris, ut reſtituat prefato Epiſcopo Maſſano, nomine predicte Eccleſie Sancti Cerboni & Epiſcopatus, poſſeſſionem Civitatis Maſſe & diſtrictus & pertinentiarum, & Caſtri & Caſſari hinc ad octo dies proximos.*

Actum eſt hoc Piſis intra Eccleſiam Sancti Sepulcri de Chinzica, præſentibus Comite Tediſio de Sygalario, Rolandino Maliprisa de Luccha, Suffreduccio de Bokano, Encharamio de Montemagno, Arlotto Judice perito de Piſa, Jacobo quondam Piſini, Ollebrando de Bondio, Hermanno Fauli, Panfulco Judice, Walando *Lucenſi Judice, Gerardino Malaveditore, Girardo Nepote quondam Magiſtri Roberti, Lamberto quondam Armanni, & aliis quampluribus, & præſente jam dicto Syro Procuratore jam dicti Domini Imperatoris.*

Ego Martinus Filippi Imperialis Aule & Papienſis Notarius precepto jam prefati Domini & Judicum, hanc ſententiam ſcripſi & interfui.

Itaque *Caſſara* peculiare aliquod Arcis genus fuiſſe videntur, eiſque præcipue Majoricarum Inſulam munierant Arabes, quum ad eos debellandos Anno MXIV. felix Piſanorum claſſis proceſſit, uti monumenta ab Ughellio edita Tom. 3. Ital. Sacr. in Archiepiſcop. Piſan. produnt. In Navibus Caſtrum, quod ſupereminet puppi, adhuc in mari Siculo appellatur *Caſſero*, ita ut opinari liceat, Caſſara in editiore Civitatum aut Caſtellorum parte ædificata fuiſſe. *Muratæ* quoque nomen adhibitum fuit ad ſignificandum *Cittadellam* ſeu *Fortilitium*, uti teſtatur Epiſtola Urbani VI. data Anno MCCCLXXVIII. Tom. 2. Ital. Sacr. in Epiſcop. Cæſenat. Ejuſdem *Muratæ* Cæſenatis mentio eſt in Annalib. Cæſenatibus Tomo XIV. Rer. Italicar., cujus *Caſſarum* appellatur in Annalib. Ariminenſ. Tomo XV. earumdem Rer. Italicarum. *Rocchæ* autem vocabulum ab Italis inſtitutum ſuſpicor, quòd pleraſque Arcium in Rupibus, & ſummis ſcopulis conſtruerent, quas Rupes *Roccas* nuncupabant. A nobis deinde vocem Galli, aliæque gentes acceperunt, niſi nos ab eis accepimus. Reperies præter iſta in veterum monumentis *Motas*. Somnerus in Gloſſar. ad Scriptor. Anglic. hæc habet: *Mota, Foſſa, Foſſatum, quo Caſtrum, aut aliud propugnaculum cingitur & munitur. A Moitè fortè, quod Gallis humidus, madidus*. Somnerum minime collineaſſe puto. *Motæ*, ſi me audis, erant colles, editave loca in planitie, arte ac manu parata, foſsî, vallo, ac turri munita, reliquorum Caſtrorum ad inſtar. *Mota* ideo vocitatus is tumulus mihi creditur, quòd terra mota fuiſſet, ut in collem aſſurgeret, non autem a *Meta*, uti Menagius eſt opinatus. Plures id genus *Motæ*, quas etiam *Motte* nos idiomate noſtro appellamus, adhuc in Britanniæ Regnis viſuntur, & antiquam retinent appellationem. Suas & Galli oſtendunt. Et apud Mutinenſes adhuc id nomen ſervat Villa, quæ olim *Mota Papazzonum* eſt dicta. Ita Rolandinus Lib. 3. Cap. 6. Hiſtor. *Caſtrum* memorat, *ſive Mottam de Anguli*. Muſſatus Lib 6 Rubric. 3. de geſt. Henrici VII. *Mottam juxta Montem Gardam* fuiſſe refert. Sunt & in aliis Italiæ locis, & præcipue Calabriæ, ejuſmodi *Mottæ* ſive *Motæ*, antiqua aliquot munitionum veſtigia prodentes. Atque in Annalibus Patavinis editis Tomo VIII. pag. 433. Rer. Italicar. ad Annum MCCCXX. legitur: *Iverunt ſummo mane per viam Pontis Corvi versùs quamdam Motam magnam, quam faciebat facere Dominus Canis cum multis foſſis & tajatis, volendo ibidem ſuper dictam Motam ædificare Caſtrum*. En quid reapſe olim fuerint *Motæ*, ſat dilucide explicatum. Erant & *Girones* ſeu *Zirones* in Caſtellis & Arcibus, muri, ut opinor, ducti circum interiores domos eorumdem Caſtellorum & Arcium. Johannes de Bazano in Chronico Mutinenſi ad Annum MCCCXXXI. edito in mea Collectione Rer. Italicar. inquit: *Dicto tempore factum fuit Gironum in Caſtro Marani de Campilio*. Nicolao Speciali Lib. 2. Cap. 12. Hiſtor. Siculæ, commemoratur *Caſtrum Iſclæ, quod Gironum vocant*. Contra Moranus in Chronico Mutinenſi Tomo XI. Rer. Italicarum ad Annum MCCCXX. hæc ſcribit: *Paſſarinus poſitus Carpi Caſtro, fortiſſimam tunc Turrim illam poſuit, quam Zironum dixere*. Caſtellum Sanctæ Mariæ ad Montem, uti ſcribit Johannes Villanius Lib. 10. Cap. 28. Hiſtoriar. *era molto forte di tre Gironi di mura con la Rocca*. Expugnato uno Girone ab hoſtibus, propugnatores in alterum anguſtiorem ſe recipiebant. Anno MCCCLIV. Caſtrum Saviniani Mutinenſis agri, antea rebelle Marchioni Eſtenſi, redditum ei fuit *a ruſticis, ſe regente Zirone per cuſtodes forenſes ibidem pro Domino Archiepiſcopo*

ſcopo Mediolani exiſtentes. Hæc idem Johannes de Bazano in Chronico Mutinenſi. Commemoratur quoque a Marino Sanuto in Hiſt. Veneta Tom. XXII. Rer. Ital. *un Caſtello chiamato il Girone*. Præterea refert Ughellius Tom. 2. Ital. Sacr. in Archiepiſcop. Ravennat. Chartam Anni MCLVIII. in qua Bonifacius filius Lamberti Comitis fatetur ſpectare ad Anſelmum Archiepiſcopum *quartam partem ſupra dicti Caſtri Novi, & Zironis plebis* &c. Petrus Manlius mihi ſupra laudatus in Hiſtor. Baſilic. Vatican. Cap. 7. ſcribit: *Caſtellum Adriani Imperatoris* A *miro lapide tabulatum: quod ædificium rotundum fuit cum duobus Geronibus, ſicut Caſtellum.* Scribe *Gironibus*. Hadrianus verò Papa IV., ut eſt in ejus Vita circiter Annum Chriſti MCLVIII. fecit *Gironem* in Caſtro Radicofani, turribus munitum, & alto foſſato. Ita Arx Sancti Felicis in agro Mutinenſi appellata *Gironum* fuit, teſte Gaſparo Sardio in Hiſtor. Ferrarienſi. Mentio quoque eſt *Gironis*, tamquam *Arcis*, in Charta, quam mihi ſuppeditavit Codex MStus Cencii Camerarii.

Contractus de emtione medietatis Gironis ſive Arcis de Gualdo, factus tempore Domini Gregorii Papæ IX. & Domini Benedicti Camerarii ejuſdem per Dominum Alatrinum Ducatus Spoletani Rectorem, Anno 1235.

IN Chriſti nomine. Amen. Anno ejuſdem Milleſimo Ducenteſimo Trigeſimo Quincto, Indictione VIII. tempore Domini Gregorii Papæ IX. exiſtentis, die VII. intrante Menſe Maji. Nos quidem Ofreducius Georgii, & Jacobus quondam Domini Benadacti olim de Gualdo, jure proprio vendimus, tradimus, & concedimus, damus, cedimus & mandamus vobis Domino Alatrino Domini Papæ Subdiacono & Capellano, nunc Ducatus Spoletani Rectori, recipienti nomine & vice Romanæ Eccleſiæ, Domini Papæ Gregorii, & ſucceſſorum ejus, partem noſtram, ſcilicet medietatem Gironis ſive Arcis ipſius Caſtri de Gualdo, *videlicet a* Carbonariis ipſius Gironis *intus cum ipſis* Carbonariis, *& rebus omnibus, juribus & utilitatibus ipſius* Gironis. *Dantes vobis pro dicta Eccleſia Romana recipienti plenam licentiam & poteſtatem veſtra auctoritate poſſeſſionem intrandi, habendi, tenendi, poſſidendi, fruendi, & quicquid vobis de cetero pro Eccleſia Romana placuerit faciendi tamquam de re propria ipſius Romanæ Eccleſiæ, ſine alicujus vel aliquorum contradictione. Et damus, cedimus, & mandamus vobis Domino Alatrino, recipienti nomine & vice Romanæ Eccleſiæ omnia jura, omneſque actiones utiles, directas, reales, perſonales, tacitas & expreſſas, quas & quæ habemus vel habere videmur in prædicta medietate Gironis. Conſtituentes per vos ipſam Romanam Eccleſiam procuratricem tamquam in rem ſuam. Item promittimus vobis ſtipulanti nomine Romanæ Eccleſiæ, quod nulli dedimus, nec aliquo modo conceſſimus dictam noſtram partem ipſius Gironis, vel ejus jus aliquod vel actionem de prædicta medietate ipſius Gironis vel ejus juribus & utilitatibus per nos vel per ſubmiſſam perſonam. Et ſi aliquo tempore conceſſio aliqua apparuerit a nobis vel aliquo noſtrûm de dicta noſtra parte ipſius Gironis vel ipſius jure facta, aliquâ occaſione, promittimus per nos & noſtros heredes & ſucceſſores Eccleſiam Romanam conſervare indemnem omnibus noſtris expenſis. Pro qua venditione, refutatione, remiſſione, datione, & ceſſione confitemur nos nomine pretii recepiſſe a vobis ſolvente pro ipſa Romana Eccleſia trecentas Libras bonorum Lucenſium, & apud nos integre habere: renuntiantes exceptioni non numerati & non ſoluti pretii, omnique alii Legum & decretorum auxilio nobis in hoc facto cohærenti, competenti, & competituro. Et ſi res vendita plus dicto pre-* B *tio valeret, totum plus vobis recipienti pro Romana Eccleſia donamus & concedimus pure, libere & ſimpliciter inter vivos; & pactum vobis facimus de non petendo, & ſpecialiter renuntiamus illi Legi:* Rem majoris pretii, *quæ intro ducta eſt pro illis, qui decipiuntur ultra dimidiam juſti pretii, certiorati rem ipſam plus dicto pretio valere. Quam medietatem ipſius Gironis cum juribus & utilitatibus ſuis a Carbonariis intus, ut dictum eſt, promittimus per nos noſtroſque heredes & ſucceſſores, ſub obligatione noſtrorum bonorum præſentium & futurorum vobis Domno Alatrino ſtipulanti nomine & vice Romanæ Eccleſiæ, legitime defendere, autorizare, & disbrigare ab omni perſona noſtris expenſis, omniaque damna & expenſas, exinde in* C *Curia vel extra Curiam modo aliquo vobis competitura pro Romana Eccleſia occaſione prædictæ venditionis integre reficere & reſarcire promittimus, credendo & ſtando de expenſis & damnis Nuntio Eccleſiæ, cui prædicta eſſent ab Eccleſia Romana commiſſa, ſuo ſimplici verbo tantùm ſine juramento & onere alterius probationis. Quam venditionem, dationem, conceſſionem, ceſſionem, refutationem, remiſſionem, renuntiationem, promiſſionem, & omnia ſupradicta, ut in ſingulis capitulis continentur, promittimus per nos, noſtroſque heredes & ſucceſſores vobis Domino Alatrino ſtipulanti nomine Romanæ Eccleſiæ attendere & obſervare & non contravenire* D *per nos & noſtros heredes & ſucceſſores, vel per ſubmiſſam perſonam aliqua occaſione vel ingenio, quod excogitari poſſet, ſub obligatione noſtrorum bonorum præſentium & futurorum, quæ conſtituimus nos precario pro ipſa Romana Eccleſia poſſidere: & ſub pœna mille Librarum Lucenſium, qua ſolutâ vel commiſsâ vel non ſolutâ, prædicta omnia & ſingula, ut in ſingulis capitulis ſuperius continentur, in ſua maneant firmitate. Salvis nobis & reſervatis juribus omnibus, quæ habemus a Carbonariis ipſius* Gironis *extra per Caſtrum Gualdi & diſtrictum, videlicet in hominibus, ſervitiis, terris, vineis, ſilvis, caſis, caſalinis, paſcuis, pratis, aquimolis, molendinis, Eccleſiis, paſſagiis, plazaticis, &* E *aliis noſtris juribus omnibus, quæ habemus ibidem a prædictis Carbonariis extra, ut omnia nos & noſtri heredes habeamus, teneamus, & poſſideamus pacifice, libere, & quiete. Item promittimus vobis Domino Alatrino recipienti nomine Romanæ Eccleſiæ ſub prædicta pœna,*

nos

non contraveniet & fallemus, quod nunc mei filii Opizonis, filii & filiæ meæ, & fratres mei Jacobi & uxor mea, hanc conditionem & conceſſionem, ſicut ſuperius legitur, conſentient & concedent & ratas pro Eccleſia Romana habebunt omnia vera ſua & aliena, ſibi competentia in prædicto tenimento ipſius Caſtri, occaſione ſucceſſionis ſuæ dotium, vel alia qualibet occaſione. Et ad majorem firmitatem hujus contractus, nos ſuprascripti Opizo & Jacobus tactis ſacroſanctis Evangeliis corporaliter juramus, omnia & ſingula ſupraſcripta, ut in ſingulis capitulis continentur, obſervare, attendere, & non contravenire occaſione minoris ætatis, vel alia qualibet occaſione vel fraude.

Actum eſt hoc in Eccleſia Sanctæ Mariæ de Bibbiano, in præſentia Domini M. Epiſcopi Aſſinatis, Domini Rainerii Bellonis Poteſtatis, Domini Jacobi Criſoladii, Domini Roberti de Bombagno, Domini Pagamelli Petri, Domini Guidonis Veronis, Domini Tancredi de Roſſiano, Domini Criſpini Salomonis, Domini Berardicii Terreiani, Domini Tancredi Alberici, Domini Jacobi Leonardi, Angelerii Guidonis, & aliorum plurium, qui ad hoc vocati & rogati fuerunt teſtes.

Fuerunt & *Bitifredi*, altera munimentorum ſpecies, quos *Belfredos* quoque, *Berfredos*, *Bilfredos*, *Beriſfredos*, *Baſfredos*, *Butifredos* vocavere, ut alia prætercam ſimilia nomina apud antiquos uſitata pro una re ſignificanda. Du-Cangius in ea ſententia eſt, primò voce hac deſignatas fuiſſe Turres quaſdam, variis tabulatis conſtantes, & ſuppoſitis rotis mobiles, ad oppugnandos Urbium & Caſtrorum muros, quas ſupra innui. Ita ille. Et ſane Rolandinus Lib. 4. Cap. 6. Chronic. deſcribens Montagnanæ obſidionem ab Eccelino de Romano peractam Anno MCCXXXVIII. hæc de Civibus viriliter ſeſe defendentibus habet: *Et ipſius Bilfredum unum die quadam in meridie combuxerunt, Eccelino invito, qui tunc ſub illo facto quodam operimento erat, ſed non cognitus vix effugit*. Idem quoque Lib. 6. Cap. 6. Eſtenſe Caſtrum *impugnatum ait ædificiis multis, ſcilicet Bilfredis, Prederiis, & Trabucchis*. Sed & *Bitifredi* appellatæ fuerunt ſtabiles quædam Turres, quas e ligneis tabulis ac trabibus veteres ſabricabant. Ibi præcipue poſiti fuere vigiles in ſpecula, qui quoties adventantes hoſtes eminus conſpicabantur, campanam pulſabant, cives admonendo, ut eſſent ad arma parati. *Carpentarios Berfredum facientes* commemorat Ordericus Vitalis Lib. 12. Hiſtor. Eccleſiaſt. *Turres quoque ſive Bilfredi fixi a defenſoribus corruerunt*, ait idem Rolandinus Lib. prim. Cap. 8. Chronici. In Statuto Mutinenſi MSto Anni MCCCVI. hæc leguntur: *Cum via, qua venitur a Vacilis verſus Portam Redelcham, inter ambo canalia ſit inhabitata & deſerta, & per ipſam tam de die quàm de nocte poſſint venire gentes occulte ad Civitatem Mutinæ uſque ſuper foveas Civitatis, quæ maximum poſſint dictæ Civitati dampnum & præjudicium inferre: providerunt Domini Defenſores, quod unus bonus Bitifredus cum uno bono ponte levatorio fiat & fieri debeat ſuper pontem Circhæ Civitatis juxta pratum Monaſterii Sancti Petri. Super quo Bitifredo debeant manere & ſtare continue tam de die quàm nocte duo boni cuſtodes, vel plures* &c. Nimirum Mutinenſes canalibus aquarum & foveis ductis circum Urbem, a fovea ac aggeribus Civitatis per aliquot ſtadia diſtantibus (*Circas* appellabant, quod adhuc nomen perdurat) curabant, ut ejuſmodi munitionum acceſſum ac primum impetum hoſtium, noctu præſertim, cohiberent. Supra vidimus indultum a Guidone & Lamberto Auguſtis Leodoino Mutinenſi Epiſcopo, *ſuper unum milliarium in circuitu Eccleſiæ Civitatis circumquaque ſemmare*. Præterea per foſſam ipſam Urbis canalis aquæ deducebatur. In antiquiſſimo quoque Statuto Ferrarienſi MSto Anni MCCLXXIX. memorantur *Bitifredi* his verbis Lib. 2. Rubric. 58. *Quod quotieſcumque mutabuntur Capitanei & cuſtodes Caſtrorum, Turrium, & Bitifredorum, & aliorum locorum, quæ cuſtodiuntur pro Communi Ferrariæ, Poteſtas teneatur mittere ad prædicta loca unum bonum Notarium, & plures, ſi ipſi Poteſtati videbitur, qui ſcribat ſtatum cujuslibet loci, ſcribendo ſolaria, aſſides, gradus, oſtia, feneſtras, anzopertos, coperturas, ſcalas, bendezarios, funes, baliſtas, pillotos, turnos, & priſarelas, manganos, & turturellas, & catenas, & victualia, quæ ibi erant pro Communi Ferrariæ; & generaliter omnia alia guarnimenta ſpectantia ad defenſionem dictorum locorum*. Ibi etiam ſtatuitur: *Quod quilibet Cuſtos cujuſlibet Caſtri, Turris, vel Fortiliciæ diſtrictus Ferrariæ, debeat eſſe major viginti annis. Quod nulla perſona, quæ non ſit Civis Ferrarienſis, poſſit eſſe Capitaneus, vel Cuſtos alicujus Caſtri, Bitifredi, Turris, vel loci, quæ cuſtodiantur pro Communi Ferrariæ*. Bitifredi autem, ſive Belfredi, alibi appellantur *Butifreda*. In Mutinenſis Populi Statutis MStis ad Annum MCCCXXVII. ſpectantibus hæc ſanciuntur: *Statutum eſt, quod Circhæ, quæ ſunt circa Civitatem, recavari debeant & reaptari; & Butifredi earum reaptentur & reficiantur, & cuſtodiri debeant per ſufficientes Cuſtodes. Et cuſtodiri debeat quodlibet Butifredum, quod eſt circa Civitatem Mutinæ de die continue; & quatuor tempore noctis cuſtodire debeant pro qualibet Cinquantina*. In altero Statuto ejuſdem Anni decretum ſimiliter fuit: *Ut homines de Nonantula compellantur per Poteſtatem facere unam bonam Motam cum Palancato & pontibus levatoriis ab utroque latere Pontis de Navixellis, & cooperire dictum Pontem de Copis Communis* &c. *Commune verò Mutinæ debeat ipſum Pontem facere cuſtodiri, & ipſa Butifreda ad expenſas Communis Mutinæ per illam quantitatem Cuſtodum & hominum, quæ Conſilio placuerit Generali*. Ita prædictæ Circhæ una cum earum munitionibus ſive Butifredis tutamento erant habitantibus in ſuburbiis ipſius Civitatis: quod ex altero Decreto ediſcas: *Ad infortiamentum Civitatis Mutinæ & Burgorum, & ut homines libentius ſolito in dictis Burgis debeant habitare, ſtatutum eſt, quod duæ Portæ fiant extra Portam Albareti ſuper viis ab utraque parte Navigii ſuper Circhas, ubi ſunt Butifredi; & una in Burgo Ganaceti, ubi eſt Butifredum & pons levatorius, & una in Burgo Bajoariæ, ubi eſt Butifredum & pons levatorius ſuper Circham* &c.

Mihi quoque commemorandæ ſunt *Baſtiæ*, ſeu *Baſtidæ*, & *Baſtitæ*, quarum ſæpiſſime nomen & uſus occurrit in Hiſtoria Italica Sæculi præſertim XIV. Ab Italico *Baſtia* illius munimenti appellationem Du-Cangius derivat. Menagius in Originibus Linguæ Italicæ a *Baſtum*, *Baſti*, *Baſtita*, *Baſtia*, *Baſtilia*. Miror ego, cur non potius a Gallica voce *Baſtir* (cui reſpondet noſtra *Fabbricare*) unde *Baſtiment*, & *Baſti*, & *Baſtie*, ideſt *fabbricato* & *fabbricata*, nomen hoc deduxerint. Neque enim quiſquam

Du-

Du-Cangio aſſentiatur putanti, e *Baſtitis* derivatam fuiſſe Gallicam vocem *Baſtir*, quum *Baſtitarum* nomen Sæculo tantùm XIII. emerſerit, & a vero prorſus abhorreat, Gallicam Linguam antea caruiſſe verbo *Baſtir* ſeu *Bâtir*, quod ipſi ſolemne eſt ac neceſſarium ad ſignificandum Latinum *ædificare*, *conſtruere*, *fabricare*. Et fortaſſis inde efformatum Italicum *Abbattere* quiſquam ſuſpicabitur, quaſi *Abaſtir*, ſive *Abâtir*, *Demoliri*, Italice *Disfabbricare*, quod corrupte in *Abbattere* evaſerit. Neque enim a *Batuere* ſive *Adbatuere* Latino (quod cenſuit Menagius) rite hoc vocabulum videatur deductum. *Batuere* eſt *Percutere* loris, pugno &c. numquam verò *proſternere* ſignificat. Hanc autem Etymologiam Hiſpanica Lingua confirmare videtur, in qua *Abatir* idem eſt ac noſtrum *Abbattere*; & Hiſpani *hombre Abatido* appellant, quem nos *uomo Abbattuto* dicimus. Quod de noſtro *Abbattere* dixi, idem de Gallico *Abatre* ſuſpicari liceat. Nam & adhuc Galli *Abatis* voce utuntur, ad ſignificandum Italicum *Abbattimento*. Ego nihil decerno. Quod autem tam Du-Cangius, quàm Menagius cenſuerint, *Baſtiæ* nomine ſignificari *uno Steccato*, id minime culpandum in iis. Idem ſenſere etiam Florentini Academici in Vocabulario *della Cruſca*. Sed ab iis omnibus parum appoſite explicata eſt vis vocis iſtius. Ajunt enim: *Baſtia*. *Steccato, riparo fatto intorno alle Città, o eſerciti, compoſto di legname, ſaſſi, terra, o ſimil materia*. At nihil aliud fuerunt *Baſtitæ*, quàm ſpecies quædam *Caſtelli*, ſive *Arcis*, & *Rochæ*, ex ligno compactæ, hoc eſt, e tabulis & tignis affabre compaginatis fabricatæ (ideſt Gallico ſermone *Baſties*) plerumque circum aliquam domum, aut domos, aut circa turrim, & ad ripam fluvii aut canalis alicujus locatæ, quas foſſa ambiebat, vallum & propugnacula prominentia in angulis muniebant. Ibi inſtruebantur ligneæ domus, ſi lateritiæ deerant, ad militum præſidium, arma ac annonam ſervandam opportunæ. Fateor quidem, quum ligneæ forent ejuſmodi munitiones, propterea non illas dedecuiſſe *Steccati* nomen. In Hiſtoria obſidionis Jaderenſis in Appendic. ad Hiſtor. Dalmat. Lucii legitur: *Quam Italici & Longobardi Baſtidam, Dalmatici & Chroati Sticatam appellare conſueverunt*. Ab hoc autem vocabulo Italica altera vox derivata eſt, nempe *Baſtione*.

A Attamen aliud in re militari fuit *Steccato*, aliud *Baſtia*. Vide Hiſtoriam Patavinam Gattarorum Tomo XVII. Rer. Italicar. pag. 186. Paraverat Franciſcus Carrarienſis ſenior in Civitate Patavii quæcumque opus erant ad conficiendam *Baſtitam*. Statutâ die (*caricata la Baſtia ſopra i carri*) ſuper ingentem copiam curruum ligna omnia ad locum deſtinatum advexit, atque celeritate ac operâ incredibili artificum, exercitu eos protegente, Arcem ibi locandam curavit. Ita in Chronico Parmenſi Tomo IX. Rer. Italicar. ad Annum MCCXCV. Mediolanenſes dicuntur condidiſſe *quoddam Caſtrum de lignamine in Laude Vecchio contra voluntatem Laudenſium & Cremonenſium, valde* B *magnum, & mirabiliter fabricatum*. Hoc nomine *Baſtita* ſignificatur. Porcellius Lib. 9. Commentar. pag. 146. Tomi XX. Rerum Italicar. commemorat *Caſtella ex bitumine & aſſeribus fabricata, quæ Lombardi Baſtitas vocant*. Arduum autem negotium tunc erat, munitiones ejuſmodi ſuperare, aut ad deditionem cogere earum propugnatores, dum virilis animi & commeatus inopiâ non laborarent; & præſertim ſi Arcem ſitus ipſius difficultas juvaret. Ut habet Hiſtoria Mutinenſis & Bononienſis, Bernabos Vicecomes, Bononienſibus infeſtus, duas in agro Mutinenſi extruxit Baſtitas. Non ſemel in eas Bononienſium acies numeroſæ impetum fecere, ſed irrito ſemper conatu. C Retinet adhuc unus ex iis locis nomen *Baſtiæ*, in Vicum poſtea non contemnendum converſus: quod & factum in Tuſcia, Corſica, aliiſque Provinciis, ubi ejuſmodi *Baſtitæ* vici aut etiam Oppida poſtmodum evaſere. Interdum quoque dum in cujuſpiam Civitatis obſidione ultra conſiſtere non liceret, duæ aut tres Baſtitæ conficiebantur in circuitu, aliquot ſtadiis ab ea disjunctæ, a quibus graviſſima incommoda civibus inferebantur. Ab hiſce Baſtitis parum abſimilia fuiſſe videntur munimenta illa, quæ a Tuſcis, aliiſque Populis appellabantur *Battifolli*. In Tabulario Noſocomii Mutinenſis *della Santa Unione* authentica Charta habetur, ex qua conſtat, per Bononienſem Rempublicam D delectos fuiſſe tres nobiles Mutinenſes Milites, e patriâ, ut puto, proſcriptos, ad cuſtodiam cujuſdam *Battifolli*. Non ingratum erit agnoſcere, quibus pactis ii fuerint conducti.

Reipublicæ Bononienſis Inſtrumentum, per quod ad cuſtodiam Battifolli cujuſdam conducuntur nonnulli Nobiles Mutinenſes, Anno 1326.

ANno Domini Milleſimo Trecenteſimo Vigeſimo Sexto, Indictione IX. die III Octobris. Congregati Dominus Marſilius de Pontana Poteſtas, Dominus Albertus Ceneſinato, & Socii, quibus commiſſum eſt arbitrium pro facto Battifolli, in camera Domini Poteſtatis, pro executione commiſſionis eiſdem per dicto Battifollo: conſiderantes, quod utile & neceſſarium erat habere legales, probos, & in facto guerræ expertos viros, & bonos homines in dicto Battifollo, qui eſſe & ſtare debeant in dicto Battifollo continue ad ſtipendium Communis Bononiæ, *providerunt, deliberaverunt, & firmaverunt unanimiter & concorditer, nemine diſcrepante, ſcruptinio inter eos ex fabis albis & nigris legiptime celebrato, quod Nobilis Miles Dominus Rodulfus de Garſonibus ſit & eſſe debeat ſtipendiarius Communis Bononie in dicto Battifollo, & habeat & habere debeat ad ſtipendium Communis Bononie quatuor equos armigeros, quatuor equitatores, & duos roncenos ad ſoldum & ſtipendium Communis Bononie, quem habent alii ſtipendiarii dicti Communis, quem ſoldum incipere debeat die, qua Battifolli inceptum erit hedificari ſeu conſtrui. Item quod Nobilis Miles Dominus Manfredinus de Ginaſetis ſit & eſſe debeat ſtipendiarius Communis Bononie in dicto Battifollo, & habeat & habere debeat ad ſtipendium Communis Bononie quatuor equos armigeros, quatuor equitatores, & duos roncenos ad ſtipendium & ſoldum Communis Bononie, quem habent alii ſtipendiarii dicti Communis, quem ſoldum recipere debeat ut ſupra. Item quod Gratia de Florano cum uno ſuo filio & uno ſuo nepote, ſit & eſſe debeat ſtipendiarius Communis in dicto Battifollo, & habeat & habere debeat quatuor equos armigeros, quatuor equitatores, & duos roncenos, computatis in equitatoribus dictos ſuum filium & nepotem, ad ſtipendium Communis, quod habent alii ſtipendiarii dicti Communis, quod incipere debeat, ut ſupra.*

Ego Minimus Bonibologni Notarius dictorum ...... ſcripſi.

Menagio in Libro de Originib. Linguæ Italicæ arbitranti, idem fuiſſe *Bitifredos* cum *Battifollis*, & Du-Cangio in eamdem ſententiam loquenti, non facile ego adſtipulabor. Mihi creduntur *Bitifredi*, de quibus ſupra actum eſt, ligneæ tantùm Turres, ſive parum diſſimilis formæ, traditæ paucorum peditum cuſtodiæ; *Battifolli* autem, idem ferme atque *Baſtitæ*, propugnacula ſcilicet tantæ latitudinis, ut equites etiam & equos continerent, uti nobis præcedens Charta ſignificavit. Nicolaus Tegrimus in Vita Caſtruccii hæc habet: *Primus ſupra Serravum Caſtellum Arcem ædificavit (quam Serravallum appellamus) in formam Batifollis (illius ætatis vocabulo) cum aggere & lignis terraque congeſto; adversùs ſubitos incurſus locum illum munivit: poſtmodum & calce lateribuſque tutiorem reddidit.* Quare *Battifolli* vix a *Baſtitis* diverſi fuere; & hoc eis nomen inditum puto, ut *folles*, ideſt ſtultos, *batuerent*, ideſt comprimerent, ſi quando ad ſeditionem, rebellionemque vergerent. Johannes Villanius Lib. 5. Cap. 2. Hiſtor. tradit, a Mediolanenſibus Oppidum in Lombardia conditum fuiſſe, ideſt Alexandriam, *quaſi per una Baſtita & Battifolle, incontro alla Città di Pavia*. Ita Lib. 6. Cap. 4. *E per Battifolle, overo Baſtita vi poſono i Fiorentini il Caſtello d'Anciſa*. Et Lib. 10. Cap. 171. *Feciono una Baſtita overo Battifolle, guernito di gente d'armi*. Aliquid tamen diſcriminis ex aliqua diverſitate formæ inter *Baſtitas* & *Battifolles* fortaſſis interceſſerit, quum Hiſtoricus idem Lib. 10. Cap. 204. ſcripſerit de obſidione Bargæ: *Et avea intorno più Battifolli e Baſtie*. Porro adversùs ejuſmodi munitiones ligneas, quibus *Baſtitæ* nomen erat, ſæpe deferebatur ignis: & ubi admoveri flamma poterat, eamque ſudes ac tabulata concipiebant, ultimum eiſdem Baſtitis imminebat excidium. Fuerunt etiam *Stellatæ* & *Palatæ* munimentorum ſpecies, ex palis & lignis, quarum mentio eſt in Hiſtoria Ferrarienſi, atque in ejus Urbis agro Vici habentur, idem retinentes nomen. Denique Turres in agris, collibus, ac montibus conſtituebantur ejus fortitudinis, ut quandoque ad eas expugnandas juſtus exercitus exigeretur. Hiſce interdum exteriores munitiones adjiciebantur ad inſtar *Baſtitæ*. Immo quandoque Monaſteria ac Templa vallo circumducto, *Berteſcis*, aliiſque munimentis ad uſum belli inſtruebantur: quod *incaſtellare* appellatum eſt, hoc eſt, ita munire, perinde atque Caſtra ſive Caſtella forent. In Concilio Lateranenſi Anno MCXXIII. Canon. 14. *Eccleſias a Laicis incaſtellari, aut in ſervitutem redigi, auctoritate Apoſtolica prohibemus*. Attamen paucos poſt annos eximius ſanctitatis locus, videlicet Baſilica ipſa Vaticana, calamitati huic obnoxia fuit, ut produnt Acta Friderici I. Auguſti, teſtatumque reliquit Gerohus Præpoſitus Reicherſpergenſis, eorumdem temporum Scriptor Lib. 5. pag. 114. in hæc verba loquens: *Unde non immerito dolemus, quod adhuc in domo beati Petri Principis Apoſtolorum deſolationis abominationem ſtare vidimus, poſitis etiam propugnaculis & aliis Bellorum inſtrumentis in altitudine Sanctuarii ſupra corpus beati Petri*. Et profectò legimus, multum impedimenti, multumque moleſtiæ interdum ex hiſce locis hoſti objectis fuiſſe inlatum. In Archivo Nonantulani Mutinenſis Monaſterii ſe mihi obtulit vetuſtum apographum Chartæ ſpectantis ad celebrem Comitiſſam Mathildem, quæ multa in emphyteuſim concedit, ea conditione appoſitâ, ut Emphyteutæ *Roccam de Giſſadello incaſtellare, guaitare (ideſt far le guardie) & laborare & claudere debeant.* Iſtam quoque Chartulam ab oblivione vindicare decrevi.

Con-

Conceſſio terrarum facta Hildeprando & Guidoni fratribus a Mathilde Comitiſſa, ut Roccham Ghiſadelli deinceps muniant & cuſtodiant, Anno 1108.

IN nomine Sancte & individue Trinitatis. Anno ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti Milleſimo Centeſimo Octavo, XVI. Kalendas Octobris, Indictione Prima. Et ideo in Dei nomine ego quidem Donna Matilda inclita Comitiſſa filia Donni Bonifacii Marchionis, per cartulam precariam atque emphyteotecariam juris nomine, concedo vobis Yldebrando jugera duo, & Guido germani jugera duo &c. (ſequitur multorum aliorum jugerum conceſſio diverſis perſonis). *Quæ autem jam dicta jugera ſunt in Curte Cellula, quorum vocabula ſunt Curte de Paulecla, & Curte de Radigoſa, & in Curte Giſſo, & in aliis locis &c. tantummodo ad habendum, tenendum, fruendum, faciendum quicquid vobis utile erit.* Eo videlicet modo, ut Roccam de Giſſadello, pro qua omnia do vobis, ab hac ora in antea incaſtellare, guaitare, & laborare, & claudere debeatis, ſicut decet & conveniens erit. *Ita ut omni Anno de menſe Martio denariorum Veneticorum perſolvere debeatis per unumquemque jugeas ad Ecclesia Sancti Silveſtri uſque in perpetuum. Si vero predicta Rocca permanſerit, & ſi Domina Matilda in aliquo modo eam reliquerit, vel vaſtaverit ſine ulla occaſione, que fieri poteſt, predicta Cartula deinceps permaneat uſque in perpetuum. Et promitto ego predicta Matilda tam pro me, quàm pro meos ſucceſſores vobis ſupra dictis petitoris, vel veſtris heredibus uſque in perpetuum defenſare, & autorizare &c.*

Matilda Dei gratia ſi quid eſt.

Ego Daniel Montebellienſis Archipresbyter interfui &c.

Actum in loco Sancti Ceſarii.

Ab Arabum Populo didicere majores noſtri uſum ferrearum cataractarum in cancelli morem, quæ portis Urbium, & Arcium adhuc ſuperponuntur, & fune aut catenâ ſuſpenſæ, ſi quando res poſtulat, demittuntur, ut aditum hoſti per portam forte apertam intercludant. Propterea ejuſmodi clathra nomen acceperunt ac retinent *di Saracineſche*. In Hiſtor. Cortuſior. Lib. 6. Cap. 5. legitur ad Annum MCCCXXXVII. *Calatâ portæ levaturâ, ſeu Saracineſcâ &c.* Etiam Lib. 7. Cap. 16. *Quidam intraverunt Civitatem, ſed propter Portam Civitatis, quæ erat levatura, non fuerunt auſi intrare ſucceſſive.* Alter Codex habet, ſed propter *Saracineſcas portas turribus inhærentes &c.* Non ignotum tamen hunc uſum Romanis ipſis indicat Livius Lib. 27. Cap. 30. Earum quoque Vegetius meminit. Atque hæc apud veteres munimentorum genera. Verùm jam quiſque per ſe intelligere poteſt, ex adinvento *Pulvere pyrio*, excogitatiſque *Bombardis* majoribus, minoribus, ac minimis, immutatos mirum in modum fuiſſe antiquos militandi ac oppugnandi ritus, atque artem belli aliam ſumſiſſe faciem, qualem nunc intuemur. Archidamus Ageſilai filius, quum ignivomum quoddam teli genus, e Sicilia adlatum ad ſe, ſpectaret, exclamaſſe fertur: *Periit virorum virtus.* An illud verum ſit, neſcio; at certe de temporibus noſtris idem exclamare poſſumus, quibus in re bellica

A vix ullum inter fortes, & ignavos diſcrimen ſupereſt, quum plumbeæ pluviæ plerumque prœlium abſolvant, edantque diram cædem ſine ullo gladiorum uſu. Atque hoc obiter dixiſſe licuerit. Poſt Annum a Chriſti Nativitate MCCC. caſus, ut ferunt, inventum pulveris tormentarii peperit; attamen per totum pæne Sæculum illud ipſum, hoc eſt, Quartumdecimum, exigua facta eſt apud majores noſtros militarium rerum mutatio, quòd bellica tormenta ad explodendos vi ignis globulos ferreos aut plumbeos, non ſtatim perfecta fuere, neque ab omnibus Europæ Populis continuo in bellis adhibita. Commu-

B nis opinio fert, *Bombardarum* periculum primum in Italia factum fuiſſe in bello ad Foſſam Clodiam acto inter Venetos & Genuenſes Anno MCCCLXXVIII. & duobus ſubſequentibus. Ego illas in Italiam antea invectas opinor: neque enim piger quiſquam fuit ad imitationem inventi, cujus erat in bello terribilis adeo, & lethifer uſus. Et profecto ante complures annos Bombardas in Gallia uſurpatas fuiſſe, quo tempore commiſſum fuit ab Anglis ſanguinolentum prœlium Creciacenſe adversùs Gallos, hoc eſt, Anno MCCCXLVI. auctor eſt Johannes Villanius Lib. 12. Cap. 65. Hiſtoriar. Nimirum is ſcribit, Anglos uſos fuiſſe Bom-

C bardis, *che ſaettavano pallotole di ferro con fuoco, per impaurire, e diſertare i cavalli de' Franceſi.* Et Cap. ſequenti: *Sanza i colpi delle Bombarde, che facieno sì grande tremuoto e romore, che parea che Iddio tonaſſe con grande uccìſione di gente, e di sfondamento di cavalli.* Quibus verbis ille nihil aliud deſignare poteſt, niſi noſtri temporis Bombardas. Continuator quoque Nangii ad Annum MCCCLVI. ſcribit: *Munientes turres baliſtis, garrottis, canonibus, & machinis, &c.* Incertum tamen eſt, an *Cannones*, *Gunnæ* ab Anglicis Scriptoribus appellatæ, tunc idem eſſent, ac noſtræ Bombardæ. Quod autem controverſiam omnem

D hanc dirimit, mecum velim animadvertat Lector verba Franciſci Petrarchæ, celeberrimi inter Italicos Poëtæ Lyrici, quæ hactenus effugêre Polidorum Virgilium, Pancirolium, Du-Cangium, & alios, de hoc argumento tractantes. Itaque Petrarcha Lib. primo *de Remed. utriuſque fortunæ*, Dialog. 99. cui titulus de *Machinis & Baliſtis*, hæc ſcribit: *G. Habeo Machinas & Baliſtas. R. Mirum, niſi & glandes æneas, quæ flammis injectis horriſono ſonitu jaciuntur. Non erat ſatis de cælo tonantis ira Dei immortalis, homuncio niſi (o crudelitas juncta ſuperbiæ!) de terra etiam tonuiſſet. Non imitabile fulmen, ut Maro*

E *ait, humana rabies imitata eſt: & quod e nubibus mitti ſolet, igneo quidem, ſed tartareo mittitur inſtrumento. Quod ab Archimede inventum quidam putant eo tempore, quo Marcellus Syracuſas obſidebat. Verùm ille hoc, ut ſuorum Civium libertatem tueretur, excogitavit, patriæque excidium vel averteret, vel differret, quo vos, ut liberos Populos vel jugo, vel excidio prematis, utimini. Erat hæc peſtis NUPER rara, ut cum ingenti miraculo cerneretur. NUNC, ut rerum peſſimarum dociles*

A *ſunt omni, ita COMMUNIS eſt, ut quodlibet genus armorum*. Egregius plane locus ad evertendam vulgarem opinionem Scriptorum, Anno demum MCCCLXXVIII. innotuiſſe Italis ejuſmodi tormenta bellica. Atque heic adnotare neceſſe eſt, Tractatum *de Remediis utriuſque Fortunæ* a Petrarcha miſſum fuiſſe *ad ſplendidum, magnificumque clarum virum Azonem Corrigium, Principem Parmenſem*. Atqui Azo de Corrigia Anno Chriſti MCCCXLIV. *Princeps Parmæ* deſiit eſſe; eam quippe Civitatem ſummo vendidit Obizoni Marchioni Eſtenſi, Ferrariæ, & Mutinæ Domino, uti conſtat ex Chronicis editis in Tomo XV. & ſequentibus Rer. Italicarum. Eum poſt illa tempora Petrarcha *Principem Parmenſem* non appellaſſet. B Quare habemus, ante Annum Chriſti MCCCXLIV. terribilium hujuſmodi tormentorum uſum in Italia quoque invaluiſſe, & Johannis Villani verba jam producta ad hancce veritatem confirmandam confluere. Præterea teſtem habeo Andream Reduſium in Chronico Tarviſino Tom. XIX. Rer. Italicar. pag. 753. cujus verba digna ſunt, quæ heic referantur. Ita ille ad Annum MCCCLXXVI. *Illis horis bombardellæ parvæ, quæ primo fuit viſa & audita in partibus Italiæ, conducta per gentes Venetorum, caſu percuſſit Rizardum de Azonibus nobilem Tarviſinum cum debilitatione brachii*. At idem Auctor ſupra ad Annum MCCCLXXIII pag. 750. *Bombardas* memoraverat a Franciſco C Carrarienſi contra Venetos adhibitas, ita ut ſuſpicari liceat, *Bombardellas* quidem, non verò *Bombardas*, Anno tantùm MCCCLXXVI. innoteſcere cœpiſſe. *Sclopos* autem, ſive minora ænea tormenta a manu, nova fuiſſe in Etruria, vel Anno MCCCCXXXII. memoriæ prodidit Franciſcus Thomaſius in Hiſtor. Senenſ. Tomo XX. Rer. Italicar. ſcribens: *Habebat & milites quingentos ad ſui cuſtodiam, Scloppos (id genus armorum vocant) inviſum apud nos antea, deferentes, totidemque Hungaros equites arcum geſtantes*. Anno MCCCLXXIX. in Vicentinæ Urbis ſpectaculo adhibitum Pulverem pyrium, ſatis aperte prodit D Conforttus Pulex in Hiſtor. Vicentina, cujus verba adferam in Diſſertatione XXIX. *de Spectaculis*.

Perrexerunt ergo Itali per totum Sæculum XIV. atque etiam ultra, equites priſtinis armis uti, Haſtâ, Enſe, Clavâ: & pedites Gladio, Sagittis, Verutis, Jaculis, Miſſilibus, Manarotis, Bipenni, Funda, Cultris, Pugionibus, Pilis, aliiſque armis, ad lædendum aptis, uti & Scutis ad tutelam. Alia armorum nomina diſcere poteris e Statutis Anno MCCLXVIII. Ferrariæ confectis, quæ calamo exarata in Eſtenſi Bibliotheca mihi ſunt ad manus. En eorum verba Lib. 4. Rubric. 22. *Arma vetita in Civitate Ferrariæ, & Diſtri-* E *ctu intelligimus Bordonem, Lanzonem, Transferium, Scrinpum, Cultellazium, Cultellum cum puncta habentem ferrum majus ſemiſſe, Ronconem, Lanceam, Spatam. Lanceam verò concedimus Militibus quum equitant. Spatam Pedites, quum vadit de una Terra in aliam; & domi dimittat. Si quis de nocte inventus fuerit portare Falzonem de Cavezo, Bordonem, Lanzonem, Transferium, vel Azam, condemnetur pro qualibet Arma in vigintiquinque Libras Ferrarienſes, & de die in decem Libras Ferrarienſes. Verumtamen licitum ſit cuilibet de Civitate Ferrariæ portare impune, eundo & redeundo ad Villas, Spatam, Cultellum de ferire, Lanceam, ſeu Lanzonem, Maciam, & Ronconem*. Atque hæc interdicta tempore pacis, non autem belli. Variæ autem Jaculorum & Sagittarum ſpecies fuere, uti & Scutorum. Apud Italos nomina uſitata fuere *Scudo, Rotella, Brocchiere, Targa, Pavese*. Hoſce clypeos diſtinguebat aut materies, aut forma: alii quippe e ferro aut ære, aut etiam ligno efformabantur: aliis rotunda, aut oblonga, aut quadrata figura fuit. Et ad *Paveſe* quod attinet, hanc vocem a Latino *Pavio* Scilianus, Menagius verò a *Parma*, uterque audaci divinatione, deducunt. Octavius Ferrarius a Ticinenſibus, quos *Paveſi* vulgaris Lingua appellat, derivatam vocem ſuſpicatur. B Certum mihi eſt poſtremum hoc Etymon. En Aulici Ticinenſis verba, qui ante annos quadringentos Opuſculum de Laudib. Papiæ ſcripſit, evulgatum a me in Tomo XI. Rer. Italicar. *Ticinenſis militiæ fama* (ita ille Cap. 13.) *per totam Italiam divulgata eſt: & ab ipſis illuc quidam Clypei magni tam in ſuperiori capite quadri, quàm in inferiori, Papienſes fere vocantur ubique*. Nihil aliud ſunt *Papienſes*, niſi *Paveſi*, quorum Clypeorum figuram ediſcimus, quadratam videlicet, ſed, ut puto, curvatam. Vox autem una cum uſu ejuſmodi Scutorum pertranſiit ad Gallos, Anglos, & Hiſpanos. Du-Cangium vide in Gloſſario ad vocem *Paviſarii*, *Paviſatores*, *Pavas*, C *Pavais*, *Paſais*, *&c.* Fuit & Ticinenſibus altera Scutorum ſpecies, qua in fictis pugnis, ac militaribus tyrociniis utebantur. Eumdem Aulicum audi, qui amica Populi ſui certamina deſcribens, ait: *Habent in capitibus galeas ligneas, ſcilicet viminibus textas, quas Ciſtas vocant, pannis & mollibus interius exteriuſque partitas, &c. tenentes omnes Scuta radicibus texta, & ligneos fuſtes*. Ante oculos Ticinenſium fuiſſe videntur verba Vegetii, luſoria Scuta delineantis. *Scuta*, inquit, *de vimine in modum cratium corrotundata tenebant*. Memorat Dominicus de Gravina in Chronico, Tomo XII. pag. 719. Rer. Italicar. *Pallarenſem* & *Lanceam*, quibus Hungariæ Rex Ludo- D vicus ad *Badaluccum* procedebat. Nomine iſto Scutum deſignari videtur, ipſumque fortaſſe *Paveſe*, quod nuper deſcripſimus. Cur verò ab Italica Lingua *Rotelle* appellarentur Clypei illi, quos Latini *Parmas* dixere, id factum opinari licet, quòd ad Rotæ parvæ figuram efformarentur ob rotunditatem circuli; ſive quòd *Rotundelle* primo dicti ſint, tum compendii cauſsâ *Rotellæ*. Gallis *Rondelle* idem adhuc ſignificat. Tunc etiam Clypei corio præduro contecti, uti & Thoraces in uſu fuere, ex eodem, ut puto, *Corio* primum confecti, unde nomen *Corazza*, hoc eſt, *armatura Coriacea*. Tum ad *ferream* deſignandam hoc etiam nomen invaluiſſe puto. Atque E heic obiter dicam, ideo Clypeorum ſpeciem appellatam fuiſſe *Brocchiere*, quòd *Broccham*, ſive *Brochiam*, ideſt clavum, ſive exiguum palum ferreum acuta ſua parte prominentem in medio fixum haberent, cujus erat uſus multus in pugna, tum ad enſem hoſtis repellendum, tum etiam ad hoſtem, ſi irrueret, feriendum. Italica vox antiquata *Broccare*, pro equum pungere calcaribus, uti & *Brocher* Gallicum hinc nata, quòd calcaria *Brochis ſuis*, hoc eſt aculeatis ferris pungerent; nemo enim Fureterio aſſentiatur ſcribenti: *Ce mot vien de Broſſer & Broſſailles dautant qu'il faut piquer pour avancer le chemin dans les*

les broſſes. Uti neque vox *Brocchiere* deſcen-
dit e *Buculario Latino*, *efformato e Gallico*
Bouclier, quod opinari videtur Menagius de
Origin. Linguæ Italicæ. Aliud enim eſt *bucu-*
la, unde fortaſſis *Bouclier* Gallicum & Angli-
cum *Buckler*; & aliud *Brocha*. In Aſſiſiis
Hieroſolymitanis a Du-Cangio memoratis le-
gitur: *En l'eſcu doit avoir deus Broches de fer*
tout emmi l'eſcu, & l'autre au piè de ſoute, &
doivent eſtre de tel groſſe, comme il vodront,
& de tel longeur juſque à un piè, & neent plus
&c. *Sprocco*, & *Inſproccare* Mutinenſibus
idem eſt, videlicet acuminatum ferrum, in
quo infigitur aliquid. Vereor, ut Academici
Florentini in Vocabulario *della Cruſca* vocem
Sprocco accurate perpenderint, fuerintque in-
terpretati. Porro equites in equis ſedentes
Scutum aut Scutiferis tradere, aut ad collum
ipſi geſtare interdum conſueverunt. Qui ritus
indicio eſt, eorum Clypeos mediocris latitudi-
nis fuiſſe. *Talavacii* quoque appellata credi-
tur quædam Clypeorum ſpecies, majoris, ac
ſpiſſioris formæ, uti opinatur Du-Cangius in
Gloſſario, qui & addit: *Vocem Gallicam alibi*
uſurpatam vix reperies. At ne Italis quidem
hæc ignota. Rolandinum audi Lib. 8. Cap. 10.
Chronici, ad Annum Chriſti MCCLVI. *Circa*
ducentos pedites de Vicentia, & Vicentino di-
ſtrictu, cum Talavaciis ſtatuit ſuper turrim &
portam & ſpaldum de Pontecorbo.

Ad Jacula & Sagittas redeo: *Dardi* &
Giavellotti occurrunt apud veteres: tela miſ-
ſilia fuere. Ab his parum abſimilia fortaſſe
fuerunt arma, *Giavarine* & *Chiaverine* appel-
lata. Si a *Clava* diminutivo vox iſta deſcen-
dit, ejus vim facile intelligas. Sin veluti *Pi-*
lum manu intorquebatur in hoſtem, aliunde
eſt illius origo petenda. Ad hæc *Sagittarii*
memorandi ſunt, qui ad morem veterum Par-
thorum atque Turcarum Arcu ſimplici uteban-
tur ad *Sagittas* emittendas. *Arcarii*, *Arcato-*
res ſunt nuncupati: nobis *Arcieri*. *Freccie*
nomen inditum quoque fuit Sagittis. Succeſ-
ſere poſtea *Balliſtæ* manuales, quas *Baleſtre*
& *Baleſtri* appellarunt, inſtrumentum nempe
ligneum, Arcu ferreo armatum, unde majori
vi Sagittæ excutiebantur. *Baleſtrieri* nobis,
Baliſtarii antiquis vocati ſunt, iis utentes. Et
duplex quidem *Baliſtarum* genus fuit. Aliæ
manuales, quibus *pedites* utebantur, quam-
quam & interdum occurrunt *equites baliſtarii*;
leves nempe, quæ ab uno homine exonerari
poterant. Aliæ validiores, machinæ jacula-
toriæ, appellatæ *Groſſæ*, e quibus projicie-
bantur tela majora ac longius. In Additamen-
tis ad Chronicon Cortuſiorum Lib. 2. Cap. 2.
Tomo XII pag. 795. Rer. Italicar. ubi narra-
tur prœlium ſiniſtro eventu a Florentinis com-
miſſum Anno MCCCXV. cum Ugucione Fa-
giolano, hæc præcipue adnotanda: *Quæ vi-*
dens Ugutio miſit pro Baliſteriis Piſanis, qui
erant numero quatuor mille, & eos ſagaciter
ordinavit in hunc modum, quod eorum tertia pars
ſagittet in Lanciferos dicti Principis; alia tertia
pars immediate Baliſtas ſuas ponderet cum Mu-
ſchettis, & quod telis etiam ſagittet; alia ve-
rò tertia pars poſtmodum jam ponderatis Bali-
ſtis recutiat, & frequentando ſagittare non ceſ-
ſet, & omnes inſpiciant primo in Lanciferos
ſagittare, & poſtea in equos militum Principis.
Occurrunt heic *Muſchettæ*, cujus vocis, quæ
ſit ſignificatio, aliquantum innuit Marinus Sa-
nutus ſenior, cujus verba ſunt Lib. 2. part. 4.
Cap. 22. *Hæc eadem Baliſtæ tela poſſent trahe-*

A *re, quæ Muſchettæ vulgariter appellantur.* Et
in Chronico Eſtenſi ad Annum MCCCIX. To-
mo XV. Rer. Italicar. habetur: *Propter ma-*
gnam multitudinem Moſchettarum, quas ſagit-
tabant. Fortaſſis inde nomen inditum *Sclopis*,
quos duobus proxime præteritis Sæculis appel-
lare *Muſchettos* mos fuit. Athenarum Dux,
dum Florentiæ dominabatur, teſte Johanne
Villanio Lib. 12. Cap. 8. Hiſtoriar. *fece torre*
tutte le Baleſtra Groſſe a' Cittadini. Quod eſt
ad manuales Baliſtas, Creciacenſis prœlii facta
eſt ſupra mentio. Nunc addendum, ab Hiſto-
ricis tradi, *Genuenſes Baliſtarios*, ad quinque
aut ſex millia a Gallico Rege tunc conductos,
primos ad illud certamen impulſos fuiſſe. Me-
B zerayus in Hiſtor. Gallica narrat, quum ex
improviſo cecidiſſet imber effuſus, Genuenſes
ad pugnam lentos proceſſiſſe, quod contende-
rent arcuum ſuorum chordas a pluvia debilita-
tas, ſeque propterea impotentes ad prœlium;
eâque de cauſsâ veluti proditores a ſubſequen-
tibus iratis Gallis fuiſſe trucidatos. Audi nunc
Auctorem Vitæ Nicolai Laurentii, ſive Hi-
ſtoriæ Romanæ in hoc Opere edendæ, qui iis
ipſis diebus ſcribebat: *Era ſtata* (inquit ille)
un poco di piovarella. La terra era infuſa e
molle. Quanno volevano caricare la Valeſtra,
mettevano pede nella ſtaffa. Lo pede ſfuiva.
Non potevano ficcare lo pede in terra. Hoc eſt,
Paulo ante modicus imber ceciderat. Humus ex
C *infuſa aqua mollis ac lubrica erat. Quum Ge-*
nuenſes Baliſtas ſagittis oneraturi erant, pedem
ſtaphiæ immittebant. Pes, in quo ſtabant, ela-
bebatur. Nequibant pedem ſolo figere. Cæci
ac furentes Galli, rem ſecus interpretati, in
miſeram gentem immani barbarie irruerunt;
ſed & ipſi ingenti clade ab Anglis in eo prœlio
proſtrati pœnas tanti furoris, Deo vindice,
paulo poſt dedere. Vide Aringhium Lib. 4.
Cap. 37. pag. 335. Romæ Subterr. qui anti-
quam Tabulam refert, exprimentem marty-
rium Sancti Sebaſtiani, ubi delineatum cernes
ritum hunc tenendi Baliſtas manuales, & im-
ponendæ ſagittæ. Guilielmus quoque Brito
Lib. 7. Philippid. eumdem morem deſcribit
D verſu illo:

Balliſtâ duplici tenſâ pede miſſa Sagitta.

Arcus verò Sagittarius non pede, ſed manu
tendebatur, ac propterea diſcrimen iſtud ſen-
tias in ejuſdem Guilielmi verſibus Lib. 2. ubi ait:

Nec tamen interea ceſſat Balliſta, vel Arcus:
Quadrellos hæc multiplicat, pluit ille Sagittas.

Quadrelli & ipſi Sagittæ fuerunt, forma tan-
tum aut ferri, aut quatuor alarum, a vulga-
ribus diverſæ. Hoſce ejaculabantur *Baliſtæ*
tum majores, tum minores. Modicum etiam,
E aut nullum diſcrimen interceſſiſſe videtur inter
Quadrellos & Sagittas appellatas *Bolzoni*,
quod nomen e Germanico *Boltze* ſignificante
Sagittam venit. Celebres quoque fuere in
Hiſtoriâ, præſertim Italicâ, *Verretones*, Sa-
gittarum ſpecies, qui per Baliſtam effunde-
bantur. Cenſent nonnulli, a *Veruto* Latino-
rum efformatum fuiſſe Italicum *Verretone*.
Subſcribere ego non auſim. Quippe Veruta
fuere tela ſeu jacula, manu conjecta in ho-
ſtem: *Veretones* vero e Baliſtis emittebantur.
Neque felicius excogitatam puto Etymolo-
giam, quæ a doctiſſimo & clariſſimo Viro,
Patre Daniele Soc. Jeſu, Lib. 6. Cap. 4. de

Mille Franceſ. nobis adferunt : *On les appellent* (ut ille ait) *Viretons, parce qu'ils virent, c'eſt à dire, qu'ils tournoient en l'air par le moyen des aiſlerons, ou pennes, ou plumes.* Male conflatum hoc Etymon : ita enim quodcumque Sagittarum genus *Viretons* appellatum fuiſſet : a quo tamen abſtinuere veteres, unam tantummodo Sagittarum ſpeciem hoc nomine donantes. Deinde *Virer* Gallis idem eſt ac nobis *Girare*, hoc autem non ſatis proprie de Sagittis dicitur, quarum vis ſita in eo eſt, ut recta ferantur : neque tamen eſt in gyrum ducti. In Chronico Piſano Tomo XIV. Rer. Italicar. appellantur *Girettoni*, & ab aliis *Verrettoni* : quæ ſuſpicionem faciunt, vocem hanc eſſe origine Germanicæ.

Nunc autem ſingulari animadverſione dignum eſt, quod Frater Franciſcus Pipinus in Chronic. Lib. 3. Cap. 41. Tomo IX. Rer. Italicar. memoriæ prodidit, ſcribens : *Anno Domini MCCLXVI. Itali exemplo Francorum* (qui eo tempore potiti ſunt Regno Apuliæ atque Siciliæ) *Pugionibus uti cœperunt, Enſibus obſoletis*. Mirum videtur, tunc antiquatos fuiſſe Gladios, & in deſuetudinem Enſes abiiſſe. Male profectò ceſſiſſet ſolo Pugione pugnantibus contra Enſe armatos. Adde, teſtem ubique Hiſtoriarum, Enſium uſum tum apud Italos, tum apud Gallos poſt illa etiam tempora perſeveraſſe. Itaque in eam conjecturam deſcendo, *Pugionum* nomine heic deſignari non Gladiolos, quos nunc *Pugnali*, *Stiletti*, *Daghe* appellamus, ſed *Enſes*, qui acuto cuſpide feriunt, ſeu pungunt more *Pugionum*. *Enſium* verò appellatione ſignificari *Gladios*, ſive *Spathas*, quarum acie membra cæduntur, truncantur, & multus adhuc eſt uſus in militia. Hiſce poſtremis tantùm Italia fortaſſe ante Gallorum adventum utebatur. Enſis autem utriuſque meminit Vegetius Lib. prim. Cap. 12. at pungentis ſeu perforantis uſum prætulit cædenti. Gallorum verò & Langobardorum olim fuit uti *Spathis*, ut ajebant ; latis nempe, atque ad cædendum, ut creditur, non ad perforandum aptis. Verùm ne tunc quidem inſueti Gladii cuſpidis acutæ. Sidonius Lib. 3. Epiſtol. 3. ad Ecdicium, ejus victoriam de Gothis referens, hæc ſcribit : *Aliis hebetatorum cæde Gladiorum latera dentata pertuderunt*. Ergo Gladiis ex utroque, aut ſaltem ex uno latere acutis Galli pugnabant. Subdit : *Aliis cæſim atque punctim foraminatos circulos loricarum metiuntur*. Ergo arma erant Gothis, quibus & cæſim atque punctim hoſtium loricas feriebant. Gulielmus Apulus Lib. 2. de Normann. Suevos in Italiam adductos a Sancto Leone Papa IX. Anno Chriſti MLIII. adverſùs Normannos deſcribens, poſtquam ait, illos lanceâ non multùm viriliter uti, ſubdit :

- - - - - - - - - - - - - - - Præminet Enſis ;
Sunt etenim longi ſpecialiter & peracuti
Illorum Gladii. Percuſſum a vertice corpus
Scindere ſæpe ſolent. Et firmo ſtant pede, poſtquā
Deponuntur equis. Potius certando perire,
Quàm dare terga volunt. Magis hoc ſunt Marte timendi,
Quàm dum ſunt equites - - - - - - - - - - - -

Accipio heic *Gladios peracutos* pro habentibus aciem bene ſecantem. Hos diu imitati videntur Itali. Sed renovata tamdem videtur a Gallica atque Italica gente Romanorum veterum conſuetudo, veluti utilior ad bellum. Quod & agnovit Benevenutus de Imola, qui eodem Sæculo, quo Pipinus, floruit, & eximium Commentarium Latinum, adhuc luce carentem, in Comœdiam Dantis nobis reliquit, cujus Excerpta heic jam edidi ad calcem Tomi I. Inquit autem ille in Cap. 31. Purgatorii : *Melius & tutius eſt pugnantibus ferire punctim, quàm cæſim. Primò, quia feriens punctim, habet incidere minus de armis. Secundò, quia adverſarius non ita bene vitat ictum. Tertiò, quia invenit minorem reſiſtentiam in corpore. Quartò, quia feriens minus laborat. Quintò, quia minus ſe detegit*. Ita ille. Neque juvat quærere, an longe ante Annum MCCLXVI. adhiberentur in Italia Enſes acutæ cuſpidis. Certe apud Gallos uſitati fuere. Sufficiat nobis Gulielmus de Nangiaco, qui de Geſt. Sancti Ludovici Regis Francorum pag. 381. ſcribit : *Franci mucronibus gracilibus & acutis ſub humeris ipſorum, ubi inermis patebat ictus, dum levarent brachia, transforantes, per latebras viſcerum gladios capulo tenus immergebant*. In deſcriptione victoriæ Caroli I. Regis Siciliæ hæc etiam leguntur : *Sed noſtri Gallici ex brevibus Spathis ſuis eorum latera perfodiebant, ut vitam demerent corde tacto*. Ipſe autem Carolus inclamabat : *Punctim infigite, milites Chriſti, punctim transfigite*. Itaque ſub nomine *Spathæ brevis* nolim intelligas gladiolos unius ferme palmi, qui nunc *Pugnali* appellantur ; ſed acutos Enſes, nunc *Spade da punta*, fortaſſe breviores quàm recentiorum, quibus magnâ agilitate hoſtes ſuos feriebant Galli. *Stocchi* nuncupantur a Johanne Villanio, ubi narrat prœlium inter Carolum I. & Manfredum Reges. Et ſane apud Gallos *frapper d'Eſtoc* eſt *ferire di punta*. Et inde venit vox Italica *Stoccata*, & Gallica *Eſtocade*. Immo ne Langobardis quidem defuiſſe *Pugiones* Sæculo Chriſti VIII. ediſcimus ex Anonymo Salernitano apud Peregrinium, Tomo II. Rer. Italicar. pag. 289. ubi ſcribit de Liutprando Duce Beneventano, ejuſque ſucceſſore Arichiſo : *Dum in eadem Eccleſia, Langobardorum ſicuti mos eſt, cum Pugionibus accincti altrinſecus introiſſent* &c. Ceterum antiquis Francis præter *Spatham* fuiſſe novimus & *Semiſpathium* ſive *Semiſpatham*. Immo Vegetius quoque eam commemorat, quæ a Pugione ſeu Gladiolo, antiquis noſtriſque temporibus notiſſimo, fortaſſe nihil differebat. Verùm iis in uſu belli ſimul *Spatha*, ſive Gladius major, erat ; neque minorem, ſive Pugionem arripiebant, niſi ab hoſte compreſſi. Certe a veri ſimilitudine abhorret, Gallos Sæculo Chriſti XIII. uno tantùm Pugione (ſi *Pugnali* eâ voce ſignificari crederemus) armatos conflixiſſe cum hoſte. Quod etiam mirere, Alexander Abbas Teleſinus Lib. 2. Cap. 31. Hiſtor. prœlium deſcribens a Rogerio Siciliæ Rege habitum, hæc habet : *Dum ergo Comes fortiter pulſando haſtam confregiſſet, mox & ipſe manum mittens ad Pugionem, in capite cujuſdam obſtantis equitis ita terribilem ſuper galeam ictum dedit, ut miles ipſe ferreâ obtuſione labefactus, ſtatim dorſum cædenti præbuerit*. I nunc, & decerne, quid *Pugionis* vocabulo veteres deſignarent, quum heic habeamus Pugionem, non gladiolum, non enſem tantummodo acutum, ſed eâ gravitate ac acie, ut non ſecus atque nunc *Sciabla*, aut *Spatha* utrinque acuta, percuſſum caput inimici dejecerit.

De Sagittis & Jaculis hactenus egi. Nunc alterum minime prætermittendum eſt, quòd continuò mirere. Nempe in Concilio Lateranenſi II. ſub Innocentio II. Papa, Anno MC-

XXXIX.

A XXXIX. ſub anathematis pœna interdictum fuiſſe *Sagittariorum* & *Baliſtariorum* uſum in bello contra Chriſti fideles. Sunt verba Canonis 29. *Artem autem illam mortiferam, & Deo odibilem Balliſtariorum & Sagittariorum adversùs Chriſtianos & Catholicos, exerceri de cetero ſub anathemate prohibemus*. Quis, inquam, non ſtupeat, quum a remotiſſimis Sæculis Sagittarum & Arcuum uſus ſemper in bello, etiam inter Chriſtianos, legitimus habitus fuerit? Miraremur ſane & nos, ſi nunc unicuique Sclopis, aliiſque ignivomis tormentis utenti in bello inter Chriſtianos, par interdictum & pœna indiceretur. In quibuſdam editionibus depravatis legitur *odibilem Balli, ſtadiorum, & ſagittariorum*. B Non eſt autem ferenda interpretatio Baili in Summa Concilior. Tomo prim. pag. 403. qui lectionem hanc arripiens, ex Arnobio & Cerda petit ſignificationem vocis *Balli*, quod *balare dicuntur arietes, quum cornibus ſe invicem impetunt*. In eo Canone diſertiſſime ſcriptum fuit *Balliſtariorum* (*Baliſtaliorum* habet Baronius) quos Itali appellabant *Baleſtrieri*. Atque ita legitur etiam in Decretalibus Gregorii Lib. 5. Tit. 15. *de Sagittariis*, C. *Artem illam*. Auctores Gloſſæ, quos Panormitanus, aliique Canonum interpretes ſequuntur, concoquere & ipſi neſcientes ejuſmodi exorbitans interdictum, eo confugêre, ut dicerent: *Intellige de bello injuſto; ſecus de juſto*. Inane C prorſus ac inſulſum effugium. Si hæc Innocentio II. mens fuiſſet, continuo peteremus, cur Sagittas tantùm, non autem & enſes ac lanceas, in bello injuſto is improbaſſet. Præterea ſi artem Sagittariorum in bello dumtaxat illicito is exſecrabatur, mentem hanc explicare prorſus noviſſet, & explicare opus fuiſſet, neque is generali Interdicto eamdem artem proſcripſiſſet. Reſtat ergo, revera in eo Canone anathema pronuntiatum adversùs Arcuum & Balliſtarum uſum in bello tam juſto quàm injuſto. Quod cur factum fuerit, conjecturâ ſe aſſequi poſſe arbitratus eſt Clariſs. Baluzius in Notis ad Capitular. Reg. Francor. Tom. 2. pag. 999. ſcribens, in deſuetudinem apud Gal- D los jamdiu abiiſſe Arcuum & Baliſtarum uſum, cujus pernicioſa mirum in modum renovatio facta Innocentii II. ævo, Pontificis animum moviſſe adeo potuit, *ut neceſſarium viſum fuerit eos anathemate percellere, qui Baliſtis & Sagittis uterentur adversùs Chriſtianos*. Ita ille. Et revera Fulcherius Carnotenſis in Geſt. Francor. pag. 388. Tomo primo Geſt. Dei per Franc. qui res ſub oculis ſuis geſtas narrat, ad Annum MXCVII. auctor eſt, Francos in Oriente Sagittis a Turcis impetitos, in fugam fuiſſe converſos: *Nec erat*, ait, *mirandum, quia cunctis nobis tale bellum erat incognitum*. Raymundus de Agiles ſacræ & ipſe expeditionis deſcriptor, Radulphus Cadomenſis de Geſt. Tancredi. To- E mo V. Rer. Italicar. aliique Scriptores Hieroſolymitani belli, ſatis produnt, Francos lanceis tantùm & gladiis pugnaſſe cominus; Turcos contra arcu & ſagittis eminus uſos, cominus verò enſibus dimicaſſe. Scilicet vel ignavi arcu inſultare hoſti remoto poſſunt; at unius fortis eſt animoſe cum præſente congredi, atque in ejuſmodi congreſſu plus emicat virtus ac probitas militis. Quum verò Franci atque Itali ex Oriente ſecum reportaſſent ſagittandi artem pernicioſam, & hanc abominatione dignam cenſerent Lateranenſis Concilii Patres, quòd eminus eâ ratione interficerentur homines, caderentque etiam interdum meliores nondum pugnantes, propterea veri videtur ſimile, interdictam fuiſſe Chriſtianis adversùs Chriſtianos bella gerentibus *Artem Balliſtariorum & Sagittariorum*. Et ſane ab ea abſtinuere diu poſt Franci, uti nos docet Willelmus Brito Lib. 2. Philippid. apud Du-Cheſnium: qui bellum narrans a Philippo Auguſto Gallorum Rege contra Flandriæ Comitem Anno MCLXXXIV. teſtatur, ignotum iis diebus fuiſſe Francorum genti *Baliſtarum* uſum.

Francigenis noſtris illis ignota diebus
Res erat omnino, quid Baliſtarius Arcus,
Quid Baliſta foret: nec habebat in agmine toto
Rex armis quemquam, ſciret qui talibus uti.

Tum Lib. V. Richardo Angliæ Regi tribuit armorum ejuſmodi in Franciam invectum uſum, utpote qui a Turcis in Oriente didicerat, quid ſucceſſus ea haberent in hoſtes.

Ut qui Francigenis Baliſtæ primitus uſum
Tradidit, ipſe ſui rem primitus experiatur.

Et hæc quidem excogitata, ut cauſſa aliqua non ſpernenda afferatur, cur Anno MCXXXIX. Innocentius II. Baliſtas & Arcus e Chriſtianorum bello arcendos duxerit.

Verùm ne ſic quidem acquieſcat animus vera inquirentis; neque enim Anno MCXXXIX. ideo nova ſagittandi ars inter Chriſtianos affirmari poteſt, ut tum ſolùm deprehenſum fuerit, quanta pernicies per ipſam hominibus in bello inferretur. Certe apud Græcos numquam intercidit. Exploratum quoque eſt, Francos Anno DCCC. Arcu & Sagittis pugnaſſe, uti Ermoldus Nigellus Lib. prim. de Geſt. Ludovici Pii, Part. II. Tomi II. Rer. Italicar. ſcribit. Anno quoque DCCCLXXXVI. eamdem conſuetudinem ab ipſis ſervatam indicat Abbo Monachus Lib. prim. de Bell. Pariſ. apud Du-Cheſnium Tomo 2. Scriptor. Franc. Mathildis quoque Comitiſſa Anno MCXIV uti Donizo ſcribit, ad obſidionem Mantuæ duxit *ſcutatas gentes, & arcitenentes*, ideſt Sagittarios. Et præcedenti Sæculo XI. Gaufridus Martellus Comes Andegavenſis in bello contra Guillelmum Pictavorum Ducem, *Sagittarios, & pedites ſuos ordinavit*, ut eſt in Hiſtor. Conſul. Andegav. apud Dacherium. Ita Sugerius in Vita Ludovici Groſſi Francorum Regis Cap. 18. ad Annum MCXV. ejus bella deſcribens, inter cetera commemorat *Sagittarum imbrem*: & Cap. 20. *Baliſtariorum & Sagittariorum* meminit. Apud Italos quoque eadem conſuetudo erat. Landulphus ſenior Mediolanenſis, cujus Hiſtoriam dedi Tomo IV. Rer. Italicar deſcribens obſidionem Mediolani Anno MXXXVIII. a Conrado Salico Auguſto ſiniſtris avibus peractam, tum Germanis, tum Mediolanenſibus *Sagittas* in uſu fuiſſe tradit. Anno quoque MLXXX. commiſſo crudeliſſimo prœlio inter Henricum IV. Regem ac Rodulphum Regem, *ſagittis* potiſſimum aucta cædes fuit, uti idem Hiſtoricus ſcribit. Ita Falco Beneventanus ad Annum MCXXXIV. *Sagittarios* memorat in exercitu Roberti Principis Capuani. Poëtam quoque Comenſem vide, referentem bella inter Mediolanenſes atque Comenſes ab Anno MCXVIII. uſque ad MCXXVII. peracta, cujus Poëma dedi Tomo V. Rer. Italicar. Is quarto quoque verbo *Sagittis* pugnatum tradit, atque inter ceteras Civitates Mediolanenſium ſocias

Muti-

Maximo cum multis venit hac armata Sagittis.

Rogerius quoque Siciliæ & Apuliæ Rex Primus Anno MCXXXIII. & ſubſequentibus Sagittarios complures in bello uſurpabat, Romualdo Salernitano teſte in Chronico Tomo VII. Rer. Italicar. Sic Piſani in expeditione contra Baleares Inſulas Anno MCXIV. ſubinde eadem arma cum egere, uti in Carmine prodit Laurentius Diaconus ejus belli Scriptor Tom. VI. Rer. Italicarum. Sæculo etiam præcedenti Bonifacius Tuſciæ Dux & Marchio, Mathildis Comitiſſæ pater, teſte Hermanno Contracto ad Annum MLII. *inſidiis a duobus exceptus militibus, ſagittiſque vulneratus & mortuus, Mantuæ ſepelitur*. Ergo non nuper invectum, ſed nunquam intermiſſum, Innocentius Papa Arcuum & Sagittarum uſum invenit, ac propterea non novitas, ſed alia ratio Patres Concilii Lateranenſis moverit ad eum e militiâ tollendum, ſi tamen certa eſt illius Canonis fides, & nihil in ejus verbis deſideratur. Num ergo quòd invaluiſſet execranda ratio veneno inficiendi ſagittas? Pandulphus Piſanus in Vita Gelaſii II. Papæ, editâ Tomo III. Rer. Italicar. hæc ad Annum Chriſti MCXVIII. habet: *Sævo inſuper jam per ripam Alemannorum barbaries tela contra nos mixta Toxico jaciebat*. Verùm hæc miſſa tandem faciamus, quando certum eſt, perrexiſſe Populos Chriſti fideles etiam poſt illa tempora arma hæc uſurpare, quaſi nulla in id armorum genus lex & pœna emerſiſſet. Sire Raul de Reb. geſt. Friderici I. Tomo VI. Rer. Italicar. pag. 1179. commemorat ad Annum Chriſti MCXLIX. *pedeſtres Sagittarios*. Audiatur & Otto Morena in Hiſtor. Laudenſi qui Cremæ obſidionem narrans ad Annum MCLIX. ſcribit: *Imperator, cunſque Principes aſſidue diu noctuque Cremenſes cum Baliſtis & arcubus oppugnabant*. En rurſus uti res diverſæ memorantur Baliſtæ & Arcus. Ita ad Annum MCLX. Fridericus I. Imperator *jurare fecit Lombardiæ Prælatos & Principes ad dandum ſibi milites* (ideſt equites) *& Arcatores atque Balliſtarios*. In Vita quoque Sancti Raynerii Piſani editâ a Bollandiſtis ad diem XVII. Junii, apud Motronem Lucenſis agri vicum *venerunt Sagittarii, qui multas miſerunt ſagittas* in Gratianum quemdam. Hæc circiter Annum MCLXI. accidere. Et ſane Piſanos perrexiſſe uti Sagittis vel poſt Innocentii II. interdictum, eorum Annales produnt a me editi Tomo VI. Rer. Italicar. ac præcipue pag. 184. Genuenſes pariter, Caffaro teſte in illorum Annalib. pag. 265. contra Henricum Marchionem de Loreto Anno MCLIV. proceſſerunt *cum militibus* (ideſt equitibus) *& Baliſtariis & Sagittariis*. Eodem quoque Anno Fridericus I. Auguſtus Derthonenſem Civitatem obſidione preſſit. *Sagittarii, Baliſtarii, Fundibularii arcem circumſeptam obſervabant*, uti ſcribit Otto Friſingenſis Lib. 2. Cap. 17. de geſt. Friderici. Atque heic rurſus animadverte, alios a *Sagittariis* fuiſſe *Baliſtarios*. Illi ex *Arcubus* Sagittas emittebant: iſti e *Baliſtis* (nunc *Baleſtre*) alias telorum ſpecies, *Quadrellos* videlicet &c. jaculabantur. Francus Sacchettus in Fabulis Italicis (*Novelle*) n. 72. ait: *Andonne come Freccia, che uſciſſe d'Arco, o come Strale, che uſciſſe di Baleſtro*. Ita enim explices, quæ antea Willelmus Brito ſcribebat, nempe ignotum fuiſſe Gallis,

- - - - - - - - - - - quid Baliſtarius Arcus,
Quid Baliſta foret. - - - - - - - - - - -

Baliſtæ enim etiamſi manuales, gravius armorum genus fuere, majorive impetu, quàm Arcus, tela vibrabant in hoſtes. At qui Arcu utebantur, expeditiores erant ad emittendas Sagittas. Johannis Villanii verba ſunt ad Annum MCCCXLVI. Lib. 2. Cap. 66. Hiſtoriar. *Avea trenta mila Arcieri tra Inghileſi e Gualeſi, e quando i Genoveſi baleſtravano uno quadrello di Baleſtro, quelli ſaettavano tre Saette co' loro Archi*. Manuales tantùm Baliſtas Sæculo XI. & XII. ignoraſſe Galli dicuntur, non verò Arcus & Sagittas. Denique ut intelligas, nullam deinde rationem habitam Lateranenſis anathematis ab Innocentio II. promulgati, alter Innocentius Papa nempe Tertius, Anno MCXCIX. *centum Arcbarios conduxit ad ſoldos* (ideſt *al ſuo ſoldo*), ut eſt in ejus Vita a Baluzio edita num. 24.

Quod eſt ad militiam maritimam & claſſes ac prœlia in mari acta, id quidem video non multùm in Italia curatum eſſe ſub Regibus Langobardis, Francis, ac Germanis uſque ad Sæculum XI. Attamen in Annalibus Francorum ab Eginharto ſcriptis habemus ad Annum DCCCX. Pippinum Italiæ Regem *Venetiam bello terrâ marique appetiiſſe, ſubactâque Venetiâ, ac Ducibus ejus in deditionem acceptis, eamdem claſſem ad Dalmatiæ litora vaſtanda acceſſiſſe: Sed quum Paulus Cephaloniæ Præfectus cum Orientali claſſe ad auxilium Dalmatis ferendum adventaret. Regia claſſis ad propria regreditur*. Hæc in Hadriatico mari acta. In Mediterraneo quoque Anno DCCCXXVIII. *Bonifacius Comes* (Tuſciæ) *cui tutela Corſicæ Inſulæ tunc erat commiſſa*, de Tuſcia Corſicam atque Sardiniam *parvâ claſſe circumvectus, quum nullum in mari piratam inveniſſet, in Africam trajecit, & inter Uticam & Cartaginem egreſſus, innumeram incolarum multitudinem ſubito congregatam offendit. Cum qua & prœlium conſeruit, & quinquies vel eo amplius fuſam fugatamque profligavit; magnâque Afrorum multitudine proſtratâ, aliquot etiam ſociorum ſuorum per temeritatem amiſſis, in naves ſuas ſe recepit. Atque hoc facto ingentem Afris timorem incuſſit*. Hæc ut vides non ejus ponderis ſunt, ut rei maritimæ gloriam temporibus iis tribuere meritò poſſimus Italicæ genti. Minus etiam vires ſuas deinde exercuerunt in mari Italicæ & Francicæ gentes, quum interea Chriſtiani nominis hoſtes ejuſmodi ſtudio excellerent, & claſſes ingentes ducerent in Chriſticolarum perniciem. Nimirum Nortmanni, ſive colluvies gentium ad Balticum & Borealem Pontum ſita, innumeris navigiis advecti, Galliam fere univerſam, finitimaſque regiones ſæpe aggreſſi, immo & in ipſam interdum Italiam delapſi, cuncta prædæ, cædibus ac incendiis ſuppoſuere Sæculo IX. & X. Ex altera parte Saraceni, immanes & ipſi claſſes in Hiſpaniam, Siciliam, & Calabriam, & Fraxinetum advexere, iiſque regionibus potiti, reliquum Italiæ litus diu infeſtarunt. Atque ex ipſa nefanda gente primi omnium Siculi, tum ceteri Occidentales Populi mutuati ſunt vocem *Amiralius*, *Amirallus*, *Admirallus*, *Almiratus* &c. ut ſupremum claſſi Præfectum ſignificarent, quum Saracenos audirent ita ſuarum claſſium Duces compellare; Arabica enim vox *Amir*, quæ idem eſt ac *Emir*, & *Amira*,

A *Amira*, unde reliquæ efformatæ ſunt, *Principem Dominum*, ſive *Præfectum* ſignificat. Franciſcus tamen Junius putat, *Amiralium* proficiſci non ex uno Arabico *Amira*, ſed & ex Græco ἅλιος, ut ſit *mari Præfectus*. Pariter (ut hoc obiter moneam) ab eadem Arabum gente mutuati ſunt noſtri vocabulam *Arſenale*, ſive ut Dantes Cant. 21. Infern. appellat *Arzanà*, ſcribens :

Quale nell' Arzanà de' Veneziani
Bolle l'inverno la tenace pece,

Du-Cangius *Arſenale* putat *Armamentarium*; parùm feliciter : Significat enim *Navale*, locum ſcilicet, in quo fabricari aut ſervari ſo- B lent naves. Exiſtimat etiam, Italicum iſtud vocabulum deductum ab *Ars*, *quæ ſequioribus Latinis Machinam denotavit*. Sed & hoc a veri ſimilitudine abhorret. Origo vocis *Arzanà* & *Arſenale* eſt ab Arabico *Darcenaa*, quod idem ſonat atque *Arſenale*. Immo nobis quoque eodem ſenſu in uſu eſt vox *Darſena*, locus nempe clauſus, ubi cuſtodiuntur naves ad quietem deductæ. *Arſena*, *Arſenæ* eſt apud Raphainum Careſinum in Hiſtoria Veneta, Tomo XII. Rer. Italicar. Et *Tarſana* (ita immutatum *Darſena*) ſive *Tarſanatus Regius Meſſanæ*, idem ſignificans occurrit apud Bartholomæum de Neocaſtro in Hiſtor. Sicul. Tomo XIII. Rer. Italicar. Ex Arabica pariter C Linguâ mihi videtur arceſſendum vocabulum *Dogana*, uti Du-Cangius antea monuit, non verò e Græcorum Lingua, unde eam, ſed funibus adhibitis, deducit Menagius. Sed cur *Duana* Saracenicum converſum in *Dogana*? Liceat mihi ſomnium producere. Germani *Dock* Canem appellant, *Dogge* Belgæ, *Dog* Angli. Fieri-ne ergo potuit, ut Mercatores Chriſtiani in Orientis regionibus verſati, quum rigidos ultra æquum publicanos ibi ſentirent, quaſi domus Canum foret *Duana* Saracenicum, in *Dogana* converterint? Certe ex Arabia ad nos delata eſt vox *Magazzino*, & *Fondaco*, non autem a Latino *Fundum*, uti idem Menagius cenſuit, neque ab *Apotheca*, uti Ferra- D rius ſibi perſuaſit. Cifras quoque numericas, ſive numeros, quibus nunc utimur, nonnulli non immeritò cenſent ex Arabum commercio ad nos veniſſe. Sed jam Saracenis dimiſſis Græcos adeamus, quibus eo ipſo tempore fuit non mediocris maritimæ rei peritia atque potentia. Erant iis validæ ac numeroſæ claſſes, ſine quibus diffitas provincias in officio retinere ac tueri minime potuiſſent. Proinde Liutprando Cremonenſi Epiſcopo & Legato Ottonis Magni Auguſti ad Nicephorum Græcorum Imperatorem, ut ipſe auctor eſt in deſcriptione Legationis ſuæ, Part. I. Tomi II. Rer. Italicar. in hæc verba Anno DCCCCLXVIII. inſultabat Græculus : *Nec eſt in mari Domino* E *tuo claſſium numerus. Navigantium fortitudo mihi ſoli ineſt, qui eum claſſibus aggrediar: bello maritimas ejus civitates demoliar, & quæ fluminibus ſunt vicina, redigam in favillam.*

Primi ergo ex Italicis Populis, qui militaris potentiæ in mari gloriam reſtituerunt, & adhuc in Italia ſervant, Veneti fuere. En quid de illis, eorumque ſplendida Urbe, circiter Annum MXC. ſcripſerit Guilielmus Apulus in Poëmat. de Norman. Lib. 4. Tomo V. Rer. Italicar.

Non ignara quidem belli navalis & audax
Gens erat hæc: illam Populoſa Venetia miſit
Imperii prece, dives opum, diveſque virorum,
Qua ſinus Adriacis interlitus ultimus undis
Subjacet Arcturo. Sunt hujus mœnia gentis
Circumſepta mari; nec ab ædibus alter ad ædes
Alterius tranſire poteſt, niſi lintre vehatur.
Semper aquis habitant. Gens nulla valentior iſtâ
Æquoreis bellis, ratiumque per æquora ductu.

Neque eo tantùm Sæculo artem maritimi prœlii addidicere Veneti. Vel ſub ipſis Langobardis eorum in hac re virtus emicuit. Lege Danduli Chronicon. Ad hæc in ejuſmodi militiæ genere multum ſibi olim gloriæ conquiſierunt Robertus Guiſcardus Apuliæ Dux, ejuſque ſucceſſores; Piſani quoque ad Genuenſes. quorum peritiam, fortitudinem & egregia facta olim nulla extera gens æquavit, nedum ſuperavit. Neque tantùm triremibus, quadriremibus, aliiſque minoribus navigiorum generibus Italica gens abundavit, ſed & majoribus ac pæne enormibus præcipue poſt inventum magnetis uſum ad nauticam. Et quum *Ligna Barchiæ*, *Vaſa* &c. appellarentur omnes juſtæ magnitudinis naves, hinc nata fuit vox *Vaſcello*, quæ adhuc perdurat. Omnium maximis onerariis olim fuit nomen *Cocha*, *Cocca*, cujus vocis ſignificationem minime aſſequutus eſt Du-Cangius in Gloſſar. Latino, immo eam depravate nobis exhibuit. Inquit enim : *Concha navigii ſpecies in Conchæ formam efficta, ut ſunt Gondolæ Veneticæ*. Non *Concha*, ſed *Cocha* ſcribendum fuit; & *Cochæ* non inter minutas cymbas, quales ſunt *Gondulæ*, ſed inter majoris magnitudinis naves computandæ erant. In Epiſtola Anno MCCCXXVI. ſcripta, quam idem Du-Cangius laudat, memoratur *quædam navis ſeu Concha*; & Careſinius in Hiſtor. Veneta ad Annum MCCCLXXVIII. ſcripſiſſe dicitur *deſtinatis quampluribus Uſſeriis, ſeu Galeis groſſis. Conchis, aliiſque navigiis*. Sed utrobique ſcribendum *Cocha* & *Cochis*, ſeu *Cocchis*, quod nomen vetuſtiſſimum tunc fuit. Vide Venetorum & Genuenſium Hiſtorias in Collectione Rer. Italicarum. *Coccarum* autem uſus in Supero ac Infero mari Italiæ eſſe cœpit poſt Annum Chriſti MCCCIV. uti memoriæ prodidit Johannes Villanius Lib 8. Cap. 77. Hiſtoriar. Erant olim *Uſcheria*, ſive *Huiſſeria*, vel *Uſſerii*, & *Dromones*, naves ingentis molis ad equos per mare devehendos. Erant *Galeæ*, *Taridæ*, *Chelandria*, *Sagenæ*, *Sagitteæ*, *Barchæ*, *Brigantini*, *Carabi*, unde efformata vox *Carabella* & *Caravella*, aliaque diverſa nomina, quæ memorare ſuperfluum puto.

Ceterum Civitates Italicæ, quum primum in libertatem aſſurrexerunt, ac diu etiam poſtea, plerumque ſuis ipſis Civibus armatis aut ſeſe tuebantur, aut finitimis bellum inferebant. Tam Nobiles, quàm Artifices armis arreptis ad aciem convolabant: quæ peritia militarium rerum Popularibus deinde animos fecit aut auxit, ut in Nobiles inſurgerent, eoſque interdum ex hooorum ac poteſtatis communione deturbarent. In *Quarteria*, ſive *Sexteria* dividi conſuevere multæ ex Urbibus, (uti olim in *Regiones*, Romanis *Rioni*) iis attributo nomine aut a præcipuo aliquo Templo, aut a Portis Civitatis, aut ab alio aliquo ſigno. Singulis ſua Vexilla & Inſignia erant, & quoties obſidioni alicujſu Caſtri vacandum erat, mo-

modò Populus duarum Portarum, modò quatuor, jubebatur illuc accedere. Universi autem ad arma confugiebant, ſi gravis aliqua neceſſitas aut periculum ingruebat. Italicum autem nomen *Soldati* inde originem ſumſit, quod milites, exteri præſertim, corpus tunc conducti, quibus certa *Solidorum*, idest pecuniæ, ſumma ſingulis menſibus perſolvenda conſtituebatur. At propterea id genus pugnatores, qui ſtipendio merebant, *Solidarii* quoque, *Soldarii*, *Soldaterii* ſunt appellati. In Chronico Urbevetano, Tomo XV Rerum Italicar. ad Annum MCCCL. quum illius Urbis Populus progreſſus eſſet ad oppugnandum Caſtrum Puttani, Auctor hæc adnotavit: *Fora intorno a Puttano par ſolo Cittadini di Orvieto cento trenta Cavalieri, e tre mila Pedoni, che non ve ne fu nullo Soldato*. Cives autem, *qui externos tunc non equos & militaria arma, immunitatem habebant a Datiis Lerum, & ab omnibus oneribus ruſticorum*; quæ tamen eis negabatur, ſi tantummodo *Runcinum, ſeu Palafrenum a triginta ... infra alebant*. Ita in Statutis Veronenſibus, Cap. 190. Quanta autem incommoda in Populum eſſent ex veterum temporum conſuetudine, qua Artifices & Ruſtici, dimiſſis operis ſuis, tam ſæpe cogebantur in aciem & caſtra prodire, ac bello inſiſtere, quilibet vel me tacente intelliget. Quare ſatius viſum eſt, cohortes ac legiones pugnatorum hominum conſcribere atque conducere, quibus ſtipendia dependebantur e tributis Populi, pace & quiete fruentis. Novam hanc methodum præcipue commendabat Gualvaneus de la Flamma in Opuſcul. de reb. geſt. Azonis Vicecomitis, Tomo XII pag. 1040. Rerum Italicar. ubi laudabiles conſuetudines a Vicecomitibus ante Annum MCCCXL invectas deſcribit. *Quinta*, ait, *lex eſt, quod Populus ad bella non procedit, ſed domi vacet ſuis operibus: quod hactenus male fuit ſervatum. Quia omni anno, & ſpecialiter tempore meſſium & vindemiarum, quo ſolent Reges ad bella procedere, Populus relictis propriis artificiis, cum multo diſcrimine, & maximis expenſis ſtabat ſupra Civitatum obſidiones & innumerabilia damna incurrebant, & præcipue, quia multo tempore in talibus bellorum exercitiis occupabantur*. Sed & præter milites in acie ordinata pugnantes, *Ribaldi* quoque olim numerabantur, vile hominum genus, calones nempe, ſed non infimi uſus in bello, utpote qui ad inſtar velitum pugnam quandoque inibant. Atque illos fortaſſe deſignat Albertinus Muſſatus Lib. 10. Rubric. 5. Hiſtor. Auguſtæ, dum eos appellat *Mercenarios levis armaturæ, prædæ rapaces*. Fuit impoſitum hoc nomen puto ex antiqua Germanica voce *Bald*, quæ & apud Otfridum vetuſtiſſimum ejus gentis Poetam occurrit, ſignificante virum *audacem*, *animoſum*, addito *ri* ad augmentum rei. *Ribaldorum* quippe fuit excellere audaciâ. Præcurrebant ii acies, prædas convehebant, prima prœlia tentabant, ſponte ipſi caſtra ſequentes, ſæpe etiam ſtipendio conducti. Frater Jacobus Genuenſis Ordinis Prædicatorum, cujus Libellum MStum *de Ludo Scacchorum*, ſive *de moribus hominum*, Eſtenſis Bibliotheca poſſidet, compoſitum Sæculo Chriſti XIII. aut XIV. Cap. 8. hæc habet: *Ribaldos & Luxores ante ſiniſtrum Rochum dicimus ſituatos. Ad Vicarium enim, qui Rochus dicitur, pertinet habere homines, aptos ad Civitatem & loca Regi contraria exploranda, & Curſores, qui cito portent literas, & Regis mandata obtemperent*. Johannes Villanius Lib. 11. Cap. 138 Hiſtoriar. ait: *Che ſolo i Ribaldi e Ragazzi dell' oſte noſtra avrebbono vinto colle pietre il Battifolle e'l ponte*. Ita auctore Johanne de Bazano in Chronico Mutinenſi ad Annum MCCCXLII. in exercitu prædonum Ducis Guarnerii numerabantur *mille meretrices, Ragazzi, & Ribaldi ſatis*. Si primitivum nomen *Ribaldi* fuiſſet, a *Rubare* fortaſſe manaſſet. Sed, uti dicebam, potius e Germanico *Bald*, unde noſtrum *Baldo*, *Baldanza*, *Baldanzoſo*, efformatum fuit *Ribaldo*. Et quoniam abjecta ejuſmodi virorum colluvies perditis moribus, atque omni vitiorum tabe abundabat, tranſlata B eſt *Ribaldi* vox ad quoſcumque improbos & ſceleſtos. Sabas Malaſpina Lib. 3. Cap. 10. Hiſtoriæ, Tomo VIII. Rer. Italicarum, inquit: *His occurrunt primò Ribaldi, qui gregatim de Francia venerant* &c. *Verùm Saraceni de more, priuſquam ſe jungant, manualiter hoſtibus ex pharetris tela promunt, & ſagittantes ſubito Ribaldos ſine numero ſauciant*. Infra addit: *Milites autem Gallici ſtragem Ribaldorum tam ſubito perimenti in ſe illam dolentes, quamdam aciem equitum Servientium Ribaldis deputant ſubventuram. Irruunt igitur in Saracenos prædictos, Servientes equites numero forte mille* &c. De nomine *Servientium* conſulendus Vir Clariſs. Pater Daniel e Societate Jeſu Lib. 3. Cap. 7. C de Milit. Franc.

Memorantur etiam in Militia Sæculorum antecedentium *Garciones*, nunc in bono, nunc in malo ſenſu. Interdum ita appellati Scutiferi, interdum calones & famuli etiam viliores. Et quoniam plerique ex iis juvenis ætate erant, propterea apud Tuſcos invaluit, ut *Garzoni* appellarentur *Pueri* atque *Adoleſcentes* etiam nobiles. Verùm apud nos vox eadem perdurat, ſed tantummodo ad ſignificandos, aut equorum curatores in ſtabulo, *Garzoni da ſtalla*, aut qui ſub Artifice magiſtro operantur, ut *Garzoni de' Muratori*, *Garzoni de' Sartori* &c. Neque ab iis olim diverſi, qui *Ragazzi* ſunt appellati, nomine adhuc in Italia D vigente ad ſignificandos Pueros vulgi. In Annalibus Patavinis editis Tomo VIII. Rerum Italicar. pag. 438. ad Annum MCCCXXIV. Dux Carinthiæ adveniſſe Patavium dicitur *cum magna multitudine militum & peditum, & Ragaziorum quaſi nudorum, qui exſtimabantur quaſi viginti millia inter bonos & malos*. De *Ragazis* aliquid ſcribam in Diſſertatione XXXIII. *de origin. Voc. Italicar.* Hi enim appellati *Familii* in Additament. ad Hiſtor. Cortuſiorum Lib. 6 Cap. primo, Tomo XII. Rer. Italicar., unde Italica vox *Famiglio*. *Ribaldis* autem antea memoratis addendi ejuſdem ferme generis, aut ipſiſſimi *Saccomanni*, qui Sæculo XIV. in Italia celeE bres evaſere. Hi nempe, quoties occaſio ferebat, ad prædam, ſaccum deferendo, convolabant. Prodiit eorum nomen *dall' Italiano Sacco* (inquit Menagius) *e dal Tedeſco Mann, che vale uomo, come ſe ſi diceſſe uomo di ſacco*. Leodriſius Cribellus in Vita Sfortiæ Lib. II. pag 713. Tomi XIX. Rer. Italic. locum memorat, *cui propter ſoli ubertatem mixtum ex Latina & Germana Lingua Saccomanorum Silva nomen eſt*. Sed neuter animadvertit, Germanis quoque fuiſſe & eſſe in uſu eamdem vocem *Sack*, quæ communis eſt Hebræis, Græcis, Latinis, Gallis, Anglis, aliiſque gentibus. Iidem Germani *Sack-Pack* eum appellant, qui

nobis

nobis *Facchino*. Academicis *della Cruſca* ſcribitur, *Saccomanno*, & *Saccardo* idem fuiſſe. *Saccardo* autem ab iis appellatur, qui ducit *dietro a gli eſerciti le vettovaglie, o gli arneſi*. Non hæc nominis vera notio. *Saccomanni*, neſcio, an a *Saccardis diverſi fuerint*; neque certus ſum, num *Saccomano* potiùs dixerint antiqui, ac ſi a Sacco ad manum parato vox fuerit enata. Illud exploratum habeo, *Saccomannos* in exercitibus prædatores fuiſſe; & Rura, aut ipſa Caſtella munita conſueviſſe adoriri Sacco parato, ut in eum prædam congererent. Hinc deductæ Italicæ voces *Saccheggiare*, *dare il Sacco*, *mettere a Sacco*, e *Saccheggio*. Quo etiam tempore vox iſta emerſerit nos docet Petrus Azarius Hiſtoricus Novarienſis Cap. 11. Hiſtor. Tomo XVI. Rer. Italicar. Nimirum Anno MCCCLI. quum exercitus Johannis Vicecomitis Archiepiſcopi Mediolanenſis Tuſciam infeſtaret, & ad portas uſque Florentiæ excurreret, *multas pulcras domos, & palatia* invaſerunt, *ſaccomanando & comburendo. Et ibi etiam per gentes illas* (inter quas multæ Theutonicorum cohortes) *dictum fuit de Saccomanno: quod vocabulum uſque ad* præſentem *diem in Lombardia perduravit*. Hæc Scriptor ſynchronus. Audi nunc quid Porcellius Lib. IX. Comment. de reb. geſt. Jacobi Picinini ſcribat, dum Caſtellionis oppugnationem enarrat: *Vincunt hinc antemurale Braccianni, prætereunt inde foveas, & jam vallum aſcendebant, non armati ſolum, ſed inermes, & quod incredibile dictu eſt, ſolo Sacculo circumcincti*. En quoslibet Milites iniquo Saccomanni munere functos. Quum verò nuper memoratus Azarius commemoret aciem *ex debilioribus plerumque ex Saccomannis conſtitutam*, quid aliud excogitandum, niſi id hominum genus in exordio ſuo par cum *Ribaldis* fuiſſe? Neque prætermittenda alia militarium hominum ſpecies, quos Johannes Villanius Lib. 9. Cap. 70. *Gialdonieri* appellat, inquiens: *I Gialdonieri laſciarono cadere le loro Gialde ſopra i noſtri Cavalieri*. Academici *della Cruſca* in Vocabulario opinati ſunt, hoſce fuiſſe *Soldati armati di Gialda*. Addunt: *Gialda ſpezie d'arme antica, della quale s'è perduto l'uſo e la cognizione*. Menagius de Origin. Linguæ Italicæ hac interpretatione arreptâ arbitratus eſt, *Gialda* enatum eſſe ex *Jaculum*; qua ratione ſi petis, en ingenioſam methodum: *Jaculum*, *Jacula*, *Jaculadum*, *Jaculada*, *Jalda*, *Gialda*. Nihil eſt, quod ego moneam de hujus originis inconcinnitate Lectorem. Porro mihi certum eſt, *Lanceas* & *Gialdas* idem fuiſſe armorum genus, ſive *Picche*: quod alterum nomen invaluit. Editio Giuntorum, qua in Villanio rurſus typis tradendo in Collectione Rerum Italicar. ſumuſus, habet *le loro Lance* pro *le loro Gialde*. Itidem *Lance*, non *Gialde* præfert egregius Codex MStus Villanii, quem Clariſs. Recanatus Venetiis adſervat. Ceterum in Chronico Piſano, Tomo XV. Rer. Italicar. pag. 995 *le Gialde* memorantur. Sed & in altero Chronico Piſano, quod in hoc Opere ſum editurus *le Gialde* occurrunt, ita a militibus adhibitæ, ut *Picche* omnino fuiſſe videantur. Nam quod a Petro Azario in Chronico pag. 355. Tomi XVI. Rer. Italicar. ſcribitur: *Sed defenſores oppoſuerunt ſubitò Faldas Papienſes; & inter Faldas Papienſes ſe miſcebant ſtipendiarii equites cum lanceis & targhettis*: nihil huc ſpectare videtur. Quas *Faldas Papienſes* appellan-

A tur, veri puto ſimile, fuiſſe pedites deferentes clypeos *Paveſi*, de quibus ſupra fuit ſermo. Vide pag. 436. de Bello Canepiciano, ubi memorantur multi *fulciti Papienſibus affaldatis*. In margine additum MSto fuit: *ideſt Paveſi*.

Sed quid *Gialdonieri* fuere, quos etiam commemorat Ptolomeus Lucenſis in Annalib. brevibus ad Annum MCCLXXXIX. & MCCXCIII? Parum fortaſſe ab iis diſſimiles, quos alii appellarunt *Berroërios*, Veneti verò olim appellabant *Zaffones*. Audi Rolandinum, qui Lib. 11. Cap. 3. Hiſtor. Tomo VIII. Rer. Italicar. ad Annum MCCLVIII. ita ſcribit: *Sed quidam pedites & Zaffones illi, quos vulgo* B *Waldanam dicimus, procedentes inordinate ante militum* (hoc eſt *cavalieri*) *acies quaſi per milliare & amplius, animoſi pluſquam oportuit, & nimium irruentes, munitiones & barras Tarviſii minus provide, immo infeliciter, intraverunt*. Animadverte *Waldanam* e *Zaffonibus* conſtitutam fuiſſe. Subdit Cap. 5. idem Rolandinus: *Repente ſupervenerunt Berroarii, ſive Zaffones quidam, qui lucrandi cauſâ circa Paduanum confinium poſiti per Poteſtatem Paduæ vigilabant, non curantes penitus, quid pietas, quid honeſtas; credentes immo potius ibi fas, ubi maxima merces*. Itaque idem fuere *Berroërii*, *Zaffones*, & *Waldana*. Quare quum mox laudatus Hiſtoricus C Lib. 10. Cap. 5. & 6. *Waldanam* memorat, *Berroariorum* ipſorum turmam ſignificat. Occurrit autem apud Dantem Cap. 22. Infern. & apud Matthæum Villanium vox *Gualdana*, quam Florentini Vocabularii Auctores explicant *Schiera, truppa di gente armata*. At ii latiùs nimis vocabulum hoc definiunt. Idem autem eſt atque *Waldana*. Scilicet ſignificabant ea voce veteres *ſocietatem* (hæc enim vocis origo e Germanica Lingua, ut animadvertam in Diſſertatione LXXV. *de Confraternitat.*) ſive turmam, non equitum, aut peditum, ordinata acie pugnam ineuntium, ſed hominum perditorum, quos *Berroarios*, vel *Berroërios*, (nunc *Birri*) ſive *Zaffones* (nunc D *Zaffi*) nuncupabant. A *Ribaldis* verò ſupra memoratis parum diverſi fuiſſe videntur *Berroërii*: gens nempe, uti Rolandinus ipſe nos docuit, audaciſſima, ſine ordine in prœlia ruens, & præcurrens acies ad bellum compoſitas, ad eorum morem, qui *Scorridori* appellabantur, ſtipendio plerumque conducta, non ſecus atque *Uſſari* ævi noſtri, ad omne nefas prona, atque in prædam potiſſimum intenta, cujus cupidine omnia audebat. Rolandinus ipſe Lib. 11. Cap. 16. *quoſdam viros alieni cupidos, quos appellamus Zaffones*, commemorat. *Maraudeurs* a Gallis nuncupatur nunc ſimile improborum militum genus. Eos autem in equo ſedentes *lanceis* uſos fuiſſe idem Rolandi- E nus tradit Lib. 12. Cap. 8. *Pedites* etiam *Berroarii* in Epiſcopis Derthonenſibus, Tomo 4. Ital. Sacr. ab Ughellio memorantur. Et ſane *Pedites cum lanceis longis* in uſu eorum quoque temporum fuere, teſte Guilielmo Ventura Cap. 21. Chronici Aſtenſis, Tomo XVI. Rer. Italicar. *Picchieri* ſubſequens ætas appellavit. Quare jam intelligis, vocem *Gialdonieri* a Johanne Villanio uſurpatam videri efformatam a *Gualdana*, non verò quod *Gialdam* incognitum armorum genus ii deferrent. Poſtea quum Apparitorum loco ejuſmodi improbis ac viliſſimis militibus Italicæ Urbes uti cœperint, hinc ad noſtra uſque tempora propagatum eſt idem no-

miniſtros, quos Prætorum Satellites, ſive Apparitores appellamus Birri, Sbirri, & Zaffi.

Fuerunt autem quædam bellicæ rei conſuetudines, obſervatu præſertim in Italia poſt Sæculum Æræ Vulgaris XI. Nam antiquis Romanorum regis noſtrum eſt, nempe nunquam adeundi alicui bellum, quam indictum foret hoſti per Legatos, ſive Feciales. Profectò neſcio diu ſervata eorum temporum homines cum Itali, tum Germani, Galli, cæterique cultiores Europæ Populi, hoſtem bello impetere, non permiſſâ, ut ajebant diffidatione, unde noſtrum diſfida, & sfidare. Atque id etiam a Friderico I. & II. Auguſtis lege cautum fuit, ita ut Scriptores tanquam abominandum facinus & proditioni ſimile habitum animadverterent, ſi quando contempta hac lege, ſive conſenſu alieno, bellum adverſus aliquem ex improviſo commovebatur. Immo fuit etiam mos prœlium futurum hoſti prænuntiare, eumque provocare ad eligendum diem, & locum pugnæ, uti in Duello quoque factum eſt. Et quia provocantes inimicum ad ſingulare certamen præmittere conſueverunt nuntium, qui in ſignum provocationis chirothecam projiciebat in terram, ita quoque Itali ad prœlium hoſtes invitaturi, non rarò ad eos antea mittebant *il guanto ſanguinoſo della battaglia*. Du-Cangius in Gloſſario Latino *Guerram guerriatam*, cujus mentio eſt apud veteres, illam fuiſſe dicit, quæ indicebatur *cum diffida*. Non hæc vocis illius germana interpretatio. *Guerra guerriata*, & *Guerra guerreggiata* illa fuit, quæ inferebatur hoſti per velitationes (*badalucchi*, *ſcaramuccie*) per inſidias, infeſtando commeatus, aliiſque artibus bellicis, ſed abſtinendo a prœliis. Johannes Villanius Lib. 9 Cap. 181. *Per li Saneſi furono contaſtati di Guerra guerriata, non aſſicurandoſi d'abboccarſi a battaglia, come a gente diſperata*. Aliis exemplis parco. Rariſſima vero, aut nulla tunc erant bella poſt Octobrem menſem uſque ad ver adultum. *Tempus, quo Reges ad bella proficiſci ſolent* (quod ex Lib. 2. Cap. 11. Regum, didicere Majores noſtri, atque etiam memorat Radevicus Lib. prim. Cap. 10) Majus tantùm menſis fuit. Is inquam bellicarum expeditionum initium eſſe conſuevit, teſte Guilielmo Apulo Lib. prim. Poëmat. de Normann. Tomo VI. Rer. Italicar. dum ait:

Hoc ad bella ſolent procedere tempore Reges.

Quod ſi in velitationibus, prœliis, & obſidionibus captivi ex hoſte adducebantur, atque ii milites erant gregarii, qui ſtipendio mererent, ſive equites, ſive pedites, tum ſpoliati armis & equo abire ſinebantur, dum ſe victoris copiis adjungere nollent: ea interdum conditione adjecta, ut jurejurando pollicerentur, ſe per ſex menſes, aut per annum, aut ultra, adversùs victorem arma minime reſumturos. Hic mos ab Italis, ac Germanis Sæculo præſertim XIV. obſervatus. Vide Chronicon Dominici de Gravina Tomo XII. Rer. Italic. pag. 678., & Cortuſios in Chronic. Lib. 6. Cap. 4. Nobiles verò & militum Præfecti, libertatem tantummodo recipere ſolebant aut per commutationem captivorum cum hoſte initam, aut pretio redemtionis perſoluto. Quum verò manus conſerendæ erant in prœliis, omnium fortiſſimi deligebantur, quorum erat in hoſtem irruendo pugnam inchoare. Nam ſi prioribus contingebat, ut primam hoſtium turmam ſive aciem frangerent, ſequentibus commilitonibus & animus & ſpes victoriæ augebatur. Cuneus ille virorum fortium, cui adſcribi certatim quiſque generoſus miles cupiebat, appellabantur *Feritori*, quod primi ad feriendum, ac ſtrenuè impetendum hoſtem, forent. *Feditori* eſt eis nomen apud Johannem, & Matthæum Villanios. Du-Cangius ad hanc vocem *Feditori*, ait: *Videntur eſſe confœderati fide adſtricti, a Fide: vel dicti quaſi Faiditi, ideſt Inimici*. Vim Italici vocabuli minime aſſequutus eſt Vir doctiſſimus. Apud Tuſcos æque dictum eſt *Ferire* & *Fedire*, idemque verbum eſt litera tantùm immutatâ, nempe R in D, euphoniæ causâ, uti etiam pro *Raro*, dicunt *Rado*, pro *Contrariare*, *Contradiare* &c. Opinatus eſt etiam Caſtelvetrus noſter, hinc originem habuiſſe *Prò*, & *Prode*, a Græco videlicet πρῶτος, quod virum ſignificat animoſum atque ad certamina primum. Sed aut ea vox derivatur a *Probus*, priore tantùm ſyllaba retenta, & adjecto *De*, quo ſenſu apud veteres ſæpe occurrit *Miles Probus* (nunc dicimus *un coraggioſo*, *un valente*, *un valoroſo*, *un bravo Cavaliere*) & *Probitas* pro animi fortitudine in belli periculis (nunc *bravura*, *coraggio*, *valore* dicitur): aut Anglico *Proud*, & Francico *Preux*, quod eorum vocabulum fortaſſis ab antiquo Germanico deſcendens, *validum*, *fortem*, *ac elati animi* virum ſignificat. Hoc autem hominum genus ad ineundam pugnam primum occupare locum conſuevit. Contra exploratum eſt, puſilli animi viros appellatos fuiſſe *Codardi*, ſive quòd poſtremi ad certamen accederent, & in extrema acie pergerent, quæ veluti *cauda* agminis eſt, ut cenſet Octavius Ferrarius in Lib. de Origin. Linguæ Italic. ſive quod canes meticuloſos imitentur caudam inter crura colligentes, aut vulpes timidas & caudatas, uti opinatur Eccardus in Notis ad Leges Salicas. Sed fortaſſe neutra Etymologia ſolidis ſtat fundamentis. Anglis vox eſt *Cow*, quæ ſignificat *to put one out off Heart*, ideſt Italice *intimidire*, *impaurire*. Ex eadem voce apud illos fluxiſſe videtur *Coward*: ii enim, non ſecus atque Galli & Hiſpani *Covardo* appellant, quem nos *Codardo* dicimus. Veri ergo videtur ſimile, ab Anglis id nomen emanaſſe in alias gentes: Tuſcos verò, quod a *Cauda*, quam *Cova* Lombardi dicunt, enatum hoc nomen putarent, in *Codardo* immutaſſe. An autem Angli ipſi *Coward* ſuum acceperint a *Cow*, quod apud ipſos & apud Germanos *Vaccam* (animal nempe timidum) ſignificat, incertiſſimum eſt.

In Patavinis Hiſtoriis lego, non Equos tantùm, ſed & Equas ad uſum belli fuiſſe adhibitas; & agmina e milite iis tantummodo utente conflabantur, ne equis immixtæ ordines turbarent. Alibi quoque imitatores habuit ejuſmodi conſuetudo. Albertinus Muſſatus in Hiſtor. Auguſt. Lib. 6. Rubric. 13. Tomo X. Rerum Italicar. exercitum Patavinum, Anno MCCCXII. coactum recenſens, hæc habet: *In exercitu Paduano fuiſſe conſtat ex conſcriptis Civibus Paduanis equites mille ducentos, haſtatos verò ex Nobilium, locupletumque comitivis ſeptingentos, Scutiferos ſexcentos, Equas ruralium haſtatorum, quas Bertolatas* (ſeu *Bertolotas*) *Langobardi vocant, circiter mille, mercenarios milites trecentos*, (hos *Soldati* appellabant) ***peditum conſcriptorum ex Urbe, ſubur-***

ſuburbiiſque quinque millia quadringentos. Ejuſmodi Equarum ad bellum adhibitarum eſt quoque mentio in Patavina Gatarorum Hiſtoria Tomo XVII. Rer. Italicar. Equarum etiam turmas Bononienſes in exercitu habuere, uti fidem facit Hiſtoria Miſcella Tomo XVIII. Rer. Italicar. Prœlium verò ineuntibus mos fuit, ab ingenti clamore exordium facere, quaſi vocibus terrorem hoſti ſe incuſſuros ſperarent, aut ut alter alterum ad pugnam alacrius conficiendam animaret. Anno MCCLXVIII. antequam teterrimum prœlium inter copias Caroli I. Siciliæ Regis, & Conradini Regis committeretur, uti ſcribit Sabas Malaſpina Lib. 4. Cap. 10. Hiſtor. Tomo VIII. Rer. Italicar. *cohortibus ad bella diſpoſitis, tubæ viciſſim Sonitum dant terribilem, concrepant cymbala, cœlum remugit clamoribus tonitruis*. Ita duos ante annos, hoc eſt, Anno MCCLXVI. dum àd pugnam procederent ejuſdem Caroli, & Manfredi Regis exercitus, teſte Nicolao de Jamſilla in eodem Tomo VIII. pag. 605. *Clamor æthere tantus inſonuit, quod, ſicut fertur, uſque ad Aliſum ventus impulit vocum murmura*. In ea quoque pugna Saraceni *clamant de more, & quaſi cadentes hoſtes contererent, vocibus clamare continuo invaleſcunt*. Nec plura addam, potius edicturus, morem hunc militaris clamoris, quum acies in conſpectu erant pugnam edituræ, hereditaria ſucceſſione ab antiquis acceptum. Lampridius in Alexandro Severo ejuſdem meminit, erantque *Campidoctores*, qui milites edocebant, quando voces attollendæ forent. Vegetius Lib. 3. Cap. 18. *Clamor*, inquit, *prius non debet attolli, quàm acies utraque ſe junxerit. Imperatorum enim vel ignavorum eſt, vociferari de longe; quum hoſtes magis terreantur, ſi cum telorum ictu clamoris horror acceſſerit*. Clamori hujuſmodi a Barbaris potiſſimùm *Barritus* nomen olim inditum, ut fidem facit Tacitus Cap. 3. de Morib. Germanor. Sed & Romani ab eis ipſum nomen accepere, teſte Ammiano Lib. 31. Cap. 7. Hiſtor. cujus verba ſunt: *Et Romani quidem voce undique Martiâ concinentes, a minore ſolitâ ad majorem protolli, quam gentilitate appellant Barritum, vires validas erigebant*. Inconditus hic clamor, quem Paullus Diaconus & ipſe *Bellicum Clamorem* appellat, apud Francos poſterioris ævi, *Hueſii* nomen accepit, a voce *Huer*: atque inde, ut opinor, in Mutinenſium Linguam deſcendit, *fare gran Vernia dietro ad alcuno*. Nihil enim aliud *Vernia* videtur, niſi *Huernia*. Verùm de iſto ritu ac *militari ſigno* (ita enim a nonnullis etiam nuncupatur) ſi quis uberiora cupit, eruditiſſimum Du-Cangium conſulat in Diſſertatione XI. ad Joinvillam, & doctiſſimum Patrem Danielem e Societate Jeſu Lib. 5. Cap. 2. de Militia Franc. Acerbus Morena in Hiſtoria Laudenſi, Tomo VI. Rer. Italicar. pag. 1147. victoriam de Romanis a copiis Friderici I. Auguſti Anno Chriſti MCLXVII. reportatam deſcribens, alium morem bellicum nobis exhibet. Scilicet *Archiepiſcopus, & Cancellarius Vexillum in manu accipiens, ſignoque dato, maximis vocibus cantum Teutonicum, quem in bello Teutonici dicunt, videlicet*: „ Chriſtus „ qui natus „ &c. *omnes lætanter ſuper Romanos irruerunt*.

Tympana pulſantes, Tubicines, & Cornicines animos in prœliis addebant militi. Quæ *Tympana* nunc appellantur *Tambur*, iaccepimus ex Arabum militiâ: & res ac nomen inde ad nos venere. Par tamen inſtrumentum minime Græcis ac Latinis ignotum fuit, non quidem in militia, ſed in ſacris uſurpatum. Quum verò manus conſerebantur, arduum plerumque erat homines armatos ac fortes in equis confidentes dejicere aut vulnerare; nam corpora loricis, galeis, aliiſque ferreis tegumentis involuta, enſium, jaculorum, ſagittarum, aliorumque armorum ictus eludebant. Quare mos etiam fuit clavâ ferreâ armatos percutere, aut in miſeros equos bellum convertere, ut iis proſtratis eques caperetur, aut dejectus in terram pondere ferri iners ad ſuſtinendam pugnam opprimeretur. Propterea lanceis, gladiis, aliiſque mucronibus equorum ventres impetebantur. *Alle cinghie, alle cinghie* vox erat imperantium, ut equorum ilia confoderentur. Guillelmus Brito Philippid. Lib. 11. ad Annum MCCXIV. hæc habet:

> - - - - - - - - *equorum viſcera rumpunt*
> *Demiſſis gladiis, dominorum corpora quando*
> *Non patitur ferro contingi ferrea veſtis.*
> *Labuntur vecti lapſis vectoribus: & ſic*
> *Vincibiles magis exiſtunt in pulvere ſtrati.*

His adde Johannem Villanium Lib. 7. Cap. 9. Hiſtoriar. & Gataros in Hiſtor. Patavina. Neque ignotum antiquis hujuſmodi ſtratagema. Uſus illo Hydaſpes contra cataphractarios Orondatis, uſi ſæpe Romani. Ejuſdem quoque meminit Lib. 16. Cap. 12. Hiſtor. Ammianus Marcellinus. Propterea recte Ptolomeus Lucenſis in Annalib. brevibus, Tomo XI. Rer. Italic. enarrans ad Annum Chriſti MCCLXV. victoriam a Carolo I. Siciliæ Rege reportatam, de Manfredo Rege ait: *Sed non potuit reſiſtere potentiæ Gallicanæ, qui antiquorum Romanorum more percutientes, omnes equos perforabant, nullaque arma contra hoc protegere poterant*. Ceterum quanta fuerit bellicæ artis peritia & fortitudo & induſtria, præſertim poſt Sæculum a Chriſto nato Decimum, in Italicorum animis, & quantum ii excelluerint in prœliis terrâ ac mari ſuſceptis, non eſt hujus loci oſtendere. Id ſolùm innuam, oblitos aliquantulum ſui Italos Sæculo XIII. & XIV. conſueviſſe multos milites adhibere ex Germania, Belgio, Britannia, Hungaria, aliiſque remotis regionibus, atque in iis robur præcipue exercituum fuiſſe collocatum. Idem & ipſi Romanorum Imperatores olim facere conſueverunt: quod tamdem in Romani Imperii perniciem recidit. Quàm fœda, quàm immania patrarint barbari iſti ad ſtipendia militantes, quot ſeditiones exciverint, quam facile ab hoſtibus corrumpi ſe ſiverint, longum eſſet enarrare. Homines nempe impii, nullius fidei, ad lucra, ad ſtupra, ad prædam tantummodo proni, nulloque frœno regendi. Lectorem, ut puto, minime tœdebit, formam accipere, qua ejuſmodi propugnatores conducti fuere a Principibus aut Civitatibus Italiæ. Eſt mihi in hanc rem Charta, ab amantiſſimo & Clariſſimo olim Viro P. D. Gaſpare Beretto Monacho Benedictino ad me miſſa. Eam ille e Ticinenſium monumentis excerpſit.

Inſtrumentum, quo Galeaz II. Mediolani &c. Dominus nonnullos milites exteros ad ſua ſtipendia conducit, Anno 1370.

IN Chriſti nomine. Amen. Nobilis Miles Dominus Henricus de Lanfaden quondam nobilis Domini Henrici; Nobilis Miles Dominus Henricus von quondam nobilis Militis Domini Guarnerii; Nobilis Miles Dominus Laurentius quondam Domini Briæ de Ungaria; Dominus Antonius Brefella quondam Nicolai, Dominus Ulricus quondam Corradi, omnes & infraſcripti commorantes Pad., circa Hoſpitium Sanctæ Luciæ; Nobiles Viri Miles Conus quondam Stemulo, Henricus Hertenberg quondam Galeri, Grefolla Hertenberg quondam Grefolli, Petrus Hens quondam Oltonis, Ollo Gariaſcus filius Bernardi, Vannes de Botenberg filius Henrici, Tedericus de Arnæ filius Tederici, Lambertus de Lingis filius Lamberti, Angelus Zanoni filius Franceſchini, Johannes de Biſenedis quondam Joannis, Thomas Crutab filius Ulrici, Joannes de Corſelburet quondam Tederici, Lambertus de Ardelli filius Gregorii, Stephanus Vaſcari filius Nicolai, Joannes de Henſeger quondam Stephani, Ulricus Crucer filius Johannis, Antonius de Groat quondam Corradi, Renaldus de Fehenberg quondam Domini Jacobi, Gregorius de Arade filius Joannis, Johannes quondam Johannis de Vant, Nicolaus de Zant quondam Andreæ: omnes inſimul, & quilibet eorum inſolidum obligantes ſe & eorum quemlibet principalem & fidejuſſorem, unus pro altero, & alter pro altero in totum ad omnia & ſingula in præſenti contractu contenta promiſerunt per pactum ſolempni ſtipulatione firmatum Baldeſera de Salbiate, & Petro Stampa familiaribus Magnifici Domini Domini Galeaz Vicecomitis & Domini Mediolani &c. ſtipulantibus & recipientibus nomine & vice ipſius Magnifici Domini Domini Galeaz, & ejus filii primogeniti Domini Comitis Virtutum, ac ſuorum hæredum, ire & ſtare cum eorum perſonis, equis & armis ad ſtipendia & ſervitia ipſius Magnifici Domini Domini Galeaz & ipſi Magnifico Domino & Domino Comiti Virtutum primogenito ipſius Magnifici Domini, ac heredibus ipſius Magnifici Domini ſervire bene & legaliter contra omnes & quaſcumque perſonas, Communia & Univerſitates, & contra quaſcumque alias perſonas Mundi cujuſcumque conditionis, ſtatus & præeminentiæ exiſtant, nemine excepto: ita & taliter, quod quilibet Caporalis Lanceæ habeat & habere debeat equos tres bonos & ſufficientes, & ſit Caporalis armatus a capite uſque ad pedes; & habeat equitatorem unum armatum panzerono, capello, zonerallibus, quantum ſit cum ſpata & cutello, & habeat unum ragazinum. Et prædicti ſuperius nominati & quilibet eorum teneatur ſervire cum dictis armis, equis & famulis præfatis Magnifico Domino Domino Galeaz & Domino Comiti Virtutum tanto tempore, quanto illuſtris Princeps de Cutiacho erit & ſtabit ad ſervitia & ſtipendia præfati Magnifici Domini Domini Galeaz, hoc pacto, quod prædicti Milites, & eorum quilibet habeant & habere debeant Florenos triginta auri pro Lancia, & Scutifero prædicto, & eorum quilibet Florenos viginti auri pro Lancea ſingulis menſibus, dum ſteterint ad ſervitia & ſtipendia præfati Magnifici Domini. Qui Milites & Scutiferi & eorum quilibet habere debeant a præfato Magnifico Domino duorum Menſium præſtantiam, quam præſtantiam, quæ capit in ſumma Florenorum mille & centum, ſalvo jure .... ex nunc ipſi Milites & Scutiferi & eorum quilibet obligantes ſe principales & fidejuſſores, unus pro altero, ut jam dictum eſt, guarentaverint contenti, confeſſi fuerunt habuiſſe & recepiſſe, & in ſe habere ...... a prædictis Baldeſera de Salbiate, & Petro Stampa Familiaribus præfati Magnifici Domini Domini Galeaz, ad requiſitionem & petitionem Zantochini Clerici, & Hulani Ras Scutiſerorum & Servientium Ambaxiatorum præfati Domini de Cutiacho ad dictam præſtantiam petendam, ut patet per Litteras præfacti Domini de Cutiacho, ſuo ſigillo ſigillatas, præſentium, petentium, & requirentium nomine præfati Domini de Cutiacho, promittunt dicti Milites & Scutiferi, & quilibet eorum inſolidum, ſe cum eorum perſonis, equis, & armis præſentare in Mediolano vel in Papia coram præfato Magnifico Domino Domino Galeaz vel ejus Officialibus hinc ad decem octo dies proximè venturos, & ibi facere ſe & quemlibet eorum ſcribi cum eorum perſonis, armis, equis, & famulis ſupradictis, & cum in Mediolano vel in Papia fuerint monſtram armatam habere debeant decem dierum benevenutam. Et eorum ſtipendium incipiat illa die, in qua fecerint monſtram armatam.

Et in caſu, in quo prædicti Milites & Scutiferi, & quilibet eorum, ſeu alter eorum dictam præſtantiam non ſerviretur, quod ipſam præſtantiam ipſi Milites & Scutiferi, & eorum quilibet inſolidum principales & fidejuſſores in totum unus pro altero reſtituent, & reſtituere promiſerunt præfato Domino, vel ejus excellentiſſimis Officialibus, a præfato Domino ſpecialiter mandatum habentibus. Promiſerunt quoque præfati Milites & Scutiferi prædictis Baldeſeræ & Petro recipientibus nomine quo ſupra, ſervire præfato Domino Galeaz, & dicto Domino Comiti Virtutum ſimul, ſeparatim & diviſim, pro ut præfato Magnifico Domino placuerit, vel per ejus Officiales præceptum fuerit, fideliter & legaliter contra omnes perſonas Mundi ſervire, ut ſupra dictum eſt, & facere ſuprascriptas monſtras, ſcortas, & cavalcatas, ac cuſtodias, & generaliter omnia alia & ſingula, quæ faciunt omnes alii ſtipendiati præfati Domini. Quæ omnia & ſingula ſupradicta & infra dicenda prædicti Milites & Scutiferi, & ipſorum quilibet juraverunt corporaliter ad ſancta Dei Evangelia manu tactis Scripturis, & quod ad ſervitia & ſtipendia præfati Magnifici Domini ſtabunt continue, attendent & obſervabunt, & in nullo contrafacere vel venire aliqua ratione vel cauſa ſub hypotheca & obligatione omnium ſuorum bonorum obligando ſe & quemlibet eorum inſimul, & per ſe ..... & tenutam de eorum & cujuslibet ipſorum bonorum accipiendam Paduæ, Venetiis, Mediolano, Papiæ, & ubique locorum & terrarum, ubi reperientur dicti Milites & Scutiferi, ſeu alter ipſorum ...... dicti Milites & Scutiferi, & eorum quilibet ſe, ubi reperti fuerint alium domicilium habere. Renunciantes per pactum ſolempni ſtipulatione firmatum Epiſtolæ Divi Adriani,

ni , & Conſtitutioni novæ & veteri de duobus vel pluribus reis debendi , & omni alio ſuo juri, quo ſe defendere poſſent a contentis in præſenti Actu: renunciantesque omnibus probationibus non habitæ , receptæ , numeratæ , & traditæ dictæ præſtantiæ tempore hujus contractus , & exceptioni doli mali fraudis in factum , actioni & conditioni ; renunciantesque omnibus feriis diebus , ſtatutis , ordinamentis factis & fiendis per quæcumque Communia Civitatum , Caſtrorum & Villarum : renunciantesque privilegio fori , & omni remedio appellationis, ſupplicationis, & nullitatis per pactum expreſſum ; & ad majorem firmitatem præſentis contractus ſive Inſtrumenti , ipſum Inſtrumentum eorum ſigillis ſigillarunt , & ſua ſigilla appenſa præſenti Inſtrumento unuſquiſque appoſuit .

Actum Padvæ in Contrata Sanctæ Luciæ in Domo & Hoſpitio ab Angelo currente Anno Domini MCCCLXX. Indictione VIII. die Sabbati XVI. Menſis Novembris præſentibus Nobili Milite Domino Philippo Juveni filio Domini Hugonis de Flandria , nobili Milite Domino Henrico Stornav filio Johannis de Anglia, Gulielmo Fremond filio Gulielmi de Brabant , commorantibus Paduæ ad dictum Hoſpitium Angeli , Boniſatiolo Gambalcyta de Mediolano quondam Domini Johannis qui habitat in Civitate Terviſii , & Domino Jacobo quondam Domini Tomaſii de Solario de Mediolano , qui habitat Paduæ in Contrata Sanctæ Luciæ , teſtibus vocatis & rogatis ad prædicta , & aliis .

Verùm quia commilitones iſti exteri fidem ſæpe datam fallebant, immo abominandis proditionibus avaritiæ cauſsâ ſeſe immiſcere ſæpe ſunt deprehenſi , atque Italici vires ſuas ſenſim agnovere tamdem ineunte , eoque magis inclinante Sæculo XIV. Italia e ſinu ſuo tum Duces , tum Milites deligere cœpit. Tunc reſtaurata eſt apud nos militaris diſciplina. Tunc eo deventum eſt , ut exterorum quoque formidabiles exercitus Italica militia attriverit , & in ſuo ſinu ſingularia fortitudinis experimenta dederit . In Diſſertatione XXIX. *de Spectaculis* oſtendam , quantâ curâ iis temporibus ad militiæ artem ac tyrocinium Populi Italici , ſed præſertim Nobiles erudirentur . Præmitto nunc, quæ Nicolans Tegrimus in Vita Caſtruccii memoriæ prodidit . *Quumque* , ait , *utilius judicaret ſuos armis erudire, quàm alienos mercede conducere , quum in Urbe erat , aut Sagittantibus præmia proponebat , aut telo , paleſtrâ, concurſu Armatorum in equis imaginariis Caſtellorum expugnationibus , ſimulatâve pugnâ Juventutem exercebat ; ipſeque inter illos primus . Et quum collocata ſigna , aut manus conſertas videbat , nunc hos jurgiis, nunc illos exhortationibus animabat , efficiebatque præſentiâ ſuâ , ut quiſque vel pudore Principis audacior eſſet . Victoribus honoris gratiâ ſemper aliquid dabat .* Adeat Lector , ſi lubet , quæ Johannes Antonius Campanus Lib. V. Hiſtor. Brachii Peruſini , Tomo XIX. Rer. Italicar. ſcribit, Brachium ipſum inducens coram Alphonſo I. Aragonio Siciliæ Rege differentem de Militiæ Italicæ præſtantia, quam etiam , ſi Superis placet , veterum Romanorum militiæ præfert. Sed & illud extra controverſiam poſitum reor, Sæculo præſertim XIV. & ſubſequenti Italiam dediſſe tot Imperatores ſive Ductores exercituum , ſcientiâ rei bellicæ & victoriarum famâ percelebres , ut aperte dignoſci potuerit , non ingenium , non virtutem , non reliquas animi & corporis dotes Italicis pectoribus , dum ve-

A lint , deeſſe , ut inter arma clareſcant , nullique Populorum in hac parte humanæ gloriæ noſtrates concedere . Legas potiſſimùm velim geſta ſupra memorati Brachii , Nicolai Picinini, Sfortiæ ejuſque filii Francíſci Sfortiæ, quem poſtremum, ſi cum illuſtrioribus Romanæ Reip. Imperatoribus conferam, non inconſulte aut temere id me facturum confido. Interea ad dignoſcendum, qualis foret barbaricis Sæculis ars Militaris in Italia, quæve Machinæ in oppugnatione Urbium , & in prœliis adhiberentur , quando ex ætate illa , qui ex Latinis hæc ſcripſerit nemo ſupereſt , Græcorum libros utiles eſſe poſſe opinor . Ii quippe , vel ipſis iis temporibus, Scriptoribus abundarunt, qui rem Mi-
B litarem ſuis lucubrationibus illuſtrarunt . Ex hiſce nonnulli jam typis traditi ſunt, tum antiquiſſimi, tum poſterioris ævi ; ſed & adhuc in Bibliothecis latent alii , beneficio ejus modi adhuc fraudati . Eruditorum gratiam fortaſſis inibo , ſi brevibus heic ediſſeram , quid mihi obſervatum ſit inter Codices celeberrimæ Ambroſianæ Mediolanenſis Bibliothecæ . Ibi adſervatur Codex ante annos , uti e characterum forma conjiciebam, ſexcentos ſcriptus, Scriptores aliquot Græcos rei Militaris complectens . Illic in primis legenda ſe præbent

Tactica Mauricii , ſive ab aliquo alio compoſita ſub Mauricio Imperatore , ἐπὶ τοῦ Βασιλέως Μαυρικίου, ut habet Codex. Capitum Librorum-
C que ordo a Librario confuſus eſt . Exciderunt etiam quædam folia , quæ ſuppleta ſunt e Codice Bibliothecæ Vaticanæ & Fulvii Urſini . Hujus Operis nondum editi, ut puto, meminit Simlerus in additamentis ad Geſneri Bibliothecam .

Sequuntur Ὀνοσάνδρου Τακτικά , *Tactica Onoſandri* , in principio mutila . Hæc edita ſunt . Verùm non unâ ex parte corruptos Onoſandri Libros Salmaſius in Spartianum queritur .

Succedit Οὐρβικίου Τακτικῶν , *Urbicii Tacticorum* , hoc eſt *de acie ordinandâ* , ſive de *re Militari* Urbicio auctore . Incipit Τὸ πλῆθος τοῦ παντὸς πεζικοῦ στρατεύματος &c. ideſt : *Univerſi pedeſtris exercitus multitudo* &c. Præcedunt hi
D verſus :

Βίβλου τῆς δ' ἐπέεσσι τεὸν νόον ἴσθεο χαίρων,
Αὐσονίων σκηπτοῦ χελέων καὶ μίμνεο φρεσσί.
Τάξιν ὅπως πολέμοιο θέης γλαφυρῆς ἀπὸ τέχνης,
Καὶ ταχὺ βάρβαρα φῦλα τεῆς διαχειρὸς ὀλέσσης
Ὅσσα βόρεια , νότου τε ἀλαζονῆας Σαρακηνούς.

Latine hæc ita ſonare videntur :

Cum voluptate Libri hujus narrationibus mentem adhibe ,
Atque Auſoniarum teſtudinũ turbinem recordare;
Quo in bellis ordine, divinâque eleganti arte,
Et celeritate Barbaras nationes dexterâ tuâ diſperdidiſti ,
E *Quot quantoſque Boreales, & Auſtri jactabundos Saracenos .*

Ἄλλα .

Οὐρβίκιος σὺν τοῖς δὲ βίου δρόμον αἰὲν ὁδεύων,
Σημαίνων τε ἅμα πᾶσιν ὑπερμενέας μετ' ἄνακτας
Εἰκόνας ἀρχαίων πολέμων ἐκέλευσε γενέσθαι
Χαλκοτόροις στρατιῇσι σοφὸν μίμημα κυδοιμῶν.

Aliud carmen .

Urbicius autem in his vitæ curſum diu impendens,
Simulque cunctis oſtendens , adversùs potentiſſimos duces
Antiquorum certaminum formas fieri imperavit,
Armatis imperatoribus ſapiens imitamentum proponens .

Ἄλλα .

[illegible]

[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

Aliud carmen.

Obli[illegible] grandium certaminum prægnante Libro,
Quo quidem [illegible] Adrianus Cæſar uſus eſt in bellis;
Verum ignavia hominum tempus occultavit pæne ad oblivionem:
Sed ſub robuſta dextera Anaſtaſio Imperatore
Lux reddita eſt, ut militantibus ſit ſubſidio.
Nos quidem mortiferi belli regulis docere,
Nos etiam, quomodo mecum Occiduæ telluris viros,
Et Perſas domabis, & miſeros Saracenos,
Ac in petris habitantes fugaces Iſauros,
Et [illegible] in equis bellicoſorum genus Hunnorum.
Omnia vero regnante Anaſtaſio perficiam,
Quem Trajano quoque ſplendidiorem Sæculum adduxit.

Non ignotum fuit magnæ eruditionis viro, Claudio Salmaſio, poſtremum hoc Carmen: immo integrum illud, Græce tantùm, dedit in Notis ad Spartianum num. 21. reſtitutis aliquot verbis, quæ immutare ego non ſum auſus. Is autem ope Codicis, quo eſt uſus, monet, *Urbicium*, ſeu *Orbicium* fuiſſe ἀπὸ ὑπάτων, *virum Conſularem*, vel *ex Conſulibus*. Illum floruiſſe ſub Anaſtaſio Auguſto circiter Annum vulgaris Æræ Quingenteſimum verſus nuper editi ſatis oſtendunt, atque indicarat Voſſius de Scient. Mathemat. Cap. 48. An autem ex hiſce verſibus, ut Salmaſius ſcribit, evincatur, non Urbicium, ſed Hadrianum Imperatorem horum *Tacticorum*, ſive de *Diſciplina Militari*, Auctorem fuiſſe, aliorum eſto judicium. Certe ex iis non apparet, quod ſenſit Voſſius, Urbicium *tranſtuliſſe, quæ Trajanus & Hadrianus hac de Arte ſcripſerant*. Nam quod heic Trajanus memoratur, aſſentationis cauſsâ factum eſt, quippe Auguſtum illum, veluti optimorum Principum inſtar, Sæcula ſubſequuta ſæpe commemorabant, & Populi acclamantes in creandis Imperatoribus hac formulâ utebantur: *Sis felicior Auguſto, melior Trajano*. Addit Salmaſius, *videri Urbicium multa addidiſſe Tacticis Hadriani* Hoc tantummodo edocere nos poſſet Operis ipſius contextus: quod ſane Opus, ſi lucem nondum vidit (neque enim novi, an quiſquam Reipublicæ Literariæ ejuſmodi beneficium hactenus contulerit) dignum foret, quod tenebris eriperetur, quum tanta antiquitas, & non Urbicii ſolummodo nomen, ſed & Hadriani Auguſti, eumdem nobis laborem nimium commendet. Fragmentum ex Urbicii Libris deſumtum infra dabo in Diſſertatione XXXII. *de Origin. Linguæ Latin.*

Ad hæc in Ambroſiano Codice leguntur *Anonymi Tactica* ſine principio & fine.

A Tum Μελέται, ſive *Exercitationes* ſine principio. Exordium ſumunt a XXII. quæ etiam mutila eſt. XXIII. inſcribitur περὶ τῆς ἀνδρείας, *de Fortitudine*. XXIV. περὶ τῆς καρτερίας, *de Tolerantia*.

Subſequuntur *Conciones ad Populum* excerptæ e Cyripædia Xenophontis, e Joſephi Hiſtoria Hieroſolymitana, ex Herodiani Hiſtoria, ubi Oratio Severi ad milites ſuos, & Macrini & Criſpini Conſulis ad Cives Aquilejenſes, ὅτε ἐπολιόρκει αὐτῶν πόλιν Μαξιμῖνος, *quum eamdem Urbem obſidione cingeret Maximinus*. Adtexitur *Concio Conſtantini Auguſti* ad Orientalis exercitus duces, ſatis prolixa. Hoc ejus initium: Καὶ τὸ πολλάκις ὑμῖν ὡμίλησα χωρεῖ ποτε ἐν λόγῳ αἰδῶς &c.

B Ad iſta accedunt ϛρατηγήματα ἀνδρῶν παλαιῶν, *Strategemata veterum virorum*, quorum initium accipe: Ὅτι φιλοπονοῦντων, καὶ ξυνετῶν, καὶ κατὰ ψυχὴν ἀνδρειοτέρων &c. Sunt Capita LIII. E Romanorum Græcorumque Hiſtoriis exempla petuntur.

Adnectuntur *Leonis Imperatoris Tactica*, quæ lucem jam viderunt. Adhuc autem in Bibliothecis latere puto, quæ ſequuntur in eodem Codice Ambroſiano; videlicet Ναυμαχικὰ Λέοντος Βασιλέως, ſive *Naumachica* ejuſdem *Leonis Auguſti*. Ita exordiuntur: Περὶ ναυμαχίας βουλόμεθα διατάξασθαι, περὶ ἧς οὐδὲν μὲν ἐν τοῖς παλαιοῖς Τακτικοῖς κεκανονισμένον εὕρομεν &c. Sunt Capita
C LXXXII. brevia.

Hiſce junguntur excerpta ἐκ τῶ κυροῦ Λέοντος τῶ Βασιλέως *e Libris Domini Leonis Imperatoris*. Item ἐκ τῶ Μαυρικίου, πῶς δεῖ διαπλέειν τοὺς ποταμοὺς, καὶ τὰς διαβάσεις αὐτῶν ποιεῖσθαι ἐχθρῶν ἀντικαθισταμένων, *e Libris Mauricii, quomodo conveniat ſuperare flumina & ipſa trajicere, hoſtibus obſiſtentibus*. Ceterum Leonis Tactica, Anno MDCXII. a Meurſio edita, quamplurimis in locis ex Ambroſiano Codice ſuppleri ac emendari poſſent, uti experimento facto animadverti.

Alia *Naumachica*, ſive *de Certamine navali* ſuccedunt, in principio mutila, quæ incipiunt a Cap. IV. & perveniunt ad medium Caput X.

D Poſt hæc leguntur Ναυμαχικὰ συνταχθέντα παρὰ Βασιλείου Πατρικίου καὶ παρακοιμωμένου, *Naumachica ordinata a Baſilio Patricio & Cubiculario* Imperatoris. Nondum hæc luce donata arbitror, eorumque mentionem habet etiam Voſſius in Libris ſupralaudatis. Præcedunt in Codice MSto hi verſus:

Αὐσονίων σοφίης δεδιδαγμένος ἔξοχα ἔργα,
Καὶ ϛίχας, ἠδὲ φάλαγγας ἰδ' ἀῤῥαγέας παρατάξεις
Ὁπλιτῶν πεζῶν, κρατερῶν πάλιν ἱπποκορυϛῶν,
Ἰσομαχοῖς σελίδεσσιν ὑπ' εὐηγενέων βασιλήων.
Δαχθεὶς Αὐσονίων ϛρατιῆς πανυπέρτατος ἀρχὸς
Χαυβδὰν ἥττησας, Ἀράβων γένος ἐξεναρίζων.
E Νηῶν ὠκυπόρων δεδαώμεναι ὥπασε βίβλα
Ἄνδιχα ναυμαχίας ὄφρ' εὐκλεᾶ μήσεαι ἔργα.
Βίβλω τῆς δὲ φέριϛε νοήματα πάντα κατ' αὐτὰν
Ὄμμασι σοῖς σκοπίαζε, καὶ ἐν φρεσὶ βάλλεο σῇσιν.
Ἔνθεν δὲ Βασίλειε πέδον Κρήτης ἀλαπάξας,
Καὶ γενεὴν ὀλέσας Καρχηδονίων μεγαθύμων.

Hæc ita Latine verti poſſunt.

Latinorum ſapientiá imbute, præſtantia opera,
Et ordines & phalanges vide, infractos militum ordines,
Armigerorum peditum, ſimulque ſtrenuorum equitum bellatorum,

Hiſto-

Hiſtoricis pagellis ſub generoſis Imperatoribus.
Romanorum exercituum vix apparens ſupremus Dux
Chamdan viciſti ; Arabum progeniem victor deles.
Navium velocium edoceri ſi forte vis
Certamina , ut glorioſa machineris opera ,
Libri hujus , o præſtantiſſime , ſententias omnes ſecundùm occaſionem
Oculis tuis contemplare , tuæque menti commenda.
Hinc autem , Baſili , ſolum Cretæ diripis ,
Et genus perdes Chalcedonum magnanimorum .

Quo tempore floruerit *Baſilius Patricius* , ſi quis diligenter in iſtud Carmen inquirat , fortaſſe deprehendet; neque enim facile aſſentiar Voſſio ſcribenti , Naumachica Baſilii *non eſſe admodum antiqua*. Baſilium Patricium, ad quem eſt Epiſtola Theodori Studitæ , nobis exhibet Cl. V. Bernardus Montfauconius , noſtris temporibus inſigne ornamentum Benedictinæ Congregationis Sancti Mauri , in Bibliotheca Coisliniana pag. 322. E vivis exceſſit Theodorus Anno Chriſti DCCCXXVI. Atqui Zonara teſte , circiter Annum DCCCXXII. Saraceni Cretam eripuere Græco Imperatori ; ac proinde Baſilius iſte nihil ad rem noſtram facere videtur . Alterum potius Baſilium propono , Macedonem videlicet,qui Anno Chriſti DCCCLXVII. Conſtantinopoli renuntiatus eſt Imperator . Is enim ante Imperium & Cubicularii & Patricii muneribus functus eſt . Cedrenum audi pag. 565. edition. Græco-Latin. Pariſ. hæc de Michaële Theophili Auguſti filio & Græcorum Imperatore ſcribentem : Μετὰ χρόνον τινὰ προβάλλονται Παρακοιμώμενον ὁ βασιλεὺς τὸν Βασίλειον , τιμήσας αὐτὸν καὶ Πατρικιότητι: *aliquanto poſt Imperator Baſilium Cubicularium creat , Patriciá etiam dignitate ornans* . Acta hæc circiter Annum DCCCLXIII. En ergo Baſilius Macedo iiſdem titulis donatus , quibus Auctor Naumachicorum exornatur . Adhuc autem Creta Saracenis ſuberat . Quod ſi ne iſtis quidem adquieſcis , animum adverte ad tempora Romani junioris Auguſti . Tunc a Græcis , Nicephoro Phocâ Magiſtro militum , recepta eſt Creta , Anno ſcilicet DCCCCLX. aut DCCCCLXI. Teſtis eſt idem Cedrenus . Tum Leo Phocas , Nicephori frater , Χαβδὰν τὸν τοῦ Χάλεπ ἀμηρᾶν, ſcilicet *Chabdanem Alepi Ameram* , ideſt *Præfectum* , prœlio ingenti profligavit . De *Chabdane* mentio eſt in verſibus nuper datis . Hæc etiam narrat Leo Diaconus in Hiſtor. Græca inedita apud Pagium in Critic. Baron. ad Annum DCCCCLX. & ſequentem. Iis ergo temporibus floruiſſe omnino videtur *Baſilius Patricius* Ejus Opus in Ambroſiano Codice imperfectum eſt , quò vitio laborat etiam Codex Regiæ Scorialenſis Bibliothecæ , teſte Davide Colvillo in illius Catalogo MSto apud me exiſtente .

In altero Codice MSto Bibliothecæ Ambroſianæ habentur *Tactica Conſtantini* (Porphyrogenneti) qui appellatur *Romani filius* . Hæc jam vulgata fuere a Johanne Meurſio . Editis tamen hinc multum ſubſidii accedere poſſet .

Tum ejuſdem Conſtantini περὶ ναυμαχίας στρατηγημάτων , καὶ πειρατικῆς , ideſt *de Naumachia & Piraticæ Stratagematis* . Iſta-ne lucem viderint , an verò hactenus illam deſiderent , inquirendum aliis relinquo . Ab his verbis eorum initium eſt : Ἀφεὶς δὲ εἴπομεν τουτὶ ἀπαρτὶ &c.

Subſequuntur Ὀνοσάνδρου στρατηγικά , *Onoſandri ſtrategica* , ſive *Imperatoria* . An eadem ſint , ac quæ ſupra indicata fuerint, minime animadverti . Scripta ſunt ad *Quintum Uranium*, quem editi *Veranium* appellant . Conſtat Opus ex Capitibus XXXVIII. Exorditur Auctor ab his verbis : Ἱππικῶν μὲν λόγων , ἢ κυνηγετικῶν &c.

Ad hæc in alio Codice Ambroſiano exhibentur Libri *Athenæi de bellicis Machinis* . *Bitonis præparationes inſtrumentorum bellicorum* , *& de Catapultariis* . *Heronis manualium baliſtarum conſtructio & menſura* . Tum ejuſdem *Belopœica* , ſive *Teloſactiva* . *Apollodori Poliorcetica* , ſive *de expugnatione Urbium* . *Philonis Belopœica* . *Aphricani Opus Militare* , quem Scriptorem Voſſius ſub Antonino Elagabalo floruiſſe perperam cenſet, quum ipſe in hoc Opere mentionem faciat *Beliſarii* , inclyti ſub Juſtiniano I. Ducis . Tum Libellus ſine Auctoris nomine , cujus initium : Ὅπως χρὴ τὸν τῆς πολιορκουμένης πόλεως &c. Hæc omnia Pariſiis edita fuere e Regiæ Bibliothecæ MStis Codicibus Anno MDCXCIII.

Verùm in eodem Ambroſiano Codice ſubſequuntur alia , in eâdem Pariſienſi Collectione minime comprehenſa . Hoc eſt : Τῶν στρατηγικῶν παραταξίων collectio , complectens exempla bellica Philippi Macedonis, Timothei, Mutii Romani , Caſſandri Salaminam obſidentis , Antiochi , Annibalis, Camilli, Scipionis , Iphicratis, Agathoclis , Alcibiadis, Dionyſii , Pompiſci , Ageſilai, Cleandridæ , Theſſali , Leotichidis , Myronidis , Epaminondæ , Perdicæ , Brenni , Syllæ, Cæſaris, Eumenis, Alexandri, Pammenis , Orontis , Cleomenis Cleandri , Solonis , Memnonis , Phormionis , Phæadatis , Arxilaidis Lacedæmonii, aliorumque multorum . Succedunt *præcepta militaria* & στρατηγικὰ παραγγέλματα . Opus prolixum ſine Collectoris nomine. Tum Nicephori Imperatoris περὶ παραδρομῆς *de excurſione* . Dividitur Opus in complura Capitula. Ibi quoque Anonymi *Opus militare* legitur , diviſum in Capitula XXXI. quorum primum eſt περὶ καταστάσεως &c. Multas paginas implet . Sunt & alia in Ambroſianis Codicibus, quæ brevitatis cauſsâ prætereo . Adeat , qui plura cupit , Gabrielis Naudæi Syntagma de ſtudio militari , editum Romæ Anno MDCXXXVII. Memoratum etiam vidi in antiquo Indice MSto Bibliothecæ Urbinatis , tamdem in Vaticanam invectæ , Librum manu exaratum cum hocce titulo : *Johannes de Baduaro , & Magiſter Franciſcus de Foſſa de ordine exercitus , & aliis bellicis* . Quo Sæculo iſti floruerint ignotum mihi eſt . Denique celebris , ſuâque laude dignus videtur *Robertus Valturius* Ariminenſis , qui Sæculo Chriſti XV. militarem Romanorum & Græcorum artem poſt Literas in Italia reſtauratas explicavit , ſuumque Librum Sigiſmundo Pandulfo Malateſtæ dicavit, quem non ſemel editum , etiam manu olim deſcriptum cum figuris machinarum , Bibliotheca Eſtenſis adſervat .

DE
MONETA,
SIVE JURE CONDENDI NUMMOS.
DISSERTATIO
VIGESIMASEPTIMA.

DISSERTATIO VIGESIMASEPTIMA.

VErgente in declinationem Romanorum Imperio, atque Italiâ barbaris gentibus jam ſervire aſſuetâ, quomodo ſe res Nummaria habuerit, nunc mihi inquirendum. Et primo quibus Urbibus jus officinæ Monetariæ conceſſum fuerit, ediſſeram. Caput Imperii Roma, vel poſt in Orientem translatam a Conſtantino ſedem, vetuſtam retinuit prærogativam publicæ *Monetæ*: nunc appellamus *la Zecca*, cujus vocis originem vide in Diſſertatione XXXIII. *de Origin. Vocum Italicarum*. Monetæ, inquam prærogativam ſervaſſe deprehenditur ſaltem uſque ad tempora Heraclii Auguſti. Habentur Numiſmata Imperatorum poſt magnum Conſtantinum, uti & Gothorum Regum cum ſigno Romanæ Urbis, in qua fuere percuſſa, nempe R P. quod ſonat *Romæ percuſſa*: aut R M. ſive R O M. quod idem ſignificat: aut R O P S. ideſt *Romæ pecunia ſignata.* Unum tantummodo Nummulum argenteum proferam ſub Juſtino Minore Auguſto percuſſum, circiter Annum Chriſti DLXX. Illum vidi apud Cl. V. Dominicum de Conradis Sereniſſimi Ducis Mutinæ Mathematicum, ejuſque rei Tormentariæ Præfectum. In antica viſitur caput Auguſti diademate margaritis aut gemmis conſperſo coronatum, cum literis D N IVSTINVS PP. AVG. hoc eſt *Dominus Noſter Juſtinus Perpetuus Auguſtus*. In poſtica eſt Monogramma has literas præferens R A O S D. quas ſic interpretari liceat: *Romæ obſignatus Denarius*. Monetarii quoque, ſive Romanæ Monetæ Præfecti, Sæculis iis memorantur. Ita apud Gruterum pag. 1054. num. 8. in Inſcriptione Romana *Conſule FL. Herculano* ſcriptâ, ideſt Anno Chriſti CCCCLII. occurrit *Porphorus Primicerius Monetariorum*. An poſt Heraclii tempora, hoc eſt ab Anno Chriſti DCXL. apud Romanos fabrica Monetaria viguerit uſque ad tempora Caroli Magni, affirmare non auſim. Sed illud inter Eruditos jam exploratum eſt, videlicet poſtquam Romanis Pontificibus collata eſt temporalis poteſtas in Urbem & Ducatum Romanum, tunc eoſdem cœpiſſe, ac perrexiſſe diu ſignare Nummos, ſuo & Auguſtorum imperantium nomine in iis impreſſo. Et Imperatorum quidem nomen additum Scriptores Romani temporibus noſtris cenſent, quod Auguſti Eccleſiæ Romanæ Defenſores eſſent. Longe tamen firmior eorum ſententia eſt, qui id factum arbitrantur in ſignum ſupremæ dominationis, quam diu retinuere Auguſti in Urbe ipſa. Lucem heic nobis præbet exemplum Grimoaldi Principis Beneventani. Principatum illum ſeu Ducatum inſignem Carolus Magnus eidem ſubjecerat, ſed intactâ ſummâ poteſtate Regis. Ne de iſta Populus dubitaret, pacto Grimoaldum adegit, *ut Chartas, Nummoſque ſui Nominis*, ideſt Caroli, *characteribus ſuperſcribi ſemper juberet*. Grimoaldi Nummum ita ſignatum infra adferam. Idem quoque Romæ & in Chartis & in Nummis factum. Multum autem gratiæ ſibi conciliavit apud Eruditos Johannes Vignolius olim Vaticanæ Bibliothecæ Cuſtos Libro edito Romæ Anno MDCCIX. in quem intulit quotquot potuit *antiquiores Pontificum Romanorum Denarios*. Aliquot etiam Le-Blancus dederat Romæ percuſſos in Tractatu *de Nummis Regum Francorum*. Collegit inſuper atque illuſtravit, quotquot potuit, Pontificios Nummos a Martino V. ad ſua uſque tempora P. Philippus Bonanni e Societate Jeſu. Tum ante paucos annos Xaverius Scilla eoſdem a Clemente V. ad noſtram uſque ætatem perduxit. Noviſſime verò doctiſſimus vir Benedictus Abbas Floravantes ad Nummos Vignolii recuſos nobilem acceſſionem fecit, & Pontificum Romanorum Numiſmata protulit uſque ad Paſchalem II. atque in ſpem nos etiam adduxit, alteram ab eo Syllogen nos accepturos, uſque ad Clementem VII. deductam.

Liceat nunc mihi in omnium commodum ex eruditis iſtorum laboribus proficere, hoc eſt congerere huc quoſcumque veterum Pontificum (recentiorum Sæculorum omiſſis) ii evulgarunt, atque adjicere quos & ego ſum nactus.

ROMA ET ROMANI PONTIFICES.

PRimum Pontificium Denarium debemus prælaudato eruditiſſimo viro Abbati Benedicto Floravanti. Is ſane perquam rarus, magnique habendus. In antica viſitur Pontificis protome, cum literis in limbo: HADRIANVS PAPA. Utrinque eſt I. B. In averſæ medio Crux, & hinc inde R. M. Circumſtant literæ VICTORIA DNN. Inferius CONOB. Nulla mihi dubitatio eſt, quin Romæ percuſſus fuerit Nummus ab eodem Papa, qui Anno Chriſti DCCLXXII. Cathedram Petri aſcendit Id indicant literæ R. M. ideſt *Romæ*. Jus cudendæ Monetæ jam accepiſſe videntur Romani Pontifices a Græcis Imperatoribus, uti deinde a Francis tot Epiſcopi impetrarunt. Sed quis adhuc Urbis Dominus foret, indicatur per ſiglas illas DNN. ſignificantes aut *Domini Noſtri*, aut *Dominorum Noſtrorum*, ſcilicet Imperatoris. Quid ſignificet I. B. aliis diſputandum relinquo. Digladiantur adhuc Eruditi in explicando CONOB. tam frequenter occurrente in eorum temporum Nummis. Ab hujuſmodi certamine ego lubenter abſtineo.

Secundi Denarii ectypon adeo mancum eſt, ut ad quem ſpectet, certo affirmare nequeamus. Ad *Hadrianum I. Papam* Vignolius illum refert literis ſuppletis. Sæculo quoque Nono Pontificiam Cathedram tenuere Hadrianus II. & III. Cur non iis potius tribuendus eſt Nummus?

Tertium profert Vignolius. *Leonem III.* Papam Monogramma prodit cum literis LEO. SCS. PETRVS. Altera Nummi facies exhibet CARLVS, & in Monogrammate IPAT. ideſt *Imperator*. Is eſt *Carolus* Magnus, circiter Annum Chriſti DCCCI.

Quartum Le-Blancus produxit. Vignolius verò attritas literas ita ſupplevit, quaſi ibi ſcriptum fuit CAROLO *R. LEO PP.* ideſt *Carolo Regi Leo Papa*. Verùm inſuetam ac peregrinam ejuſmodi formulam numquam componas cum reliquis Nummis, Romæ, immo &

alibi percuſſi. Vide etiam Caroli Magni Nummum a Le-Blancio editum, ubi & quæ hoc ... Vis aliud conjicere hunc deſiderari, ad CAROLVS IMP. vel IMP. AVG. In poſtica legitur SCS PETRVS ROMA.

Quartus Denarius a Vignolio productus ex ejus conjectura tribuitur Stephano IV. Papæ. Monogramma exhibet nomen STEFANVS cum literis in limbo circumpoſitis SCS PAVLVS. In altera facie SCS PETRVS ROMA. Si quis verò contenderit, Denarium hunc pertinere potius ad Stephanum VI. aut VII. aut VIII. Romanos Pontifices, quanam, quæſo, ratione hanc ei conjecturam eriperes?

Sextus Denarius a Le-Blanco evulgatus, in altera facie habet LVDOVVICVS IMP. RO-MA. Is eſt Ludovicus Pius Auguſtus. In altera PSCAL. ideſt Paſchalis, ſive Paſchalis I. Papa, circiter Annum Chriſti DCCCXVIII.

Denarii Septimus, Octavus, & Nonus a Le-Blanco, & caſtigatius a Vignolio editi, *Gregorii IV.* Papæ mentionem faciunt, & *Ludovici Pii Auguſti*, circiter Annum Chriſti DCCCXXX. In Septimo & Octavo legitur PP GREII ideſt *Papa Gregorii*. SCS. PETRVS. In altera facie LVDOVVICVS IMP. PP. ideſt *Perpetuus*, uti Vignolius interpretatur; ſeu *Imperator Perpetuus*, ut ego. Ita enim nuncupant veteres etiam Imperatores in pluribus Inſcriptionibus apud Gruterum, Reineſium &c. In area additur PIVS, quod epithetum animadvertit idem Vignolius viventi Ludovico Auguſto tributum, quamquam id Mabillonius negaſſe videretur. In Denario Nono legitur quidem *Papæ Gregorii* nomen, & SCS PETRVS. Altera Nummi facies habet HLOTHARIVS IMP. & in medio PIVS. Quare vides *Pii* titulum Ludovico ejus patri minime fuiſſe datum, veluti peculiare eximii illius Auguſti agnomen, quum & Lothario parum pio Auguſto tribuatur.

Decimus Denarius, a Floravante editus, ſpectat ad *Sergium II.* Papam. In medio legitur SER*gius* P*apa*. In ambitu ✠ SCS PETRVS. Poſtica habet ✠ HLOTHARIVS I*mperator*, in gyro; & in area PIVS. Anno Chriſti DCCCXLIV. electus & ſacratus fuit Sergius II.

Undecimus Denarius apud Scillam & Floravantem, *Leonem IV.* Papam, & *Lotharium I.* Auguſtum, circiter Annum DCCCXLVIII. exhibet. In Monogrammate legitur LEO PAPA: in gyro SCS PETRVS. In altera facie HLOTARIVS IMPR. ideſt *Imperator*. Quænam autem in hiſce Nummis antica, quæ poſtica ſit pars, aliis decernendum relinquo.

Duodecimus & Decimus Tertius. Priorem dedit Le-Blancus, ſed non ſine vitiis: emendatum a Vignolio habemus, qui & alterum produxit. Ambo ſpectant ad *Benedictum III.* Papam, & ad *Ludovicum II.* Imperatorem, circiter Annum Chriſti DCCCLVI. In primo legitur BENEDICT. P. ideſt *Benedictus Papa*, S P nempe *Sanctus Petrus*. In altera facie LODOVVICVS IMP. In medio Manus effigiata conſpicitur cum literis RO. quas ſi literis Manum componentibus adjungas, habebis RO MANVS, ideſt *Imperator Romanus*. Vide quibus ingenii luſibus tunc Roma delectaretur. Sed & nos vidimus ſuperiorem ætatem, hoc eſt Sæculum Decimumſeptimum, ejuſmodi nugis deditum. Alter Denarius a Le-Blanco, rectius a Vignolio productus, id proprium habet, nempe titulum PIVS nomini *Ludovici II. Imperatoris* adjunctum.

A Decimumquartum, ac Decimumquintum Denarium Vignolio debemus. Percuſſi fuere a *Nicolao I.* Pontifice circiter Annum Chriſti DCCCLX. In primo Monogramma refert NICOLAVS SCS PETRVS: in altera parte legitur LVDOVVICVS IMP. ROMA, ideſt *Ludovicus II.* Auguſtus. Alter Denarius habet tantùm ROMA.

Decimus ſextus Denarius a Le-Blanco perperam ſub Ludovico Pio productus, ac ſuo loco redditus a Cl. Vignolio, circiter Annum DCCCLXX percuſſus fuit ab *Hadriano II.* Papa, cujus nomen in Monogrammate continetur ADRIANVS ſine aſpiratione, cum SCS PETRVS. Exhibetur in altera parte LVDO-

B VVICVS IMP. ROMA. ſcilicet *Ludovicus II. Imperator*.

Decimus ſeptimus, Decimus octavus, Decimus nonus, & Vigeſimus a Vignolio editi *Johannem VIII* Papam referunt. In Monogrammate primi IOHANNES, & S S PETRVS occurrit. In averſa parte LVDOVVICVS IMP ROMA. Et heic laudatur *Ludovicus II.* Auguſtus, circiter Annum DCCCLXXII In Denario ſecundo Monogramma ejuſdem Pontificis legitur, & ROMA. In tertio idem Monogramma habetur cum literis in limbo CAROLVS IMP. ideſt *Calvus*, aut *Craſſus*, uterque ab ipſo Johanne Papa Imperiali coronâ ornatus. Hunc Nummum Le-Blancus etiam at-

C tulit, & immerito Carolum Magnum ibi memoratum cenſuit, quod Monogramma Pontificium explicare nequiverit. In poſtremi Denarii Monogrammate ejuſdem Johannis VIII. nomen proſtat. Literæ circumſtant CANTVER . . . . reliquis detritis. Legit Vignolius CANTVERBERIA, ideſt Cantuaria, præclara Angliæ Metropolis; atque hunc ille ſuſpicatur unum ex nummis in Anglia percuſſis, qui *Denarii Sancti Petri* ſunt appellati. Quippe Ina Rex circiter Annum Chriſti DCCXXX. cenſum Romanæ Eccleſiæ perſolvendum juſſit. Vereor tamen ego, ut tanta ſit ejus Cenſus antiquitas: qua de re aliquid innui in Diſſertatione LXIX. *de Cenſibus Romanæ Eccleſiæ*. Ad

D hæc animadvertit doctiſſimus Floravantes, deceptum fuiſſe Vignolium in hoc Denario explicando. Is nempe ſpectat ad Johannem IX. Papam; ibique legi LANTVERT. IMP. infra ad Num. XXX. videbis. Ceterum monendus eſt Lector, ab Hicheſio Part. III. pag. 181. Theſaur. Linguar. Veter. adferri Diſſertationem Andreæ Fountaine Oxonienſis, exhibentis Nummos *Sancti Petri*, ab altera inſigni Anglorum Metropoli, hoc eſt, ab Eboracenſi Civitate percuſſos. Hos & ego poſt ſeriem Nummorum veterum Pontificalium proferre ſtatui, ut infra videbis.

Denarium Vigeſimum primum argenteum ſuppeditavit mihi ex ſuo Muſeo peramicus vir

E Johannes Franciſcus Muſellius, Archipresbyter Cathedralis Veronenſis, cui etiam debeo complures alios Nummos in iſta Collectione legendos, quos ille mihi ſumma humanitate ad utendum conceſſit. Spectat is ad *Marinum I.* Papam, Anno Chriſti DCCCLXXXII. electum. Per Monogramma in media area exhibetur MARINVS. Circumſtant literæ SCS PETRVS. Altera facies habet CAROLVS, & in medio IPAR. ideſt *Imperator*. Is eſt Carolus Craſſus Auguſtus.

Vigeſimum ſecundum Denarium evulgavit Vignolius. Has literas præfert: MARINI PP. ideſt Denarius, ROMA. Conſpicitur in altera

facie

facie KAROLVS. SCS. PETRVS. Nummus percuſſus circiter Annum Chr. DCCCLXXXIII. quo ſedebat prælaudatus *Marinus I.* Papa. Atque hinc Vignolius errorem Scriptorum arguit, ſtatuentium iis diebus *Martinum Secundum Papam*, uti & ſubſequenti tempore *Martinum III.* pro *Marino II.*, unde tamdem *Martinus V.* is eſt appellatus, qui *Martinus* tantùm *Tertius* dicendus erat.

Denarium Vigeſimum Tertium debemus Abbati Floravanti, & refertur ad *Hadrianum III.* qui Anno Chriſti DCCCLXXXIV. in Cathedra Petri ſucceſſit. In Monogrammate legitur HADRIANI. In gyro SCS PETRVS. In averſa ✠ CAROLVS IMP. ideſt *Craſſus*, ROMA.

Denarii Vigeſimus quartus & Vigeſimus quinctus a *Stephano V.* Papa obſignati fuere circiter Annum Chriſti DCCCLXXXVI Ex Monogrammate elicitur STEPHANVS, circumpoſitis literis SCS PETRVS. In eo quoque nummo viſitur CAROLVS IMP ſcilicet *Craſſus*. Monogramma Pontificis idem eſt in altero Denario cum literis SCS PETRVS. Tum in facie averſa legitur ROMA. SCS PAVLVS.

Denarius Vigeſimus Sextus a Floravante productus, ad eumdem *Stephanum V.* Papam pertinet. In Monogrammate legitur StEPhANVS, & in ambitu ✠ SCS PETRVS. In averſâ facie habetur CAROLVS IPA, ideſt Carolus Craſſus *Imperator*.

Denarius Vigeſimus Septimus, parum a præcedenti abſimilis, atque ab eodem Floravante editus, has literas præfert STEPHANVS, & in gyro ✠ SCS PETRVS. In altera facie eſt CAROLVS IMP. & in medio ROMA.

Denarius Vigeſimus octavus exhibet *Formoſum* Papam, percuſſus circiter Annum Chriſti DCCCXCII. Ejus nomen, uti & VVIDO IMP. cum literis ROMA, in Nummo perſpicua ſunt.

Denarius Vigeſimus nonus a Floravante nobis oblatus, & ad eumdem Pontificem ſpectans, illius, aut Sancti Petri imaginem præfert cum literis S. P. hinc inde poſitis, ſcilicet *Sanctus Petrus*. In ambitu FORMOSVS Papa. In altera facie VVIDO IMP. ROMA.

Denarium Trigeſimum Floravantes nobis exhibet, ſub *Johanne IX.* Papa percuſſum. Electus is fuit Anno Chriſti DCCCXCVIII. In Monogrammate legitur IOHANnes. In ambitu ✠ LANTVERT IMP. In altera facie SCS PETRVS, cum ejus, aut Pontificis effigie. Hic idem eſt Nummus, quem ſupra ad Num. XX. a Vignolio accepimus, quaſi ſpectantem ad Johannem VIII. Papam. At is ad Nonum eſt referendus, uti Floravantes animadvertit.

Denarii Trigeſimus Primus, Trigeſimus Secundus, & Trigeſimus Tertius, a Vignolio editi, nobis produnt *Benedictum IV.* Papam, electum Anno Chriſti DCCCC. Percuſſi videntur inſequenti Anno. Pontificis nomen in Monogrammate incluſum eſt. In altera facie primi & ſecundi legitur LVVDOICVS IMP. ROMA, videlicet *Ludovicus III.* Auguſtus.

Denarios Trigeſimum quartum, ac Trigeſimum quinctum evulgavit Floravantes. Ad *Sergium III.* Papam ſpectant, electum Anno Chriſti DCCCCIV. qui Pontificatum tenuit uſque ad Annum DCCCCXI. In area primi Crux, & ROMA. In circuitu SERGIVS PP. In altera facie SCS PETRVS, cum illius, aut Sergii ejuſdem effigie. Parum diſſimilis eſt alter. Nomen Ludovici Auguſti non occurrit in his Nummis, quia percuſſi fuere, poſtquam is de-

A jectus, & oculis multatus ex Italia decedere coactus fuit, ceciditque illius imperium.

Denarius Trigeſimus ſextus ad *Anaſtaſium III.* Papam pertinere creditur, quum ejus nomen ex Monogrammate elucere videatur. Si ita eſt, Denarius hic percuſſus fuit circiter Annum Chriſti DCCCCXII. quo nullum Imperatorem Roma agnoſcebat.

Denarius Trigeſimus ſeptimus in altera parte refert *Johannem X.* Papam, qui Anno Chriſti DCCCCXIV. ſedere cœpit. In altera ſcriptum BERENGARIVS (ſic) IMP. ROMA: hoc eſt *Berengarius* Auguſtus, qui Anno DCCCCXVI. Imperiali coronâ Romæ ab eodem Pontifice redimitus fuit.

B Denarius Trigeſimus octavus argenteus Veronæ viſitur in Muſeo prælaudati Johannis Franciſci Muſellii Archipresbyteri Cathedralis Veronenſis. Quantum conjicio, ſpectat ad *Leonem VI.* Papam, Anno Chriſti DCCCCXXVI. electum Monogramma ejus nomen exprimit, videlicet LEO PAPA. Circumſtant literæ SCS PETRVS. In altera facie idem Monogramma cum literis SCS PAVLVS At inquias: cur non potius ad Leonem III. Papam hunc Nummum refers? Quia ab illius Monogrammate iſtud differt; & præterea nulla heic Imperatoris mentio, quæ omitti minime conſuevit. Sedentibus autem Leone VI. & Leone VII. quum nullus eſſet Imperator, neque ullum propterea

C illorum nomen adpoſitum fuit.

Denarius Trigeſimus nonus a Floravante publici juris factus, cui perquam ſimilis adſervatur in Muſeo Muſelliano Veronenſi, ſpectat ad *Johannem XI.* Papam, qui Anno Chriſti DCCCCXXXI. ſolium Pontificium conſcendit, nullo tunc Imperatore exiſtente. Ibi legitur DOMnus IOANnES, & in medio PAPA. Altera facies ſignatur hiſce literis SCS PETRVS.

Denarii Quadrageſimus, & Quadrageſimus primus, ſub *Agapito II.* Papa percuſſi fuere. Is Anno Chriſti DCCCCXLVI. Pontificatum inivit. Signatum in primi Nummi gyro, atque in Monogrammate reperias ALBERICVS, qui non *Adalberti Marchionis Tuſciæ ex Marozia*

D *filius* fuit, ut nonnulli ſibi perſuaſere, a depravato Liutprandi textu decepti, ſed quidem alterius *Alberici Marchionis & Conſulis Romanorum*. Ejus autem facta eſt mentio in Nummo, poſtquam is *Principatum Romanæ Urbis*, ac ſupremam dominationem tyrannice arripuit, ac diu tenuit, dum nullus Imperatorum tunc numeraretur, neque ullum ipſe pateretur ad tantæ dignitatis faſtigium evehi. In altero Denario legitur AGAPITVS PApa, ALBERICVS, & SCS PETRVS, cum protome ipſius, ut opinor, Pontificis.

Denarii Quadrageſimus ſecundus, & Quadrageſimus tertius a Vignolio producti, percuſſi fuere a *Johanne XII.* Papa. Alter, quum

E adhuc Imperium vacaret: ac proinde ibi tantùm legitur DOMNVS IOHAnnes PAPA. SCS PETRVS. ROMA. Similem huic a Floravante editum prætereo. Alter Anno Chriſti DCCCCLXII. quo *Otto I.* renuntiatus eſt Romanorum Imperator, ſeu ſerius percuſſus fuiſſe creditur. Propterea ibi quoque occurrit OTTO IMPERATOR. Sed fortaſſis hic Nummus ad *Johannem XIII.* Papam, Anno DCCCCLXV electum referendus eſt, quum diverſi plane ſint horum Nummorum typi, atque ibi vultus Imperatoris adoleſcentis occurrat, non ſenis, qualis fuit Otto I.

Denarii Quadrageſimus quartus, & Quadrageſimus

geſimus quintus, nobis *Leonem VIII.* Papam commemorant, qui Anno Chriſti DCCCCLXIII. Pontificatum iniit, literis in LEONI (pro Leone) PAP. OTTO, idest Otto *Magnus* Auguſtus. In altera facie primum vir cum literis P. S. quem Vignolius interpretatur *Petrus Sanctus*. Si tamen vir ille Myſtacibus ornatus Coronam quoque radiatam præferret, uti fabricam videtur, alia interpretatio adhibenda foret. In altero tamen legitur DN. LEONI PAPE. SCS PETRVS, atque ad ipſum *Leonem VIII.* pertinere Vignolio creditur.

Denarius Quadrageſimus ſextus a ſæpe laudato Vignolio percuſſus creditur a *Benedicto V.* Papa, Anno DCCCCLXIV. conjectura quidem probabili, non tamen certa ratione. Sed quia Nummus hujus typus apud Vignolium injuriam temporis ſenſit, eumdem accipe Num. ſubſequenti integrum, qualis adſervatur Veronæ in Muſeo Muſelliano.

Denarius itaque Quadrageſimus ſeptimus nobis exhibet effigiem *Benedicti V.* vel *VI.* vel *VII.* Papæ, cum literis BENE. PP. In averſa facie ROMA SCS PETRus. OTTO, vel Primus, vel Secundus Auguſtus.

Denarium Quadrageſimum octavum debemus Floravanti. Is ad *Johannem XIII.* Papam, Anno Chriſti DCCCCLXV. electum pertinet. Legitur ibi in circuitu DOMnus IOHAnnes PAPA. In area OTTO. In altera facie SCS PETRVS, & in area Manus.

Denarius Quadrageſimus nonus ab eodem Floravante productus, referendus videtur ad *Benedictum VI.* Papam, qui Anno Chriſti DCCCCLXXII. ſacratus fuit Pontifex. Ibi in area legitur D*omnus* BE*nedictus Papa*. In ambitu OTTO IMPE*rator* ROM*anorum*. Altera facies imaginem Pontificis, ſive Principis Apoſtolorum exhibet cum literis S*anctus* PE*trus*. Ad hunc eumdem Papam doctiſſimus Floravantes pertinere putat Denarium, quem ſupra dedi Num. XLVII. & ipſe quoque ex ſuo Muſeo profert. Sed ectypon a præcedenti diverſum, hac de re dubitare me cogit.

Denarius Quinquageſimus pertinere creditur ad *Benedictum VII.* Papam, Anno DCCCCLXXV. electum. In Monogrammate legitur BENEDICTVS, & in literis circumpoſitis SCS PETRVS APoſtolus. In averſa OTTO IMP. ROM. ideſt *Otto II.* Auguſtus.

Denarius Quinquageſimus primus ad *Sergium IV.* ſpectat, electum Anno Chriſti MVIIII. a Floravante evulgatus. Tunc Imperium vacabat. In area Monogramma ejuſdem Pontificis cum literis SALVS PATRIAE. In averſa legitur ROMA ✠ SCS PETRVS.

Denarius Quinquageſimus ſecundus, a Floravante editus ad Sanctum *Leonem IX.* Papam, qui Anno Chriſti MXLIX. Pontificatum iniit, ſpectat. Legitur in area LEO P. in ambitu SCS PETRVS. Altera facies habet HENRICVS IMP. ROMANORV, ideſt *Henricus III.*

Denarius Quinquageſimus tertius Floravantis cura ad nos pervenit. Ad *Paſchalem II.* Papam refertur, qui Anno MXCIX. in Cathedra Petri ſucceſſit. Legitur ibi PASCHALIS PP. II. eademque inſcriptio in altera facie habetur, ſed literis retrogradis. Eſt Nummulus bracteatus, & quidem ſingularis.


Subjicere nunc juvat Nummos Anglicanos, quos ex Diſſertatione Andreæ Fountaine depromtos antea pollicitus ſui. Opinatur idem Scriptor, cuſos eos fuiſſe Eboraci, auctoritate potius illius Archiepiſcopi, *ad quem*, ait, *pertinebat jus cudendi Monetam tam in uſum communem, quàm in Tributum Papæ ſolvendum*. Tum addit, nullos ex ejus generis Nummis reperiri in ditione Papali: ex quo inferri poſſe videtur, non in eum finem percuſſos, ut Pontificibus Romanis perſolverentur. Sed quum in iis Nummis EBORACE CIV, ideſt *Eboracenſis Civitas* inſcripta appareat, cur Archiepiſcopo tribuendi ſint, non video. Certe *Sancti Petri Moneta* diſerte Nummi illi appellantur: quæ verba vix aliter explicare poſſis, quàm Tributum Eccleſiæ Romanæ pendendum, & quod reapſe olim eidem Eccleſiæ pendebatur. Temporis autem edacitas, & conflatores antiquæ pecuniæ, quorum genus numquam deſideratum eſt, in cauſſa fuere, cur non ii tantùm Nummi in agro Romano, atque in Britannia ipſa pœne defecerint, aut perquam rari appareant, ſed & alii innumeri antiquorum Sæculorum aut perierint, aut adhuc deliteſcant.

Primum Nummum hæ literæ exornant: SCI PETRI MO*neta*. *Partem averſam non intelligo*, addit Fountaine. Ne ego quidem.

In Secundo par Inſcriptio, ſcilicet SCI PETRI MO*neta*. Alterius faciei inſcriptio tenebris ſcatet, nempe ERIVIITM. *Has literas explicare non poſſum*, inquit Fountaine. Idem repeto & ego, niſi legendum ſit E. CIVIT. M. ideſt *Eboracenſis Civitatis Moneta*.


Subſequentes Nummi Tertius, Quartus, Quinctus, Sextus, & Septimus, ad *Eboracenſem Civitatem* ſpectant.


ROMA



RO-

ROMANI PONTIFICES.





NUMMI ANGLICANI.



Atque hactenus veterum Romanorum Pontificum Nummi ab Eruditis viris accuratiſſime, & cum ſinceritate non omnibus uſitatâ evulgati. Cur nulli per tria ferme Sæcula in poſterum ab ipſis Romanis Pontificibus cuſi compareant (neque enim ullum ad ea tempora pertinentem novi) turbis tribuendum reor, quæ poſtea inter Romanos Pontifices, & Imperatores emerſerunt, ac deinde inter ipſos Pontifices, ac Romanorum Senatum. Priora diſſidia nemo non novit. Porro circiter Annum Chriſti MCXLII. Romanus Populus ab Arnaldi Brixiani hæreſiarchæ verbis ſeductus, rebellionem contra Petri Succeſſores juſtos Urbis dominos primum inſtituit, Rempublicam nem- A pe, atque Senatum, prout antiquis temporibus fuerant, reſtituere auſus. Diu perduravit hic furor, & non ſemel compoſitus, identidem ſub variis Pontificibus in novam flammam exarſit, donec poſt multa tempora felix dies hiſce motibus finem impoſuit. Romani inter eas turbas Monetæ quoque Romanæ jus & uſum, aut numquam interruptum arripuere, aut jamdiu obſoletum reſtituerunt. In Chartis Romanis ante ea tempora memorantur *Libræ auri*, *Denarii Papienſes*, *Lucenſes*. Immo iis ipſis temporibus ejuſdem Lucenſis pecuniæ mentio occurrit in Urbe, uti fidem faciet Charta, quam ex Codice MSto Cencii Camerarii deſcripſi.

De Plazano & Marano pignori obligatis Eugenio III. Papæ a Rainerio Girardi Comitis filio, pro quadraginta duabus Libris Lucenſis Monetæ. Anno 1147.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo Centeſimo Quadrageſimo Septimo, Indictione XI. Menſe Junii, die II. temporibus Domini Eugenii III. Papæ. Manifeſtus ſum ego Rainerius Girardi Comitis filius, *quod vobis* Domino meo Eugenio, *Dei gratiâ* ſummo Pontifici, *& Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, pro quadraginta duabus* Libris Denariorum Lucenſium, *quas negotiatoribus abſtuli, ea, quæ in Planzano & in Mairano mei juris habeo intus vel foris, jure pignoris obligo, cum introitibus & exitibus, illorumque utilitatibus. Tali videlicet pacto, ut ſi a præſenti die uſque ad Nativitatem Domini præſentem ego vel mei heredes, vel ſi ſine heredibus deceſſero, Tancredus, vel ſui heredes, vel ſi ſine heredibus deceſſerit, Offreducii filii, vel illorum heredes, ſupradictos Denarios non reddiderimus; ſupradicta pignora habeatis, iiſdemque pro velle fruamini, quouſque ſupradictam pecuniam ego vel mei heredes teſtamentarii, vel legitimi ſolvemus. Si verò ad prædictam diem Nativitatis non reddiderimus, fructuumque moleſtiam vobis, vel veſtris* B *Catholicis Succeſſoribus fecerimus, duplum componere promittimus ego, vel mei heredes vobis, vel veſtris Catholicis Succeſſoribus. Sin autem ego, vel mei heredes teſtamentarii, vel legitimi, vobis vel veſtris Catholicis Succeſſoribus ſupradictam pecuniam ſolvere parati erimus, & accipere nolueritis, noſtrâ auctoritate in ſupradictis pignoribus ingredi nobis ſit licitum.*

✠ *Signum manus Rainerii, qui hanc Chartulam ſcribere rogavit.*

Signa manuum Sencballi Ruberti filii, & Vicecomitis Vetrallæ, & Fuſconis Pontii filii, & Warnerii *de Biterbio, Guidonis Rollandi filii: qui rogati ſunt teſtes.*

Ego Petrus Judex Vetrallæ hanc Chartam C *pignoris ſcripſi atque complevi.*

Atqui circiter ipſa tempora in uſu eſſe cœpit (cœpit, inquam, neque enim antea illius mentionem invenio) *Affortiatorum* pecunia; qui nempe, ſive Solidi, ſive Denarii, videant Eruditi, cuſi-ne fuerint antea, an ab ipſo Romæ Senatu. Commemoratam conſpice in tribus Chartis, ex eodem Regeſto depromtis, ejuſmodi pecuniam,

Chartula de Petroniano, pro ducentis Libris obligato pignori Eccleſiæ Romanæ. Anno 1146.

IN nomine Domini Jeſu Chriſti. Anno ejus Incarnationis Milleſimo Centeſimo Quadrageſimo Sexto, temporibus Domini Eugenii III. Papæ, Anno ejus Secundo, in Menſe Decembri, die VI. Indictione X. Certum eſt, me Girardum Comitem de Vetralla *propriâ & ſpontaneâ meâ voluntate obligaviſſe vobis* Domino meo Eugenio Papæ, *veſtriſque canonicis Succeſſoribus pro pignore in ſumma ducentarum Librarum, unum Caſtrum meum, quod vocatur Petronianum, cum omnibus finibus & redditibus ſuis, & acceſſionibus ſuis, & generaliter cum omnibus, quæ ad ipſum Caſtrum pertinere videntur; ut ab hac præſenti die jure hypothecæ ſit vobis libera facultas in ſupradictum Caſtrum introëundi, habendi, poſſidendi, tenendi, fruendi uſque ad illud tempus, quo ego jam dictus Girardus Comes, vel mei heredes a vobis Domino meo Eugenio, veſtriſque canonicis Succeſſoribus ſupradictum Caſtrum a nexu pignoris liberaverimus. Quod ſi ego ſupradictus Girar-* D *dus Comes, vel mei heredes aliquo tempore pro ſupraſcripto Caſtro agere, litigare, cauſari voluerimus per noſmetipſos, vel per ſubmiſſam aliquam noſtram perſonam facere tentaverimus, ab omni inſurgenti homine jure defendere noluerimus, aut non poterimus: tunc componere promittimus nos noſtroſque heredes vobis Domino noſtro Eugenio, veſtriſque canonicis Succeſſoribus, nomine pœnæ* Centum Libras Infortiatorum: *& poſt ſolutam pœnam hæc Chartula nomine hypothecæ, firma permaneat, quam ſcribendam rogavimus Guinizonem, Dei gratiâ Judicem, coram teſtibus infra ſcriptis, in Menſe & Indictione ſupraſcripta.*

Landulfus, rogatus teſtis.

E *Litolfus, rogatus teſtis.*

Presbyter Willermus *teſtis.*

Oderiſius de Vetralla, rogatus teſtis.

Bonus, rogatus teſtis.

Ego Winizo *Judex rogatus ſcribere hujuſcemodi Chartulam ſcripſi & complevi.*

Chartula venditionis duorum Molendinorum, apud Sanctam Chriſtinam poſitorum, facta a filio Ugolini Comitis de Calmaniare, Hadriano IV. Papæ, Anno 1157.

IN nomine Domini. *Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo Centeſimo Quinquageſimo Septimo, Anno Tertio Pontificatus Domni Adriani IV. Papæ, Indictione VI. Menſis Octobris die XI. Nos* Aldibrandinus & Bernardinus filii quondam Ugolini Comitis de Calmaniare, *vendimus, & publice per hoc Inſtrumentum corporaliter tradimus tibi* Adriano Papæ, *a Deo decreto ſummo Pontifici, & univerſali Papæ, tuiſque catholicis Succeſſoribus, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ in perpetuum ad veram hereditatem, perpetuamque proprietatem, idest duo Molendina in integrum, cum ferratura & cunctatura ſua, & aquæductu eorum, & omnibus pertinentiis ſuis, poſita ad Sanctam Chriſtinam in loco, qui dicitur Bulſium, ſicut inter ſuos concluduntur fines, qualiter nobis pertinent, jure hereditario, vel qualibet modo, taliter ſicut dictum eſt, ad proprietatem vendimus, & tradimus pro* Centum nonaginta Libris Aſſortiatorum, *quos nobis pro toto pretio dediſtis in omnem veram deciſionem. Et ab odierna itaque die licentiam & poteſtatem habeatis intrandi, tenendi, utendi, fruendi, donandi, commutandi, & quicquid volueritis, ad proprietatem faciendi. Nos autem & noſtri heredes defendere promittimus ab omni homine, ſi neceſſe fuerit. Quod ſi contra hæc, quæ dicta ſunt, quolibet modo venire attentaverimus, & cuncta, quæ dicta ſunt, non obſervaverimus; & ſi opus & neceſſe fuerit, & ſi ea defendere noluerimus, tam nos quam noſtri heredes componamus vobis veſtriſque Succeſſoribus pro pœna ſupradicta pretium duplum; & ſolutâ pœnâ, hæc venditionis Chartula perpetuo firma permaneat. Quam ſcribendam rogavimus Andream Scriniarium in Menſe & Indictione ſupradicta VI.*

✠ *Signum manuum ſupradictorum Aldebrandini & Bernardini filiorum Ugolini de Calmaniare hujus Chartulæ rogatorum.*

Johannes Bonus Domni Papæ Mareſcallus: Bibianus de Sancto Apoſtolo: Petrus Riccius: Donnellus, Narnienſes. Beraldus de Thebaldo: Rodulſus de Senioretto: Guido de Bono-Dei: Octavianus Anaſtaſii: Carboncellus, de Radicofano. Wicardus: *Rolandinus: Particarius, de Ferentino. Ilditius Judex: Rainerius Trigintacoſtæ. Milites Tuſci, Fortisguerra: Bernardinus filius* Willelmi: *Ranutius de Bernardino:* W*illelmus de Montorio: Aldrevandinus de Drudulo: Rolandus de Ezzolo: Buccaneccla: Ruſticus de Erminola: Arlottus de Belizzo, teſtes.*

Ego Andreas Scriniarius ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & ſacri Lateranenſis Palatii complevi & abſolvi.

Chartula de medietate unius Molendini apud Sanctam Chriſtinam, quod acquiſivit Domnus Hadrianus IV. Papa, Anno 1158.

IN nomine Domini. *Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo Centeſimo Quinquageſimo Octavo, Anno IV. Pontificatus Domni Adriani IV. Papæ, Indictione VII. Menſe Octobris, die Lunæ. Nos germani, ego Maſſutius, & Bernardus, & Rainerius in manu Alexii Pincernæ & Yconomi* Domni Adriani ſummi Pontificis, *refutationem facimus de medietate unius Molendini, cum omni utilitate, & cum omni acceſſione & ingreſſione ad ipſum Molendinum pertinente, ut amodo Adrianus ſummus Pontifex & ejus Succeſſores vel Nuntii eorum, liberam habeant poteſtatem poſſidendi, & faciendi quicquid neceſſe fuerit ſine noſtra & heredum noſtrorum contradictione. Unde meritum accepimus;* vigintiduas Libras Aſſortiatorum *in pretium accepimus. Inſuper ſtipulatione firmamus, quod ſi nos germani ſupradicti vel noſtri heredes hanc refutationem & tranſactionem de ſupradicti Molendini medietate, quod eſt ædificatum in Burgo Bulſeni in Rivo capite prope Lacum, rumpere, aut litigare tentaverimus, tunc unuſquiſque noſtrum* decem Libras Aſſorciatorum *ſupradictæ Curiæ, aut ejus Nuntio componat, & refutatio & tranſactio firma ſtabiliſque permaneat.*

In præſentia G. Orbevetani Epiſcopi, & G. Præpoſiti Sanctæ Chriſtinæ, & Presbyteri Petri, Presbyteri Azzonis, & Domini Milonis de Radicofano, & Gregorii Corani Judicis, & Thebaldi Orbevetanæ Eccleſiæ Archidiaconi, & Johannis ejuſdem Eccleſiæ Primicerii, & Arlotti, & Perticarii, & Stephani, & Ildibrandi Succani, & Guaſco, & multorum aliorum, qui ibi aderant.

Ego Pingarius rem geſtam ſcribere rogatus ſcripſi.

Itaque *Aſſortiati*, & *Infortiati* (quod idem eſt) appellati fuere Denarii illi ab *Aſſortiare*, quod eſt *Munire*, *Firmare*, *Fortificare*. Romanum autem Populum uſurpaſſe revera jus auri aut argenti publice ſignandi, elucere poteſt e concordia Anno Chriſti MCLXXXVIII. initâ inter Clementem III. Papam, & Senatum Populumque Romanum, quam dabo in Diſſertatione XLII. *de Cognominum origine*, ubi Romani ajunt: *Ad præſens reddimus vobis Senatum, & Urbem, & Monetam* (ideſt *la Zecca* Italice). *Tamen de Moneta habebimus tertiam partem*. Sed hunc dominandi pruritum, quem ægre Populus Romanus deponebat, facillime etiam, quoties ſeſe occaſio offerebat, reſumere conſuevit. Propterea quæ pecunia deinceps in Chartis Romanis ſæpe legitur *Provenientium*, ſive *Proviſinorum*, de qua ſermo erit in Diſſertatione ſubſequenti, *pecunia Senatus* appellabatur. *Libra* quoque *Parvenſium Senatus*, niſi ſit corruptus is locus, ſe mihi offert in Charta, nobis ab eodem Cencio ſervata.

Inſtru-

Inſtrumentum de quadam renuntiatione ſeu refutatione, quam fecit Domino Papæ Honorio III. Pandulfus filius quondam Johannis Petri de Judice. Anno 1217.

IN nomine Domini. Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo Ducenteſimo Decimo Septimo, & Anno Primo Pontificatus Domini Honorii III. Papæ, Indictione V. Menſe Aprili die XXII. Ego quidem Pandulfus filius quondam Johannis Petri de Judice, ante præſentiam Dominorum Magiſtrorum, ſcilicet Fortis, Domini Papæ Notarii, & Bartholomæi, Romanæ Curiæ Advocati, & ſubſcriptorum teſtium, ad hoc ſpecialiter rogatorum, propria mea voluntate renuntio, & in omnibus & per omnia causâ tranſactionis generaliter refuto vobis verò Dominis Pandulfo Norwicenſi Electo, & Sinibaldo Domini Papæ Honorii Camerariis, *mandatariiſque & procuratoribus ejuſdem, ad hoc ſpecialiter conſtitutis, ad opus & utilitatem ipſius Domini Papæ Honorii & ſucceſſorum ejus, atque totius Romanæ Eccleſiæ perpetuo, ideſt omnem litem & petitionem, quam denotato Domino Papæ Honorio feci, petii, petere vel facere potui, videlicet de univerſis expenſis, quas tempore mei Senatus de mandato quondam Domini Innocentii Papæ III. feci, tam in cuſtodiendis Stratis undique in circuitu, quàm in cuſtodia diverſarum Urbium, Turrium, quas meas ad manus de conſilio Virorum prudentum pro pace & quiete ſancti Synodi vel Concilii, ſeu in aliis, quæ ad pacem & ſecuritatem venientium ad Urbem, erant neceſſaria, tenui; eaſque mihi dictus olim Dominus Papa cum munere reddere ac reſtaurare promiſit. Quodcumque itaque jus, & quamcumque actionem perſonalem & in rem, ſive hypothecam, quod, quamve hactenus adversùs dictum Dominum Papam Honorium, & totam Romanam Eccleſiam, & in omnibus ejus bonis & poſſeſſionibus habeo, habui, vel habere quoquo modo poſſem, tam ſcilicet jure vel occaſione prædictarum impenſarum, quas, ut dictum eſt, feci, quàm etiam cujuslibet promiſſionis quorumlibet datorum, tam pro damni reſtauratione quàm aliter modo quolibet mihi, vel alii pro me factæ a dicto olim Domino Papa, vel ab alio pro eo, & generaliter undecumque & quomodocumque adversùs dictum Dominum Papam Honorium, & totam Romanam Eccleſiam, reſpectu cujuslibet rei vel cauſæ, petere vel litigare, ſeu modo quolibet inquietare poſſem uſque in hodiernum diem vobis, ut dictum eſt, pro eo procuratorio nomine in omnibus & per omnia generaliter refuto, nulla mihi in aliquo facta penitus reſervatione. Pro eo quod vos procuratorio nomine pro dicto Domino Papa Honorio, & de pecunia ejuſdem Cameræ, mihi pro omni meo jure prædictarum impenſarum & aliorum quorumlibet datorum vel promiſſi, interventu quoque & laudatu Dominorum ſcilicet* Stephani *Dei gratiâ* Sanctorum Apoſtolorum Presbyteri Cardinalis, *& Comitis Ricardi, atque Johannis Bobonis, electorum Arbitrorum a prædicto Domino Papa, & a me, etiam compromiſſo pœnæ* mille Librarum Parvenſium Senatus, *datis atque perſolvitis* ducentas Libras bonorum Parvenſium Senatus. *De quibus omnibus, & de omni meo jure bene quietum me voco, & non ſolutæ pecuniæ exceptione omnino refuto. Ideoque amodo dictus Dominus Papa & Succeſſores ejus de hac cauſa quieti ſemper &*

A *pacifici maneant, eoſque ab omni perſona de hac cauſa ſemper indemnes conſervare, vobis, ut dictum eſt, pro eo procuratorio nomine, ſub pœna totius præfixæ pœnæ dupli nomine plejariæ promitto. Noviſſime autem pro me & meis heredibus & Succeſſoribus vobis pro dicto Domino Papa & ejus Succeſſoribus procuratorio nomine, ut dictum eſt, hanc refutationem, & quæ dicta ſunt, omnia obſervare, defendere & adimplere nomine plejariæ & principalis obligationis promitto ſub pœna totius prædictæ pecuniæ duplæ. Et ſolutâ pœnâ hæc Chartula firma permaneat; quam ſcribere rogavi Johannem Leonis Scriniarium in Menſe & Indictione ſupraſcripta V.*

B *Teſtes Petrus Capocia, & Petrus Nicolatri, Domini Papæ Uſcerii. Johannes Sancti Angeli; Bonuſſenior Marchionis; Johannes Sancti Germani.*


Ego Johannes Leonis, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Scriniarius, habens poteſtatem dandi tutorem & curatorem, emancipandi, etiam decretum interponendi, & alimenta decernendi, complevi & abſolvi.

Et ſane Sæculo eodem Tertiodecimo Nummi viſuntur tum aurei, tum argentei, Romæ percuſſi decreto Senatus, iiſque *Senatoris*, ac ipſius *Senatus* nomen impreſſum. Atque heic mihi præſto fuit doctiſſimus vir Franciſcus Va-C leſius, cujus in Romanæ præſertim & barbaricæ Philologiæ ſtudio ſcientiam ac judicium non Urbs tantùm ſuſpicit, ſed quicumque eruditionis cauſsâ Romam petit. Itaque is monuit, Romanorum Senatorem Anno Chriſti MCCLII. fuiſſe *Raimundum Capizucchium*, cujus etiam Nummus aureus ſupereſſe videtur num. I. In ejus antica ſtat Chriſtus, Librum lævâ tenens, ſtellulis circumdatus, cum Epigraphe: VOT. S. P. Q. R. ROMA CAPVT M. ideſt *Mundi*. In poſtica Sanctus Petrus vexillum porrigit viro genibus flexis accipienti, cum veſte Senatoria, & birreto in capite. Addita eſt inſcriptio: S. PETRVS SENATOR VRBIS. In ima D ſcuti parte fortaſſis inſpicienda ſe offerunt inſignia Familiæ Capizucchiæ cum faſcia tranſverſa. Ad hæc idem humaniſſimus Valeſius duûm variorum Nummorum ectypon ad me miſit, quos heic infra editos volo. In primo Nummo, num. II. protome Urbis viſitur, dexterâ pomum, lævâ palmam tenentis, literis circumpoſitis ROMA CAPVT MVNDI. In altera facie Leo ſignatus eſt, cum Literis BRANCALEO S. P. Q. R. Fuit hic *Brancaleo de Andalò*, ſive Andaloi filius, civis Bononienſis, Doctor, & Eques Auratus, atque Senator Urbis. In Annalib. Genuenſib. Caffari Lib. 6. Tom. VI. Rer. Italicarum, Genuenſium Præ-E tor fuiſſe dicitur Anno Chriſti MCCXXV. *vir nobilis Brancaleo de Bononia filius Andalonis*. Illum ipſum reputaſſem, qui poſtea Senatorem Romanæ Urbis geſſit, niſi Hiſtoricus ad eumdem Annum mortem ejuſdem retuliſſet. Quare is fuerit avus, aut pater alterius Brancaleonis Romanorum Senatoris. Quo Anno iſte ampliſſimo illo munere functus fuerit, diligentiſſime inveſtigavit prælaudatus Valeſius, multiſque Hiſtoricorum erroribus hac in re deprehenſis, tamdem evicit, Brancaleonem Anno

 Chriſti

Chriſti MCCLIII. Senatorem Romæ præfuiſſe. Matthæus Paris Auctor ſynchronus auctoritate principem ſertur, qui recurrente Natali Domini Anni MCCLIII. nunciata hæc Regi fuiſſe ſcribit: *Menſe Auguſti Romani elegerunt ſibi novum Senatorem, Civem Bononienſem, virum nobilem & rigidum, Juriſque peritum, qui noluit electioni de ſe factæ quomodolibet conſentire, niſi ſecurum tum fecerent, quod tribus annis contra Statutum Urbis ſtaret in ipſius Senatus poteſtate.* Ita in Londinenſi Editione Pariſii Anno MDCLXXXVI pag. 741. Britanni a Natali Domini novum Annum inchoabant: quare ea Regi nuntiata fuere ſub finem Anni MCCLII. In eamdem ſententiam convenit Auctor Hiſtoriæ Miſcellæ Bononienſis, a me editæ Tomo XVIII. Rer. Italicarum, cujus hæc verba ſunt ad Annum Chriſti MCCLII. *In quello Anno Meſſer Brancaleone di Andalò da Bologna fu eletto Senatore di Roma, e partiſſi con una bella compagnia, e andò al ſuo viaggio.* Scilicet is Anno MCCLII. electus, Anno ſubſequenti Urbem rexit. Auctor Vitæ Innocentii IV. Papæ, Tom. III. Rer. Italicar. pag. 592. eadem confirmat, ſcribens: *Illo tempore Romani quemdam Militem Bononienſem, Brancaleonem nomine, pro triennio in Senatorem Urbis elegerunt*. Itaque ſub eo percuſſus eſt Nummus.

Quinque ſubſequentes Nummos, a Romano Senatu percuſſos, mihi ſuppeditavit e Collectaneis MStis Clariſs. olim Viri Franciſci Blanchinii peramicus vir Johannes Franciſcus Muſellius ſupra laudatus. Diverſa Senatorum Inſignia unum ab altero diſtinguunt. Ceterum præcedentibus ſimiles ſunt, neque explicatione indigent.



Alios præterea Nummos a Romano Senatu variis temporibus obſignatos evulgavit Clariſs. Floravantes in P. II. de antiquis Romanorum Pontificum Denariis, quos utpote præcedentibus ſimiles omitto.

Præterea invenio eodem Sæculo Chriſti Tertiodecimo, Romæ in curſu fuiſſe *Denarios Paparinos*, quorum mentio occurrit in ſubſequenti Charta, quam mihi ſuppeditavit ſæpe laudatum Regeſtum Cencii Camerarii.

Pro-

Promiſſio & obligatio Syndici Caſtri Centumcellarum ſuper Cenſu annuo *quinquaginta Librarum Paparinorum* Romanæ Eccleſiæ ſolvendarum, Anno 1291.

IN nomine Domini, amen. Anno Nativitatis Dominicæ Milleſimo Ducenteſimo Nonageſimo Primo, Indictione IV. Pontificatus Domini Nicolai Papæ IV. Anno III. Menſis Januarii, die II. intrante. In præſentia mei Notarii & teſtium ſubſcriptorum, Jacobus Saxi de Caſtro Centumcellarum, Syndicus & Procurator Hominum & Univerſitatis dicti Caſtri, ad infraſcripta ſpecialiter conſtitutus, coram venerabili viro Domino Nicolao Domini Papæ Camerario & Notario perſonaliter conſtitutus, Inſtrumentum ſui Syndicatus exhibuit, tenoris & continentiæ infraſcriptæ.

In nomine Domini, amen. Anno Nativitatis ejuſdem MCCXCI. tempore Domini Nicolai Papæ IV. die XXIV. Menſis Decembris, Indictione IV. Congregato Conſilio ſpeciali & generali & univerſali Parlamento Hominum & Univerſitatis Caſtri Centumcellarum, de mandato diſcreti viri Petri Baſſeji de Urbe, Caſtellani Caſtri ſæpedicti, ad ſonum campanæ, & vocem præconis, ut moris eſt, ipſe Caſtellanus cum voluntate, auctoritate, atque decreto dicti Conſilii & univerſalis Parlamenti dicti Caſtri, & dictum Conſilium & Parlamentum cum voluntate, auctoritate, atque decreto dicti Caſtellani, fecerunt, conſtituerunt, & ordinaverunt Jacobum Saxi de eodem loco, præſentem & ſuſcipientem, eorum Syndicum & Procuratorem & Nuntium ſpecialem, ad petendum & ſupplicandum ſanctiſſimo Patri & Domino, Domino Nicolao *divinâ providentia* Papæ IV. *quod Caſtrum Centumcellarum, quod ad Romanam Eccleſiam pertinet pleno jure, faciat immediate in temporalibus per ipſius Cameram regi ac etiam gubernari, ita quod Univerſitas & Homines dicti Caſtri, ſicut ipſius Eccleſiæ ſubditi ſpeciales, non teneantur, nec compelli poſſint, alicui vel aliquibus aliis, niſi Camerario Domini Papæ, qui pro tempore fuerit, vel Caſtellano, qui per Dominum Papam, vel ipſius Cameram ad cuſtodiam & regimen dicti Caſtri fuerit deputatus, in temporalibus reſpondere, laudabilibus ac approbatis conſuetudinibus, & ſtatutis Hominum dicti Caſtri, quæ non ſint contra honorem & juriſdictionem Romanæ Eccleſiæ, integraliter reſervatis eiſdem. Et ad offerendum & promittendum nomine Univerſitatis & Hominum ejuſdem Caſtri, & pro ipſis propter hoc ſpecialiter venerabili Magiſtro Nicolao de Trebis Domini Papæ Camerario & Notario recipienti & ſtipulanti nomine & vice Domini Papæ & Eccleſiæ prælibatæ, nomine Cenſus* quinquaginta Libras Paparinorum, *per eos vel ipſorum Procuratorem annis ſingulis infra quindenam a Die Nativitatis Dominicæ numerandam in perpetuum Cameræ ejuſdem Eccleſiæ, ubicumque Romana Curia fuerit in Terris ipſius Eccleſiæ, cum effectu ſolvendas. Si verò eadem Curia extra Terram reſederit ſupradictam, præfatam pecuniæ quantitatem perſolvent Theſaurario Patrimonii per Eccleſiam ordinato, ſalvis & plenarie Domino Papæ & Eccleſiæ Romanæ omnibus aliis juribus & juriſdictionibus, quas in præfato Caſtro ac ejus territorio dignoſcitur obtinere. Dantes & concedentes eidem Procuratori plenum & ſpeciale mandatum, jurandi in animas Hominum &* A *ſpecialium perſonarum Univerſitatis Caſtri prædicti, prædicta omnia habere firma, rata, & ea integraliter obſervare; promittentes mihi Notario recipienti & ſtipulanti nomine & vice Domini Papæ & ejus Camerarii, omnia & ſingula ſupradicta, & quicquid in hac parte per eumdem Syndicum ſeu Procuratorem ipſorum actum, promiſſum, & geſtum exſtiterit, ſeu etiam procuratum, ſub obligatione & hypotheca omnium bonorum Univerſitatis ejuſdem Caſtri, & ſingularium perſonarum ipſius, ſe inviolabiliter ſervaturos, ac etiam impleturos.*

Actum in Centumcellis, ſub Porticu Sancti Jacobi in Platea Communis, præſentibus Donno B *Leonardo Priore Sanctæ Mariæ de Valle de Centumcellis, Presbytero Joanne Canonico dictæ Eccleſiæ, Domino Tancredo de Monte Cocozono, Alberto Domini Raynerii de eodem loco, Magiſtro Cazato Notario, Magiſtro Leone Notario, & Magiſtro Janne Simeonis, Rectoribus Terræ prædictæ, Jacobucio Scolare Sancti Nicolai, & Gliolo Petteno, teſtibus ad hæc rogatis.*

Et ego Johannes Rubeus, olim Bartholomæi, auctoritate Almæ Urbis Præfecti Notarius, & nunc dicti Capellani & Univerſitatis Caſtri prædicti Scriba, prædictis omnibus interfui, & rogatus ſcripſi, & publicavi, meoque ſigno ſupra C *ſignavi.*

Unde Jacobus Saxi ejuſdem Caſtri Cancellarius, Syndicus prælibatus ex vigore & auctoritate præſcripti Syndicatus, pure ac libere, ſecumque plena deliberatione præhabitâ, Syndicario & procuratorio nomine Hominum & Univerſitatis Caſtri Centumcellarum, per legitimam ſtipulationem promiſit eidem Domino Camerario ſtipulanti & recipienti pro Domino Papa & Succeſſoribus ſuis, & Romana Eccleſia, & ejus Camera, ex nunc in antea dare & ſolvere cum effectu ſingulis annis eidem Cameræ, ubicunque Romana Curia in Terris Eccleſiæ fuerit, alioquin Theſaurario Patrimonii Beati Petri in D *Tuſcia, inibi pro Romana Eccleſia deputando,* quinquaginta Libras Paparinorum, *infra quindenam Nativitatis Dominicæ, ad indicium perceptæ protectionis & exemtionis ab eodem Domino Papa, videlicet, quod Homines & Univerſitas dicti Caſtri Centumcellarum a juriſdictione Rectoris Patrimonii Beati Petri in Tuſcia, ejuſque Officialium, qui pro tempore fuerint, ſint exempti, & quod de cetero ſub tutela & protectione Cameræ Sedis Apoſtolicæ ſpecialiter permanentes, de juribus Eccleſiæ Romanæ debitis, eidem Cameræ dumtaxat, & nulli alii reſpondere teneantur. Ac illum recipient ſine contradictione qualibet in Rectorem, qui ad eorum* E *& dicti Caſtri regimen de Domini Papæ conſcientia fuerit per eamdem Cameram ſpecialiter deputatus, laudabilibus conſuetudinibus & Statutis Hominum & Univerſitatis Caſtri præfati non præjudicantibus juriſdictioni ac juribus, quæ præfata Eccleſia in Caſtro prædicto, ejuſque territorio plenarie obtinet, prout prædictæ Sedis Camerarium ſingulis annis corrigi & ordinari contigerit, reſervatis iiſdem, ſecundùm modum & formam, quem, & quam idem Domnus Papa in Apoſtolicis Literis ſuper protectione*

ac

ac terminum prædictis confiſcandis exprimendum duxerit vel exprimendum. Inſuper promiſit Syndicus ſupradictus nomine, quo ſupra, eidem Domino Camerario ſtipulanti & recipienti pro Domino Papa, ejuſque Succeſſoribus, Romana Eccleſia, & ipſi Cameræ, quod quoties dictum Commune ceſſare contigerit in ſolutione, ut præmittitur, dictarum quinquaginta Librarum Paparinorum, toties nomine pœnæ ſolutis ipſis quinquaginta Libris, alias quinquaginta Libras ejuſdem monetæ integre perſolvet Cameræ memoratæ. Quæ omnia & ſingula idem Syndicus nomine dicti Communis, & ipſum Commune promiſit attendere & obſervare facere, & integrum adimplere, ſub obligatione bonorum omnium Hominum, & Univerſitatis ejuſdem Caſtri, mobilium & immobilium, præſentium & futurorum, & ſub pœna dupli dictæ quantitatis: quâ pœnâ ſolutâ vel non, nihilominus omnia & ſingula, quæ in hoc Inſtrumento continentur, in ſua permaneant firmitate. Et ad majorem firmitatem omnium prædictorum idem Syndicus & Procurator nomine ac vice ſua, & ſingulorum Hominum prædictæ Univerſitatis, quorum Syndicus & Procurator exiſtit, juravit tactis ſacroſanctis Evangeliis, omnia & ſingula ſupradicta plene ſine fraude facere attendere, obſervare, & facere obſervari ſine fraude & dolo.

Actum apud Urbemveterem in Camera, in qua prædictus Dominus Camerarius morabatur, præſentibus Fratribus Hugone & Johanne Macarii Mariſcallis familiæ Domini Papæ, Domino Onufrio de Trebis Canonico Virdunenſi, Paulo Ciſtella de Reate, Burgarucio de Peruſio, Magiſtro Johanne Draconis, Johanne Rubeo Notario Centumcellenſi, & Octaviano Raynerii, teſtibus ad hæc rogatis.

Et ego Jacobus Piſani de Viterbio, Apoſtolica auctoritate, & nunc Cameræ Domini Papæ Notarius, præmiſſis interfui, & ea rogatus ſcribere, fideliter ſcripſi &c.

Quid autem *Paparina* pecunia fuerit, incompertum mihi fateor. Aut ab Inſigni gentilicio (nunc *Arme* appellamus) Senatoris, nomen inditum Denariis: fortaſſis enim *Anſerculum*, quem *Papero* Italica Lingua nuncupat, ille pro Inſigni gerebat. Aut ab ipſius Senatoris nomine aut agnomine *Paparone* nobilem virum inſcriptum reperio in Muſivo Romano ſequioris ævi, quod Ciampinius ære inciſum dedit Tom. I. pag. 82. Uſque ad initium Sæculi XIV. deſiderantur Nummi juſſu Romanorum Pontificum percuſſi. Mirum tamen foret, ſi Bonifacius VIII. vir grandis animi neglexiſſet illuſtrem hanc ſui Principatus prærogativam, quando Benedictus XI. ejus Succeſſor jure hoc ſuo uſus deprehenditur. Porro, ex quo in Gallias, atque Avenionem a Clemente V. Curia Romana tranſlata fuit, novimus, tunc in primis a ſummis Pontificibus ſignatam fuiſſe pecuniam. Et quoſdam quidem e Nummis ibi percuſſis ſervavit nobis, publicique juris fecit Baluzius in Vitis Paparum Avenionenſium; quos propterea huic Operi in commodum Eruditorum adjunctos volo. Ad hæc Anno MDCCXV. Xaverius Scilla Librum de *Nummis Pontificiis* a Clemente V uſque ad Clementem XI. Romanis typis impreſſum edidit, nullo tamen addito eorum ectypo. Denique Benedictus Floravantes a me ſupra laudatus argumentum hoc uberius illuſtravit altero Libro poſt ejus mortem a Philippo fratre edito. Ex ejus labore & ego proficiens, inde hauſi, quæ viſa ſunt conſentanea inſtituto meo.

Itaque Primus Nummus æreus, a Scilla & Floravante productus, hiſce literis ſignatus eſt PP. BENEDICT. VN. cum Cruce in medio, ideſt *Papa Benedictus Undecimus*, vir ſingularis ſanctitatis, qui Anno Chriſti MCCCIII. ad ſolium Pontificale evectus fuit. In poſtica duæ Claves erectæ cum literis hiſce circumpoſitis S. PETR. PATRIMONIVM.

Secundus Nummus, qui primus eſt inter editos a Baluzio, *Clementem V.* Pontificem exhibet, ſacrâ Tiarâ ornatum, dexterâ benedicentem, & ſiniſtrâ geſtantem Crucem, cum epigraphe CLEMENS PAPA QVINTVS, qui Anno Chriſti MCCCV. electus fuit. In alterâ Crux aream implet cum duobus limbis circum. Brevior has literas præfert COMIT. VENASINI, ideſt Comitatus Venayſſinus, ſeu Vindaſcinus in Provincia, cui jam dominabatur Eccleſia Romana. Latior limbus habet AGIM: TIBI: GRA: OMNIPOTENS DE: nempe *Agimus tibi gratias, Omnipotens Deus*. Supra viſuntur geminæ Claves, inſignia Romanæ Eccleſiæ.

Tertius Nummus, a Baluzio productus, & apud D. Vercellinum Mariam Vicecomitem, exhibet protomen Romæ ſupra duos Leones inſidentis, niſi ſub ea figura Faldiſtorium, aut ſellam deſignatam potius opineris. Hæc ibi inſcriptio IOHES PAPA XXII. COMIT. VENASINI. Altera facies Crucem in area habet, foliis ornatam in extremitatibus, cum lemmate AGIM: TIBI: GRA: OMNIPOTES DEVS. Solium Pontificium conſcendit *Johannes XXII.* Anno Chriſti MCCCXVI.

Quartus a Floravante productus & ad eundem Pontificem ſpectans exhibet in anteriori parte imaginem S. Johannis Baptiſtæ promiſſis capillis & barba, prolata dextera, ſiniſtra baculum tenet, in cujus apice Crux eſt. In ſuperiori parte nummi Mitra Pontificia teniis utrinque pendentibus & literæ S. IOHANNES B. In averſa parte lilium, & in circulo duæ parvæ claves decuſſatæ cum epigraphe SANT. PETRV.

De hoc nummo egi in Diſſert. XXVIII. ubi animadverti complures Principes induſtriam Florentinorum in cudendis florenis æmulatos fuiſſe, atque inter eos Johannes XXII. ob quam cauſam Johannes Villanius de eo conqueſtus eſt.

Quinctus argenteus, Scillæ viſus, & a Floravante editus, Papam eumdem præſefert ſedentem, cum literis PP IOHANNES. In altera facie aream Crux occupat, circumpoſitis hiſce literis SALVE SCA CRVX.

Sextus Nummus æreus apud eumdem Scillam, & Floravantem Cruce in medio poſitâ inſignitus eſt cum Epigraphe circumducta PP. IOHANNES. In poſticæ limbo VIGESIMVS SEC. & in area VDS. ideſt *Secundus*.

Septimus æreus, cujus eſt mentio apud eumdem Scillam & Floravantem, Claves duas erectas habet cum literis IOES PAPA XXII. In averſa parte Crux cum iſta epigraphe PATRIM.' DIV.' PE.' ideſt *Patrimonium Divi Petri*. Invecta quippe jam fuerat conſuetudo appellandi Sanctos *Divos*, minime a Sancto Auguſtino laudata.

Octavus æreus Nummus in Muſeo Bertacchinio Mutinæ, Pontificis effigiem nobis offert, dextrâ geſtantis geminas Claves, & ſiniſtra Crucem, cum literis PP. IOHES XXII. In poſtica viſuntur itidem Claves cum literis S. ECCLIE ROME, hoc eſt *Sanctæ Eccleſiæ Romanæ*.

No-

Nonus, qui Tertius eſt inter editos a Baluzio, [A] ſpectat ad *Benedictum XII.* electum Anno Chriſti MCCCXXXIV. In chatedra inſidet Pontifex, manu Paſtoralem baculum tenens, cum literis BENEDITVS. Averſa facies, Crucem in area habet, hiſce literis circumdatam PP. DVODECIMO.

Decimum Nummum publici juris fecit Floravantes. Ibi Crux cum literis PP. BENEDITVS XII. ex adverſa facie binæ Claves viſuntur. Circumſtant literæ PATRIM. S. PETRI ✠.

Undecimus, Baluzio Quartus, pertinet ad *Clementem VI.* Papam, Anno Chriſti MCCCXLII. electum. Ejus effigies cernitur cum literis CLEMS PP. SEST. Claves quoque ibi viſuntur. In poſtica Crux cum literis COMES [B] VENESI. ac rurſus Claves. In latiori limbo AGIMUS TIBI. GRAS OMNIPOTES DEVS.

Duodecimus Nummus item argenteus apud Scillam & Floravantem viſitur. Ibi figura Papæ ſedentis, cum literis CLEMENS PP. SEXTVS. Averſa pars duas Claves decuſſatas habet, & hanc epigraphen: SANCTVS PETRVS E PAL. ideſt, *& Paulus*.

Decimus tertius quoque argenteus apud Scillam & Floravantem oſtendit Clementem ipſum Papam ſedentem, cum Literis CLEMS PP. SEXTS. In poſtica Crux literas interſecans, & quatuor paria Clavicularum, cum epigraphe SANTS PETRVS.

Quartus decimus Nummus, qui eſt Quinctus [C] inter Baluzianos, exhibet effigiem *Innocentii VI.* ad Pontificium thronum Anno Chriſti MCCCLII. evecti. Inſidet & ipſe ſupra duos leones, ſeu verius ſellam, aut faldiſtorium, cum hac epigraphe INNOCEN. PP SEXTVS. Altera facies Crucem præfert, in cujus angulis quaterna Clavium paria viſuntur. Circumſtant literæ SANTVS PETRVS.

Decimum quintum alterum ejuſdem Innocentii nummum protulit Floravantes. Ibi imago S Petri in Cathedra ſedentis Pontificia veſte induti cum nimbo, & dextera Claves tenentis. Circum literæ SANTVS PETRVS in area poſticæ Tiara Pontificia triplici corona exornata. Subtus binæ Claves decuſſatæ cum literis [D] INNOCENTIVS PP. SEXTVS.

Decimus ſextus, Baluzio Sextus, effigiem præfert *Urbani V.* Papæ, Anno Chriſti MCCCLXII. electi, & ſupra ſellam ſive leones ſedentis, cum epigraphe VRBANVS. PP. QVNTS. Poſtica binas Claves in area habet cum literis circumpoſitis SANCTVS PETRVS.

Decimus ſeptimus argenteus Nummus penes nobilem Juriſconſultum Foroſempronienſem Joachini, Auditorem Rotæ Bononienſis, effigiem Papæ exhibet cum literis VRBA. V. PP. ideſt *Urbanus V. Papa*. In area poſticæ V.R.B.I. Circumſtant literæ IN ROMA. Scilicet Nummus percuſſus, quum Anno MCCCLXVIII. idem Urbanus magnifice Romam ingreſſus fuit, [E] Avenione illuc profectus.

Decimum octavum argentum Nummum Scilla evulgavit. Ibi idem Pontifex ſedet, hiſce literis diſtinctus: VRBANVS PP. QVNTS. In averſa parte duæ Claves decuſſatæ cum literis FACTA IN ROMA.

Decimum nonum argenteum Scillæ & Floravante prælaudatis debemus. In eo viſitur Papa ſedens cum epigraphe VRBAN. PP. QVNTS. Altera facies habet Crucem cum quatuor paribus clavium, & literis SANTVS PETRVS.

Vigeſimus æreus apud Floravantem. Ibi Mithra in medio, & in circulo duæ Claves cum literis VRB. PP. QNTS. Poſtica habet in area Crucem cum duobus paribus Clavium, & literis per gyrum S. M. T.' PET.' E PAS.

Vigeſimum primum argenteum Scilla & Floravantes protulere. Ibi protome ejuſdem Papæ cum literis VRB. PP QVITS. In averſa parte S. PET. E PAL. ideſt *Sanctus Petrus & Paulus*. Adduntur in area literæ ad modum Crucis V. R. B. I.

Vigeſimus ſecundus argenteus: a Scilla editus, hanc epigraphen præfert: VRBAN QVNTS. In medio Mithra cum literis ſuppoſitis V. PP. ideſt *Univerſalis*, aut *Urbis Papa*. Poſtica pars Crucem exhibet cum duabus Mithris, & duobus paribus clavicularum decuſſatarum. Adduntur literæ in limbo SANCTVS PETRVS.

Vigeſimus tertius, qui eſt Septimus inter Baluzianos, *Gregorium XI.* Papam electum Anno Chriſti MCCCLXXI. nobis oſtendit. Ibi epigraphe GREGORS PP VNDEC. In altera facie geminæ Claves decuſſatæ, & SANTVS PETRVS.

Vigeſimum quartum argenteum Scilla & Floravantes indicavit. Protomen Papæ exhibet cum duabus roſulis, & literis GG. PP. VND. Poſtica habet IN ROMA & in medio V.R.B.I.

Vigeſimus quintus argenteus a Scilla & Floravante editus protomen Papæ oſtendit cum literis GG. PP. VND. Apponitur Corona Regia. Averſa pars habet IN ROMA. & V.R.B.I.

Vigeſimus ſextus eidem Gregorio Papæ tribuitur a Scilla. Ibi protome Pontificis cum clavicula, duabus roſulis, & literis S. PETRVS. In poſtica DE ROMA. & literæ V.R.B.I. & geminæ roſulæ. Eſt & alter ſimilis ſine clavicula, ſed cum T. in antica & poſtica.

Vigeſimus ſeptimus argenteus apud Scillam, & Floravantem ſpectat ad *Urbanum VI.* Papam, Anno Chriſti MCCCLXXVIII. electum. Viſitur ibi figura Papæ ſedentis, cum epigraphe VRBANVS PP. SEXTVS. Altera facies habet Crucem & quatuor paria Clavicularum decuſſatarum, ac literas SANCTVS PETRVS.

Vigeſimus octavus, qui eſt Octavus inter Baluzianos, pertinet ad *Clementem VII.* Antipapam electum Anno Chriſti MCCCLXXVIII. Illic viſitur ejus effigies cum literis CLEMENS PP. SEPTIVS. In poſtica Claves & lemma SANCTVS PETRVS.

Vigeſimus nonus argenteus, a Scilla productus, ſedentem exhibet Clementem ipſum cum hac Epigraphe CLEMENS PP SEPTIMVS. Poſtica habet duas Claves decuſſatas cum literis SANCTVS PETRVS ET PAVLVS. Alter Nummus ſimilis viſitur apud Floravantem, ubi pro *Septimus* legitur SEPTIVS.

Trigeſimus alter Nummus apud Floravantem exhibet Tiaram Pontificiam cui ſubeſt inſigne gentilitium cum literis CLEMENS PP. SEPTIVS. In altera S. Petrus cum literis S. PETRVS APOSTOLVS.

Trigeſimus primus apud eumdem, Tiaram Pontificiam exhibet triplici corona, ac teniis pendentibus ornatam: utrinque parvæ Claves decuſſatæ. In altera Claves cancellatim diſpoſitæ & alligatæ cum literis SANCTVS PETRVS ET PAVLVS.

Trigeſimus ſecundus argenteus apud Scillam pertinet ad *Bonifacium IX.* Papam, electum Anno Chriſti MCCCLXXXIV. Viſitur Papa ſedens cum epigraphe BONIFA. PP. NONVS.

In

In averſa parte cuſpis ad formam mitræ, & geminæ Claves decuſſatæ cum literis SANCTVS PETRVS.

Trigeſimus tertius argenteus a Scilla editus, Papam ſedentem exhibet cum literis BONIFATII PP. NONVS. Altera facies habet SANCTVS PETRVS. Inter literas conſpicitur caput Mauri hominis, atque in area ſunt geminæ Claves decuſſatæ.

Trigeſimum quartum argenteum Scilla evulgavit. Ibi protome Pontificis & epigraphe BONIFAT. PP. N. Poſtica habet IN ROMA, & literas ad formam Crucis V. R. B. I.

Trigeſimum quintum argenteum Scilla protulit, cum Pontificis ejuſdem protome ac literis PP. B. NONVS. In poſtica DE MACERATA, atque in medio A. Itaque percuſſus fuit in Civitate Maceratæ.

Trigeſimus ſextus apud Scillam, æreus, Triregnum exhibet cum literis in limbo B. PP. NONVS. Averſæ partis aream Crux occupat cum literis DE FIRMO. A Firmanis cuſus eſt hic Nummus.

Trigeſimus ſeptimus, qui eſt Nonus inter Bibliacenos, exhibet *Benedictum XIII.* Antipapam electum Anno Chriſti MCCCXCIV. Ibi ſpectare potes illius effigiem, & inſcriptionem BENEDICT PP TRDEM. ideſt *Tertius decimus*. In poſtica Claves cum literis SANTVS PETRVS ET PAVLVS.

Trigeſimus octavus argenteus a Scilla recenſetur. Ibi Papa ſedens cum literis INNOCENTIVS PP. VII. Is fuit electus Anno Chriſti MCCCCIV. In poſtica duæ Claves decuſſatæ, & SANCTVS PETRVS. Alter ſimilis viſitur, addito capite hominis Mauri, & duobus aſteriſcis à Floravante editus.

Trigeſimus nonus apud Scillam, quoque argenteus. Papa ibi ſedet cum eadem epigraphe INNOCENTIVS PP. VII. Averſa pars habet SANCTVS PETRVS. S. P. Q. R. & duas Claves decuſſatas cum aſteriſco. Videtur Nummus cuſus a Senatu Populoque Romano Anno Chriſti MCCCCV. quo vir pacificus & mitis ob Nepotis truculentum facinus fugam arripere coactus, Romanis reſumendæ auctoritatis locum reliquit. Alter ſimilis Nummus viſitur ſine inſignibus a Floravante editus.

Quadrageſimus Nummus argenteus Veronæ aſſervatus ab amico viro Johanne Franciſco Muſellio, ſpectat ad *Gregorium XII.* Papam electum Anno Chriſti MCCCCVI. Ibi viſitur Papa ſedens, & epigraphe GREGORIVS PP. XII. In poſtica geminæ Claves decuſſatæ, & SANCTVS PETRVS. cum capite Mauri.


Quadrageſimum primum argenteum Scilla evulgavit præferentem *Johannem XXIII.* Papam electum Anno Chriſti MCCCCX. Viſitur figura Papæ ſedentis cum literis IOVANNES PP. XXIII. In averſa parte Claves decuſſatæ, & SANCTVS PETRVS. Alter ſimilis Nummus exſiſtit cum capite hominis Mauri. Tertius quoque ſimilis occurrit, additâ *Coxâ*, quæ illius Inſigne gentilicium fuit.

Quadrageſimus ſecundus Nummus aureus apud Floravantem. In antica Tiara Pontificia, & infra ſtemma, cui epigraphe hæc additur: IOHES. PP. VIGESIMVS III. In poſtica duæ Claves decuſſatæ, & SANTVS PETRVS ET PAVLVS. cum inſita inter Claves litera R.

Quadrageſimus tertius proditur a Floravante aureus Nummus. In antica habet ſtemma cum Tiara, & IOHES VIGEXIMVS III. In poſtica S. Petrus dexterâ Clavem, ſiniſtrâ Librum tenens, & literis in circuitu S. PETRVS APOSTOLVS.

Sunt & alii Nummi Pontificii a Panvinio, Ciacconio, & Victorello evulgati, quorum legitimitatem quum præſtare nequeam, propterea omitto. Quod ſi Numiſmata a Martino V. Papa uſque ad Innocentium XI. quiſquam deſiderat, Molineti Pariſienſis hac de re Librum conſulat; immo celebre opus adeat V. Cl. Philippi Bonanni e Soc. Jeſu, qui duobus Tomis Anno MDCXCIX. Romæ impreſſis, longe plura produxit atque illuſtravit. Denique Clariſſimi Floravantis Liber poſtumus merces hujuſmodi omnium accuratiſſime expoſuit. Hac de cauſſa iis rurſus imprimendis tempero.

ROMANI PONTIFICES.





RAVENNA.

AD Ravennam me confero. Illuſtris hæc Civitas Anno Chriſti CCCCII. Sedes Imperii Occidentalis conſtituta ab Honorio Auguſto, ex eo ſortitum tempore Monetariæ officinæ decus fuit dicique. Apud Du-Cangium viſitur ejuſdem Honorii Nummus cum literis RV. P. S. quas ſic is credidit interpretandas R. Ravennæ Pecunia Signata. Alius quoque a Johanne Tyranno poſt Honorii mortem percuſſus eaſdem literas præfert. Neque ulla mihi dubitatio, quin & ſub Odoacre Turcilingorum Rege, tum ſub Theoderico, Athalarico, Theodahato, Witige, & Baduila Gothorum Regibus ab Anno Chriſti CCCCLXXVI. fermeuſque ad DXL. eadem prærogativa, uti Romæ, ita & Ravennæ perſeveraret. Odoacris nullos Nummos vidi: unum tantummodo Theoderici Romæ cuſum ſub oculis habui. Retuli tamen fruſtulum antiquitatis ad inclytum illum Regem pertinens æream, quod Mutinenſi ex Urbe in ſuum Muſeum intulit Cl. V. Apoſtolus Zenus, antiquorum monumentorum venator indefeſſus, hoc eſt Nummum æreum (ita tantiſper appellare liceat) quadrangularis formæ, non minoris craſſitudinis, quàm Numiſmata majoris moduli. In altera facie leguntur literæ iſtæ D N. THEODERICI. In altera una tantùm litera viſitur, ſed exeſa, formam T referens, quæ fortaſſis eſt initialis nominis Theoderici, & Coronâ laureâ, ſeu querceâ circumdatur. Duplex hîc rerum occurrit. Alterum, quod in exteriori limbo Nummi (Italice nel contorno) literæ iſtæ leguntur: CATVLINVS V. C. ET I..... L..... P. F. V. Alterum, quod tum ipſius *Theoderici*, tum *Catulini* nomina literis conſtant in ære cavatis, atque argento oppletis. In nomine Theoderici adhuc fere omnes literæ ſuperſunt; e *Catulini* nomine præter duas aut tres, quæ remanent, reliquæ exciderunt, ſuperſtite earum veſtigio in ære. Ex illuſtri ac nobiliſſima Familia Catulinus iſte fuit, utpote quæ Anno Chriſti CCCXLIX. Conſulem dedit *Aconium Catullinum*; neque enim diverſa mihi nomina ſunt *Catullinus*, & *Catulinus*. Tulit etiam Præfectos Urbi, Proconſules, alioſque aliis muneribus primariis functos, quorum mentio eſt in Codice Theodoſiano, atque in aliis veterum monumentis. Apollinaris Sidonius Lib. I. Epiſtol. XI. auctor eſt, *temporibus Auguſti Majorani*, ſcilicet circa Annum Chriſti CCCCLX Satyricam Chartam Arelate diſſeminatam fuiſſe. *Accidit caſu, ut Catullinus Illuſtris tunc ab Arvernis illo veniret* &c. Eſt & ejuſdem Sidonii Carmen Duodecimum *ad Virum Clariſſimum Catullinum*. Uti notum eſt, circiter Annum CCCCLXXXII. Apollinaris Sidonius diem ſuum obiiſſe creditur. Habes autem in Nummo, circiter Annum Chriſti CCCCXCIV. percuſſo, *Catulinum V. C.* qui & in literis exeſis appellatus videtur INLVSTRIS & PRAEF. VRB. Erat enim *Illuſtris* titulus præcipue tributus Præfectis Urbi. Niſi idem ſint Catulinus a Sidonio memoratus, & hujus æreæ tabellæ auctor, veri tamen ſimile eſt, hunc filium illius fuiſſe. Ceterum non inter Nummos reponendum eſt hoc monumentum, ſed quidem inter Teſſeras, ſive Donaria publica, quæ in honorem Principum, veniâ ab eis factâ, a privatis parabantur, eorumque die natali, aut alià ſolemni occaſione, diſtribuebantur amicis. Reliquorum Regum Gothorum, qui Italiæ dominati ſunt, Numiſmata protulere Octavius Strada, & Du-Cangius in Conſtantinopoli Chriſtiana. Ego ea tantùm hîc evulgata volo, quæ vidi in Muſeo Reverendiſs. P. D. Alexandri Chiappinii Abbatis Canonic. Regular. Lateranenſ. Placentiæ, qui ſolicito ſtudio quotquot hactenus potuit, collegit. Quod præcipue in hiſce Nummis adnotandum, ibi conſpicitur effigies *Juſtiniani I. Auguſti* cum epigraphe, nomine Gothorum Regum in literis dumtaxat ſignato, ſed abſque illorum effigie: quæ conſuetudo verbis Procopii confirmatur, ita ſcribentis de Francorum Regibus Lib. 3. Cap. 33. de Bello Gothico: *Nummos cudunt ex auro Gallico; non Imperatoris, ut fieri ſolet, ſed ſuâ impreſſos effigie. Monetam quidem argenteam Perſarum Rex arbitratu ſuo cudere conſuevit; auream verò æque ipſi, neque alii cuipiam Barbarorum Regi, quamvis auri domino, vultu proprio ſignare licet.* Itaque Juſtiniani nomen in Gothorum Nummis impreſſum, ſat aperte oſtendit, eos adhuc agnoviſſe ſupremum Romani Imperatoris dominium: quod & in Pontificiis Denariis factum ſupra animadvertimus. An Theodericus huic legi ſeſe ſubmiſerit, ignotum mihi eſt. Eum fortaſſe formidanda illius potentia ejuſmodi onero leva-


levavit. At reliqui ejus Succeſſores vires animumque Juſtiniani imperantis veriti, ſeſe hac in re obſequentes præbuere, dum pax viguit; ſed ubi Juſtinianus conſilium cepit eripiendæ eis Italiæ, tum & ipſi Nummos percuſſere, additâ ſuâ effigie, & Imperiali abjectâ.

Primus Nummus, ſive Denarius argenteus, Juſtiniani I. Auguſti caput exhibet diademate coronatum cum literis D N IVSTINIANVS P F AVG. ideſt *Dominus Noſter Juſtinianus Pius Felix Auguſtus*. In poſtica D N ATHALARICVS REX, coronâ laureâ circumductâ. Circiter Annum Chriſti DXXVII. percuſſus fuit Nummus.

Secundus vultum ac nomen, ut in præcedenti, *Juſtiniani Auguſti* præfert, atque in altera parte has literas D N. THEODAHATVS REX, circiter Annum Chriſti DXXXV. Ejuſdem quoque Regis Numiſma apud Stradam & Du-Cangium habetur, ubi nulla Juſtiniani mentio, ſed quidem ipſius Theodati effigies, additis in poſtica literis VICTORIA PRINCIPVM. Deſpexiſſe creditur hic Princeps per aliquod tempus auctoritatem Imperatoris: idque locus nuper laudatus Procopii inſinuare videtur.

Tertii Nummi, circiter Annum Chriſti DXXXVII. percuſſi, antica facies *Juſtiniani* ejuſdem caput exhibet, & in poſtica D N VVITIGES REX.

Quartus Nummus nullam Juſtiniani mentionem habet, ſed caput Regis cum epigraphe D. N. BADVILA REX, & in averſa parte has iterum literas D N. BADVILA REX. Hic eſt Regum in Italia Gothorum poſtremus, qui a Beliſario Anno Chriſti DXXXIX. captus, Conſtantinopolim ad Juſtinianum miſſus eſt.

Quamquam verò incertum ſit, quo in loco percuſſi fuerint Gothorum Regum Nummi, falli tamen non poſſumus opinantes, non Romæ tantùm, ſed & Ravennæ id factum, quum in Ægyptiaca papyro, quam dedi in Diſſertatione XXXII. *De Origine Linguæ Italicæ*, quæque Anno Chriſti DXL. Ravennæ ſcripta fuit, *Vitalis Vir Clariſſimus Monitarius*, ideſt *Monetarius* (*Miniſtro della Zecca*) teſtis ſubſcribat. Quibus ex verbis intelligimus, Monetariam officinam adhuc perduraſſe Ravennæ. In Muſeo Alexandri Bertacchinii Mutinenſis Denarius argenteus adſervatur, quem infra proferam Num. V. caput Juſtiniani Auguſti præferens cum literis D. N. IVSTINIANVS P. AVG. ideſt *Pius Auguſtus*. In altera facie Monogramma viſitur coronâ circumdatum, ſub hac forma  N. In expiſcandis ejuſmodi Monogrammatis, aut ſiglis, hariolari video Eruditos. Liceat & mihi eorum licentiâ uti. Aut hæc ad ipſum Auguſtum ſunt referenda, aut locum, ubi Nummus percuſſus fuit, deſignant. Heic certe *Ravennæ* veſtigia non deſunt, ita ut ſuſpicer legendum D. N. *Denarius*, RATS *Ravennatis* Urbis, niſi malimus interpretari *Dominus Noſter Imperator*. Sed utcumque ſit de

A obſcuris hiſce Siglis, certum eſt, haberi *Nummos Heraclii*, & *Heraclii Conſtantini*, ſignatos Ravennæ; e quibus duos proferre juvat, quòd minime laudatos viderim a Du-Cangio.

Sextus Nummus æreus in Muſeo Bertacchinio Mutinæ exhibet tres figuras, coronam cum Cruce in capite, & globum in dextra præferentes. Hiſce deſignati videntur Heraclius ipſe Auguſtus, Martina Imperatrix, eorumque filius Heraclius Conſtantinus, Anno Chriſti DCXIII. in Collegam Imperii a patre aſſumtus, niſi fortè pro Martina Flavius Heracleonas intelligendus ſit, ejuſdem Heraclii alter filius, Cæſar circa Annum DCXXX. renuntiatus. Altera
B Nummi facies inſcripta eſt Monogrammate Chriſti. Subeſt M. Circumſtant literæ ANNO XXIIII. RAV. ideſt Anno Chriſti DCXXXIII. *Ravennæ*.

Septimus Nummus æreus, in eodem Muſeo mihi inſpectus, duas protomas Imperatorum præfert, alteram haſtæ innixam, alteram globo in dextera ornatam. Viſitur in poſtica Monogramma Chriſti cum ſuppoſito M. & literis Anno XXVI. RAV., ideſt, ſecundùm Vulgarem Epocham, Anno Chriſti DCXXXV. *Ravennæ*. Quæ poſtrema verba evincunt, percuſſum fuiſſe Nummum in Urbe Ravenna. Sunt & alii Nummi, in quibus FELIX RAVENNA legi-
C tur, atque ex iis unum poſſideo, in quo Regis, ſeu Imperatoris protome viſitur, in poſtica verò Aquila cum geminis aſteriſcis: quem vide heic infra Num. VIII.

Verùm poſt captam a Langobardis Ravennam, ac deinde Romanæ Eccleſiæ traditam, receptamque ab Auguſtis, diu cudendæ monetæ auctoritate ſpoliatam fuiſſe arbitror Urbem illam. At idem jus in Archiepiſcopos Ravennates Anno Chriſti MLXIII. ab Henrico IV. Germaniæ ac Italiæ Rege translatum fuiſſe, Rubeus jamdiu memoriæ prodidit. Immo & ipſe auctor eſt, longe antea, ideſt Anno Chriſti DCCCCXCVII. Gregorium V. Papam donaſſe Gerber-
D to Ravennati Archiepiſcopo *diſtrictum Ravennatis Urbis*, *Ripam integram*, *Monetam* &c. Sed quando in Libris pro jure Imperiali & Eſtenſi in Urbem Comaclenſem ea attuli, quæ mihi viſa ſunt hujuſmodi Chartam aſpergere ſuſpicione falſi, ab iis repetendis abſtinebo. Interea teſtem dabo facultatis conceſſæ Ravennatibus Nummum unum argenteum Num. IX. mihi ſuppeditatum a Muſeo Muſelliano Veronenſi, in quod invecta ſunt, quæcumque rudera antiquitatis collegit olim celebratiſſimus Philologus & Aſtronomus Franciſcus Blanchinius. Ejuſdem Nummi alterum exemplar e Cortonenſis Academiæ Muſeo eductum ſuppe-
E ditavit mihi Cl. V. Abbas Rodulfinus Venuti, a Cauſis audiendis Eminentiſs. Cardinalis Alexandri Albani. In antica legitur ARCIEPISCOPVS. In poſtica DE RAVENA ✣. Scilicet cuſus Nummus, quo tempore Archiepiſcopi dominabantur nobiliſſimæ Urbi Ravennæ, ejuſque Exarchatui. Hieronymus Rubeus, & Ughellius hac de re conſulendi.

RAVENNÆ.



TICINUM.

Ticinum pergo. Ex quo Civitatem illam Gothorum Reges diligere & amplificare cœperunt, ibi quoque pecuniæ ſignandæ locum ſtatuerunt, ejuſque rei teſtis ſupereſt Numiſma Badulæ, ſive Totilæ Regis, a Mediobarbo memoratum, ac Ticini aſſervatum penes nobilem virum Syrum Rho, ſive de Rhaude, cujus ectypon a Cl. V. P. D. Gaſpare Beretto ad me miſſum profero. In antica viſitur caput Regis cum epigraphe FELIX TICINVS: quæ nota locum percuſſæ monetæ prodit. In poſtica legitur D N. BADVILA REX. Perrexit autem ſub Regibus Langobardis eodem jure frui Ticinenſis Urbs, & merito quidem, quippe quæ Italici Regni Sedes evaſerat. Sed heic mature animadvertendum eſt, non tantùm *Ticini* regnantibus Langobardis, ſed & *Mediolani*, *Lucæ*, ac *Tarviſii*, percuſſos fuiſſe Nummos. Haſce quatuor tantùm Urbes in Italico Regno officinâ Monetariâ inſignitas iis temporibus reperio, quæ prærogativa ſub Francis, diuque ſub Germanis Imperatoribus in Civitatibus illis continuata eſt. Neque licuiſſe alibi ſignare pecuniam mihi perſuadeo, ſi *Ducatum Beneventanum excipias*, de quo ſuo loco erit ſermo, & *Spoletum*, in quo credibile eſt, Monetam extitiſſe, quamquam nullum ibi Nummum tunc percuſſum detexerim. Nondum enim quidquam mihi occurrit, unde elucere poſſit, parem honorem aliis Urbibus tunc fuiſſe collatum. Itaque Ticinum ſub Langobardis ac Francis Regibus cudere Nummos perrexit. Atque ego ſane cupiebam, cuſos a Langobardis Regibus heic exhibere Lectori; ſed præter unum aut alterum, nullum alium producere in præſentia poſſum. Angelus quidem Bene-

A ventanus in Stemmate Regum Langobardorum, *Agilulfi* Nummum exerit, at facile adulterinam mercem agnoſcas. Interea accipe *Liutprandi* inclyti Regis aureum Numiſma, cujus ectypon debeo Theodoro Alexandro Trivultio Marchioni ac Patricio Mediolanenſi, tum doctrinâ, tum rarâ humanitate viro ſpectatiſſimo. Regis effigies in antica parte conſpicitur cum literis LIVTPRN. R. ideſt *Liutprandus Rex*. Jam enim inter Eruditos exploratum eſt, non *Luitprandus*, ſed *Liutprandus* eſſe ſcribendum: quod marmora ipſa teſtantur, nempe præter unum Ticinenſe apud Gruterum inter Monumenta Chriſtiana, & alterum Felſineum apud
B Malvaſiam, illa etiam, quæ ego tum in Antiquitatib. Eſtenſib. tum heic in Diſſertatione XL. *de Rhythmica*, & in Diſſertatione XXI. *de Statu Italiæ* legenda dedi, uti & complures Chartæ in hoc ipſo Opere editæ, ejuſdem nominis fidem facientes. In poſtica parte viſitur effigies Sancti Michaëlis Archangeli cum literis exeſis SCS.... MAHEL. Michaëlem quippe Archangelum Langobardi ſingulari veneratione proſequebantur: quod & a Principibus Langobardis Benevento dominantibus obſervatum videbimus. Ita inſignis Baſilica Ticini condita, adhuc ornamentis vetuſtatis compluribus ſplendet. A Conſtantino Magno illam extru-
C ctam ſine ullis tabulis ferunt Ticinenſes Scriptores. Longe eſt veri ſimilius, opus eſſe Langobardicorum Regum. De ea meminit Paulus Diaconus; atque ibi interdum coronati fuere Reges. Altera quoque Lucæ viſitur, ad eadem tempora originem, ut puto, referens. Magna profectò tunc Populorum devotio erga beatiſſimum Archangelum fuit. Liutprandus Hiſtor. Lib. I. Cap. 2. ſcribit, fabricatam Conſtantinopoli fuiſſe a Baſilio Auguſto *pretioſo ac mirabili*

rabili opere Baſilicam *in honore ſummi & cæleſtis militiæ Principis Archangeli Michaëlis*. Ita & Franci Reges eumdem Regni patronum elegiſſe videntur. Teſtis quoque eſt Paulus Diaconus, dum Cuniberti Regis geſta recenſet, Sancti Michaëlis effigiem in vexillo militari Langobardicorum Regum pictam fuiſſe. Nempe Archangelus iſte in ſuum patronum ab ipſis quoque Langobardis electus fuit. Quod & elucere videtur ex Hiſtoriola Ignoti Monachi Caſinenſis apud Peregrinium Tom. II. Rer. Italicar. pag. 264. ubi de Langobardis ait: *Poſt hæc dominantes Italiam, Beneventum introëunt ad habitandum. Horum autem . . . . . . Princeps militiæ cæleſtis exercitus Michaël exſtitit Archangelus*. Heic, ubi lacuna eſt, deſideratur, ut opinor, vox *Patronus*, ſive *Protector*. Age verò exerantur quicumque Nummi hactenus occurrerunt mihi, Ticinenſi in Urbe percuſſi. Ex iis nonnullos evulgavit Le-Blancus in egregio Tractatu, Gallicâ Linguâ conſcripto, de Nummis Francorum Regum. Complures autem apud prælaudatum nobilem virum Ticinenſem Syrum de Rhaude adſervantur, quos amantiſſimus mei Don Gaſpar Berettus V. Cl. Ordinis Benedictini ac Gymnaſii Ticinenſis, dum vixit, ornamentum, mihi procuravit. Reliquos alibi ſum expiſcatus.

Primus Nummus ad Carolum Magnum Francorum Regem ſpectat, percuſſus Ticini, ſive Papiæ, poſtquam is Anno Chriſti DCCLXXIV. Regnum Langobardorum ſibi ſubjecit. Eum evulgavit Le-Blancus: poſſidet & Syrus de Rhaude. In prima facie Crux aream ornat, literis circumſcriptis CARLVS REX FR. ideſt *Francorum*. In altera viſitur Monogramma Regis ipſius, nempe CAROLVS, & in circuitu PAPIA. Locum Monetæ, ubi cuſa fuit, heic habes. Alterum Numiſma majoris moduli, Antonius Gattus V. Cl. evulgavit in Lib. de Gymnaſio Ticinenſi. Cernitur ibi Rex ſedens, dexterâ ſceptrum gerens, coronâ ad pedes poſitâ, ac duæ figuræ ante eum genibus provolutæ, cum literis: DEVICTO DESIDERIO ET PAPIA RECEPTA. DCCLXXIIII. In altera facie eſt hæc epigraphe: CARLVS REX FRANCIÆ, & in medio T R S F. Numiſmatis hujus ectypon minime exero, quòd inter fœtus adulterinos amandandum ſine dubitatione putem.

Secundum Nummum argenteum debeo humaniſſimo ac doctiſſimo viro Benedicto Abbati Floravanti, qui eum mihi inſpiciendum miſit. Temporis injuriam perpeſſus eſt adeo Nummus ipſe, ut literæ circumſcriptæ in antica ejus parte exeſæ admodum, difficultatem aliquam legentibus creent. Verùm attentius conſiderati, ſatis demum ſublucent harum literarum veſtigia, nempe KARLVS IN$\overset{P}{\mp}$ATOR, hoc eſt *Imperator*. Crux aream occupat. In poſtica legitur in medio ſatis perſpicue PAPIA. Itaque percuſſus fuit hic Nummus Ticini poſt Annum Chriſti DCCC. quo Imperiali diademate redimitus eſt Carolus Magnus.

Tertius Nummus a Le-Blanco productus, imperante *Ludovico Pio* Auguſto circiter Annum Chriſti DCCCXV. procuſus videtur. In antica Crux viſitur cum literis HLVDOVVICVS IMP. In averſa verò parte PAPIA. Sed minime certum eſt, ſpectare ad Ludovicum Pium hunc Nummum: tribuique is poteſt *Ludovico II.* Imperatori ejus Nepoti, qui Ticini ſedem Regni fixit, & Lothario patri ſucceſſit Anno DCCCLV.

Quartus Nummus *Lotharium I.* Auguſtum

A circiter Annum Chriſti DCCCXL. nobis exhibet. E Muſeo Syri Rhaudii emerſit. Crux in medio ſita circumcingitur hiſce literis HLOTHARIVS IMP. AV. In averſa parte PAPIA.

Quinctum Nummum accepi, dum in vivis erat, a Cl. V. Huberto Benvogliento Patricio Senenſi. Viſitur ibi Monogramma Chriſti, nempe  cum epigraphe BERENGARIVS INP*erator*. In poſticæ area PAPIA CI*vitas*, atque in limbo XPISTIANA RELIG*o*. Cuſus Nummus Anno Chriſti DCCCCXVI. aut ſubſequentibus.

Sextus Nummus, e Muſeo prælaudati nobi-

B lis viri Syri de Rhaude mihi ſuppeditatus, cui tribuendus ſit, certò aſſequi non potui. Ibi Crux in area. Circum ſtant literæ FI PAPIA, ideſt *Fidelis Papia*, niſi FL legendum ſit, hoc eſt *Flavia*. Altera facies in medio habet P. R. C. I. & in circuitu INPERATOR. Dum meliora adferant alii, liceat mihi in iis ſiglis legere P. R*en*C*a*r*lus*, ideſt *Berengarius I.* Theotiſco more pronuntiatus, qui Anno Chriſti DCCCCXVI. Romanorum Imperator eſt renuntiatus; ſed pro I. ſcribendum fuiſſet R. Geminæ id genus monetæ argenteæ, diverſi tamen moduli, repertæ fuerunt Imolæ ævo noſtro in marmorea arca, ubi Sancti Caſſiani Martyris oſſa ſub Honorio III. Papa collocata

C fuerant.

Septimus Nummus præcedenti ſimilis eſt, atque ad eumdem Berengarium, ſive PRENCARIVM Auguſtum ſpectare videtur. Eædem heic literæ, atque ibi.

Octavus Nummus argenteus apud eumdem Rhaudium exſiſtens, ſpectat ad *Rodulphum* Burgundionum *Regem*, qui Anno Chriſti DCCCCXXII Italiæ Regnum invaſit. Chriſti Monogramma in medio cernitur, & circum literæ RODVLPO PIVS RX. In altera facie legitur PAPIA CI. ideſt *Civitas*, & in circuitu CHRISTIANA RELIG. hoc eſt *Relig o*.

Nonus Nummus argenteus in Muſeo Rhaudio adſervatus, ad *Ottonem I.* Auguſtum circi-

D ter Annum Chriſti DCCCCLXII. referendus videtur. Attamen tribui etiam poteſt Ottoni II. ejus filio, aut Ottoni III. ejus Nepoti. In area legitur OTTO, & in limbo IMPERATOR. Altera pars in medio præfert PAPIA INCLIT CIVIT. ideſt *inclyta Civitas*. Ticinenſis autem Monetæ circiter ea tempora mentionem videas in Charta Anno DCCCCLXXXIX. ſcripta, quam dedi in Diſſertatione VI. *de Marchionibus*. Nimirum *in Civitate Ticinenſi Gundefredus, qui & Azo Magiſter Monetæ* (*Maſtro della Zecca*) commutationem init cum *Johanne Archiepiſcopo* (ita enim is ſeſe appellabat) *Placentiæ*, tunc Abbate etiam Nonantulano.

Decimus Nummus argenteus in Muſeo Ber-

E tacchinio, & apud alios Mutinæ, Placentiæ verò penes Reverendiſs. P. Alexandrum Chiappinium Abbatem Canonicorum Regularium adſervatus, ad unum ex tribus *Ottonibus Auguſtis* pertinet. Ibi literæ iſtæ leguntur: OTTO IMPERATOR, & in averſa parte AVGVSTVS PAPIA.

Undecimus Nummus argenteus, ad unum ex iiſdem *Ottonibus* ſpectans, & a prælaudatis diverſus, Ticini exſiſtebat apud nuper laudatum P. Berettum Monachum Benedictinum. In antica parte OTTO IMPERATOR: in poſtica AVGVSTVS PAPIA.

Duodecimus Nummus argenteus apud Joſeph Ma-

Marcum Cattaneum Civem Mutinenſem, neſcio an pertineat ad unum ex tribus nuper commemoratis Ottonibus. In prima facie legitur OTTO SEMPER AVGVSTVS, in altera IMPERATOR PAPIA. Trium Ottonum Diplomata nihil aliud exhibent, niſi *Romanorum Imperator Auguſtus*, neque ibi legitur *Semper*. Quare Nummus tribuendus potius videtur Ottoni IV. Auguſto, qui Anno MCCIX. Coronam Imperii Romæ eſt conſecutus. Verùm & *Romanorum Imperator & ſemper Auguſtus* in Diplomatis appellatur, eique Populus Papienſis addictus eſt adverſatus, ita ut abſtinere ab opinando, ego hæc de ipſo Ottone IV. Quod ſi referendus eſt Nummus ad priores Ottones, ſaltem res rara animadvertendum eſt illud *Semper Auguſtus*.

Decimus tertius Nummus argenteus, in Muſeo præfati Syri de Rhaude Patricii Ticinenſis exiſtens, referendus videtur ad *Henricum* inter Auguſtos *Primum*, qui Anno Chriſti MXIV. Imperiali coronâ fuit redimitus; ſeu potius ad *Secundum*, quum Primum Ticinenſes infenſum habuerint, cujuſque juſſu Urbs tradita fuerit flammis. In antica parte, atque in media area legitur HRICV, ideſt *Henricus*, & in circuitu AVGVSTVS. Altera pars præfert IMPERATOR PAPIA CI. *Civitas*. Si quis contenderet, Denarium hunc ſpectare ad unum ex ſubſequentibus Henricis, ſcilicet III. IV. & V. nil ſolidi haberem, quod ei reſponderem. Alterum huic ſimilem ad me miſit Clariſſ. & amicus vir Dionyſius San-Caſſianus Medicus, quem apud me ſervo.

Quartuſdecimus argenteus apud amicum virum Dominicum Vandellium, in Academia Mutinenſi Matheſeos Profeſſorem, mihi inſpectus, atque ab antecedenti diverſus, ad unum ex Henricis Auguſtis ſpectat. In antica legitur HE RICV AVGVSTVS. In poſticæ limbo INPERATOR, atque in area PAPIA.

Quintuſdecimus argenteus adſervatur in Muſeo ſæpe memorati nobilis viri Syri de Rhaude. Quemnam Henricorum Cæſarum referat, incertum eſt. Facies prima Nummi Crucem exhibet cum literis HENRICVS INP. & in averſa parte PAPIA.

Decimum ſextum argenteum, a me viſum, poſſidet nobilis vir Antonius Maria Carandinius Juriſconſultus Mutinenſis, eique ſimilem adſervat in Muſeo ſuo Placentiæ Abbas Regularis Ordinis Canonicorum P. D. Alexander Chiappinius. Unum ex Henricis exhibet, quem decernere non auſim. In altera parte ſcriptum eſt HENRICVS AVGVSTVS .... in averſa IMPERATOR PAPIA.

Decimum ſeptimum argenteum e Ticinenſi Urbe ad me olim miſit amiciſſimus P. D. Gaſpar Berettus. Ab hactenus productis differt: nam in antica legitur HENRICVS IMPERATOR, & in poſtica AVGVSTVS PAPIA. Cuinam ex Henricis Cæſaribus ſit adſcribendus, decernant alii.

Decimus octavus, Mutinæ a me conſpectus penes Bartholomæum Solianum, virum ob Libros in ejus officina impreſſos in Literaria Republica non ignotum, ſit ne referendus ad Primum, an ad Secundum e *Fridericis* Auguſtis, ſtatuere neſcio. Utrumque ex iis Auguſtis amicum & obſequentem novimus Populum Ticinenſem. In antica legitur FEDICV, ideſt *Federicus*, AVGVSTVS, in poſtica IMPERATOR PAPIA.

Decimum nonum ſuppeditavit mihi Muſeum Chiappinium Placentiæ, ad alterum ex *Fridericis* Imperatoribus pertinentem. Ibi hæ literæ FE. AVGVSTVS ROMAN. in altera facie IMPERATOR PAPIA.

Vigeſimus Romæ adſervatur apud doctiſſimum virum Abbatem Franciſcum Valeſium. Ticini quoque viſitur in Muſeo Rhaudio. Incertum eſt, quem ex Imperatoribus indicet. Ibi in antica viſitur effigies Epiſcopi cum literis SANTV SYRVS. Is eſt Ticinenſis Urbis patronus. In poſtica INPERATOR PAPIA.

Vigeſimus primus ex Mutinenſi Muſeo Bertacchinio mihi ſuppeditatus, e præcedenti lucem mutuatur; intricata quippe eſt illius inſcriptio. Ibi, niſi mea me fallit opinio, literis partim ex area, partim e limbo ſumtis legitur FREIDericus ROMmorum AVGVSTVS. In poſtica IMPERATOR. Et in area PAPIA.


Vigeſimus ſecundus Nummus aureus, ſive Numiſma, pertinet ad nobilem celebremque gentem *Beccariam*, quæ Sæculo Chriſti Quartodecimo diu dominata eſt Ticini. Adſervatur autem in eadem Urbe penes Marchionem Joſeph Beccariam Patricium Papienſem. Ibi hæc epigraphe: MVS BECCAR. PAP. PRIN. ideſt *Muſſus Beccaria Papiæ Princeps*, Anno Chriſti MCCCXL. Mihi ſane aliquam ſuſpicionem recentioris originis injicit vox illa *Princeps*: hoc enim titulo rari Dominatores Urbium tunc uti ſolebant. In altera parte viſuntur Inſignia Familiæ Beccariæ.

Comes Conſtantius de Abdua Patricius Mediolanenſis ſervat Nummum argenteum, quem poſtremo loco heic profero, præfefert in antica S. Syrum ſedentem mitratum cum diademate, dexterâ benedicentem, ſiniſtrâ Epiſcopalem pedum, cum litteris circumſcriptis SANCTVS SYRVS PAPIA. In poſtica anguis puerum vorans cum duobus truncis ardentibus, & duabus ſitulis pendentibus, circumſcriptis litteris ✠ GALEAZ VICECOMES D. MEDIOLANI.

Atque hi ſunt Nummi, quos hactenus ad inclytam Civitatem Ticinenſem ſpectantes conſpicere potui. Scribit Aulicus Ticinenſis Cap. 13. de Laudib. Papiæ, Tom. XI. Rer. Italicar. Ticinenſem *Monetam* antiquiſſimam eſſe: *quæ Moneta per totam olim Italiam valore & pondere approbata, uſque nunc ſola inter alias, quas viderim, Græcis literis deformatur*. Mihi nondum ullus Ticinenſium Nummus Græcis literis inſcriptus occurrit.

TICINI,

TICINI, ſeu PAPIÆ.



MEDIO-

MEDIOLANUM.

VEnio ad Mediolanenſes nummos, apud quos ab antiquiſſimis temporibus Monetariæ officinæ privilegium ſervatum jam vidimus. Vicina quidem Ticinenſis erat; tanta tamen ſemper dignitas fuit ſplendidiſſimæ Mediolanenſis Urbis, quæ inter Inſubres prima ſemper ac Metropolis fuit, ut hoc ei decus tum Langobardi Reges, tum Franci Imperatores, eorumque Succeſſores Germani, perpetuo ſervatum voluerint. Nam & ibi Reges & Auguſti Sedem ſæpe collocabant, ibique complures Reges Italici Coronam de manu Archiepiſcopi Mediolanenſis excipiebant, uti pridem oſtendi in Diſſertatione de Coronâ Ferreâ inter Anecdota mea Latina dudum edita. Ipſo vel ſub Romanis Imperatoribus Seculo Christi IV. ſignatam fuiſſe Mediolani pecuniam, produnt Nummi Maximi, Victoris, Arcadii, & Honorii, ab Occone & Mediobarbo evulgati, in quibus hæ ſiglæ viſuntur MDPS. quæ ſecundum eruditæ gentis interpretationem ſignificant *Mediolani pecunia ſignata*. Ibi aliquem etiam ex Nummis Gothorum Regum, quos ante protuli, percuſſum opinari licet. Idque ſub Langobardis Regibus continuatum dubitare nos non ſinit ſupra laudatus Le Blancus, dum ſcribit, ſibi fuiſſe trientem, ſive tertiam partem Solidi aurei, ubi *Deſiderii Langobardorum Regis* nomen occurrit, cum literis FLAVIA MEDIOLANO. Auctor eſt Paulus Diaconus Lib. 3 Cap. 16 de Geſtis Langobardorum, electum fuiſſe Regem a Langobardis *Authari, quem etiam ob dignitatem Flavium appellaverunt: quo prænomine omnes, qui poſtea fuerunt, Langobardorum Reges, feliciter uſi ſunt*. Hanc deinde appellationem Reges ipſi, veteres Auguſtos imitati, in præclariores Regni ſui Urbes tranſtulere, atque in Mediolanenſem potiſſimùm, quæ reliquas amplitudine ſua antecellabat. Porro jus Monetæ ejuſdem continuatum Mediolani reperimus ſub Imperatoribus Francis atque Germanis. Teſtes rei Nummos, quos hactenus conſpicere potui, nunc proferam, ſimulque ſubjiciam reliquos ibi percuſſos a potentiſſima *Vicecomitum*, ac *Sfortiadum* gente, diu illic dominata, ut Lectori ſub uno aſpectu omnia ſint, quæ in hanc rem corradere mihi licuit.

Itaque primus Nummus circiter Annum Chriſti DCCLXXV. percuſſus, & ad *Carolum Magnum* Regem ſpectans, a Le-Blanco producitur. Ibi Crux cum literis CARLVS REX FR. ideſt *Francorum*, nondum ſcilicet Imperator. In altera parte ejuſdem Regis Monogramma CAROLVS: quippe O. inter compendia illa ſublucere videtur. In circuitu ducuntur hæ literæ MEDIOL. hoc eſt *Mediolanum*.

Secundus Nummus, ab eodem Le-Blanco editus, pertinere creditur ad *Ludovicum Pium* Auguſtum circiter Annum Chriſti DCCCXV. Effigies Auguſti illic viſitur cum literis HLVDOVVICVS IMP. AVG. In poſtica proſpectus cujuſdam Templi cum literis MEDIOLANVM.

Tertium Nummum laudato Le-Blanco debemus, qui percuſſum credidit ſub ipſo *Ludovico Pio*. In altera parte legitur HLVDOVVICVS IMP. in altera MEDIOLANVM. Veri tamen ſimilius videtur, niſi ambos hoſce Nummos, alterum ſaltem tribuendum eſſe *LVDOVICO II.* Auguſto, Pii videlicet Nepoti.

Quartum dedit nobis idem Le-Blancus, ibique *Lotharium I.* Imperatorem circiter Annum Chriſti DCCCXLI. ſignatum cernimus; quippe illius nomen LHOTHARIVS IMP. legitur, & in altera parte MEDIOL. ideſt *Mediolanum*.

Quinctus Nummus argenteus, ſubtiliſſimæ laminæ, Mediolani penes præſtantiſſimum virum Theodorum Alexandrum Trivultium Marchionem adſervatus, ad *Hugonem* ſpectat Provinciæ Comitem, qui Anno Chriſti DCCCCXXVI. Regnum Italicum iniit. Ibi legitur HVGO PIYSSM REX. In medio ſiglæ illæ I H X I. quas ex conjectura interpretor *Jeſus Chriſtus*. In altera facie CHRISTIANA RELIGIO, & in area MEDIOLA*num*. Exſtat etiam penes Marchionem Jacobum Fagnanum Patrit. Mediol.

Sextum Nummum argenteum prælaudatus Marchio Trivultius ad me perhumaniter miſit, eumdem *Hugonem Regem* præſeferentem, ac *Lotharium* ejus filium Anno Chriſti DCCCCXXX. in conſortium Regni adſcitum. Viſuntur ibi eædem ſiglæ I H X I. cum epigraphe VGO LOTHARIO REGES. In poſtica CHRISTIANA RELIGIO. MEDIOLA*num*.

Ceterum privilegio Monetæ ſuæ perreverunt Mediolanenſes etiam ſub Germanicis Imperatoribus. Teſtem habeo Annaliſtam Saxonem ab Eccardo editum, qui de Ottone Magno ad Annum DCCCCL. agens, hæc habet: *Mediolanenſes ſubjugans, Monetam ibi innovavit, qui Nummi uſque hodie Ottolini dicuntur*. Goldaſtus in Cathol. Rei Monetariæ Tit. 48. Ottonis Magni Auguſti decretum, his conceptum verbis refert: *Mediolanenſibus, qui falſificarunt noſtram Monetam auream & argenteam, mandamus & injungimus hac Imperialis noſtræ ſententiæ condemnatione, ut nulla Moneta, niſi de corio facta, in poſterum utantur. Dat. Anno DCCCCLXVI.* Laudat ille Witichindum Corbejenſem in Chronico. Sed ego nihil tale reperio apud Witichindum, atque hujuſmodi decretum prorſus confictum ajo. Neque enim Goldaſtus, vir certe de re literaria bene meritus, religioni ſibi duxit, procudere interdum monumenta & edicta, prout argumentum poſcebat. Non paucos Eruditorum ratione iſta decepit. Teſtem potius adhibere is potuiſſet Gobellinum Parſonam, qui in Coſmedrom. Aet. VI Cap. 48. hæc de Ottone ſcribit: *Deinde cepit Mediolanum. Sed Rege Ottone recedente, Mediolanenſes Monetam ejus reſpuerunt, & a fidelitate ejus receſſerunt. Quare Rex Mediolanum regreſſus, coegit Mediolanenſes de corio antiquo incidere Nummos, & illos ab eis recipi mandavit*. Paria habet Theodoricus de Niem in Lib. de Privileg. & Jur. Imper. Sed donec afferantur tabulæ antiquiores (neque enim Gobelinus ac Niemius, ut hæc nobis perſuadere poſſint, barbam ſat canutam gerunt) liceat mihi coriaceam illam pecuniam commentum plane ridendum credere, uti & defectionem illam Mediolanenſium, quæ ab antiqua Hiſtoria diſcordat. Juvat proinde Annaliſtæ Saxoni adhærere, cujus verba nuper laudata veros Nummos ex argento aut ære, & nomen Ottonis Magni præferentes indicant Mediolani percuſſos. Si ejus Annaliſtæ ævo *Ottoleni* ii Nummi perſeverabant, ergo argentei, aut ærei fuere; tamdiu enim ignominioſam pecuniam generoſi Cives Mediolanenſes non toleraſſent. Bene autem cecidit, ut fabellam hanc tamdem evertere & exſibilare poſſem. Suppeditavit enim mihi ex inſigni Muſeo ſuo Eruditiſſimus Vir Apoſtolus Zenus, Auguſtiſſimi Romanorum Imperatoris CAROLI VI. Hiſtoriographus,

phus, argenteum Nummum, ſub eodem Ottone, ut opinor, Primo Mediolani cuſum; ex quo intelligas, Ottonibus Auguſtis imperantibus perſeveraſſe Mediolani Monetam, ac Nummos argenteos ibi cuſos, non verò coriaceos.

Itaque Septimum Nummum conſpiciendum offero, quem non ſolùm oculis meis ſubjecit, ſed etiam liberaliſſime mihi dono dedit idem Zenus. Is nummus eſt formæ aliquantulum concavæ, laminæ verò ſubtilis. In area legitur Monogrammate expreſſum nomen OTTO, & in limbo IMPERATOR. In concava facie AVG. ✠ MEDIOLANIV. Alibi oſtendi, Sæculis barbaricis, immo & antea, *Mediolanii* nomen in uſu fuiſſe. Duos poſtea ſimiles nummulos argenteos vidi apud ſæpe laudatum P. D. Alexandrum Chiappinium Placentiæ, & unum quoque apud Johannem Franciſcum de Solis J. U. D. nepotem meum Mutinæ. Concavos dixi hoſce Nummos infimæ magnitudinis Ottolenos. Neque peregrina eorum forma: nam & Græcis fuere *Caucii* Nummi, Καυκίοι, de quibus mentio eſt in Novella CV. Juſtiniani Cap. 2. ita appellati, quod *Cauci*, ſeu *Pateræ* figuram referrent, atque adeo concavi. Ejuſdem generis doctiſſimus Du-Cangius fuiſſe opinatur *Scyphatos* aureos, quod nempe Scyphi formam imitarentur. Conſule, ſi lubet, Diſſertationem ſubſequentem.

Octavus Nummus argenteus, Mutinæ apud Matthæum Pelliciarium exſiſtens, incertum eſt, quemnam ex *Henricis* Auguſtis indicet. Sex enim ejuſdem nominis Italiæ Regnum ac Imperium tenuere. Ibi legitur HENRIC. INPERATOR. Et in averſa facie MEDIOLANVM.

Nonus in Muſeo Bertacchinio Mutinæ adſervatus, argenteus eſt. In antica præfert Crucem cum literis circumpoſitis HENRICVS

A REX. In poſtica MEDIOLANVM. Fortaſſe Nummus pertinet ad *Henricum* inter Reges *Quartum*, qui diu Regis titulo eſt uſus. Sed pertinere etiam poteſt ad Secundum inter Reges, Primum poſtea inter Auguſtos, in Cælitum albo ſcriptum.

Decimus apud me exſiſtens, referendus fortaſſe ad *Henricum* inter Germaniæ Reges *Septimum*, & *Sextum* inter Italiæ Reges ac Imperatores, circiter Annum Chriſti MCCCXI. hanc epigraphen gerit HENRICVS REX (is nondum Imperiali Coronâ donatus) cum Cruce in area. In altera facie effigies Sancti Ambroſii ſedentis ſuper cathedram, cum literis MEDIOLANVM.

B Undecimus Mediolani apud prælaudatum Marchionem Trivultium, & Mutinæ in Muſeo Bertacchinio adſervatus, *Fridericum I.* Imperatorem circiter Annum Chriſti MCLXXXV. deſignat. Ibi hæc epigraphe FRIDERICVS, & in area I P R T. ideſt *Imperator*. In averſa parte MEDIOLANVM. Norunt Eruditi, ac præcipue in Ottonis Friſingenſis, Radevici, ac Ottonis Morenæ Hiſtoriâ verſati, quanto odio in Mediolanenſem Populum a ſui aſſumtione Fridericus I. exarſerit, & quot bellis nobiliſſimam deinde Urbem inceſſerit, quam demum ſubactam Anno MCLXII. lacrymabili excidio ſubvertit. Inter reliqua mala, quæ is Mediolanenſibus inferre conatus eſt, Anno MCLV.

C eos jure *Monetæ* privavit, atque illud in Cremonenſes tranſtulit. Campius in Hiſtor. Cremon. ejuſmodi decretum innuerat: ego verò illud ex Archivo Reipublicæ Cremonenſis integrum deſcripſi, ubi pervetuſtum illius exemplum adſervatur, atque in præſentia editum eo.

Fridericus I. Imperator Mediolanenſes, quod Novocomum & Laudam deſtruxerint, Imperiali banno ſubjicit; Monetâ, teloneo, diſtrictu, & omnibus Regalibus privat; & jus cudendæ Monetæ in Cremonenſes transfert, Anno Chriſti 1155.

IN *nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis*. Fredericus *divina favente clementia* Romanorum Imperator Auguſtus. *Imperialis excellentia nihil magis proprium habere debet, quàm ut contumaces juſta ſeveritate puniat, humiles verò & Romano Imperio devotos conſueta benignitate foveat & honoret. Hujus itaque rationis intuitu* Mediolanenſes *ob immania eorum ſcelera, a noſtrâ gratiâ penitus rejecimus. Et quia auſu temerario, & ſpiritu ſacrilego, præclaras* Italiæ Civitates Cumas & Laudas *ſuâ injuſtâ poteſtate impiiſſime* deſtruxerunt, *& eas ſe levari violenter prohibuerunt, cum ſæpius ſolemnibus Edictis ad noſtram præſentiam citati, de juſtitia diffidentes, ſe abſentare præſumerent, pro tantis exceſſibus dictante juſtitiâ ex ſententiâ Principum noſtrorum Imperiali banno ſubjecimus. Quia verò clementia noſtra Mediolanenſes, ut ad cor redirent, diu ſuſtinuit, cum magis eorum in dies iniquitas & malicia creſceret, & contumaciter noſtrâ abuterentur pacientiâ, in celebri Curia tam ab Italiæ, quàm a Theotonici Regni Principibus, ſuper prædictis exceſſibus ſententiam requiſivimus. Judicatum eſt igitur à Principibus noſtris, & totâ Curiâ*, Mediolanenſes Monetâ, *theloneo, & omni diſtricto, ac poteſtate ſeculari, &* omnibus Regalibus noſtrâ auctoritate eſſe privandos; ita ut Moneta,

D *theloneum, &* omnia prædicta ad noſtram poteſtatem redeant, *& noſtro ſtatuantur arbitrio. Et quia* Cremonenſis Civitas *præ cunctis Italiæ Urbibus fide & probitate, omnique honeſtate ſemper florentiſſima, & in rebus militaribus expertiſſima, nobis & prædeceſſoribus noſtris divis Imperatoribus ac Regibus fideli devotione & indefeſsâ probitate ſervivit, eorum merita digne remunerare volentes*, jus faciendæ Monetæ, quo Mediolanenſes privavimus, Cremonenſibus donavimus. *Hoc quoque noſtrâ eis Imperiali auctoritate in perpetuum confirmamus. Ut igitur hæc noſtra donatio omni ævo rata & inconvulſa permaneat, hanc paginam inde conſcribi, & noſtri imaginis charactere juſſimus inſigniri.*

E *Teſtes quoque ſubter notari fecimus, quorum nomina hæc ſunt*: Herimannus Conſtantienſis Epiſcopus: Ordivus Baſilienſis Epiſcopus: Cunradus Wormacienſis Epiſcopus: Marquardus Fuldenſis Abbas: Henricus Dux Saxoniæ: Bertolfus Dux Ceringiæ: Otto Palatinus Comes: Ulricus Comes de Lenzeburch: *Gozvinus de Fulfenberg*: Gozzo Comes, *& filius ejus Manfredus*: Gerardus Comes de Crema: Jacobus Comes de Favalla; *Conſules Papienſes & Novarienſes*.

Signum (✠) *Domni Frederici Romanorum Imperatoris invictiſſimi*.

Ego Arnoldus Colonienſis Archiepiſcopus, Italici Regni Archicancellarius recognovi.

Actum in territorio Veronenſi apud Inſulam Arcoenſem, Anno Dominicæ Incarnationis MCLV. Indictione III. Regnante Domno Imperatore Friderico, Anno Regni ſui IV. Imperii vero Primo.

Verba illa legiſti: *Jus faciendæ Monetæ, quod Mediolanenſes perceperunt, Cremonenſibus donavimus.* Hæc indicant, jam ſuperiori Anno, quo primum bellum Populo Mediolanenſi Fridericus intulit, decretum aliquod emiſiſſe, quo Monetam cudere Mediolanenſi Urbi interdictum fuerat. Verùm Anno MCLXVII. reædificato Mediolano, ac reſtauratâ Anno MCLXXXIII per pacem Conſtantiæ inter Fridericum & Lombardicas Urbes concordiâ, idem jus Monetæ Mediolanenſibus reſtitutum fuit. Adfert etiam Puricellius in Monument. Baſilicæ Ambroſianæ num. 587. Diploma Friderici ejuſdem, confirmantis Anno MCLXXXV. *Regalia* omnia Reipublicæ Mediolanenſi, inter quæ jus cudendæ pecuniæ adnumerari novimus. At ſuſceptam Rei Nummariæ ſeriem perſequamur.

Duodecimus Nummus argenteus, parum a præcedenti diſſimilis, Bononiæ adſervatur ab amico viro Johanne Baptiſta Biancono, Priore Miſericordiæ, & Literarum Græcarum in Academiâ Bononienſi Profeſſore. In ejus antica viſitur hæc Epigraphe FREDERICVS I. P. R.T. In poſtica AVG MEDIOLANIV. ideſt *Fridericus Imperator Auguſtus Mediolanium*. Ad eumdem Auguſtum ſpectat alter Nummus in Muſeo Chiappinio adſervatus, quem ad numerum XII. B proferam. In antica legitur hæc Epigraphe FR·D·rICvs IP. AVGVSTVS. In poſtica Crux cum literis MEDIOLANVM.

Decimum tertium Nummum acceptum refero ſæpius mihi laudato Clariſs. Viro D. Gaſpari Beretto Monacho Benedictino. Ibi conſpicitur Aquila Imperialis cum literis in circuitu: HENRICVS REX. In averſa parte Crux, & literæ SEMPER AVGVSTVS. Quis ex Henricis heic deſignetur, non liquet. Fortaſſis eſt *Henricus Septimus*, qui dejectis Anno Chriſti MCCCXI. Turrianis, imperium Mediolanenſis Urbis plene eſt conſequutus. Sed facile etiam pertinere patet ad *Henricum Sextum*, qui antequam Anno MCXCI Imperialem Coronam ſuſcepiſſet, Regio tantùm nomine Mediolani verſatus, uſus eſt titulo SEMPER AVGVSTVS. Falluntur enim, qui ſeriùs uſurpatum hunc titulum tradunt. Sed cur nulla ibi mentio Civitatis, in qua Nummus percuſſus fuit, occurrat, aſſequi hactenus non potui. Licèt autem conjecturæ adſint, quibus credatur ex Monetariâ Mediolanenſi officinâ cuſus is Nummus prodiiſſe, me tamen vadem cuiquam præſtare nolo, Mediolani potiùs, quàm in aliqua alia Civitate percuſſum eum fuiſſe.

Decimum quartum Nummum Patavii poſſidet vir nobilis Comes Johannes de Lazara, ad me miſſum ab humaniſſimo ac erudito viro Adamo Pivato Sacræ Theologiæ Doctore. Circiter Annum Chriſti MCCLX. vacante Imperio cuſus a Mediolanenſi Republica videtur. Ibi effigies Sancti Ambroſii cernitur cum literis S. ANBROSIVS. In averſa parte Crux aream implet cum epigraphe MEDIOLANVM. Poſt ea tempora Mediolanenſi in Urbe ad primatum evecta eſt celeberrima *Vicecomitum* Familia. Nullos fortaſſe Nummos Matthæus Magnus, ejuſque filius Galeatius Vicecomes percuſſere, ſed quidem Galeatii proles *Azo* Mediolani Dominus, cui ab Azone Marchione Eſtenſi Avo materno nomen advenit.

Decimus quinctus Nummus, circiter Annum Chriſti MCCCXXX percuſſus in Muſeo Bertacchinio Mutinæ exiſtens, Crucem in area præfert cum epigraphe AZO VICECOMES. MEDIOLANVM. In altera facie effigies Sancti Ambroſii conſpicitur, cum ejus nomine.

Decimus ſextus viſitur Mutinæ in eodem Muſeo Bertacchinio, ad laudatum *Azonem* Principem ſpectans. Ibi in antica legitur AZ. hoc eſt, *Azo*, quæ duæ literæ aream implent: in limbo verò VICECOMES. Poſtica Crucem habet in medio, & in circuitu CVMANVS. Anno Chriſti MCCCXXXVI percuſſus fuit hic Nummus. Tunc enim Novocomenſi Civitate, quam *Cumanam* barbarica Secula appellarunt, Azo potitus fuit.

Decimus ſeptimus ex Veronenſi Muſelliano Muſeo depromtus exhibet effigies duorum Martyrum cum epigraphe S. PROTASI. S. GERVASI. In medio IOHanneS VICECOMES, Archiepiſcopus & Dominus Mediolani Anno MCCCXLIX. In altera facie Archiepiſcopi Sancti effigies, cum literis S. AMBROSI. MEDIOLANVm.

Decimum octavum mihi ſuppeditavit idem Muſellianum Veronenſe Muſeum. Is caſſidem præfert cum Angue vorante puerum, Inſigni videlicet gentilitio Vicecomitum; & in averſa facie effigiem Sancti Ambroſii exhibet. Utrobique impreſſæ leguntur hæ literæ D. B. ideſt *Dominus Bernabos*, qui Anno MCCCLIV. cum fratribus dominari cœpit Mediolani, ac aliis Civitatibus.

Decimus nonus Romæ penes raræ eruditionis virum Abbatem Franciſcum Valeſium adſervatur. Sculptus in medio Anguis cum puero in ore, & duabus literis B. G. quæ *Bernabovem* & *Galeatium II.* Vicecomites fratres Mediolani Dominos circiter Annum Chriſti MCCCLX. indicant. Circumſtat inſcriptio BERNABOS ET GALEAZ VICECOMITES. In averſa parte imago Sancti Ambroſii cum literis S. ANBROSIVS MEDIOLANI.

Vigeſimus Nummus Mutinæ in Muſeo Bertacchinio viſitur. Ibi leguntur in area literæ D. B. & in limbo VICECOMES MEDIOL. In altera facie habes Anguem ore vorantem puerum, inſignia Vicecomitum gentilitia, cum literis DOMINVS BERNABOS, ex quibus priores duas literas interpretari tutò poſſumus *Dominus Bernabos*. Infra ſpectabimus repetita Principum eorumdem nomina. Certe ego non auſim heic interpretari *Dominus Brixiæ*.

Vigeſimus primus exſtat quoque in eodem Mutinenſi Bertacchinio Muſeo. In ejus area caſſis eſt cum Dracone. Subeſt clypeus cum Serpente, Inſigni Vicecomitum, & literis G. Z. In limbo repetitum habes idem nomen GALEAZ VICECOMES. In poſtica exhibetur truncus nodoſus cum flammis ſuppoſitis. Situlæ binæ aquam continentes e trunco pendent. Epigraphe hujuſmodi legitur: DNS, ideſt *Dominus* MEDIOLANI PAPIE ETC.

Vigeſimum ſecundum adſervant in Muſeis ſuis tum Alexander Bertacchinius Mutinæ, tum Abbas Chiappinius Placentiæ, tum etiam Mutinæ Johannes Franciſcus de Solis J. U. D. nepos meus. Nummus ſpectat ad nuper memoratum *Galeatium II.* Vicecomitem, Bernabovis fratrem. Ibi inſigne Vicecomitum gentilitium cernitur cum literis GALEAZ VICECOMES MEDIOLANI PPQ, ideſt *Papiæque*, ſupple *Do-*

Dominus. Adduntur duo rami arborum, & e ſingulis pendent duæ ſitulæ. Similis Nummus infra occurret, pertinens ad Galeatium Mariam Sfortiam. Hinc dubitatio de Auctore iſtius mihi ſuboritur. Attamen vix falli me putem in aſſignando hoc Nummo Galeatio Vicecomiti. In poſtica viſitur effigies Sancti Syri Ticinenſium patroni, cum epigraphe S. SIRVS PAPIA. Scilicet Nummus percuſſus Ticini, poſtquam Anno Chriſti MCCCLIX. Galeatius idem nobiliſſimam Urbem in ſuam ditionem recepit. Haud multum diſſimilem antea exhibui inter Nummos Papienſes ſub numero XXIII.

Vigeſimum tertium Patavii poſſidet in Muſeo ſuo Comes Johannes de Lazara. Spectat ad *Galeatium III.* Galeatii II. filium, Comitem Virtutum, ob auctam mirum in modum potentiam celeberrimum Principem. Viſitur ibi Crux ad morem Gallicorum Nummorum compoſita, cum epigraphe GALEAZ COMES VIRTVTVM. In poſtica Inſigne Vicecomitum, ac literæ G Z. ideſt *Galeaz*, DOMINVS MEDIOLANI. Percuſſus hic Nummus Anno Chriſti MCCCLXXXV. poſtquam Galeatius idem patruo Bernabove in vincula conjecto, unus dominationem Mediolani, & reliquarum Urbium arripuit.

Vigeſimus quartus in Mutinenſi Bertacchinio Muſeo mihi inſpectus, Crucem in area præfert. Circumſtant literæ COMES. VIRTVTVM. D. MEDI...... In poſtica effigies Epiſcopi cum literis S. AMBROSIVS MEDIOLAN. Liquet, Nummum hunc ad eumdem *Galeatium III.* Vicecomitem ſpectare.

Vigeſimus quinctus in prælaudato Bertacchinio Muſeo adſervatur. In area habet literas G. Z. ideſt *Galeaz*, & in limbo D. MEDIOLANI...... Poſtica Crucem præfert cum epigraphe COMES VIRTVTVM.

Vigeſimum ſextum Mutinæ adſervat Joſeph Maria Cattaneus. Nummum percuſſit idem Princeps. Ibi literæ I. G. VICECOMITIS, ideſt *Johannis Galeatii Vicecomitis*. In altera facie MEDIOLANVM. In ſuperioribus Nummis ille *Galeaz* appellatur; atque eo tantùm nomine revera is nuncupabatur, vivente patre Galeatio II. ac primis imperii ſui annis. At progrediente tempore *Johannis* nomen alteri præpoſuit. Si in veterum monumentis non tam facile vitia nonnulli ſuſpicarentur, neque pro iis cogitationes ſuas nobis propinarent, haberemus & hujus Principis Nomen per Annos multos fuiſſe tantummodo *Galeatium*, non verò *Johannem Galeatium*.

Vigeſimus ſeptimus Nummus argenteus, perquam rarus, Mutinæ apud nobilem virum Alderanum Narium exſiſtit. Ibi Inſigne Vicecomitum cum literis HE. ad latus. Ex literis in limbo ſcriptis hæ tantùm leguntur HESTOR. D.... VICECOMES K. In poſtica Sancti Ambroſii effigies cum epigraphe S. AMBR..... OLANI. Is fuit Hector Bernabovis Vicecomitis Mediolanenſium domini filius, e concubinâ natus, qui Anno MCCCCXII. poſt cædem Johannis Mariæ Vicecomitis Ducis Mediolanenſis Urbis imperium arripuit, ſed non diu tenuit, quippe qui in Oppido Modoëtienſi eodem Anno a Philippo Maria Duce obſeſſus, crure fracto ex ictu lapidis per machinam ejecti, interiit. Quum fortè Modoëtiam Anno, ſi bene memini, MDCXCVIII. ego divertiſſem, ipſius Hectoris cadaver, in vili arca lignea clauſum, atque effoſſum nuper in Baſilica Sancti Johannis Baptiſtæ, vidi. Erat corpus incorruptum, & fractura oſſis in crure manifeſta adhuc apparebat. Juvenis hujus, in ætate virenti violenta morte occumbentis, ſpiritus balſamici a membris illius corruptionem avertiſſe videntur. At niſi de hominis corpore fama certa habita fuiſſet, ſanctum aliquem virum fortaſſis indoctum vulgus ibi ſomniaſſet. Exploratum interea habeo Nummum hunc a perditiſſimo viro percuſſum, Reliquiarum ad inſtar geſtatum a quopiam fuiſſe, uti dubitare non ſinit limbus eum in finem perforatus.

Vigeſimus octavus Nummus in Veronenſi Muſelliano Muſeo exſiſtens, pertinet ad Johannis Galeatii primi Ducis filium *Philippum Mariam Vicecomitem*. Viſitur ibi illius Inſigne in ſcuto cum duabus Aquilis, & duobus Anguibus. Circumſtant literæ: FILIPPVS. MARIA. DVX. MEDIOL*ani* &c. In poſtica effigies Sancti Ambroſii Paſtoralem baculum ſiniſtrâ, flagellum dexterâ tenentis, cum literis: S. AMBROSIVS. EP*iſcopu*S MEDIOLANI. Percuſſus Nummus circiter Annum MCCCCXX.

Vigeſimus nonus, ex eodem Muſeo depromtus, virum exhibet in equo currente ſedentem, cum lanceâ erectâ in dextera. In reliquis parum a præcedenti differt, ac ad eumdem *Philippum Mariam* ſpectat.

Trigeſimus in Muſeo Bertacchinio Mutinæ adſervatus, habet in antica Anguem, cum hac epigraphe PHILIPPVS MARIA. In averſa parte MEDIOLANI, ſupple *Dux*.

Trigeſimum primum in Muſeo Bertacchinio, & Chiappinio ſub oculis habui. Eumdem Principem oſtendit. Ibi viſitur Inſigne Vicecomitum cum literis PHILIPVS MARIA... D.M. ideſt *Vicecomes Dux Mediolani*. In poſtica effigies S. ABRO...... ideſt *Sancti Ambroſii* MEDIOLANI.

Trigeſimus ſecundus in Muſeo Bertacchinio, ac Regii apud Comitem Nicolaum Taculum conſpicitur. Ibi inſigne Vicecomitum, & epigraphe FR. SF. DVX MDLANI, hoc eſt, *Franciſcus Sfortia Dux Mediolani*, videlicet inclytus ille Princeps, qui virtutibus ſuis celeberrimos quoſque antiquitatis Duces æquavit, & ex humili origine ad ſummam potentiam pervaſit. In altera facie legitur in limbo S.AMBROSIVS MEDIOLANI. Circiter Annum Chriſti MCCCCL. percuſſus fuit.

Trigeſimus tertius majoris moduli æreus in Muſeo Bertacchinio, Numiſma eſt, ſive Italice *un Medaglione*, honoris cauſſâ percuſſum. Ibi protome *Franciſci Sfortiæ* cum literis hinc inde poſitis V. F. fortaſſe pro *Vivit Franciſcus*. In limbo hæc epigraphe: FR. SFORTIA. VICECOMES. MLI. DVX. IV. BELLI. PATER. ET. PACIS. AVTOR. MCCCCLVI. In poſtica canis innixus arbuſto, Sole emittente radios. Additur epigraphe: IO. FR. ENZOLE. PARMENSIS. OPVS.

Trigeſimus quartus in eodem Muſeo Bertacchinio, Caſſidem præfert cum Angue, gentilitio inſigni Vicecomitum. Circumſtant literæ FR*anciſcus* SF*ortia* DVX. MLI. &c. In poſtica aream occupant literæ cum Corona ſuperpoſita, quæ videntur eſſe FR. S. ideſt *Franciſcus Sfortia*. In limbo PAPIE. ANGLER*iæ*Q*ue* CO*mes*.

Trigeſimus quinctus Veronæ in Muſeo Muſelliano viſitur. Ibi ejuſdem inclyti Ducis effigies cum literis: FRANCISCHVS SFORTIA VIC*ecomes*. In averſa parte homo ſuper equum currentem ſedens, lanceam dexterâ geſtans, cum literis DVX. MEDIOLANI. AC IANVE *Dominus*. Poſt Annum Chriſti MCCCCLXIV. Nummus percuſſus.

Trigeſimum ſextum Veronæ adſervat Muſeum Muſellianum. Hanc epigraphen præfert. G. S. nempe Galeaz Sfortia DVX MEDIOLAni. D PP. idest Dominus Papiæ. Crux in averſa facie cum literis CONRADus REX ROMANOrum II. a quo Mediolanenſes Monetæ jus derivabant. Percuſſus eſt Nummus circiter Annum MCCCCLXVI. a Galeatio Franciſci Sfortiæ filio.

Trigeſimus ſeptimus ex eodem Muſeo depromtus pertinet ad eumdem Franciſci Sfortiæ filium, ac ſucceſſorem. Ibi inſignia Vicecomitum & Sfortiadum cum literis GZ. MA SF. VICECO DVX MLI V. PP. ANGLEQ CO AC IANVE D. idest *Galeaz Maria Sfortia Vicecomes Dux Mediolani Quintus, Papiæ, Angleriæque Comes, ac Januæ Dominus.*

Trigeſimus octavus Mutinæ apud Johannem Baptiſtam Caula Juriſconſultorum extat. Ibi tres arborum rami cum duabus ſitulis pendentibus, Emblema ſcilicet, ſive Symbolum (Italice dicitur *Imprẽſa*) quod ſupra vidimus in Nummo Galeatii Vicecomitis. Literæ circumſtant GZ. M. SF. VVICECO. DVX. MLI V. In averſa parte Anguis cum duabus literis in medio G M. idest *Galeaz Maria*, & in circuitu PP. ANGLEQVE. CO. AC. IANVE. D. Tota inſcriptio hæc verba reddit, *Galeaz Maria Sfortia Vicecomes Dux Mediolani Quintus, Papiæ, Angleriæque Comes, ac Januæ Dominus*, qui Franciſco patri ſucceſſit Anno Chriſti MCCCCLXVI.

Trigeſimus nonus argenteus viſitur in Muſeo N. V. Syri de Rhaude, aureum minoris moduli ſervant heredes Antonii Reynæ Mediolanenſis. Effigiem quidem Galeatii Mariæ exhibet in antica. Inſigne verò Vicecomitum cum duobus ramis, e quorum ſingulis pendent duæ ſitulæ, cernitur in poſtica cum literis hinc inde GZ. M. *Galeaz Maria*. Utraque epigraphe eſt ſimillima inſcriptionibus Nummi præcedentis. Adeſt etiam aureus penes Comitem Conſtantium de Abdua Patritium Mediolanenſem.

Quadrageſimus argenteus in Muſeo Bertacchinio Mutinæ. Viſuntur in area literæ G. M. cum corona ſuperpoſita, ideſt *Galeaz Maria*. In limbo DVX. MLI. AC. IANVE. D. &c. Poſtica habet literas in area B. M cum coronâ ſuperpoſitâ, hoc eſt *Blanca Maria*, illius mater, cujus auctoritatem in exordio imperii ſui filius eſt reveritus. Subſequuntur in limbo aliæ literæ, nempe DVCISA. MLI. AC. CR D. &c. ideſt *Duciſſa Mediolani ac Cremonæ Domina*.

Quadrageſimus primus Mutinæ in Muſeo Bertacchinio, nummulus eſt argenteus, ubi Caſſis viſitur cum Angue. Ex literis detritis ſupereſt tantùm MLI. ideſt *Mediolani*. In altera parte G. M. coronâ ſuperimpoſitâ, hoc eſt *Galeaz Maria*.

Quadrageſimum ſecundum, Quadrageſimum tertium, & Quadrageſimum quartum adſervat Veronenſis Archipresbyter Muſellius in ſuo Muſeo. Pertinent ad *Johannem Galeatium Sfortiam*, Galeatii Mariæ Ducis filium, qui patri a conjuratis cæſo, in dominatione ſucceſſit Anno Chriſti MCCCCLXXVII. In horum primo viſitur ejus effigies cum literis IO. GZ. SF. VICECOMES DVX MLI. SX. ideſt *Johannes Galeaz Sfortia Vicecomes Dux Mediolani Sextus*. In poſtica illius inſignia, & literæ LVDOVICO PATRVO GVBerNANTE. Duo ſubſequentes Nummi eaſdem literas præferunt.

Quadrageſimus quinctus apud Comitem Johannem Bellincinium Mutinenſem Patricium, & penes nobilem quoque virum Mutinenſem Camillum Valentinum, adſervatus, eamdem Caſſidem exhibet cum eâdem epigraphe IO. GZ. SF. VICECO. DVX MLI SX quæ verba in præcedenti Nummo ſum interpretatus. In averſa parte conſpicitur imago Sancti Ambroſii cum literis LVDOVICO PATRVO GVBERNANTE. Is eſt Ludovicus agnomento *il Moro*: ac propterea tum is Nummus, tum tres precedentes cuſi videntur circa Annum Chriſti MCCCCLXXX. Parum abſimilis Nummus, ſed minoris moduli, adſervatur in Muſeo Bertacchinio. Sed ibi pro Caſſide eſt Corona cum duabus faſciis pendentibus.

Quadrageſimus ſextus argenteus in Muſeo Bertacchinio, effigiem juvenilem *Johannis Galeatii Mariæ Sfortiæ Ducis* oſtendit, & in poſtica virilem *Ludovici* Mauri. Epigraphe ferme eadem, ac ſuperior; adeſt etiam aureus minoris formæ in Muſeo heredum Antonii Reynæ Mediolanenſis.

Quadrageſimus ſeptimus aureus Ticini apud Syrum de Rhaude conſpicitur. Ibi effigies *Ludovici* nuper memorati, Anno Chriſti MCCCCXCIV. Ducis Mediolani jam renunriati, cum inſcriptione LVDOVICVS M. SF. ANGLVS DVX MLI. & in altera facie PP. ANGLEQVE CO. AC IANVE D. hoc eſt: *Ludovicus Maria Sfortia Anglus Dux Mediolani, Papiæ, Angleriæque Comes, ac Januæ Dominus.*

Quadrageſimus octavus Nummus ab eodem nobili viro Syro Rhò adſervatus, explicatione non indiget: ſimilis enim eſt præcedenti illius epigraphe.

Quadrageſimus nonus ex Muſeo Veronenſi Muſelliano deſcriptus, effigiem exhibet viri cum literis: LVDOVICVS AVRELIANEnSIS. In poſtica ejus Inſignia cum inſcriptione: MEDIOLANI. AC. ASTæ DN, *Dominus*. Scilicet percuſſus fuit Nummus, antequam is Regnum Galliarum iniit, quo etiam tempore titulum arripuit *Ducis Mediolani*.

Quinquageſimus, & Quinquageſimus primus in eodem Muſeo exſiſtentes, pertinent ad eumdem *Ludovicum Ducem Aurelianenſem*, poſt Caroli VIII. mortem Francorum Regno auctum. Ibi Hiſtrix coronata cum literis LVDOVICVS DEi. Gratia. FRANCORum REX. In averſa facie: MedioLanI. DVX. ASTENSISQVE *Urbis* DomiNuS.

Quinquageſimus ſecundus Nummus apud Comitem Andream de Sanctis Mutinenſem, exhibet *Ludovici XII.* Francorum Regis vultum. Circiter Annum Chriſti MCCCCXCIX. percuſſus fuit, ſcilicet poſt ereptum Ludovico Sfortiæ Mediolanenſem Ducatum. Hæc ibi epigraphe: LVDOVICVS D. G. FRANCORVM REX. In averſa parte figura inſidens equo currenti cum inſignibus Francorum Regum, ac literis MEDIOLANI DVX.


Quinquageſimum tertium poſſidet Dominicus Vandellius in Mutinenſi Gymnaſio Mathematicarum Artium Profeſſor. Ad eumdem Regem ſpectat.

Quinquageſimum quartum adſervat in Mutinenſi ſuo Muſeo Alexander Bertacchinius. In ejus area L. coronatum viſitur, nempe monogramma Regis. In limbo LV. D. G. FRANCORVM REX. In poſtica effigies Sancti Ambroſii cum literis S. A. In limbo MEDIOLANI. DVX.

Vide Le-Blancum, qui alios refert. Reliquos Mediolanenſium Nummos prætermitto, utpote ultra inſtitutum meum procurrentes.

ME-

MEDIOLANI.



XXVII.


XXVII
XXVIII
XXIX
XXX
XXXI
XXXIII
XXXII
XXXIV
XXXV
XXXVI
XXXVII
XXXVIII
XXXIX
XL
XLI
XLII
XLIII
XLIV
XLV
XLVI
XLVII
XLVIII
XLIX
L
LI
LII
LIII
LIV

IN ADDITAMENTA AD NUMMOS MEDIOLANENSES

MONITUM.

SAtis uberem dederam Mediolanenſium Nummorum Syllogen. Attamen, dum hæc prælo mandaretur, in mentem venit præclariſſimis Sociis Palatinis alios etiam perquirere, qui meam fortè diligentiam effugiſſent, eorum quippe eſt gloriam nobiliſſimæ Patriæ ſuæ, quantis poſſunt viribus amplificare. En ergo ad Nummos Mediolanenſes non mediocre additamentum, quod ipſis acceptum refero. Illud quia antea dare non potui, conjectum in hunc locum volui.

A PRimum argenteum ſervat Marchio Abbas Aliprandus Vicecomes Patricius Mediolanenſis, ad unum ex Henricis ſpectantem. In antica S. Ambroſius ſedens, dexterâ benedicens; in poſtica S. Gervaſius, & Protaſius barbati cum intermediis litteris HENRICVS IMPERATOR.

Secundus pariter argenteus penes eumdem; ibi S. Ambroſius ſedens mitratus cum diademate, ſiniſtrâ baculum, dexterâ benedicens, bipartito ad latera ejuſdem nomine. In altera parte Crux interſecata triangulis, & in circulo MEDIOLANVM.

Tertium argenteum ſuppeditavit Comes Conſtantius de Abdua Patric. Mediol. In antica viſitur S. Ambroſius mitratus cum diademate, B ferula, & baculo, circumſcriptis litteris S. AMBROSIVS MEDIOLAN. In poſtica anguis puerum vorans cum litteris ad latera G. Z. & per gyrum ✠ GALEAZ VICECOMES MEDIOLANI &c.

Quartus aureus, quem retinet nuper memoratus Comes de Abdua, habet ex una parte ſtemma Vicecomitum cum corona, ſuperimpoſito capite ſerpentis, & litteris hinc inde G. Z. In circuitu ✠ DOMINVS MEDIOLANI &c. ex altera parte figura equeſtris enſe evaginato cum litteris ✠ GALEAZ VICECOMES.

Quinctus, & Sextus nummus, ambo argentei, viſuntur in Muſeo ſupradicti March. Aliprandi C Vicecomitis, habent in antica S. Ambroſium ſedentem cum ferula, & baculo: Quinctus in poſtica anguem cum puero, & litteris hinc inde D. B., circumſcriptis D. BERNABOS VICECOMES MEDIOLANI. Sextus oſtendit caſſidem cum angue vorante puerum, quem interſecant litteræ D. B., & circumſcriptis litteris D. BERNABOS VICECOMES MEDIOLANI &c.

Septimus pariter argenteus apud prælaudatum Marchionem Aliprandum, exhibet integrum anguem, puerum vorantem cum litteris MEDIOLanI DOMINVS, in altera parte caſſidem cum capite anguis, & litteris DOMINVS BERNABOS.

D Octavus æneus apud eumdem Marchionem eſt ſimilis quincto, excepto quòd ſuper anguem exprimitur Aquila unius capitis; & in area B. G, ideſt *Bernabos*, & *Galeaz*. In circuitu BERNABOS ET GALEAZ VICECOMITES.

Nonus argenteus in Muſeo Aliprando oſtendit Joannis Galeatii effigiem litteris circumſcriptis IOHANNES GALEAZ COMES VIRTVTVM, in altera parte figuram equeſtrem enſe evaginato cum litteris ✠ DVX MEDIOLANI &c.

Decimus nummus aureus elegantiſſimus ſervatur apud heredes Antonii Reynæ, veterum Numiſmatum, dum viveret, ſtudioſiſſimi. Faciem exhibet Jo. Galeaz, circumſcriptis litteris: IO. GALEAZ. V. C. (nempe *ViceComes*) DVX. MEDIOLANI. 7 c3. cum capite mitrato S. Ambroſii in ſummitate. In altera parte aream occupat anguis coronatus puerum vorans, cum litteris: PAPIE. ANGLERIEQ3. COMES. 7. c.

Undecimus æneus, & extat in Muſeo Aliprando; ibi S. Ambroſius ſedens cum ferula, & baculo, circumſcriptis litteris S. AMBROSIVS MEDIOLANI. In poſtica integer anguis puerum vorans cum litteris I. M., & in circuitu IOHANNES. MARIA. DVX. MEDIOLANI &c.

Duodecimus aureus. In antica ſtemma Vicecomitum cum caſſide ſerpentis puerum vorantis habet, & litteras ad latus cum corona FI. MA. legitur epigraphe DVX MEDIOLANI &c. In poſtica figura equeſtris, ut in aliis ejuſdem Ducis Philippi Mariæ Vicecomitis. Illuſtriſſimus Comes Conſtantius de Abdua ſuppeditavit.

Decimumtertium pariter aureum ſervant Marchio Abbas Aliprandus, Comes de Abdua, ac Bibliotheca Ambroſiana. In antica S. Ambroſius cum mitra, & diademate, dexterâ ferulam, ſiniſtrâ baculum ferens, litteris circumſcriptis S. AMBROSIVS MEDIOLANI. In poſtica M. aream occupat, ſuperimpoſito ſcuto cum Cruce, litteris in gyrum expreſſis COMVNITAS. MEDIOLANI. Poſt mortem Philippi Mariæ Vicecomitis, Mediolanenſes in libertatem ſeſe aſſeruerunt, quam per XXX. menſes obtinuere. Eo tempore cuſum fuiſſe hunc nummum, effigies S. Ambroſii cum flagro ſatìs apertè oſtendit.

Decimumquartum nummum publici juris fecit Anno MDCCXVIII. Bartholomæus Curtius Phyſicus Mediolanenſis in Notit. Hiſtoricis Medicorum Mediolanenſium pag. 35. Eumdem æreum ſervant Marchio Theodorus Alexander Trivultius, & Comes Conſtantius de Abdua

ante

[illegible]. Pertinet ad Franciſcum Sfortiam, cujus effigies in antica cernitur, circumſcriptis litteris: FRANCISCVS SFORTIA VICECOMES DVX MEDIOL. IIII. Poſtica verò exhibet equidem in Urbem ingreſſum ſub pallio, acclamantibus undequaque civibus, ut manum deoſcularentur, quod contigit anno MCDL. IV. Kal. Martias. In circuitu legitur epigraphe: CLEMENTIA ET ARMIS PARTA.

Decimus quinctus argenteus exſtat in Muſeo Aliprando. Ibi S. Ambroſius mitratus ſedens cum ferula, & baculo, in poſtica aquilæ duæ, & duo angues cum litteris F. S. id eſt *Franciſcus Sfortia* DVX MLI. PAPIE ANGLERIEQVE COMES ✠.

Decimus ſextus aureus reperitur in eodem Muſeo. Ex una parte figura equeſtris cum enſe evaginato, & litteris ✠ F. S. DVX. MLI. AC CREMONE. DNVS, in altera parte caſſis cum ſerpente, & litteris F. S., circumſcripto ✠ PAPIE ANGLERIEQVE. COMES.

Decimus ſeptimus argenteus ex Muſeo Aliprando depromtus, exhibet in antica effigiem Franciſci cum litteris ad latera F. S., in circuitu litterarum exprimitur parvus anguis, deinde DVX MLI PAPIE ANGLERIEQVE COMES. In poſtica S. Ambroſius cum mitra, ferula, & baculo, addito in circuitu S. AMBROSIV. MEDIOLANI.

Decimum octavum argenteum nummum majoris moduli Bibliotheca Ambroſiana ſervat, in quo viſitur ex una parte effigies Galeaz M. cum inſcriptis litteris: GALEAZ. M. SF. VICECOMES DVX. MEDIOLANI. QVIT. 1470. (Hic Annus in typo hujus nummi ab inciſore per incuriam omiſſus fuit) & caput mitratum S. Ambroſii. In poſtica leo ſedens in flammis, dexterâ tenens truncum cum ſitulis, caſſidato capite; ad latera inſculptis litteris GZ. M. cum corona ſuperpoſita. In circuitu legitur DVCALIS. MAIESTAT. ASSERTOR. HVMANI. GENERIS. DECVS. cum angue coronato.

Decimus nonus nummus argenteus ſervatur ab heredibus Antonii Reynæ, præfert iſte Bonæ effigiem capite velato cum litteris in circuitu: BONA. 7. IO. GZ. M. DVCE. MELI. VI. & capite mitrato S. Ambroſii. In poſtica Phœnix viſitur ſuper rogum cum lemmate: SOLA. FACTA. SOLVM. DEVM. SEQVOR. Poſt mortem Mariti, quæ contigit anno 1476. cuſus hic nummus.

Vigeſimus pariter argenteus penes eoſdem cum ſimili facie; ſed in poſtica effigies illius filii cum angue, ac litteris per gyrum GALEAZ. MARIA. SFORTIA. VICECOMES. Adeſt alter ſub eodem numero ſimilis moduli, ad Galeatium M. pertinens, in cujus poſtica ſtemma Vicecomitum cum coronâ, unde exeunt rami olivæ, & palmæ, & ad latera trunci ardentes, cum ſitulis, ac litteris: DVX MLI QVINTVS.

Vigeſimus primus argenteus ad Galeaz Mariam ſpectat, parum diſſimilis a jam deſcripto ſub numero XVIII., expreſſis in poſtica litteris: PAPIE. ANGLERIE. Q3. CO. AC. IANVE. DNS.

Vigeſimus ſecundus aureus ſervatur à Comite Conſtantio de Abdua. In antica caput Jo. Galeaz cum birreto. In circuitu caput S. Ambroſii cum inſcriptione: IO GZ. M. SF. VICECO. DVX. MLI SX. In poſtica ſtemma Vicecomitum ſimile edito in præcedentibus nummis, dempto quòd loco capitis S. Ambroſii adeſt Crux.

Vigeſimum tertium argenteum ſervat Marchio Abbas Aliprandus. In antica effigies Galeaz cum litteris GZ. M. In poſtica S. Ambroſius caballo inſidens cum mitra actu percutiendi ſcutica milites clypeatos, atque aſlatos fugientes, & S. AMBROSI.

Vigeſimus quartus aureus ſimilis vigeſimo ſecundo, niſi quod moduli aliquantulum parvioris, ac diverſâ in poſtica caſſidis anguiferæ delineatione. Extat apud heredes Antonii Reynæ.

Vigeſimus quinctus æneus ſervatur a Comite Conſtantio de Abdua, in cujus antica viſitur caput Ludovici Mariæ cum litteris in circuitu: LVDOVICVS. M. SF. ANGLVS. DVX MLI. & capite S. Ambroſii mitrato. In poſtica Beatricis ejus uxoris imago, cum litteris: ✠ BEATRIX SF. AN. EST*enſis* DVX. MLI., & capite S. Ambroſii, uti ſupra.

Vigeſimus ſextus argenteus ex Muſeo Marchionis Abbatis Aliprandi depromtus, oſtendit in antica S. Ambroſium ſedentem cum mitra & diademate, ferula & baculo, circumſcripta epigraphe: FR. D. G. FRANCOR. R. In poſtica lilia Francorum cum duobus anguibus puerum vorantibus, litteris in gyrum ſcriptis MEDIOLANI. DVX. ET. C. ac capite mitrato S. Ambroſii.

Vigeſimus ſeptimus æneus in eodem Muſeo, ex una parte Salamandram exhibet inter flammas cum diademate ſuperimpoſito, & litteris: ✠ FRANCISC. D. G. FRANCORVM. REX. ex altera S. Ambroſium extenſo pallio ſtemma Ludovici tegentem, & lemmate MEDIOLAN. DVX. ET. C.

Vigeſimus octavus argenteus ibidem. In antica corona regalis, pendentibus hinc inde duobus palliis, & circumſcripto MEDIOLANI DVX ET CET. In poſtica ſtemma Regum Francorum cum tribus liliis; inſculptis ex utraque parte anguibus cum corona, & litteris: ✠ LVDOVICVS D. G. FRANCOR. REX.

Vigeſimum nonum argenteum ſervat Com. Conſtantius de Abdua, in cujus antica caput Ludovici cum epigraphe ✠ LVDOVICVS D. G. FRANCORVM REX. In poſtica S. Ambroſius equeſtris cum flagro, & litteris MEDIOLANI DVX, ac ſtemmate Regum Franciæ ſub equo.

Trigeſimus æneus ex Muſeo Aliprando ſuppeditatus fuit, exhibet in antica M. coronatum & ✠ MAXIMILIANVS. in gyrum. In poſtica verò Vicecomitum caſſidem cum litteris DVX MEDIOLANI.

Trigeſimum primum argenteum Maximiliani nummum habet idem Marchio Abbas Aliprandus. Ex una parte avis trunco inſidens cum alis elevatis, flammiſque in gyrum diſtributis. Ibi legitur Dux MEDIOLANI. ET. CET. In In altera parte viſitur ſerpens puerum vorans cum corona, & litteræ in circuitu exprimunt: MAX. MA. SFOR. VICECO. cum capite S. Ambroſii.

Trigeſimus ſecundus apud heredes Antonii Reynæ. In una facie Caroli V. effigies cum corona laurea, & litteris in circuitu: CAROLVS. V. AVG. IMP. CAES. In alio latere duæ imagines integræ Epiſcoporum, ſupervolitante columba, ſcriptis inferiùs nominibus; S. AGV*ſtini*. S. AMB*roſii*, & per gyrum TE. DEVM. LAVDAMVS.

Trigeſimus tertius argenteus penes eoſdem. In eo caput Caroli V. coronâ laureâ cum litteris: CAROLVS. V. AVG. IMP. CAES. In alia facie mulier ſedens capite velato, cum tropheis mi-

militaribus, & infra ſcripto PIETAS. In circuitu S.P Q. MEDIOL. OPTIMO.PRINCIPI.

Trigeſimus quartus argenteus ab iiſdem communicatus, habet in uno latere Caroli V. effigiem, litteris circumſcriptis: CAROLVS. V. IMPERATOR. In alio S. Ambroſium ſtantem cum ferula & baculo, ad pedes ſcripto MLM., nempe *Mediolanum*, & per gyrum SANCTVS. AMBROSIVS.

Trigeſimum quinctum poſſidet Marchio Jacobus Fagnanus Patritius Mediolan. Ex una parte columnæ duæ erectæ, cum vitta circumvolitante, in qua expreſſum legitur PLVS VLTRA. ac diademate imperiali in vertice, circumſcriptis litteris CAROLVS V. IMP. Stemma hoc invenit poſt detectionem Indiarum Occidentalium Aloyſius Marlianus Mediolanenſis, quemadmodum colligitur ex Paulo Jovio in libro, cui titulus: *Dialogh. delle Impreſe*. In poſtica S. Ambroſius mitratus cum caſula, ferula, & paſtorali, ſcripto per gyrum S. AMBROSIVS.

Trigeſimus ſextus argenteus deſumtus ex Muſeo prælaudati Comitis de Abdua. In antica caput Franciſci Secundi cum birreto, circumſcriptis litteris FRANCISCVS SF. VICECO. DVX MEDIOLANI II. In poſtica caput Ludovici Mariæ cum anguibus ad latera, & literis in gyrum LVDOVICVS. M. SF. DVX. MEDIOLANI. 7. c. Adeſt etiam aureus ejuſdem moduli penes eundem equitem cum poſtica exprimente ſtemma Familiæ coronatum cum ramis olivæ, & palmæ; in lateribus trunci ardentes cum ſitulis, & litteris DVX. MLI. SECONDVS. in vertice caput S. Ambroſii medium inter litteras S. A.

Trigeſimus ſeptimus apud heredes Antonii Reynæ. Hic nummus aureus oſtendit caput

A barbatum cum litteris in circuitu: ✠ FRANCISCI. SF. II. DVCIS. MLI. In altera parte buſtum mitratum S. Ambroſii cum litteris: S. AMBROSIVS. ARCHIEP. MEDI.

Trigeſimum octavum, uti & ſequentem, ſervant iidem. Ibi figura equeſtris, enſe evaginato, cum litteris: FRANCISCVS SFORTIA II. In averſa facie ſtemma Familiæ cum corona, & litteris: DVX MEDIOLANI 7. c.

Trigeſimus nonus argenteus ſervatur in Ambroſiana Bibliotheca. Viſitur in area effigies Franciſci II. cum litteris in circuitu: FRANCISCVS II DVX MEDIOLANI ETc. ✠. In poſtica arbor frondoſa vento ſpirante cum lemmate: NEC SORTE NEC FATO, & in ſum-

B mitate caput S. Ambroſii mitratum.


Quadrageſimum, ac duos poſteriores humaniter oſtendit Marchio Abbas Aliprandus. Exhibet hic nummus æneus in anteriori facie S. Ambroſii buſtum mitratum cum flagro, & paſtorali, litteris circumſcriptis ✠ SANCTVS AMBROSIVS; in poſteriori viſitur corona cum ramis olivæ, & palmæ, ac litteris: FRANC. SECVNDVS DVX MLI.

Quadrageſimus primus argenteus præfert in antica tres monticulos cum floribus inſurgentibus, & lemmate: FRANCISCVS SECVNDVS; in poſtica ſtemma Familiæ cum litteris ✠ DVX MEDIOLANI &c.

Quadrageſimus ſecundus æreus ſignatur ex


C una parte coronâ cum ramis palmæ, & olivæ, circumſcripto lemmate: ✠ FRANCISC*us* SECVNDVS; ex altera ſtemmate Familiæ Sfortiæ, additis ad latera F. II. (nempe *Franciſcus Secundus*) circumpoſitis litteris DVX MEDIOLANI &c.

MEDIOLANUM.



Rr XII.


XII
XIII
XIV
XV
XVI
XVII
XVIII
XIX
XXII
X X
XXIII
XXIV
XXI
XXV
XXVI
XXVII
XXVIII
XXIX



L U C A.

PRogrediamur ad Lucenſem Urbem , quæ olim uti caput Tuſciæ Langobardicæ, prout jam Par. I. Cap. XVII. pag. 154. Antiquit. Eſtenſ. monui, ſub imperio Langobardorum prærogativâ Monetæ frui cœpit , eamque ſub Francis ac Germanis per ſubſequentia Sæcula retinuit, ita ut non celebris minus eſſet *Lucenſis* , quàm *Papienſis* pecunia . In Charta Anni DCCXLVI. a me producenda in Diſſertatione LXXIV. *de Parochiis* , memorantur *auri Solidi boni Lucani numero centum* . Item in altera exarata *Anno Primo Aiſtulfi viro Excellentiſſimo Rege Indictione III.* ideſt Anno Chriſti DCCL. Tanualdus Presbyter Walprando Epiſcopo Lucenſi pollicetur, ſe rite famulaturum Eccleſiæ Sancti Reguli in Waldo, *ſub pœna CC. Solidorum bonorum Lucenſium*. In ea Civitate quum

A olim eſſem, Nummus mihi oſtenſus eſt, in cujus antica parte legebatur DN. AIST. REX, ideſt *Domnus* ſeu *Dominus Noſter Aiſtulfus Rex*; circa Annum Chriſti DCCLI. percuſſus . In poſtica erat FLAVIA LVCA, quo titulo ornatam quoque Mediolanenſem Urbem ſupra vidimus. Teſtatur etiam Le-Blancus, ſibi æreum Numiſma fuiſſe *Deſiderii* Langobardorum *Regis* cum FLAVIA LVCA. Et eum quidem alteri ſimilem puto , quem Angelus Breventanus Ticinenſis in Arbor. Genealogic. Reg. Langobardor. edidit , atque ego conſpiciendum omnibus infra exhibebo .

Itaque Primus Nummus argenteus ab Huberto Benvogliento Patricio Senenſi olim mihi indicatus , ad quem Regum ſpectet , ignoro . Nam antica pars præfert Crucem , atque epigraphen nimium peregrinam, ſcilicet VIVIVIVIVIVIV. Vide infra ſimilem in Num-

nus Pilœus. Poſtica habet Stellam cum literis FLAVIA LVCA. Sed quum eadem Crux & Stella occurrant in ſubſequenti Nummo, fortaſſe hic referendus erit ad Deſiderium Regem.

Secundus Nummus a Bevilaquio evulgatus, Crucem habet in medio cum literis DN. DESIDER. REX, hoc eſt Dominus noſter Deſiderius Rex. In poſtica FLAVIA LVCA. Percuſſus fuit circiter Annum Chriſti DCCLVII.

Tertium deſcribit Le Blanc. Ibi Crux cum epigraphe CARLVS REX FR. Altera facies exhibet ejuſdem Regis Monogramma, idest CARLVS, vel CAROLVS, ac ſimiliter LVCA. Percuſſus fuit circa Annum Chriſti DCCLXXV. poſtquam Carolus Langobardorum Regnum ſibi ſubjecerat.

Quartum protulit idem Le Blancus. Ibi legitur DN CARVLVS REX, & in altera parte FLAVIA LVCA.

Uſque ad tempora Ottonis Magni Auguſti nullus alius Lucenſium Nummus ſe mihi obtulit. Ad ipſum vero Ottonem, aut ad ejus filium Ottonem II. aut ad Tertium, nepotem, pertinere videtur Nummus Quinctus Minor in Muſeo Bertacchinio exiſtens. Ibi LVCA in medio, & circum OTTO IMPERATOR. In poſtica effigies Sancti Petri cum literis S PETRVS. Poſt Annum Chriſti DCCCCLXII. cuſus hic Nummus.

Sextus a prælaudato olim Huberto Benvoglieno ad me miſſus, in area exhibet Monogramma Ottonis Auguſti, quo exprimuntur hæ literæ OTTO. In limbo legitur IMPERATOR. In poſtica habetur LVCA, & in circuitu OTTO PIVS REX.

Septimus Nummus, quem ego adſervo, habet in medio LVCA, in circuitu EINRICVS, & in poſtica IMPERATOR cum Siglis in medio, de quibus infra. Ad quemnam e ſex *Henricis* Auguſtis ſit iſte referendus, nemo facile decernat.

Octavus in Muſeo Bertacchinio, & Nonus in eodem, atque in Chiappinio Placentiæ, perquam ſimiles quidem, ſed non iidem ſunt. Habes in præcedenti horum quoque explicationem. Neque in hoc loco prætermittam Ptolomæi Lucenſis Hiſtorici verba in Annalib. brevib. ad Annum MCLV. *Fridericus*, inquit, *Imperator conceſſit, ſive confirmavit Lucenſibus Monetam eis conceſſam per ſuos antecesſores Imperatores*. Tum ad Annum MCLXXX refert, Bononienſes fidem ſuam obligaſſe *de Moneta Lucenſi tenenda & expendenda per Civitatem Bononiæ & totam ſuam fortiam*. Sequenti autem Anno *Lucius Papa natione Lucenſis* (ſi eidem Ptolomeo credimus) *conceſſit Lucenſibus Monetam cudendam; quam Civitatem ſummo commendans, omnibus Civitatibus Tuſciæ, Marchiæ, Campaniæ, & Romaniolæ, & Apuliæ in Moneta præpoſuit. Unde dicta Moneta ab illo tempore in prædictis partibus magis fuit uſualis*. Animadvertit autem idem Hiſtoricus, *duas Monetas antiquis temporibus magis cucurriſſe in Italia*, nempe in Lombardia, *Papienſem*, favente Friderico I., *Lucenſem* vero, *ubi Tuſcia magis dominabatur, & quod dicta Civitas Romanæ Eccleſiæ ſemper fuit ſubjecta*. Pace ſit Ptolomæus: fieri non poteſt, ut Romanus Pontifex Lucenſibus *conceſſerit* jus Monetæ cudendæ; neque enim Pontificii umquam juris in temporalibus ea Civitas fuit. Ad Imperatores autem pertinebat ejuſmodi facultatem largiri: quod & factum tamdiu antea, & modò vidimus a Friderico I. ad Annum MCLV. confirmatum. Neque ſcribendum erat, Lucam *Romanæ Eccleſiæ ſemper fuiſſe ſubjectam*. Fidelis & obſequens utique fuit, non autem ſubjecta. Ceterum non ævo tantum Friderici, ſed per antecedentia Sæcula, ut jam monuimus, Moneta Papienſis & Lucenſis in uſu Italiæ fuit, quippe perſpectum apud eas Civitates jus viguit percutiendæ Monetæ.

Decimum Nummum debeo Dominico Vandellio Mutinenſi ſupra mihi laudato. Ibi legitur in circuitu OTTO REX, & in medio Siglæ, ut ſupra. In altera Nummi facie, vultus hominis cum epigraphe S. VVLT. DE LVCA, idest *Sanctus Vultus de Luca*. Ligneam nempe figuram hominis e Cruce pendentis Lucenſes in Majori Templo ſumma veneratione cuſtodiunt, per quam Divini Salvatoris noſtri veram effigiem referri vetus fama tradit, opus nempe, ut ſibi perſuadent, Sancti Nicodemi, non ſine prodigio ad Lucenſem Urbem delatum. Ego nihil magis, quàm Statua illa, ab imagine ac formâ Chriſti Redemtoris alienum vidi. Neque aliter viſum Fratri Nicolao Siculo Ordinis Minorum, doctiſſimo Theologiæ Magiſtro, qui, uti narrat Francus Sacchettus Auctor Sæculi XIV. Cap. 73. Novell. in publica concione de Facie Chriſti Domini dicebat: *Non è fatta, come la Faccia del Volto Santo, che è colà: che ben ci vegno a crepare, ſe Criſto fu coſi fatto*. At quamquam inter fabulas numeranda ſit illius fabrica atque translatio, famæ tamen antiquitas, & Imaginis illius vetuſtiſſima veneratio ac celebritas, Lucenſibus non eſt deneganda. Nam vel Sæculo Chriſti Undecimo Guillelmus II. Angliæ Rex *per Sanctum Vultum de Luca* jurare conſuevit, ut ex Guillelmi Malmesburienſis Hiſtoriæ Libro quarto, atque ex Eadmero Lib. primo & ſecundo Hiſtoriæ conſtat. Gallicus quidam Auctor in Libro, cui titulus *Les Amenitez de la Critique*, cenſet, Anglicum illum Regem juraſſe *per Sanctum Vultum Chriſti Domini pictum a Sancto Luca*. A vero declinaſſe illum arbitror. Porro ſolemne fuit Lucenſi Populo Vultum hunc ſanctum in ſuis Nummis exprimere: quod quando primùm factum fuerit, prorſus ignoro. *Otto* heic memoratus, fortaſſis eſt *Otto III.* qui multos annos Regio dumtaxat titulo in Italia eſt dominatus, ac tandem Romæ Anno Chriſti DCCCCXCVI. Imperator eſt renunciatus. Si quis tamen malit *Ottonem IV.*, qui Lucenſes multis privilegiis ornavit, non obſiſtam. Certe Vultus ſanctus in Nummis antiquis Lucenſium frequens ſpectatur. Vidi ejuſdem Urbis Nummulos æreos (*Seſini* appellamus) poſtremis hiſce temporibus percuſſos, in quibus LIBERTAS legitur, & in circuitu OTTO REX. Quæ indicant, ad unum ex Ottonibus referri a Lucenſibus facultatem pecuniæ ſignandæ: quod Genuenſes quoque per complura Sæcula fecere, ut infra monebo, *Conradum Regem* in ſuis Nummis ſignantes.

Undecimus argenteus apud Abbatem Chiappinium Placentiæ adſervatus, Siglas ſupra viſas exhibet in medio, ſed ita ut videantur non duo T., ſed veluti geminæ Columnæ cum transverſo chlatro eas colligante. Attamen ſi contendas, Monogramma Ottonis ibi deſignari, non repugnabo, quamquam eadem Sigla, ut ſupra vidimus, occurrat in Nummis Henrici Auguſti. In circuitu legitur OTTO REX. In poſtica effigies Lucenſis Imaginis cum ſupra relata epigraphe *Sanctus Vultus de Luca*.

Duo-

Duodecimus Nummus argenteus in Muſeo Bertacchinio Mutinæ, atque in Chiappinio Placentiæ a me viſus, *Ottonem*, non *Regem*, ſed *Imperatorem* prodit. Ibi in medio LVCA, in limbo OTTO IMPERATOR. In averſa parte Imago cum literis SANTVS VVLTVS. Incertum, indicetur-ne OTTO IV. heic, an aliquis e tribus præcedentibus Auguſtis ejuſdem nominis.

Decimustertius argenteus apud amicum olim meum Hubertum Benvoglientum Senenſem, in area habet ſive Monogramma Ottonis, nempe duo TT. colligata, ſive columnas duas, cum palmula ſubjecta. In limbo eſt OTTO REX. In poſtica Imago cum literis S. VVLT*us De* LVCA.

Decimus quartus apud eumdem Benvoglientum, præcedenti ſimilis eſt, niſi quod ſuper Monogramma viſitur Aquila.

Decimus quinctus Mutinæ in Muſeo Bertacchinio adſervatus Aquilam præfert cum epigraphe OTTO REX. In poſtica L aream implet, & in limbo LVCA IMPERIALIS.

Decimus ſextus Mutinæ adſervatus apud olim Angelum Blancum Sacerdotem. Ibi inſignia Reipublicæ Lucenſis, nempe in Scuto coronato LIBERTAS cum literis OTTO IMPERATOR. In poſtica effigies Epiſcopi cum epigraphe SANCTVS PAVLINVS, Epiſco-

A pus & Protector Lucenſium. Atque hactenus Nummos quoſque, mihi viſos, ad Lucam ſpectantes, congeſſi, in quibus *Ottonis Regis*, aut *Imperatoris* mentio eſt: non quod omnes percuſſi fuerint, dum Ottones imperarent, aut unus ſaltem ex iis regnaret. Sunt in his nonnulli longe ſerius ſignati: quippe repeti conſuevit in Nummis Ottonis nomen, qui privilegium Monetæ conceſſerat, aut reſtituerat.


Decimus ſeptimus, Decimus octavus, & Decimus nonus ad *Carolum IV. Imperatorem* ſunt referendi, qui Reipublicæ Lucenſi Sæculo Chriſti Decimoquarto Libertatem diu ereptam reſtituit. Mutinæ adſervantur, neque explicatione indigent. Mihi, dum Lucæ forem, ſigni-

B ficavit amicus quidam meus, ſibi viſum ejuſdem Civitatis Numiſma, in circuitu hunc verſiculum habens:

„ LVCA POTENS STERNIT,
„ SIBI QVÆ CONTRARIA CERNIT.

Vereor, ne Sigillum pro Numiſmate amicus ille acceperit. Liberarum quippe Civitatum mos fuit Sæculo præſertim Tertiodecimo epigraphes loco Leoninum aliquem Verſiculum ſuis Sigillis addere, ut ex aliis exemplis liquet, quæ inferius in Diſſertatione *de Sigillis* commemorabo.

L U C Æ.




XVI




XVII



XVIII



XIX



PRINCIPES BENEVENTANI ET SALERNITANI.

SED præter haſce tres Italici Regni Urbes, *Ticinum* videlicet, *Mediolanum*, & *Lucam*, olim Duces quoque & Principes Beneventani pecuniam cudiſſe deprehenduntur. Splendida plane fuit barbaricis temporibus illius Ducatus dignitas, amplitudo atque potentia, utpote qui potiorem partem Regni nunc Neapolitani complecteretur. Attamen dum ſtetit Langobardorum Regnum ſub ſuis Regibus, numquam induxiſſem animum ad credendum, licuiſſe Ducibus illis ſignare Nummos, niſi ex iis unum nobis in Stemmate Genealogic. Reg. Langobardor. ſervaſſet Angelus Breventanus, quem heic ſiſto ſub num. I. Viſitur ibi effigies hominis cum Cruce, ac duabus Stellis, & in poſticâ altera Crux cum Monogrammate, ideſt cum literis OGRE, ſeu GREO, quæ idem Breventanus interpretatur *Gregorius*. Anno revera DCCXXXI. Beneventanæ provinciæ præfuit *Gregorius Dux* regnante tunc Liutprando Rege. Et ſane in eo Monogrammate ne ego quidem alium legere potui, niſi *Gregorius*. Verùm durum adhuc mihi videtur credere, tantum auctoritatis fuiſſe Ducibus Beneventanis, ut ſub Rege Langobardo, quem uti ſupremum Dominum colebant, & a cujus imperio pendebant, pecuniam cuderent unâ ſui effigie ſignatam, nullâque Regis factâ mentione. Illud contra exploratum eſt, ex quo excidit Langobardorum Regum dominatio Anno DCCLXXIV. Regnumque Italicum Carolo Magno Francorum Regi parere didicit, Arichiſum Beneventanorum Ducem, quum ſe liberum a veteri Domino agnoſceret, ne novo ſubderetur, quantis potuit viribus fuiſſe luctatum. Quare is omnia Regis, præterquam nomen, jura ac ornamenta arripuit, atque inter illa, ut videtur, Monetam; ſeque non amplius *Ducem*, ſed *Principem*, hoc eſt ſupremum Dominum Beneventanæ ampliſſimæ Provinciæ deinceps inſcripſit. Pares animos a parente accepit Grimoaldus III. ejus filius; quamvis enim poſt mortem patris a Carolo Magno, apud quem obſes erat, dimiſſus eo pacto fuiſſet, *ut Chartas, Nummoſque ſui nominis* (ideſt Caroli) *characteribus ſuperſcribi ſemper juberet*, uti Anonymus Salernitanus, & ex eo Camillus Peregrinius in editione Erchemperti, teſtatur: is nihilominus promiſſa brevi eſt oblitus. In *ſuis aureis* (ita idem Erchempertus ſcribit) *ejus nomen aliquandiu figurari placuit; mox pacta pro nihilo duxit obſervanda*.

Ejuſdem Grimoaldi Tertium Nummum Le-Blancus produxit, quo Salernitani Scriptoris ſententia confirmatur. Eum conſpice Num. II.

A Ibi habes effigiem Principis Crucem ſupra caput gerentis cum literis GRIMVALD. In altera facie Stemma crucigerum more Nummorum temporibus iis Conſtantinopoli cuſorum. Hinc G. vel S. & inde V. Subtus VII. In circuitu DOMS CARLVS R. ideſt *Domnus Carlus Rex*. Liceat tamen dicere: Nummum hunc non ſatis exacte expreſſiſſe videtur Le-Blancus. Ejus ectypon accuratiùs deſcriptum antea dederat Breventanus. Illuſtriſſimus etiam Eques Pius Nicolaus Garellius Auguſtiſſimi Imperatoris Caroli VI. Bibliothecæ Præfectus, ejuſque Archiatrus, & a Conſiliis, Nummum eumdem aureum in ſuo Muſeo adſervans, ſimile alterum ejuſdem ectypon ad me miſit. Sed & eum-
B dem accepi ex Muſeo Sabbatinio Romano. Quare Nummum ipſum percuſſum circiter Annum Chriſti DCCLXXXVII. rectiùs expreſſum Num. III. Lector accipiat. In altera facie legitur DOMS. CAR. R̷. ideſt *Domnus Carolus Rex*; hinc inde S. R. quas literas, dum meliora adferant alii, interpretor *Sacra Religio*, quum in aliis *Chriſtiana Religio* occurrat; vel ſi mavis *Salus Regni*. In imo non *VII.* ſed VIC. legitur, ideſt *Victoria*, quo nomine inſigniti ſunt & alii Nummi.

Verùm non diu Grimoaldus promiſſis ſtetit, ut dixi, immo *rebellionis jurgium initiavit*, uti Erchempertus Cap. 4. Hiſtor. teſtatur. Quamobrem viſitur alter ejus Nummus aureus ſine
C *Caroli* nomine. Eum produxit Breventanus, qui & *pondus ſeſqui drachmæ* ei tribuit. Idem quoque Numiſma in Muſeo Sabbatinio Romæ adſervatur. Illud vide heic infra Num. IV. Antica Principis imaginem præfert cum epigraphe GRIMVALD. In poſtica Crux, & S. R. & literæ VICTOR. PRINCIP. ideſt *Victoria Principum*: quæ epigraphe tunc familiaris in Numiſmatis; niſi velis *Victoria Principibus*.

Quinctus Nummus aureus Romæ in prælaudato Muſeo Sabbatinio exſiſtens, ad *Siconem Principem Beneventanum* ſpectat, qui Anno Chriſti DCCCXVII. Grimoaldo IV. ſucceſſit. In antica viſitur imago Principis, globum crucigerum ſuſtinentis, cum epigraphe SICO
D PRINCES. In averſa parte Sancti Michaëlis effigies, patroni videlicet, ut antea monui, Langobardicæ gentis, ſive Regni. In circuitu literæ MIHAEL ARHANGELV. ONO, fortaſſe CONOB. Parvulum etiam Monogramma Chriſti in area conſpicitur.

Sextus Nummus argenteus deauratus Mutinæ habetur in Muſeo Alexandri Bertacchinii. Ibi effigies Principis, Diadema, ſive Coronam margaritis ornatam cum Cruce ſuperpoſita geſtantis. Circumſtant literæ SICO PRINCE. In poſtica Crux cum duplici tranſtro, & hinc inde Ƨ. C. quas interpretor *Salus Chriſtiano-*

rum. In limbo legitur S. MICHAEL ARHANGELV.


Septimus Nummus aureus in Muſeo Sabbatinio Romæ exſiſtens, *Sicardum Principem* exhibet, qui Anno Chriſti DCCCXXXIII. Siconi patri ſucceſſit. Ejus effigies viſitur cum literis SICARDV. In altera facie Crux Græcorum nummorum ad inſtar cum literis hinc inde S.I. quæ fortaſſe ſignificant *Salus Imperii*. In circuitu VICTOR. PRINCIP. CONOB. uti in Græcis Nummis.

Scripſit ad me ex Urbe, quum in vivis eſſet, P. Eduardus de Vitry e Soc. Jeſu, vir doctiſſimus, & Nummariæ peritiſſimus, atque inſignis Muſei inſtitutor, ad ſe delatum fuiſſe Nummum ex ære inaurato, quem pro aureo incaute acceperat. Ibi effigies erat Principis, qualem in Sicardo conſpeximus, cum inſcriptione SICONOLFVS, & in averſa eadem Crux cum literis S. I. & VICTOR. PRINCIP. CONO. Is eſt *Siconolfus* Princeps primus Salerni, inter quem, & Radelchiſum Beneventi Principem Anno Chriſti DCCCXL. teterrimum bellum exarſit, in longum tempus productum, & Beneventani Ducatus diviſione tamdem compoſitum.

A Octavum Nummum publici juris fecit Le-Blancus. Ibi Crux cum literis HLVDOVICVS IMPR. Is eſt *Ludovicus II.* Auguſtus Lotharii filius. In altera facie BENEVENTVM. Percuſſus Nummus circiter Annum DCCCLXXI. quo Imperator Beneventi verſabatur. Atque hinc etiam elucere poteſt, non defuiſſe Adelgiſo tunc Principi Beneventi querelarum cauſſam contra ipſum Ludovicum Auguſtum, quum iſte ita Beneventi dominatorem ageret, ut Adelgiſus contemtus, ac pæne excluſus videretur. En ab ipſo Auguſto Nummos Beneventi percuſſos, ſine ulla Adelgiſi Principis mentione. Erchempertum vide, ac Anonymum Salernitanum in Paralipomenis, Part. II. Tomi II. B Rer. Italicar. qui alia opprobria Beneventanis illata a Francis referunt; ob quæ male accidit Auguſto ipſi Ludovico, ignominioſe capto, ac ſub multis pactis tamdem dimiſſo.

Nonus Nummus æreus, in Muſeo Chiappinio Placentiæ adſervatus, ad *Giſulfum Salerni Principem* ſpectat. Ejus effigies conſpicitur cum epigraphe GISVLF. . . . . In poſtica Urbis aſpectus ſuperpoſitis literis CIVITAS SAL. Giſulfus-ne Primus, an Secundus, heic deſignetur, ignoro. Nullum alium hactenus eorum Principum Nummum videre mihi contigit.

PRINCIPUM BENEVENTANORUM, ET SALERNITANORUM.



PRINCIPES NEAPOLITANI.

Inclyta quoque Civitas *Neapolis*, ab antiquitate, amplitudine, ac venuſtate ſumme commendanda, & nunc nobiliſſimi Regni caput, quam ſibi ſubjicere nulli umquam licuit Langobardorum Regum & Principum Beneventanorum, jus Monetæ ab antiquis Sæculis ſervat, eoque uſi ſunt Duces, ſive Magiſtri Militum, ibi dominantes, de quibus actum eſt in Diſſertatione V. *de Ducibus*. Nummos nonnullos ab iis percuſſos congeſſit, & mihi ſuppeditavit N. V. Ignatius Maria Como Patricius Neapolitanus, humaniorum literarum cultor egregius, & ſingularis amicus meus.

C Primus æreus incertum eſt, quo tempore fuerit cuſus. Ibi effigies viſitur *Sancti Januarii Martyris*, ac celeberrimi Neapolitanorum Patroni, cum literis SCS IAN. In poſtica Crux cum literis S. T. ideſt *Salutis Trophæum*. Mentionem hujus Nummi fecerunt Scriptores Neapolitani, Hieronymus de Sancta Anna Carmelita Excalceatus in Vita Sancti Januarii, Tutinus, Caracciolus, & alii.

Secundus æreus quoque, quo anno percuſſus fuerit, ignotum prorſus eſt. Ibi ejuſdem Sancti Martyris effigies conſpicitur, cum literis SC. IA. In poſtica Crux cum literis Græcis ΝΕΑΠΟΛΙC, ideſt *Neapolis*.

Tertius pariter æreus effigiem perhibet ejuſdem

dem Sancti, cujus e collo pendet ſtola cum literis in pectore SIS, quas, donec alii propius vero me doceant, interpretari lubet *Sanctus Januarius*. In limbo legitur [illegible], literis, ut nunc dicimus, curſivis, idest, ut conjicio, [illegible]. Sed cur Sanctum illum Martyrem titulo *Apoſtoli* donare voluerint Neapolitani, divinare nondum potui. In poſtica epigraphe viſitur, rudibus Græcis literis efformata, hoc eſt, [illegible]. Communis Neapolitanorum ſententia eſt, deſignari his verbis *Liberationem Urbis ab immani incendio montis Veſuvii*. Videtamen quam bene ſcripta fuerint [illegible] & [illegible]. Quod certum mihi videtur, accentus ac ſpiritus appoſiti, ipſique errores, & forma characterum, non multam Nummi antiquitatem produnt.

Quartus aureus eumdem Sanctum Januarium exhibet ſtolatum, cum literis SIS in pectore, & in limbo SANCTVS IANVARIVS. Poſtica Crucem habet cum epigraphe Græca ΝΕΟ-ΠΟΛΙΤΑΝ, ubi A pro Π. ſunt impreſſum. hoc eſt, *Neapolitanorum*.

Quinctus æreus effigiem parum a præcedenti abſimilem præfert cum literis SCS IANV. In averſa facie viſitur imago *Sergii Ducis Neapolitani*, globum terraqueum, Cruce ſuperpoſitâ ornatum, ſiniſtrâ geſtantis. Additur & aſteriſcus. Ad latera diſpoſitæ ſunt literæ SERGIV DVX. Uti me monuit prælaudatus Comes vir doctiſſimus, multa eſt inter Scriptores Neapolitanos concertatio, cui tribuendus ſit hic Nummus. Quinque enim ejuſdem nominis Sergii Duces Neapoli imperarunt. Franciſcus de Petris in Hiſtor. Neapolit. & nuper memoratus P. Hieronymus de Sancta Anna, cenſent Sergium eximium Principem Sancti Athanaſii Neapolitani Antiſtitis patrem heic deſignari, qui Anno DCCCXL. floruit. Verùm Cl. V. Nicolaus Carminius Falco, nunc Epiſcopus Martoranenſis, in Vitâ Sancti Januarii Italice ſcriptâ, veri putat ſimilius, referendum eſſe Nummum hunc ad *Sergium III.* Neapolis Ducem, qui *Protoſebaſti* titulum a Græcis Auguſtis ſibi comparavit.

A Sextus Nummus æreus, a perquam rudi artifice cuſus, ſed perrarus, a mei amantiſſimo Abbate D. Alexandro Chiappinio Placentino ad me miſſus fuit. Perquam ſimilis præcedenti eſt, niſi quod heic *Sergius* dexterâ Crucem tenet. Eadem utrobique inſcriptio, ita ut veri ſimile videatur, ad unum eumdemque Sergium pertinere & iſtum Nummum.

Septimus æreus effigiem Sancti Januarii præcedentibus ſimilem nobis oſtendit, cum literis SCS IAN. In poſticâ ſculpta habetur imago Epiſcopi cum literis ad latera poſitis ATHA EPS, idest *Athanaſius Epiſcopus*. Is eſt Athanaſius junior Neapolitanorum Antiſtes ſimul & Dux, qui Anno Chriſti DCCCLXXX. propter

B fraudes & vitia non pauca famoſus evaſit.

Octavus Neapoli a P. Dominico Putignano Soc. Jeſu, antiquitatum ſtudioſiſſimo adſervatur. Quum fere in omnibus præcedenti ſit ſimilis, novâ explicatione non indiget.

Atque hactenus Neapolitani veteres Nummi, quos congerere potui. Nulla mihi dubitatio eſt, quin eorum ſyllogen augere facillimum ſit. Alios quoque nondum a me viſos procudiſſe mihi creduntur *Principes Salernitani*, & *Capuani*; & aliquem ex poſtremis proditurum aliquando mihi ſpes eſt, ex quo Alexius Symmachus Mazochius Canonicus Capuanus V. Cl. antiquitates celebratiſſimæ Patriæ ſuæ illuſtrare pergit. Præterea veri ſimile mihi videtur,

C *Surrentinos*, & præſertim *Amalphitanos*, olim pecuniam ſignaſſe. Auctor eſt Franciſcus Panſa Juriſconſultus in Hiſtor. Amalphitan. Neapoli Anno MDCCXXIV. impreſsâ, Tarenos aureos ab Amalphitanis fuiſſe percuſſos, uti & majores aureos, in quorum altera facie viſitur Leo cum literis GLORIA ROMANORVM; & in altera Rhinoceros cum epigraphe QVIES REIPVBLICÆ. Tradit etiam, Johannem Baptiſtam Manſum, Marchionem Villæ, & Patricium Amalphitanum, virum celebrem, in poſtremis tabulis ſuis reliquiſſe Nummum Amalphi percuſſum, in quo hæc inſcriptio legebatur: MANSO DVX ET PATRICIVS. Hic Anno Chriſti DCCCXCII. Reipublicæ Amalphitanæ præfuit.

PRINCIPUM NEAPOLITANORUM.



PRINCIPES, ET REGES NEAPOLIS, ATQUE SICILIÆ.

SUcceſſere tamdem Sæculo Chriſti Undecimo in Apulia, Calabria, & Sicilia, Principes Nortmanni, qui mirabili rerum ſucceſſu, induſtriâ, ac fortitudine, tum Græcis, variiſque Principibus Chriſtianis regionem eripuere, quæ nunc ſub Regni Neapolitani nomine venit, tum Saracenis integrum Siciliæ Regnum. Iſtorum verò Principum Nummos, aliorumque etiam Regum, qui Regnum Neapolitanum poſt eos tenuerunt, collegit, atque Anno MDCCXV. Romæ evulgavit Cæſar Antonius Vergara, ex cujus labore proficere in præſentia non dubitabo, additis, quæ apud illum deſiderantur.

Rogerius I. Siciliæ Comes, & Rogerius II. Comes, Dux, & Rex.

ITaque primò apud eumdem Vergaram occurrit Nummus æreus, rudis plane ac informis, in cujus antica viſitur Princeps equo inſidens, haſtam in humero geſtans, e qua vexillum pendet, cum epigraphe ROGERIVS COMES. In poſtica imago Beatæ Virginis in cathedra ſedentis, & Chriſtum infantem tenentis in ulnis. Circumducitur inſcriptio MAIRIA MATER DMI, ideſt *Domini*.

Secundum Nummum æreum ignoravit Vergara. Illum adſervat in ſuo Muſeo Placentiæ amiciſſimus Abbas Chiappinius. Viſitur ibi idem Princeps in equo ſedens, cum his literis in circuitu ROGERI COM. In averſa facie Virgo humi, ni fallor, ſedens cum infante Jeſu, tam imperite efformato, ut nihil rudius excogitari poſſit. Ibi epigraphe eadem MARIA MATER *Domini*.

Tertium ſimilem priori profert Vergara; qui explicatione non indiget. Tres verò hoſce Nummos incertum eſt, quiſnam percuſſerit, *primus*-ne *Rogerius*, hoc eſt frater ſtrenuiſſimus Roberti Guiſcardi Ducis, Anno Chriſti MLXXI. Panormo potitus, an ejus filius *Rogerius II.* qui primo *Comitis* titulo eſt uſus, tum Anno Chriſti MCXXX. *Siciliæ ac Apuliæ Rex* fuit coronatus. Certe ſequentes Nummi a præcedentibus nimirum diſſimiles, deſignare etiam videntur diverſos Principes.

Quartus, & Quinctus, ambo ærei, Crucem gemmatam præferunt cum epigraphe ROGE COME. In poſtica ⊥ inverſum, quo fortaſſis indicatur *Trinacria*. Fieri poteſt, ut hi ſint referendi ad *Rogerium II.* poſtquam patri ſucceſſit in dominatione Siciliæ.

Sextus eſt Nummulus æreus, ab eodem *Rogerio II.* percuſſus, ex quo Regios titulos aſſumſit Anno MCXXX. Ibi epigraphe ROGERIVS REX. In poſtica inſcriptio literis Arabicis concepta eſt; idque eâ de cauſsâ ab eo factum videtur, quod Arabica Lingua poſt diuturnam Sarracenorum Arabum dominationem in Sicilia, familiaris ibi evaſerit. Præterea bellum in Africam tulit, ibique Tripolim cepit. Haſce verò literas hoc eſt *Maleeh Sarir*, Latine reddas *Regis thronus*.

Septimus Nummus æneus epigraphen præfert ROGERIVS DVX, & in poſtica Deiparæ imaginem cum literis S. M. ideſt *Sancta Maria*. Et hunc ad eumdem *Rogerium II.* ſpectare cenſet Vergara, poſtquam ille Comitis titulo depoſito, *Ducis* alterum ſuſcepit. Atta-

A men diſſimilis omnino Nummi figura ſuſpicionem juſtam gignere poteſt, percuſſum Nummum a *Rogerio Apuliæ & Calabriæ Duce*, filio videlicet Roberti Guiſcardi Ducis, qui Anno Chriſti MCXI. vitâ functus fuit.

Alios etiam Nummos mihi inviſos percuſſiſſe traditur idem Rogerius Rex, hoc eſt, Ducatum vilis metalli. De eo quippe ſcribit Falco Beneventanus ad Annum Chriſti MCXL. *Edixit, ut nemo in toto ejus Regno viventium Romeſinas accipiat, vel in mercatibus diſtribuat. Et mortali conſilio accepto Monetam ſuam introduxit, unam verò, cui Ducatus nomen impoſuit, octo Romeſinas valentem, quæ magis magiſque ærea, quàm argentea probata tenebatur.* B *Induxit etiam tres Follares* (idem fortaſſe fuerunt ac *Folles*, de quibus in ſubſequenti Diſſertatione agetur) *appretiatos. De quibus horribilibus Monetis totus Italicus Populus* (ideſt Apuliæ & Calabriæ) *paupertati & miſeriæ poſitus eſt & oppreſſus.*

Guillielmus I. Guillielmus II. & Tancredus Siciliæ Reges.

PRimus Nummus argenteus in area hanc tantùm epigraphen præfert REX W. ideſt *Rex Willelmus*. Reliquæ literæ attritæ ſunt. In altera facie duarum Sanctarum mulierum effigies apparet: fortaſſis Chriſti Mater Eliſa- C betham viſitans.

Secundus Nummus aureus in area habet W. ideſt *Willelmus*. Subſequuntur binæ literæ, quas Vergara opinatur eſſe PV. vel PR. At mihi potius videntur RX. hoc eſt *Rex*. Circumſtant aliæ DVCAT APVL PRINCIPATVS CA. ideſt *Capuæ*. In poſtica ſupereſt tantùm APVLIE. H........

Tertius Nummus aureus minoris moduli Crucem præfert cum Græcis literis IC XC NIKA, ideſt *Jeſus Chriſtus vicit*. In limbo literæ Arabicæ adduntur, quæ fortaſſe nomen Regis indicant, ſed ob vetuſtatem exciſæ ſunt. Poſtica & ipſa Arabicis characteribus inſcripta erat, ſed cunctis ferme obliteratis; ita ut dumtaxat per conjecturam tribui poſſit alteri ex geminis D Regibus Siciliæ *Guillielmis*, quorum alter Anno Chriſti MCLIV. Rogerio patri in Regno ſucceſſit, alter verò Anno MCLXVI. Willelmo I. patri. Incertum quoque eſt, utri ex iis debeamus ambos præcedentes Nummos.

Quartus æneus *Willelmum II.* deſignare videtur, quum ibi inſcriptio ſit W. REX. II. Attamen ad *Willelmum I.* pertinere mihi creditur, qui ſe *Secundum* inter Reges appellat. *Primus* enim Rex fuit Rogerius illius pater. In poſtica tres Turres viſuntur cum literis S A quas ſuſpicatur Vergara deſignare nomen *Sancti Andronici*. Ego *Salernum* iis indicari conjicio.

E Quinctus argenteus arborem præfert, quam Palmam ſuſpicor, quippe uti ex Nummis a Paruta, & Spanhemio productis ediſcimus, Palma in antiquis Panormitanorum Nummis familiaris fuit. Literæ duæ W. R. indicant *Willelmum Regem*. In poſtica excidit epigraphe Arabica, uti & Latina in limbo, e qua tantùm ſupereſt SIC. Et iſte Nummus ad utrum e Regibus referendus ſit, non liquet.

Sextus æreus Crucem in area complectitur cum literis circumpoſitis W DEI GRA REX. In averſa facie area ædificium quadratum exhibet, figuram fortaſſe *Civitatis Cajetæ*, aut Caſtri in ea fabricati, quum appoſita legatur epigra-

graphen CIVITAS CAIETA. Et hunc ignoro, pertineat, an ſecundus Guillelmus Rex deſignetur.

Septimus Nummus æreus Crucem in area gemmis ornatam nobis oſtendit, cum epigraphe TANCRE. hoc eſt, *Tancredus*, in Siciliæ Regem electus Anno Chriſti MCLXXXIX. In poſtica medius viſitur T. indicans, ut arbitror, rurſus *Tancredi* ipſius nomen, coronâ ſuperimpoſitâ inſignitum. Circumſtant literæ REX SICILIE.

Octavus Nummus argenteus in area continet ejuſdem Regis nomen breviatum TANCREDVS REX SICIL. In limbo lemma DEXTERA DOMINI EXALTAVIT ME. In poſtica Arabicæ literæ, quas aliis interpretandas dimitto.

Nonus item argenteus eamdem præfert epigraphen TANCREDVS REX SICIL. Arabica inſcriptio poſticam implet, quam quidem ſicuti & præcedentem, cum per vetuſtatem fuerint eroſæ, & abſque mendis deſcriptæ, præſtare nolo.

Henricus V. inter Auguſtos. Fredericus II. Imperator. Conradus Romanorum Rex; & Manfredus Siciliæ Reges.

ANno Chriſti MCXCIII. & MCXCIV. *Henricus VI.* inter Germaniæ Reges, & *V.* inter Imperatores, univerſum Regnum Neapolitanum & Siculum ſibi ſubjecit, juribus *Conſtantiæ* Siculæ uxoris ſuæ uſus. Quare Primus æreus Nummus ipſum reſpicit. In antica viſitur Crux & epigraphe E. INPERATOR, ideſt *Enricus*. In poſtica cernitur Aquilâ cum literis C. INPERATRIX, ideſt *Conſtantia*.

Eorum filius in Regno utroque ſucceſſit Anno Chriſti MCXCIX. *Fredericus II.* puer, poſtea Imperator, a *Conſtantia* Sicula matre educatus. Proinde ad eos ſpectat Secundus Nummus, in cujus alterâ facie Crux, & CONSTANCIA. R. ideſt *Regina*. In altera occurrit Aquila & FREDERICVS. R. ideſt *Rex*.

Tertius æreus, poſt matris mortem percuſſus a *Friderico II.* Crucem ſimiliter præfert, ornatam literis F. DEI. G. REX. SICIL. In averſa facie acervus ſpicarum, ſi conjecturam Vergaræ audimus, aut flos, cum epigraphe DVCAT. APV. PR. CAP. ideſt *Ducatus Apuliæ, Principatus Capuæ*. Hic Nummus ante Annum Chriſti MCCXX. percuſſus fuit.

Quartus æreus, ab eodem Frederico II. cuſus poſt Annum MCCXX. quo Imperialem coronam Romæ ſuſcepit, immo & poſt Annum MCCXXIII. quo Hieroſolymitani Regni titulum eſt aſſequutus, in area habet FR. ideſt *Fredericus*, & in limbo ROM. IMPERATOR. In poſtica viſitur Crux cum literis IESA. ET. SICIE. R. ideſt *Hieruſalem & Siciliæ Rex*.

Quinctus æreus caput exhibet ipſius Frederici in area. Circumambitur literis F. ROM. IPR. SER. AVG. hoc eſt, *Fredericus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus*. Pars averſa habet Aquilam in area, & literas R. IERSL. ET. SICIL. hoc eſt, ***Rex Hieruſalem & Siciliæ***.

Sextus argenteus, Vergaræ minime notus, Placentiæ adſervatur in Muſeo Reverendiſs. Abbatis Canonic. Regular. Chiappinii. Ibi caput Principis diademate redimiti, cum epigraphe FRIDERICVS II. In averſa facie Crux cum literis ROM. IMP. AVG. Quum nulla heic ſit mentio Regni Hieroſolymitani & Siciliæ, ideo Nummus videtur cuſus ante Annum Chriſti MCCXXIII. Rara quoque eſt ibi *Secundi* appellatio addita nomini Frederici. Nummus fortaſſe percuſſus in Lombardia.

Septimus æreus Crucem in area exhibet cum literis F. IMPERATOR. In averſa parte viſitur caput Regis coronam geſtantis cum epigraphe REX. IERL. ET. SIC.

Octavus & Nonus ſimiles, ſunt *Auguſtales* Nummi, ſive *Aguſtari*, de quibus agam in ſubſequenti Diſſertatione, hoc eſt, aurei, affabre efformati ad imitationem veterum Romanorum Numiſmatum: qui quartâ parte unciæ auri conſtabant, ideſt eorum pondus æquabat Duplam Italicam minus 29. granis, ut nonnulli ſcribunt. At Johannes Villanius, cujus verba adferam in ſubſequenti Diſſertatione, minus ponderis hiſce Nummis tribuere videtur. In antica viſitur effigies Cæſaris Auguſti juvenis, radiatam coronam in capite deferentis. In altero Nummo eadem utique effigies conſpicitur, ſed capite laureâ coronâ redimito. Hæc ibi epigraphe CESAR AVG. IMP. ROM. In poſticâ exhibetur Aquila, & FRIDERICVS.

Quum verò Fredericus II. Anno Chriſti MCCL. finem vivendi feciſſet, ſucceſſit *Conradus* ejus filius, qui Anno MCCLII. Regnum Neapolitanum & Siculum tenuit. At brevi, hoc eſt Anno MCCLIV. vivere deſiit. Ad eum ſpectat Nummus Decimus æreus, in cujus area legitur COR. ideſt *Conradus*, & in limbo IERVSALEM. In averſâ parte Crux in area, & in circuitu literæ ET SICIL. REX.

Undecimus ad eumdem Conradum ſpectat. Crux viſitur in medio, & circum CONRADVS. Altera facies haſce literas exhibet IER. ET. SICIL. in medio REX.

Sublato e vivis Conrado, etſi Conradus junior ejus filius viveret, *Manfredus*, e Frederico II. & ipſe natus, ſed extra nuptias, ſimulatâ Conradini morte, Anno Chriſti MCCLV. utriuſque Siciliæ coronam ſibi impoſuit. Itaque ad eum ſpectat Duodecimus Nummus æreus, cujus antica hiſce literis inſignita eſt MAYNFR. REX. Crux in poſtica, & literæ SICILIE.

Ad eumdem *Manfredum* pertinere creditur Nummulus Tertius decimus, in quo effigies Principis cernitur, & in averſa parte duæ tantùm literæ R. M. quæ per conjecturam explicatæ reddunt *Rex Manfredus*, aut *Maynfredus*.

Carolus I. Provinciæ Comes & Siciliæ Rex.

NEapolitanum deinde & Siculum Regnum ſibi conquiſivit *Carolus I. Provinciæ Comes*, Sancti Ludovici Francorum Regis frater, poſt proſtratum, cæſumque in prœlio Manfredum Anno Chriſti MCCLXVI. Proinde is muneri Senatorio Urbis, ad quod præcedenti Anno a Romano Pontifice evectus fuerat, Regium nomen adjunxit. Plures ejus nomine percuſſi Nummi. Primus argenteus, uti & Secundus, figuram exhibent coronâ ornatam ſupra pulvinaria, aut ſupra ſellam, aut, uti videtur, ſupra duos Leones ſedentem, cum globo in dextera, & ramo olivæ in ſiniſtra. Claudius Molinetus in Muſei Pariſienſis Sanctæ Genevieſæ deſcriptione cenſet, Caroli ipſius vultum ac ſpeciem in ea effigie exhiberi. Etſi obſtare videtur Nummus alter Caroli II. ejus filii, uti & aliquot Nummi Roberti Regis infra adferendi, attamen æquius puto excogitare heic Romanæ Urbis effigiem ſeu typum, ac præ-

præcipue quum circumſtent literæ ROMA CAP. MVNDI, cujus nempe Civitatis Senator fuit Carolus ipſe Rex. In averſa parte Nummi nunc editi, Leonis imago cernitur; & ſupra eſt ſcutum cum Lilio inſigni Regiæ Familiæ Francorum, cui ſuperſtat Raſtrum ad diſtinguendos a primogenito filios Regum Francorum minores natu. In circuitu KAROLVS. S. P. Q. R. ita ut intelligas, ambos hoſce Nummos, Anno MCCLXV. percuſſos, antequam Carolus Regio titulo auctus fuerit. Ceterum quod eſt ad mulieris figuram inter leones, ſive in ſella ſedentis, in hiſce duobus Nummis ſculptam, vide ſupra inter Senatus Romani Nummos eamdem muliebrem imaginem, certe ibi Romanæ Urbis ſymbolum. Et Romam quidem decet potiùs quàm Siciliæ Regem, deferre Globum, deſignantem tellurem Orbis. Cur verò idem Globus in Nummo Neapolitano Sergii Ducis ſupra fuerit adhibitus, aliis perquirendum relinquo.

In Tertio argenteo eadem ferme lineamenta occurrunt, at inſcriptio diverſa. In altera parte legitur KAROLVS REX SENATOR VRBIS. In altera ROMA CAPVD MVNDI. S. P. Q. R.

Quartus & Quinctus Nummus argentei, parum ab antecedenti diſſimiles ſunt. In Quarto nedum apud Vergaram, ſed & penes Molineum Roma ſedens conſpicitur, & in poſtica ſub Leone impreſſum viſitur F. Hi tres Nummi percuſſi videntur ante Annum MCCLXVIII. quo Senatorium munus a Nicolao III. Papa ei ademtum fuit.

Sextus argenteus (uti & ſequentes) percuſſus poſt Annum Chriſti MCCLXXVIII. aream præfert Liliis ornatam cum epigraphe KAROL DEI GRATIA. In poſtica Crux, & in limbo hæ literæ IERVSAL ET SICILIE REX.

Septimus argenteus ita inſcriptus eſt: KAR. DEI GRACIA. Et in averſa parte REX SICILIE cum Cruce in medio.

Octavus argenteus has literas exhibet KA DEI GRA REX SICIE. In poſtica DVCAT APVL. PRIN CA. ideſt *Ducatus Apuliæ*, *Principatus Capuæ*, ut in aliis præcedentium Regum Nummis. In medio RA, quæ duæ literæ fortaſſe non ſatis accurate deſcriptæ.

Nonus æreus in area habet K. ſubſequuntur in limbo AROLV. DEI GRACI. In poſtica REX SICILI.

Decimus argenteus Lilia præfert in area. Circum KAROL DEI GRA. In averſa facie REX SICILIE.

Undecimus argenteus in medio habet K. hoc eſt *Karolus*, & in circuitu DEI GRA REX SICILIE. In poſtica DVCATVS APVLIE.

Duodecimus argenteus, Mutinæ quoque mihi viſus in Muſeo Bertacchinio, Scutum præfert, ubi Lilia inſigne Regum Francorum, & Crux teſſera Regni Hieroſolymitani. Circumſtat epigraphe KAROL IERL ET SICIL REX. In poſtica Annuntiatio Virginis cernitur, & in circuitu legitur AVE GRA PLENA DNS TECVM. Carolo I. Regi Vergara tribuit hunc Nummum. Mihi potius Carolo II. tribuendus creditur. Alterum ſimilem argenteum vidi Placentiæ apud Reverendiſs. Chiappinium, ubi legitur KAROL. COM. (ideſt *Comes Provinciæ*) IERL. &c. Nummi quoque Caroli II. Regis eamdem exhibent Virginis & Angeli effigiem. Ex iſto Carolo, aut ex ejus filio Carolo ſucceſſore deſcendiſſe videtur mos appellandi, ut adhuc fit, in Regno Neapolitano *Carlini* ejuſdem ponderis argenteos. Auctor eſt ſupra laudatus Vergara, legi in Bulla Benedicti XI. (ſcribe XII.) Anno Chriſti MCCCXLII. *Una Uncia auri ad pondus Regni valet ultra Ducatos quatuor de Carlenis*. Et in Inſcriptione Neapolitana Anno MCCCLXX. hæc itidem habentur: *A quo recepit Sancta Reſtituta Carolenos ducentos octuaginta quatuor.*

Carolus II. Apuliæ Rex.

Vitâ functo Carolo I. Rege Anno Chriſti MCCLXXXV. ſucceſſit in Regno Neapolitano *Carolus II.* ejus filius, tunc tamen captivus, qui Anno MCCLXXXIX. Romæ a Martino IV. coronâ Regiâ redimitus fuit, & uſque ad Annum MCCCIX. regnavit. Primus ad eum ſpectans Nummus eumdem ferme typum refert, ac percuſſi a Carolo I. ejus patre, dum Senatorium Urbis munus gereret. In cujus antica mulieris formam cerno ſedentis in ſella, ſive ſupra leones, ac geſtantis ſceptrum liliatum dexterâ, ſiniſtrâ verò globum telluris cum Cruce. Epigraphe iſta circumſtat: CAROL. SED, ideſt *Secundus*, DEI. GRA. IERL. ET. SICIL. REX. In poſtica Crux liliata, qualis in Regum Francorum nummis ejus Sæculi occurrit. Lemma additur: HONOR REGIS IVDICIVM DILIGIT. Cur verò Carolus II. figuram adhibuerit, quæ, ut prædixi, Romanam Urbem referre videtur potius, quàm Regem ipſum, uti Vergara opinatur, divinare neſcio. Fortaſſis id factum eâ tantùm de cauſsâ, quod patris Nummi eam prætulere figuram, percuſſi nempe ab illo, quo tempore Senator Urbis erat. Similis Nummus a V. Cl. P. Dominico Viva Soc. Jeſu, traditur repertus fuiſſe Beneventi in arca, ubi conditum eſt Corpus Sancti Bartholomæi Apoſtoli, dum hæc Anno Chriſti MDCXCVIII. reſerata fuit ab Eminentiſſimo Vincentio Urſino, poſtea ſub nomine Benedicti XIII. Romano Pontifice. Verùm literas SED, ideſt *Secundus* non legit Viva, ita ut ad Carolum I. pertinuiſſe Nummus ille videatur.

Secundus Nummus argenteus ſimilis eſt Nummo Caroli I. quem poſtremo loco attuli. Scilicet Scutum habet, in quo exhibetur inſigne Regni Hieroſolymitani, & Regalis Franciçæ Familiæ, cum literis KAROL. SED. IERL ET SICIL REX. In poſtica Gabriel Archangelus nuntius ad Virginem ſanctiſſimam cum epigraphe AVE GRACIA PLENA DNS TECVM. Scilicet hic Princeps ſingulari devotione animi Annuntiationem Virginis coluit, ac ſub eius nomine novam Neapoli Cathedralem Eccleſiam condidit.

Tertius Nummus ex ære & argento conflatus, caput ipſius Caroli II. Regis præfert, coronâ radiatâ inſignitum cum literis KAROL. SED. REX. In poſtica Crux, & inſcriptionis continuatio IERL ET SICIL.

Quartus tertio ſimilis eſt, ſed formæ minoris.

Quinctus ex ære & argento Nummus effigiem exhibet ipſius Regis, pallium geſtantis, in quo tria Lilia cum Raſtro, & literis K. S. ideſt *Karolus Secundus* IER. SICIL. REX. Averſa pars Crucem in area habet & epigraphen COME (ideſt *Comes*) PROVINCIE.

Robertus, & Johanna I. Apuliæ Reges.

ANno Chriſti MCCCIX. Robertus Carolo II. parenti in Regno Neapolitano ſucceſſit. Primus, & Tertius Nummus ambo argentei, & parum diſſimiles, in antica præferunt effigiem, ut Vergara cenſet, Regis in ſella, aut ſupra geminos Leones ſedentis, ac dexterâ ſceptrum liliatum, ſiniſtrâ globum cum Cruce tenentis. Ibi ego ſuſpicor, typum Romanæ Urbis potius repræſentari, quem in ſuis Nummis, ut ſupra vidimus, expreſſerat Carolus I. Rex, & Senator Romæ, Roberti Avus. Additur in eadem area glans, uti videtur. Ibi illa inſcriptio ROBERT. DEI. GRA. IERL. ET. SICIL. R. In averſa idem lemma, quod nuper vidimus a Carolo II. ejus patre adhibitum, ſcilicet HONOR REGIS IVDICIVM DILIGIT.

Secundus argenteus apud Vergaram, & in Muſeo Chiappinio Placentiæ, anticam perhibet ſimilem præcedenti. Poſtica dumtaxat diſſimilis. Hæc enim ibi epigraphe: COMES. PROVINCIE ET. FORCALQERII.

Tertius ſimilis Primo, ut nuper dixi, diſſimilis eſt tantùm modulo.

Quartus argenteus ſpectat ad *Johannam I.* quæ Roberto Avo paterno vitâ functo Anno Chriſti MCCCXLIII. ſucceſſit. Primus ab ea percuſſus Nummus argenteus Coronam Regalem præfert, ſub qua Raſtrum & Lilia. In circuitu epigraphe IOHAN. HIER. ET. SICL. REG. Poſtica habet Crucem, Hieroſolymitani Regni ſignum, & Lilia cum Raſtro, inſigne Francorum Regum, cum literis COMITSA PVICE. E. FORCAL. hoc eſt, *Comitiſſa Provinciæ, & Forcalquerii*.

Quinctus æreus eamdem Coronam præfert ſine Liliis, & cum lemmate AVE. MRIA. GRACIA. PL. In poſticâ Crux liliata cum literis AVE M.

Sextus argenteus eidem *Johannæ I.* tribuitur a Vergara. Mihi creditur adſcribendus *Johannæ II.* de qua infra erit ſermo. Aquila viſitur in area cum epigraphe IVHANNA REGINA. In poſtica effigies Romani Pontificis cum literis S. PETRVS PP. ideſt *Papa*. Confer Nummum illum cum Nummis ejuſdem Johannæ II. Eadem ſigna, eamdemque inſcriptionem utrobique animadvertes. Neque id infra negat Vergara ipſe.

Septimus argenteus ad *Johannam I.* ſpectat. Ibi Corona, ut in præcedentibus, & epigraphe IOVA. D. G. SICIL. ideſt *Jovanna Dei gratiâ Siciliæ*, Regina. Averſa facies Crucem cum Liliis in angulis habet ac literas in limbo COMISA PRO........

Octavus argenteus in area quatuor literas complectitur G. V. A. R. & in circuitu IVHANNA REGINA. In altera facie Romani Pontificis effigies cernitur cum literis S. LEO PAPA. Et hunc Vergara *Johannæ I.* tribuit. Rectius fortaſſe illum adſignes *Johannæ II.* quæ *Juhanna* appellatur in ejus Nummis, ac Romani Pontificis imaginem iis adjungit. Quid ſignificent literæ illæ G. V. A. R. Lector a me edoceri minime exſpectet.

Nonus Reginæ, coronam in capite gerentis, effigiem exhibet. Hæc ibi inſcriptio: IVH. REGINA. Crux in averſa parte viſitur cum literis IER. SICIL. Si Vergaram auſcultamus, & hic Nummus referendus eſt ad *Johannam I.* Mihi potius videtur ad *Secundam* pertinere.

Carolus III. Ludovicus Andegavenſis, & Ladislaus, Reges Neapolis.

CArolus III. Ducis Dyrrachii nepos, appellatus *de la Pace*, Anno Chriſti MCCCLXXXI. Regno Neapolitano potitus, ſubſequenti Anno Johannam I. Reginam de medio ſuſtulit. Ad eum pertinet Primus Nummus argenteus, Mutinæ in Muſeo Bertacchinio adſervatus. Ibi in area Siglæ iſtæ S. T. P. E. Pro T. Vergara legit M. Has verò alii interpretentur: neque enim ſuccurrunt niſi divinationes, quas facile utique proponerem, ſed facilius alii poſſent rejicere. In circuitu Siglarum legitur hæc epigraphe R. KROLVS. T. ideſt *Rex Carolus Tertius*. In averſa facie imago Romani Pontificis cum literis S. PETRVS. P. de quo infra ad Quartum Nummum aliquid dicam.

Secundus Nummus æreus eſt. Ibi Crux, teſſera Regni Hieroſolymitani, ac tria Lilia. In poſticâ Crux altera: & quum ibi quatuor Faſciæ appareant, quæ Hungarici Regni teſſeram referunt, dicendus ſpectare Nummus vel ad Ludovicum Hungariæ Regem celeberrimum, vel ad *Carolum Tertium*, heredem Regni illius.

Tertius argenteus apud Vergaram, & Regii a Comite Nicolao Tacolo adſervatus, pertinet ad *Ludovicum Comitem*, ſeu *Ducem Andegavenſem*, qui a Johanna I. Regina adoptatus, auditâ ejus morte, Anno Chriſti MCCCLXXXII. Rex Neapolis a Clemente VII. Antipapa renuntiatus, bello infeliciter cum Carolo III. ac miſerrime geſto, diem clauſit extremum Anno MCCCLXXXIV. Nummi hujus aream implet Corona cum Liliis infra poſitis, & Raſtro. In limbo legitur LVDOV. HIER. ET. SICIL. REX. In averſa parte inſignia Regum Francorum cum Raſtro, quod *Lambel* Galli appellant, & Cruce teſſerâ Regni Hieroſolymitani, additis in limbo literis COMES. PROVICE. ET. FORCAL*querii*.

Quartus Nummus argenteus in area præfert quatuor Siglas I. I. Q. L. quas aliis explicandas relinquo. Circumſtat hæc epigraphe LVDOVICVS REX. In poſtica Romani Pontificis effigies cum literis S. PETRVS CONFES. ideſt *Confeſſor*: quod mirum videatur, niſi heic indicetur *Sanctus Petrus Cæleſtinus Papa*, ut in Primo Caroli III. Regis Nummo, ſupra deſcripto.

Ad *Ladislaum* Neapolis Regem, quem *Wincesláum* & *Lancisláum* vidi appellatum a nonnonnullis Hiſtoricis, Caroli III. filium, qui Anno Chriſti MCCCXC. Apuliæ Regno præeſſe cœpit, pertinet Nummus Quinctus argenteus; in cujus area viſuntur literæ quatuor, quas Vergara putat AQLA, deſignantes, ut veri videtur ſimile, Civitatem *Aquilam*, cui conceſſum fertur jus cudendæ Monetæ. In limbo legitur LADISLAVS REX. In altera facie imago Romani Pontificis cum epigraphe S. PETRVS PP. CONFES. Hunc Sanctum Petrum Apoſtolorum Principem Vergara cenſuit. Mihi creditur Sanctus Petrus Cæleſtinus, ut nuper ſignificavi.

Sextus argenteus quatuor Siglas in area ſpectandas offert, nempe S. M. (ut Vergara opinatur) P. E. Circumducitur epigraphe LADISLAVS R. ideſt *Rex*. In poſtica eadem effigies Papæ cum literis S. PETRVS *Papa*.

In Septimo argenteo eædem literæ, quas ſupra

pra in Octavo Nummo Johannæ I. vidimus, hoc eſt GVAR, & circum LADISLAVS R. In averſa facie Pontificis Romani imago & literæ S LEO PP. ideſt *Papa*.

In Octavo argenteo teſſera Familiæ Regiæ Francicæ, hoc eſt, Lilia; Crux, ſymbolum Regni Hieroſolymitani, & quatuor Faſciæ, inſigne Regni Hungarici, in quod Ladislaus jus ſibi tribuebat. Circumſtat epigraphe LADISLAVS REX ET DV. In poſtica binæ Claves cum literis SANCTVS PETRVS. Nummus fortaſſe cuſus Romæ: eidem quippe Urbi dominatus eſt Ladislaus.

Johanna II. & Renatus Reges Neapolis.

JOhanna II. Ladislao Regi fratri ſuo, ſine liberis vitâ functo, ſucceſſit in Regno Anno Chriſti MCCCCXIV. Primus Nummus ad eam referendus Aquilam expanſis alis in area præfert, additâ in limbo epigraphe REGINA IOV. In poſtica effigies Romani Pontificis, & S. PETRVS P.

Secundus argenteus Mutinæ in Muſeo Bertacchinio adſervatus eamdem Aquilam exhibet. Circumſtat inſcriptio REGINA IVHANNA. Similis antecedenti Nummo poſtica.

Tertius argenteus tres Siglas in area oſtendit, hoc eſt, ut Vergara cenſet, A. Q. L. A. quæ Civitatem *Aquilam* referre videntur. In limbo IVHANNA REGINA. In averſa facie imago Pontificis Maximi, & S. PETRVS PP. ideſt *Papa*.

Quartus argenteus pertinet ad *Renatum Ducem Andegavenſem*, qui Anno MCCCCXXXVIII. Neapoli Rex ſalutatus & exceptus fuit, heres nempe inſtitutus a Johanna II. quæ Anno Chriſti MCCCCXXXV. e vita exceſſerat. In Primo ejus Nummo argenteo viſitur figura, ut puto, mulieris Sceptrum & Globum cum Cruce tenentis ac inſidentis in ſella, ſive ſupra geminos Leones, qualis in Nummis Caroli I. & II. ac Roberti expreſſa cernitur. Ipſius Renati Regis figuram Vergara putat. Quæ ſupra ſum ego opinatus, nihil refert heic repetere. Additur in latere areæ parva Aquila. Hæc ibi epigraphe RENATVS. DEI. GRE. IRVLE. SIC. R. In poſtica Crux cum lemmate HONOR. REGIS. IVDICIV. DILIGIT.

Quinctus argenteus Coronam in area exhibet cum epigraphe circumpoſita: R. ideſt *Renatus*, IER. ET. SICIL. REX. Averſa facies oſtendit Crucem cum Liliis in angulis & literis: COMES PVINCIE.

Sextus argenteus Aquilam Coronâ ſuperpoſitâ ornatam in area habet & literas REX RENATVS. In averſa facie imago Romani Pontificis ſedentis cum literis S. PETRVS E. Quam poſtremam literam interpretor *Eremita*. Si hoc verum, jam tenes, non alium in hiſce Nummis deſignari, quàm Sanctum Petrum Cæleſtinum.

Septimus argenteus Aquilâ inſignitus eſt, & inſcriptione RENATVS. REX. DEI. G. Similis præcedenti poſtica cum literis S. PETRVS. PP. *Papa*.

Octavus argenteus a præcedenti minoris formæ, differt magnitudine tantùm.

Nonus argenteus aliquid peregrini præfert. Aream occupat Scutum præferens inſignia Francica, Regni Hieruſalem, & Ducatus Lotharingiæ, quem poſtremum jure uxoris repoſcebât. Ita concepta eſt ibi epigraphe RENATVS D. G. REX SIC. IER. ARLIOTI D.

A Quid ſignificet poſtremum hoc *Arliotid*, ſi bene deſcriptæ ſunt literæ, acutioribus ingeniis decernendum relinquo. Quid verò ſi legendum potius ibi cenſeas AC LOTH D, ideſt *Ac Lotharingiæ Dux*? Attamen nihil ſtatuo. In poſtica pro ſymbolo brachium armatum, nudum enſem atque erectum tenens. Accedit lemma: FECIT POTENCIAM IN BRACHIO SVO.

Alphonſus I. Aragonenſis, & Ferdinandus I. Neapolis Reges.

ALphonſus I. inclytus Aragonum & Siciliæ Rex, Anno Chriſti MCCCCXLII. Nea-
B poli, atque adeo univerſo Regno potitus eſt, quo illum tamdem mors Anno Chriſti MCCCCLVIII. exuit. Primus ad eum ſpectans Nummus argenteus, ejuſdem Regis coronati caput exhibet cum inſcriptione ALFONSVS. DEI. GRACIA. REX. Averſa pars Faſcias habet pendentes, inſigne Aragonum: orizontales, inſigne Regni Hungarici: Lilia & Crucem, inſigne Regni Neapolitani & Hieroſolymitani, additis literis in limbo CICILIE. CITRA. ET. VLTRA.

Secundus argenteus a Vergara productus habet inſignia in præcedenti memorata cum epigraphe ALFONSVS (ſeu ALHONSVS) D. G. R. ARAG. S. C. V. H. ideſt *Dei gratiâ*
C *Rex Aragonum*, *Siciliæ Citra*, *Ultra*, *Hieruſalem*; aut *Hungariæ*, in quam ex adoptione Johannæ II. jura ſibi Alphonſus tribuebat; aut pro H. legendum F. ideſt *Citra*, *Ultra Farum*. In averſa facie imago ſive Regis ipſius, ſive Romæ ſub forma mulieris ſedentis, & Globulum ac Sceptrum tenentis, cum lemmate DNS M. ALFO. AIVT. E. D. I. M. hoc eſt: *Dominus mihi Alfonſo adjutor*. *Ego deſpiciam inimicos meos*. Si Vergaræ fides, hæc ibi inſcriptio exſiſtit ALFONSVS. D. G. R. AR. S. E. VN. At videndum, an præferenda ſit lectio mea, nempe D. G. R. ARAG. S. C. V. H. vel F. *Dei gratiâ Rex Aragonum*, *Siciliæ Citra Ultra*, *Hieruſalem*, vel *Farum*.

D Tertius argenteus, quem Vergara exhibet, adſervatur quoque Bononiæ penes amicum virum Johannem Baptiſtam Bianconum Priorem Eccleſiæ Parochialis de la Maſcarella, & Græcæ Linguæ in Lycæo Bononienſi Profeſſorem. A præcedenti parum diſſimilis eſt. In antica legitur ALFONSVS D. G. R. ARAG. S. C. V. F. Vides heic confirmari conjecturam meam ſuperioris lectionis, ſcilicet *Siciliæ Citra Ultra Farum*. In poſtica S. additum figuræ muliebri, quaſi per eam *Sicilia* indicetur. Ibi lemma nuper explicatum in Secundo Nummo, DNS M. ADIVT. ET. EGO DES. I. M.

In Quarto Nummo par eſt inſcriptio.

Quinctus æreus parvi moduli caput Regis
E oſtendit cum literis ALFONSVS D. G. Viſuntur inſignia Regalia in poſtica, cum epigraphe R. AR. S. C. V. F. cujus explicationem heic repetere non vacat.

Sextus æreus, neſcio ab ipſo-ne, an ab alio quoquam in ejus Regis honorem cuſus fuerit. Ibi Alphonſi imago, & in circuitu literæ ALFONSVS REX ARAGONVM. In averſa parte Victoria, a currentibus equis vecta, & in limbo VICTOR SICILIE PRECI.

Septimus argenteus ad *Ferdinandum*, ſive *Fernandum I.* pertinet, qui Alphonſo patri in Regno Neapolitano ſucceſſit Anno Chriſti MCCCCLVIII. Ibi viſitur imago Regis ipſius coro-

ronati, cum parva Aquila, & epigraphe CORONATVS QA. idest Quia, LEGITIME CERTAVI. In averſa Crux, & literæ FERDINANDVS. D. G. R. SICIL. IER. V. idest *Dei gratia Rex Siciliæ, Jeruſalem, Ungariæ.* Vide infra. Interim noveris, eos Nummos appellatos fuiſſe *Coronatos*.

Octavus argenteus inſignia ſupra memorata exhibet cum literis FERDINANDVS D. G. R. SI. I. V. In poſtica imago Regis, ſeu Romæ, ut in Nummis Regum Caroli I. & II. lemmate hoc circumdata: DNS. M. AIVT. ET EGO D. I. M. *Dominus mihi adjutor, & ego deſpiciam inimicos meos.*

Nonus Coronatus eamdem præfert cum literis FERDINANDVS D. G. R. SIC. IER. VNG. In poſtica Regis ipſius ſedentis effigies, cui hinc Cardinalis Coronam imponit, & inde ſtat Epiſcopus cum Libro Rituali. Epigraphe ut ſupra: CORONATVS Q. LEGITIME CERTAV.

Decimus argenteus imaginem ipſius Regis oſtendit cum inſcriptione FERRANDVS D. G. R. SICILIE. IE. In poſtica imago Sancti Michaelis armati cum vexillo & clypeo, Draconem pedibus conculcantis, & literæ IVSTA TVENDA.

Undecimus argenteus, inſignia Aragonum, Siciliæ, Hieruſalem, & Hungariæ continens, ita inſcribitur in antica: FERDINANDVS D. G. R. S. I. V. In poſtica Regis coronati effigies & M. in area; in limbo autem hæc epigraphe RECORDATVS MISERICORDIE SVE.

Duodecimus æreus, a Vergara productus, & Mutinæ adſervatus in Muſæo Bertacchinio, caput Regis coronati exhibet, & literas FERRANDVS REX. In poſtica equus viſitur ſine freno ambulans, ſymbolum Neapolitanæ Urbis. Aquila etiam parva in areâ conſpicitur, & in imo T. cum Roſis hinc inde. Circumſtat lemma EQVITAS REGNI.

Nummi ærei Decimustertius, Decimusquartus, Decimus quinctus, & Decimus ſextus, parum diſſimiles, ejuſdem Regis effigiem præferunt, cum literis FERRANDVS, aut FERDINANDVS REX; & in averſa facie Equum & Siglum L. aut A. aut BR. Hi Nummi ærei, quorum adhuc uſus, propterea appellati *Cavalli*.

Decimus ſeptimus æreus figuram Regis, ſeu Romæ ſedentis, & Globum ac Sceptrum tenentis, exhibet cum epigraphe FERDINANDVS D. G. In poſtica Crux, & epigraphe SICILIE. IERVS. VN.

Decimus octavus æreus, ſimilis ſeptimo ſupra relato, ſed modulo minor, caput Regis coronati oſtendens, inſcriptus eſt CORONATVS QA. LEGITIME CERTAVI. Crux aream poſticæ implet, & in limbo legitur FERDINANDVS D. G. R. SICIL. IER.

Decimus nonus æreus cum effigie Regis & epigraphe FERDINANDVS. D. G. REX. præfert in averſa parte Victoriam abequis vectam, cum literis in circuitu SICILIE VICTOR.

Vigeſimus æreus, quem ego poſſideo, poſſidet etiam Reverendiſs. Abbas Chiappininus Placentiæ, ab Aquilanis cuſus eſt, qui deficientes a Ferdinando I. Rege Anno Chriſti MCCCCLXXXVI. ſeſe Innocentio VIII. Pontifici Maximo commendarunt. Cernuntur ibi Claves cum tiara Pontificia, & epigraphe INNOCENTIVS PP. VIII. In poſtica Aquila, ſymbolum Civitatis Aquilæ, & lemma AQVILANA LIBERTAS.

Vigeſimus primus æreus percuſſus fuit a *Nicolao Comite Campibaſſi*, qui cum aliis Regni Magnatibus a Ferdinando I. Rege defecerat, & Johanni Andegavenſi Renati Regis Filio adhæſerat circiter Annum Chriſti MCCCCLIX. Antica præfert compedes, qui in Nummis Sancti Ludovici, aliorumque Galliæ Regum viſuntur cum epigraphe NICOLA COM. Crux in poſtica, & literæ CAMPIBASSI.

Alfonſus II. Rex Neapolis.

ANno MCCCCXCIV. diem clauſit extremum Ferdinandus I. Aragonenſis, Rex Neapolis, eique ſucceſſit *Alfonſus II.* filius, gravibus & ipſe procellis agitatus; quippe Anno eodem a Carolo VIII. Gallorum Rege ſpoliatus Regno, vitæ terminum inſequenti Anno MCCCCXCV. complevit. Primus Nummus argenteus ab eo cuſus imaginem Sancti Michaelis Draconem ferientis præfert cum inſcriptione ALFONSVS D. G. R. SIC. IE. V. In poſtica ipſe Rex ſedens, cui Cardinalis Regiam Coronam imponit, ſtante Epiſcopo ab altero latere. Hæc epigraphe CORONAVIT E VNXIT. ME MANVS T. D. idest, *tua, Domine.*

Secundus argenteus inſignia Aragonenſia & Neapolitana exhibet cum literis ALFONSVS II. D. G. R. S. *Dei gratiâ Rex Siciliæ.* In poſtica imago ſedens, dexterâ ſceptrum, ſiniſtrâ globum tenens, quæ Vergaræ creditur, ipſum Alfonſum deſignare. Circumſtant literæ SVB DEXTERA TVA SALVS. M. D. idest, *mea, Domine.*

Tertius argenteus in area Hermellinum, ſive Muſtelam albam præfert; ſupra pendet faſcia, in qua literæ DECORVM. Circum deſcriptæ literæ ALFONSVS II. D. G. R. SICILIE. IER. V. In poſtica viſitur ara, ſuper quam flamma ardet; & additur lemma: IN DEXTERA TVA SALVS MEA.

Ferdinandus, ſeu *Ferrandus II.* & *Carolus VIII.* *Reges Neapolis.*

PRimus apud Vergaram exhibet Hermellinum, ſive Muſtelam cum literis in faſcia ſuperpoſita inſcriptis DECORVM. In limbo FERRANDVS. II. D. G. R. SIC. Poſtica ſimilis præcedenti Nummo. Hic Alfonſi II. filius Regnum Anno Chriſti MCCCCXCV. recepit.

Secundus in area habet inſignia Aragonenſium ac Neapolitanorum Regum cum epigraphe FERDINANDVS II. D. G. R. SI. In poſtica viſitur Hermellinus cum E. ſuperinſcripto, & lemmate DECORVM. In limbo OMNIA SERENA. In imo legitur LICI.

Tertius ſimilis fere præcedenti.

Quartus æreus apud Le-Blancum ad *Carolum VIII.* Regem Franciæ pertinet, qui Anno MCCCCXCIV. Regnum ſibi ſubjecit. Percuſſus eſt Nummus a Civitate Aquilana, quæ ei inter primas adhæſit, ac Monetæ jus ſibi confirmandum curavit. In antica Scutum cum Liliis, Coronâ ſuperimpoſitâ. Epigraphe Gallicis verbis CHARLES K. inverſum, ROI. D. FRE. idest *De France.* In poſticâ Aquila inſigne illius Urbis, atque in limbo CITE DE LEIGLE, idest *Civitas Aquilæ.*

Quinctus Nummus æreus apud eumdem Le-Blancum, ab iiſdem Aquilanis cuſus. In antica idem ſcutum cum literis CAROLVS REX FRR. Crux in averſa parte, & Aquila parva cum epigraghe AQVILANA CIVITAS.

Sextus

Sextus æreus , a Le-Blanco productus , adſervatus in Muſeo olim Angeli Mariæ Blanci Mutinenſis , atque eodem ſcuto inſignitus hanc inſcriptionem gerit KROLVS D. X. G. REX FRA. In poſtica Crux , cui ſubeſt Aquila parva , & circum legitur AQVILANA CIVITAS. A

Septimus argenteus apud Vergaram , Gallici inſignis Scutum præfert cum literis KROLVS. D. G. R. FR. SI. In poſtica Crux cum epigraphe TEATINA CIVITAS. Ergo percuſſus Nummus in Teatina Urbe Regni Neapolitani.

Octavus Nummus aureus apud Le-Blancum & Vergaram , Scutum prædictum habet in area , & hinc inde K. L. Circumſtant literæ KAROLVS D.G.R. FRANCORV. SIC. IER. In poſtica Crux , & lemma XPS. VINCIT. B XPS. REGNAT. XPS. IMPerAT. Hæc epigraphe a tempore Sancti Ludovici in Regum Francorum aureis & argenteis Nummis uſitata fuit .

Nonus aureus penes eoſdem Le-Blancum & Vergaram, parùm ab antecedenti differt .

Decimus aureus , a Le-Blanco & Vergara editus , Scuto eodem inſignitus , hanc epigraphen exhibet CAROLVS D.G. FRACCORV. IHEM. ET. S. R. Crux Hieroſolymitana in poſtica cum literis PER LIGNV. S. CRVCIS LIBERET N. D. N. ideſt *nos Deus noſter*.

Undecimus aureus, a Le-Blanco & Vergara evulgatus, tria exhibet Lilia, quibus Corona ſuperſtat. In imo, Siglæ S. M. P. E. Circum C KROLVS D. G. R. FR. SI. I. In poſtica Crux cum quatuor Cruciculis , & epigraphe XPS. VINC. XPS. &c. ut ſupra in Octavo Nummo.

Fredericus II. Rex Neapolis.

FInem vivendi fecit Ferdinandus II. Rex Neapolitanus Anno Chriſti MCCCCXCVI. eique ſucceſſit *Fredericus* patruus , *Secundus* appellatus inter Neapolitanos Reges . Primus ab eo percuſſus argenteus caput coronatum præfert cum T. in area , & epigraphe FEDERICVS DEI GR. SI. HI. In poſtica Liber, quem flammæ vorant, cum hac inſcriptione RECEDANT VETERA , ut indicaret, ſe oblitum injurias ſibi ſuiſque a Populo inlatas .

Secundus argenteus a Vergara productus , atque æreus mihi Mutinæ viſus apud amicum virum ſæpe laudatum Dominicum Vandellium, ac in Muſeo Chiappinio Placentiæ exſiſtens , Scutum cum Aragonenſium & Siculorum Regum inſigni complectitur , & in limbo habet hanc inſcriptionem FEDERICVS DEI GRA REX SI. I. V. ideſt *Siciliæ* , *Hieruſalem* , & *Hungariæ*. Sed in æreo legitur REX SI. HIER. Poſticæ aream implent duo Cornua copiæ cum literis VICTORIE FRVCTVS.

Tertius argenteus Aquilam in area oſtendit, & epigraphen FRIDERIC. T. DI. GRA. REX. SICIL. *Tertius* dicitur, quod poſt Fridericum II. Imperatorem Neapoli regnarit , quum tamen ille tantùm *Secundus* inter Auguſtos diceretur , & *Primus* Siciliæ fuerit dominatus . In poſtica viſitur teſſera Aragonenſium Regum , & inſcriptio DVC. APVL. PRINCIPAT. CAPVE .

Quartus æreus effigiem Regis ipſius coronati exhibet cum literis in limbo FEDERICVS. D. G. R. SI. In averſa parte Crux & lemma SIT. NOMEN. DNI. BENEDICtum .

Quinctum æreum adſervat Mutinæ Bartholomæus Solianus egregius Typographus . Viſitur ibi caput Regis coronam deferentis cum epigraphe FEDERICVS. REX. In averſa parte Equus ſine freno cum literis EQVITAS REGNI .

Anno Chriſti MDI. Federicus II. a Ludovico XII. Francorum Rege, atque a Ferdinando Aragonum & Siciliæ Rege Regno exutus , ad plures deinde abiit in Gallia Anno MDIII. Quum ultra Annum Milleſimum Quingenteſimum minime procedere ſtatuerim in referendis Italiæ Nummis , heic finis eſto Neapolitanis .


PRINCIPUM AC REGUM NEAPOLIS, ATQUE SICILIÆ.

NUMMI ROGERII I. ET ROGERII II.




GUIL-

GUILLIELMI I. GUILLIELMI II. AC TANCREDI.




HENRICI V. FRIDERICI II. CONRADI AC MANFREDI.




CAROLI I.




IX



X



XI




XII



CAROLI II.


I




II.

VIDE SUPRA NUMMUM XII. CAROLI I.

III. IV




V




ROBERTI, ET JOHANNÆ I.

I




II




III

NVMMVS SIMILIS EST PRIMO


IV



V




VI




VII



VIII




IX




CAROLI III. ANDEGAVENSIS, ET LADISLAI.


I




II




III




IV




V




VI



VII




VIII




JOHANNÆ II. ET RENATI.




ALPHONSI I. ET FERDINANDI I.




ALPHONSI II.



FERDINANDI, SEU FERRANDI II. ET CAROLI VIII.



FREDERICI III.



VENETIARUM DUCES.

SI non ejuſdem antiquitatis, atque hactenus memoratæ officinæ Monetariæ, vetuſtiſſima tamen eſſe non deſinit *Veneta*. Quo tempore cudi illic pecunia cœperit a Venetis Ducibus, nondum fortaſſe conſtat. Andreas Dandulus inter Venetos Scriptores & doctrinâ & vetuſtate omnium ſpectatiſſimus, ab antiquis Sæculis ejuſmodi jus conlatum Veneti Populi A Moderatoribus ſcribit. Nam de Rodulpho Italiæ Rege circiter Annum Chriſti DCCCCXXVI. agens, hæc habet: *Hic Rodulfus Regni ſui Anno Quarto, Papiæ ſolium tenens, immunitates Venetorum in Regno Italico ab antiquis Imperatoribus & Regibus conceſſas per Privilegium renovavit; & in eodem declaravit, Ducem Venetiarum poteſtatem habere fabricandi Monetam, quia ei conſtitit, antiquos Duces hoc continuatis temporibus perfeciſſe*. Contra Marinus Sanutus

memorat in Annalib. Venetis, Franciſcus Sanſovinus in Venetiae Deſcriptione, & alii ſub Petro Candiano Tertio circiter Annum Chriſti DCCCCL. id factum tradunt, dum hoſce verſus ejuſdem Petri Ducis imagini ſubjiciunt:

„ *Multa Berengarius mihi Privilegia fecit:*
„ *Is quoque Monetam cudere poſſe dedit.*

Hoc autem ab eo tributo Berengario II. Italiae Regi liquet, non ſolùm inſpectâ ætate ejuſdem Petri Ducis, ſed etiam innuente Anonymo Scriptore, qui Vitas adhuc MStas Venetorum Ducum memoriæ tradidit uſque ad Bartholomæum Gradenicum, electum Anno Chriſti MCCCXXXIX. in Eſtenſi Bibliotheca adſervatas. Verum non tunc primo jus illud Venetis Ducibus conceſſum, ſed tantùm confirmatum. Quippe idem Anonymus de Petro Candiano hujus nominis Tertio, qui electus dicitur circiter Annum DCCCCXLII. hæc ſcribit: *Iſte Dux fuit filius ſupraſcripti Petri Candiani Ducis. Cujus tempore Berengarius Rex, Venetorum antiqua jura confirmavit, & denuo conceſſit, non permittere quempiam per terras Imperii ad damna Venetorum accedere; & quod Veneti per fluvios & loca ſua, ſolvendo quadrageſimum, libere pertranſirent. Et cudendi Monetam auri & argenti, ut ſub Imperio Græcorum habuerant, poteſtatem dedit.* Animadverte verba illa, *ut ſub Imperio Græcorum habuerant*: quæ ſatis indicant, vel ante Berengarium Ducibus Venetis jus cudendæ Monetæ a Græcis Imperatoribus fuiſſe conceſſum. Alii ad *Petrum Participatium*, & Berengarium I. Auguſtum hoc referunt, quorum tamen tempora non concurrunt. Utcumque ſit, antiquitatem multam tribuere neceſſe eſt Venetæ pecuniæ; nam ſupra laudatus Dandulus ad Annum Chriſti MXXXI. de Urſo Urſeolo Patriarcha Venetiarum agens, ait: *Hic Monetam parvam ſub ſuo nomine, ut vidimus, excudi fecit.* Tum circiter Annum MCXCIV. de Henrico Dandulo Duce ſcribit: *Hic argenteam Monetam, vulgariter dictam* Groſſi Veneziani, *vel* Matapani, *cum imagine Jeſu Chriſti in throno ab uno latere, & ab alio cum figura Sancti Marci, & Ducis, valoris viginti ſex Parvulorum, primo fieri decrevit.* Denariorum quoque Veneticorum mentio eſt Anno Chriſti MLIV. in Charta, quæ authentica exſiſtit in Tabulario Capituli Canonicorum Mutinenſium, cui heic locum factum volo.

Riculſus Abbas Sancti Vitalis Ravennatis, locum quemdam inſra Civitatem Ravennæ in emphyteuſim concedit Guiberto Epiſcopo Mutinenſi, Anno 1054.

IN *nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, & Salvatoris noſtri, Anno ab Incarnatione ejus MLIIII.* Leone Papa *defuncto, ſicque Imperante* Domno Henricus *inviƈtiſſimo* Imperatore *in Italia Anno Octavo, die II. Menſis Madii, Indictione VII. Ravenne. Omnibus manifeſtum eſt, atque congrua ratione diſpoſitum, libenter debere eorum deſideriis annuere, pro quibus venerabilioribus locis utilitatibus meliorandique cauſa proficiunt. Et ideo ego, qui in Dei nomine* Domno Riculſus *per Domini miſericordiam Preſbyter & Monachus atque* Abbas *Regule* Monaſterii Sancti Vitalis *Chriſti Martiris, una cum conſenſu ſervorum Dei deſervientium eidem Monaſterii: Vobis preſentibus in Chriſti nomine* Wibertus *almificus* Epiſcopus *Sancte* Mutinenſis *Eccleſie petitoris, veſtriſque Succeſſoribus in perpetuum, per enfiteuticarium jus a preſenti die concedo & largior ſeu confirmo vobis res juris predicti Monaſterii noſtri: idest Vacuamentum integrum extendentem in longitudinem ſuam pedes plus minus ſupra platheas ſexaginta & quattuor, & in lato ab uno capite pedes quadraginta & quattuor, & ab alio capite ſimiliter pedes plus minus ſimiliter triginta & quattuor, cum egreſſo & regreſſo ſuo, & cum omnibus ad predictas res integraliter pertinentibus; que eſt poſita in hac Civitate Ravenna in regione Sancti Vitalis Chriſti Martiris prope Baſilica Sancti Laurencii, que vocatur in Panenia, intra fines ejus, hoc eſt a duobus lateribus plathea publica percurrens, a tercio latere Curticella predicta Eccleſia Sancti Laurencii, a quarto latere orto domncatum predicti Monaſterii noſtri, vel in omnibus, ut ſuperius legitur, dum vos ſuper in nominatum petitorem, atque Succeſſoribus veſtris divina gracia in hac luce juſſerit permanere vitam, concedo & largior ſeu confirmo vobis eas res abendas, tenendas, defendendas, & in omnibus meliorandas; & ego ſupraſcriptus gracia Dei Abbas una cum meis Succeſſoribus vobis ſupraſcripto almificus Epiſcopus, veſtriſque Succeſſoribus ſtare & auctoriare ſeu defenſare promitto & ex veſtris propriis expenſis ſeu laboribus nihil aliquod inferius, niſi pro vigeſima penſione riſutari debeatis. Preſtantibus quoque vos ſupraſcripti nominati petitoris, atque Succeſſoribus tuis indeſinenter ſecundùm paginam peticionis veſtre penſionis nomine ſingulis quibuslibet annis omnibus annualiter infra indicendis pro is rebus, que ſuperius legitur, oc eſt in feſtivitate Sancti Vitalis Chriſti Martyris* Denariorum Veneticorum duos *tantùm penſio, ut dictum eſt, perſolvatur; pro eo quia exinde accepi de manibus tuis ſupraſcripto* Wibertus *Epiſcopus Sancte Mutinenſis Eccleſie alia cartula benfiteoſin in perpetuum de uno ſpacium terre in integrum infra Corte noſtram Sancti Vitalis extendentem ſe in longo pedes plus minus juſta Curte noſtra ſexaginta & quatuor, & in lato ab uno capite pedes quadraginta & quatuor da muro noſtro, & ab alio capite pedes triginta & quattuor. Promittentes preterea nunc nullis diebus, nulliſque temporibus vite noſtre ego ſupraſcripto gracia Dei Abbas una cum meis Succeſſoribus vobis ſupraſcripto almificus Epiſcopus, veſtriſque Succeſſoribus teſtimonium hujus paginam benfiteoſim inviolabiliter & inviolabiliter modis omnibus conſervare & cuſtodire promitto, & ec benfiteoſim paginam ſi minime valere nequiverit, tunc daturo & compoſituro me eſſe promitto vobis, veſtriſque Succeſſoribus ante omnis litis inicium aut interpellacionem pene nomine auri Libram unam, & poſt pene ſolucionis maneat ec benfiteoſim in ſua fir-*

firmitate . Quam verò paginam enfiteoſim Aldo in Dei nomine Ravennas tabellio ſcribendum rogavi , & ſubter manus mea propria firmavi , teſtibuſque ad me rogatis obtulit roborandam , eorumque preſenciam eam vobis quorum contraditum , ſub die , & Menſe , Indictione ſupraſcripta VII. Ravenne .

Ego Riculfus Chriſti miſericordia Presbiter & Monachus atque Abbas Monaſterii Sancti Vitalis in hac pagina infiteoſim a me facta ſubſcripſi , & teſtibus a me rogatis obtuli ſubſcribendum .

Ego Andreas Monachus in hac pagina henfiteoſim cc. & ss.

Ego Johannes Monachus in hac pagina henfiteoſim cc. & ss.

Ego Andrea Presbiter & Monachus in hac pagina henfiteoſim cc. & ss.

Ego Ugo , qui vocor Deymiza huic pagina infiteoſim rogatus teſtis ss.

Ego Geremias huic pagine infiteoſim rogatus teſtis ss.

Johannes Notarius , qui nominatur Mareſchallo ad ace omnia , fuit abitator in Civitate Bononia , & manu propria firmavi .

✠ *Signum manus mea Rodulfo, filius quondam Fredulfi huic paginæ henfiteoſim, ut ſuperius legitur , rogatus teſtis cc. & ss.*

Ego Aldo in Dei nomine Ravennas Tabellio , ſcriptor huic pagina enfiteoſin , ut ſuperius legitur , poſt roboracionem teſtium atque traditam complevi & abſolvi .

Quod tamen longe majorem Venetæ pecuniæ vetuſtatem prodit , locus eſt Ratherii Veronenſis Epiſcopi , qui iiſdem temporibus floruit , quibus Berengarius II. Rex nuper memoratus . In Opuſculo, cui titulus *Qualitatis conjectura* apud Dacherium in Spicileg. commemorat ille *ſex Libras Denariorum Veneticorum*; ita ut coniicere recte poſſimus , non exſpectaſſe Venetos Duces tempora Berengarii II. ad cudendam Monetam . Quæ ſane prærogativa prodit , quanta jam tum foret eorum Ducum dignitas atque præſtantia . Si enim Beneventanos excipias, qui ut ſupremi Domini agebant, & *Principes* appellari maluerunt ; ſi Neapolitanos quoque excipias , quibus id juris conceſſere Græci Imperatores : nulli alii in Italia Duci antiquis temporibus licuiſſe puto ſignare ſuo nomine Nummos . Porcacchius in Hiſtor. Familiæ Malaſpinæ Lib. 4. ſcribit , ſe vidiſſe Nummum cum capite virili & literis ADALBERTVS THVSCIÆ MARCHIO, qui circiter Annum Chriſti DCCCCV. floruit. Nequaquam fallemur, rotundo ore pronuntiantes, & hoc unum eſſe e multis commentis , quæ Porcacchius in illum . atque in alios ſuos libros intulit . Ita falli arbitror , qui Bonifacio Marchioni Tuſciæ Nummos tribuunt . Eorum ſententiam ne Florentinius quidem probavit Lib. 3 pag. 100. Memor. Matild. Immo vel ipſis Gothorum Regibus in Italia imperantibus, pecuniam ſignaſſe Veneti creduntur , vilis tamen metalli ; quippe de eorum Inſulis Caſſiodorius Lib. 12. Epiſtol. 24. ait : *Moneta illic quodammodo percutitur victualis*. Verùm alia mihi videtur Caſſiodorii mens . Florente ſuo ſtilo is laudat Venetorum Salinas ; *inde* , ait , *vobis fructus omnis enaſcitur , quando in ipſis , &*

A *quæ non facitis , poſſidetis . Moneta illic quodammodo percutitur victualis* : ideſt , ut ita dicam , Salinæ ſunt vobis officina Monetaria , quum Sal ibi enatum omnia vobis ad victum miniſtret. Sal pecuniæ loco vobis eſt . Utinam verò , quod ſummopere cupiebam , obtigiſſet mihi , vel unum poſſe prodere ex vetuſtiſſimis iis *Denariis Veneticis* , quos nuper commemoratos ipſo Sæculo Chriſti Decimo vidimus . Amicis ejuſmodi de cauſſa importunus fui . Muſeum non unum excuſſi . Verum poſtquam hæc ſcripſeram , bene ceſſit quod deſideriis meis opem tulit Nobilis & præſtantiſſimus vir Dominicus Paſqualigo quondam Vincentii filius Senator Venetus . Is enim tres Nummos ar-
B genteos eamdem præferentes faciem, atque inſcriptionem , reperit , Diſſertatione quoque typis edita illuſtrandos curavit. Unum tantummodo proferam , Primum nempe in ſerie iſta . Ibi in area Crux viſitur , & in limbo literæ CHRISTVS IMPERAT. Altera pars exhibet ſpeciem Templi cum literis ſuppoſitis VENECI , & A in inferiori linea . Nulla mihi dubitatio eſt , ad *Venetias* præclariſſimam Italicam urbem , non verò ad Gallicam pertinere hunc Nummum . Ibi , ut jam animadverti, vel ipſo currente Sæculo X. Nummi ab iis Ducibus cudebantur : quod etiam confirmavit Cl. V P. Bernardus de Rubeis Ord. Prædicat. pergamenam commemorans Anno Chriſti CMLXXII.
C ſcriptam ex Forojulienſis Eccleſiæ Archivo depromtam , in qua iſta leguntur : *Et perſolvere exinde debeant ſingulis annis per omnem Miſſam Sancti Martini* , *Argenteos denarios bonos Mediolanenſes ſolum quinque* , *aut de Venecia ſolum decem* . Itaque ad illud idem Sæculum X. aut XI. referendus mihi creditur Nummus iſte, in quo quum nullum nomen Imperatoris , ſive Græci , ſive Latini, occurrat. propterea jure opinari licet. ex hiſce Nummis deduci Autocratiam tunc , ſive ſupremam Venetæ Reipublicæ dominationem , nulli alii Principi obnoxiam . Anno autem MCXCII. tum ſolum *Henricus Dandulus Dux* nomen ſuum in Venetis Nummis exprimere cœpit .

D Itaque Nummus ſecundus argenteus ad eumdem Dandulum Venetiarum Ducem ſpectat , qui Anno Chriſti MCXCII. electus, Venetorum poſtea nomen & gloriam ſuis geſtis mirificè amplificavit . In antica parte Nummi imago Chriſti cernitur cum literis Græcis IC. XC. ideſt *Jeſus Chriſtus*. In poſtica S. Marcus Vexillum tradit Duci cum literis H DANDOLVS , ideſt *Henricus* , & S M. VENETI., ideſt *Sanctus Marcus Veneticorum* , aut *Veneticus* . Hujuſmodi Nummorum mentionem fecit Andreas Dandulus in Chronico, ut ſupra indicavi col. 646 B. quibus vulgus nomen dederat *di Groſſi Veneziani*, vel *Matapani* .

E Tertius argenteus , ab olim doctiſſimo P. D. Catherino Zeno, Apoſtoli Zeni V. Cl. fratre , ad me miſſus , *Petrum Ziani* nobis exhibet , qui Anno Chriſti MCCV. Venetorum Dux electus fuit . Viſitur ibi Chriſti ſedentis ſuper cathedram imago cum Evangelio , & literis IC XC. ideſt Ιησους Χριστος , *Jeſus Chriſtus* . In averſa parte Sancti Marci ſtantis effigies , dexterâ manu Vexillum tenentis, ac illud porrigentis Duci ſtanti, cum epigraphe: P. ZIANI, ideſt *Petrus Ziani* ; & S. M. VENETI. ſcilicet *Sancti Marci* , vel *Sanctus Marcus Venetiarum* .

Quartus argenteus in Muſeo Bertacchinio Mutinæ , ſpectat ad Ziani Succeſſorem *Jacobum*

bum Teupulum, qui Anno Chriſti MCCXXIX. Dux renunciatus fuit. Ibi Salvator in cathedra ſedens cum literis IC. XC. In altera facie Dux ipſe cum vexillo ſtat cum epigraphe IA. TEVPL. DVX, hoc eſt, Jacobus Teupulus Dux. Adeſt & imago Sancti Marci cum literis S. M. VENET. quæ explicatione non indigent.

Quinctus Nummus apud alibi a me laudatum Dominicum Vandellium Mutinenſem, eamdem imaginem præfert cum epigraphe RA CENO DVX nempe *Rainerius Zeno Dux*, Anno Chriſti MCCLII. ad Ducale ſolium evectus.

Sextum argenteum Mutinæ Joſeph Maria Cattaneus poſſidet. Simile præcedentibus ectypon cum epigraphe in antica parte LA. TEVPL. DVX, ideſt *Laurentius Teupulus Dux*, qui Anno Chriſti MCCLXVIII. Ducali dignitate eſt auctus.

Septimum argenteum mihi videndum obtulit Adamus Pivatus Parochus & Doctor Patavinus, ſingularis amicus meus. Ectypon idem cum literis IO. DANDVL. DVX, ſcilicet *Johannes Dandulus Dux* creatus Anno Chriſti MCCLXXX.

Octavus argenteus, Mutinæ in Muſeo Bertacchinio, & apud Comitem Johannem Baptiſtam Scalabrinium Mutinenſem, & penes Comitem Nicolaum Taculum Regienſem, mihi inſpectus, ſimile ectypon exhibet cum literis PE. GRADONICO DVX, hoc eſt *Petrus Gradonicus*, electus Dux Anno Chriſti MCCLXXXVIII. In poſtica viſitur ſedens Salvator cum Libro Evangeliorum in gremio, ac Græcis literis IC. XC. *Jeſus Chriſtus*. In altero ex his legitur tantùm XPVS, *Chriſtus*.

Nonus, Venetiis exſiſtens apud nobilem virum Petrum Gradenigo Jacobi filium, Venetum Patricium, a prælaudato P. D. Catherino Zeno ad me quondam miſſus, aureus eſt, in quo immutatum videas Venetæ pecuniæ typum hactenus obſervatum. Ibi Sanctus Marcus ſtans, Duci in genua provoluto Vexillum porrigit cum epigraphe PET. GRADO. DVX, ideſt *Petrus Gradonico Dux*, nuper commemoratus; & S. M. VENET. nempe *Sanctus Marcus Venetiarum*. In poſtica Salvatoris noſtri ſtantis effigies, hinc inde ſtellulis ornati viſitur, cum literis in circuitu SIT. T. XPE. DAT. Q. TV. REGIS ISTE DVCA quas ſic interpretor:

Sit tibi, Chriſte, datũ, quia tu regis iſte Ducatũ

Sed illud ISTE, ubi ad Gradonicum ſit referendum, ſententiam obſcuriorem efficit, ac ſenſum turbat; ubi verò ISTE pro *Ipſe* accipiatur, & ad Chriſtum referatur, ita ut ſenſus ſit *quia tu ipſe regis Ducatum*, ſenſus eorumdem verborum recte ſe habet; niſi mavis, ita explicandam eſſe hanc epigraphen, videlicet: *Sit tibi Chriſte datum, quia tu regis*, puta ſubintelligendo *omnia*, univerſum orbem: *Iſte* verò nempe Dux, *Ducatum* regit. Utcumque ſit, animadvertendum eſt, primum e Venetis Ducibus, qui Nummos aureos ſignare cœperunt fuiſſe *Johannem Dandulum*, qui Anno Chriſti MCCLXXX. ante *Petrum Gradonicum* Ducis munere perfunctus eſt. Raphainus Careſinus Continuator Chronici Andreæ Danduli, Tom. XII. pag. 400. Rer. Italic. hæc de Johanne Dandulo ſcribit: *Qui etiam Ducatos aureos primitus fieri juſſit*. Is Nummus nunc appellatur *Zecchino* ab officina Monetaria, quam *Zecca* Italice dicimus.

Decimus Nummus, Mutinæ exſiſtens penes Joſephum Mariam Cattaneum, percuſſus fuit ſub celeberrimo Duce *Andrea Dandulo*, cujus Chronicon dedi Tomo XII Rer. Italicarum. Ibi Sancti Marci ſtantis effigies cum literis S. M. VENETI vexillum porrigentis Duci genibus flexis accipienti cum literis AN. DADVL. DVX. *Andreas Dandulus Dux* electus Anno Chriſti MCCCXLII. In poſtica Chriſti effigies e ſepulcro ſurgentis cum epigraphe XPS RESVRESIT, pro *Chriſtus reſurrexit*.

Undecimus Nummus, ad eumdem Dandulum ſpectans, aureus eſt, ac Mutinæ adſervatur in Muſeo Bertacchinio. Ibi ſimilis effigies, ſed non eadem inſcriptio. Scilicet S. M. VENETI. ANDR. DANDVLO DVX. Altera facies Chriſtum præfert ſtantem ac benedicentem, cum Libro Evangeliorum in ſiniſtra, & verſiculo in circuitu SIT T. XPE DAT. Q. TV REGIS ISTE DVCAT. ideſt, *Sit tibi, Chriſte, datum, quod tu regis iſte Ducatum*.

Duodecimus argenteus jam a me editus in Præfatione ad Chronicon ipſius Danduli, heic rurſus ſpectandum ſe præbet. In antica eſt illius effigies cum literis ANDR. DANDVLO D. In poſtica Leo, vexillum tenens, inſigne Reipublicæ Venetæ, & epigraphe S. MARCVS VENETI.

Decimus tertius, Mutinæ a prælaudatis Vandellio, & Johanne Franciſco de Solis adſervatus, par ectypon gerit. Circumſtant hæ literæ: IOH. DELPHINO DVX, *Johannes Delphino*, qui Anno Chriſti MCCCLVI. Ducalem dignitatem iniit.

Decimus quartus eſt aureus Ducatus, Mutinæ in Muſeo Bertacchinio mihi inſpectus, in antica Sanctum Marcum pro more exhibet, porrigentem Duci Vexillum, cum epigraphe S. M. VENETV, & in altera parte limbi IO. DELPHYNO DVX. Poſtica pars habet Salvatorem, cum verſiculo, quem integrum appono.

SIT TIBI CHRISTE DATVM, QVIA (ſeu QVOD) TV REGIS ISTE DVCATVM.

Decimus quinctus, Mutinæ in eodem Muſeo, hac epigraphe ſignatus eſt ANDR. CTAR. DVX, nempe *Andreas Contareno*, qui Anno Chriſti MCCCLXVII. inclytæ Venetorum Reipublicæ præeſſe cœpit.

Decimum ſextum adſervat in ſuo Muſeo idem Bertacchinius. Hac inſcriptione ornatum vidi FR. FOSCARI DVX. S. M. VENET. *Franciſcus Foſcari* Ducale ſolium obtinuit Anno Chriſti MCCCCXXIII. In poſtica viſitur imago Salvatoris, & epigraphe GLORIA TIBI XPE, ideſt *Chriſte*.

Decimus ſeptimus Nummus æreus in Muſeo Bertacchinio Mutinæ, & penes aliàs laudatum Alderanum Narium, mihi viſus, caput Ducis in antica exhibet cum inſcriptione NICOLAVS TRONVS DV*x*, electus Anno Chriſti MCCCCLXXI. In altera parte Leo, Sancti Marci Vexillum tenens, cum epigraphe SANCTVS MARCVS. Franciſcus Sanſovinus in Vitis Ducum Venetorum, hæc de illo ſcribit: *Provedendo alla Moneta grandemente adulterata e corrotta, fece fare una nuova forma con la ſua effigie, ritratta al naturale, la quale ſi chiamò Trono dal nome ſuo, di valuta allora di venti Soldi*.

Decimus octavus argenteus in prælaudato Muſeo, hac inſcriptione ſignatus eſt: AND. VENDRAMIN. DVX. Hinc inde M. P. *Andreas Vendraminus* ad Ducalem dignitatem eve-

evectùs eſt Anno Chriſti MCCCCLXXVI. A Neſcio an is Nummus ex iis Numiſmatis ſit, quæ Venetiis *Oſelle* nuncupantur, percuſſis, ut dono dentur. In averſa facie Chriſti ſedentis imago cum epigraphe IESVS CHRISTVS. GLORIA TIBI SOLI.

Decimus nonus, Mutinæ apud Nobilem virum Johannem Comitem Bellincinium adſervatus, parem typum gerit, cum literis IO. MOCENICO DVX., & in area A. M. *Johannes Mocenico* Dux renuntiatus eſt Anno Chriſti MCCCCLXXVIII.


Vigeſimus, æreus minoris moduli in Muſeo Bertacchinio, ad eumdem Principem ſpectat. Viſitur ibi effigies Ducis, manibus Vexillum tenentis, cum literis hinc inde F. F. & in limbo IOANES MICENIGO (*ſeu* MOCENIGO) DVX. In poſtica Leo Venetus alatus cum Libro Evangeliorum. B

Vigeſimus primus argenteus apud eumdem Bertacchinium, in area habet Chriſtum ſedentem & benedicentem, cum epigraphe GLORIA TIBI SOLI IC. XC. hoc eſt, *Jeſus Chriſtus*, vel *Jeſu Chriſte*. Averſa pars exhibet Ducem, & Sanctum Marcum, cum literis S. M. VENETI. MARC. BARBADICO DVX. Z. M. *Marcus Barbadico* Dux electus eſt Anno Chriſti MCCCCLXXXV.


Vigeſimum ſecundum adſervat prælaudatus Bertacchinius in ſuo Muſeo. Crux in area anticæ viſitur. Circumſtat inſcriptio AVG. BARBADICO DVX, *Auguſtinus Barbadico* Ducali dignitate inſignitus Anno Chriſti MCCCCLXXXV. præmortuo Marco fratre. In averſa parte Leo Venetus, Vexillum anterioribus pedibus tenens, ſub quo duæ literæ M. B. In limbo SANCTVS MARCVS VENETI.

Vigeſimus tertius ante mihi erat recenſendus. Sed quia Nummus nequaquam eſt, illum idcirco in hunc locum reſervavi. E genere Numiſmatum majoris moduli eſt, quæ *Medaglioni* Italice nuncupantur, Venetiis autem a multis Sæculis *Oſelle* appellantur, cauſâ videlicet honoris ac liberalitatis a novis Ducibus cuſa. Ibi conſpicitur effigies Ducis, Ducale Cornu in capite gerentis cum circumpoſitis literis CRISTOFORVS. MAVRO. DVX. In poſtica Corona, in ſuo ſinu hanc epigraphen continens: RELIGIONIS. ET. IVSTICIÆ. CVLTOR. Is Anno Chriſti MCCCCLXII. Dux fuit electus.

DUCUM VENETORUM.




XIX




XX



XXI



XXII



XXIII



Atque hactenus de antiquioribus officinis Monetariis Italiæ. Succeſſere deinde tempora, quibus Italicum præcipue Regnum novam rerum faciem ſumſit, grandemque regiminis mutationem in ſe conſpexit. Quippe Epiſcopis aut Civitatibus bene multis, decus ſuum augere cupientibus, aut libertatem ſibi ſenſim vendicantibus, Regalia conceſſa ab Auguſtis fuere, inter quæ jus cudendæ pecuniæ. Id præſertim invaleſcere cœpit Sæculo Vulgaris Æræ XI. quamquam, quod eſt ad Epiſcopos, non deſunt exempla temporalis dominationis longe antea arreptæ, Nummorumque ab ipſis percuſſorum. Thomaſinus & Le-Blancus hac de re conſulendi. Certe Galliarum Epiſcopis nonnullis, immo & Abbatibus, longe antea quàm Italicis, Monetæ jus conceſſum fuit. Liceat tamen dicere, non omnia, quæ traduntur de conceſsâ eiſdem Epiſcopis aut Abbatibus Monetâ ante Annum Chriſti Milleſimum, ſine ullo examine tamquam certa eſſe continuo accipienda. Si Browero fides Lib. 9 Annal. Trevir. Ludovicus Germaniæ Rex Anno Chriſti DCCCCII. Ratbodo Treverenſi Archiepiſcopo, *Treverice Civitatis Monetam, Telonium* &c. contulit. Sed ne quid diſſimulem, erunt quibus Diploma illud, a Rege undecim tantùm annos nato emiſſum, ſuſpicionem ingerat eâ potiſſimum de cauſsâ, quod ibi non datum, ſed reſtitutum Ratbodo jus Monetæ dicatur. *Quæ quondam* (ita pergit dicere Diploma) *tempore Weomodi ejuſdem Urbis Archiepiſcopi de Epiſcopatu obſtricta, & in Comitatum converſa noſcuntur*. Anno Chriſti DCCLXXII. Cathedram Treverenſem aſcendit Weomodus. Credat qui velit, eo tempore, immo & longe antea (uti ſuadere illud ipſum Privilegium videtur) ad Archiepiſcopos ſpectaſſe jus Treverenſis Monetæ. Sed nunquam deſiderati ſunt, qui præſentem nobilitatis aut potentiæ ſuæ ſtatum ad antiquitatem etiam referre voluerunt; & quod veteres ignorarunt, ipſi aut impavide commenti ſunt, aut tabulis jamdiu confictis fidem adhibuerunt. Browerus ipſe ad eum Annum DCCCCII. quum mentionem *Comitis* in Treverenſi Urbe deprehenderet, ſcripſit, *Comites pro Archiepiſcopo in Urbe jus dixiſſe*; *& jus Urbis Trevirenſi Archiepiſcopo* per Diploma illud reſtitutum fuiſſe: quod nemo alius, niſi certiora monumenta adferantur, affirmare, aut credere audebit. Non Epiſcoporum, neque Archiepiſcoporum, ſed Imperatorum & Regum Miniſtri olim fuere *Comites*. Itaque Sæculo Chriſti Undecimo præter hactenus commemoratas Civitates, cœperunt aliæ officinam Monetariam ex Imperiali conceſſione habere, conditione appoſitâ, ut ibi nomen quoque Imperatoris aut Regis ſignaretur, in ſupremæ dominationis indicium. Qui ritus ac privilegium paullatim adeo crevit, ut nulla demum e Civitatibus liberis, nullus e Principibus ſuperfuerit, cui non licuerit deinceps ſignare argentum, ipſumque denique aurum. Ego ſecundùm ordinem Alphabeti quotquot Nummos Principum ac Urbium congerere hactenus potui, omnium oculis exponam.

ANCONA.

A*Nconitanæ Urbis* Nummos complures vidi Mutinæ. Quum enim peregrini pietatis cauſsâ Aſſiſium, aut ſacrum Lauretanum Templum peterent, domum ſæpe referebant Anconitana Numiſmata, quod Sanctum Cyriacum, ſeu Quiriacum arbitrarentur peculiari virtute præditum ad certum aliquid a Deo impetrandum.

Primus Nummus in Muſeo Chiappinio Placentiæ, & Romæ apud doctiſſimum Equitem Franciſcum Victorium adſervatur. Hanc epigraphen in antica præfert ✠. PP. S. QVIRIACVS, tribus poſtremis literis ex area collectis. In poſtica Crux, cum literis circumductis DE ANCONA. Ughellius quoque ſimilem protulit Tom. I. Ital. Sacræ.

Secundus Nummus Mutinæ apud Comitem Johannem Baptiſtam Scalabrinium, Dominicum Vandellium, Johannem Franciſcum de Solis, atque penes alios exſiſtens (variæ tamen formæ) imaginem exhibet Epiſcopi cum epigraphe P. P. S. QVIRIACVS, & in aliis PP. S. CIRIACVS. Altera facies in area Crucem habet, & haſce literas DE ANCONA.

Tertium adſervat Mutinæ Bertacchinius in ſuo Muſeo, præcedentibus ſimilem, niſi quod Claves decuſſatæ adjectæ fuerunt, ad indicium tunc dominantis ibi Eccleſiæ Romanæ. Anconitanæ verò Civitatis a tempore antiquiſſimo patronus eſt Sanctus Cyriacus. At quis ille fuerit, diu inter Eruditos diſceptatum eſt, nihilque hactenus certi emerſit. Sunt qui Epiſcopum Hieroſolymitanum & Martyrem; ſunt & qui Anconitanum Antiſtitem volunt. Ughellium præſertim vide in Epiſcopis Anconitanis, & Clariſs. Papebrochium in Præfatione ad ejus Acta die IV. Maji in Actis Sanctorum. Innumeræ profectò heic fabulæ locum invenere, neque Acta apocrypha deſunt. Atque

que ut verum fatear, niſi me cohibuiſſet Nummus Ariminenſis infra edendus, ſuſpicio mihi ſuborta fuiſſet, Anconitanos olim neque Epiſcopum ſuum, neque Hieroſolymitanum Patriarcham arbitratos fuiſſe Sanctum Quiriacum, ſed Romanum Pontificem. Nam quum Sanctis adjungitur duplex PP. nihil aliud ſignificari conſuevit niſi PAPA. At in fabuloſa & antiqua *Legenda Sanctæ Urſulæ*, & ſi Superis placet, XI. millium Virginum & Martyrum, *Cyriacus Papa* occurrit, alioqui fabuloſus, niſi ſub *Cyriaci* nomine *Siricium Papam* deſignatum velis: quod opinantur, qui immanem illam fabularum ſtruem ſuſtinere pergunt. Sed huic ſuſpicioni locum non relinquit Nummus Ariminenſis, & ſitus etiam duorum PP. quæ non ſubſequuntur, ſed præcedunt nomen Epiſcopi. Fieri potuit, ut moniti Anconitani, ægre ſuſtineri poſſe Quiriacum illum Patriarcham Hieroſolymitanum, ſeſe receperint ad aſſerendum Sanctum Quiriacum tantummodo Anconæ Epiſcopum. Et reapſe apud Alexandrum Bertacchinium, toties mihi laudatum, Nummus conſpicitur cum effigie Epiſcopi, neque ibi occurrunt duo PP. ſed tantummodo S. QVIRIACVS EPS. ideſt *Sanctus Quiriacus Epiſcopus*.

Quartus Nummus Veronæ in Muſelliano Muſeo adſervatus, virum oſtendit in equo currente ſedentem, cum epigraphe DE ANCONA. In poſticæ area viſitur A, & circum S. QVIRIACVS PP.

Quinctus denique Nummus in Bertacchinio Mutinenſi Muſeo, præfert inſignia gentilitia Paulli II. Papæ, cum Clavibus ac Triregno ſuperpoſitis, additâ in limbo epigraphe PAVLVS. PAPA. II. In poſtica effigies Sancti cujuſdam, fortaſſe Cyriaci, cum literis in circuitu MARCHIA ANCONE. Inter Paulli II. Nummos a Clariſs. P. Bonannio editos hunc non invenio.

AQUILA CIVITAS.

A*Quilanæ Civitatis* Nummos habes ſupra a me evulgatos inter Nummos Ladiſlai, Ferdinandi I. & Caroli VIII. Regum Neapolis. Unum quoque infra proferam, in cujus antica viſuntur Pontificiæ Claves decuſſatæ, cum Tiara Papali, in epigraphe verò legitur INNOCENTIVS. P. P. VIII. In averſa parte Aquila aream occupat, & circumſtant literæ AQVILANA CIVITAS . . . Spectat hic Nummus ad Sæculum Chriſti XV.

AQUILEJA, ET PATRIARCHÆ AQUILEJENSES.

DUm ſtetit nobiliſſima *Civitas*, *Aquileia* videlicet, uſque ad tempora Attilæ Hunnorum Regis, Nummos ibi percuſſos vidimus a Romanorum Imperatoribus Chriſtianis. At poſt ejus miſerabile excidium, nullum ibi per multa Sæcula veſtigium officinæ Monetariæ fuit. Patriarchis demum Aquilejenſibus, utpote qui ampliſſimæ regioni dominabantur, collata eſt eadem prærogativa a Friderico II. Auguſto. An antea argentum Patriarchæ ſignarint, ignotum mihi eſt. Saltem ab eo tempore argentei Nummi viſuntur ad eorum nutum cuſi, quorum iconem ex Muſeo Comitis Johannis de Lazara Patricii Patavini expreſſam ad me miſit amantiſſimus mei Adamus Pivatus Sacræ Theologiæ Doctor, ac inter Patavinos Parochos ſpe ctatiſſimus. Longe verò uberiorem copiam ſuppeditavit mihi humaniſſimus atque hujuſmodi monumentorum ſtudioſus venator, Johannes Franciſcus Muſellius, Archipresbyter Cathedralis Veronenſis, qui quæcumque antea collegerat Cl. V. Franciſcus Blanchinius, in ſuum Muſeum intulit.

Primus ergo e Muſelliano Muſeo depromtus Nummus effigiem Patriarchæ præfert, Pallium Archiepiſcopale gerentis, & Crucem dexterâ, Librum ſiniſtrâ tenentis, cum epigraphe VOLFKER. EP. ideſt *Volfkerius Epiſcopus*. In poſtica Aquila coronata cum literis in circuitu CIVITAS. AQVILEGIA. Percuſſus fuit hic Nummus circiter Annum Chriſti MCCXX.

Secundus ex eodem Muſeo deſcriptus, parem in antica effigiem exhibet cum literis BERTOLDVS P. hoc eſt, *Patriarcha*. In averſâ facie figura hominis, ſublatas manus habentis, cum inſcriptione CIVITAS AQVILEGIA. Ad Annum Chriſti circiter MCCXXXIV. referendus videtur Nummus.

Tertius in Muſeo Lazara exſiſtens ad eumdem *Bertholdum* Patriarcham pertinet. Similis eſt præcedenti, niſi quod Aquila aream poſticæ occupat.

Quartus Nummus in Muſelliano Muſeo adſervatus, effigiem Patriarchæ habet cum literis BERTOLDVS P. In poſtica viſitur porta cum tribus turribus, & epigraphe CIVITAS. AQVILEGIA.

Quinctum Nummum adſervat prælaudatus Muſellius. Hanc inſcriptionem exhibet: GREGORI*us* ELECTVS. In poſtica Archiepiſcopus, Crucem accipiens a quodam Sancto (Hermagoram opinor) cum literis CIVITAS. AQVILEGIA. Is eſt *Gregorius de Montelongo*, Anno Chriſti MCCLII. Patriarcha renuntiatus.

Sextus Nummus, in Muſeo Lazara exſiſtens, ad eumdem *Gregorium* jam conſecratum ſpectat, cum epigraphe in antica GREGO*rius* PATRI*archa*. Poſticæ aream Aquila implet, cum literis in limbo AQVILEGIA.

Septimus, Octavus, & Nonus Nummi, e Blanchinianis ſchedis deſcripti, ad ipſum Gregorium pertinent. Lilium in primis duobus; Crux in tertio viſitur.

Decimus, Undecimus, ac Duodecimus, ex iiſdem ſchedis depromti, hac epigraphe inſigniti ſunt: RAIMVMDVS. PA*triarcha*. In poſtica AQVILEGENSIS. Is eſt *Raymundus de la Turre*, cujus inſignia, nempe Turris, in Decimo Nummo ſpectantur; Aquila verò aut Lilia, cum Deiparæ imagine, in ceteris conſpiciuntur. Is electus fuit Anno Chriſti MCCLXXII.

Decimus tertius, ad eumdem Patriarcham pertinens, & in Muſeo Lazara adſervatus, duas Claves, ſpiritalem nempe ac temporalem poteſtatem indicantes, ſimulque Turres duas, celeberrimæ gentis Turrianæ inſignia, præfert, cum inſcriptionibus, ut in præcedentibus Nummis.

Decimus quartus, ibidem exſiſtens, hac epigraphe ſignatus eſt: PETRVS PATRIARKA, electus circiter Annum Chriſti MCCXCIX. In averſa parte Aquila cum Patriarchæ avitis inſignibus viſitur, & literis AQVILEGENSIS.

Decimum quinctum adſervat in ſuo Muſeo Veronenſi Muſellius. Ibi ſimiles figuræ & inſignia conſpiciuntur, & inſcriptiones PETRVS PATR*iarch*A AQVILEGENSIS.

Decimus ſextus in Muſeo Lazara exſtat. Ibi Patriarchæ imago cum epigraphe OTOBONVS PA-

PATriarcha. In poſtica illius inſignia & literæ AQVILEGENSIS. Electus is fuit Anno Chriſti MCCCI.

Decimus ſeptimus, ibi quoque adſervatus, habet literas continet PAGAnus PATRiarchA, electus circiter Annum Chriſti MCCCXIX. In averſa parte Turris, ejus inſigne, & AQVILEGIA.

Decimus octavus ibidem viſitur. Præfert vero Deiparæ imaginem, puerum Jeſum in ulnis geſtantem, hac epigraphe BERTRANDVS Patriarcha, Anno Chriſti MCCCXXXV electus. A tergo Aquila cum literis AQVILEGENSIS.

Decimus nonus Nummus, e Muſeo Muſelliano deſcriptus, ad eumdem Bertrandum ſpectat. In antica Crux & DEVS. Circumſtant literæ BERTRANDVS PATriarcHA. In poſticâ effigies Sancti, cum epigraphe: S. HerMACHORas AQVILEGENSIS.

Vigeſimus, ibidem adſervatus, ad eumdem Bertrandum pertinet, & a præcedenti parum differt.

Vigeſimum primum poſſidet Comes Lazara in ſuo Muſeo. In area Leonem habet corona cum erectis pedibus, quem nos appellamus *Rampante*, cum literis: MONETA NICOLAI. In altera parte Crux & literæ PATRiarcHAE AQVILEGenſis. Iſte Anno Chriſti MCCCL. electus fuit.

Vigeſimus ſecundus ibidem. In area exhibet duo Sceptra liliata cum epigraphe MONETA LVDOVICI. Hinc inde duo ſceptra videntur literæ L. V. nempe *Ludovicus*. In poſticâ Aquila cum literis PATRIARCHA AQVILGENSis, electus Anno Chriſti MCCCLVIII.

Vigeſimus tertius in Muſeo Muſelliano, Ludovico eidem eſt adſcribendus. Sedet is in cathedra, ſive faldiſtorio. Circumſtant literæ LVDOVICVS PATriarcha. In altera facie ejus inſignia, hoc eſt Turris, unde prodeunt duo ſceptra liliata, & hinc inde L V. Circumſtant literæ AQVILEGIA.

Vigeſimus quartus in Muſeo Lazara, Aquilam oſtendit, & literas in limbo MONETA MARQVARDI PATriarchaE Aquilejenſis electi Anno Chriſti MCCCLXIV. In poſtica imago Sancti Epiſcopi cum epigraphe S. HERMACORA, qui primus Aquilejenſium Antiſtes fuit.

Vigeſimus quinctus in Muſeo Muſelliano. Area habet globum ſupra pulvinar, ſub quo litera M. Circumſtant literæ MARQVARDVS PATRiarchA. In averſa parte Crux cum epigraphe AQVILEGENSIS.

Vigeſimus ſextus in Muſeo Lazara. Area exhibet inſignia Regiæ Franciæ Familiæ, nempe tria Lilia cum literis FILIPVS COMINARIS. In altera parte Aquila cum literis PATRIARCHA AQVILEGENSIS. Hic e ſanguine Regum Francorum, & e Comitibus de Alenconio natus, & purpurâ Cardinalitiâ illuſtris, circiter Annum Chriſti MCCCLXXXII. ad regendam Aquilejenſem Eccleſiam deſtinatus fuit. Quid ſit illud *Cominaris*, petis. Reſpondeo, attritas fortaſſe literas verum ſenſum non reddidiſſe. Sulpicor autem, ſignificatum per eas fuiſſe COMmENdAtaRIuS: nam ob hunc ipſum titulum Populos reluctantes Philippus invenit, ac univerſa Patria Fori Julii bellorum turbinibus diu afflicta fuit.

Vigeſimus ſeptimus in Muſeo Veronenſi Muſelliano. Antica præfert Aquilam ſcacchatam cum literis IOANES PATRIARCA AQVIlejenſis. In poſtica Epiſcopus ſedens in faldiſtorio leonum cum epigraphe S HERMACHORAS. Johannes electus fuit in ſchiſmate circiter Annum MCCCLXXXIX.

Vigeſimus octavus ibidem viſitur. In area caſſis pennigera ſupra ejuſdem Patriarchæ inſignia, cum literis IOANES PATRIarcHA. In poſtica effigies mitrata Sancti Epiſcopi cum literis SANCTVS HERMACHORAS

Vigeſimus nonus in eodem Muſeo Muſelliano. In area Scutum gentilitium Cajetanæ gentis cum duabus falcis, ſive viperis veru tranſfixis. Circumſtant literæ ANTONIVS PATRIARCHA, electus Anno MCCCXCV. Crux in poſticâ cum literis AQVILEGENSIS.

Trigeſimus in eodem Muſeo, ad prælaudatum *Antonium* Cajetanum ſpectat. Parum a præcedenti differt. In poſtica viſitur Aquila.

Trigeſimus primus Nummus e Muſeo Veronenſi Muſelliano depromtus, ſcutum gentilitium præfert cum literis ANTONIVS PATRIARCHA. In poſtica Aquila, & AQVILEGENSIS. Inſignia diverſa a præcedenti nos monent, ſpectare hunc Nummum ad *Antonium de Porta Gruario*, Anno Chriſti MCCCCII. electum Patriarcham.

Trigeſimus ſecundus ibidem adſervatur. In area viſitur Scutum gentilitium ſcacchatum cum epigraphe LVDOVICVS. DVX. DE. TECH. In poſtica imago Deiparæ, & PATRiarchA AQVILEienſis. Electus ille fuit Anno Chriſti MCCCCXVIII.

Trigeſimus tertius in eodem Muſelliano Muſeo, eſt majoris moduli Nummus, *Medaglione* Italice appellatus. Ibi effigies viri Eccleſiaſtici, coronam Clericalem gerentis, cum literis in limbo LVDO . . . . . AQVILEGIENSIVM PATRIARCHA ECCLESIAM RESTITVIT. In poſtica milites procedentes, cum epigraphe ECCLESIAM RESTITuit EX ALTO. Spectat Numiſma ad *Ludovicum Scarampum Cardinalem* Anno Chriſti MCCCCXL. Patriarcham electum, qui concordiam cum Venetis Foro Julii dominantibus iniit.

ARIMINUM.

NOn unum *Ariminenſis Urbis* Nummum vidi, diverſi quidem moduli; ſed in ſingulis eadem ferme facies erat. Romæ unum poſſidet egregius inter Eruditos vir Abbas Franciſcus Valeſius, & Mutinæ alios ſimiles argenteos adſervat Bertacchinius in ſuo Muſeo, Dominicus Vandellius, & Bartholomeus Solianus, nuper laudati. Ibi effigies Epiſcopi Sancti, cum literis PP. S. GAVDECIVS. Is eſt *Sanctus Gaudentius Epiſcopus*, & patronus Ariminenſium. In altera facie Crux cum epigraphe DE ARIMINO. Uti in Nummis Anconitanis, ita & heic habes duas literas PP. præpoſitas nomini Sancti Gaudentii: quæ quamvis *Papa* alibi ſignificent, heic alium in finem adhibitæ videntur, quaſi ſonent *Perpetuus Patronus*, ſeu *Patriæ Protector*, aut aliud ſimile.

Alterum Ariminenſem Nummum argenteum, eumque vetuſtum, Romæ poſſidet Benedictus Floravantes Abbas, qui de Nummis antiquorum Pontificum optime meritus eſt. Ibi in circuitu atque in area legitur SANT. IVLIANVS. In poſtica Crux, & literæ in limbo: DE. ARIMINO.

Adjungere etiam placet æreum Nummum, ſeu potius Numiſma, Mutinæ in Muſeo Bertacchinio adſervatum. Ibi effigies Principis laureati

reati cum inſcriptione SIGISMVNDVS. PANDVLFVS. MALATESTA. PAN*dulfi Filius*. In averſa proſpectus Templi Ariminenſis Sancti Franciſci, ab ipſo ædificati, cum epigraphe PRAECL*arum*. ARIMINI. TEMPLVM. AN*no* GRATIAE *Vivens Fecit* MCCCCL. Vide infra ad vocem *Malateſtæ* alia Numiſmata ad eum ſpectantia.

ARRETIUM.

URbis *Arretinæ* vetuſtum æreum Nummum oſtendit mihi nobilis vir & Eques Gregorius Redius, celeberrimi viri Franciſci filius, ac Patricius Arretinus. Similem quoque adſervat Placentiæ ſæpe mihi memoratus Abbas Chiappinius, & Mutinæ Bartholomæus Solianus. In una parte effigies Sancti Epiſcopi cum epigraphe S. DONATVS, ſcilicet Civitatis Patronus. In altera Crux cum literis circum exaratis DE ARITIO.

Secundus parum abſimilis, ab olim Cl. V. Huberto Benvogliento ad me miſſus, hanc inſcriptionem præfert PP. S. DONATVS. Nuper vidimus in Anconitanis, & Ariminenſibus Nummis occurrere duo PP. præfixa nominibus Sanctorum Epiſcoporum, earumdem Civitatum Protectorum. Poſtica habet DE ARITIO.

Tertius argenteus penes eruditum Juriſconſultum Franciſcum Mariam Joachinum, Auditorem Rotæ Bononienſis, poſticam tantummodo a primo diverſam habet.

Quartus Nummus e ſchedis Blanchinianis, Veronæ in Muſeo Muſelliano adſervatus, præcedenti fere ſimilis eſt. Legitur & ibi DE ARITIO. Ita quippe tunc temporis *Arretini* ſcribebant. Gorellus in Chronico a me edito Tom. XV. Rer. Italicar. idem teſtatur inquiens:

Il vero nome mio fu ſempre Arizio
Per le molt' are, ch' eran nel mio centro,
Dove agli Dei ſi facea ſacrifizio.

Sed in nummulis æreis minus antiquis, ut mihi idem Redius oſtendit, elegantius, & ad fidem antiquarum Inſcriptionum ſcriptum eſt DE ARRETIO.

ASCULUM.

A*Sculum* quoque Piceni, ſive Marchiæ Anconitanæ Civitas, olim jure Monetæ fruebatur, uti fidem faciet Nummus æreus, quem ad me miſit Philippus Camerinius Oratorii Camerinenſis Presbyter, vir doctus, & antiquitatum amantiſſimus. Viſitur ibi in area proſpectus Portæ, ſive Pontis, aut alicujus turriti ædificii. Circum ducuntur hæ literæ DE ASCHOLO. Altera facies Crucem exhibet, in cujus angulis Lilia. Epigraphen ærugo abſumſit.

Secundum addo, in Muſeo Bertacchinio Mutinæ adſervatum. Inſignia gentilitia Pontificis cum Clavibus & Triregno ſuperpoſitis ibi viſuntur. In limbo ALE . . . . P. M. Fortaſſis percuſſus eſt Nummus ab *Alexandro VI.* Papa ſub finem Seculi a Chriſto nato Decimi quinti. In poſtica viſitur Porta, cum duobus Aſteriſcis, & literis DE ASCVLO.

Tertius argenteus, præcedenti antiquior, penes laudatum Juris Conſultum Joachinium Foroſempronienſem, in antica exhibet literas MARTIN*us* PAPA. Pontificiæ claves ſupra viſuntur. In poſtica: S. EMI*g*D*ius*, Epiſcopus nempe Sanctus, & patronus Civitatis DE ESCVLO. Veri videtur ſimile, percuſſum fuiſſe Nummum, ſedente *Martino V.* Pontifice Maximo.


Quartus argenteus Romæ adſervatur apud Clariſs. Abbatem Benedictum Floravantem. In antica legitur R. SFORTIA, ideſt *Robertus Sfortia* Aſculi Dominus. In poſtica S. EMIDIVS DE ESCVLO. Alterum ſimilem poſſidet Romæ nobilis Eques Franciſcus Victorius. Apud quem etiam exiſtunt duo alii Nummi Aſculani, in quorum primo legitur PP. S. EMIDIVS. DE ESCVLO. In altero EVGENIV. PAPA. S. EMMID. D. ESCVLO.

ASTA.


PRimum *Civitatis Aſtenſis* Nummum ex argento & ære conflatum, mihi ſuppeditavit Muſeum Chiappinium Placentinum. Antica in limbo has literas habet: CVNRADVS II. & in area REX. In poſtica Crux cum literis ASTENSIS.

Secundus prorſus ſimilis præcedenti, Mutinæ in Muſeo Bertacchinio adſervatur. Eadem & ibi utrobique Inſcriptio. A *Conrado II.* Germaniæ ac Italiæ Rege, Anno Chriſti MCXL. Aſtenſes *jus faciendi Monetam* accepere, uti fidem facit ejuſdem Diploma ab Ughellio editum Tom. 4. Italiæ Sacræ.


ANCONÆ.



AQUILÆ.




AQUILEJÆ, ET PATRIARCHARUM AQUILEJENSIUM.



ARIMINI.



ARRETII.



ASCULI.



ASTÆ.



BERGOMUM.

TRiplex Nummus *Bergomatis Urbis* mihi præſto fuit. Alterum poſſideo ego argenteum, qui & in Muſeo Chiappinio, & Bertacchinio viſitur. Alter moduli minoris, ſed ejuſdem ferme ectypi in iiſdem Muſeis adſervatur. Ibi viſitur effigies Imperatoris laureati cum epigraphe IMPRT. ideſt *Imperator* FREDERICVS, ut arbitror, Primus. In poſtica Civitatis turritæ ſupra montem ſitæ imago, cum literis PERGAMVM: ita enim temporibus iis Bergomates nuncupare ſuam Urbem conſueverunt. Percuſſus Nummus circa Annum Chriſti MCLXII. Refert Ughellius in Ital. Sacr. Tom. 4. Diploma Friderici I. nuper memorati, datum Anno MCLVI. in quo concedit Gerardo Bergomati Epiſcopo, *ut liceat ei in Civitate ſua Monetam publicam cudere, quam per omnem Comitatum & Epiſcopatum ejus dativam & acceptam eſſe* præcipit. Nummi, quos vidi, percuſſi non ab Epiſcopo, ſed a Republica Bergomate mihi creduntur.

A Tertius Nummus ex argento & ære in Muſeo Bertacchinio, aliquantulum a præcedentibus formâ diverſus, in reliquis tamen eſt ſimilis. Opinor ego, etiam poſt Frederici I. Auguſti mortem continuaſſe Bergomates in ſuos Nummos inferre nomen Frederici, qui primus privilegium cudendæ Monetæ conceſſit. Hoc & ab aliis Civitatibus factum jam animadvertimus.


BONONIA.

AUctor eſt celeberrimus vir Carolus Sigonius Lib. 4. Hiſtor. Bononienſ. (quem poſtea ſequutus eſt Ghirardaccius) ab Henrico
B inter Auguſtos V. & Rege VI. privilegium ſignandi argenti & æris Bononienſibus Anno Chriſti MCXCI. conceſſum fuiſſe. Quam in rem is laudat acta vetera Bononienſis Archivi, ejuſque ſententiam confirmabunt Nummi infra evulgandi. Sed quando licuit mihi Diploma ipſum ex eodem Tabulario deſcriptum accipere, nunc in omnium commodum proferam.

Hen-

Henrici VI. Germaniæ ac Italiæ Regis Diploma, per quod Bononienſi Populo jus Monetæ largitur, Anno 1191.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Henricus Sextus, divina favente clementia Romanorum Rex, & ſemper Auguſtus. *Regalis noſtræ convenit benignitati ſuorum devotorum fidelium benigne ſerenitatis noſtræ favore reſpicere, & eis munificentiæ noſtræ manum liberaliter extendere. Noverit itaque omnium Imperii fidelium tam præſens ætas, quam ſucceſſura poſteritas, quod nos noſtrorum fidelium* Communis Bononienſis *amore inducti*, eis conceſſimus licentiam in Civitate Bononiæ cudendi Monetam, *& loco Communis ipſius Civitatis Poteſtatem Agnellum hujus conceſſionis donatione inveſtimus hoc tenore, ut ſecundum quod eis viſum fuerit expediens, faciant Monetam. Hoc excepto, quod Moneta ipſorum noſtris Imperialibus nec quantitate, nec formâ, nec valentiâ debet adæquari. Quæ noſtræ liberalitatis conceſſio ut firma permaneat, præſentem ſuper hoc paginam ſcribimus conſcribi, & majeſtatis noſtræ ſigillo juſſimus communiri; Regali ſancientes edicto, ut huic noſtræ munificentiæ nulla perſona humilis vel alta præſumat obviare, vel eam auſu temerario infringere. Hujus rei teſtes ſunt* Godefridus Aquilejenſis Patriarcha, Guillelmus Aſtenſis Epiſcopus, & Ravennas electus Archiepiſcopus, Otto Friſingenſis Epiſcopus, Bonifacius Novarienſis Epiſcopus, Gerardus Parmenſis Epiſcopus, Sigifredus Mantuanus Epiſcopus, Arditio Mutinenſis Epiſcopus, Petrus Reginus Epiſcopus, Conradus Dux de Rotamberg, Opizo Marchio de Eſte, Bonifacius Marchio Montisferrati, Petrus Præfectus Urbis, Rainerius Comes de Blandrato, *Henricus Teſta Mareſcalcus, Henricus Camerarius de Lut; & alii quamplures.*

Signum Domini Henrici  *Sexti Romanorum Regis invictiſſimi.*

Ego Ditherius Imperialis Aulæ Cancellarius, vice Philippi Colonienſis Archiepiſcopus & Italiæ Archicancellarii recognovi.

Acta ſunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo Centeſimo Nonageſimo Primo, regnante Domino Henrico VI. Romanorum Rege glorioſiſſimo, Anno Regni ejus XXII.

Data Bononiæ Idibus Februarii per manum Henrici Protonotarii, feliciter. Amen.

Heic autem rurſus audiendus Sigonius, qui ſubdit, neque *Langobardorum temporibus* Bononienſi Populo jus cudendæ pecuniæ defuiſſe, *quemadmodum ex privilegio Deſiderii Regis Viterbienſibus dato cognoſcitur*. Privilegium a Sigonio, ſive ab ejus Operis poſtumi editore indicatum, nihil aliud eſt, niſi famoſum Deſiderii Edictum, Viterbii adhuc in marmorea tabula inſcriptum, & ab aliquo Impoſtore confictum, quod Sigonius ipſe Lib. 3 de Regn. Ital. commemoravit, tum Gruterus veluti gemmam inter antiquas Inſcriptiones retulit, ut alios laudatores omittam. Antiquos non miror, qui a commenticio ejuſmodi Edicto non ſatis ſibi caverunt. Miror magis, quod Holſtenius vir ſane doctiſſimus, & inter Criticos adeo celebris, poſtremis hiſce temporibus, & poſt tantam lucem eruditioni Eccleſiaſticæ atque profanæ partam, probare ac tueri perrexerit monumentum, jam communi doctorum hominum ſuffragio ad fabulas amandatum: quod & nuper tentavit Viterbienſis Civis, Romæ degens, qui illius patrocinium ſuſcipere non dubitavit, ſubridente, ut puto, Eruditorum Romanorum integro cœtu. Videat Lector, quid nupero Scriptori huic regeſſerit Cl. V. D. Gaſpar Berettus Monachus Benedictinus, & ſæpius tum in hoc Opere, tum in Collectione Rer. Italicarum mihi laudatus. Addam ego, omnium loco ſufficere ad prodendam illius Edicti impoſturam, quæ de re Monetaria ibi leguntur. Nempe ait confictus ille Deſiderius Rex: PERMITTIMVS (ſcilicet Viterbienſi Populo) PECVNIIS IMPRIMI F. A. V. L. SED AMOVERI HERCVLEM ET PONI SANCTVM LAVRENTIVM EORVM PATRONVM, VT FACIT ROMA ET BONONIA. Mitto phraſim illam *pecuniis imprimere*, & ajo, in paucis hiſce verbis plures fabulas comprehendi. Tam falſum eſt, quam quod falſiſſimum, temporibus iis, Monetæ jus datum fuiſſe *Viterbienſi Caſtro*, uti illud appellat Anaſtaſius Bibliothecarius, quum eo carerent, ut vidimus, fere omnes Italiæ præclariores Urbes. Falſum itidem, tunc Bononiæ percuſſos fuiſſe Nummos. Præterea univerſam antiquitatem reclamantem noris, ubi verba iſta ſignificare credantur, tunc Romæ & Bononiæ obſignatam fuiſſe pecuniam cum effigie *Sancti Laurentii*. Nugæ ac lyræ ſunt iſta, uti & reliqua ſuppoſiticii illius fœtus inventa, e quibus unum præterire nolo. Laudatus eſt a Beretto Volaterranus ſcribens, *Petram Sanctam Lucenſium ædificium, quo tempore de finibus illi cum Genuenſibus litigabant: appellaruntque ex cognomine Viri Mediolanenſis, qui ab Imperatore arbiter eo miſſus, locum illum Lucenſibus adjudicavit*. In ſpurio illo Edicto ait Deſiderius, ſe ædificaſſe PETRAM SANCTAM, OLIM FANVM FERONIÆ. At nil pecuniæ impendit Rex ille in condendo Oppido, poſt aliquot tantùm Sæcula nato. Et Volaterranus qui-

quidem rem ſenſit, quamquam non ſatis per omnia novit. Germanam Petræ Sanctæ originem nobis ſervavit Ptolomeus Lucenſis Hiſtoricus, qui Annales breves Anno Chriſti MCCCIII. ſcripſit, a me inlatos in Tomum XI. Rer. Italicarum. Sunt ejus verba ad Annum MCCLV. *Dominus Guiſcardus de Petra Sancta* (Mediolanenſis) *fuit hic Poteſtas* (Lucenſis). *Qui de Verſilia duos Burgos, unum ex* SUO NOMINE *nominavit; alterum verò Campum Majorem. Hunc ruſticis, ſeu hominibus Cattaneorum, alium verò de Petra Sancta replevit hominibus de Corvaria, & de Vallecchia* &c. Itaque unâ liturâ dele impudentiſſime confictum totum illud Edictum. Hoc ſibi habeant, qui fabulis delectantur. Sed jam repeto Bononienſium Nummos.

Primus tum apud me, tum apud nepotem meum Johannem Franciſcum de Solis, & penes alios Mutinenſes, atque in Muſeo Eſtenſi, Bertacchinio, & Chiappinio, adſervatus, in antica præfert has literas ENRICVS, & in poſtica I P R T. quæ initiales literæ ſunt quatuor ſyllabarum conſtituentium hanc vocem I*m*P*e*R*a*T*or*. Is eſt Henricus V. Auguſtus, qui Anno Chriſti MCXCI. Privilegium ejuſmodi, ut vidimus, Bononienſi Populo contulit. In poſticæ limbo legitur BONONI, & in medio A, quod conjunctum literis iiſdem dat *Bononia*. Similem Nummum, ſed minoris moduli, conſpexi in prælaudato Muſeo Bertacchinio.

Secundus in eodem Muſeo, apud Joſeph Mariam Cattaneum, & Dominicum Vandellium, Mutinæ exſiſtens, in altera facie habet BONONIA, in altera MATER STVDIORVM, quem titulum laudis non immeritò eximia illa Civitas ſibi tribuit, & diu in Nummis a ſe percuſſis uſurpavit.

Tertium argenteum ad me miſit ſpectatiſſimus inter Proceres Bononienſes Johannes Paulus Marchio de Pepulis. Ibi in antica Crux cum literis viſitur TADEVS DE PEPOLIS. is nempe, qui Anno Chriſti MCCCXXXVII. Bononiæ Dominus electus fuit, illudque imperium magnifice geſtum ad filios quoque tranſmiſit. In poſtica eſt effigies Sancti Petri ſtantis cum Libro in ſiniſtra & Clavibus in dextera. Circumſtant literæ: S. P. (ideſt *Sanctus Petronius*) DE BONONIA. Ejuſmodi Nummos ab eodem Thaddæo percuſſos fuiſſe Anno MCCCXXXVII. auctor eſt Ghirardaccius in Hiſtor. Bononienſi. Idemque confirmatur ab Auctore Miſcellæ Bononienſis Tom. XVIII. Rer. Italicar. qui etiam animadvertit, unum ex hiſce Nummis æquaſſe pretium duorum Solidorum.

Quartus argenteus Mutinæ viſitur in Muſeo Bertacchinio. Altera facies exhibet has literas IA ET. IO. DE. PPLIS. & in area FRES, ideſt *Jacobus & Johannes de Pepolis fratres*, qui poſt Thaddæi patris ſui obitum dominari Bononiæ cœperunt Anno Chriſti MCCCXLVII. In altera facie legitur in circuitu BO.NO.NI.A.

Quinctus Nummus, Mutinæ apud Johannem Baptiſtam de Caula J. U. D. a me viſus, in antica præfert IOHES, ideſt *Johannes*, VICECOMES, Archiepiſcopus nempe ac Dominus Mediolani, cujus ditioni Anno Chriſti MCCCL. addita eſt a Pepulis dominatio Bononiæ. In poſtica legitur BONONIA.

Sextus argenteus adſervatus a ſupra memorato Abbate Joachino, exhibet effigiem Romani Pontificis cum literis VRBAN*us* P*a*P*a* V. In averſa facie BONONIA cum inſignibus aut Legati Pontificii, aut Confanonerii. Nummus cuſus Anno Chriſti MCCCLXVIII.

Septimus Nummus, in prælaudato Muſeo Bertacchinio exſiſtens, recentior eſt, atque a Bononia libera percuſſus. Ibi effigies Sancti Petronii Epiſcopi, quem Bononienſes Patronum ſibi ab antiquis Sæculis habent, cum epigraphe S. PETRONIVS. In averſa parte Leo ſtans in poſterioribus pedibus, & vexillum pedibus primoribus tenens, cum literis BONONIA DOCET: quo elogio prærogativam antiquæ Academiæ ſuæ Bononienſis Populus adhuc in ſuis Nummis prodit.

Octavus in eodem Muſeo Crucem in area præfert cum tribus Stellis ſuperpoſitis. Ad quem ſpectet iſtud Inſigne, inquirendum relinquo iis, qui otio abundant. Circumſtant literæ BO.NO.NI.A. In poſtica Leo nuper memoratus cum literis circum: DO.CET.

Nonus argenteus e ſchedis Blanchinianis, Veronæ in Muſeo Muſelliano adſervatis, depromtus, perquam ſimilis eſt præcedenti Septimo. Ibi effigies Sancti patroni cum literis S. PETRONIVS DE BONONIA. Aureum conſimilem Nummum poſſidet Johannes Dominicus Baciallius Bononienſis.

Decimus, apud prælaudatum Caulam Juriſconſultum, & Placentiæ in Muſeo Chiappinio, Claves habet, inſigne Romanæ Eccleſiæ, quæ Anno Chriſti MCCCLX. & pluries poſtea, Bononiam recepit. In limbo legitur: DE BONONIA. Altera facies imaginem Sancti Petronii oſtendit, manu geſtantis Urbem, cum literis in circuitu: S. PETRONIVS.

Undecimus aureus viſitur penes prælaudatum Johannem Dominicum Baciallium, a Secretis Senatus Bononienſis. In ejus antica habetur imago Sancti Petri Apoſtoli cum epigraphe S. PETRVS APOSTOLVS. Poſtica præfert in area Leonem gradientem cum Vexillo, in cujus extremitate inferiori eſt quoddam parvulum ſtemma gentilitium. Leguntur verò in limbo hæ literæ BONONIA DOCET. Sigonius Libro 3. de Epiſcopis Bononienſibus, ubi agit de Philippo Caraffa Neapolitano, hæc habet: *Itaque ſequenti* (Anno Chriſti MCCCLXXX.) *Nummum aureum percuſſerunt* (Bononienſes) *in quo ab uno latere Leonem Vexillum libertatis tenentem cum literis* BONONIA DOCET; *ab altero imaginem cum nomine Sancti Petri finxerunt*.

Hiſce addere juvat duodecimo loco Numiſma *Johannis II. Bentivoli*, Mutinæ exſiſtens in Muſeo Bertacchinio. Diu enim Johannes ipſe primas ibi tenuit, tum Bononiæ dominata eſt nobilis Bentivolorum Familia, quæ nuper etiam inſignem tum ingenio tum purpurâ Cardinalitiâ virum dedit Cornelium Bentivolum, potentiſſimi Hiſpaniarum Regis Philippi V. Legatum ad Romanum Pontificem. Numiſma nullâ explicatione indiget.

Alterum Numiſma potius quàm Nummum, argenteum minoris moduli, ſuppeditavit mihi peramicus vir mihi ſupra memoratus Johannes Baptiſta Bianconus Bononienſis. In ejus antica viſitur Bentivolæ gentis inſigne, & epigraphe IOANNI II. BENTIVOLO. In poſtica cernitur Aquila Imperialis, cum literis CONCESSIO MAXIMILIANI, ideſt Imperatoris.

B R I X I A.

SI Capriolo fides Lib. V. Hiſtoriæ Brixianæ, Anno Chriſti MCLXII. *Brixianis a Fede-*


rico

cius (ſcilicet Primus) *Imperatore*, *Brixia ducibus uſa monetam*, *conſiſtum eſt eorum ſignis Monetam cudere*. Cl. V. Paulus Galeardus Canonicus Brixianus, ut mihi hæc patriæ Nummos conſeriret, a me rogatus, unum tantummodo mihi, a ſe viſum penes nobilem virum Comitem Johannem de Martinengo. Eumdem quoque Patavii adſervat Comes Johannes de Lazara, uti ab amico Privato intellexi. Ibi Crux viſitur cum epigraphe BRISIA. & in averſa parte imagines Sanctorum Urbis Protectorum, cum literis S. FAVSTINV. S. IOVITA.


Alterum Nummum argenteum Mutinæ poſſidet Bertacchinus in ſuo Muſeo. Ibi Crux conſpicitur. Circumſtant literæ BRISIA. In altera facie e literis corroſis quatuor tantum ſuperſunt, videlicet ATOR. Veri ſimile videtur ibi ſcriptum fuiſſe FEDERIC. IMPERATOR.

Tertii Nummi ectypon ad me miſit prælaudatus Canonicus Galeardus. Ibi Crux eadem viſitur cum literis per angulos diſpertitis I. II. P. P. In limbo BRISIA. Eadem Sanctorum patronorum effigies in altera parte. Opinatur vir ille doctiſſimus, cuſum fuiſſe hunc Nummum a Brixiano Populo in honorem *Innocentii II. Papæ*, cujus nomen literis iis indicetur, quum Anno Chriſti MCXXXII. Malvecio teſte in Chronic. Brix. a me edito Tom. XIV. Rer. Italicar. (ſive, ut rectius idem Galeardus contendit in poſtrema edition. Ital. Sacr. Anno MCXXXIII.) idem Innocentius Pontifex Brixiæ fuerit. Perturbata profecto & manca eſt Hiſtoria in rebus geſtis & Chronologia Innocentii II. & nullus ex ſynchronis Scriptoribus innuit, Innocentium Anno MCXXXIII. Brixiam profectum, at fieri potuit, ut dum Placentiæ adventum Lotharii Germaniæ ac Italiæ Regis opperiretur, excurrerit uſque Brixiam. Sed poſtquam hoc ſtatueris, quærendum ſupereſt, qua facultate Brixiani Nummum percuſſerint eo Anno, quum Anno tantum MCLXII. ejuſmodi jure donati fuerint, ſi vera eſt Capreoli ſententia. Sed ſupra laudatus Galeardus vel ab Anno Chriſti MXLII. Brixianos obſignaſſe pecuniam tradit, quam in rem quæ certa documenta is adferat, nondum reſcivi. Utcumque ſit, inſuetum plane videatur, neque par exemplum ſuccurrat, Civitatem Lombardicam liberam nomen Papæ in ſuis Nummis exaraſſe, quum hoc dominationis temporalis ſignum ſit; neque certe Innocentio II. fuerit Brixiæ ulla temporalis ditio. Suſpicabar ego, an e literis, diligentius inſpectis, exſurgere poſſet INPERATOR, ut eſt in Nummo Ticinenſi Decimoſexto. Sed præſtat relinquere Civibus Brixianis tenebroſæ hujus epigraphes explicationem.

B E R G O M I.



B O N O N I Æ.




BRI-

B R I X I Æ.


I



II



III



CAMERINUM.

ANtiquum eſt decus *Urbis Camertis*, ſive *Camerini*, quum Sæculis barbaricis Marchiæ ſuæ nomen dederit, a Spoletino videlicet Ducatu diſtincta, quamquam plerumque Provinciæ utrique unus Princeps præeſſet. In libertatem denique & ipſa aſſurrexit, eoque tempore Nummos percuſſit. Ex iis nonnullos egomet Mutinæ reperi, alios mihi procuravit a Philippo Camerinio Presbytero doctiſſimo Oratorii Dionyſius Sancaſſanius, noſter Scandianenſis, Spoletinæ tunc Civitatis nunc Comaclenſis Medicus, vir ex editis Libris clariſſimus.

Primus Nummus æreus in Muſeo Alexandri Bertacchinii Mutinenſis exſiſtens, has literas præfert in limbo: VRBS CAME, & in area RINA. In averſa parte imago Epiſcopi patroni Urbis cum epigraphe S. ANSOVINVS.

Secundum argenteum adſervo ego. Ibi Crux in area, & in circuitu hæc inſcriptio: DE CAMMERENO. In poſticâ eadem *Sancti Anſovini* effigies, & epigraphe ut in præcedenti.

Tertius argenteus a prælaudato P. Camerinio adſervatus, differt tum formâ a Secundo Nummo, tum etiam quod præfert Inſigne Urbis in ſummitate, nempe tres Turres, ſive Domus.

Quartum item argenteum poſſidet idem Camerinius. Ibi epigraphe VR. CAMERIN, in medio A, ideſt *Urbs Camerina*. Poſtica habet SANTVS VENA, & in area TIVS, hoc eſt *Sanctus Venantius*, alter Camerini Sanctus tutelaris. Tempus, quo Nummi iſti fuere percuſſi, ignoro.

Quinctus Camerini quoque exſiſtens, & a Sancaſſinio miſſus, inſigne Urbis in area exhibet, ſcilicet tres Ædes, ſive Turres cum literis D. CAMER. nempe *De Camerino*, niſi interpretari malis *Dominus Camerini*. In averſa parte Crux cum epigraphe S. VENANTIVS.

Sextus, Septimus, & Octavus depromti fuere e ſchedis Blanchinianis, Veronæ in Muſeo Muſelliano adſervatis. Parum abſimiles a Quarto Nummo ſunt, inter ſe tamen diverſi.

Nonus æreus apud me, ac etiam Camerini adſervatus, effigiem oſtendit Principis cum epigraphe IO. MARIA VARANVS CAMERINI D. ideſt *Johannes Maria Varanus Camerini Dux*, ſive *Dominus*. Diu in Urbe illa dominata eſt præclariſſima gens Varana. Johannes autem Maria cadente Sæculo Chriſti Decimoſexto *Ducis* titulum arripuit. In altera parte inſigne ejuſdem Familiæ, cum epigraphe DISTINGVE ET CONCORDABIS. Alios ejuſdem Principis, ac Juliæ illius filiæ Nummos miſit Sancaſſanius, quos brevitatis amore prætermitto.

Decimum Nummum ad me miſit olim Hubertus Benvoglientus V. Cl. Ibi viſitur effigies Sancti Venantii, dexterâ Vexillum tenentis cum literis VENAN. In poſtica cernuntur inſignia

A Familiæ Varanæ dominantis, & in limbo CAMERINEN. VR. ideſt *Camerinenſis Urbs*.

Undecimus Nummus e Muſeo Muſelliano deſcriptus, hanc epigraphen exhibet: IOANNA. M. ET. IO. MARIA. VAR. CAM. videlicet *Johanna* de Malateſtis mater, & *Johannes Maria Varanus*, Domini *Camerini*. In poſtica S. VENA*n*TIVS. DE. CAMERI*no*.

C O M U M.

C*Omenſis Urbis* Nummus in Muſeo Bertacchinio viſitur. Argenteus eſt. In antica effigiem Imperatoris exhibet, dextrâ ſceptrum

B liliatum tenentis, & ſiniſtrâ roſam naſo admoventis, cum epigraphe FREDERICVS IMPERT. ideſt *Fridericus Imperator*. Primus-ne, an Secundus, Novocomenſes edicant. Ego in Secundum opinione inclino. Poſtica habet Aquilam (ſi tamen Aquila dicenda eſt) margaritis aut gemmis ornatam, cum literis in circuitu CIVITAS CVMANA: ita enim temporibus iis Comenſes ſuum cum Urbe Cumanum nomen confundebant. Quod quum minime animadvertiſſet Clariſs. Pagius, immeritò Sigonium meum arguit, uti oſtendi Par. I. Cap. XV. Antiquitat. Eſtenſium.

Alterum argenteum Nummum, Mutinæ vidi

C apud Johannem Zannonium. Ibi eadem antica. At in poſtica differt Aquilæ forma, ibique dumtaxat legitur CVMANVS, ideſt Populus. Vide in Tom. V. Rer. Italicar. Poëma de excidio Comenſis Civitatis, cui titulus *Cumanus*.

Tertius argenteus adſervatus apud ſæpe laudatum Abbatem Franciſcum Mariam Joachini Foroſempronienſem, neſcio an referendus ſit ad Novocomum. Sunt enim ibi omnia mihi obſcura. Viſuntur literæ CO. R. (ſive B. fortaſſis indicantes Bernabovem Mediolani, Comi, aliarumque Civitatum Dominum) VICECOMES. In altera facie VB. . . . . MANA. Non ſatis apparent literæ, ita ut incertum ſit, num

D forte VRBS CVMANA ibi fuerit expreſſa.

C O R T O N A.

IN hoc Nummo, cujus ectypon debeo Clariſs. Abbati Rodulphino Venuti, Patritio Cortonenſi, e Muſeo Patriæ Academiæ eductum CORTONA., in poſtica verò S. VINCENTIVS. Vetuſta namque, Etruriæ Civitas *Cortona*, antequam nobilis Caſaliæ gentis imperio pareret, Libertate, non ſecus ac reliquæ Etruriæ Urbes, fruebatur.

C R E M O N A.

E

SUpra vidimus, Fridericum I. Auguſtum Anno MCLV. tranſtuliſſe in Cremonenſes jus cudendæ pecuniæ, quo Mediolanenſes privaverat. Veritatem rei confirmabit Nummus æreus in Muſeo Bertacchinio Mutinæ adſervatus. In antica legitur FREDERICVS, in area

 IM-

IMPERATOR, tribus tantum literis expreſſus. Altera facies Crucem exhibet cum epigraphe DE CREMONA.

Secundus Nummus argenteus, Mutinæ apud Comitem Pancerium, in area F. dumtaxat habet, ideſt *Fredericus*, in limbo IMPERATOR. In averſa parte Crux & epigraphe CREMONA. Rurſus hîc meminerim, Civitates complures liberas permiſiſſe figurare pecuniam ſuam uno tempore nomine Imperatoris aut Regis ibi exarato, à quo jus Monetæ diu antea acceperant.

Tertius, Mutinæ in Muſeo Bertacchinio viſitur. In area legitur F. nempe *Fredericus*: in circuitu verò IMPERATOR. Poſtica Crucem præfert cum literis CREMONA.


Quartum Nummum poſſidet Placentiæ Reverendiſs. Chiappinius. Ibi in limbo legitur FEDERICVS, & in area IPR. ideſt *Imperator*. In averſa facie Crux conſpicitur cum epigraphe Cremona.

Quinctum Nummum adſervat quoque in Placentino ſuo Muſeo idem Abbas Chiappinius. Crux ibi viſitur in medio cum inſcriptione AZO VICECOMES. In altera parte legitur CREMONA. Ergo cuſus hic Nummus Anno Chriſti MCCCXXXV. quo Cremonenſi Civitate potitus eſt Azo Vicecomes Dominus Mediolani.


Sexti ectypon ad me miſit Cl. V. Franciſcus Ariſius, Conſervator Ordinum Cremonæ. Ibi cernitur in area Symbolum, nempe brachium armatum cum literis FORTITVDO MEA IN BRACHIO. In altera parte Epiſcopi Sancti effigies cum epigraphe S. HIMERIVS EPISCOPVS, patronus videlicet Cremonenſium.

Septimus Franciſci II. Sfortiæ Vicecomitis mihi ſuppeditatus à Marchionibus Fratribus de Vicecomitibus Mediolanenſibus; ex una parte exhibet S. Homobonum porrigentem eleemoſynam puero cum literis circumſcriptis S. HOMOBO PAVPERTAT. . . . . CrEMONEN. ex alio latere Anguem Puerum vorantem cum corona & literis in gyrum ✠ FR. II. SF. MED. . . . . DVCE 1527.


C A M E R I N I.



C O M I.




C O R T O N Æ.



CRE-

C R E M O N Æ



DECIANÆ COMES.

NObilis *Ticionum* , ſive *Tizzonum* gens , in Hiſtoria Vercellenſi celebris eſt , utpote quæ ibi primas aliquando tenuit , immo & dominata eſt . *Deciana* verò, nunc *Deſana* , Caſtellum eſt Vercellenſis agri , quod *Comitis* titulo poſſidere cœpit Anno Chriſti MCCCCXI. & ſubſequentibus , *Ludovicus Ticio* , qui ſe *Vicarium Imperialem* inſcribit . Vide Benevenutum de Sancto Georgio , qui in Hiſtoria Montisferrati refert Vercellenſium Acta , quo tempore Decianam eidem Ludovico conceſſerunt . Argenteus hic Nummus , Placentiæ adſervatur a Reverendiſs. P. Abbate Chiappinio.

D E R T O N A.

DErtonenſi quoque *Civitati* , quæ nunc *Tortona* appellatur , conceſſum fuit jus Monetæ a Friderico I. Auguſto, cujus Privilegium memini me adferre in hoc ipſo Opere . Nummum argenteum adſervat Alexander Bertacchinius Mutinenſis in ſuo Muſeo , ad ipſam Urbem ſpectantem . In area proſtant literæ FR. in limbo IMPERATOR. ideſt *Fridericus Imperator* . In averſa facie Crux cum literis TERDONA .

E U G U B I U M.

EUgubium, Urbinatis Ducatus *Civitas* , in theatro Nummario ſuum & ipſa locum poſcit . Ibi percuſſus videtur Nummus , quem ad me perhumaniter miſit prælaudatus Johannes Baptiſta Bianconus Bononienſis. Ibi legitur in antica hæc epigraphe COMES FEDERICVS . Superſtat Aquila parva . In poſtica occurrunt hæ literæ in limbo : DE. EV. GV. BIA. Spectare poteſt Nummus ad *Fridericum III.* de Monte Feretro , qui Anno Chriſti MCCCCXLIV. Urbinum recepit , atque Anno MCCCCLXXI. ejuſdem , ac aliarum Civitatum Dux fuit renuntiatus a Sixto IV. Summo Pontifice . Nummi tamen forma antiqua dubitationem aliquam ingerit , an potius ſit referendus ad *Fridericum I.* Comitem Montisferetri , qui Anno MCCCXXII. ab Urbinatibus trucidatus fuit .

Alterum Nummum Placentiæ adſervat P. Chiappinius. Ibi legitur ✠ FEDERICVS &c. Ejus inſignia ſpectantur in area . Altera facies habet ✠ EV. GV. BI. VM. & inſignia , ut opinor , Urbis .

DECIANÆ COMITIS.



D E R T O N Æ.



E U G U B I I.



FERRARIA, ET MARCHIONES AC DUCES ESTENSES.

NUlla mihi dubitatio eſt, quin a Friderico I Auguſto Ferrarienſis Reipublica jus adſignandæ pecuniæ acceperit. Ut enim conſtat ex ejus Diplomate, quod in Diſſertatione XLVIII de Societate Lombardorum protuli, Imperator ille Anno Chriſti MCLXIV Ferrarienſi Populo complura Privilegia contulit, aliaque ſubinde conceſſiſſe videtur, inter quæ jus Monetæ. Et profectò id Nummi illic percuſſi confirmant.

Primus inter eos argenteus, Mutinæ in Muſeo Bertacchinio adſervatus, exaratas in area has litteras habet. F. D. R. C. quæ Fridericus ſonant, & in limbo IMPERATOR. In poſtica eſt Crux cum litteris in circuitu FERARIA. Neque heic deſignari Fridericum Secundum, ſed Primum, veteres Chartæ perſuadent. Quippe nondum electo altero ex Fridericis, in uſu erat Ferrarienſis Moneta, uti & Bononienſis, uti conſtabat ex utriuſque Populi Pacto Anno Chriſti MCCV Ferrariæ inito, dum Ferrariæ Prætoris titulo præeſſet Azo VI. celebris Marchio Eſtenſis; quæ tum ex Regiſtro MSto Reipublicæ Bononienſis, tum ex altero Ferrarienſi adſervato in Archivo Eſtenſi deſcripta exhibeo.

Concordia inter Bononienſes & Ferrarienſes in controverſia de Moneta, Anno 1205.

De Sacramento Ferrariæ ſuper facto Monetæ.

ANno Domini Milleſimo Ducenteſimo Quinto, Kalendis Februarii, Indictione VIII. Quum ſuper facto Monetæ Bononienſis & Ferrarienſis concordia facta eſſet, cujus tenor eſt ſubſcriptus; fuerunt Homines infraſcripti de Civitate Ferrariæ in generali Conſilio, per campanam coadunato, jurare unum Nuntium Comunis ejuſdem Civitatis ſuper eorum animas, quicquid erit ei ab eis bodie ad hoc interrogata & mandata, ſi, ut juraret, taliter obſervaret, ut in Brevi infra poſito continetur. Quiſquidem Nuntius & Præco Petrus Rodulphi nomine, eis mandantibus, & præcepto Domini Rogatii Judicis Domini Marchionis, qui eſt ejuſdem Civitatis Ferrariæ Poteſtas, cujus vice dictus Dominus Rogatius Judex, quia dictus Dominus Marchio, itemque Poteſtas aberat, fungebatur, necnon mihi præſentibus, ſcilicet Domino Guidone Oliverii, & me Principino Notario, qui a Domino Uberto Vicario Poteſtatis Bononiæ ad hæc Sacramenta recipienda Ferrariæ fuimus delegati, prædictis namque hominibus mandantibus, necnon & præfato Judice, ſicut Ceteri præcipientibus, nobiſque præſentibus juravit dictus Nuntius in Palatio Ferrariæ in Conſilio generali, dictos Homines taliter ut perlegitur obſervaturos. Quorum ſiquidem nomina hæc ſunt. Azo Judex; Rolandus de Bellone; Jacopinus Vicecomes Domini Marchionis; Guido Turcli; Paganus de Pagano; Niger Tabellio; Blaſius Gerardi Judicis; Vivianus de Petraterra; Johannes de Rolatta; Gerardus de Ricardo; Dominus Lazarus Judex; Petrus Johannis de Paſquale; Gilius de Ferraria; Guillielminus de Muniardis; Donuſdeus Judex; Rodolfinus Johannis de Periculo; Petrobonus Aldebrandini Judicis; Alexius Judex; Guido Judex de Sallimello; Daniel Jacobi de Rubeis; Gemellus Judex; Jacobinus de Lovello Judex; Gilbertus de Sezza; Zambonus Egidii de Vico; Vivianus de Mizzo; Albertinus Judex; Gerardus Riticherii; Petrus Alberti Aldegerii; Jacobus de la Fontana; Ubertinus Guidonis Uberti; Albertinus de Gerardo; Serafinus Pagani Caſtaldi; Aldivertius de Caſtello; Buccalada de Gerardo Permartino; Bonaventura de Ghiname; Guido de Bonandis; Jinus de Mora; Pezolottus de Bonfado; Ferrareſe de Gizolo; Benvenutus de la Guaſca; Bonmercato de Zuttolo; Andreas de Spetia; Ugo de Pelizone; Rabolinus de Mitalino Mede-
B lee; Gerardus de la Sala; Dominicus de la Foſſa; Manfredo Remoraro; Henrigettus Pizerolo; Rainerius de Salito; Martinus Aldi; Guido Guidonis Sclendi. Iſtorum quidem nominis & parabolam, quam dederunt Nuntio, ut juraret ſuper eorum animas, ego ſcripſi. Nomina verò eorum, qui in eodem Conſilio dederunt eumdem Nuntio jurandi ſuper eorum animas ſcripſit Laurentius Notarius, & ſuâ manu ſcripta in eodem Conſilio mihi dedit ſunt hæc, ut in ejus ſcriptura perlegi; ſcilicet Petrus de Quarto; Guillielmus Uberti Graſſi; Mattoſinus; Albertinus de Johanne de Albare; Ubertinus Gerardi Contrarii; Albertinus Petri
C de Caſſino; Jordaneſe Gilii de Zordane; Johannes de Albare; Guido Ildi; Philippus de Paganis; Albertinus Alberti de Zerzo; Gliolus de Boss; Johannes Albertinæ de Contrariis; Menabos; Guido Reboſo; Rambertinus Donuſmini; Paganus de Paganis; Bonaventura de Melito; Guido Ildebrandi; Aigolinus Fermi; Pepus Aſdraldi; Thomaſinus Domini Guiclo; Gerardus Contrarius; Ugolinus de Regiteno; Nicolaus de Bonolo; Magiſter Jambellus; Romba; Gerardus Fremartini; Gerardus Amoroſus; Mainardus de Pegnino; Nigerbonus de Capello; Stephanus de Rigolo; Ugo Notarius; Villanus Albon; Gerardinus Longus; Urſoli-
D nus de Guidone Taſca; Martinellus Leonis Careſi; Albertinus Giſlberti; Bonmercato Ottobone; Engelerius.

Nomina verò eorum, qui interrogati ſunt in Conſilio, ſicut ſuperiores, & ſuâ manu ſcripta dedit mihi Magiſter Petrus Notarius, ſunt hæc, ſcilicet Gerardus Preſbyteri Martini; Guido Pizamiglo; Rubeus Notarius; Oldelinus de Caſale; Marchiſinus de Biaqua; Jacobus de Bartolotto; Magnerius Notarius; Zambonettus Judex; Cyprianus Maſſarius Communis; Aliottus Notarius; Simeon; Guido de Aiguma Pertexella; Jacobinus de Orlando Campſore; Artinixius; Manfredinus Livezarius; Rubeus; Al-
E bertus Pellparius; Ottolinus Livezarius; Johannes de Folle; Orlandinus Guidonis Ardonii; Bonaventura de Zambonis de Urrello; Guizardus de Fizarolo; Manzolinus; Henricus de Benvicino; Guizardinus de Aimerico; Bertraminus; Urſolinus; Scorticaribaldus; Gilius de Abbate; Gilius de Pelizo, & filius ejus Gliolus; Romanellus de Follertino; Petrecinus de Goffredino; Ferrarinus de Scripſell; Bonmartinus de Albizo. Nomina verò eorum, quos ſcriptos ſuâ manu in dicto Conſilio, ſicut alii prædicti, dedit mihi Nicolaus Notarius, ſunt hæc:

hæc : Guido Pelliparius ; Gratiadeus Guidonis ; Aurefilius Homoboni ; Guido Salicis ; Rambertinus Guidonis Longi ; Ubertinus Donusdei de Villanova ; Peregrinus Domnerinæ ; Aimolinus Petri Ciricli ; Guido Vicedomini ; Adigerius Petri Aldigerii ; Guillielminus Contrarius ; Gerardus Pagani ; Petrus de Anſaldo ; Guidobonus Pagani ; Petrus de Albara ; Mainardus Judex ; Petrus Raſoreus ; Leonardinus de Paganis ; Giliolus de Labora ; Leonardus Saracini ; Bonjohannes Arguzii ; Ugo de Argenta ; Gonterius ; Marcottus ; Zaffonus de Manzis ; Rubeus de Mantua ; Bonjohannes Ugonis ; Rubeus Oddonis ; Rainerius Nonantulæ ; Martinus Thedaldi ; Anſelmus Gerardi Ganzi ; Griffus Jurator Juſtitiæ ; Ubertinus Henrici Bonvicini ; Anſelmus de Benni ; Bonmercatus Spinabelli ; Angelerius Sancti Perſedonii ; Anſelmus de Stalla ; Benedictus Anſelmus de Graſſo ; Guidobonus ; Petrus Lavezolus ; Albertus Jorzi ; Johannes Vacca ; Saletanus Guidonis Cavalli ; Gazofolarius Tribimellus ; Onnebonum ; Girardus de Guandalino ; Jacobus Alberti Villani ; Albertus de Trotta ; Banzolinus ; Uguicio Gerardi Ganzi ; Bonaventura de Nigrobono ; Orſellus ; Uguicio ; Ottolinus Martini Tebaldi ; Albertinus Benileonis ; Gerardellus ; Orlandinus de Capite-ſoſſati ; Benencaſa ; Ferrariſius Gardelli ; Bartolottus Ubaldi Ronchefani ; Girardinus Presbyterini Marzalli ; Ugolinus Caballerii ; Dominicellus Trungli ; Omnebene de Donozio . Iſti autem infraſcripti mandaverunt extra Conſilium , antequam fieret dictum Conſilium , præfato Petro Nuntio Communis , ut etiam ſuper animas eorum juraret tale ſacramentum pro eis , quale pro ceteris juratus erat, qui forent in Conſilio : ſcilicet Lengueto de Joculo ; Anſedeus de Beis ; Sclavolinus de Furno, Cornaclinus ; Martinus de Ricardo ; Marcheſinus Pizolus de Mainardo ; Ottolinus de Mainardo ; Polezolo de Bonnado ; Jacopinus Jacopi de Trotta . Forma quidem & tenor ſacramenti, talis eſt , videlicet .

Juro ego , quod numquam ero in conſilio vel facto , ut Moneta iſta Ferrarienſis debeat minui de tribus unciis minùs quartâ , ad unciam Bononienſium , & de quadraginta ſex Solidis & dimidio Ferrariæ per Libram , ad Libram Bononiæ , blanchis & furnitis ; niſi diminueretur voluntate Rectoris vel Rectorum utriuſque Civitatis , ſcilicet Ferrariæ & Bononiæ . *Et opem & conſilium dabo , quod non debeat diminui , nec ipſam diminuam , nec permittam diminui , niſi pront dictum eſt ſupra . Et hæc omnia ſupraſcripta obſervabo perpetuò , nec contraveniam , niſi ſecundùm quod ſupra legitur . Et in Brevi cujuslibet Rectoris Ferrariæ , qui pro tempore fuerit , uſque ad decem annos apponi faciam ; quod ipſe obſervabit ſecundùm quod ſupra legitur in facto Monetæ .*

Ego Principinus ſacri Palatii Notarius his interfui , & prout ſupra legitur , ſcripſi & ſubſcripſi .

Subinde liberum fecere Ferrarienſes Populo Bononienſi, ut pecuniam ſuam ſignaret ad formam pecuniæ Parmenſis , uti palam fiet ex altera Charta , quam mihi ſuppeditavit prælaudatum antiquiſſimum Regeſtum Reipublicæ Bononienſis .

Facultas Bononienſibus data a Ferrarienſibus ſignandi Nummos ad inſtar Parmenſis pecuniæ, Anno 1209.

A*Nno Domini MCCIX. die Dominico XI. exeunte Septembri , Indictione XII. in Conſilio Ferrariæ , facto ad ſonum campanæ , venerunt Dominus Rampertus Bualelli Miles Juſtitiæ , & Dominus Jacobus Petri Paulani , & Dominus Figlocarus* , Conſules Mercatorum Bononiæ , Ambaxatores Communis Bononienſium , *Ferrariæ , & in pleno Conſilio , & generali , pulſato ad campanam , dixerunt ex parte ſui Communis Bononiæ* Domino Hugoni de Gramaxe Poteſtati Ferrariæ , & Conſulibus *ejuſdem Terræ , & Conſilio Ferrariæ* ; quod cum teneantur Ferrarienſes & Bononienſes ſuper facto Monetæ in uno & eodem ſtatu & modo tenere & facere & fabricare, & nulla illarum Civitatum ſine licentia & parabola data in Conſilio generali a Rectore vel Rectoribus alterius Civitatis , Monetas illas poſſe facere diminuere : *petebant parabolam dicto Domino Hugoni Poteſtati Ferrariæ & Conſulibus & Conſilio prædicto pro Communi Bononiæ* , quia volebant ſuam Monetam & Monetam Ferrarienſem facere inſimul , & facere ad modum & quantitatem Monetæ Parmæ , pro commodo & utilitate utriuſque Civitatis . *Habito ſiquidem pleno Conſilio , & generali intereſſe , prædictus Dominus Hugo Poteſtas Ferrariæ , & Conſules Communis , & Mercatorum , & Cambiatorum , & Maſſariorum de Contratis , taliter reſponderunt , quod pro Communi Bononiæ recipientibus dabant parabolam & licentiam prædictis Ambaxatoribus* , ut faciant Monetam Bononienſem ad modum & quantitatem Monetæ Parmæ ; & volunt ſimiliter ſuam Monetam ad eumdem modum facere. *Et in hoc capitulo taliter eos abſolvunt , eo ſalvo toto , & ſingulis aliis capitulis , quæ continentur in Charta concordiæ factæ inter Bononienſes & Ferrarienſes ſuper facto Monetæ . Ad quam reſponſionem & parabolam & licentiam , dationem & abſolutionem fuerunt præſentes prædictus Dominus Hugo Poteſtas Ferrariæ , & Dominus Cazzanimicus ejus Judex, & Dominus Salinguerra , & Suxinellus , Gilielus Guizzardi , Guezzus de Anſedeo , Zacharias Raynaldi Guatarellæ , Petrus de Cupario , Cornaclinus , & Lidoinus , Conſules Ferrariæ ; & Albertinus de Vigarano , Zanibonus , Guido de Bonandis , Barile Laurentius , Manfredinus Lavezarius , Uguitio filius Pedebovis , Jacobinus de Gulferanenſe , Ferrareſe de Calcagno , Mantoaninus Duloxettus , Ingilerius Preite , & Paſchale Maſſarius , de Contratis Ferrariæ & Ordinibus Condoaldus Albertinus nepos Domini Salinguerræ , Guido de Ferrareſe Vindemiatore , Ugolinus de Friduccio , Ubertinus de Domina Tina , Chriſtianus , & Albertinus , & Zappulinus Notarius , & multi alii .*

Ego Petrus ſacri Palatii Notarius , ut ſupra legitur , interfui , & rogatus ſcribere ſcripſi .

Ad me verò miſit Joſeph Antenor Scalabrinius , ſacrarum Literarum in Ferrarienſi Academia Profeſſor , rerumque Ferrarienſium peritiſſimus , quos potuit , ſuæ Urbis Nummos , præſertim e Muſeo Cl. V. Hieronymi Baruffaldi Archipresbyteri Centenſis deſcriptos. Eorum ſeriem nunc ſubjiciam .

Se-

Secundus Nummus aureus, percuſſus, ut credimus, circiter Annum Chriſti MCCCXL. ſub Obizone Marchione Eſtenſi domino Ferrariæ, in altera facie imaginem Epiſcopi præfert cum epigraphe S. MAVRELIVS P. idest Ferrariæ Patronus. In altera inſigne Civitatis Ferrarienſis cum literis DE FERARIA.

Tertius æreus, Ferrariæ apud Baruffaldum, & Mutinæ in Muſeo Bertacchinio, ac penes Comitem Johannem Baptiſtam Scalabrinum adſervatus, quippe a præcedenti diſſimilis eſt, neque explicatione indiget.

Quartus argenteus, Mutinæ apud Johannem Baptiſtam Caulam Juriſperitum, & apud Dominicum Vandellium, alibique exſiſtens, Aquilam inſigne Eſtenſium in ſummitate præfert cum literis NICHOL.... MARCHIO, videlicet Eſtenſis. In poſtica Scutum cum inſignibus Civitatis, & epigraphe DE FERARIA. Deſigneturne hic Nicolaus II. Marchio Eſtenſis, qui Anno Chriſti MCCCLXII Ferrariæ dominabatur, an Nicolaus III. qui Anno MCCCXCIII. dominari cœpit, aliis decernendum relinquo.

Quinctus argenteus, Mutinæ in Muſeo Bertacchinio a me viſus, caſſidem, cui ſuperpoſitum eſt Aquilæ coronatæ caput, exhibet, cum literis hinc & inde N I fortaſſe ſignificantibus *Nicolaum*. Circumſtat epigraphe: NICHOL.... MARCHIO. In averſa parte *Monoceros* pedibus erectus, & in circuitu Crucicula cum literis DE FERARIA. Ante Annos ducentos quinquaginta Peregrinus Priſcianus in Annalib. MStis Civitatis Ferrariæ, inquirebat, unde originem traxerint Inſignia *Monocerotis*, quæ a nonnullis ex Principibus Ateſtinis uſurpata fuere, ſuoque tempore familiaria erant. Is a Sæculo Chriſti uſque XI eorum primordia deducit. Hæc nullo fundamento niti mihi creditur. Quod ſi ille tamdiu ante ignoravit Inſignium ejuſmodi originem, excuſandus ego certe, quod tanto tempore poſt invenire non potuerim. Spectat, ut opinor, hic Nummus ad *Nicolaum III. Marchionem Eſtenſem*, Ferrariæ, Mutinæ &c. Dominum, qui Anno Chriſti MCCCXCIII. uti nuper diximus, Alberto Marchioni patri ſuo in dominatione ſucceſſit.

Sextus argenteus, in Muſeo Baruffaldio adſervatus, in altera facie offert inſigne Ferrarienſis Urbis, additis in circuitu literis: LEONELVS MARCHIO. In altera effigies Epiſcopi viſitur cum inſcriptione S. MAVRELIVS EPISCOPVS. Leonellus Marchio Eſtenſis dominari Ferrariæ cœpit Anno Chriſti MCCCCXLI.

Septimus, Mutinæ in Muſeo Bertacchinio, ad eumdem Leonellum ſpectat, & perquam ſimilis præcedenti eſt, niſi quod heic legitur S MAV. idest *Sanctus Maurelius* FERARIENSIS. Rodius in Annalib. Ferrarienſibus MStis, ad Annum MCCCCXLIX hæc habet: *Comminciò a ſpendere in queſt' Anno di quei Quattrini di rame, i quali fino a i giorni noſtri ſi ſono ſempre ſpeſi in Ferrara, da una banda coniati di un Santo Maurelio, e dall' altra di uno Scudo da guerra.*

Octavus argenteus in Muſeo Baruffaldio Ferrarienſi, exhibet Sanctum Georgium ſtantem ac porrigentem vexillum *Borſio Marchioni Eſtenſi*, ad inſtar Nummorum Venetorum. Ibi legitur hæc epigraphe: S. GEORGIVS. BORSIV. DVX. qui Anno Chriſti MCCCCLII. Dux Mutinæ & Regii a Friderico III. Imperatore eſt renuntiatus, & Dux Ferrariæ a Paulo II. Papa Anno MCCCCLXXI.

Nonus ex argento & ære, in Muſeo Bertacchinio Mutinenſi exſiſtens, in una facie offert Aquilam bicipitem cum corona, & cum inſcriptione BORSIVS DVX. In altera Scutum, cum inſignibus Civitatis Ferrariæ, & cum literis in limbo: DE FERRARIA.

Decimum adſervat idem Muſeum Bertacchinium. Ad prælaudatum Borſium Ducem pertinet. Similis præcedenti eſt, niſi quod Scutum antiquiora exhibet Civitatis Ferrariæ inſignia.

Undecimum poſſidet quoque Bertacchinius in ſuo Muſeo. Ibi in area *Monoceros* cum epigraphe ✠ FERARIE D. CORNIGER. In poſtica viſitur *Aquila* biceps coronata. Circumſtant literæ ✠ CLAR COMITAT. INSIGE. Prima inſcriptio fortaſſe ſignificat *Ferrariæ Decus Corniger*, idest Monoceros. Secunda verò, *Clarum Comitatuum Inſigne*, vel *Clari Comitatus Inſigne*, hoc eſt, *Comitatus Rhodigii, & Comacli*, quo Borſius Dux Eſtenſis donatus fuerat Anno Chriſti MCCCCLII. a Friderico III. Auguſto.

Duodecimum argenteum vidi Mutinæ apud nobilem virum Camillum Hieronymum Valentinum. In antica effigies Principis, & literæ HERCVLES DVX FERRARIE. Is eſt *Hercules I. Eſtenſis*, qui Anno Chriſti MCCCCLXXI. Ferrariæ, Mutinæ, Regio &c. dominari cœpit. In poſtica imago Sancti Georgii Ferrarienſium patroni, cum epigraphe DEVS FORTITVDO MEA.

Decimus tertius, in Muſeo Bertacchinio exſiſtens, Aquilam bicipitem coronatam præfert, gentilitium Inſigne Principum Eſtenſium, cum literis in circuitu HERCVLES. DVX &c. ſcilicet *Primus* Nicolai III Marchionis filius. In altera facie Monoceros, & epigraphe DE FERRARIA.

Decimus quartus aureus, Ferrariæ apud Dominos Containos adſervatus, Numiſmatis formam gerit, & ad eumdem Herculem I. ſpectat. Ibi cernitur Sanctus Maurelius ſtans, ac benedicens Duci in genua provoluto, cum his literis in limbo: S MAVRELIVS. HERC*ules* DVX. FERR*ariæ*. In poſticâ imago Salvatoris ſtantis cum literis IESVS ſuppoſitis. Circumſtat hoc lemma: SALVS IN TE SPERANTIVM.

Decimus quinctus, Mutinæ in Muſeo Bertacchinio, Aquilam bicipitem, Inſigne Principum Eſtenſium, exhibet, cum circumpoſitis literis HERCVLES DVX. In area averſæ partis viſitur equus. Circumſtant literæ DE FERRARIA.

Decimum ſextum poſſidebat Mutinæ quondam Angelus Blancus. Hic Nummus a me viſus anticam habet præcedenti ſimilem, additâ tamen coronâ Aquilæ. In poſtica ſpectantur Inſignia Civitatis Ferrariæ.

Decimus ſeptimus argenteus, Regii apud Comitem Nicolaum Taculum adſervatus, effigiem Epiſcopi offert cum inſcriptione SANTVS MAVRELIVS. In poſtica viſitur Flos cum ſuo caule, inſertus in circulum Annuli, adamantem acutum præferentis in pala, & hiſce literis circumdatus: DEXTERA. DNI. EXALTAVIT. ME. Cuinam tribuendus ſit Nummus, eruditi Ferrarienſes decernant. Adamas inſigne fuit Herculis I. Ducis Ferrariæ.

Decimum octavum poſſideo ego, poſſidet & Dominicus Vandellius ſæpe laudatus. Antica exhibet vultum ejuſdem Herculis Ducis. Hunc enim, & non Herculem II. indicare ſatis videtur

tur capillorum forma, & faciei habitus. Præterquamquod Hercules ejus nepos appellatus fuiſſet Secundus. Altera facies Romanis Nummis ſimilis, nudum hominem in equo ſedentem præfert.

Reliquos ſubſequentium Ducum Eſtenſium Nummos prætermitto, utpote recentiores. Vide etiam Mutinenſes & Regienſes, heic infra deſcribendos. Sed quando cœpere Sæculo Chriſti Decimoquinto in honorem Principum, atque illuſtrium virorum cudi ærea Numiſmata, ſive Toreumata (Italice *Medaglioni*) majoris moduli, & aliquot ſeſe mihi obtulere ad inclytam Ateſtinorum Principum gentem ſpectantia, ea quoque adjicere non incongruum putavi.

Itaque Primum, Mutinæ apud nobilem virum Comitem Ludovicum Nicolaum Graſſetum vidi. Effigiem Numiſma hoc exhibet Nicolai III. Marchionis Eſtenſis, de quo ſupra, cum epigraphe NICOLAI MARCHIO*nis* ESTENSIS. In poſtica viſuntur Inſignia gentilitia Familiæ Eſtenſis. Cuſum fuit circiter Annum Chriſti MCCCCXV.

Secundum in Muſeo Eſtenſi adſervatur. Ibi effigies Leonelli Marchionis nuper memorati, cum inſcriptione LEONELLVS. MARCHIO. ESTENSIS. In averſa parte unum caput hominis, ſive perſona, habens tres facies puëriles in proſpectu. Circumſtant literæ: OPVS. PISANI. PICTORIS.

Tertium in prælaudato Eſtenſi Muſeo exſiſtens, eamdem effigiem, eaſdemque inſcriptiones præfert. Verùm diverſa eſt facies partis averſæ. Ibi duo viri nudi calathos floribus plenos ſupra caput geſtant, fortaſſis indicantes florentiſſimum Ferrariæ ſtatum ſub Leonello Principe optimo.

Quartum in eodem Muſeo, Leonelli ipſius protomen habet cum epigraphe LEONELLVS. MARCHIO. ESTENSIS. D. FERRARIE. REGII. ET. MVTINE. In poſtica viſitur figura nudi hominis, ut opinor, fluvii. Supra eſt amphora, e qua prodeunt gemini arborum rami.

Quintum Numiſma poſſidet Alexander Bertacchinius in ſuo Muſeo. In antica cernitur effigies Leonelli, ac eadem inſcriptio, quam in præcedenti vidimus, additis tantùm ſupra caput hiſce literis GE. R. AR. In poſtica Leo, & ante eum Cupido, ſeu Genius alatus. Additur OPVS. PISANI. PICTORIS. Et in columna, ubi navis cernitur, inſcriptus eſt Annus Chriſti MCCCCXLIV.

Sextum in Muſeo Eſtenſi conſpicitur. Ibi effigies Borſii Eſtenſis antea memorati, optimi ſane Principis, cum hac epigraphe: BORSIVS.... MARCHIO.... ESTENSIS.... DOMINVS. Reliquas, utpote & in poſtica, attritas literas legere nequivi.

Septimum adſervatur quoque in eodem Muſeo. Ad laudatum Borſium ſpectat, poſtquam is renuntiatus fuit Dux. Ibi viſitur ejus protome cum inſcriptione: BORSIVS. DVX. MVTINE. ET. REGII. MARCHIO. ESTENSIS. RODIGII. COMES. ETC. In averſa parte Mons. Supra Globus, neſcio Solaris-ne, an Lunaris, radios in montem diffundens. In limbo legitur: OPVS IACOBVS LIXIGNOLO MCCCCLX.

Octavum conſpexi in Muſeo Bertacchinio. Parem ferme effigiem & Inſcriptionem exhibet. In poſtica Mons, in cujus gremio Arca cum Crucibus inſculptis, tumuli faciem neſcio an

A præ ſe ferat. Supra Sol radios diffundens cum literis OPVS PETRECINI DE FLORETIA MCCCCLX.

Nonum in Muſeo Eſtenſi, Alphonſum I. oſtendit, adhuc infantem, & poſtea Ducem Ferrariæ, Mutinæ, Regii &c. Principem inclytum. Is Anno MCCCCLXXVI. ex Hercule I. Duce, & Eleonora Aragonenſi natus. Viſitur heic ejus effigies cum literis ALFONSVS MARCHIO ESTENSIS. Poſtica habet Herculem in cunabulis ſerpentes manu tenentem & jugulantem. Infra legitur MCCCCLXXVII. Supra characteres Græci tam rudi formâ delineati, ut in iis intelligendis atque B interpretandis tempus terere noluerim.

FIRMUM.

Firmanæ Urbi (teſte Odorico Raynaldo in Annalib. Eccleſiaſticis) Honorius Tertius Papa Monetæ jus eſt elargitus hiſce Literis, quas quia breves referre non pigebit. *Honorius &c. Univerſitatis veſtræ devotis precibus inclinati, habendi proprium cuneum ad cudendam Monetam, citra valorem Imperialium, liberam vobis auctoritate præſentium concedimus facultatem. Datum Laterani VII. Idus Decembris, Pontificatus noſtri Anno V.* Hoc eſt Anno Chriſti MCCXX. Et quidem ſupra in Pontificiis Nummis Trigeſimum quartum Firmi perC cuſſum vidimus a Bonifacio IX. Papa, ſive a Firmanis cuſum in honorem illius Pontificis.

Antiquiorem nunc profero, argenteum videlicet, a ſupra memorato Abbate Joachino Juriſconſulto Foroſempronienſi adſervatum, ubi viſuntur Claves Pontificiæ cum epigraphe M. PAPA. QVARTVS. In averſa VB. ideſt *Urbs*, FIRMANA. Nummus percuſſus circiter Annum Chriſti MCCLXXXII. ſedente in Romana Cathedra Martino IV.

Ad hæc in Muſeo Chiappinio argenteus Nummus viſitur, in cujus antica parte hæc epigraphe legitur D. L. DE MELIORATIS. In poſtica VB. hoc eſt *Urbs*, FIRMANA. Scilicet heic memoratur *Dominus Ludovicus de Melio*D *ratis*, nepos Innocentii VII. Papæ; is nimirum, qui Anno Chriſti MCCCCV. contrucidatis iniquiſſime decem Romani Populi primoribus, funeſtis Urbis motibus, ac fugæ patrui Pontificis cauſſam dedit. Is autem turbulentis illis temporibus, concedente Papa, dominationem Civitatis Firmanæ arripuit.

Tertium Nummum argenteum adtexo, quem Romæ poſſidet doctiſſimus Abbas Franciſcus Valeſius. Spectare illum video ad Firmanam Civitatem, quum in poſtica legatur VB (ideſt *Urbs*) FIRMANA. At quinam Dominus Urbis in antica deſignetur, alii felicius indicabunt. Literæ CO...... VICECOMES, cum inſigni Anguis, fortaſſe deſignant *Comitem Franciſcum* E *Sfortiam Vicecomitem*, hoc eſt inclytum illum virum, qui poſtea Dux Mediolani renuntiatus eſt.

Quartum argenteum Nummum ſuppeditavit mihi prælaudatus Johannes Baptiſta Bianconus Bononienſis. Ibi has literas habes: EVG. PP. QVARTVS: ideſt *Eugenius Papa Quartus*. Habes & Claves inſigne Romanæ Eccleſiæ. In altera facie eædem Claves cum literis VB. FIRMANA. Pontificiam Cathedram conſcendit Eugenius Quartus Anno Chriſti MCCCCXXXI. Romæ quoque in Muſeo egregii Equitis Franciſci Victorii, ſimilis Nummus adſervatur cum epigraphe M. (hoc eſt *Martinus*) PAPA QVINTVS. Quin-

Quintum Nummum, Mutinæ exſiſtens in Muſæo Bertacchinio, effigiem Epiſcopi exhibet cum literis S. SAVINVS. Monaſterium Sancti Savini olim in agro Firmano inſigne fuit. In poſtica Scutum cernitur, ſed inſignibus obliteratis. Supra legitur VRBIS FIRMI.

Sextus in eodem Bertacchinio Muſeo, habet in limbo hanc epigraphen: SANTVS SAVIN, & in area VS. Adſunt etiam duæ literæ compactæ, ut tamen minime diſcernantur, an PR. ſint Protector. Certe Sanctus ille Martyr olim fuerit Firmanæ Civitatis Patronus, quo tempore ſuperius memoratum Monaſterium vigebat. An adhuc eſſe pergat, ignotum mihi eſt. Alterum tamen ejuſdem propemodum formæ Nummum in ipſo Muſæo Bertacchinio vidi, ubi literæ illæ DE FIRMO adeo inconditæ ſunt, ut nihil aliud exſculpere diu potuerim, niſi BERITO. Verùm Sancti Savini nomen memoriæ meæ redditum, ad intelligendum Nummum me tandem perduxit. Ceterum in alterius illius Nummi areâ VS tantummodo legitur, & crucicula ſubtus additur.

FLORENTIA.

PAucos e Nummis Florentinis proferam, de quibus multa loquutus eſt Borghinius in ſuis Diſſertationibus de reb. Florentinis: ubi enim unum conſpexeris, reliquos te vidiſſe puta. Quod certe in ſingularem Florentinæ Reipublicæ gloriam cedit, eadem prima fuit, quæ Florenos aureos percuſſit: quod Monetæ genus celeberrimum per totam Europam, immo & per Aſiam & Africam evaſit, ut in Diſſertatione ſequenti innuam. Dixi, uno typo olim ſemper uſos Florentinos in ſuis Nummis cudendis. Cœptum poſtea fuit apponi illic ſcutulum cum inſigni, ut puto, Confalonerii, ſive præcipui Magiſtratus annui, qui Reipublicæ præerat: quare qui Familiarum inſignia dignoſcere poterit, tempus etiam varium percuſſi Nummi facile intelliget. Ego ſex tantùm Nummos heic proferam.

Primus argenteus, Mutinæ exſiſtens in Muſeo Bertacchinio, imaginem exhibet Sancti Johannis Baptiſtæ, Florentinorum patroni, cum epigraphe: S. IOHANNES *Baptiſta*. In altera Lilium, Florentini Populi inſigne, & in limbo FLORENTIA.

Secundum æreum cum argento mixtum poſſideo ego. Ibi typus idem. Epigraphe S. IOANNES. FLORENTIA.

Tertius argenteus, Mutinæ penes Joſeph Mariam Cattaneum adſervatus, idem ectypon præfert, ſed exiguo ſcuto addito, in quo diſtinguere inſigne nequivi. Inſcriptio hæc erat: S. IOHANNES B DE FLORENTIA.

Quartus argenteus in Muſeis Bertacchinio, & Chieppinio, Inſigne in ſcuto exaratum aperte prodit, nempe faſcium, tribus ſtellulis conſperſum. Ibi Sanctus Johannes Baptiſta, manu tenens pendentem chartulam cum literis ECCE, ſubaudi reliqua, nempe *Agnus Dei*. Reliqua præcedentibus ſimilia.

Quinctus argenteus viſitur apud honeſtum Civem Mutinenſem Johannem Carnevalium. Ibi Sanctus Johannes Baptiſta ſedens in cathedrâ, ſiniſtrâ haſtam Crucigeram tenens, & dexterâ Inſigne, in quo Crux. Circumducitur Inſcriptio hæc: SANCTVS. IOHANNES. BAPTHISTA. PR. ideſt *Protector*. In averſa Lilium florens, & in circuitu hic verſiculus:

DET. TIBI. FLORERE. XPS. (*Chriſtus*)
FLORENTIA. VERE.

Sextum aureum adſervat Muſeum Bertacchinium. Præ aliis Nummis is eſt antiquus. Baptiſtam pelliceâ veſte contectum exhibet, cum literis in limbo: S. IOHANNES B. In poſticâ viſitur Lilium, & epigraphe FLORENTIA. Æquale eſt hujus Nummi pondus cum aureis nummis Liliatis, qui nunc Florentiæ cuduntur. In notitiâ Urbium MStâ, quam Pignorius olim laudabat in Notis ad Hiſtoriam Muſſati, hæc ſcripta ſunt: *Civitas iſta cudit Monetam, cum qua fere Mundus omnis tunditur, immo per illam perverſi homines fiunt mirabilia. &c. Hodie Civitas ipſa aureis, quos fabricat, ab ipſa Florentia nominatis* FLORENIS, *majora longe, quam clava Herculis, donat, & dominatur in Orbe*. Gulielmus Ventura Cap. 46. Chronici Aſtenſis Tom. XI. Rer. Italicar. auctor eſt, Raymundum de Terzago Capitaneum Populi Aſtenſis corruptum fuiſſe *ex multa quantitate terræ rubeæ Florentinæ*. Hoc nomine deſignari *Floreni* aurei Florentiæ percuſſi. Sed quoniam de *Florenis* plenam Diſſertationem ſperare nos facit Cl. V. Franciſcus Victorius Sancti Stephani Eques, cui copioſa eſt illorum ſupellex in ſuo Romano Muſeo, plura ego non addo. Lectori tamen rem gratam facturum me reor, ſi Tabulam Nummariam, proluſionis loco ab eo jam editam infra huc inſeram, ut ejus Operis argumentum mature in conſpectu habeatur, additâ etiam explicatione Tabulæ ipſius, qualis ex Typographia Romana Antonii de Rubeis prodiit Anno Chr. MCCXXXVI.

FORUM-LIVII.


UTi me per literas monuit Comes Fabricius Antonius Monſignanus, Patricius Forolivienſis, inter Eruditos ex Libris editis notus, Populus Forolivienſis a Friderico II. Auguſto privilegium Monetæ impetravit. Paria memoriæ prodibit Bonobius Lib. X. Hiſtor. Forolivienſis. Nullos tamen ejuſdem Urbis veteres Nummos hactenus videre mihi datum eſt. Unum dumtaxat Numiſma proferam, ab eodem Comite Monſignano ad me miſſum. Ibi effigies Franciſci Ordelaphi Forolivienſium Principis, quem *Cecco* appellabant, e corrupto *Franciſci* nomine. In limbo hæ literæ Ciccus III. ORDELAPHVS FORLIVIY P. P. ET PRINCEPS. In area V (fortaſſis pro *Vivat*) & MCCCCVII. In poſtica effigies Curtii Romani, equo inſidentis, & in voraginem ſemet pro patria conjicientis, cum epigraphe, ſive verſiculo:

SIC MEA VITALI PATRIA EST MIHI
CARIOR AVRA.

Sub equo hæ literæ adduntur IO. EP. PAPITIVS. Hic Numiſmatis auctor videtur. Si quis contendat, deſignari *Johannem Epiſcopum* Forolivienſem, qui eodem Anno Chriſti MCCCCVII. eam Cathedram tenebat, per me licebit, dum explicet, quid ſit illud *Papitius*. Ceterum erit Forolivienſium Eruditorum perſpicere, quare *Ciccus de Ordelaphis*, quem ipſi filium *Antonii* Principis Forolivienſis, & *Catharinæ Rangoniæ* Mutinenſis, Anno MCCCCXXXV. natum norunt, *Tertius* ab iis appelletur, quum in iſto Numiſmate nobis occurrat *Ciccus Tertius* Fori-Livii *Princeps* Anno MCCCCVII.


Exſiſtunt etiam in eâdem Urbe Nummi ab *Octaviano Riario Comite*, atque a *Catharina Sfortia Vicecomite*, ibidem dominantibus percuſſi, declinante Sæculo Chriſti Quinctodecimo; in quorum poſtica effigies *Sancti Mercurialis* Patroni viſitur cum literis S. MERCVRIALIS FORL*ivii* PROT*ector*. FER-

FERRARIÆ.



TOREUMATA ESTENSIUM.


I




II


LEONELLVS MARCHIO ESTENSIS
Æ
OPVS
PISANI·PICTORIS

III


LEONELLVS MARCHIO ESTENSIS
Æ
OPVS·PISANI PICTORIS

IV


LEONELLVS·MARCHIO·ESTENSIS·D·FERRARIE·REGII·ET·MVTINE
Æ
PISANI·PICTOR IS OPVS

V



.M.
CCCC
XLIIII
OPVS.
PISANI
PICTORIS
Æ
·GE·R·AR·
LEONELLVS
ESTE
MARCHIO
NSIS
·D·FERRARIE·REGII·ET·MVTINE·

VI.

VI



VII




VIII



IX



F I R M I.



F L O R E N T I Æ.



Explicatio ſequentis Tabulæ, de Florenis.

Tabulæ Nummus prior in ordine Florenum aureum profert, primo Florentiæ cuſum, qui picturæ redivivæ primordia a Græcis in Italiam advecta ævo inferiori, & veterum Florentinorum Procerum magnificentiam probe memorat.

Secundus & Tertius Floreni aurei ſunt, quos Johannes XXII. ſummus Pontifex ad imitationem Monetæ Florentinæ cudere aggreſſus eſt, demonſtratque Auctor hujus Operis coævi Hiſtorici, indicatque Regni Pontificii duobus tantum, non tribus circulis, ſive coronis conſpicui.

Quartum a Florentinis percuſſum fuiſſe autumat ob inſignis victoriæ adverſus Piſanos relatæ Anno MCCLVI. & affirmare nititur ſymbolo Latinæ Crucis, propter Græcam alteram Crucem, a qua Epigraphe ducta eſt circa ſtemmatem, & vitio ſimiliter ſculptoris improbe ſiſtendum, qui dexterâ manu Sanctum Præcurſorem Johannem Baptiſtam effinxit haſtam cruciformem ſuſtinentem, ſiniſtrâ verò nimis altera benedicentis in morem.

Aurei Floreni Quintus & Sextus cuſi fuere a Carolo Humberto, filioque Ludovico Regibus Hungariæ, inſideque eſt præ cæteris Regni Corona, quæ ſpectatur in utroque Nummo.

Septimus Humberto II. Delphinati tribuendus eſt, qui ultimus Turrianæ Du-Pin ſtirpis extitit.

Octavus, & Nonus Gerlaco Moguntino Archiepiſcopo adſcribendi ſunt, pro ut indicant inſcriptæ per eorum literæ atque inſignia.

Decimus Archiepiſcopali inſignitus, Gullelmo nempe de la Garde aſſignandus eſt.

A

Duodecimus tandem, recentiorem formam redolens, Roberto Bavaro tribuendus eſt, qui Rheni Palatinus fuit, filius Roberti Adolphi. Iſtique ſunt Floreni ad normam monetæ aureæ Reipublicæ Florentinæ cuſi, qui modò Romæ ſervantur in Muſeo Victorio.

Numero Decimo tertio relatus eſt Ducatus Aureus Romanus, quem idem Auctor vetuſtiorem exiſtimat Aureo Ducatu a Veneta Republica excuſo.

Nummus Decimus quartus, Stemmate & inſcriptione faciente fidem, Johanni XXIII. Papæ competit, qui ſponte poſt quinquennium dignitatem Pontificalem exuit, dimiſitque in Concilio Conſtantienſi.

B

Decimus quintus Scutum aureum exſtat Sixti IV. Pontificis, quod ſymbolo Naviculæ ac Petri Piſcatoris percuſſum primo fuit, eodem Petri naviculam gubernante. Poſtremas haſce Monetas refert tabula. Florenus enim quandoque pro temporum diverſitate ac viciſſitudine, Ducatus & Scutum ſimiliter nuncupatas advertitur apud plerosque, temere potius & inſcite, ut aſſolet, quàm verè & proprie. Etenim pondus alterius ab altero valde diſcrepat. Sed plura de his: plura de Sancto Johanne: plura de Lilio: de Regno Pontificio; de Ortographia Nummorum: de Signis, atque Inſignii gentiliciis, hiſtorice, graphice, & luculenter, quæ ad eruditionem ſpectant quaquaverſum, fuſius

C

in Illuſtrationibus omnia, ubi de Floreni aurei pretio etiam tractatur ordine chronologico, pluraque referuntur documenta, quibus aperte veritas comprobetur:

Tabula Florenorum, quam antea publici juris fecit æneis Typis Cl. V. Franciſcus Victorius S. Stephani Eques, ut ſupra innui col. 686.



NUMISMA, SIVE TOREUMA FRANCISCI III. ORDELAPHI FOROLIVIENSIUM PRINCIPIS.



G E N U A.

CAffarus, Auctor ſynchronus, in Annalib. Genuenſib. Tom. VI. pag. 160. Rerum Italicar. hæc habet: *In iſto Conſulatu Moneta data fuit Januenſibus a Conrado Theutonico Rege; & privilegia inde facta, & ſigillo aureo ſigillata Cancellarius Regis Januam duxit, & Conſulibus dedit Anno* (Chriſti) *MCXXXIX.* Adtexo verba Triſtani Calchi in Hiſtor. Mediolanenſ. Lib. 7. *Conradus II.* (ſcilicet Germaniæ ac Italiæ Rex) *Genuenſibus facultatem* A *cudendæ Monetæ primus conceſſit, ex quo illius memoriæ hoc grata poſteritas inſtituit, ut nomen Conradi Romanorum Regis alteri Nummorum parti ſemper inſcripſerint.* Et profectò ad mea ferme tempora idem a Genuenſibus obſervatum vidi. Hiſce verò poſtremis temporibus abrogata eſt ab iis, qua de cauſsâ ignoro, vetuſtiſſima ejuſmodi conſuetudo. Auguſtinus Juſtinianus in Annalib. Genuenſib. auctor quoque eſt, Conradi II. nomen in patriæ ſuæ Nummis inſcriptum fuiſſe, & in averſa *formam Arcis, ſive Caſtri cum tribus turribus.*

Tres

Tres Genuenſium Nummos aureos ex ſuo Muſeo mihi ſuppeditavit Reverendiſs. Abbas Chappyrius. Et in quorum Primus aureus Crucem gerit cum epigraphe CONRADV : REX. In poſtica DVX . IANVE.

Secundus argenteus, cujus pars interdum, hujus literis exhibita eſt C .... I II RO. REX M. In averſa parte DVX GE ....

Tertius argenteus hanc epigraphen exhibet: CONRADVS. REX. R. Viſitur in altera facie inſcriptio: DVX IANVENSIVM PRIMVS. Anno Chriſti MCCCXXXIX. Simon *Buccanegra* electus fuit primus Genuenſium Dux. Itaque Anno illo, aut proximis ſequentibus percuſſum fuiſſe Nummum intelligis.

Quartus aureus, exiſtens apud Trajaſacum hominem Civem Burgi Sancti Domnini, egregium Nummariæ rei venatorem, in antica præfert hos literas: CONRADV REX ROMANORVM. In poſtica ſpecies Portæ ſive Arcis turritæ cum epigraphe DVX : IANVENSIVM : QVARTV : ſcilicet aut *Johannes Vicecomes* Archiepiſcopus & Dominus Mediolani, aut potius, ut reor, idem *Simon Buccanigra*, qui Anno Chriſti MCCCLXI iterum Genuæ Dux renunciatus fuit.

Quintus apud Mutinenſes viſitur, Genuæ cuſus, quo tempore Ludovico XII. Francorum Regi ſe Populus ille credidit, hoc eſt, Anno Chriſti MCCCCXCIX. Ne tunc quidem Conradum obliti ſunt Genuenſes, ut ex ejuſdem Nummi eſtypo apparebit, quum in ejus antica legatur CONRAD REX ROMANOR. ET R. I. fortaſſe [illegible] *Januæ*, vel *Januenſium*. In poſtica LVDOVICVS REX FRANC. IAN. D. idest *Januæ Dux*. Eſt & mihi argenteus Nummulus Genuenſium; ſed quia exciſæ ſunt literæ in altera facie, ubi tan-

A tum legitur DVX IANVÆ, ab eo edendo abſtinui. Neque ibi deeſt CHONRADVS REX ROmanorum.

LAVANIÆ COMITES.

Fliſcorum (*Fieſchi*) Genuenſium nobilis proſapia, quæ nulli Italicarum antiquitate & ſplendore concedit, utpote quæ Sæculo Chriſti Decimotertio duos Eccleſiæ Romanæ Pontifices dedit, aliosque inſignes viros ſemper peperit, a nonnullis Sæculis Comitatum Lavaniæ tenuit, aliiſque compluribus locis dominata eſt. Nummum æreum Mutinæ poſſidet alius laudatus Aldervanus Narius. Ibi ſcutum,


B ſed nullo inſignium veſtigio exaratum. In limbo legitur MONETA. FELISC. In poſtica Crux, & epigraphe SANCTVS. TEONETVS. MART. Ad Fliſcos Lavaniæ Comites pertinere hunc Nummum cenſui, non uno tamen errore vitiatum, quum *Feliſcorum* pro *Fliſcorum*, & *Tenectus* pro *Teoneſtus*, ſeu potius *Theoneſtus* ibi occurrat.

Nummi duo a ſchedis Blanchinianis, Veronæ in Muſeo Muſellitano adſervatis, depromti, certum me fecere, de *Fliſcorum* nobili gente in ſuperiori Nummo agi. In primo effigies viri, in altero Aquila cernitur, cum literis PETRVS. LVCAS. FLISCVS. LAVANIE.

C COmes &c. In utriuſque poſtica effigies Martyris, cum epigraphe S. TEONESTVS. MARTIR. ✥.

Denique in Muſeo eruditiſſimi Equitis Franciſci Victorii Romæ exſtat Nummus cum inſcriptione LVDOVICus FLISCus LAVANIE &c. DOminus. Et in averſa parte S. THEONESTus. MARTIR. ✥.

G E N U Æ.



COMITUM LAVANIÆ.



MA-

MACERATA.

SUpra vidimus inter Pontificios Nummos Trigeſimum tertium *Maceratæ* percuſſum in honorem Bonifacii IX. Summi Pontificis. Patavii in Muſeo nobilis viri Comitis Johannis de Lazara conſpicitur Nummus Maceratenſis Urbis. Hæc ibi inſcriptio: SANTVS IVLIANVS, patronus videlicet Civitatis. In altera parte DE MACERATA.

Alterum Nummum argenteum ejuſdem Urbis adſervat Bononiæ prælaudatus Johannes Baptiſta Bianconus, Maſcarellæ Prior. Ibi effigies Sancti viri, ſiniſtrâ enſem nudum, dexterâ baculum tenentis, cum literis S. IVLIANVS. In altera facie Crux in area, & circum epigraphe DE MACERATA.

MALATESTÆ.

DOminicus Vandellius, publicus in Mutinenſi Univerſitate Mathematices Profeſſor, mihi toreuma, ſive Numiſma æreum primæ magnitudinis obtulit, in quo effigies Principis viſitur cum epigraphe SIGISMONDVS P. D. (ideſt *Pandolfus De*) MALATESTIS S. R. E. C. (hoc eſt *Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Capitaneus*) GENERALIS. In poſtica Lemniſcus, ſeu pannus extenſus (Gallice *Lambequin*) continens Monogramma cum literis SI. nempe *Sigiſmundus*. Superſtat caſſis ferrea, quam corona radiata ornat, caput elefantis in ſummitate præferens. Infra legitur MCCCC XLVI.

Alterum Numiſma, ſive toreuma, adſervatur Mutinæ ab honeſto Cive Bernardino de Abbatibus. Ejuſdem Sigiſmundi protome conſpicitur cum epigraphe SIGISMVNDVS PAN- A DVLFVS MALATESTA. PAN. F. ſcilicet *Pandulfi filius*. In poſtica imago Caſtelli turriti, addita Inſcriptione: CASTELLVM. SISMVNDVM. ARIMINENSE M.CCCCXLVI. ſubaudi *Anno*, ut in præcedenti toreumate.

Tertium Numiſma addere liceat mihi, quod Mutinæ apud Bartholomæum Solianum, inter Typographos commendatiſſimum, adſervatur. In antica imago mulieris cernitur cum literis circumſtantibus *Dominæ* ISOTTAE ARIMINENSI. In poſtica Liber, ni fallor, quatuor fibulis clauſus. Circumſtant literæ ELEGIA. Celebris ætate ſuâ fuit *Iſotta* hæc Ariminenſis, atque ob ingenii & corporis dotes ſupra ceteras mulieres Sigiſmundo prælaudato placuit. B Sunt, qui ſacro connubio illi junctam tradunt. Alii concubinam tantummodo potiori jure appellant. Quod certum eſt, DIVA ISOTTA nuncupata fuit in Sepulcro, quod ei in Sancti Franciſci Templo idem Sigiſmundus poſuiſſe dicitur, quum tamen Scriptores habeam tradentes, Iſottam ſuperſtitem Sigiſmundo fuiſſe. Supra vide Nummos Arimini cuſos.

MANTUA.

NUmquam excogitaſſem, celebrem *Urbem Mantuanam* ante Annum Epochæ Vulgaris Milleſimum, jure Monetæ fuiſſe donatam, C niſi ante oculos haberem Diploma Ottonis III. Auguſti, in quo ejuſdem juris fit mentio. Servavit nobis Chartam Peregrinus Priſcianus Ferrarienſis, qui Anno Chriſti MCCCCXC. florebat, vir doctiſſimus, in ſuis Collectaneis MStis, nunc inter Eſtenſis Bibliothecæ Codices exiſtentibus. Si unam excipias Monetæ mentionem, nihil in Diplomate occurrit mihi, quod de ejus fide ſuſpicionem pariat: quare evulgandum heic cenſui.

Diploma Ottonis III. Imperatoris, quo confirmantur Eccleſiæ Mantuanæ omnia illius jura & Privilegia, Anno Chriſti 997.

I*N nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis.* Otto *divina favente clementia* Romanorum Imperator Auguſtus. *Si in ſacratis omnipotenti Deo locis a quibuslibet deſolatis, recuperationis augmentum pio favore largimur, id nobis & ad Regni noſtri ſtabilimentum, atque ad æternæ remunerationis emolumentum credimus abſque dubio profuturum. Quapropter omnium fidelium Sanctæ Dei Eccleſiæ, noſtrorumque, præſentium ſcilicet ac futurorum noverit induſtria, quod* Sophia noſtra *dilectiſſima Soror, noſtrique fideles* Notkerus, Hildebaldus, *atque* Benno, *venerabiles* Epiſcopi, *noſtræ magnitudini ſignificarunt, quod pro peccatis, Mantuanæ Sedis Eccleſia cum Præceptis & Cartharum firmitatibus, quarum ſcriptionibus res & familias ibi collatas hactenus meruit obtinere, combuſta videatur, flagitans poſtulans, ut ad plenitudinis reſtaurationem hoc noſtræ miſerationis Præceptum* Johanni *venerabili* Epiſcopo *ejuſdem* Mantuanenſis Eccleſiæ *concedere dignaremur. Cujus precibus libenter acquieſcentes, & quoniam dignum eſt, ne res Eccleſiarum Dei a quibuslibet deprædentur, aut ab earum ditione contra legem auferantur, decrevimus ita fieri. Concedentes igitur confirmamus ſupraſcripto Mantuanenſi Epiſcopatui omnes res, quas uſque modo de donis Regum* D *ſeu Imperatorum Prædeceſſorum noſtrorum habuit, videlicet Monaſterium, quod ſitum eſt in honore Sanctorum Probi & Ruffini, ſeu & Memoris, cum omnibus adjacentiis vel pertinentiis ejuſdem, cum Curtibus etiam in Veronenſe, atque Vicentino, nec non in Mutinenſi Comitatibus ſitis, quæ ita nominantur, Baniolum, & in Colonia, & in circuitu Fluminis, quod nominatur Caput Alponis, cum ſervis & ancillis, & cum omnibus ibidem pertinentibus; & omnes alias res, quæ ſunt in prædictis Comitatibus, vel infra noſtrum Italicum Regnum, ſeu ceterorum hominum conceſſionibus, traditionibus, offerſionibus pro ſuarum remediis animarum, cumparationibus quoque, commutationibus libel-* E *lorum, & quarumcumque legalium Cartarum conſcriptionibus, ſeu emphitheotecariis, vel emphitheoſi, ipſe ſanctus locus obtinuit quocumque modo, cum domibus etiam, ædificiis, Eccleſiis Baptiſmalibus, Decimis, atque Capellis, ſeu Curtibus, manſis etiam veſtitis, atque abſentibus, terris, vineis, campis, pratis, paſcuis, ſilvis, inſulis, piſcationibus, ſalectis, paludibus, molendinis, aquis, aquarumque decurſibus, arboribus pomiferis, & infructuoſis, montibus, vallibus, planiciebus, ripis, rupinis, ſeu alpibus, omnia omnino in integrum, quæcumque dici vel nominari poſſunt; unde*

eadem

[illegible] ſanctæ Mantuanenſis Eccleſiæ concedimus, [illegible] quemque ſubſit ordini, vel [illegible], quatenus [illegible] Johannes venerabilis Mantuanenſis Præſul, ſuique Succeſſores, hæc omnia ad utilitatem ſuæ Eccleſiæ abſque ullius impedimento & contradictione moleſtiæ perpetualiter valeant poſſidere. Firmiter etiam conſirmamus eidem Eccleſiæ aquam [illegible], ripas, & ripaticum, de Comitatu publicum ipſius Mantuanæ Civitatis, de Porta, & ipſius [illegible], & Curtem Regalem, & Inſulam, quæ dicitur Auguſta, quæ [illegible] inter Padum & Jaram flumina, cum omnibus [illegible] earum, & cunctis [illegible] ipſius Comitatus: cujus fines decernunt [illegible] Monte de Valligo uſque in Largonum fluvium, & per Largonum ſurſum uſque [illegible], & Olivum, & deorſum uſque Padum, & per Largonum & per Padum ſurſum uſque Cruſellam, & deorſum uſque Baranam.

Et Monetam publicam ipſius Mantuanæ Civitatis noſtro Imperiali dono ibi perpetualiter habendam concedimus & ſtatuimus pro remedio animæ noſtræ, noſtrorumque parentum. De rebus autem, aliiſque poſſeſſionibus tam mobilibus quam immobilibus jam ſanctæ Mantuanenſis Eccleſiæ conſtitutis, ut nullus in Regno noſtro conſiſtens, tenere valeat vel aliquam ex illis per quamlibet præſumptionis paginam, neque per libellum, aut cartulationem, vel emphiteuſim [illegible] per quorundam Pontificum prædeceſſorum hujus Johannis venerabilis Epiſcopi conſtitutiones injuſtas, quas noſtra Regali poteſtate [illegible] diſrumpere, & ſine aliquo robore [illegible] ſancimus; quia talibus actis ſancta Dei Eccleſia frequenter patitur maximas [illegible]; ideoque jubemus: ut abſque præfati dilecti noſtri Mantuanenſis Eccleſiæ Johannis venerabilis Epiſcopi, ejuſque Succeſſorum conſenſu, nemo aliquam rem jam præfatæ Eccleſiæ tollere, aut tenere præſumat. Et ſi quidem de rebus aut familiis ſanctæ Sedis Eccleſiæ fuerit orta contentio, quam ipſius Eccleſiæ Vicarius Johannes venerabilis Epiſcopus, aut ejus ſucceſſores in ſui præſentia convenienter nequeant diffinire, ſtatuimus, ut ante cujuſlibet poteſtatem nullatenus finiatur, niſi in Palatio noſtro coram noſtris Judicibus Palatinis. Concedimus denique pro ampliori ſtabilimento Eccleſiæ eidem Johanni venerabili Epiſcopo, ſuiſque Succeſſoribus Advocatos, quoſcumque aut quales elegerint, tam de ſuis quàm de alienis hominibus [illegible], qui ipſius Epiſcopi rerum utilitates conſiderent, abſque cujuſpiam hominis contradictione vel moleſtia, ita ut ab omni Reipublicæ functione ſint abſoluti; nil ab eis quiſpiam publicus Miniſter exigere præſumat, ut ſecurius ac diligentius cauſas ipſius Eccleſiæ perficere poſſint. Stabilimus etiam, ut de omnibus rebus ſive familiis, quas habuerit qualibet occaſione, vel quocumque modo ex latione ipſius Epiſcopi aut iſtius Johannis venerabilis Epiſcopi poteſtate ſubtractæ fuiſſe noſcuntur, ſicut de noſtris dominicatis rebus, per credentes homines inquiſitio fiat, ut omnes res ipſius Sedis in iſtius venerabilis Epiſcopi, ejuſque Succeſſorum redeant poteſtatem: & quatenus rei veritas patefacta perenniter valeat ſuum obtinere vigorem. Præcipiendo quoque jubemus, ut nullus Judiciariæ poteſtatis Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, Sculdaſcius, Locopoſitus, aut quilibet publicus Exactor, nec quæcumque perſona uniuſcujuſque ordinis aut dignitatis, parva vel magna, in rebus ipſius Eccleſiæ placitum tenere, neque in domibus ejus, aut Clericorum ſuorum, aliquod manſionaticum poteſtative tollere, neque homines ejus, nec cujuſcumque ordinis Clericos, vel Laicos, liberos, commendatos, libellarios, ac cartulatos, vel ſuper terram ipſius reſidentes, atque ſervos, aut ancillas, aut aldiones utriuſque ſexus, ad Placitum ducere, aut pignorare, aut moleſtare, vel flagellare præſumat; neque de Caſtris ipſius Eccleſiæ Mantuanæ, quorum nomina ſunt Bonilo, Mulnelles, Nubularia, Perarolo, Canedolo, atque Sermede, vel de eorum pertinentiis, aliquo ingenio ſe intromittere audeat, ſed liceat jam dicto Epiſcopo, ſuiſque Succeſſoribus cum omnibus rebus vel familiis ſuis omni tempore ſub tuitionis noſtræ munimine quiete & pacifice, remotâ totius poteſtatis inquietudine permanere; ac pro nobis noſtrique Imperii ſtatu cum diverſo ſuo Clericali ordine, Domini omnipotentis miſericordiam jugiter deprecari. Si quis autem temerarius contra hoc noſtræ conceſſionis, confirmationis, ac tuitionis præceptum quandocumque infringere temptaverit, & quæ ſuperius ſcripta ſunt, per omnia non obſervaverit, ſciat ſe compoſiturum auri optimi Libras centum, medietatem Palatio noſtro, & medietatem jam præfato Johanni venerabili Pontifici, ſuiſque Succeſſoribus. Et ut ab omnibus verius credatur, diligentiuſque ab omnibus obſervetur, manus propriæ inſcriptionis ſigno roboratum Sigilli noſtri impreſſione ſubtus juſſimus ſigillari.

Signum Domni  *Ottonis invictiſſimi Imperatoris Auguſti.*

Heribertus Cancellarius vice Petri Cumani Epiſcopi & Archicancellarii recognovi.

Data Idibus Octobris Anno Dominicæ Incarnationis **DCCCCXCVII.** *Anno verò Tertii Ottonis regnantis XIIII. Imperii autem Secundo.*

Actum Aquiſgrani in Palatio, feliciter. Amen,

Vi-

Vidiſti verba illa : *Seu Monetam publicam ipſius Mantuanæ Civitatis noſtro Imperiali dono ibi perpetualiter habendam concedimus* , quæ etiam innuere videntur , non tunc cœptum , ſed jam antea invectum fuiſſe ejuſmodi jus ; quod ſane , ut repetam , tamen mihi & peregrinum viſum fuit . Nullus tamen ex vetuſtis Nummis Mantuæ cuſis hactenus ſe mihi obtulit ; nam quos proferam ad longe poſteriora tempora ſpectare puto .

Primum Nummum argenteum adſervo ego; ſimilemque adſervat Placentiæ in ſuo Muſeo amiciſſimus Abbas Chiappinius. In area conſpicitur Aquila expanſis alis , & in limbo legitur VIRGILIVS . Scilicet , quod norunt omnes , laus rara ac invidenda eſt Civitatis illius , admirandum Poëtam Vergilium peperiſſe : quare hoc decus Cives tum in ſuis Nummis repetitum voluere , tum in Statuâ ei poſitâ , quam a Carolo Malateſta dejectam Vergerius aculeatâ Oratione doluit , Tomo XVI. pag. 215. Rerum Italicarum . In averſa parte Crux viſitur cum literis in circuitu: DE MANTVA . Parum abſimilem Nummum adſervat Alexander Bertacchinius Mutinenſis in ſuo Muſeo ; ſed poſt *Virgilii* nomen , cernitur ibi exiguum ſcutum cum inſigni , cujus veſtigia vix ſuperſunt .

Secundus Nummus in Muſeo Bertacchinio , perquam ſimilis eſt præcedenti .

Tertius argenteus apud eumdem Bertacchinium , Crucem præfert cum epigraphe VIRGILIVS . In altera facie limbus habet MANTVE . In area tres literæ E. S. R quas explicare non audeo *Enricus Rex* ſuſpicari aliquis poſſit dum certiora indicent alii .

Quartus e ſchedis Cl. V. Franciſci Blanchinii , Veronæ in Muſeo Muſelliano adſervatis, depromtus , Vergilium exhibet in cathedra ſedentem , cum inſcriptione : VIRGILIVS . MANTVE . In poſtica imago Apoſtolorum Principis , & cujuſdam Epiſcopi . Circumſtant literæ S. PETR*us* EPS. ideſt *Epiſcopus* .

Quinctus in Muſeo Bertacchinio exhibet in ſcuto inſignia vetera nobiliſſimæ Familiæ de Gonzaga ; quæ quantum differant ab ætate noſtrâ adhibitis , facile quiſque intelliget . In limbo hæc inſcriptio : LO. D. (nempe *Lodovicus de*) GONZAGA . Is Anno Chriſti MCCCLXV. inſtitutus fuit Vicarius Imperialis Mantuæ a Carolo IV. Auguſto . In poſtica caput ipſius Ludovici viſitur cum epigraphe V. D. (hoc eſt *Vicarius de*) MANTVA .

Sextum argenteum vidi Mutinæ apud ſæpe memoratum Dominicum Vandellium . Pars nominis in limbo , reliquum in area legitur , ſcilicet FRAN. CIS. CHVS. ideſt *Franciſcus de Gonzaga* , ille , ſi recte conjicio , qui Mantuæ Anno Chriſti MCCCLXXXII. dominari cœpit , & ex virtute bellica magnum ſibi nomen comparavit . Aliquid antiquitatis præferre hujus Nummi forma mihi videtur , ita ut tribuere ipſum non audeam alteri Franciſco juniori , cujus Nummos evulgatum eo . Fortaſſis V D. in area poſita fuere pro *Vicarius De* . In altera facie MANTVA legitur cum Scutulo complectente inſignia .

Septimus æreus , Mutinæ apud Bartholomeum Solianum Typographum mihi inſpectus, caput Principis offert cum literis FRANCISCVS. MR. (ideſt *Marchio*) MANTVE IIII. Is Anno Chriſti MCCCCLXXXIV. Friderico patri in dominatione Mantuæ ſucceſſit . In poſtica viſitur vas , in quo aurum probatur

A (*Crociuolo* Italice appellant Aurifices) flammis circumdatum , cum tribus laminis aureis, aut argenteis ex eo prodeuntibus . Hæc ibi epigraphe: D. PROBASTI ME ET COGNO. M. Sunt verba Pſalmi 138. *Domine probaſti me , & cognoviſti me* : quibus fortaſſe alludit ad ea tempora , quibus a Venetis ob ſuſpicionem corruptæ fidei , cuſtodiæ fuit traditus , ex qua ad preces Selimi Turcarum Imperatoris vix tamdem evaſit .

Octavus in Muſeo Bertacchinio , & apud prælaudatum Solianum , Franciſci ejuſdem Marchionis vultum præfert , & in poſtica pixidem ſacram , cum epigraphe SANGVINIS XPI IESV , qui Mantuæ a pluribus Sæculis in B ſumma veneratione eſt .

MONTISFERRATI MARCHIONES.

NUlla mihi dubitatio eſt , quin veterum *Marchionum Montisferrati* celeberrima progenies multos vel ab antiquo tempore Nummos percuſſerit . Sed mihi quatuor tantùm hactenus videre contigit . Scilicet primum, Placentiæ in Muſeo Chiappinio, in quo inſigne cernitur Marchionis cum literis GVIL. MA. MO. FE. hoc eſt , *Guillelmus Marchio Montisferrati* , is, ut opinor , qui Anno Chriſti MCCCCLX. Montisferrati Marchæ dominabatur . In poſtica viſitur miles lanceâ invectus in anguem tricipitem cum epigraphe C S. TEODORVS. CVSTOS .

Secundum Nummum adſervat Mutinæ Alexander Bertacchinius ; atque is ad eumdem Principem ſpectare videtur . Ibi ejus effigies cum inſcriptione GVLIELMVS MAR*chio* MONT*is* FER*rati* &c. Altera facies exhibet ejus inſignia cum literis in circuitu : SACRI. RO*mani*. IMP*erii*. PRIN*ceps*. VICA*rius*. PP. nempe *Perpetuus* .

Tertium e Muſeo Muſelliano Veronenſi profero . Ibi literæ GV. MAR. MON. FER. PRINC. VICA. SACRI RO. IMP. ideſt *Gulielmus Marchio Montis Ferrati Princeps Vicarius Sacri Romani Imperii* .

Quartus Bononiæ viſitur apud præſtantiſſi- D mum virum Marchionem Johannem Paulum de Pepulis. Ibi hæc epigraphe: BONIFACIVS. MAR*chio*. MONTIS. FERRA*ti*. PRINC*eps* . VICARIVS. P*er*P*etuus*, SACRI. RO*mani* . IMP*erii* . Complures Bonifacios Montisferratenſi Marchæ dominatos fuiſſe , ex Hiſtoriis novimus . Quis ex iis heic indicetur , decernendum peritioribus relinquo .

Romæ quoque adſervat præclariſſimus Eques Franciſcus Victorius Nummum cum epigraphe IO. GEORGIVS. M. MONTIS. FERRATI. IMPERATO. VICARIVS.

M U T I N A.

QUo tempore Mutinenſis Reſpublica frui E cœperit jure ſignandi pecuniam , perſcrutabar ego ; ſed nihil hactenus occurrit mihi, unde agnoſcerem ſub Friderico I. Auguſto hanc ei prærogativam fuiſſe collatam . Immo, ſi fides Annalibus vetuſtis Mutinenſibus , editis Tomo XI. Rer. Italicarum , Anno tantùm MCCXLII. *Primò cœptum fuit cudere Nummos in Civitate Mutinæ* . Et revera tabulæ ſe mihi obtulerunt , teſtantes , a Friderico II. Imperatore Anno Chriſti MCCXXVI. ejuſmodi facultatem ſive confirmatam , ſive primùm fuiſſe conceſſam Mutinenſi Populo , uti conſtabit ex illius Diplomate, quod ex Regeſto vetuſtiſſimo Reipublicæ ipſius deſcripſi .

Friderici II. Auguſti Diploma, quo Civitati Mutinenſi antiqua jura ac privilegia confirmat, inter quæ jus Monetæ cudendæ, Anno 1226.

IN *nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis.* Fridericus Secundus, *divina favente clementia* Romanorum Imperator *ſemper Auguſtus*, Hieruſalem & Siciliæ Rex. *Præclara fidelium noſtrorum obſequia, manifeſtis indiciis operum comprobata, tanto debemus libentius munificentiæ noſtræ muneribus prævenire, quanto Celſitudini noſtræ grata exhibentur pariter & accepta. Nolumus enim a mercede repellere illos a quibus beneficia recepimus gratioſa, nec benemeritos ſine condignæ retributionis viciſſitudine præterire. Univerſis igitur Imperii noſtri fidelibus tam præſentibus quam futuris volumus eſſe notum, quod nos diligentius attendentes fidem puram & devotionem ſinceram, quam* Commune Civitatis Mutinæ, *fideles noſtri erga Prædeceſſores, & maxime progenitores noſtros Romanorum Imperatores memoriæ recolendæ, nec non et celſitudinem noſtram, ſemper habuiſſe noſcuntur: diligentius etiam attendentes fidelia ſatis & grata ſervitia, quæ nobis & Imperio ſemper exhibuerunt, & quæ in antea de bono in melius poterunt exhibere: de innata culminis noſtri clementia, qua fideles noſtros & benemeritos digne ſemper conſuevimus prævenire, Homines ejuſdem Civitatis, undecumque per partes Imperii tranſeuntes, & venientes ad Civitatem eamdem cum perſonis & rebus eorum omnibus, ſub protectione noſtræ majeſtatis recipientes, concedimus & confirmamus ejuſdem Civitatis Communi, & heredibus ac eorum ſucceſſoribus in perpetuum omnia Privilegia & conceſſiones factas eis a prædeceſſoribus noſtris Romanorum Imperatoribus ſeu Regibus, & omnes bonos uſus & conſuetudines tam in Civitate quam extra, in diſtrictu & Comitatu ejuſdem, quibus eorumdem prædeceſſorum noſtrorum temporibus uſi fuiſſe noſcuntur. Concedimus autem ipſis juriſdictionem plenam tam in criminalibus quam in civilibus cauſſis in Civitate & exſtra, in diſtrictu & Comitatu ſuo, & quæ competunt occaſione juriſdictionis ipſius. Derivationes quoque aquarum totius diſtrictus & Comitatus ejuſdem tam fontium quam fluminum, & publicorum locorum, uſus & utilitatem provenientem ex eis; ac poteſtatem habendi navigium, exercendi & mutandi, uſque mare, & quocumque ire voluerint, eis concedimus & damus. Concedimus inſuper, ut liceat eis flumen Situlæ, Samodiæ, & Scultennæ mutare, & advertere, & eis aquam ubicumque & undecumque voluerint, derivare. De abundantiori quoque gratia celſitudinis noſtræ concedimus prædictæ* Civitatis Communi, ut licitum ſit eis Monetam ſub charactere noſtri nominis pro voluntate & commodo ſuo cudere, facere, & habere, magnam vel parvam, quæ ubique terrarum noſtri Imperii expendatur & currat, & ei debeant nomen pro ſua imponere voluntate. Ad majorem autem prædictæ Civitatis cautelam ſtatuimus ut abſque contradictionis nota in omnibus Civitatibus & locis Imperii noſtri curſum habeat, & debitum obtineat pretii ſui vigorem. *Hæc autem omnia jam dictæ Civitatis Communi ex certa noſtra ſcientia concedimus & donamus. De quibus omnibus inveſtivimus Civitatem eamdem in perſonis fidelium noſtrorum Berardi Rolandi Rubei Parmenſis Poteſtatis ipſius Civitatis Mutinæ, Alberti Papienſis Legum Doctoris, & Bonifacii Ducis de Ganazeto, qui ſuper hoc ad excellentiam noſtram a dictæ Civitatis Communi fuerunt deſtinati. Statuentes, & præſentis Privilegii auctoritate firmiter injungentes, ut nulla omnino perſona parva vel humilis, Eccleſiaſtica vel Secularis, contra hanc conceſſionem & donationem noſtram aliquo tempore venire præſumat, vel ei auſu temerario contraire. Quod qui preſumſerit, indignationem noſtram, & pænam quingentarum Librarum auri puri ſe noverit incurſurum, quarum medietas Cameræ noſtræ, altera verò paſſis injuriam perſolvantur. Ut autem hæc noſtra conceſſio & donatio rata ſemper & inconvulſa permaneat, præſens Privilegium fieri, & Sigillo majeſtatis noſtræ juſſimus communiri. Hujus autem rei teſtes ſunt* Albertus Magdeburgenſis Archiepiſcopus, Curienſis Epiſcopus, & Abbas Sancti Galli, Cicenſis, Idelſemenſis, Brixilienſis, Jacobus Taurinenſis, Maynardus Imolenſis, Novarienſis, Brixienſis, & Gratia Parmenſis, Epiſcopi: Lanthgravius Turingiæ; & Dux Saxoniæ; Raynaldus Dux Spoleti; Comes G. de Vienna, & *alii quam plures.*

Signum Domini Frederici  *Romanorum Imperatoris Secundi, Dei gratiá invictiſſimi ſemper Auguſti, Hieruſalem & Siciliæ Regis.*

Acta ſunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo Ducenteſimo Vigeſimo Sexto Menſe Junii, XIV. Indictione imperante Domino noſtro Frederico II. Dei gratiá invictiſſimo Romanorum Imperatore ſemper Auguſto, Hieruſalem & Siciliæ Rege, Anno Romani Imperii ejus Sexto, Regni Hieruſalem Primo, & Regni Siciliæ Vigeſimo octavo, feliciter. Amen.

Datum apud Burgum Sancti Donini, Anno, Menſe, & Indictione præſcriptis.

Ego Albertus de Saſſis Notarius, hoc exemplum ex authentico, ut in eo vidi & legi, in quo ſic continebatur, ut in hoc exemplo legitur, nil addens vel minuens præter literam per ignorantiam forte vel fallaciam, bona fide extraxi & exemplavi, de mandato Domini Petri de Boſtichis Mutinæ Poteſtatis in MCCXLV. Indictione III. Menſe Auguſto, Domino Frederico Imperatore regnante Dei gratiá Romanorum.

Hujus

Hujus autem Friderici, ut puto, potius quam Primi, nomen in antiquis Mutinenſium Nummis occurrit. Primus argenteus, quem Placentiæ in ſuo Muſeo adſervat prælaudatus Chiappinius Abbas Canonicor. Regular. Lateranenſ. has literas in limbo præfert FEDERICVS, & in area I. P. R. T. ideſt *Imperator*. In poſtica D. nempe *De* MVTINA.

Alterum argenteum adſervo ego, adſervat & antiquitatum amantiſſimus Alexander Bertacchinius in ſuo Muſeo. In medio literæ viſuntur F. D. C. ſcilicet *Fredericus*: in limbo IMPERATOR. In averſa parte M. (hoc eſt *Moneta*) DE MVTINA.

Tertium argenteum vidi apud nepotem meum Franciſcum de Solis, tum etiam apud prælaudatum Johannem Paulum Marchionem de Pepulis Bononienſem. Ibi in antica AZO MARCHIO, & Aquila parva, Eſtenſium inſigne, in ſummitate Nummi conſpicitur. Poſtica eaſdem, ac ſuperior, literas habet, hoc eſt M. *Moneta*, DE MVTINA. Anno Chriſti MCCXCIII. *Azo VIII. Marchio Eſtenſis* Obizzoni patri in dominatione *Mutinæ*, ſimulque Ferrariæ, Regii, Comacli, Rhodigii, &c. ſucceſſit.

Quartus Nummus æreus, Mutinæ apud præclariſſimum juvenem Bonifacium Marchionem Rangonium a me viſus, effigiem exhibet Epiſcopi Sancti cum epigraphe S. GEMINIA. MVTINAE. EPS. ideſt *Sanctus Geminianus Epiſcopus*, Mutinenſis Urbis patronus. In altera facie ſcutum, in quo Crux, & circum literæ RESPVBLICA MVTINAE.

Quinctum argenteum communicavit mihi, dum vivebat, Angelus Blanchius Mutinenſis. Ibi imaginem vidi Sancti Geminiani, & in altera facie Crucem cum literis COMVNITATIS MVTINE. Quonam tempore percuſſi fuerint poſtremi iſti duo Nummi, ſtatuere non audeo.

NOVARIA.


UNum tantummodo Nummum offendi, *Novarienſi in Urbe* percuſſum, atque in Muſeo Bertacchinio Mutinæ adſervatum. Crux ibi viſitur, & circum literæ NOVARIA. In altera facie tres tantùm literæ in area conſpiciuntur, ſcilicet S. T. C., nam quæ circumſtabant in epigraphe, tempus abſumſit. Novarienſis Hiſtoriæ cultores perſpicient, ad quemnam referendus ſit Nummus. Nihil mihi ſuccurrit, niſi quod Sæculo Chriſti Decimo tertio Paganus Turrianus Novariæ dominatus fuit, atque is Salvinum filium poſt ſe reliquit. Num ergo *Salvinus Turrianus Capitaneus* per eas literas indicatur? Sed hæc mihi plane dubia & obſcura ſunt.

MACERATÆ.




MALATESTARUM.

1




II






MANTUÆ.




MARCHIONUM MONTISFERRATI.



MUTINÆ.



N O V A R I Æ.



P A R M A.

ANno Chriſti MXXXVII. Parmæ verſatus eſt Conradus inter Auguſtos Primus, eoque tempore *Populo Parmenſi* jus Monetæ contuliſſe videtur, quamquam poſtea ſubortâ illic ſeditione Urbem flammis dederit: quod Wippo Hiſtoricus in ejus Vita memoriæ tradidit, neque ſilet Chronici Parmenſis Auctor, a me editi Tom. IX. Rerum Italicarum. Fortaſſis etiam ea Parmenſibus prærogativa collata fuit Anno Chriſti MXXVII. dum Conradus poſt Romanam coronationem Germaniam repeteret. Hac de re dubitare nos non ſinit argenteus Nummus, numero I. quem Mutinæ poſſidet Comes Johannes Baptiſta Scalabrinius; in quo Crux conſpicitur cum epigraphe CONRADVS AVGVS*tus*. In averſa parte typus cujuſdam ædificii turriti cum literis CIVITAS PARMA.

Alterum argenteum poſſident Mutinæ ſupra laudati Cl. V. Dominicus de Conradis, & nepos meus Johannes Franciſcus de Solis, Placentiæ quoque in ſuo Muſeo adſervat Reverendiſs. Chiappinius. Illic in antica legitur FRE. D RI. C. IP. ideſt *Fredericus Imperator*, ut opinor, Primus. In altera parte typus idem Portæ, ſeu ædificii turriti, cum literis PARMA.

Tertius argenteus, Mutinæ in Muſeo Bertacchinio exſiſtens, in altera facie hanc inſcriptionem offert: FILIPVS, & in area REX. Is eſt Philippus, Friderici I. Auguſti filius, Anno Chriſti MCXCVII. electus Rex Romanorum, a quo Parmenſes confirmationem Mo-
A netæ acceperint. In poſtica legitur P. A. R M A.

Quartus in eodem Muſeo exhibet Arietem in area cum literis in limbo: CIVITAS. Poſticam implet Crux, & in circuitu P. A R. M. A.

Quinctum, mihi conſpectum penes olim Angelum Blanchium Mutinenſem addo. Ibi Crux cum epigraphe F. S. ideſt *Franciſcus Sfortia* VICECOMES, Dux Mediolani, & Dominus Parmæ. In averſa parte effigies Epiſcopi Sancti, cum literis in limbo: S. ILARIVS, *Protector* PARME.

Sextum poſſidebat idem Angelus Blanchius. In altera ejus facie vidi imaginem Sancti viri, circum quam hæc erat inſcriptio: SANCTVS. HILARIVS. In altera Crux viſebatur cum li-
B teris in circuitu: COMVNITAS. PARMAE. Quo tempore Nummus hic fuerit cuſus, Parmenſium rerum peritioribus decernendum relinquo.


PATAVIUM, & CARRARIENSES.

DUm certum, ſincerumque ſit documentum, quod Sertorius Urſatus Lib. 3. Hiſtor. Patavin. pag. 235. protulit, Anno Chriſti MXLVIII. Patavina nobiliſſima Civitas, immo Bernardus ejus Urbis Epiſcopus, jus ſignandæ pecuniæ eſt adeptus. Quum breve ſit illud Diploma, grave nemini erit, ipſum heic rurſus accipere, ac potiſſimùm quòd in Collectaneis
C MStis Priſciani Ferrarienſis, ante annos ducentos quadraginta ſcriptum & ego invenerim, atque inde emendatius, quàm apud Urſatum, proferre poſſim.

Henricus, inter Imperatores Secundus, Bernardo Patavino Epiſcopo jus cudendæ pecuniæ elargitur, Anno 1049.

IN *nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis*. Henricus *divina favente clementia* Romanorum Imperator Auguſtus. *Si ſacris & venerabilibus locis proficua dona concedimus, animæ noſtræ profuturum nullo modo ambigimus. Quapropter omnibus Chriſti, noſtrique fidelibus tam futuris quàm & præſentibus notum fieri volumus, qualiter nos ob interventum noſtri thori Regnique conſortis, ſcilicet* Agnetis Imperatricis Auguſtæ, *nec non ob devotum ſervicium Dei, & petitionem* Bernhardi Patavienſis Epiſcopi licentiam & poteſtatem Monetam faciendi in Civitate Patavienſi, ſecundùm pondus Veronenſis Monetæ, ſibi, ſuæque Eccleſiæ perpetualiter concedimus atque permittimus. *Et ut certior auctoritas hujus noſtræ conceſſionis videatur*, in una ſuperficie Dena-
D riorum noſtri nominis & imaginis impreſſionem; in altera verò ejuſdem Civitatis figuram imprimi juſſimus. *Et quoniam ſecundùm Imperialem auctoritatem noſtrorum anteceſſorum Regum vel Imperatorum pro animæ noſtræ remedio Sanctæ Dei Eccleſiæ prælibatum donum conditione ſtabili tradimus; volumus, firmiterque præcipimus, ut nulla major minorve perſona Eccleſiam Dei, ſuumque proviſorem, Bernhardum videlicet Epiſcopum, ejuſque Succeſſores hoc noſtræ benignitatis dono deſtituere atque moleſtare præſumat. Quod ut veriùs credatur ab omnibus, & per ſuccedentis temporis ævum ab omnibus diligentius obſervetur, hoc noſtræ donationis Præceptum manu propria corroborantes, Sigilli noſtri impreſſione inferius juſſimus inſigniri.*

Signum Domni Henrici



Tertii Regis invictiſſimi, Secundi Romanorum Imperatoris Auguſti.

Herimannus Colonienſis Archiepiſcopus atque Archicancellarius recognovi.

Data

Datæ XVI. Kalendas Maii, Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo Quadrageſimo Nono, Indictione Secunda, Anno Domni Henrici III. Regis, Imperatoris Secundi, ordinationis ejus XX. Regni quidem X. Imperii autem III. in nomine Domini.

Actum Oſtiariæ feliciter, Amen.

Apud Ughellum præter alia *Indictio XI* mendoſe ſcripta eſt, & *Arnulphus* pro *Bernardus*. Quod heic animadvertendum, jus Monetæ Epiſcopo, ejuſque Succeſſoribus conceditur. Id autem peregrinum videri poſſit, quum ad Dominum Urbium id jus pertineat; atque clareat, Epiſcopum Patavinum ſuæ Civitati numquam fuiſſe dominatum. Præterea ſi Epiſcopo Monetæ tribuitur, cur *Civitatis figura* cum Imperatoris nomine ſculpenda in Nummis dicitur, non verò nomen *Sancti Proſdocimi* patroni Patavinæ Civitatis? Si *Civitatis figura*, ergo Reipublicæ, non Epiſcopo, tribuenda eſt dominatio Urbis, a ſupremo tamen jure Imperatoris pendens. Itaque ſubit opinari, Epiſcopum tunc Reipublicæ Patavinæ caput fuiſſe, ac petiiſſe, ut liceret Urbi obſignare pecuniam, & proventus inde percipiendos ad Epiſcopum, ejuſque Eccleſiam ſpectare, aut cum eo actum, uti in iſta Epiſcopo Regienſi obtigiſſe reperies. Ceterùm Patavinos Nummos ſummâ diligentiâ collegit Comes Johannes de Lazara, Patavinus Patricius, eorumque exemplum debeo amantiſſimo mei viro ac doctiſſimo Adamo Pivato Juris utriuſque Doctori, & in eadem Urbe Parocho egregio. Hoſce ſigillatim proferam.

Primus Nummus æreus in Muſeo Lazaræ, Crucem præfert cum epigraphe CIVITAS. In altera parte PADVA.

Secundus argenteus, Patavii in eodem Muſeo, ac Mutinæ in Muſeo Bertacchinio, & apud Cl. V. Dominicum de Conradis Mathematicum Sereniſſimi Ducis noſtri, Aquilam in antica oſtendit, cum literis circum poſitis PADVA REGIA; & in averſa parte Crux, & literæ in circuitu CIVITAS. Viſitur ſcutulum cum neſcio cujus inſigni.

Tertius argenteus, a Comite Lazara in ſuo Muſeo, & a Johanne Franciſco de Solis nepote meo adſervatus, Crucem inſcriptam habet cum epigraphe CIVIT PAD. In angulis Crucis leguntur I. A fortaſſis VA. ut ſint complementum nominis PADVA In altera parte cernitur imago Sancti Epiſcopi cum literis S. PROSDOCIMVS, Patavinæ Civitatis Patronus.

Quartus æreus inſigne Patavinæ Reipublicæ præfert ſine literis. In averſa parte unum tantummodo P. viſitur, quo ſignificatur *Padua*.

Quinctus æreus apud prælaudatum Comitem. Ibi literæ CIVITAS, & in area A. In altera facie Stella cum literis PADVA.

Atque hactenus Nummi, qui percuſſi videntur ſtante Patavinâ Republicâ. Ibi ſubinde dominati ſunt *Carrarienſes*, e quibus tamen *Franciſcus* dumtaxat *Senior*, & *Franciſcus Junior* poſtremus Princeps, Nummos cudiſſe videntur; neque enim ullus a præcedentibus percuſſus hactenus ſeſe mihi obtulit. Currus autem, inſigne Carrarienſium, in iis ferè ſemper viſitur. Ad utrum e duobus Franciſcis ii ſpectent, non facile diſcernas.

Sextum ergo Nummum argenteum adſervat in ſuo Muſeo Comes Lazara. Currus in area conſpicitur, cum literis FRAN*ciſcus*. DE. CARRAIA. In averſa parte Crux & epigraphe D. I. P. AD. VA. ideſt *Dominus in Padua*.

Septimus argenteus exiſtens in eodem Muſeo, Currum habet cum literis hinc inde R R. & in limbo FRANCISCI DE CARARIA. In poſtica imago Epiſcopi, & hinc inde B. Z. in circuitu verò S. PROSDOCIMVS.

Octavus anticam ſimilem exhibet, & in poſtica effigiem Epiſcopi cum epigraphe CIVITAS PADVA.

Nonus, Curru Carrarienſis Familiæ inſigni ornatus, hanc inſcriptionem exhibet: F. D. KRARIA PADVE ECETERA, ideſt *Franciſcus de Cararia* (ſupple *Dominus*) *Paduæ &c.* In averſa facie imago Sancti viri, Urbem dextrâ, Vexillum ſiniſtrâ geſtantis, cum literis S. DANIEL MARTIR N. Percuſſus videtur hic Nummus poſtquam Franciſcus I. Carrarienſis Tarviſium, & alia Oppida, ſuæ ditioni adjecit.

Decimus æreus in Muſeo Patavino Lazara, & Romæ argenteus apud eruditiſſimum virum Franciſcum Valeſium exſiſtens, Currum præfert, cum circum poſitis literis FRANCISCHVS DE CARARIA. In poſtica imaginem Sphingis oſtendit, habentem hinc inde A. A. & in limbo hanc inſcriptionem SEPTIMVS DVS, (hoc eſt *Dominus*) PADVE. Similes alios Nummos cum Sphinge, ſed abſque epigrape, & cum hiſce Siglis tantùm F. F. aut R. R; alioſque cum Curru hinc, & inde Lilio; & alios demum cum Curru hinc, & inde Caſſide vidi. Sed ne Lectori nimis ſim gravis, prætermitto.

Undecimus denique argenteus in Muſeo Lazara, Crucem radiatam exhibet, circum quam hæc inſcriptio: FRANCISCI DE CARARIA. In averſa facie Crux & epigraphe: CIVITAS PADVE.

P E R U S I A.

Quinque Peruſinæ Urbis Nummos vidi. Primus æreus Placentiæ adſervatus in Muſeo Chiappinio, in area unum P. habet, ideſt *Peruſia*; neque enim audeo interpretari *Pecunia*. Circumſtant literæ DE PERVSIA. In averſa parte Crux cum epigraphe S. ERCVLANVS, videlicet Peruſiæ Protector.

Alter Nummus argenteus, Mutinæ in Muſeo Bertacchinio exſiſtens, Cruce inſignitus eſt cum literis DE PERVSIA. In altera facie imago viſitur Sancti Epiſcopi. Circumſtat inſcriptio S ERCVLANVS.

Tertius Nummus, Romæ in Muſeo doctiſſimi viri Franciſci Victorii, in antica præfert SANTVS. ERCVLANVS, & in area P. ideſt *Patronus*, ſeu *Protector*, niſi malis interpretari *Peruſia*. In poſtica viſitur Hippogryphus coronatus cum epigraphe AVGVSTA PERVSIA: quæ appellatio deſumta eſt ex antiquis lapidibus.

Quartus Nummus argenteus, Camerini adſervatur apud amicum virum Philippum Camerinium Presbyterum Camertis Oratorii. Ibi effigies ejuſdem Sancti Viri, cum literis S. ERCVLANVS, & in altera parte legitur in limbo: DE PERVSI., & in areâ finalis litera A, aſteriſcis quatuor circumdata.

Quinctus argenteus a Cl. V. Dionyſio Andrea

drea Sancaſſano Medico Scandianenſi, ad me miſſus, iiſdem literis ſignatus eſt, & a reliquis diverſus præfert Gryphum alatum, Peruſinorum inſigne. In averſa ſuperſtant Claves, indicio tunc Peruſinos ſubfuiſſe dominationi temporali Romani Pontificis. Alios ſimiles Nummos vidi, ſed moduli diverſi, a quibus exhibendis abſtineo, ne ſuperfluis oneri ſim Lectori.

P I S Æ.

A Friderico I. Auguſto Piſano Populo aut conlatum, aut confirmatum fuiſſe jus Monetæ, ex eorum Nummis elucere poteſt, in quibus repetitum video illius Imperatoris nomen. Certe Anno Chriſti MCLXXV. jam Piſani obſignabant pecuniam. Auctor quippe eſt Ptolomeus Lucenſis Hiſtoricus, ad eum Annum in Annal. brevib. Tom. XI. Rerum Italicar. *ſententiam fuiſſe latam per Imperatorem Fredericum contra Piſanos de Moneta non cudenda in ea forma & cuneo, qua & quo Lucenſes cudere poſſent*. Idem confirmatum videas Lib. 3. Annal. Genuenſ. Caffari Tom. VI. Rer. Italicarum. Ibi de Friderico I. Auguſto ſcribitur: *Piſanis Monetam Lucenſem, quam malitioſe cudebant, & falſificabant, ſub juramento debito interdixit*. Et fortaſſe ne antiquioribus quidem Sæculis Piſana Civitas Monetæ jure caruit. Nam in Charta Anni Chriſti DCCLXXXII. quam protuli in Diſſertatione I. *de exter Gentib.* memoratos invenio *Solidos ſeptinientos Lucani & Piſani*. Certum eſt, ut vidimus, percuſſam iis temporibus fuiſſe pecuniam Lucenſi in Urbe, ejuſque Solidos in commercio & honore fuiſſe. Cur non & idem Piſanæ indultum? quando animadvertimus, non Ticini tantùm, ſed & Mediolani Monetariam officinam uno tempore fuiſſe? Clariſſimus autem Vir Don Virginius Válſecchius Monachus Benedictinus, in Accademia Piſana publicus Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Profeſſor in Epiſtola edita *de veteribus Piſanæ Civitatis Conſtitutis* Chartam refert concordiæ initæ inter Piſanos atque Lucenſes de negotio Monetæ mutuæ. Scripta hæc fuit Anno Chriſti MCLXXXI. ibique ſtatuitur, in Lucenſi *nomen Lucæ, vel Henrigi ſignandum eſſe*; in ea verò, *quam Piſani fabricare debent, nomen Friderici, ſeu Curradi, & nomen Piſæ* inſcribendum. Quæ indicant, Piſanos acceptum referre jus illud Conrado II. Germaniæ ac Italiæ Regi, & Friderico I. Auguſto. Inde verò (quod mirere) apparet, Lucæ tantummodo fuiſſe officinam illam Monetariam; ubi etiam Piſani Nummi ſignabantur: utramque verò Civitatem inter ſe partitam fuiſſe emolumentum inde perceptum.

Primus ergo Nummus argenteus adſervabatur apud amicum olim meum Hubertum Benvoglientum Patricium Senenſem. Ibi Crux viſebatur cum literis circum ſcriptis GLORIOSA PISA. In poſtica Crux cum literis VIVI VIVIVIVIVI. Sphingem tibi objicio, niſi mecum ſuſpiceris, *Vivat* ſepties heic eſſe repetitum. Memineris, in primo, eoque antiquiſſimo, Lucenſis Urbis Nummo ſupra occurriſſe eamdem inſcriptionem. Quare & hinc nova vis additur conjecturæ, vel Sæculo Chriſti Octavo apud Piſanos jus Monetæ fuiſſe.

Secundum Nummum miſit idem Benvoglientus, habentem in area F. ideſt *Fredericus*, & in limbo INPERATOR. Averſa pars inſcripta eſt hiſce literis in circuitu CIVITAS, & in area PISA.

Tertii argentei ectypon debeo doctiſſimo olim amico meo Angelo Poggeſio Juris utriuſque Doctori Piſano. Aquilam coronatam præfert Nummus cum epigraphe FEDERICVS IMPERATOR. In poſtica effigies Virginis Mariæ puerum Jeſum geſtantis in ulnis, cum circumducta epigraphe PROTEGE VIRGO PIS*is*. Similem adſervat Mutinæ Ludovicus Parma honeſtus Civis, ſed aliquâ literarum varietate, videlicet FED. IMPERATOR: & PTEGE VIRGO PISAS.

Quartum argenteum poſſidet Romæ eruditiſſimus Abbas Valeſius, poſſideo & ego Mutinæ. Ibi viſitur Aquila, & FR. IMPATOR, hoc eſt *Fredericus Imperator*. In averſa parte imago Virginis in cathedra ſedentis, cum epigraphe PISE.

Quinctum argenteum ſuppeditavit mihi Mutinæ e ſuo Muſeo Alexander Bertachinius. Adſervatur etiam Romæ in Muſeo Victorio. Conſpicitur ibi Aquila, circum quam legitur FR IMPTOR. In altera parte effigies eadem Mariæ Virginis, cum Græca epigraphe MP. ΘΤ. nempe Μήτηρ Θεοῦ, *Mater Dei*, & infra PISE.

Sextus argenteus adſervatus Romæ a prælaudato Valeſio, Piſis a Poggeſii heredibus, ac Mutinæ a Bertacchinio, exhibet Crucem in antica, cum literis circum exaratis: POPVLI PISANI. In poſtica viſitur imago Virginis cum inſcriptione in limbo: PROTEGE VIRGO PISA*s*. In Nummo Valeſiano cernitur ad latus Deiparæ, litera B. cum Cruce ſuperpoſitâ, fortaſſe nomen Monetarii indicans, aut Mercatoris, cujus ſumtibus Nummi hujuſmodi fuere percuſi. Subtus conſpicitur exiguum Cornu venatorium, inſigne, ut arbitror, alicujus Magiſtratus. Alterum ſimilem poſſidet Johannes Baptiſta Sedinarius Civis Mutinenſis, ſed literis aliâ formâ diſpoſitis.

Septimum mihi ſuppeditavit Poggeſius. Ibi eædem imagines, cum inſcriptionibus in antica PISANI COMMVNIS. In averſa verò PROTEGE VIRGO PISAS.

Octavum argenteum poſſident Romæ Valeſius, Mutinæ Ludovicus Parma, Piſis verò poſſidebat olim Poggeſius. In area viſitur Inſigne Regum Francorum cum literis KL. ideſt *Karolus*. In limbo KAROLVS: REX: PISANORVM: LIB. ſcilicet *Liberator*. Is eſt *Carolus VIII.* Rex Franciæ, qui Anno Chriſti MCCCCXCIV. Piſas e Florentinorum dominatione excuſſas libertati reſtituit. In poſtica Virginis effigies cum epigraphe conſuetâ, & ad ejus latus A. cum Cruce.

Nonus æreus, Mutinæ viſitur apud Bartholomæum Solianum. Ibi Inſigne Regum Francorum cum epigraphe KAROLVS REX. In averſa facie in area unum P. hoc eſt *Piſæ*. Circumſtant literæ CIVITAS PISANA.

Denique Romæ adſervat N. V. Franciſcus Victorius S. Stephani Eques Nummum cum literis in antica POPVLI. PISANI. & in poſtica PROTECTRIX. PISANONVM. Alterum quoque poſſidet idem Victorius, in quo legitur F. IMPERATOR. & in averſa S. MAR. D. PISIS.

P I S A U R U M.

Piſauri Anno Chriſti MCCCCXLIV. dominari cœpit *Alexander Sfortia*, ideſt unu e filiis

e filia Martini Attendoli de Cotignola, celeberrimi militum Ductoris, & fratre Franciſci I. inclyti Mediolanenſium Ducis. Ad eum ſpectat Primus Nummus argenteus, mihi ſuppeditatus ab eximio Jurisconſulto Joachimo Foro-ſempronienſi, mihi ſupra laudato. Viſuntur in eo hæ literæ ALEXander SFORTIa, & DOMINVS PISAVRI.

Secundus Nummus ad ejus filium Conſtantium ſpectat, qui Anno Chriſti MCCCCLXXIII. Piſauri dominabatur. Nummum hunc argenteum Romæ adſervat doctiſſimus Abbas Valeſius, & Mutinæ amicus meus Bertacchinius. Ibi Crux cum inſcriptione CONSTAN. SF. PISAV. idest Conſtantius Sfortia Piſauri, ſubintellige Dominus. In poſtica effigies Sancti Martyris cum hiſce literis S. TERENTIVS, Piſaurenſis nimirum Civitatis patroni.

Tertius argenteus, penes eumdem Valeſium exiſtens, in antica præfert has literas CONSTANTIVS. S. hoc eſt, Sfortia. In averſa facie DOMINVS PISAVRI, cum ſcutulo ejus inſignia complectente.

Quartus, in Muſeo Bertacchinio adſervatus, Leonem erectis pedibus exhibet, florentem ramum tenentem cum literis circum ductis CONSTANTIVS SFortia Piſauri, ſubaudi Dominus. Scutulum ſimile præcedenti ſuperadditur. In averſa parte PISAVR. Alterum pariter diſſimilem Nummum in eodem Muſeo conſpexi.

Quinctum argenteum poſſidet Bononiæ amicus vir Johannes Baptiſta Bianconus. Ibi Deipara genubus flexis divinum infantem adorans viſitur cum lemmate HIC TE ADORAT. Altera pars inſcriptionem hanc præfert: CONSTANTIVS SFORTIA DE ARAGONIA PISAvri, ſcilicet Dominus.

Sextus æreus, Mutinæ in Muſeo Bertacchinio mihi viſus, effigiem Principis oſtendit cum epigraphe CONSTANTIVS SFortia DE ARAGOnia PISAVri, ſupple Dominus. In poſtica Caſtrum Civitatis Piſauri, quod ipſe ædificavit, & inſcriptio circum poſita: SALVTI ET MEMORIAE CONDIDIT.

Septimus argenteus, tum apud Bertacchinium, tum apud Bartholomæum Soliaznum Mutinæ exiſtens, tum etiam penes doctiſſimum Abbatem Benedictum Floravantem Romæ adſervatus, præfert Inſigne Sfortiadis gentis cum epigraphe IOhannes SFortia DE ARAgonia. COmes COTIgnolæ PISAVri, ſubintellige Dominus. Is fuit Conſtantii filius, ac dominari cœpit Anno Chriſti MCCCCLXXXIII. In poſtica imago Deiparæ cum literis circum poſitis ORA PRO NOBIS.

Octavum æneum Nummum adſervat in ſuo Muſeo Bertacchinius. Ibi caput viri cernitur cum epigraphe IOANNES SFORTIA PISAVRi Princeps. In poſtica area eſt altera inſcriptio PVBLICAE COMMODITATI.

Hiſce Nummis addere liceat toreuma, ſive majoris moduli Numiſma, quod Mutinæ vidi penes nobilem virum Ludovicum Nicolaum Comitem Grillenzonum. Ibi effigies mulieris cum epigraphe CAMILLA SFORtia DE. ARAGONIA. MATRONARum. PVDICISSIMA. PISAVRI DOMINA. In poſtica mulier inſidens Monoceroti, & Oviculæ, dexterâ telum tenens, ſiniſtra anguem, cum lemmate: SIC ITVR AD ASTRA. In imo legitur: OPVS SPERANDEI. Camilla iſta uxor fuit Conſtantii Sfortiæ ſupra laudati.

Ad eam quoque pertinet Nummus Decimus, e Muſeo Muſelliano Veronenſi deſumtus. Ibi inſignia Sfortiadum viſuntur cum circumducta epigraphe: CAMILLA D. GZ. IO S. PISAVRI D. Camilla a Conſtantio marito heres relicta fuit cum Johanne filio. Is fortaſſe *Galeaz Johannes* appellabatur, ita ut videatur inſcriptio ſic interpretanda: *Camilla Domini Galeaz Johannis Sfortiæ* (ſupple *Mater*) *Piſauri Domini*, vel *Domina*. Sed primum illud D. meliorem adhuc interpretationem deſiderat. In poſtica hujus Nummi viſitur imago Deiparæ, & literæ circum deſcriptæ: ORA PRO NOBIS.

PLACENTIA.


A Conrado II. Germaniæ ac Italiæ Rege jus Monetæ Placentini ſibi procurarunt Anno Chriſti MCXL. Teſtem habeo Auctorem Chronici Placentini, a me editi Tom. XVI. Rer. Italicarum. Ad eum quippe Annum hæc ille habet: *Eodem Anno Rex Conradus Secundus fecit Privilegium Placentinis faciendi Monetam; & eodem Anno dicta Moneta fuit incœpta fieri*. Hoc idem Sigonius animadvertit. Et ejuſdem quidem conceſſæ facultatis Diploma a Locato in Hiſtor. Placentinâ evulgatum fuit. Ex quo etiam edìſcimus, prærogativam hanc Populo Placentino antea collatam a duobus Henricis Quarto & Quincto Auguſtis fuiſſe. Teſtem idoneum Cl. V. olim D. Gaſpar Berettus Monachus Benedictinus Nummum argenteum ad me miſit, cui tres ſimiles in ſuo Muſeo adſervat Placentiæ ſæpe laudatus Abbas Chiappinius. In eius area legitur CONRADI. & in limbo REGIS SECVNDI. In averſa parte hæc epigraphe DE PLACENTIA: quibus prior ſententia confirmatur.

Secundus Nummus argenteus, in eodem Muſeo Chiappinio Placentino exſiſtens, Scutum in area præfert cum inſigni quodam, niſi ſit alia figura. Circumſtant literæ: PLACENTIA AVGVSTA. In altera facie Crux cum epigraphe NOSTRA REDEMPTIO.


Tertium Nummum ex argento & ære oſtendit mihi idem Reverendiſs. Chiappinius. Ibi in area videre mihi viſus ſum duas haſce literas: P. O. vel P. D. ideſt *Placentiæ Dominus*, & in limbo IOANNES DE VIGNATE, is nimirum, qui Laudis Pompejæ Dominus, ſive Tyrannus, Placentiæ quoque dominationem arripuit, quam Anno Chriſti MCCCCXIII dimiſit. In poſtica Crux cum literis PLACENTIE . . . . . . Reliqua tempus abſumſit.

Quartum Nummum mihi oſtendit, dum vivebat, Angelus Blanchus Mutinenſis. Ibi effigies mulieris nudum puerum tenentis viſebatur, qui fuſtem porrigere videtur. In limbo autem legebam FIDA PLACENTIA. Averſa pars protomen Sancti viri exhibebat cum literis SAnctus ANTONINVS.


P A R M Æ.




P A T A V I I, E T C A R R A R I E N S I U M.




P E R U S I Æ.



P I S A R U M.




P I S A U R I.




P L A C E N T I Æ.


I




II



III



IV



RECINETUM.

RECINETI quoque Civitas in Marchia Anconitana olim jure Monetæ fruebatur. Teſtem habeo Nummum æreum, in Muſeo Bertacchinio adſervatum. Ibi Leo conſpicitur pedibus anterioribus erectis. In limbo leguntur hæ literæ: DE RECANETO. Aream poſticæ Crux implet. In circuitu S. FLAVIANVS Recinetenſium Protector.

Romæ Franciſcus Victorius Eques alium Nummum poſſidet cum hiſce literis in antica: DE. RECANETO. In poſtica: S. MARIA.

REGIUM LEPIDI.

NUllum *Regienſis Urbis* Nummum percuſſum ante Annum Chriſti MCCXXXIII. videre hactenus potui. Hæc autem de Regienſibus ad eum Annum habet Auctor Chronici Regienſis, editi Tom. VIII. Rer. Italicarum. *Eo Anno primò incepta fuit Moneta Reginorum.* Adde & Pancirolium in Hiſtoria Rer. Regienſium (cujus autographum Eſtenſis Bibliotheca adſervat) ita de Regienſibus ſcribentem: *Primum Nicolai Maltraverſii Antiſtitis nomine, penes quem hoc jus reſidebat, cudere Monetam cœperunt. Unde aliqua etiam hodie Numiſmata cum hac inſcriptione viſuntur*. NICOLAVS EPISCOPVS: *ab altera verò parte legitur*: FRIDERICVS IMPERATOR: *quod Ænobarbi beneficio id Antiſtiti noſtro jus olim conceſſum fuiſſe ſignificat.* Non ex Friderici Ænobarbi, ſed ex *Friderici II.* Auguſti tunc imperantis dono putandum eſt, Præſulem Regienſem tunc pecuniam ſignare cœpiſſe. Is fortaſſe tunc Reipublicæ Regienſi præerat, quum certum ſit, tunc viguiſſe Rempublicam Regienſem, neque in temporalibus fuiſſe Urbem Epiſcopi auctoritati ſubjectam. Fulvius Azzarius in Chronic. Epiſcopor. Regienſ. quod itidem nondum luci redditum Eſtenſis Bibliotheca complectitur, Nummos quidem ſe ejuſdem Nicolai vidiſſe tradit, at nullum Friderici nomine inſignitum. Ne mihi quidem id contigit. Ejuſdem Epiſcopi Nummos utique proferam, ſed nullum ibi nomen Imperatoris. Veram tamen Pancirolii ſententiam reor, hoc eſt, primos ejus Nummos ita fuiſſe ſignatos. At quum ſubſequenti tempore Fredericus II. anathemate perculſus, ac demum Imperio privatus fuerit,

A hac de cauſſa ab ejus nomine inſcribendo abſtinuiſſe Epiſcopus videtur.

Itaque Primus Nummus argenteus, Regii apud Comitem Nicolaum Tacoli, & Mutinæ in Muſeo Bertacchinio, ac penes Dominicum Vandellium adſervatus, in area unicum N. offert, ideſt *Nicolaus*. In limbo legitur EPISCOPVS. In poſtica ramus cum foliis ad inſtar Lilii, & epigraphe DE REGIO. Pro ſolitario illo N. quod primo conſpeximus, in altero ſimili Nummo apud Joſeph Mariam Cattaneum H. ſcriptum videtur; ſed legendum nihiloſecius N. Neque enim audeo tribuere Nummum *Henrico* Regienſi Epiſcopo, qui Anno Chriſti MCCCI. ſedere cœpit, quum tunc
B Regienſi in Urbe dominaretur Azo VIII Marchio Eſtenſis.

Secundus Nummus æreus, Mutinæ apud Bartholomæum Solianum, effigiem Epiſcopi Sancti præfert cum epigraphe S. PROSPER, patronus videlicet Regienſium. In averſa parte ſcutum, in quo Crux, Urbis inſigne, & inſcriptio REGIVM.

Tertium argenteum adſervat in ſuo Muſeo Bertacchinius. Ibi caput Principis viſitur cum literis circum exaratis: DIVO HERC. DVCI. Is eſt *Hercules I.* Eſtenſis, Dux Ferrariæ, Mutinæ, Regii &c. qui Anno Chriſti MCCCCLXXI. dominari cœpit. In averſa parte Crux, & COMVNITAS REGII.

C Quartum argenteum poſſidet Mutinæ prælaudatus Dominicus Vandellius. Struem lignorum, veluti pyram, exhibet, ſuper qua eſt Aquila, cum inſcriptione HERCVLES DVX, idem videlicet, de quo in præcedenti. Averſa pars ejuſdem Sancti Epiſcopi imaginem exhibet, circum quam leguntur hæ literæ: S. PROSPER. EPS. REGII.

Quinctus apud Bertacchinium & Solianum exſiſtens, ejuſdem Ducis caput oſtendit cum epigraphe: HERCVLES DVX. In poſtica Crux, & inſcriptio: REGIVM OLIM AEMILIA. De hac appellatione vide Diſſertationem XXI. *De Statu Italiæ*.

D Sextus Nummus in eodem Muſeo Bertacchinio, præcedenti prorſus ſimilis eſt, niſi quod in poſtica legitur inſcriptio, bonâ Priſciani veniâ hiſce verbis concepta: REGIVM EMILIA VETERES.

Septimus ibidem exſiſtens, minimi moduli eſt. Ibi effigies Epiſcopi cum literis S. PROSPER. In poſtica: REGII LEPIDI.

P I S A R U M.




P I S A U R I.




PLA-

PLACENTIÆ.


I




II



III



IV



RECINETUM.

R*Ecineti* quoque Civitas in Marchia Anconitana olim jure Monetæ fruebatur. Teſtem habeo Nummum æreum, in Muſeo Bertacchinio adſervatum. Ibi Leo conſpicitur pedibus anterioribus erectis. In limbo leguntur hæ literæ: DE RECANETO. Aream poſticæ Crux implet. In circuitu S. FLAVIANVS Recinetenſium Protector.

Romæ Franciſcus Victorius Eques alium Nummum poſſidet cum hiſce literis in antica: DE. RECANETO. In poſtica: S. MARIA.

REGIUM LEPIDI.

NUllum *Regienſis Urbis* Nummum percuſſum ante Annum Chriſti MCCXXXIII. videre hactenus potui. Hæc autem de Regienſibus ad eum Annum habet Auctor Chronici Regienſis, editi Tom. VIII. Rer. Italicarum. *Eo Anno primò incepta fuit Moneta Reginorum.* Adde & Pancirolium in Hiſtoria Rer. Regienſium (cujus autographum Eſtenſis Bibliotheca adſervat) ita de Regienſibus ſcribentem: *Primum Nicolai Maltraverſii Antiſtitis nomine, penes quem hoc jus reſidebat, cudere Monetam cœperunt. Unde aliqua etiam hodie Numiſmata cum hac inſcriptione viſuntur.* NICOLAVS EPISCOPVS: *ab altera verò parte legitur:* FRIDERICVS IMPERATOR: *quod Ænobarbi beneficio id Antiſtiti noſtro jus olim conceſſum fuiſſe ſignificat.* Non ex Friderici Ænobarbi, ſed ex *Friderici II.* Auguſti tunc imperantis dono putandum eſt, Præſulem Regienſem tunc pecuniam ſignare cœpiſſe. Is fortaſſe tunc Reipublicæ Regienſi præerat, quum certum ſit, tunc viguiſſe Rempublicam Regienſem, neque in temporalibus fuiſſe Urbem Epiſcopi auctoritati ſubjectam. Fulvius Azzarius in Chronic. Epiſcopor. Regienſ. quod itidem nondum luci redditum Eſtenſis Bibliotheca complectitur, Nummos quidem ſe ejuſdem Nicolai vidiſſe tradit, at nullum Friderici nomine inſignitum. Ne mihi quidem id contigit. Ejuſdem Epiſcopi Nummos utique proferam, ſed nullum ibi nomen Imperatoris. Veram tamen Pancirolii ſententiam reor, hoc eſt, primos ejus Nummos ita fuiſſe ſignatos. At quum ſubſequenti tempore Fredericus II. anathemate perculſus, ac demum Imperio privatus fuerit,

A hac de cauſſa ab ejus nomine inſcribendo abſtinuiſſe Epiſcopus videtur.

Itaque Primus Nummus argenteus, Regii apud Comitem Nicolaum Tacoli, & Mutinæ in Muſeo Bertacchinio, ac penes Dominicum Vandellium adſervatus, in area unicum N. offert, ideſt *Nicolaus*. In limbo legitur EPISCOPVS. In poſtica ramus cum foliis ad inſtar Lilii, & epigraphe DE REGIO. Pro ſolitario illo N. quod primo conſpeximus, in altero ſimili Nummo apud Joſeph Mariam Cattaneum H. ſcriptum videtur; ſed legendum nihiloſecius N. Neque enim audeo tribuere Nummum *Henrico* Regienſi Epiſcopo, qui Anno Chriſti MCCCI. ſedere cœpit, quum tunc

B Regienſi in Urbe dominaretur Azo VIII Marchio Eſtenſis.

Secundus Nummus æreus, Mutinæ apud Bartholomæum Solianum, effigiem Epiſcopi Sancti præfert cum epigraphe S. PROSPER, patronus videlicet Regienſium. In averſa parte ſcutum, in quo Crux, Urbis inſigne, & inſcriptio REGIVM.

Tertium argenteum adſervat in ſuo Muſeo Bertacchinius. Ibi caput Principis viſitur cum literis circum exaratis: DIVO HERC. DVCI. Is eſt *Hercules I.* Eſtenſis, Dux Ferrariæ, Mutinæ, Regii &c. qui Anno Chriſti MCCCCLXXI. dominari cœpit. In averſa parte Crux, & COMVNITAS REGII.


C Quartum argenteum poſſidet Mutinæ prælaudatus Dominicus Vandellius. Struem lignorum, veluti pyram, exhibet, ſuper qua eſt Aquila, cum inſcriptione HERCVLES DVX, idem videlicet, de quo in præcedenti. Averſa pars ejuſdem Sancti Epiſcopi imaginem exhibet, circum quam leguntur hæ literæ: S. PROSPER. EPS. REGII.

Quinctus apud Bertacchinium & Solianum exſiſtens, ejuſdem Ducis caput oſtendit cum epigraphe: HERCVLES DVX. In poſtica Crux, & inſcriptio: REGIVM OLIM AEMILIA. De hac appellatione vide Diſſertationem XXI. *De Statu Italiæ*.


D Sextus Nummus in eodem Muſeo Bertacchinio, præcedenti prorſus ſimilis eſt, niſi quod in poſtica legitur inſcriptio, bonâ Priſciani veniâ hiſce verbis concepta: REGIVM EMILIA VETERES.

Septimus ibidem exſiſtens, minimi moduli eſt. Ibi effigies Epiſcopi cum literis S. PROSPER. In poſtica: REGII LEPIDI.

RECINETI.



REGII LEPIDI.



SABAUDIÆ COMITES ET DUCES.

NObiliſſima *Sabaudienſium Comitum* ſoboles, poſtea Ducum, quæ titulum Regium a Cypro deſumtum, addito diebus noſtris Sardiniæ Regno, luculentius confirmavit, inter alios ſuarum rerum Scriptores Samuelem Guichenonium habuit, qui Genealogicam Hiſtoriam Regiæ illius Familiæ ampliſſime conſcripſit. Is autem & Nummos Sabaudienſes, quotquot potuit, collegit. Ex ejus labore proficiam nunc ego. Attamen prius animadvertam, inclytam gentem illam plures dediſſe *Humbertos*, & longe plures *Amedeos*. Hinc tenebræ in tribuendis uni potius, quàm alteri ejuſdem nominis Nummis; quippe divinando tantùm interdum adſignantur. Nummum a Guichenonio productum lubens prætereo, quem is referendum eſſe putat ad *Beroldum*, Principem primum inter notos nobis e Sabaudienſi ſtirpe, qui circiter Ann. Chriſti MXV. floruiſſe creditur. Omitto, inquam, tum quod iis temporibus non legamus jus Monetæ fuiſſe datum Comitibus, neque Marchionibus (Sabaudia autem ævo illo pars erat Burgundici Regni, & Beroldus Comes tantùm Maurieannæ, Burgundici Regis Vaſſallus) tum etiam quod Nummus minime illic videatur, quum averſâ parte careat. Miretur aliquis, cur diligentiam ejuſdem Guichenonii effugerit Charta, Anno Chriſti MXX. ſcripta, quam e Talverienſis Monaſterii Archivo, ſiti in Anicienſi Diœceſi, Clariſſimi Monachi Benedictini e Congregatione Sancti Mauri, Martene & Durand, ſeſe accepiſſe tradunt, ab ipſis edita Tomo I. pag. 140. Theſauri Novi Anecdotorum. Dubitationem fortaſſis ingeſſerunt Guichenonio prima Chartæ illius verba, quæ nihil ſapiunt mores Sæculi, quo ſcripta fertur, ſcilicet: *Beraldus de Saxonia, Prorex Arelatenſis pro Rege potentiſſimo Radulfo, & ab Auguſta Majeſtate Imperii creatus Vicarius*. Et infra: *Monaſterium Tallucre, quod fundavit Dominus meus Rex*; quum Guichenonius ipſe tabulas protulerit, in quibus fundatio ejuſdem Monaſterii tribuitur non Radulfo Regi, ſed *Ermengardi Domni Rodulphi Regis Conjugi*. Infra etiam commemorantur *Feuda*, quibus idem Monaſterium fruebatur. Denique ibi legitur: *Actum in eo loco de Talueris, laudante Domino meo Imperatore, & genito meo cariſſimo Umberto*. Forſitan in his aliquid peregrini & confictі videre Guichenonius ſibi viſus eſt. Neque ego ejuſmodi Chartam innuo, uti germanum fœtum, ſed ut in eam diligentius Eruditi inſpiciant.

Primus argenteus Nummus a Guichenonio tribuitur Humberto Mauriennæ Comiti, qui Anno MXLVIII. e vivis exceſſiſſe traditur. Crux in antica viſitur. Stella in poſtica. Inſcriptio VMBERTVS COMES. Sed quum Umberto II. par Nummus tribuatur, ad illum potius, quàm ad iſtum, hic referendus videtur.

Secundus argenteus Aquilam in area habet bicipitem cum epigraphe: AMEDS COMES SAB. ideſt *Amedeus Comes Sabaudiæ*. In poſtica Crux, in cujus angulis viſuntur literæ A. M. E. D. idem nomen exprimentes. In limbo PEDEMONTENSIS. Nummum hunc Guichenonius tribuit *Amedeo II.* Sabaudiæ Comiti, qui circiter Annum MLXXX. vitam cum morte commutaſſe fertur. Verùm ab ejus opinione diſcedere cogor. Longe enim ſerius adinventa creditur Aquila biceps; & fortaſſe nondum Principi illi *Pedemontenſis* appellatio conveniebat. Quare ad unum ex ſubſequentibus Amedeis referendus mihi creditur Nummus.

Tertius Crucem præfert cum literis AM. COMES. In poſticâ Stella & epigraphe SABAVDIE.

Quartus Crucem in antica exhibet, in cujus angu-

angulis literæ ſunt A. M. E. D. & in limbo AMEDEVS. In averſa parte Stella cum literis COMES SABAVD. Ambos hoſce Nummos Guichenonius tribuit eidem *Amedeo II. Comiti*: ſed dumtaxat divinando, quum ad poſteriores pertinere poſſint, incertumque ſit, an tunc liceret Comitibus iis pecuniam ſignare.

Quinctus argenteus *Humberto II.* tribuitur, qui Anno Chriſti MCIII. vitâ functus dicitur. In antica Crux, & VMBERTVS COMES. In poſtica conſpicitur Stella, & epigraphe SECVSIA, nunc *Suſa*.

Sextus argenteus ad *Amedeum III.* ſpectare creditur, qui Anno Chriſti MCXLIX. vivere deſiit. Aream implet litera A. ſignificans *Amedeum*. Circumſtat inſcriptio: COMES. DE. SABAVD. In poſtica Scutum cum Cruce & literis IN ITALIA MARCHIO.

Septimus ad eumdem refertur. Crux ibi cum duabus pilis in area. Tres pilas poſtica oſtendit. Inſcriptio AMEDEVS. COMES. SECVSIA.

Octavus aureus ad *Humbertum III.* ſpectat, qui Anno Chriſti MCLXXXVIII. e vivis abiit. In area viſitur H. initialis litera nominis *Humbertus*. In limbo: COMES. DE. SABAVDIæ. In averſa Scutum cum Cruce, quæ inſigne eſt Regiæ Sabaudienſis Familiæ. Circumſtat epigraphe: IN. ITALIA. MARCHIO.

Nonus æreus ad *Thomam I.* pertinere creditur, qui Anno Chriſti MCCXXXIII. ad plures abiit. Cernitur ibi ſcutum cum Cruce & caſſide ſuperpoſita, & literis TS. HT. quas pro ſuo arbitrio, & ſine pari exemplo Guichenonius interpretatur *Thomas Humberti*. In poſtica duo laquei, & in medio F. E. R. T. quas literas, unicam tamen vocem efformantes, *Diviſiam*, ut ajunt, illius Principis, aliorumque Sabaudienſium, idem Guichenonius putat. Pedemontani Scriptores ſomnia multa congeſſere in ejuſmodi Diviſiam. Mihi laudanda videtur conjectura doctiſſimi Du Cangii in Gloſſar. Latin. qui ex Michaële Scoto de Phyſionomiâ Cap. 56. animadvertit, *Fert*, & *Confert* credita fuiſſe auguria, nunc bonum, nunc malum eventum portendentia. Neque omittendum, *Fertones* pecuniæ genus fuiſſe, olim perquam celebre. An eorum mentio ad haſce tenebras eliminandas inſervire quidquam poſſit, alii videant.

Decimus argenteus Nummus per divinationem tribuitur *Amedeo IV.* qui Anno Chriſti MCCLIII diem clauſit extremum. Aquila viſitur in area, & circum literæ AMD. COMES SABAVD. Crux Principum Sabaudienſium teſſera in poſticâ, & epigraphe IN ITALIA MARCCHO, ideſt *Marchio*.

Undecimum argenteum adſervat Placentiæ in ſuo Muſeo Reverendiſs. Chiappinius Abbas. Aut ad eumdem *Amedeum IV.* aut ad *Amedeum V.* referendus videtur. In anticâ biceps Aquila viſitur cum epigraphe AMEDS COMES SAB. In poſticâ Crux, in cujus angulis hæ literæ A. M. E. D ejuſdem Principis nomen referentes, cum inſcriptione circum ductâ: SABAVDIESIS. Vidimus ſupra ſecundum Nummum in inſcriptione, & Aquilâ partis anticæ, ſimilem huic omnino eſſe, ac dumtaxat in inſcriptione partis averſæ ab hoc differre. Ibi quippe *Pedemontenſis*, heic *Sabaudienſis* legitur.

Duodecimus æreus *Bonifacio Comiti* tribuitur, qui Anno Chriſti MCCLXIII. naturæ debitum ſolvit. Aream implet litera B. ejus nomen indicans. In limbo COMES SABAVD. Poſtica exhibet Scutum cum Cruce & literis circumpoſitis MARCHio IN ITALIA.

Decimum tertium mihi inſpiciendum e ſuo Muſeo obtulit Alexander Bertacchinius Mutinenſis. Ad *Petrum Comitem* ſpectat. In area legitur Diviſia FERT, de qua ſupra fuit mentio. Additur epigraphe PETRVS COMES SABA. In averſa parte Crux Sabaudienſis cum literis: IN ITALIA MARCHio. Hic Princeps Anno Chriſti MCCLXVIII. e vivis ſublatus eſt.

Decimus quartus argenteus ad *Philippum Pedemontis Comitem, & Principem Achajæ* pertinere putatur, qui Anno Chriſti MCCCXXXIV. diem ſuum obiit. In areâ litera P. illius nomen referre poteſt. In circuitu legitur PRINC. MARCC. (ideſt *Marchio*) ITAL. In poſtica Scutum cum Cruce, & literis circum exaratis: COMES SABAVDIE. Sed quum nulla Achajæ mentio ſit in Nummo, ſi quis eum tribuat *Petro* nuper memorato, fortaſſis temeritate careat.

Decimus quinctus argenteus eumdem certe Philippum Principem deſignat. Viſitur ibi Crux cum quatuor pilis in angulis & epigraphe PHILIP. PRINCEPS. In poſtica Stella cum quinque pilis circum, & literis TORINVS CIVIS, ideſt *Civitas*. Hæc antiqua videtur Teſſera Taurinenſis Urbis, quæ nunc tribus Stellis utitur. Vide ſupra Nummos Humberto Primo & Secundo tributos. Niſi Principes ii dominati tunc fuerint Taurino, ad poſteriorem Humbertum Tertium Nummi illi pertinere videntur.

Decimus ſextus argenteus Aquilam bicipitem in area præfert. Multa inter Eruditos, ac præcipue a Du Cangio in Diſſertatione de Nummis inferioris ævi, & ab Heineccio in Lib de Sigillis, diſputantur de origine ſymboli hujus. Miſſa omnia facio. Certe videas, ineunte Sæculo Chriſti Decimoquarto in uſu fuiſſe *Aquilam bicipitem*, ejuſque etiam meminit Johannes Villanius illius temporis Scriptor. Græci Imperatores hanc teſſeram primi uſurpaſſe creduntur. Veri ſimile eſt, Philippum Sabaudienſem vel ad eorum imitationem, vel quod ab eis Privilegium acceperit, ejuſmodi Aquilâ uſum fuiſſe. Additur in circuitu epigraphe PHILIPVS. DE. SAB. In poſtica Crux, in cujus angulis P. H. I. L. ejuſdem nominis initiales; & in limbo PEDEMONTENSIS.

Decimus ſeptimus aureus ad imitationem Florenorum, qui Florentiæ cudebantur, percuſſus ab eodem Principe creditur. In antica Scutum cum Cruce, teſſerâ gentiliciâ Principum Sabaudienſium. Superſtat Scuto caſſis, & huic Leo erectis pedibus. Hæc ibi inſcriptio: PRINCEPS ACCHAYE. In poſtica Præcurſoris imago cum literis S. IOHANNES B. ideſt *Baptiſta*.

Decimus octavus aureus *Amedeo V.* tribuitur, qui Anno MCCCXXIII. morti ſuccubuit. Lilium præfert cum epigraphe AM. COMES. In averſa parte Præcurſor Domini, & in limbo S. IOHANNES B. Uti infra monebo, deflexit a vero Guichenonius, dum arbitratus eſt, cuſum hunc Nummum ob aliquod fœdus ab Amedeo initum cum Florentinis. Nihil aliud is eſt, niſi Florenus aureus, quem tum ipſe Comes Sabaudiæ, tum alii Principes ad imitationem Florentinorum percuſſere.

Decimus nonus argenteus ad eumdem *Amedeum V.* ſpectans, exhibet Scutum cum Cruce gentilicia, & caſſide ſuperpoſita. Adjungitur

in-

epigraphe: AMEDEVS D. GRA. COMES. Crux in poſtica cum quatuor Roſis in angulis & epigraphe SABAVDIE IN ITALIA MARCHIO.

Vigeſimus argenteus ad eumdem Amedeum VI. ſpectare videtur, & Diviſam FERT præfert a Gentilitio ... quod ego non video. Continet epigraphe AMEDEVS COMES. In aversa parte Crux Sabaudienſis & literæ: SABAVDIE.

Vigeſimus primus ad Amedeum ipſum pertinere potuit. Literam A. in area exhibet, quæ cum reliquis literis in circuitu conjungenda eſt, nempe AMED COMES SABAVDIE. Facies aversa Cruce gentilicia eſt inſignita, & literis MARCHIo IN ITALIA.

Vigeſimus ſecundus aureus ad *Amedeum VI.* pertinet, qui Anno Chriſti MCCCLXXXIII. e humanis abiit. In antica viſitur Scutum cum Cruce Sabaudienſi, & epigraphe: AMEDEVS COMES SABAVDIE DVX. In poſtica Crux, & inſcriptio CHABLII ET AVGTE (idest *Auguſtæ*) ITALIAE MARCHIO. ET PRE. idest *Princeps*, aut *Præfectus*. Titulus *Ducis* non ad *Sabaudiam*, ſed ad *Chablaſium* (nunc *Chablais*) eſt referendus.

Vigeſimus tertius argenteus effigiem Principis ejuſdem præfert, inſigne Ordinis equeſtris a ſe inſtituti ad collum gerentis, dexterâ enſem nudum, ſiniſtrâ Scutum cum Cruce gentilitiâ tenentis. Epigraphe hæc additur: AMEDEVS COMES SABAV*die*. In poſtica Crux, circa quam quatuor FERT. laqueis intermixta. Limbus inſcribitur his vocibus DVX CHABLAS II. IN ITALIA MARCH*io*.

Vigeſimus quartus aureus ad *Amedeum VII.* ſpectat, qui Anno Chriſti MCCCXCI. vitam cum morte commutavit.

Vigeſimus quinctus aureus *Amedeum VIII.* refert, qui primus Sabaudiæ Dux eſt renuntiatus Anno Chriſti MCCCCXVI. & Papa ſub nomine Felicis V. Anno MCCCCXXXIX. creatus, vitâ demum functus eſt Anno MCCCCLI. In antica effigies Sancti Mauricii viſitur, haſtam dexterâ, Scutum cum Cruce Sabaudienſi ſiniſtrâ tenentis, ad cujus pedes proſtratus cernitur Amedeus ipſe Dux. Hæc ibi epigraphe: AM. DEVS DVX SABAVD P. idest *Primus*, aut *Princeps*, ſive *Pedemontis*. In averſa parte Scutum conſpicitur, camdem Crucem præferens cum Laqueis hinc inde, Ordinem equeſtrem ſignantibus, & rictu Leonis alati. Adſunt literæ AMEDEVS DVX SABAVDIE.

Vigeſimus ſextus argenteus ad eumdem Principem pertinens, in antica Scutum habet cum Cruce gentilicia, & epigraphe AMEDEVS SABAVDIE DVX. In poſtica iterum Crux, & literæ: IN ITALIA MARCHIO PRINCeps P. idest *Pedemontis*.

Vigeſimus ſeptimus aureus a Ludovico Duce cuſus, Scutum cum Cruce & Laqueis circumpoſitis exhibet, additâ Diviſâ FERT ſupra Scutum. Epigraphe LVDOVICVS D. (idest *Dux*) SABAVDIE PRINCEPS. In altera facie altera Crux cum lemmate DEVS IN ADIVTORIVM MEVM INTENDE. Hic Princeps Anno Chriſti MCCCCLXV. deceſſit.

Vigeſimus octavus aureus ejuſdem Principis armati, & equo inſidentis effigiem offert cum epigraphe LVDOVICVS DVX SABAVDIE. Averſa facies Scutum cum Sabaudienſi Cruce continet, Diviſâ FERT hinc inde collocatâ, & literis MARCHIO IN ITALIA PRIN*ceps*.

Vigeſimus nonus argenteus effigie ejuſdem Principis inſignitus eſt cum epigraphe LVDOVICVS DVX SABAVDIE MARCH*io* ITALIAE. In poſtica viſitur ſacra Syndon Taurinenſis cum literis SANCTA SYNDON DOMINI IESV CHRISTI.

Trigeſimus argenteus ab eodem *Ludovico Duce* cuſus, effigiem ipſius præfert cum epigraphe LVDOVI D. G. DVX SABAV. MARCHIO IN ITALIA. In poſticâ eadem ſacra Syndon mulieris manibus protenſa. Hæc epigraphe: SANCTA SINDON D. N. IESV. MIIII LIII. idest Anno Chriſti MCCCCLIII.

Trigeſimus primus argenteus a *Beato Amedeo Duce* percuſſus Scutum cum Cruce Sabaudienſi & Laqueis oſtendit. Inſcriptus eſt his literis: AMEDEVS DVX SAB. Poſtica & ipſa alteram Crucis figuram exhibet cum literis IN ITALIA MARCH*io*. E vivis abiit piiſſimus hic Princeps Anno Chriſti MCCCCLXXII.

Trigeſimus ſecundus argenteus *Philiberti I.* Sabaudiæ Ducis effigie ornatus conſpicitur cum epigraphe PHILIBERTVS. DVX. SABAVDIE IV. In poſtica imago Sancti Martyris Mauricii cum literis circum poſitis SANCTVS MAVRITIVS. Dux iſte immaturâ præreptus eſt morte Anno Chriſti MCCCCLXXXII.

Trigeſimus tertius aureus ad *Carolum I.* Sabaudiæ Ducem ſpectat, qui Anno Chriſti MCCCCXC. regnare ac vivere deſiit. In antica viſitur illius effigies equo inſidentis cum inſcriptione circum ductâ: KAROLVS DVX SABAVD*iæ*. In poſtica Scutum cum gentilicia Cruce & Diviſâ FERT, additis in circuitu his vocibus: MARCHIO IN ITALIA PRINC.

Trigeſimus quartus aureus eamdem præfert effigiem, hiſce literis in limbo ornatam: KAROLVS DVX SABAVDIE ET. Poſticam implet inſigne Sabaudienſium Ducum, atque additur lemma: SIT NOMEN DOMINI BENEDICTVM.

Trigeſimus quinctus argenteus ejuſdem *Caroli I.* effigie ornatus, hanc exhibet inſcriptionem: KAROLVS. D*ux*. SABAVDIE. MAR*chio* ITA*liæ*. In poſtica Scutum gentilicium, Diviſa FERT, & lemma XPS VINCIT, XPS REGNAT, XPS INPER*at*, deſumtum e Nummis Francorum Regum.

Trigeſimus ſextus argenteus Crucem cum quatuor pilis in antica habet, & in limbo CAROLVS. Poſtica præfert Laqueum Ordinis equeſtris, & epigraphen IN ITALIA MARC*hio*.

Trigeſimus ſeptimus argenteus ejuſdem effigie inſignitus, literas in circuitu deſcriptas offert: KAROLVS. DVX. SABAVDIE. G. In poſticâ Crux gentilicia, & lemma XPS. RE*ſurrexit*. VENIT IN PACE DEVS.

Trigeſimus octavus argenteus, parum a præcedenti diſſimilis eſt.

Trigeſimum nonum, Mutinæ adſervat, æreum quidem, in ſuo Muſeo Alexander Bertacchinius. Mihi creditur pertinere ad prælaudatum *Carolum I.* Scuto gentilicio ornatus eſt cum epigraphe: CAROLVS DVX SABAVDIE... In averſa facie Crux viſitur, & inſcriptio: PRICEPS ET MAR*chio*. IN. ITALIA.

Quadrageſimus argenteus Scutum gentilicium Sabaudienſis Familiæ oſtendit cum hiſce circum poſitis literis: CAROLVS. II. DVX. SABAVD. Poſticam Crux occupat, Ordinem equeſtrem Sancti Mauricii indicans, cum epigraphe S. MAVRICIVS. S. M. Hunc Nummum

mum Guichenonius tribuendum putat *Carolo I. Duci*, quamvis *Carolus II.* inſcribatur, & in duobus ſequentibus *Secundus* identidem appelletur; eâ ratione ductus, quod ibi dicatur *Dux V.* Sit apud eum fides. Certe petat aliquis, cur *Carolus Bonus*, Sabaudiæ *Dux IX.* ſe poſtea *Carolum II.* in ſuis Nummis dixerit. Neque ſane, quod *Carolo I.* fuerit alter frater natu major ejuſdem nominis, patri præmortuus, ſat fuit, ut idem *Carolus I.* appellaretur *Secundus*, quum dominari cœpit. Vide infra Nummum XLII.

Quadrageſimus primus argenteus Scutum præfert, in quo inſignia Sabaudienſis Familiæ, & Cyprici Regni apparent. Hæc ibi epigraphe: KROLVS SECVNDVS DVX SABAVDIE V. In poſticâ effigies Sancti Mauricii cum lemmate DomiNuS ILLVMINACIO ET SALVS *Mea*.

Quadrageſimus ſecundus argenteus quinque teſſeras offert, indicantes Sabaudienſem Ducatum, Caballicum agrum, Auguſtam Prætoriam, & Principatum ſacri Romani Imperii. Circumſtat inſcriptio KROLVS SECundus DVX SABAVD. V. Uti præfatus ſum, Guichenonius *Carolo I.* tribuit hos quoque Nummos, eâ ratione permotus, quod hic Princeps dicatur *Dux Quinctus*. Sed fieri-ne poteſt, ut poſt V. legatur etiam I.? quæ literæ non Ducem Quinctum, ſed VIcarium *Imperii* deſignarint. In poſtica viſitur Crux, & in limbo legitur hæc inſcriptio: KBLAS ET AVG. S. ROM. IMP. P. ideſt Dominus Provinciæ *Chablais*, & Civitatis *Auguſtæ* Prætoriæ, & *Sacri Romani Imperii Princeps*.

Quadrageſimum tertium æreum, Mutinæ in Bertacchinio Muſeo vidi. Ibi Inſignia gentilicia Sabaudiæ Familiæ ſeſe offerunt in ſcuto. Circumſtant literæ: KROLVS SECONDVS. In averſa parte DVX. SABAVDVS. R. Et in area R.

Quadrageſimus quartus argenteus ad *Philippum* Sabaudiæ Ducem pertinet, qui Anno Chriſti MCCCCXCVII. finem vivendi fecit. Anticam implet imago hujus Principis cum epigraphe PHILIPVS DVX SABAVDIE VII. In poſtica Crux Sabaudienſium Principum teſſera cum Laqueo, ſcilicet cum inſigni Ordinis militaris & Diviſiâ FERT. Additur lemma: A DomiNO FACTVM EST ISTVD.

Quadrageſimus quinctus ad eumdem Principem referendus, ſcutum præfert cum gentilicia Cruce, adjectis duobus Laqueis, & circumpoſitâ hac epigraphe: PHILIPVS DVX SABAVDIE. Altera Crux in poſtica cernitur, Ordinem militarem Sancti Mauricii indicans, cum epigraphe: PRINCEPS MARCHIO IN ITA*lia*.

Quadrageſimus ſextus, Quadrageſimus ſeptimus, & Quadrageſimus octavus parum diſſimiles, exhibent effigiem *Philiberti II.* Ducis Sabaudiæ, qui Anno Chriſti MDIV. immaturo fato ſublatus fuit e vivis. Hæc illius inſcriptio: PHILIBERTVS DVX SABAVDIE VIII. In poſtica Scutum cum Sabaudienſi Cruce & Diviſia FERT, & Laqueo. Ibi hoc lemma: IN TE DOMINE CONFIDO. T.

Quadrageſimum nonum æreum Nummum hiſce additum volo, quem Mutinæ adſervat in ſuo Muſeo Bertacchinius. Incertus tamen ſum, an ſpectet ad Regiam Sabaudienſium Principum Familiam. In antica conſpicitur Aquila alis expanſis. E literis circumpoſitis partim exeſis hæ ſuperſunt B.... D.... F.... COMES. DE. CIANI.... In poſtica effigies Sancti Mauricii palliati, manu baculum nodoſum gerentis. Additur epigraphe SANCTVS MAVRICIVS. Suſpicabar ego, heic deſignari Comitem quempiam *Decianæ*, cujus Nummum ſupra attuli. Verùm in ejus Nummis occurrit non Sanctus Mauricius, ſed *Sanctus Alexander*. Quum verò celeberrimus in Sabaudia ſit *Sanctus Mauricius*, eruditis Taurinenſibus perpendendum relinquo, an heic fortè deſignetur aliquis *Comes de Cianbery*.

Ceterorum Ducum Sabaudienſium Nummos omitto, ne fines mihi propoſitos tranſgrediar.

SALUTIARUM MARCHIONES.

NUmmos duos argenteos proferam, ad *Marchiones Salutiarum* ſpectantes. Primum in ſuo Muſeo adſervat Placentiæ Reverendiſs. Abbas Chiappinius. Ibi effigies Principis viſitur cum inſcriptione: LVDOVICVS M. (ideſt *Marchio*) SALVTIARVM. In averſa parte conſpicitur imago Sancti viri equo inſidentis cum literis in limbo: SANCTVS CONSTANTIVS. Is eſt *Ludovicus I.* Salutiarum Marchio, qui Anno Chriſti MCCCCLXXV. finem vivendi fecit; aut *Ludovicus II.* ejus filius, qui Anno eodem patri in dominatione ſucceſſit.

Alterum Mutinæ mihi exhibuit Alphonſus Ferrarius, ſed literis exciſis. Viſitur Sanctus vir equo inſidens, & manu vexillum tenens cum epigraphe SANCTVS CON..... ideſt *Conſtantius*. In altera facie occurrit inſigne gentilicium in ſcuto, cui caſſis ſuperſtat, Aquilam coronatam gerens cum literis SALVTIARVM M...... nempe *Marchio*. Æreus exſtat apud Illuſtriſs. Abb. Vicecomitem Mediol.

In prælaudatis Chiappinio, & Bertacchinio Muſeis exſtant alii Nummi percuſſi a *Michaele Antonio*, atque a *Franciſco* Marchionibus Salutiarum. Sed quia ultra terminum mihi præſtitutum excurrunt, eos prætermitto.

SENÆ, ſive SENA.

IN Diſſertatione L. *de Civitatum Libertat.* Privilegium evulgabo, in quo Henricus Sextus Romanorum Rex Anno Chriſti MCLXXXVI. *Octavo Kalendas Novembris*, jus cudendæ pecuniæ Senenſi Reipublicæ hiſce verbis concedit: *Item ex uberiori gratia benignitatis noſtræ, Regiâ, qua fungimur, auctoritate concedimus ipſis Senenſibus poteſtatem cudendæ & faciendæ Monetæ in Civitate Senenſi*. Ejuſdem Privilegii meminit etiam Jugurtha Thomaſius Lib. 3. Hiſtor. Senenſis. Attamen ante illud tempus minime defuiſſe videtur Senenſi Populo ejuſdem Monetæ prærogativa. Etenim in Charta Anni MCLXXX. quam habes in Notis Cl. V. Benvoglienti ad Statuta Piſtorienſia, in hoc Opere edita, Chriſtianus Moguntinus Archiepiſcopus, Imperialis per Italiam Legatus, Senenſi Populo hæc pollicetur: *Citius, quam potero, Sereniſſimo Imperatori noſtro Frederigo Privilegium confirmationis veſtræ Monetæ, ad laudem & totius Civitatis honorem, faciam ſine fraude componere*. Ad hæc in nuper memoratâ Diſſertatione Quinquageſimâ Iteram Chartam edam Anno ipſo conſcriptam *Menſe Junii*, hoc eſt, quatuor ante Menſes, in qua continetur *forma compoſitionis, per quam Senenſes veniunt ad gratiam Domini Imperatoris, & Regis Henrigi*. Ibi ſtatutum, ut Senenſes Imperatori ac Regi *reſtituant ac reſignent*

fuerunt omnia Regalia, jura & juriſdictiones, quæ pertinent ad Imperium infra Civitatem & extra, & nominatim Monetam, & pedagium, ſive telonium, quæ ſolent conſuevit vel ſolvunt. Quare tunc Annum Chriſti MCLXXXVI jure Monetæ fruebantur Senenſes. Ejus Populi Nummos, quos hic oculis conſpicere mihi licuit, nunc profero.

A

Primum argenteum poſſideo ego. In area illic occurrit unum S. nomen *Senæ*, ſive Senarum, indicans. In limbo legitur SENA VETVS. In averſa parte Crux viſitur cum epigraphe ALFA ET CLD, idest *Omega*.

Secundus argenteus ab Huberto Benvogliento Cl. V., dum in vivis erat, ad me miſſus, quamquam non idem, adeo tamen præcedenti ſimilis eſt, ut nihil addendum habeam, niſi quod Omeron pro Omega ibi ſcriptum eſt, atque ED pro ET: ex quo intelligis vetuſtatem ET immutari, quum a vocali ſubſequens verbum inchoatur.

B

Tertius aureus, Mutinæ a Joſeph Maria Cattaneo adſervatus, idem S. in area præfert, cum literis in circuitu CIVITAS VIRGO SENA VETVS. In averſa parte Crux cum literis ALPHA ET O (pro *Omega*) PRINCIPIum ET FINis. In aliis Nummis non *Civitas Virgo*, ſed *Civitas Virginis* legitur: atque id ad mentem Senenſium.

Quartus argenteus apud eumdem Cattaneum, præter S in area, hanc epigraphen gerit: SENA VETVS CIVITAS VIRGINIS. In altera parte eadem inſcriptio atque antecedens. Similem Nummum alterum, diverſæ tamen formæ, adſervat Mutinæ Palladius Turrius vir nobilis; ibique in ſummitate ſcutulum conſpicitur cum quodam inſigni.

C

Quinctus argenteus in Muſeo Bertacchinio Mutinæ exſiſtit. Ibi conſuetum S in area, ſed ita lemniſcatum, ut vix pro litera accipiatur. Epigraphe SENA VETVS. In poſtica (A) ALPHA ET O, pro Ω, *Omega*.

Sextus argenteus in eodem Muſeo habet S. in area, & in limbo CIVITAS VIRGINIS SENA VETVS. In poſtica inſcriptio ſimilis Tertio. Iſtorum Nummorum tempora deſignare difficillimum puto.

D

Septimus e Schedis Blanchinianis, Veronæ in Muſeo Muſellio adſervatis, depromtus fuit. Ibi SENA VETVS C. VIRGINIS.

Octavus ibidem exſiſtens, eamdem inſcriptionem in antica exhibet. In poſtica ſcutum cum inſignibus, quibus ſuperpoſitum G.

Nonus in eodem Muſeo adſervatus, neſcio ad quamnam Civitatem ſpectet. Eum ego inter Senenſes retuli, quod inſignia perquam præcedenti ſimilia videantur.

Quum autem verba facio de Senenſi Urbe, quam *Civitatem Virginis* appellatam vidimus, in mentem venit, Epheſios quoque olim, teſte antiquiſſimo Herodoto Lib. I. *Urbem ſuam dicaſſe Dianæ*, ita ut Civitas illa evaſerit *Civitas Dianæ*.

SENOGALLIA.


UNum Nummum, ad *Civitatem Senogallienſem* ſpectantem, exhibere poſſum, quem Romæ in ſuo Muſeo adſervat egregius eruditionis antiquæ cultor Franciſcus Victorius, Eques Sancti Stephani. Viſitur ibi effigies Epiſcopi Sancti cum epigraphe S. PAVLINVS. SENOGA. Patronum Urbis cenſeo Sanctum Paulinum: quod tamen in Italia Sacra ab Ughellio adnotatum non vidi. In altera facie cernitur quadrupedis cujuſdam effigies. Erit Eruditorum Senogallienſium uberiorem huic Nummo lucem miniſtrare.

SPOLETUM.

ILluſtris hujus Urbis, quæ per Sæcula multa Ducatus ampliſſimi caput fuit, Nummum argenteum mihi procuravit Cl. V. Dionyſius Andreas Sancaſſanius Scandianenſis, nunc Medicus Comacli. In ejus antica viſitur Crux cum literis circumſtantibus: DE SPOLETO. In poſtica habetur epigraphe: S. PONTIANVS P. ideſt *Protector*, vel *Patronus* Urbis. Nullus dubito, quin plures alios Nummos, ad Spoletum pertinentes, diligentia poſterorum exerat. Immo veri mihi ſimile prorſus videtur, vel ſub Langobardis Regibus, & Francis Imperatoribus fuiſſe Spoleto prærogativam Monetæ. Quum enim hoc jure fruerentur olim Ticinum & Mediolanum, Regiæ Urbes, tum Luca uti caput Ducatus Tuſciæ, Beneventum uti caput inſignis Beneventani Ducatus, ac Tarviſium uti caput Ducatus Forojulienſis: excogitare vix poſſumus, in illuſtri Ducatu Spoleti nulli Urbi contributum fuiſſe jus ſignandæ pecuniæ.

Alterum Nummum huic additum volo, quem penes ſe ſervat amicus vir Franciſcus Maria Joachini, Juriſconſultus Foroſempronienſis. Ibi effigies Epiſcopi Pallium geſtantis, cum literis in circuitu IOH*an*ES . . . . A . . . . C. In averſa parte SPOLETANVS. Quis ſit Johannes iſte, exeſæ ſubſequentes literæ me a divinando coërcent.

COMITUM SABAUDIÆ.




VII
VIII
IX
X
XI
XII
XIII
XIV
XV
XVI
XVII
XVIII
XIX
XX
XXI
XXII
XXIII
XXIV
XXV
XXVI
XXVII
XXVIII
XXIX
XXX
XXXI
XXXII




MARCHIONUM SALUTIARUM.




SENA-

S E N A R U M.



S E N O G A L L I Æ.



S P O L E T I.



TARVISIUM.

REm ſingularem heic accipe , cui ægre fidem ego adhibuiſſem , niſi vadem habuiſſem plane legitimum V. Cl. Marchionem Scipionem Maffejum . Nempe is in inſigni Opere Veronæ Illuſtratæ pag 377. Chartam evulgavit , in eadem Civitate Tarviſina ſcriptam Anno Chriſti DCCLXXIII. ubi mentio habetur *Monetarii* , ſimulque commemoratur *Monita publica* (hoc eſt, *la Zecca*) ibi conſtituta. Itaque inſtiti apud præſtantiſſimum virum Antonium Scottum , Canonicum & Patricium Tarviſinum , ut pro ſuo erga me amore numquam fatigato inveſtigaret , num quiſquam Nummus ad remota illa Sæcula ſpectans injuriam temporum fortè effugiſſet . Reſcripſit ille tamdem, apud Antonium Bernardi Civem Tarviſinum , Nummum vetuſtum exſiſtere , quem etiam ad me non multo poſt miſit . Carolinum ſtatim deprehendi ; nam in antica ſpectatur Monogramma Caroli Magni Regis Francorum & Langobardorum , ac tamdem Imperatoris Romanorum, nempe KAROLVS. In poſtica eſt TARVISIO . Quare nulli amplius dubitatio ſupereſſe poteſt , quin Tarviſium ante nongentos annos & ultra jure Monetæ frueretur .

A Cur autem Civitati illi ſub Langobardis & Francis Regibus , non verò tot aliis tunc illuſtrioribus Urbibus , prærogativa Monetæ conceſſa fuerit , nulla alia mihi ratio ſe offert, niſi quod uti Tuſciæ Luca Civitas deſtinata iis temporibus fuit , ut ibi cuderentur Nummi , ita Tarviſium ejuſmodi honore donatum fuerit pro Ducatu Forojulienſi . Sed fortaſſe Germanis poſtea in Italia dominantibus continuatum Tarviſinis minime fuit ejuſmodi jus . Mihi ſane nondum ullus alius Nummus occurrit, antiquis iis Sæculis in ea Urbe percuſſus. Ceterum ſubſequutis Sæculis ab Imperatoribus conceſſa fuit Epiſcopo Tarviſino Moneta publica ejus Urbis, immo & ipſa Civitas, uti vetera monumenta B teſtantur .

Alterum quoque Nummum diverſi moduli addo , qui poſt hæc ſcripta delatus eſt : rari quippe ſunt id genus Nummi .

TAURINUM.

QUo tempore nobilis iſta Civitas ſui juris fuit , neque Principibus Sabaudienſibus parebat , percuſſit hunc Nummum argenteum , rarum profectò , quem mihi ſuppeditavit Joſeph Maria Cattaneus Civis Mutinenſis .

ſe. Poſt Friderici II Auguſti mortem, quæ Anno Chriſti MCCL. contigit, Thomas Comes Maurianenſis Taurinenſi Urbe potitus fuit. At is Anno MCCLV. non paucis ſuperatis, ſed demum victus, a Civibus Taurinenſibus in vinculis conjectus fuit, atque Aſtenſibus inimicis traditus. Quare eodem Sæculo Nummus iſte cuſus videtur, in cujus antica viſuntur inſignia, ut opinor, ipſius Civitatis, cum tribus aſteriſcis hinc inde diſpoſitis, & literis MONETA TAVRINENSIS. In poſtica ſpectatur Aquila alis apertis, & circumſtant literæ: CIVITATIS IMPERIALIS.


T A R V I S I I.

I II



T A U R I N I.

I



V E R O N A.

INter Italici Regni Civitates, quæ primæ officinam Monetariam habere meruerunt poſt antiquiſſimas illas, Ticinenſem videlicet, Mediolanenſem, Tarviſinam, atque Lucenſem, enumeranda mihi eſt *Verona*. Certe *Veronenſis* pecuniæ memoria frequens occurrit in Chartis vetuſtis. Leguntur hæc verba in Ferrarienſi, Anno Chriſti MCXIII. exaratâ: *Et in omni feſtivitate Sancti Martini annualiter daturus ſum vobis in veſtro arbitrio porcum unum de precio Solidorum octo denariorum Veronenſium, aut ipſos Solidos, quem ſuſcipere volueritis; & in omni Nativitate Domini ſpallam unam, vel pullos duos*. Ita in altera pergamena Ferrarienſi, Anno Chriſti MLXXVIII. ſcriptâ, mentio eſt *denariorum Venetorum*, ac *Veronenſium*, uti ex ipſa patebit, evulgandâ heic mihi, ex beneficio ſupra laudati Joſeph Antenoris Scalabrinii eruditi viri Ferrarienſis.

Charta Emphyteuſis Ferrarienſis, Anno 1078.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Anno Domini . . . . Milleſimo Septuageſimo Octavo, Regnante Domino Einrico Imperatoris *Anno Vigeſimo Secundo, IX. Kalendas Octubris, Indictione Secunda . . . . Mazolino filius quondam Pagano de Rofredo de la Turre, & Winildo filius quondam Joculo de la Nure de Comitato Ferarienſis. Uti me u . . . filius quondam David de Ugone de Rencia, ſeu filiis & heredibus vel ſucceſſoribus . . . . . . per enfiteoſin nomine jure a preſenti die nobis concedere digneminis rem juris veſtre proprietatis: idiſt trans flumen Reno in fundi Paniciale, in loco ubi dicitur Gajo de Sortito, pecia una terra in integrum cum introito & exitco ſuo uſque in via publica, vel cum omnia ſuper ſe & infra ſe abente in integrum, a pertica decipeda menſurata per longo, & per ambobus lateribus perticas octo & pedes novem: ab uno caput perticas ſeptem, alio caput perticas ſex: finis eſt ab uno latere ponis te Urſone Presbitero petitore, alio latere ponis te Donatho filius Nathale de Martino de Dominico. Ab uno caput ponis te Martinus Presbiter, qui vocatur Ricio, & Ruſticella de Bonvicio: alio caput ponis te Petrus de Ermengarda, vel ſi quis ali adfines ſunt. Ipſa jam dicta pecia terra in integrum, qualiter ſupra legitur damus nos ſuprascripti Mazolino, & Winildo tam per nos, quàm per Joculo nepote noſtro filius quondam Rodulfo de Rofredo, tibi ſuprascripto Urſone Presbitero, tuique Succeſſoribus & heredibus, ad habendum, tenendum, & poſſidendum, eá vero racione, ut non abeatis licenciam tu ſuprascriptus petitore, neque tuis ſucceſoribus & heredi de predicta pecia terre in integrum, qualiter ſupra legitur, in eſtranea perſona nec vendere nec donare, niſi ſi nobis oportunum fuerit optinere ſit dominacio noſtriſque heredibus, ſi juſtum precium dare voluerimus, ſicut per bonos homines apreciatum fuerit; & ſi juſtum precium dare noluerimus, ſicut per bonos homines apreciatum fuerit, licencia ſit vobis eas dare in talis hominibus, qui de diſtricto iſtius Comitato fuerit, excepto heredes* Comes Alberti, *& illorum Servis, & ſalva juſticia dominica perſolvend . . . & poſt completa hereditas tua, qui ſupra petitore, Calciarios dandi ec enfiteoſin in och ordine renoventur. Sic ita tamen ut exinde inferre debeo ego ſuprascriptus petitore, meiſque ſucceſſoribus & heredibus vobis, veſtre dominacionis, veſtriſque heredibus ſingulis quibuſcumque Indictionibus penſionis nomine inc* Denario Venecie uno, *ita ut dictum eſt, penſio perſolvatur; & nos ſuprascriptis Mazolino, & Winildo promittimus tam pro nobis, quàmque pro Joculo nepote noſtro, noſtriſque heredibus pro dicta pecia terre vineata, qualiter ſupra legitur tibi ſuprascripto*

pto Urſone Presbitero , tuiſque ſucceſſoribus & heredibus omni tempore ab omni homine defenſare & auctorizare promittimus . Si qua vero pars contra ec enſiteoſin ire temptaverit, & non conſervaverit omnia qualiter ſupra legitur , det pars parti pene nomine . . . . . Denariorum Veronenſium Solidos triginta & ſes ; *& poſt penam ſolutam ec enſiteoſin , ſicut ſupra legitur , omni tempore in ſua maneat firmitatem .*

Actum in Civitate Bononia . . . .

✠ *Alberto filius quondam Gerardo de Andrea de Gerardo , & Johannes filius Bonaldo de Ferraria , & Lamberto filius Ugone de Cazano , & Urſo filius Urſoni de Andrea , & Pagano Sarto filius quondam Albezo Sarto , rogatis teſtibus .*

✠ *In Dei nomine ego Bonandus Notarius ec enſiteoſin ſic , ut ſupra legitur , ſcripſi .*

In Charta etiam Beatricis Comitiſſæ Anno Chriſti MLXXIII. exaratâ , quam protuli in Diſſertatione XI. *De Allodiis* , memorantur *centum Libræ denariorum Veronenſium* . Denique in concedendo jure Monetæ Epiſcopo Patavino Henricus II. Auguſtus præcepit , ut pecunia cuderetur *ſecundùm pondus Veronenſis Monetæ* , uti ſupra vidiſti in ejus Diplomate . Jus autem Patavinæ Monetæ ad Epiſcopum Civitatis illius ſpectaſſe , legimus in Diplomate Friderici I. Anno Chriſti MCLIV. Tom. V. Italiæ Sacræ . En ergo Civitatis Veronenſis Nummos , hactenus mihi oblatos . Atque utinam plures adferre licuiſſet .

Primus Nummus argenteus, tum Patavii apud Comitem Johannem de Lazara , tum Veronæ apud Johannem Franciſcum Muſellium Archipresbyterum inſignis Capituli Canonicorum Veronenſium exſiſtens , in utraque facie ectypon præfert , inſcriptionis tantùm ſitu immutato , nempe in area Crucem hiſce literis circum exaratis : VERONA . In limbo CI ✠ EV ✠ CI ✠ IV. quarum literarum explicationem ab eruditis Veronenſibus exſpectabo.

Secundus ab eodem Muſellio ad me miſſus , Mutinæ quoque in Muſeo Bertacchinio viſitur. In area oſtendit Aquilam protenſis alis cum epigraphe CIVITAS . In altera facie Crux cum literis VERONA. A. M. ideſt *Albertus* & *Maſtinus de la Scala* , ſive *Scaligeri* , qui Anno Chriſti MCCCXXIX. dominari Veronenſi in Urbe cœperunt . Et ſane inter duas initiales literas A, & M. Scalæ figura viſitur , Scaligerorum dominantium Inſigne gentilicium .

Tertium poſſident in ſuis Muſeis Patavino Comes de Lazara , & Veronenſi Muſellius . Cuſus fuit Nummus ſub ipſis Scaligeris , ideoque explicatione non indiget .

Quartus æreus in eodem Muſeo Muſelliano, Scalam inſigne Scaligerorum præfert in antica; in poſtica verò virum Leonis caput ſiniſtrâ tangentem , cum fuſte in dextera .

Quinctus argenteus ab ipſo humaniſſimo Muſellio mihi traditus , Aquilam exhibet cum inſcriptione BTHS. ANTNS. videlicet *Bartholomæus* , & *Antonius* Scaligeri fratres , qui Anno Chriſti MCCCLXXIV. dominationem Veronæ ſuſceperunt . In averſa parte viſitur effigies Epiſcopi cum literis SANCTVS ZENO , & in ſummitate Scala .

Sextum æreum mihi conſpiciendum obtulit idem Muſellius . Hinc Scala in area , cum literis BARTOLOMEVS : inde Crux in altera facie , & inſcriptio ANTONIVS .

Septimum argenteum vidi Mutinæ apud Paulum Seghicium nobilem virum . Ibi Crux cum circumpoſitis literis COMES VIRTVTVM D. MLI . . . . . . hoc eſt, *Dominus Mediolani* , & (ut puto) *Veronæ* . Is eſt Johannes Galeatius Vicecomes , qui Anno Chriſti MCCCLXXXVII. pulſo Antonio Scaligero , Veronam ſibi ſubjecit . In poſticâ cernitur imago Epiſcopi Sancti cum epigraphe SCS ZENO DE VERONA .

Octavus denique Nummus ſuccedat, e Schedis Blanchinianis , in Muſeo Muſelliano adſervatis , depromtus . Ibi Aquila biceps cum literis in circuitu : DVX AVSTRIAE . In poſtica imago Epiſcopi cum inſcriptione circum exaratâ: S. ZENO PROTECtor VERONAE. Niſi percuſſus hic Nummus fuerit , poſtquam Maximilianus I. Auguſtus ſecundùm Cameracenſis fœderis pacta Veronenſi Civitate potitus fuit , Eruditis Veronenſibus illius interpretationem commendo .

VICENTIA.

EX Nummis in *Vicentina Urbe* percuſſis unum tantummodo proferre poſſum , Patavii in Muſeo Lazara adſervatum . Ibi viſitur Aquila in area , circumpoſitâ inſcriptione : CIVITAS . Scutulum quoque ibidem conſpicias, cum inſigni quodam . In averſa parte Crux cum literis VICIENCIE . Ita enim illic legi , & non VICENCIE , monuit me amicus vir Adamus Pivatus Sacr. Theologiæ Doctor Patavinus .

VIGLEVANUM.

V*Iglevanum* , inſigne olim apud Inſubres Oppidum , nunc Civitas Epiſcopalis , a Ludovico XII. Francorum Rege , poſtquam Mediolanenſi Ducatu potitus eſt, traditum fuit in Feudum , addito *Marchionis* titulo , inſigni ac celeberrimo exercituum Imperatori *Johanni Jacobo Trivultio* , cujus Familiæ dignitatem tuetur adhuc Mediolani multa cum laude præclariſſimus Marchio Theodorus Alexander Trivultius, per lineam maſculinam ex ejuſdem Jo. Jac. fratre Jo. Firmo primogenito deſcendens . Servat is Nummos aliquot, eoſque mihi ea de re agenti communicavit , quos deinde ſum editurus .

Numiſma vero æneum ſignatum numero primo extat Mutinæ in Muſeo Bertacchinio , in cujus altera facie cernitur protome viri laureati, circumducta hac Inſcriptione IO. IA. TRI. MAR. VIG. FRAN. MARE. ideſt *Johannes Jacobus Trivultius Marchio Viglevani* , *Franciæ Mareſchalcus* . In altera parte caput hominis cum literis in limbo exaratis NEC CEDIT VMBRA SOLI , & fortaſſe *Nicolaum* ejus filium *Comitem Muſocci* repræſentat , qui patrem armorum gloria ſequebatur .

Secundus Nummus nullum loci , quo cuſus fuit, nomen exhibet, atque ad eumdem Joannem Jacobum Trivultium pertinet . In antica viſitur caſſis clauſa , cui inſidet vel Harpya , vel Sphinx alata caudam inflexam demittens , manu chartulam inſcriptam tenet. In vetuſtiſſimis hujus Familiæ inſigniis una manu anulum cum adamante tenens aſpicitur , altera limam , in aliquibus integram , in aliis vero fractam, addito lemmate : *Ne te ſmay* , quod liceat interpretari , ut vulgo dicitur *non ti ſmagare* , hoc eſt , ne animo decadas ; in eum ferme ſenſum , quo Vergilius Æneid. 6.

Tu ne cede malis, at contra audentior ito ,

niſi

[illegible] in ordine ipſo eſſe ſignificari videtur. In poſtica ſunt [illegible] duo capitula [illegible] verſa, & tres [illegible], ſive [illegible] corpori inter utrumque [illegible], ita ut cumdis ex [illegible] figuram [illegible] M literæ formam, qualis V [illegible], exhibeant, per quam indicari facile [illegible] Majorem Conſtantiam, quam nanctus Joannes Jacobus antequam Galli ductum ipſo in Italiam veniſſent.

Tertius pariter ad eumdem Joannem Jacobum pertinet. In antica Scutum exhibet, in quo circulus eſt vacuus, quem Crux interſecat, perfuſus e circulo radiantibus ſplendoribus, horumque circumſcripta IO. IACOBI TRIVVLTII. CO. In poſtica imaginem B. M. V. exhibet puerum Jeſum in præſepe adorantis, cum circulari epigraphe: QVEM GENVIT ADORAVIT, eumque ad Regium Legati Civitatem pertinere puto, qua honoris gratiâ Joannes Jacobus donatus fuerit.

Quartus ad ipſius Joannis Jacobi honorem cuſus in antica ejus imaginem exhibet circumſcriptis literis IO. IA. TRI. MAR. VIGLE. MARESCAL. FRAN. In poſtica togatam fœminam dexterâ caduceum, alterâ palmam cum inſcript. ASTRA ME DVCE TVTVS ADIBIS.

Quintus ad eumdem ſpectat; in antica viſitur Scutum familiæ inſignia exhibens, inſcriptis IO. IA. TRIVLT. MAR. VIGLE. ET F. M. In poſtica S. Georgius pedes lanceâ draconem tranſverberans; in circulo inter duas parvas Cruces S. GEORGIVS.

Sextus item exhibet familiæ inſignia cum caſſide pennis ornata. Supra ſtat Sphinx manu chartulam tenens, in circulo IO. IA. TRIVL. MAR. VIGLE. ET. F. MA. In poſtica viſitur imago Sancti Georgii equo inſidentis, ac draconem lanceâ tranſverberantis. In circulo SANCTVS. GEORGIVS.

A Septimus ad eumdem pariter ſpectat. In antica videntur inſignia familiæ in ſimplici Scuto ſignata parva Cruce, & in circulo literæ IO. IA. TRIVL. MAR. VIGLE. In poſtica Crux major in medio, & in ſuperiori parte minor cum literis ET FRANCIE. MARESCALVS.

Octavus, ac Nonus Nummi e Schedis Blanchinianis, Veronæ in Muſæo Muſelliano exiſtentibus depromti ad Franciſcum Trivultium pertinent Nicolai Comitis Muſocci filium, & M. Jo. Jacobi nepotem. In antica illius inſignia apparent flexis hinc inde a Scuto pendentibus ornata, & capite mitrato Sancti Ambroſii, ſuperimpoſito cum literis in limbo
B FRANCISCus TRIVLtius MARchio VIGLEvani &c. Is floruit Anno Chriſti MCILX. In poſtica S. Georgii effigies, in uno inſidet equo, draconem lanceâ feriens, in altero pedes eſt ac draconem utraque planta calcans, lanceam in gulam immittit, in utroque literæ SANCT. GEORGIVS.

V O L A T E R R Æ.

NUllum Volaterranæ Reipublicæ in Etruria Nummum exhibere poſſum. Dicam tamen, ne hoc quidem ornamentum olim in ea Civitate fuiſſe deſideratum: quippe Sæculo Chriſti Tertiodecimo mentionem reperio *Li-*
C *brarum Vulterranenſis Monetæ*. Quod quum audis in actis etiam aliarum Civitatum, prodere conſuevit, fuiſſe in illis quoque Officinam Monetariam, ſignatamque eorum Populorum nomine pecuniam. Chartam ex Regeſto Cencii Camerarii deſcriptam accipe, ubi *Volaterranæ pecuniæ* mentio occurrit, quæ profectò celebris fuerit neceſſe eſt, quando in Civitatibus Reatina & Aſculana in honore & commercio erat.

Literæ de Comitatu Aſculano a Gregorio IX. Papa commendato Epiſcopo Aſculano ſub centum Librarum Volaterranarum penſione, Anno Chriſti 1231.

GRegorius Epiſcopus, *ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri* Marcellino Epiſcopo Eſculano *ſalutem & Apoſtolicam*
D *benedictionem. Eccleſiam Eſculanam, tamquam Sedis Apoſtolicæ filiam ſpecialem, & perſonam tuam, nobis fide notam & devotione probatam, ſpeciali gratia proſequentes, Comitatum Eſculanum cum juriſdictione ac juribus, redditibus & pertinentiis omnibus ad Eccleſiam Romanam ſpectantibus, & ſpecialiter poteſtate ibidem creandi Tabelliones, tibi ſub annuo Cenſu* Centum Librarum Vulteranenſis Monetæ, *in feſto Beati Michaelis, Cameræ noſtræ ſolvendo, quamdiu nobis placuerit, committimus, Eccleſiæ Romanæ nomine fideliter gubernandum,*
E *prout in inſtrumento publico exinde confecto plenius continetur. Ut autem quod de te in ſpe gerimus, nos in re inveniſſe lætemur, Fraternitatem tuam monemus, auctoritate præſentium tibi injungentes, quatenus juſtitiam diligens & proſequens æquitati amplectaris in omnibus pietatem, religioſos pio fovens affectu, & defendens a potentibus impotentes, ut Apoſtolicæ Sedis gratiam recognoſcens, divinæ te reddas gratiæ aptiorem.*

Datum Reate, Nonis Novembris, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

U R B I N U M.

ÆReum Numiſma accipe Urbini adſervatum apud nobilem virum Comitem Ludovicum Palma, cujus ectypon debeo doctiſſimo & amico viro P. Johanni Proſpero de Sancto Ubaldo Clerico Regulari Congregationis Scholarum Piarum. Ibi effigies Principis cum Inſcriptione: DIVI. FE. VRB. DVCIS. MONTE AC. DR. COM. REG. CAP. GE. AC. S. R. ECCLE. CON. INV. ideſt *Divi Federici Urbini Ducis, Monteferetri, ac Durantis Comitis, Regii Capitanei Generalis, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Confanonerii invicti*. In Poſtica ejuſdem Principis armati & equo inſidentis effigies, cum literis OPUS SPERANDEI, qui Numiſma conflavit. Is eſt Federicus, e Comitum Montisferetri ſtirpe prognatus, Anno Chriſti MCCCCLXXI. Dux Urbini renuntiatus, militiæ Ductor celeberrimus.

Duos quoque æreos Nummos poſſideo ego. In

In antica viſitur Principis imago cum epigraphe : GVIDVS VB. VRB. DVX. In poſticâ Scutum cum ejus inſignibus . Circumſtant hæ literæ : CO MON. FE. AC DVRANT. ideſt *Guidus* (rectiùs verò *Guido*) *Ubaldus Urbini Dux* , *Comes Montis Feretri* , *ac Durantis* ; qui Anno Chriſti MCCCCLXXXII. Federico patri in dominatione ſucceſſit .

A


Tertius Nummus , Mutinæ in Muſeo Bertacchinio , imaginem Guidonis Ubaldi exhibet cum epigraphe : GVIDVS. VB. VRBINI. DVX. Viſitur ſtemma gentilicium in averſa parte , cum lemmate : FIDES. SPES. CARITAS.

Quartus Nummus argenteus majoris moduli, exſiſtens Piſauri apud nobilem virum Annibalem de Abbatibus Oliverium , ad eumdem Principem ſpectat . Cernitur ibi Scutum , in quo inſignia Comitum Montisferetri , cum Inſcriptione circumpoſitâ : GVIDO VB. URBINI. DVX. In poſticâ viſitur imago Sancti Georgii cum literis in limbo : ORA PRO N. S. GRI. ideſt *ora pro nobis Sancte Georgi*.


V E R O N Æ.



V I C E N T I Æ.



V I G L E V A N I.




URBINI I.

I




IV

II



III





ATque hactenus Nummi, quos congerere potui, in officinis Monetariis Italiæ percuſſi ad Annum uſque Milleſimum Quingenteſimum. Longe plura ſane ſuperſunt mihi ignota. Expoſtulare autem heic mihi liceat de Italicorum eruditorum conſiliis. A tribus Sæculis totus eorum conatus verſatus eſt in conquirendis, extumulandis, ſummoque ſtudio colligendis, Græcorum, Romanorum, Syrorum, aliorumque Orientalium Populorum Nummis uſque ad inclinationem Romani Imperii. Hiſce unis ditantur & abundant, hiſce gloriantur noſtro quoque ævo innumera tum in Italia, tum extra Italiam, Muſæa. Fuere etiam, qui Orientalium Auguſtorum, Græcorumque Principum uſque ad Conſtantinopolis excidium, & Francorum Regum, Anglorum & Germanorum Nummos ſolicite quæſierunt, ac luce donarunt. At quemnam mihi oſtendas, qui Nummariam eruditionem Italiæ ab Anno Chriſti Sexcenteſimo excolendam ſuſceperit, Nummoſque Italicorum Regum, Auguſtorum, Principum, ac Civitatum Liberarum, ſubinde per tot Sæcula cuſos, colligere, atque illuſtrare elegerit? Eruditis noſtris neglecta adhuc provincia iſthæc fuit; immo compluribus ſordent adhuc cujuſmodi Nummi, quaſi non & ipſi ad Hiſtoriæ lucem, atque Italicæ gentis decus æque, ac eruditionem plurimum conferant. Sint, ut lubet, rudes, oleantque barbariem hujuſmodi Sæculorum Nummiſmata. Si medii ævi Hiſtoriam amamus, cur non &

A caros habemus ejus temporis Nummos, auctoritate publicâ percuſſos, quos profectò fatearis inter illuſtriora barbaricæ antiquitatis monumenta eſſe referendos? Ego, quotquot potui, collegi. Sed tempora advenient, quibus non minori ſolicitudine & iſti congerentur, quàm qua hactenus Græci, ac Romani conquiſiti fuere; agnoſcentque Literati viri, hoc etiam ſubſidio Hiſtoriam Italicam indigere, ipſamque per illud exornari non modicum poſſe. Interea tantus iſte contemtus barbaricorum Nummorum, ſummam apud nos illorum peperit caritatem. Quum enim per tria poſtrema Sæcula nemo unus hoſce vel tantillum

B curaret, ingens eorum copia ad alios uſus conflata, in tabernis aurificum, aut in officinis Monetariis miſerrime periit. At ubi me hujus quoque mercis congregandæ cupiditas inceſſit, quo me converterim non reticebo. Scilicet in Mutinenſi Urbe, ejuſque agro (idque forſitan in aliis bene multis uſitatum deprehendetur) ſolent mulieres ad collum infantium ſuſpendere Nummos Sancti Ludovici Francorum Regis præ devotione erga Sanctum illum Principem. Hunc ritum tam nobiles, quàm plebeji obſervant, eoſdem Nummos argenteos

C ſacrarum rerum loco habentes. Sed quia paucorum eſt dignoſcere, quinam ſint Ludoviciani Nummi, plerumque accidit, ut non illos infantuli deferant, ſed omnino diverſos, & quos caſus obtulit, a variis Urbibus, variiſque temporibus cuſos. Vix enim ſe eis offert Num-

Nummus, antiquitatem quampiam præferens, ignotiſque characteribus ſignatus, quum Sancti Ludovici Monetam, ut ajunt, ſe reperiſſe ſibi perſuadent; aut Crucem ibi, effigiemve alicujus Sancti inſpicientes, continuo credunt, illinc ſperandam eſſe pueris tutelam. Hac ratione permultos Italiæ Nummos adhuc ſuperſtites deſcripſi, ejuſque Nummariæ eruditionis deſiderium ita inſpiravi tum Reverendiſs. P. D. Alexandro Chiappinio Abbati Canonicorum Regularium Lateranenſium Placentiæ, tum Mutinæ peramico viro Alexandro Bertacchinio, ut jam uterque non contemnendam copiam hujuſmodi Nummorum in ſua Muſea intulerint. Neque moleſtum Lectori futurum puto, ſi & alios quoſdam Nummos ſubjiciam extra Italiam percuſſos, quos in conquirendis Italicis ſors mihi obtulit.

ANGLIÆ, & SCOTIÆ REGES.

ROmæ in Muſeo Sabbatinio Nummus argenteus viſitur, ad antiquum unum Angliæ Regem pertinens. In antica parte hæc epigraphe legitur: COENVVLF REX. In poſticâ hæ literæ apparent T. A. EA. Johannes Bromtonus pag. 796. editionis Londinenſis, ſcribit, Sigeberto Weſtſaxonum Rege expulſo, Anno Chriſti DCCLXIV. *ejus loco Kenwolfum, juvenem egregium de Regia ſtirpe oriundum, in Regem ſuper Populum Weſtſaxiæ fuiſſe electum*. Verùm non hic in Nummo deſignatus mihi creditur, ſed *Coënvulfus* Merciorum in Britannia Rex, qui Anno Chriſti DCCXCVI. imperare cœpit. Simeon Dunelmenſis de Geſtis Regum Anglorum ad eum Annum ſcribit: *Coënulf quoque, pater Sancti Kenelmi Martyris, dehinc diadema Regni Merciorum ſuſcepit glorioſe, tenuitque invictâ virtute, potenti vigore ſui potentatus*. Hic inter Merciorum Reges Decimus quinctus fuit, & annos vigintiquatuor regnavit. Apud Hickeſium in Part. III. Theſauri Linguarum Septemtrionalium, inter Nummos a Coënvulfo iſto percuſſos, unus conſpicitur perquam ſimilis a me nunc producto. In poſticâ eſt eadem figura triangularis, diverſæ tamen ſunt literæ interpoſitæ.

Juvat etiam addere duos Nummos ad vetuſtos Reges Anglo Saxones ſpectantes, & Romæ adſervatos in Muſeo erudititiſſimi Equitis Franciſci Victorii. In priore legitur COENVVLF REX. Poſtica præfert has literas A. ω. EA. In altero habetur hæc epigraphe: OFFA REX. Poſtica exhibet: EDELVAL. Sed quando Anglicos veteres Nummos illuſtravit *Fountaine* in Diſſertatione editâ ab Hickeſio, nihil aliud ſubjungam.

Quartum Nummum argenteum Ticini adſervatum, ad me miſit, quum vivebat, Clariſs. olim Monachus Benedictinus Don Gaſpar Berettus. Ibi cernitur caput Regis cum circumpoſita Inſcriptione: HENRICVS D. G. AGL. FRA. ET HIB. REX. ideſt *Henricus Dei gratiâ Angliæ, Franciæ, & Hiberniæ Rex*. In poſticâ exhibetur inſigne Regum Angliæ cum literis POSVI DEVM ADIVTOREM MEVM. Ad quemnam ex Henricis Regibus ſpectet Nummus, eruditi Britanni decernant.

Quinctum ab eodem olim peramico viro Beretto accepi. Regis caput ibi viſitur cum Inſcriptione: IACOBVS. DEI. GRA*tiâ*. REX SCOTORVM. In altera parte Crux cum duplici epigraphe, e quibus una his verbis conſtat: DEVS. PROTECTOR. MEVS. ET. LIBERATOR. Non unus fuit Sæculo Chriſti Decimoquincto Scotorum Rex Jacobus: quinam ex iis deſignetur, ignotum mihi.

ARAGONIA & NAVARRA.

IN Muſeo Chiappinio argenteus Nummus extat, caput Regis cum Inſcriptione exhibens: FERDINANDVS ...... In averſa parte CIVITAS BARCHINONA.

Alterum Nummum argenteum, Mutinæ adſervat nepos meus Johannes Franciſcus de Solis, & ex argento ac ære conflatum poſſidet in ſuo Muſeo Bertachinius. Cernitur in ejus anticâ inſigne cum literis circumductis: FERRANDVS ...... AVAR...... ideſt *Rex Navarræ*. In poſticâ alterum inſigne cum literis attritis. Hunc ad Ferdinandum V. Catholicum Aragoniæ Regem pertinere opinor. Fortaſſis & præcedens Nummus ad ipſum ſpectat.

B O Ë M I A.

JOhannes Boëmiæ Rex Primus, Henrici VII. Auguſti filius, & Caroli IV. Auguſti pater, non minus in Germanicâ & Gallicâ, quàm Italicâ Hiſtoriâ perquam celebris evaſit Sæculo Chriſti Decimoquarto. Ad eum pertinet Nummus argenteus, Bononiæ adſervatus a præclariſſimo Marchione Johanne Paulo de Pepulis. In antica viſitur Corona, & in circulo minori hæc epigraphe: IOHANNES: PRIMVS; in ſuperiori verò hæc altera: DEI: GRATIA: REX: BOEMIE. In poſtica Leo, cum literis: PRAGENSIS: GROSSI.

C H I O I N S U L A.

EST mihi argenteus Nummus, multæ, ni mihi blandior, raritatis. In area Crux cum epigraphe in limbo CONRADVS REX Romanorum. In averſa parte proſpectus Urbis turritæ, cui alis extenſis Aquila coronata ſupereminet. Additur Inſcriptio: CIVITAS CHII. Rarum profectò eſt, in Inſulam Chios fuiſſe jus aliquod Romanorum Regibus, ſive Auguſtis. Percuſſum verò fuiſſe hunc Nummum mihi perſuadeo Anno Chriſti MCXLVII. quo nimirum tempore Conradus II., ſeu III. Romanorum Rex copioſo, ſed infelici exercitu expeditionem ſacram in Orientem ſuſcepit, de qua Otto Friſingenſis, aliique ejus temporis Hiſtorici ſcripſere. Tunc aut erepta Græcis eſt Chios, aut Populus ipſe, quieti ac ſecuritati propriæ conſulens, ſponte ſe dedit Conrado, atque in rei memoriam percuſſus eſt Nummus.

C L A R E N T I A.

PLacentiæ in Muſeo Chiappinio duplex Nummus ad *Clarentiam* ſpectans adſervatur. In primo argenteo exhibetur eadem figura, quæ in Nummis Ludovici Sancti Francorum Regis, aliorumque ejus ſucceſſorum apparet. Per eam ſignificari compedum formam, quibus in Africa Sanctus Rex conſtrictus fuit, Johannes Villanius hiſtoricus Florentinus memoriæ prodidit. Alii ichnographiam Caſtri Turriti illic exprimi cenſuerunt. Rem in medio reliquit Le-Blancus in Tractatu Hiſtorico Nummorum Francorum. At ſecundam opinionem minime amplecten-

Oratorium gerebant, quæ intra ſubjectam. Illud perſpicuum eſt, Turonenſes Nummos tunc celebri ſigno inſignitos fuiſſe, eamque diu retinuiſſe. In Nummo noſtro circumducta legitur hæc Inſcriptio : DE CLARENTIA. In poſticâ cernitur Crux, circum quam hæ literæ S. SABACCIO .... EPS idest *Epiſcopus*.

Alter Nummus æreus anticam ſimilem prætendere oſtendit. In poſticâ legitur CIVitas FLORENS. Duplex autem *Clarentia* nobis occurrit. Altera in magnæ Britanniæ Regno, Oppidum nobiliore in regione Suffolciæ. Celebris in Italia fuit Leonellus, ſive Leonettus Dux Clarentiæ, Regis Angliæ filius, qui Anno Chriſti MCCCLXVIII. Violantem Galeatii II. Vicecomitis filiam ſolemni apparatu uxorem duxit; qua de re plura habemus apud Hiſtoricos Mediolanenſes. Alteram Clarentiam, Ducatus quoque titulo inſignem, olim Peloponneſus numerabat, quam nonnulli antiquam Cyllenem fuiſſe arbitrati. Ad hanc Civitatem potius referendum eſſe Nummum conjectura mea inclinat, quum ei dominarentur olim ſui Principes, ſeu Duces, ex Gallorum (uti opinor) ſtirpe progeniti. Vidi & alterum Nummum in eodem Muſeo Chiappinio, Turonenſium ſimilitudinem præferentem, ſed litteris adeo attritis, ut ab eo evulgando abſtinuerim. Ibi tantùm ſupererant hæ literæ .... X... ATENES; ac proinde ſuſpicatus fui, Sæculo Chriſti Decimo quarto a Gualterio Athenarum Duce famoſo, quem Florentini improvide ſibi Dominum conſtitutum, provide tamdem dejecere, aut ab ejus majoribus percuſſum. Iſti quoque Athenarum Duces e gente Gallica prodierunt.

In Muſeo Bertacchinio Mutinæ adſervatur item argenteus Nummus, in cujus anticâ, ad Turonenſium formam effigiatâ, legitur tantum CLARENTIA. Inſcriptio poſticæ periit.

FRANCORUM REGES.

EGregie Hiſtoriam Nummariam Regum Francorum a Du-Cangio, ſed præſertim a Le Blanco pertractatam habemus. Attamen quæ pauca ſe mihi obtulerint, in hanc rem proferre non incongruum puto,

Romæ in Muſeo doctiſſimi Equitis Franciſci Victorii Nummus argenteus exſiſtit, quem ad *Carolum Magnum* ſpectare prorſus mihi perſuadeo. Eumque lubentius profero, quòd ignotum animadverterim Le Blanco, de Nummis Regum Francorum optime merito. In una facie legitur CAROLVS. In altera verò DNS. *Dominus*. In Italiane, an in Gallia, percuſſus fuerit hic Nummus, quove tempore ex officina Monetaria prodierit, non liquet.

Secundum Nummum argenteum, nulla ex parte attritum, viſendum mihi obtulit ſæpe laudatus Reverendiſſimus Chiappinius Abbas. Perquam ſimilem exhibuerit antea Le-Blancus. In anticâ leguntur literæ CAROLVS. In poſticâ REX FrancorVM : ita ut cuſus videatur Nummus ante Annum Chriſti DCCLXXIV. hoc eſt, antequam Carolus Francorum Regno Langobardicum addiderit.

Tertium argenteum poſſideo ego, in cujus antica iſtud Monogramma apparet : CRLS, nempe *Carolus*, vel *Carlus*. In limbo legitur ME-TVLLO. Le-Blancus de Nummis Caroli Magni agens, teſtis eſt *Metullum* occurrere in ejuſdem Caroli, Ludovici Pii, & Caroli

A Calvi Nummis; & poſt Sirmondum, atque Henricum Valeſium, ſignificari hoc nomine putat *Mellum* Pictavienſis Provinciæ Oppidum, ſeu vicum. Ego in hoc Nummo aperte video lineolam diviſionis interpoſitam inter ME, & TVLLO, ita ut ſuſpicioni locus ſuperſit, *Tullum* Leucorum, celebrem Galliæ Belgicæ Urbem, illic memorari. In poſticâ Crux cum literis CARLVS REX FR*ancorum*. Magnumne Carolum, an Carolum Calvum ejus nepotem Inſcriptio hæc deſignet, ſtatuendum minime ſumo.

Quartus Nummus argenteus, majoris moduli, ſed laminæ ſubtiliſſimæ, Mediolani adſervatur penes præclariſſimum virum Marchionem
B Theodorum Alexandrum Trivultium. Anticam Crux implet, cum circumductâ Inſcriptione HCAROLVS IMPER*ator*. In poſticâ proſpectus Templi, cum literis circumpoſitis XRISTIANA RELIGIO. Ejuſmodi epigraphe uſi ſunt Carolus Magnus, Carolus Calvus, & Carolus Craſſus : quare incertum, ad quemnam ex hiſce tribus Imperatoribus Nummus ſit referendus. Quod heic mirere, Caroli nomen cum H. præpoſito ſcriptum fuit; cujus rei nullum exemplum vidi apud Le-Blancum.

Quinctum argenteum poſſidet Mutinæ vir nobilis Maximilianus Cappellus. Ibi Crux in area, & in circuitu literæ iſtæ : HLVDoVVICVS IMP*erator*. In poſticâ Crux, & in lim-
C bo : VENEcIAS. Similem huic Nummo Le-Blancus protulit. Percuſſus autem fuit in Civitate Galliæ Celticæ, ſeu minoris Britanniæ, quam nunc *Vannes* appellant, ſub Ludovico Pio Auguſto, circiter Annum Chriſti DCCCXX. Similem Canonicus Bertoli in Collectione MSta Marmorum Aquilejenſium ſe vidiſſe teſtatur.

Sextus Nummus argenteus eſt Turonenſis a Sancto Rege Francorum Ludovico IX. percuſſus. Non unum ex his Mutinæ vidi, hoc eſt apud nobilem virum Marchionem Bonifacium Rangonium, Comitem Aſcanium Fontana, Johannem Baptiſtam Ingonium, alioſque. Anticam Crux occupat cum duplici Inſcriptione, hoc eſt : LVDOVICVS REX. & BNDI-
D CTVm SIT NOMEn DomiNI NoſtRI DEI IEsV XPIſti. In poſticâ legitur TVRONVS CIVIS, ideſt *Civitas*, & in area viſitur figura, quam ſupra innui, ita compoſita, ut Caſtri turriti ichnographiam referre nunquam poſſit : quod nonnulli ex Gallicis Scriptoribus ſunt opinati. Quare veri ſimilior mihi creditur ſententia Johannis Villanii Florentini Hiſtorici, ſcribentis Lib. 6. Cap. 36., ubi de captivitate Sancti Ludovici agit : *Per ricordanza della detta preſura, acciocchè vendetta ne foſſe fatta o per lui, o per li ſuoi Baroni, il detto Re Luis fece fare nella Moneta del Torneſe groſſo, dalato della Pila, le bove da prigioni*, ideſt *Compedes*. Le-Blanco tamen minime probatur ejuſ-
E modi opinio. Neque prætermittam, me occaſione iſta reperiſſe multos Turonenſes adulterinos, ſub nomine S. Ludovici cuſos. Quod ab impoſtoribus factum, ut in ſuam rem converterent piam cupiditatem gentis, ejuſmodi Nummos ſollicite conquirentis. Ex hiſce ſuppoſitis fœtibus unum vidi, referentem etypon nuper deſcriptum, ſed cum Inſcriptione hac perperam exaratâ, & impoſturam ipſam ſatis prodente, nimirum : BNDICTV SIT NVωE DNI PRI DEI IIX.

Septimum Nummum itidem exhibeo, quem ſpurium cenſeo. Quid diſcriminis ſit inter Inſcriptionem, quam in germani Nummi limbo nuper

nuper legebamus, & iſtam, Lector, vel me tacente, dignoſcet. In poſtica conſpicitur effigies Salvatoris, cum inſtrumentis ſuæ paſſionis, & cum circumpoſitis his verbis: POPVLE MEVS QVID FECI TIBI? Forma etiam characterum nimium differt a ſinceris Sancti Ludovici Nummis.

Octavum argenteum, Turonenſem & ipſum majoris moduli, Mutinæ poſſident prælaudatus Marchio Bonifacius Rangonius, Comes Proſper Vigaranius, Franciſcus Moranius, aliique. In antica ſimilis eſt Nummis Sancti Ludovici, niſi quod pro ejus nomine præfert: PHILIPPVS REX. Poſticæ ectypon idem eſt. Le-Blancus hunc Nummum tribuit *Philippo Pulcro*, qui Anno Chriſti MCCLXXXV. regnare cœpit. Mihi veri videtur ſimilius, tribuendum eſſe *Philippo Audaci*, ejuſdem Sancti Ludovici filio, qui Anno Chriſti MCCLXX. in expeditione ſacrâ & ipſe exſiſtens, parenti defuncto ſucceſſit. Hoſce Nummos quoque ſuſpenſos ad collum puerorum non ſemel vidi, quod parem cum Nummis Sancti Ludovici typum gerant; vulgus autem unum ab altero ob characterum difficultatem diſtinguere nequeat.

Nonus argenteus, Mutinæ penes Comitem Proſperum Vigarani, Aquilam alis expanſis in area exhibet, cum Inſcriptione MONETA NOVA. In averſa parte viſitur Crux. Ex epigraphes literis attritis hæ tantùm ſuperſunt: TVRONVS . . . . . . SIT NOM . . . . . . Nullum huic ſimilem apud Le Blancum vidi. Celebres olim fuere Turonenſes Nummi.

Decimus argenteus Nummus, Mutinæ apud Nobilem virum Camillum Hieronymum Valentinium exſiſtens, in antica Crucem habet cum duobus Liliis in angulis, & epigraphe: PHILIPPVS. REX FRANCO*rum*, & *Benedictum ſit nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti*. In poſticæ area cernitur Corona, & ſubtus FRANCO. PHI. & in interiori limbo: PARISIVS. CIVIS. ARGENTI. Pertinet hic Nummus ad *Philippum Valeſium*, qui Anno Chriſti MCCCXXVII. regnare cœpit. Le-Blanco teſte ejuſmodi Solidi appellabantur *les Pariſis d'argent*.

Undecimum Nummum aureum adſervat Mutinæ Bartholomæus Solianus Typographus. Ibi in antica viſitur inſigne Regum Francorum cum duobus herinaceis, ſeu hiſtricibus hinc inde, & Epigraphe LVDOVICVS DEI. GRACIA. REX. FRANCORVM. In poſtica Crux cum duobus L. ac duobus herinaceis in angulis, & Inſcriptione XPVS. VINCIT XPVS. REGNAT. XPVS. IMPERAT. Nummum hunc *Ludovico XII. Francorum Regi* Le-Blancus tribuit. Sed & *Ludovicus XI.* eâdem epigraphe eſt uſus.

H U N G A R I A.

UNum tantummodo Nummum aureum vidi in Muſeo Bertacchinio ad Hungariam ſpectantem. Inde verò mos proceſſit appellandi apud nos Ducatos aureos *Hungaros*. Ibi conſpicitur effigies Virginis cum Chriſto puero in ulnis, & Inſcriptione MATHIAS D. G. R. ideſt *Dei gratiâ Rex* VNGARIE. Is eſt celeberrimus Hungariæ Rex *Mathias Corvinus*, qui ab Anno Chriſti MCCCCLIX. uſque ad MCCCCXC. famam ſui nominis, rebus geſtis ac virtutibus late propagavit. In averſa parte imago Sancti viri, alabardam manu tenentis, cum circumpoſitis literis S. LADISLAVS REX.

R A G U S I U M.

MUtinæ in Muſeo Bertacchinio, & apud nepotem meum Johannem Franciſcum de Solis J. U. D. adſervantur duo Nummi a Raguſina Republica in orâ Delmatiæ percuſſi, parum abſimiles. Ibi ſe offert effigies Epiſcopi Sancti cum epigraphe S BLASIVS RAGVSII. In altera parte imago Salvatoris caput Epiſcopi in gremio tenentis cum literis Græcis IC. XC. hoc eſt, *Jeſus Chriſtus*.

S C L A V O N I Æ R E G E S.

GEminos argenteos Nummos infimæ formæ in eximio ſuo Muſeo adſervat V. Clar. Apoſtolus Zenus, mihi ſæpius laudatus. Hos mihi legendos humaniſſime dedit. In primo viſitur Canis venaticus, ſeu potius Vulpes; ſupra & infra duæ Stellæ: in limbo epigraphe: MONETA REGIS ☧ SCLAVONIA. In averſa parte Crux duplex; hinc Stella, inde Luna; ſubtus duo capita coronata: uni R. alteri L. ſuperſtat.

In altero Nummo antica idem ectypon gerit cum Inſcriptione REX SCLAVONIE. Idem quoque ectypon in poſtica, ſed nullis literis additis. Non ultra initium Sæculi a Chriſto nato Tertiidecimi, Sclavi ſuos Reges habuiſſe traduntur: cui opinioni non facile ſubſcribam. Sed quum me heic Libri deficiant, malo rem intactam aliis dimittere, quàm temere in Hiſtoriam mihi ignotam ingredi. Itaque aliorum erit inquirere, quo tempore, & ſub quibus Regibus argentei iſti Nummi fuerint ſignati.

S E R V I Æ R E G E S.

APud Comitem Johannem Baptiſtam Scalabrinium, patricium Mutinenſem, & apud honeſtum Civem Johannem Carnevalium viſitur Nummus argenteus ab formam Venetorum cuſus. Ibi imago Sancti viri porrigentis vexillum Regi, cum Inſcriptione VROSIVS REX. S. STEFAN. In poſticâ Redemtoris noſtri effigies, ſedentis ſuper Cathedra, cum literis Græcis IC. XC. nempe *Jeſus Chriſtus*. Duo autem Uroſii Reges Serviæ dominati ſunt; uter ex his deſignetur, incertum eſt. Veri tamen ſimilius eſt, Nummum referendum eſſe ad *Uroſium* cognomento *Sanctum*, vulgo *Milutinum*, qui diem ſuum obiiſſe traditur Anno Chriſti MCCCXXI.

T I R O L I S C O M I T E S.

SUnt mihi duo Nummi argentei conſimiles; pares etiam Mutinæ poſſidentur ab amicis viris Jacobo Creſpio Sacerdote, & Bartholomæo Soliano; uti & Placentiæ adſervatur ſimilis in Muſeo Chiappinio, & Venetiis in Muſeo Cl. V. Apoſtoli Zeni. Crux ibi aream occupat, & in limbo legitur MEINARDVS. In poſticâ Aquila alis expanſis, & epigraphe: COMES TIROLI. Floruit *Meinardus* iſte, alterius Meinardi filius, Tirolis Comes, declinante Sæculo Chriſti Decimo tertio; cujus filiâ Eliſabethâ in uxorem ductâ, Albertus Auſtriæ Dux, poſtea Cæſar, ad Tirolenſis Comitatus dominationem aditum Sæculo ſubſequenti ſuis poſteris aperuit.

Secundus argenteus ſimiliter, in Muſeo Bernacchinio adſervatus, ad eumdem Meinar- [illegible] videtur, quum idem in utraque facie ectypon COMES TIROLI [illegible]. In averſa parte Inſcriptio manca his literis exſtat: M. . . . . . . DVX . . . . . ILLVSTRIS, quas ita ſupplendas opinor: *Meinardus Dux Carinthiæ Illuſtris*. Idem quippe Meinardus Carinthiæ Ducatu auctus fuit.

Tertius argenteus, Mutinæ in eodem Muſeo exhibens, & penes prælaudatum Comitem Scaliſtenium, uti & apud Joſeph Mariam Cattaneum, Aquilam exhibet hiſce literis circumornatam: COMES TIROLI. Averſæ faciei aream Crux implet cum epigraphe: DE MARANO, tunc Tirolenſis Comitatus Oppido, ubi Nummus percuſſus.

Quartum argenteum, Placentiæ poſſidet Reverendiſſ. Chiappinius. Crux ibi, ut in Nummis Meinardi, cum Inſcriptione SIGISMVNDVS. Et in averſa parte Aquila, & COMES TIROLI. Is eſt *Sigiſmundus Auſtriacus*, qui Anno Chriſti MCCCCLXXV. Tirolenſi Comitatui dominabatur.

Quinctus denique argenteus, Mutinæ in Muſeo Pertacchinio, literas attritas oſtendit, e quibus iſtæ ſuperſunt: ARCHIDVX AVSTRIE. In poſtica Crux, & in angulis quatuor varia inſignia cum epigraphe GROS*sus* COMITIS TIROLI.

T E R G E S T E.

CArnorum, nunc Hiſtriæ Civitas, *Tergeſte*, Romanorum olim Colonia, Reipublicæ & Monetæ juribus olim fruebatur. Nummos ad eam ſpectantes nonnullos proferam, quos jampridem ſummo ſtudio collegerat Veronenſis Urbis decus Franciſcus Blanchinius. Ex hujus Schedis, in ſuum Muſeum inlatis, peramicus Johannes Franciſcus Muſellius, Cathedralis Veronenſis Archipresbyter, hoſce mihi ſuppeditavit.

Primus Nummus faciem Urbis exhibet, cum literis in circuitu: CIVITAS TERGESTVM. In poſtica literæ SANTVS. IVSTVS, Martyr videlicet, illiuſque Civitatis Patronus.

Tergeſtini verò Epiſcopi diu quoque eidem Urbi ſunt dominati, ac Monetæ privilegio uſi. Propterea occurrunt etiam Nummi ab ipſis percuſſi. Secundus ergo Nummus, in eodem Muſeo adſervatus, effigiem Epiſcopi præfert cum Epigraphe: CIVARDVS EP*iſcopus*. In averſa facie Agnus cum duabus Crucibus & literis: CIVITAS TERGESTVM. Quo tempore floruerit hic Præſul, incompertum mihi eſt; iſque Ughellio Tom. V. Italiæ Sacræ ignotus fuit.

Tertius Nummus in eodem Muſelliano Muſeo hiſce literis ſignatus eſt: CONRADVS. EP*iſcopus*, qui Anno Chriſti MCCXXIII. vixiſſe ab Ughellio traditur. In poſtica imago Sancti, ut puto, Juſti Martyris, & Inſcriptio: CIVITAS TERGESTVM.

Quartus tam in Muſeo Lazara Patavii, quàm in Muſelliano Veronæ adſervatus, hanc epigraphen effert: VOLRICVS EP*iſcopus*. Hunc Ughellius *Odolricum* appellat, ipſumque Eccleſiæ Tergeſtinæ præfuiſſe Anno Chriſti MCCLIII. auctor eſt. Addit etiam, ipſum Tergeſtinis vendidiſſe Caſtellum Paſtorium, *ſibi tamen pro cudendis Monetis jure reſervato*. In poſticâ viſitur proſpectus Urbis, cum Inſcriptione circumducta: CIVITAS TERGESTVM.

Quintus Nummus in eodem Muſelliano Muſeo ſpectat ad eumdem *Volricum*. Præcedenti ſimilis eſt, niſi quod in poſtica oſtendit imaginem Sancti Juſti Martyris.

Sextus in laudato Muſeo hanc epigraphen præfert: LEONARDVS EP*iſcopus*. Hic ipſe, ut arbitror, eſt, qui ab Ughellio *Leonidas* nuncupatur, & cujus ætatem neque is potuit, neque poſſum ego indicare Lectori. In poſtica effigies S. Juſti cum literis CIVITAS TERGES*tum*.

Nummi Septimus, Octavus, & Nonus, ex eodem Muſeo depromti, hiſce literis conſignati fuere: ARLONGVS EP*iſcopus*. In averſis horum Nummorum faciebus ſymbola diverſa cernuntur, nempe duo Sceptra Liliata; Luna & Stella; demum Aquila, cum epigraphe CIVITAS TERGESTVM. Arlongus (ſi bene calculos init Ughellius) fuit electus Anno Chriſti MCCLIV. & ſubſequenti ab Alexandro Papa dejectus. Verùm Nummi iſti inter ſe varii, diuturnioris regiminis juſtam ſuſpicionem injiciunt.

T R E V E R I.

ADſervatur Placentiæ in Muſeo Chiappinio Nummus aureus, in cujus antica Lilium cum epigraphe CONO AREPS. T. ideſt *Cono* (idem eſt atque *Conradus*) *Archiepiſcopus Treverenſis*. In poſtica effigies Johannis Præcurſoris, & Inſcriptio S. IOHANNES B*aptiſta*. Is eſt *Cono* (eum *Cunonem* appellat Browerus Lib. 16. Annalium Trevirenſium) qui Anno Chriſti MCCCLXII. Cathedram Treverenſem implevit, vir multis tum bene, tum male rebus geſtis celeberrimus. Animadvertendum autem eſt, Nummum hunc Florenum eſſe, ad Florentinorum imitationem cuſum. Tanto enim in honore & curſu fuere Floreni aurei primùm percuſſi a Republica Florentina Anno MCCLII. ut æmulatione, ac invidiâ permoti Principes non pauci, Florenos aureos & ipſi cudere non dubitarint. Qua de re vide, quæ ſupra innui, dum de Nummis Florentinis egi; uti & quæ in ſubſequenti Diſſertatione adferam. Parum autem nonnullis fuit olim ejuſdem ponderis Nummos fabricare, quibus *Floreni* nomen impoſuere: quod a Gallis factum. Non defuere, qui ectypon ipſum Floreni Florentini ſuis indidere Nummis, hoc eſt Lilium, & effigiem Johannis Baptiſtæ, mutato tantùm nomine Principis, aut loci. Johannes Villanius Lib. 9. Hiſtor. Cap. 169. queritur de Johanne XXII. Romano Pontifice, quod ejuſmodi Florenos cuderit Anno Chriſti MCCCXXII. Quum verò idem facere aggreſſi fuiſſent Marchiones Montisferrati, Spinulæ Genuenſes, aliique Italiæ Principes, idem Pontifex propoſitâ anathematis pœnâ eoſdem ab incepto deterruit Anno MCCCXXIV. Quod hæc ignorarit, ut ſupra monui, Samuel Guichenonius in Hiſtoria Genealogica Regiæ Sabaudienſis Familiæ, proferens Florenum aureum, a me antea productum, ſcilicet ab Amadeo V. Comite Sabaudiæ paucos ante annos percuſſum cum typo Floreni Florentini, & epigraphe AM. COMES SABAVDIE, hæc perperam ſubdidit: *La premiere ſorte de Monnoye de ce Prince d'or, du poids de la Piſtole d'Italie, ou la Fleur de Lys de Florence, fait croire, qu'elle ayt eſté frappée en memoire de quelque Confederation avec la*

Repu-

Republique de Florence. Itaque patere jam poteſt, cur & Cono, ſive Conradus Treverenſis Archiepiſcopus circiter Annum Chriſti MCCCLXVI. ſimilem Florenum aureum in ſua ditione procuderit.

Alterum Florenum, ſive Ducatum aureum adtexo, Mutinæ adſervatum in Muſeo Bertacchinio. Ad quemnam is ſpectet, nondum deprehendi. Ibi effigies Præcurſoris cum literis S. IOHANNES B. In averſa parte Lilium viſitur cum literis R. DI. G. P. AVRA. Sed quis hic Princeps? Ignotum mihi. Suſpicor tamen, pertinere poſſe ad aliquem ex Principibus *Arauſionenſibus*. Nam *Arauſio* Sæculis barbaricis appellata fuit Civitas *Auraſica*, nunc indigenis *Aurange*, & Gallis *Oranges*. Duo *Raimundi* Principes ibi olim dominati.

MAGNI MAGISTRI EQUITUM RHODIORUM.

A Multis Sæculis jure Monetæ fruitur nobiliſſimus *Ordo Equitum Rhodiorum*, nunc in Inſula Melitenſi dominantium. Unus tamen eorum Nummus mihi hactenus occurrit, exſiſtens Bononiæ apud ampliſſimum virum Johannem Paulum Marchionem de Pepulis. Ibi viſuntur Inſignia religioſi illius, ac fortiſſimi Ordinis cum literis in circuitu F. FABRICII DE. CARRETTO M.MGR.R ideſt *Fratris Fabricii de Carretto Magni Magiſtri Rhodiorum*. In poſtica effigies, ut puto, Sancti Johannis Baptiſtæ, Patroni videlicet Ordinis ejuſdem, cum circumpoſitâ hac Inſcriptione: ECCE. AGNUS. DEI. QVI TOLLIS. *Peccata. Mundi*.

INCERTI NUMMI.

DEnique ſubjiciam, & eruditis divinatoribus explicandum relinquam argenteum


A Nummum, Mutinæ a me viſum penes Comitem Tiberium Riccium Patricium Mutinenſem. Ibi Crux cum ſtella in angulo, & epigraphe aliquantulum manca, ubi legiſſe mihi viſus ſum C. cum linea forſitan ſignificante VS. E. VITORIAI . . . . RA. In averſa facie effigies Epiſcopi cujuſdam. Literæ iſtæ in limbo ſuperſunt IEPS. . . . . . DVVT

Alterum etiam accipe, quem debeo præclariſſimo, meique amantiſſimo viro Antonio Scotto, Patricio & Canonico Tarviſino. In altera facie viſitur Aquila, circum quam legitur epigraphe NOBILITAS. COMVN. In alterâ Corona Regia conſpicitur in area cum literis ſuppoſitis FE. Infra neſcio num R. an

B Aſteriſcus appareat: quippe Nummus ævo obtritus, characterum formam turbavit. Quid heic dicam, vix habeo. Legendum videtur *Nobilitas Communium Lombardorum*: & *Federicus*; quaſi hic Nummus poſt pacem Conſtantiæ percuſſus ſpectaret ad Civitates Langobardiæ, quibus Fridericus I. Imperator Libertatem & Regalia conceſſerat. Verùm ubi hoc ſtatuas, & R. ibi revera legatur, *Regem* ſignificans: Fridericum I. excogitare nequeo; is enim *Imperator* fuerat appellandus. Quod ſi R. minime ibi locum habere putes, unicum Friderici nomen ſine titulo, ab ejus dignitate abhorret. Ad Fridericum II. cui pleraque Communia Lombardorum adverſata fuere, vix hæc

C referenda cenſeo. Num ergo percuſſus Nummus priuſquam Fridericus I. Coronam, & nomen Auguſtale acceperit? Verùm eo tempore nondum nata erat *Societas Lombardorum*. Rurſus legendum-ne *Rex Lombardorum*? Sed quid tunc ſignificabit *Nobilitas Comun*? Ii, quibus melior eſt ingenii, aut oculorum acies in legendâ epigraphe illâ, felicius hæc interpretentur.

REGUM ANGLIÆ, ET SCOTIÆ.




ARAGONIÆ, ET NAVARRÆ.



BOEMIÆ.




CHII INSULÆ.




CLARENTIÆ.




REGUM FRANCORUM.



HUNGARIÆ.



RAGUSII.



REGUM SCLAVONIÆ.




REGUM SERVIÆ.



TERGESTIS, ET EPISCOPORUM TERGESTINORUM.




COMITUM TIROLIS.



TREVERI.



MAGNI MAGISTRI EQUITUM RHODIORUM.



INCERTI NUMMI.



En

EX [illegible] Principum & Urbes Italiæ, aut re-
rum etiam Principum, quorum Nummi ha-
bemus [illegible]. Profectò [illegible] & aliæ Civitates Italiæ, aliique Princi-
pes, [illegible] Toparchæ [illegible], qui-
bus licuit ſuo nomine ſignare pecuniam, quam facillime olim [illegible] ab Auguſtis [illegible], atque a Principibus Vaſallis [illegible]. Sed quum ego Nummos non [illegible], alterum dili-
gentiæ [illegible] in lucem advocabit. Ce-
terum [illegible], an ſint, qui ſibi perſuadeant, ve-
teres, ac barbaricis temporibus in uſu fuiſſe aureum [illegible] & [illegible] pecuniam. Certe perſpicuum eſt, [illegible] numquam fuiſſe triplex pecuniæ genus, aureum nempe, argenteum, ac æreum. Nam ſi poſtrema hæc minime uſurpata fuiſſet, grave nimis incom-
modum publicum commercium, & neceſſitati Po-
pulorum [illegible] fuiſſet. Quî enim in com-
parandis Cibis, [illegible] levis pretii re-
bus, ſe geſſiſſet Populus, ſi ærei Nummi nec-
dum in uſu extitiſſent? Romanorum ærea pecunia vel publica nota eſt, quum ſubinde in agris eam effodiant. Propterea ſæpe in anti-
quis Inſcriptionibus occurrunt vulgatæ illæ li-
teræ A. A. A. F. F. ideſt ut Eruditi recte in-
terpretantur *Auro, Argento, Ære flando, fe-
riundo*. Quem morem Gothi quoque Reges in Italia retinuere. Caſſiodorum conſule Lib 7 Variar [illegible] 32, ubi ſub nomine Theoderici Regis Formulam, *qua Moneta* (ideſt Italice *la Zecca*) *committitur*, nobis hiſce verbis ex-
hibet: *Auri flamma nulla injuria permixtionis albeſcat. Argenti color gratia candoris arri-
deat. Æris rubor in nativa qualitate perma-
neat &c. Pondus quin etiam conſtitutum Dena-
riis [illegible] debere ſervari*. Illud quidem difficile ſtatuas, quo tempore invecta fuerit pe-
cunia ex ære & argento commixto conflata, quam Galli *Billon* appellant. Certe per Sæcula multa aurum *obryzum*, *obryzatum*, *optimum*, *purum*, *probatum*, *coctum &c.* uti in contra-
ctuum Chartis, ac Diplomatibus, ita in Mo-
netaria officina memoratum audimus. Argen-
tum verò purum atque optimum eâdem Princi-
pum curâ in Denariis cudendis adhibitum vi-
detur. Attamen, an aurum dumtaxat, argen-
tumque purum atque probatum in uſu fuerit Langobardis Regibus, & Francis Auguſtis, primiſque Germanis in Italia imperantibus, de-
cernere ego non auſim. Pecuniam quippe ex argento & ære conflatam ſub Conſtantio Impe-
ratore Anno Chriſti CCCXLIX. reperio in Lege VI. Lib 9 Titul 21. Codicis Theodo-
ſiani, ubi damnantur *Flaturarii*, qui *Majori-
nam pecuniam, ſeparato argento ab ære, pur-
gabant*. Vide in eam Legem Gothofredi No-
tas. An religioſiores hac in re fuerint Reges & Imperatores, ad nos e Septemtrione deve-
cti, malo aliis judicandum relinquere. Quod ſolùm animadvertiſſe mihi videor, poſt Sæcu-
lum Decimum aut Undecimum a Chriſto nato, Italica pecunia ab antiqua puritate declinare ſenſim cœpit, ad enormem poſtea perturbatio-
nem prolapſa, quam & tempora noſtra conſ-
piciunt & dolent. Porro illud certiſſimum, nullum, ut ita dicam, tempus fuiſſe, quo im-
poſtoribus atque inſidiatoribus res Nummaria caruerit. Fere ſemper, inquam, numerati ſunt, qui aurum argentumve extra publicam Monetam ſine Principis venia ſignare non ſunt veriti, uti & qui pecuniam immixto vilioris pretii metallo adulterare, aut germanam deton-
dere atque arrodere ſunt auſi. Hac de re in ſubſequenti Diſſertatione ſermo recurret. Pro-
pterea ad dignoſcendam falſam, aut minus pen-
ſam pecuniam conſtituti olim quoque fuere periti homines, qui Nummiſmata ad examen revocabant. Nos appellamus *Saggiatori*; ipſum verò examen *Saggio*. Cujus vocis originem, liceat mihi dicere, minime aſſequutus eſt Ægi-
dius Menagius, vir alioquin eruditiſſimus inter Gallicos Scriptores, cui debemus Italicæ Lin-
guæ Origines, & Italico quidem ſermone con-
ſcriptas. *Aſſaggiare*, inquit ille, *viene dalla particella Ad, e dal nome Sapor. Sapor, Sa-
pus, Sapus, Sapa. Sapa, Sapagium, Sapagia-
re, Saggiare, Sagiare, Aſſagiare*. Hinc au-
tem ortum ait *Saggiare, Saggiatore, &c.* Nihil magis a veritate alienum. Nos habemus *Aſſa-
porare* compoſitum a *Sapor*, præpoſitum *Ad*, vel *Ab*. Diverſa omnino eſt alterius vocis ori-
go. Itaque noſtrum *Saggio* pro *examen*, ſive *experimentum*, non aliunde profectum, niſi ab *Exagium* perantiquâ voce Latinâ. Eâdem ra-
tione *Examen*, de apibus, aliiſque inſectis, convertimus in *Sciame*. In Nummo Honorii Auguſti apud Du Cangium legitur EXAGIVM SOLIDI. cum Dea Moneta ac bilance: quod Italice redderes *Saggio del Soldo*. Theodo-
ſius autem Junior in Novella *de Pretio Solidi* hæc habet: *De ponderibus quoque, ut fraus penitus amputetur, a nobis aguntur EXAGIA, quæ ſine fraude debeant cuſtodiri*. Nos dicimus *fare il Saggio di qualche Moneta*. Immo & ad alias res tranſtulimus, uti *fare il Saggio del Vino*, aut aliorum liquorum, quum nempe in examen adducitur eorum vis, ſapor, puritas, &c. Uſi autem ſunt *Exagii* vocabulo Sanctus Zeno Sermone 6. ad Neophytos, Caſſianus Col-
latione primâ Cap 22. Edictum Aproniani Præfecti Urbis apud Gruterum, pag. 647. num. 6. ut alios omittam. Et quidem deri-
vatum eſt *Exagium* ab *Ex* & *Ago*, unde etiam *Exactor*, *Exactio*, *Exactus*, & *Exigo*. Latini quippe dixerunt *Exigere ad normam*, *Exigere ad veritatem*, hoc eſt, penſare, explorare, examinare, an aliquid verum ſit, an aliquid ad rectam normam ſit compoſitum.

Atque hæc de Sæculorum barbaricorum Moneta dixiſſe juvat. Unum dumtaxat ad-
dam, Donizonem videlicet Lib I Cap. 2. Vitæ Mathildis Comitiſſæ, dum de Athone ejus proavo loquitur, ac de Reliquiis ab eo Canoſſinum Monaſterium delatis, hæc ſcri-
bere:

„ *Relliquias alias dedit illi Brixia magna;*
„ *Nam caput ac humerum dextrum, pariterque*
„ *lacertum*
„ *Hujus Apolloni vehementer honorificandi*
„ *Offert gratis ei. Gothofredus Epiſcopus egit*
„ *Hoc, quia de lumbis erat hortus Principis*
„ *hujus.*
„ *Hic Præſul ſacram reſeravit corporis arcam,*
„ *Ac ſecuit membra, cruor & mox prodiit extra.*
„ *Unde bonus Princeps valde miratus, eidem*
„ *Continuò terræ propriæ, decimamque Monetæ*
„ *Vovit &c.*

Quid ſignificare velit Donizo, decernere non auſim. Quippe jus Monetæ Athoni Comiti temporibus iis, hoc eſt Sæculo Chriſti Decimo, fuiſſe conceſſum ab Ottonibus Auguſtis, diſ-
ficile ad credendum inducar, niſi exempla paris facultatis apud Italos exarentur. *Mo-
neta* heic pro *Pecunia* uſurpata videtur.

DE DIVERSIS
PECUNIÆ
GENERIBUS,

QUÆ APUD VETERES IN USU FUERE.

DISSERTATIO
VIGESIMAOCTAVA.

DISSERTATIO VIGESIMAOCTAVA.

Quam ego nunc mihi propono materiem, levi brachio, utique fateor, ſum pertractaturus. Argumentum enim perquam vaſtum plus otii exigeret, atque in juſtum Librum excreſcere facile poſſet. Ut ergo aliquam Lector habeat notitiam Pecuniæ, quæ barbaricis Sæculis in uſu fuit, hæc pauca ediſſeram. Uti apud Romanos, ita & apud Italicos Reges Gothos, Langobardos, Francos, & Germanos, triplici pecuniæ ſpecie publicum commercium peragebatur, *aureâ* ſcilicet, *argenteâ*, atque *ærea*, uti in præcedenti Diſſertatione ex Caſſiodori verbis oſtendi. Aliquando etiam fuerunt & Nummi, quales ævo noſtro, ex ære & argento mixto conflati. Nullum autem uſitatius nummorum genus antiquitus fuit, quàm *Solidorum*. Erant Aurei primo; deinde fuerunt & Argentei; eorumque appellatio ante Conſtantini Magni tempora invaluit. Vide Codicem Theodoſianum. Ibi non una in Lege *Solidorum* mentio habetur. Ibique de eorum pondere & æſtimatione non ſemel agitur. Certum eſt, tunc nonniſi Aureos fuiſſe: idque evincunt diſerta A Imperatorum verba. Quare qui Solidum tunc dicebat, *Aureum* ſignificabat. In Libello *de Menſuris* antiqui Scriptoris Anonymi apud Goëſium, inter Scriptores de Re Agraria, legitur: *Duodecim unciæ Libram, viginti Solidos continentem, efficiunt. Sed veteres Solidum, qui nunc Aureus dicitur, nuncupabant*. Et diu quidem perduravit in Italia Solidorum, ſive Aureorum nomen & uſus. An & ipſi Langobardi Reges in ſuis Legibus ad infligendam pœnam Legum contemtoribus paſſim Solidorum nomine uſi, *Aureos* ſignificarint, incertum eſt mihi. Certum contra arbitror Langobardis quoque regnantibus fuiſſe Solidos ex auro in Italia uſurpatos. Cujus rei teſtem B habeo nobilem Chartam, quam ego olim ex inſigni Archivo Lucenſis Archiepiſcopii deſcribebam, ubi (quod eſt in tanta antiquitate rarum apud Italos) autographa membrana adſervatur. Ibi verò fit mentio *Walperti glorioſi Ducis*, cujus auctoritas incertum eſt, num in Urbe & Comitatu Lucenſi concluderetur, an etiam ſe protenderet ſuper univerſam Tuſciam Langobardorum, cujus caput Luca fuit. Hac de re vide Diſſertationem V. *de Ducibus*.

Venditio domus ac terrarum facta Walperto Duci Urbis Lucenſis a Lupo Viro Honorabili, Anno 736.

In nomine Domini Dei Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Regnante Domno noſtro Liutprand viro excellentiſſimo Rege Anno Regni ejus Vicenſimo Quarto, & precellentiſſimo Nepote ejus Domno noſtro Hilprand Rege Anno Primo, Menſe Martio, Indictione IV. Conſtat, me Lupo Vir Honorabilis vinditor, filio quondam Audoald, habitatore Caſtello Urſi, ideo hac die vendidiſſit, tradedit & tradidiſſit & tradedit vobis Domno Walpert glorioſo Duci *per Miſſo veſtro Fuſio, ideſt Caſa, ubi manere videor, res . . . . . . ancillas, vineis, campis, ſilvis, cultum adque incultum, mobile vel inmobile, omnia & ex omnibus, de quantam ad manum mea habere viſus ſum in integrum vobis tradedit & ſuſcepit ad vos Domno* Walpert *glorioſo Duci pro Miſſo veſtro Fuſio pretium placitum & definitum* Auri Solidos vigenti, ... *in dominio & in veſtra, cui ſupra tradedimus eſſe poteſtatem poſſedendum . . . . . . abeas, teneas, atque poſſedeas, ed ad tuos poſteros derelinquendum liveram habeas poteſtatem. Et quod non credo, ſi ego Lupo Vir Honorabilis vinditor, ſeu heridibus . . . . . aliqua ſopoſita perſona vobis ipſa vinditionem ſubtragere voluerit, vobis eam menime defenſare non potuerimus ſeu heredibus meis, conponet vobis vel ad heredibus veſtris dubla conditionem meliorata rem & cartula vinditionis in ſua permaneat firmitatem. Quam verò cartula vinditionis mee Deodati Notario reſcrevendam rogavi, & ſuper manum meam proprium Sancte Crucis ſignum fecit, & teſtes ut ſubſcriverent vel ſignum facerent conrogavit . . . . . in Menſe ſupraſcripto per Indictione ſupraſcripta.*

C ✠ *Signum Lopi . . . . vinditori qui . . . .*

✠ *Signum manus Teupertum filio quondam Rachis de Luca teſtis.*

Ego Deodatus Notarius hanc cartulam vinditionis poſt traditam complevit & dedit.

Uti jampridem Florentinius in Monument. Comitiſſæ Mathildis animadvertit, & poſt eum Pagius in Critic. Baron. ex hiſce notis Chronologicis elucet, *Hilprandum*, ſive *Hildeprandum*, *Liutprandi Regis Nepotem*, non Anno DCCXL. (quod Sigonius tradidit) ſed quidem Anno DCCXXXVI. ſeu potius DCCXXXV. conſortem Regni fuiſſe datum Liutprando Regi. Quæſtionem hanc fuſius a me agitatam habes in Diſſertatione XIV. *de Servis*. Heic D autem memoratos videmus *auri Solidos viginti*. Teſtantem quoque habeo Grimaldum infra laudandum, in Vaticana Bibliotheca Inſtrumentum adſervari antiquiſſimum in papyro Ægyptiaca ſcriptum, qui Clariſs. Virum Marchionem Scipionem Maffejum fugit, ubi commemorantur *aurei Solidi*, *dominici*, *probati*, *obrizati*, *optumi*, *penſantes*, *integri ponderis*, *ſingulares numero*, *ſuper vendicione ſex unciarum fundi Geniciani. Actum Ravennæ per Julianum Forum Civitatis Ravennæ Scriptorem. Teſtes Euſebius Adinſcutarius*, *Florentinus ex Præfectis* (aut Expræfectus) *Piſtorum*, *Oderiſcus Probus ex Primiceriis Nomenclatorum* (vel Exprimicerius), *Petrus Collictar. ante cuſto*E*diam carcerum*. Ita in aliis papyris ab eodem Marchione Maffejo editis legimus *auri Solidos dominicos*, *probatos*, *obrizatos*, *optimos*, *penſantes*. At nunc peto ego, ſi præter Aureum nullus alius Solidus agnoſcebatur, hoc eſt ſi

[illegible] erant Argentei Solidi, [illegible] [illegible] numerum valde, quorum Solidus [illegible] [illegible] Quoties nova [illegible] aut Decimæ, aut Zecchini, aut Unghere, [illegible] additamento d'oro, quia non niſi ex Auro Nummi illi cudebantur. Et certe quo tempore in uſu [illegible] Solidi [illegible], [illegible] Solidorum, [illegible] Omnes Solidi, in quibus [illegible] [illegible], inquit Conſtantinus Magnus in Lege prima, Tit. 22. Lib. 9. Codic. Theodoſiani. Ita in Lege 13. Tit. 6. Lib. 12. ejuſdem Codicis legimus: *Quotieſcumque Solidi ad Ærarium ſuſcipiendi perferendi ſunt &c.* Ita in aliis Legibus, & apud Gregorium Magnum variis in locis, ut alios Scriptores prætermittam. Quid eſt ergo, quod in Chartis Seculorum ſubſequentium non *Solidos* tantum commemorare veteres conſueverunt, ſed *Solidos Aureos*, aut *Auri*? Accipe & alterum documentum, ex eodem Archiepiſcopali Archivo Lucenſis Urbis depromtum, ubi primigeniam pergamenam ego olim legebam.

Emphiteuſis, ſeu uſus domus, quam a Walprando Epiſcopo Lucenſe Auſelmus Vir Devotus ſe tenere agnoſcit, Anno 746.

IN Dei nomine. Regnante Domino noſtro Ratchis viro excellentiſſimo Rege, Anno Regni ejus Secundo, in ipſa Kalendas Septembris, Indictione XV. feliciter. Manifeſtu ſum ego Auſelmus Vir devotus, quia repromitto & ſpondeo, [illegible] Domno venerabili Walprand Epiſcopus, *ut in caſa tua* [illegible], [illegible] ge-[illegible] [illegible] *& nobis* [illegible] *ut in ipſa caſa uſque in diebus vite mee* [illegible] *& conſuetudo ipſejus caſa, quas parentis noſtris fecerunt per ſingulos annos perexolvere debeamus tam ego quam & filios meos, & ipſa ſupraſcripta caſa, & res bene* [illegible] *& conſervare, ſi correctum fuerit. Et ſi ego qui ſupra Auſelmus, vel meus* [illegible]*, ipſa ſupraſcripta caſa & res ejus bene non conſervaverimus, & angaria, quas uſum habuit ipſa caſa, minime perexolſerimus, componamus tibi Domno Walprando Epiſcopus, vel ad tuos* [illegible] auri Solidos nomero ſexagenta, *&* [illegible] *ſoras. Quam meis repromiſſionis cartula, Perteradu Clericus ſcribere rogavi, & ſub er ſigna ſancte Croci feci. Actu in Domo ſancte Eccleſie, Regnum & die ſupraſcripta feliciter.*

✠ *Signum manus Auſelmi Viri devoti repromeſſori & conſervaturi.*

✠ *Signum manus Juvacimi Clerici teſtis.*

✠ *Signum manus Luci venerabili Presbiteri teſtis.*

✠ *Signum manus Mauriperti Presbiteri teſtis.*

✠ *Signum manus Auriperti de Gurmo teſtis.*

✠ *Signum manus Abamundi Clerici teſtis.*

Ego Perteradu Clericus & dictator Gaudentio Presbitero magiſtro meo iſcripſi . . . . . dedi.

Gaudentius Presbiter pro ſupraſcripta manus meas ſupſcripſi & confirmavi.

Et heic habemus *auri Solidos numero ſexaginta*, quod, uti nuper aiebam, indicare videtur, tunc etiam in uſu fuiſſe *argentei Solidos*. Ego nihil decerno, id tantum moniturus, ſaltem uſurpatos Seculo ſubſequenti *Solidos Argenteos*. En Chartam autographum, quam ego olim exſcripſi ex eodem Tabulario Archiepiſcopii Lucenſis, ubi hæc ſunt verba.

Ubertus Diaconus ab Ambroſio Lucenſi Epiſcopo Eccleſiam in beneficium accipit, eique cenſum pollicetur, Anno 847.

IN Dei nomine. Regnante Domno noſtro Lothario Imperatore Auguſto, Anno Imperii ejus, poſtquam in Italiam ingreſſus eſt, Vigeſimo Quinto, Nonas Madias, Indictione X. Manifeſtu ſum ego Uppertus Diaconus filio bone memorie [illegible]*, quia tu Ambroſius gratia Dei* [illegible] *ſancte Lucane Eccleſie humilis* Epiſcopus *per cartula ad cenſum vobis perſolvendum dediſti mihi, idest Eccleſia, cui vocabulum eſt* [illegible] *Sancti Gervaſii, ſita in loco Verriana, quod eſt* [illegible] *pertinentes ipſis Domui* [illegible] *noſtri Sancti Martini ipſa Dei Eccleſia Sancti Gervaſii cum caſis dominicatis* [illegible] *cum fundamentis, curtis, ortis &* [illegible] *ad ipſa Eccleſia Sancti Gervaſii* [illegible] *eſt pertinentes in integrum, excepta* [illegible] *Caſa maſſaricia cum rebus ſuis, quas* [illegible] *Vaſſallo tuo in beneficio abere* [illegible]*, quas mihi minime dediſti. Nam aliis omnibus Caſis & rebus ad ipſa Eccleſia pertenentes, ut ſupra dixi, & mihi dediſti, in integrum habere* [illegible] *a preſenti die jam dicta Eccleſia cum Caſis & rebus, quas mihi dediſti, in mea ſit poteſtate abendum, regendum &c. & in ipſa Eccleſia officium & luminaria uſque ad Miſſarum ſolemnia recto moderamine fieri debeam per me aut per meam diſpoſitionem, & pro omni cenſum & juſtitia exinde tibi vel ad ſucceſſoribus tuis per me aut per Miſſo meo vobis vel ad loco poſito veſtro . . . . . . ad ipſo Domo per ſingulos annos in Menſe Martio cenſum dare & perſolvere debeam* Argentum Solidos Viginti bonos denarios expendiviles de *tertio in tertio annos*. Quando circatas ad conſignationes faciendum de Pleve in Pleves veſtras feceritis, *ſi ibidem ad ipſa Pleve Sancti Gervaſii . . . . . ego vos, & homines veſtros, quem vos ibi conduxeritis, recipere & paſcere, ſeo manſione dare debeam tantum. Et ſi a me vobis hec omnia ſupraſcripta capitula per ſingulos annos ſic non fuerit adimpleta, vel ſi ego predicta Eccleſia cum Caſis & rebus, quas mihi dediſti, relaxavero, vel ſi pejorata adparuerit, ſpondeo ego qui ſupra Uppertus Diaconus componere tibi, qui ſupra Ambroſius Epiſcopus, vel ad ſucceſſoribus tuis penam* Argentum Solidos tricentos, *quia taliter inter nos convenit, & duas Cartulas Adalfridi Notarius ſcribere rogavi.*

Actum Luca.

Ego Uppertus Diaconus in ae cartula a me facta

facta manu mea ſubſcripſi .

Ego Teudimundus rogatus ab Uppertu me teſte ſubſcripſi .

Ego Petrus Clericus Notarius rogatus ab Upperto Diacono me teſte ſubſcripſi .

Ego Teudilaſcius Archidiaconus ſubſcripſi &c.

Ego Adalfridi Notarius poſt tradita conplevi & dedi .

Verba illa heic animadvertenda : *Quando Circatas ad Conſignationes faciendum de Plebe in Plebes veſtras feceritis* . Nomine *Circatæ* ſignificantur Viſitationes ruralium Parœciarum, tunc ab Epiſcopis factæ . Inde Italicum *Cercare* . *Conſignationis* autem appellatione *Confirmationis* Sacramentum , cujus conferendi causâ Epiſcopi per rura ſuæ Diœceſis peragrabant . Sed quod ad argumentum noſtrum attinet, commemoratos heic videmus *Argentum Solidos viginti bonos denarios expendibiles* , & infra *Argentum Solidos trecentos* . Ita videbis infra Anno DCCCVII. commemoratos *Solidos Argenteos* . Quodnam verò Aurei Solidi pretium olim foret , nunc breviter inquirendum . Jacobus Gothofredus , vir inter Eruditos Legum Interpres celeberrimus, illuſtraturus Legem unicam Tit. 24. *de oblat. votorum* , Lib 7 Cod. Theodoſ. ad argumentum hoc plura congerit , quæ deſcribere ſupervacaneum puto . Illud ſolùm meminiſſe juvat , ſub Conſtantino Magno (ſi fides Gothofredo) octoginta quatuor Solidos . ſive Aureos, conſtituiſſe Libram Auri ; & Solidos ſeptem Unciam auri : quæ tamen ſententia a Gronovio improbata fuit . Quod certum eſt , Valentinianus ſenior ſeptuaginta duobus Solidis conſtare Libram voluit , non Aureorum pondere imminuto , ſed eorum tantùm numero imminuto in libram , ac proinde extrinſeca eorum æſtimatione auctâ . Quot autem Denarii æręi olim Solidum Aureum conſtituerent , Caſſiodorius nos docet Lib. prim. Epiſt. 10. ſcribens : *Sex Millia Denariorum Solidum eſſe voluerunt* : quod & ex Codice Theodoſiano confirmari poteſt . Memorantur etiam apud veteres *Siliquæ* , earumque mentio occurrit in Lege 258. Rotharis inter Langobardicas , ubi jam adnotavi ex Gregorio Magno , *Solidum Aureum* conſtare apud Romanos *ex viginti quatuor Siliquis*. Iſidorus ex *viginti* tantummodo Solidum conſtituit . Verùm non minus olim quàm nunc , auro & argento bellum indicebatur a Principibus, atque a Populis ſingulis curantibus ex eorum pretio adaucto captare lucrum . Ac propterea inſtabilis eorum ſemper æſtimatio fuit , & arduum propterea negotium nobis foret rite materiem hanc pertractare . Ingentem ſane pretii monetarii mutationem neceſſe eſt invexerit tempus & hominum cupiditas . Videtur enim Libra auri redacta tantummodo ad Solidos XX. aureos . Id Carolus Magnus indicat in Lege 23. *de Heribanno* inter Langobardicas , ubi hæc habet . *Qui verò non habuerint amplius in ſupraſcripto pretio , valente niſi Libras III. Solidi XXX. ab eo exigantur , ideſt Libra una & dimidia* . Supra quoque audivimus Anonymum teſtantem , Libram auri completam fuiſſe XX. Solidis . Ad hæc novimus ex altera ejuſdem Caroli Lege, quæ eſt 76. *de omnib. debit.* inter Langobardicas , quot Denariis olim Solidus aureus conſtaret , nempe XL. ſed procedente tempore pretium redactum ad XII. Denarios dumtaxat fuit . *De omnibus* (ita ibi legitur) *debitis ſolvendis* , ideſt de pœnis Fiſco debitis perſolvendis , *ſicut antiquitus fuit conſuetudo , per XII. Denarios Solidi ſolvantur per totam Salicam Legem , excepto ſi Leudes , ideſt Saxo aut Friſo Salicum occiderit , per LX. Denarios Solidi ſolvantur* . Uti animadverti in Notis , Codex Eſtenſis diſerte habet per *XL. Denarios*, non verò per *LX.* quod & Baluzius adnotarat , MStos alios ſequutus . Animadverte etiam , quid habeat Synodus Francofordienſis Anno Chriſti DCCXCIV. quò confluxere etiam Epiſcopi Italici , conſidente eodem Carolo Magno . Ibi ſtatutum fuit Canone IV. ut annona carius non væniret tempore caritatis , quàm abundantiæ , eaque *ad modium publicum , & noviter ſtatutum venumdaretur . De modio de avena , Denarius unus . Modio hordei , Denarii duo . Modio Sigali , Denarii tres . Modio frumenti, Denarii quatuor . Si verò in pane vendere voluerit , duodecim panes de frumento , habentes ſingulos libras duas , pro Denario dare debeat : ſigalitios quindecim æquo pondere pro Denario : ordeaceos viginti ſimiliter penſantes : avenaceos viginti quinque ſimiliter penſantes* . Tum Canone V. aperte proditur , Denarios illos *ex mero argento* fuiſſe . In Lege Salica Tit. 57 Cap. 5. *Sexcenti Denarii* reddunt *Solidos quindecim* . Et Tit. 2. Cap. prim. *centum viginti Denarii faciunt Solidos tres* , ita ut ſinguli Solidi conſtituerentur ex Denariis XL. Neque mutatio illa pretii Solidorum tantummodo facta fuit , ut pœnæ delictis impoſitæ , quæ ex Solidis indici ſolebant , minuerentur , imminutâ extrinſecâ Solidorum æſtimatione : ſed etiam in publicum commercium idem uſus pertranſiit . Opportuna ad id oſtendendum erit Charta , quam ex ſupralaudato Lucenſis Archiepiſcopii Archivo , ubi ejus autographum adſervatur, ego deſcripſi .

Traditio Eccleſiæ Sancti Terentii ab Alberto Clerico facta Walprando Presbytero, cum reſervatione penſionis ſive cenſus, annuente Jacobo Epiſcopo Lucenſe, Anno 807.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Carolus ſereniſſimus Auguſtus a Deo coronatus, magnus & pacificus Imperator Romanorum gubernans Imperium, qui & per miſericordiam Dei Rex Francorum & Langubardorum, Anno Regni ejus, quo Langubardiam cepit, Trigeſimo Quinto, & filio ejus Domno noſtro Pippino Rege, Anno Regni ejus Vigeſimo Octavo, Menſe Auguſto, Indictione Prima. Manifeſtum eſt mihi Alperto Clerico filio bone memorie Ilprandi Abbatis, quia per hanc cartulam ad continendum & meliorandum dare videor tibi Walprando Presbitero, filio quondam Aripprandi Clerici, Eccleſiam beati Sancti Terentii ſita in vico Flinge, quas in mea poteſtate per cartulam confirmavit Domnus Jacobo Epiſcopo *ipſa Dei Eccleſia una cum caſis & omnibus rebus ad eam pertinentibus, qualiter mihi ab ipſo Domno Epiſcopo obvenit, in tua ſit poteſtate regendi, gubernandi, lavorandi, & meliorandi, atque uſufructuandi, & in ipſa Dei Eccleſia per te aut per alium Sacerdos officium & luminaria ibidem die noctuque fieri debeat ſecundum Deum; & pro juſtitia exinde per ſingulos annos in natale Sancti Reguli tu mihi reddere debeas* decem Solidos argento de bonos Denarios mundos, groſſos, expendiviles, una duodecim Denarios pro Solido tantum. *Et ſive mihi hec omnia ſupraſcripta capitula per ſingulos annos ſic fuerint adimpleta & conſervata, tu qualiter ſuperius legitur, & ego tibi predicta Dei Eccleſia, & rebus ejus retollere queſierimus, aut amplius juſtitia ſuper impoſuerimus, vel qualibet invaſione tibi idem facere, promitto ego qui ſupra Alpertus Clericus componere tibi jam dicto Walprando Preſbiter pena* argento Solidos centum. *Unde inter nos duas Cartulas qualiter convenit Richiprandum Presbiterum Notarium ſcribere rogavimus.*

Actum Luca.

Ego Alpertus Clericus in hanc cartula a me facta manu mea ſubſcripſi & . . . . .

Ego Jacobus *humilis* Epiſcopus *licentiam dedit, manu mea ſubſcripſi.*

Ego Filippus Presbitero rogatus at Alpertus Clericus me teſte ſubſcripſi. &c.

Ego Richiprandus Presbiter Notarius poſt tradita complevi & dedi.

Heic ergo habemus *decem Solidos argenteos de bonis denariis mundos, groſſos, expendibiles, una XII. Denarios pro Solido tantum.* Quare quum conſidero, Solidos argenteos memorari duodecim Denariis conſtantes, eamque notitiam compono cum ſuperius allata Lege Caroli Magni, ubi ad pœnas a Salicis hominibus perſolvendas Solidus taxatur tantùm *XII. Denarius*: aliqua mihi ſuboritur dubitatio, num Solidi in Longobardicis Legibus toties nominati, potius *argentei*, quàm *aurei* fuerint, & potiſſimùm quod illic interdum graviſſimæ appareant pœnæ, ſi ex aureis infligebantur; mitea verò, ſi ex argenteis. Ego rem in medio relinquo, uti & an Denarii illi, unde Solidus Aureus componebatur, Argentei fuerint, ut Clariſs. Du-Cangius arbitratur. Certe credibile eſt, Solidum Aureum Caroli Magni ævo ex auro revera conflatum, parum ſuperaſſe nummos, quos nunc *mezze Doble*, & *Scudi d'oro*, aut *Ducati di Camera* appellamus. Attamen ſunt, qui putant, Solidos eoſdem Aureos quartâ dumtaxat parte minores fuiſſe Nummis Aureis, quos nunc nuncupamus *Doble di Spagna*, & *Luigi*. Solidos autem in Lege Salica memoratos Wendelinus in Gloſs. Salico cenſuit æquaſſe pretium Floreni Rhenenſis. Interea e paucis, quæ hactenus attuli, juſtus nobis ſeſe offert locus ſuſpicandi, fuiſſe olim Solidos etiam imaginarios ex veris Denariis compoſitos, quemadmodum noſtris quoque temporibus ſunt aliæ nummorum ſpecies, ideales tantum, uti apud Britannos nunc eſt Libra Sterlingorum, quæ olim ſpecies pecuniæ fuit. Apud nos quoque Solidus, ſive ut dicere ſolemus Bononinus aut Bologninus, dividitur in XII Denarios, qui tamen Denarii olim in uſu fuere, nunc in ſola hominum opinione conſiſtunt. Quod ſi quis reſcire adhuc cupiat, quot Denarii Libram argenti conſtituerent, ego quid uſus haberet Sæculo X. in hiſce regionibus patefaciam, Chartam proferens ex Hiſtoria Eccleſiaſtica Regienſi Fulvii Azarii, quæ autographa in Eſtenſi Bibliotheca adſervatur. Spectat inſtrumentum hoc ad Proavum celeberrimæ Comitiſſæ Mathildis, ſimulque prodit lineam aliam Familiæ ejuſdem, Parmæ commorantem, quam etiam innuit Donizo Lib. I. Cap. I. Vitæ Mathildis. In hanc rem etiam videndus Bacchinius in Hiſtor. Monaſter. Padolironenſis.

Atto

Atto filius quondam Attonis Maſſaritias ſex vendit Adalberto, qui & Atto, Comiti conſobrino ſuo & Proavo Comitiſſæ Mathildis, Anno 958.

IN *nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Berengarius & Adalbertus Filio ejus gratia Dei Reges, Anno Regni eorum Deo propicio Hoctavo, Menſe Novembris, Indictione Secunda. Conſtat me* Atto filius quondam idemque Attoni de Comitatu Parmenſe, *qui ex Nacione mea profeſſus ſum Lege vivere Longobardorum, accepiſſe, ſicut in preſentia teſtium accepi a te* Adalbertus, qui & Atto, Conſobrino meo, filius quondam Sigefredi de Comitatu Lucenſi, argentum per Denarios bonos Libras ſexaginta, habentes ducenti quadraginta Denarii Libra, *finitum precium, pro Caſis & rebus territoriis illis omnibus, que ſunt Maſſaricies ſex juris meis, qui eſſe videntur in fundo & loco Serzana, & Valle Brumani, cum ſuorum pertinenciis, que rectis & laboratis fuerunt vel fiunt per Johannem, & Serzano, & item Serzano, ſeu item Johanne, atque Benedicto, & Rubiano Maſſariis, una cum Montes duos pertinentes de ipſas Maſſaricias, ubi jam antea Caſtris edificatis fuerunt, in integrum. Seu pro Sortes tres ſimiliter juris meas, que rejacent in loco, ubi Silva-plana, & Veriano dicitur, ſimiliter cum ſuis pertinenciis, que rectas & laboratas fuerunt vel fiunt per Rubiano & Ariunto ſeu Alperto Maſſariis, in integrum omnia & ex omnibus, ſicuti ad me in predictis locis Serzana, Valle Brumani, Silva-plana, Veriano ſunt poſſeſſis & defenſatis pertenuerunt per quamvis ordinem, & ſicuti per ſupraſcriptis Maſſariis rectis & laboratis fuerunt vel fiunt in integrum. Et ſunt rebus ipſis in predictis locis Serzana, Valle Brumani, Reviano, Silva-plana, ſuper totis per menſuram & rationem ad perticam legitimam de pedes XII. menſuratum, juges centum quadraginta, inter ſediminas & areis, ubi vitis eſtant, ſeu terris arabilis, atque pratis, ſilvis, atque buſcaleis, ſeu gerbidis juges quadraginta. Et ſi plus rebus juris meas & fundas & loca Serzana, Valle Brumani, Reviano, Silva-plana cum ſuorum pertinenciis inventum fuerit, omnia in tua, qui ſupra Adelberti Comes vel de tuos heredes, aut cui vos dederitis, perſiſtant poteſtatem, vel proprietatem in integrum cum Caſis, Curtis, ortis, areis, cluſuris, campis, pratis, paſcuis, vineis, ſilvis, aſtellareis, inſolis, ripis, rupinis, montibus, aſentibus & deſentibus, uſibus aquarum, aquis, aquarumque ductibus, & fontaneis, ac paturibus, coltis & incoltis, diviſas & indiviſas, omnia & ex omnibus predictis Caſis & rebus territoriis vel maſſariciis in predictas locas, ſicuti ad me, & ad ſupraſcripto quondam idemque Atto Genitor meus fuerunt poſſeſſis & defenſatis, & nobis pertinuerunt juri, & ſicuti per ipſos Maſſarios fuerunt rectis & laboratis in integrum. Quæ autem ſupraſcriptis Caſis & rebus territoriis & maſſariciis in predictis Sarzana, Valle Brumani, Silva-plana, Reviano, vel inibi per circum circa locis & vocabulis abentibus vel pertinentibus, ſeu aſpicientibus, qualiter menſura legitur, & inſertum eſt, cum acceſſiones & ingreſſoras earum rerum, ſeu cum ſuperioribus & inferioribus, una cum finibus & terminibus, & cum omni juris aſſe habentibus, vel pertinentibus, tibi qui ſupra Adelberti Comes ab hac die & ora per ſupraſcripto argento vendo, trado, emancipo, liberiſioque ab omni nexu publico privatove, & nulli venditis, donatis, alienatis, obnoxiatis, vel traditis, niſi tibi hodie; & facias exinde a preſenti die tu Adelbertus Comes, & heredes tuis, vel cui vos dederitis, aut abere ſtatueritis, proprietario nomine ſine ullius contradictione. Quidem exſpondeo atque promitto me ego qui ſupra Atto vel meos heredes tibi, qui ſupra Adelberti Comes, vel ad tuis heredibus, vel cui vos dederitis, ſupraſcriptis caſis & rebus in predictis locis cum ſuis juris pertinenciis, qualiter ſuperius venumdavi, ab omne contradicentis homine defenſare. Quis ſi defendere non potuerimus, aut ſi vobis aliquid per covis ingenium ſubtrahere queſierimus, tunc in duplum ſupraſcriptis caſis & rebus, ſicut dictum eſt, vobis reſtituamus, ſicut pro tempore melioratis, aut valuerint ſub extimatione in conſimilibus locis, & nihil mihi ex ipſo precio aliquid amplius reddebitis. Dixi.*

Actum in loco Inſula Judiciaria Parmenſis.

Signum manibus ſupraſcripti Attoni, qui anc Cartam vindicionis ad omnia ut ſupra rogavi, & ſupraſcriptum argentum accepi. Et ei relecta eſt.

Signum manibus Wiberti *filio quondam idemque* Wiberti *de Baniolo, ſeu Lamberti, qui & Lanzo de loco Monticlo, rogati teſtes.*

Signum manibus Teuzoni de Carclio, & Iſelprandi filio quondam Madelberti, rogati teſtes.

Signum manibus Albuini de loco Carubio, & Eriberti de Foczano, ſeu Gauſelmi de Montealto, rogati teſtes.

Anſprandus Judex Domnorum Regum rogatus me teſte ſubſcripſi.

Ego Gerardus Notarius Domnorum Regum rogatus teſtis ſubſcripſi.

Scripſi ego Petrus Notarius Domnorum Regum, poſt tradita complevi & dedi.

Quidem ego Aimericus Notarius ſacri Palacii hoc exemplum autenticum vidi, & legi, & ſcripſi, & ſicut in eo continebatur, ut in hoc legitur, neque junxi, neque minui, & exemplavi.

Ego Gerardus Notarius Domini GVELFONIS DVCIS *hoc exemplum autenticum vidi, & legi, & ſicut in eo continebatur, ut in hoc legi & ſubſcripſi.*

Scripſi ego Ubaldus GVELFONIS DVCIS, *hoc exemplum autenticum vidi, legi, & ſcripſi, & ſicut in eo continebatur, ut in hoc legitur, & ſubſcripſi.*

Jam animadvertiſti verba illa, *argentum per denarios bonos Libras ſexaginta, habentes ducenti quadraginta denarii Libra*. Ergo tunc argenti Libram conflaſſe videntur aut X. Solidi, qui e Denariis XXIV. ſinguli conſtabant, aut ex Solidis XX. quorum ſinguli Denarios XII. æquabant. Veri videtur ſimile, per reliquum Italicum Regnum tunc eamdem obtinuiſſe conſuetudinem. Quod tamen difficile ſtatuere poſſis; neque enim iis temporibus officinæ monetariæ omnes concordes erant in æſtimatione

Num-

Numiſmatum. Nam uti Gregorii Magni Papæ ævo Solidi Gallici minoris pendebantur quam Romani, ita ſubſequentis Sæculis, ac præcipue poſtquam multiplicatæ in Italia fuerunt ejuſmodi officinæ, ſuſpicari licet, non idem pretium fuiſſe Solidis ac Denariis, qui in diverſis locis cudebantur. In Chronico Vulturnenſi pag. 414 part. II Tomi I. Rer. Italicarum invenies ad Annum DCCCLXX. *Solidos numero centum quinquaginta Siculos*. Et infra, *So-*
A *lidos Siculorum*. Uti & *auri Libram unam Beneventanam*, quæ propterea non ejuſdem ponderis aut æſtimationis fuiſſe videtur, atque aliarum Civitatum. Ita præcedente tempore memoratam invenio *Libram Denariorum Papienſium*, uti ex ſubſequente Charta conſtabit, cujus autographum adſervant Sanctimoniales Regienſes in Aſceterio Sancti Thomæ.

Wolmari Epiſcopi Regienſis Decretum, quo Monialibus Sancti Thomæ confirmat Plebem Sancti Michaëlis, Anno 1063.

IN *nomine Sancte & individue Trinitatis*. Wolmarus *divino reſpectu ſancte* Regienſis *Eccleſie Epiſcopus. Cum predeceſſorum noſtrorum aliquo juſte ſtatuta ſcriptis vel aliquo indicio ad utilitatem Eccleſie reperimus, decet Epiſcopalem vigilantiam cum omni diligentia confirmare & corroborare, ut paterno affectu ſubditos regat, & in Dei ſervitio ſtabiles reddat. Audivimus quidem, & pro certo ſcripto cognovimus, anteceſſorem noſtrum* Adalbertum *tempore Domni Henrici junioris Imperatoris, pro devaſtatione Eccleſie injuſte facta ex tantillis bonis Eccleſie, que remanſerant, plurima dando diſſipaſſe, ut Imperialis ſubſidio Eccleſia ad nichilum reddicta ſublevaretur ...... Clericos & Monachos & familiam Eccleſie unde aleret, haberet. Hac de cauſa nimia coactus penuria Liuze Monaſterio Sancti Thome Apoſtoli Abbatiſſe, cum non haberet, unde tanta perſolveret*, decem Libras Denariorum Papienſium, *quas ipſa ex paterno predio adquiſierat, petiit. Quibus acceptis Corticellam .... Vico Martini, que ex parte noſtri Epiſcopii erat, & ex parte Monaſterii Sancti Thome, habendam & in perpetuum tenendam eidem Monaſterio Sancti Thome ſuo decreto conceſſit. Sed cum predictam Corticellam propter violentorum moleſtationem tenere non potuit, quidquid de Plebe Sancti Michaelis Archangeli ſibi pertinebat, predicto Monaſterio Sancti Thome ſcripto dedit, eo videlicet tenore, ut ſi ipſe, vel aliquis ſucceſſorum ſuorum predictam Corticellam Monaſterio Sancti Thome tenere fecerit, jam dicta Plebs Sancti Michaelis ad jus & dominium Epiſcopii redeat: ſin autem non poterit, Monaſterium Sancti Thome predictam Plebem ſine omni moleſtatione alicujus Epiſcopi, donec prefata Corticella de manibus violentorum eripiatur, teneat & habeat. Hec vero ſcriptis corroboratum, hic noſtrorum fidelium, Clericorum videlicet & Laicorum teſtimonio firmatam cum vidimus, & ſub anathematis vinculo a noſtro anteceſſore factum cognovimus, preſentibus noſtris fidelibus, ſcilicet Archipresbitero & Archidiacono, & reliquo Clero noſtre Eccleſie ....*
B *berto Comite & Rodulfo de Caſule & pluribus aliis, prefatam Plebem Monaſterio Sancti Thome ſecundum predictum tenorem conceſſimus & largiti ſumus, ac ſub anathematis vinculo, & pena viginti Librarum dampnacione a nobis noſtriſque ſucceſſoribus obſervari decrevimus. Si quis hoc infringere temptaverit, maledictionem Dei Patris omnipotentis & Filii & Spiritus Sancti incurrat, & cum omnibus maledictis maledictionis ſententiam percipiat, & predictam penam perſolvat; quod ut verius credatur, & firmius habeatur, noſtra manu ſubter firmavimus, & noſtro Clero obtulimus roborandum.*

Actum eſt Anno Dominice Incarnacionis M-LXIII. Pontificatus verò Domni Wolmari *Pre-*
C *ſulis Anno Primo, VIII. Kalendas Julii, Indictione Prima.*

Ego Wolmarus *Epiſcopus ſubſcripſi.*
Bernardus Archidiaconus ſubſcripſi.
Argicardus Archipresbiter ſubſcripſi.
Albertus Prepoſitus, & Cuſtos ſubſcripſi.
Joannes Scolarum Magiſter ſubſcripſi.
.... nericus Clericus ſubſcripſi.
Eurardus Subdiaconus ſubſcripſi.
Everardus Acolitus ....
Romanus ſubſcripſi.
Ubertus Comes ſubſcripſi.
Tetelmus interſui.

Celebris præterea, multoque in uſu fuit *Lucenſis* Pecunia. Ejus mentio eſt ſub Langobar-
E dis & Francis Regibus; eademque familiaris eſſe perrexit etiam ſubſequentibus Sæculis. *Argentum denarios bonos Lucenſium Libras centum* reperias in Charta Padolironenſi Anni MXCVI. Ejuſdem monetæ mentionem exhibet altera Charta, quam mihi ſuppeditavit Sereniſſimi Ducis Mutinæ Archivum, ubi occurrunt *Solidi octo Lucenſis denariorum bonorum, & denarii XXI. Lucenſis denariorum bonorum*. Digna autem mihi viſa eſt eadem Charta, quæ evulgetur, quòd memoriam nobis ſervarit illius *Alberti Marchionis* ex natione Salica, & *Garſendæ Nobilis Comitiſſæ*, de quibus mihi fuit ſermo Par. I. Cap. 30. pag. 263. Antiquitat. Eſtenſium. Hæc autem ibi leguntur.

Char-

Charta commutationis factæ ab Alberto Marchione & Garſenda ejus uxore cum Petro filio Baroni de Mundevilla, Anno 1129.

A*Nno ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti Milleſimo Centeſimo Vigeſimo Nono, XV. die exeunte Menſe Marcii, Indictione VIII. Breve commutationis, ſecuritatis, ac firmitatis, qualiter commutaverunt inter ſe* Albertus Marchio & Garxinda Nobilis Comitiſſa, *& Petrus filius quondam Baroni de Mundevilla, ſicut & a preſenti dederunt inter ſe proprietario nomine, inter ſe ad invicem commutaverunt. Videlicet in primis dedit ac tradidit Petrus Ode ad ..... predictis Marchioni & Comitiſſa, ſcilicet rebus territoriis juris Petri, que eſſe videntur in Villicha, que regere ..... per Gerardo & Alberto de ...... cum ſuis pertinentiis penſionem* Solidorum VIII. Lucenſis denariorum bonorum. *Quidem & ad invicem recepit ...... ab eidem Marchioni & Comitiſſa in cauſa commutationis nomine, ſcilicet terra, qui nominatur terra ...... quibus eſſe videntur in Billelio, que recta laborata fiunt per Dominicum & filium Lieulli de Bellillio penſio e* Denarii XXI. Lucenſis denariorum bonorum. *Et ad invicem inter ſe defendere omni tempore, & eorum heredibus ſibi uni* A *vel alteri in duplum in conſimilibus locis.*

Actum in Palatio Carpenete feliciter.

Hec eſt vel confirmatio teſtium Mel ......

Mazzolinus de Filina, Dominicus ..... ſcereto, Radaldus de Carpene ...... qui interfuerunt, & teſtes rogati.

Ego Ingo Notarius ſacri Palatii hunc Brevem ..... ſcripſi & dedi.

In antecedente etiam Diſſertatione oſtendi, antiquum fuiſſe jus cudendæ Monetæ Ducibus Venetis. Proinde in Charta Ferrarienſi, quam his adjunctam volo, expreſſos videas *denarios Venetos Libras mille*. Eam ego deſcripſi ex Collectaneis MStis Peregrini Priſciani, qui circiter Annum MCCCCXC. inter Ferrarienſes B rarâ eruditione claruit, uti alibi non ſemel animi grati cauſsâ ſum teſtatus. Heic autem Otto Archiepiſcopus Ravennas ſe tantummodo *Electum* vocat, quòd ab Henrico inter Auguſtos Tertio intruſus in Sedem Ravennatem, nondum ab Eccleſia Romana fuerat confirmatus atque conſecratus: quod & Hieronymus Rubeus in Hiſtor. Ravennat. adnotavit.

Otto Archiepiſcopus Ravennas vendit Landulpho Epiſcopo Ferrariæ, ejuſque Eccleſiæ, Maſſam Firminianam cum Plebe Sancti Stephani, Anno 1104.

I*N nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Anno Dominicæ Nativitatis Milleſimo Centeſimo Quarto, Imperante Enrico Henrici Imperatoris Filio, Anno Nono-decimo, die Secundo exeunte ..... Indicione XII. in Caſtro Argentee. Quamquam omnis promiſſio ſolis verbis firma & immobilis teneri debeat, tamen ne ea, que promittuntur, oblivioni tradantur, dignum fore duximus, quatenus ſecundùm oris dicta Carta monſtretur inſcripta. Quapropter ego* Otto *Dei gratiâ* Electus Archiepiſcopus Ravennatis Eccleſie beati Apollinaris, *per hanc refutacionis & tradicionis, atque perpetualis finis & tranſactionis paginam refuto & reddo atque perpetualem finem & tranſactionem facio & ab omni jure & dominio & poteſtate atque virtute noſtra & predicte ſancte noſtre Eccleſie beati Apollinaris alieno tibi preſenti Joanni, qui vocaris de Fir ....* Landulfi *Dei gratia* Electi Epiſcopi de Epiſcopio & Eccleſia Ferrarie Sancti Georgii, *& per vos in prefata Eccleſia Sancti Georgii in perpetuum ad habendum, tenendum, & poſſidendum rem inferius legendam, ſecundum quod per precepti paginam a Papa Adriano in tempore Caroli Imperatoris in prefacta Eccleſia noſtra Sancti Georgii conceſſam & largitam & emancipatam & traditam eſſe dicitur. Totam & integram ſcilicet Maſſam & fondum Firminianæ cum omnibus fundoris & ...... poſitam infra ...... Comitatum veſtrum Ferrarie infra hec latera. A primo latere alius fundus, qui vocatur Sabloncellus, & flumine Padi percurrente. A ſecundo latere Ocuparius. A tertio latere Finale Rerre, &* C *Cornacervina. A quarto latere ...... Et ſimiliter refuto & finem atque perpetualem facio tranſactionem vobis & per vos in prefata Eccleſia Sancti Georgii, totam & integram Plebem & Eccleſiam Sancti Stephani, que ſita & edificata eſt in prefato fundo & Maſſa Firminiane, cum omnibus ſimiliter pertinentiis ſuis, ſicut ſupra legitur. De quibus omnibus, ſicut ſupra dictum eſt, facio finem, & imperpetualem tranſactionem, de omni ſcilicet jure, & impertinencia, & in uſu, ſeu dominio vel ſubjectione & poteſtate atque virtute, quod Eccleſia noſtra Sancti Apollinaris, & noſtri Anteceſſores Archiepiſcopi, & nos quondam uſque ad hanc noſtram habuimus & tenuimus, de tota & integra ſcilicet prefata Maſſa & fundo & Plebe Firminiane, & in Eccleſia Sancti Stephani cum omni jure & pertinentia & uſu & poteſtate & ſubjectione, oſpitatione, dacione & diſtrictu, cum collecta & fodro, & cum omni reſponſione, cum Eccleſiis ſimiliter & Villis, que in prefato fundo Firminiane & Maſſa ſunt edificate & ordinate, cum terris &c. ſimiliter & cum inveſticione, conſecratione, ordinatione & Sinodo & diſtrictu, & cum omnibus Eccleſiaſticis & Secularibus nobis, noſtreque Eccleſie de prefata tota Maſſa & fundo & .... atque Eccleſia Sancti Stephani de Firminiana pertinentibus tam ab una ripa Padi, quàm ab alia. Nulla ſcilicet aput nos, & aput noſtram Eccleſiam Sancti Apollinaris permanente &c. Pro quibus omnibus ſcilicet quia de bonis veſtre prefate Eccleſie Sancti Georgii dediſtis mihi* denarios Venecie Libras mille, *hanc prefatam finem & perpetualem tranſla-*

recordationem fieri volui. Inſuper autem Nummum unum aureum, qui vos in nomine præfatæ veſtræ Eccleſiæ Sancti Georgii in omnibus ſuprascriptis rebus corporaliter inveſtiat, ad habendum &c. Hæc quidem omnia promittimus nos præfatus Otto Dei gratiâ Electus Archiepiſcopus cum meis ſucceſſoribus Archiepiſcopis prefato Lambertino Epiſcopo Ferrarienſi, ſuiſque ſucceſſoribus prefate Eccleſie Sancti Georgii in perpetuum confirmare. Quod ſi non fecerimus &c. hoc refutationis & traditionis ſeu transſactionis paginam, quam ſcribere rogavi Bonumvicinum Notarium & manu mea coram teſtibus ſuperius legendis firmavi, in die & Indictione præfata .... Henricus, Rodigerius, Henricus, Bernardus Presbiter, Legelardus ....

Sed quoniam in antiquis Chartis, contractibuſque præcipue initis poſt Annum Chriſti Milleſimum, complura Nummorum genera ac nomina occurrunt, quorum æſtimatio incomperta eſt, quid mihi in hanc rem animadvertere contigerit, nunc in gratiam minus peritorum prodendum eſt. Jacobus Grimaldus mihi ſupra memoratus, Baſilicæ Vaticanæ Clericus Beneficiarius fuit, ac circiter Annum MDCXXI. Librum conſcripſit adhuc luce carentem *de Sudario Veronicæ*, in Bibliotheca Vaticana, ſimulque & in Ambroſiana adſervatum. Ego inde nonnulla, quæ ad præſens argumentum pertinent, excerpſi, futura, ut ſpero, & ipſa quidem non ingrata amatoribus Italicæ, immo & univerſalis Eruditionis. Si quis prætereà complures, variaſque veteris Pecuniæ ſpecies colligere velit, Libellum adeat Cencii ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis & Camerarii, qui Anno MCXCI. Cenſus Apoſtolicæ Sedi debitos litteris conſignabat. Hunc a me evulgatum Lector infra accipiet in calce Diſſertationis LXIX. *de Cenſibus*. Nimirum illic diverſarum gentium Nummi commemorantur, quorum pretium notiſſimum tunc (non ſecus ac noſtris temporibus ſit pretium vulgarium Nummorum) quum nunc in multa nocte ſedeat, a me lucem, quam poſſum, petit. En Grimaldi verba: *Johannes de Cabroſpino Decretorum Doctor, & Apoſtolicæ Sedis Nuntius ad partes Poloniæ & Hungariæ, ſedente Innocentio VI. Papa, hoc eſt circiter Annum MCCCLVI. Pontificiæ Cameræ ſchedam exhibuit, indicantem, quænam tunc foret variorum Nummorum æſtimatio.*

Florenus cenſualis debiti valet X. Solidos, Denarium I. Denariorum Turpitiorum antiquorum.

Groſſus unus XII. Denarios Turpitios.

Libra auri XCVI. Florenis.

Marcha auri LIX. Florenis.

Uncia auri in auro VIII. Florenis.

Uncia auri in argento V. Florenis.

Marcha auri valet duas partes Libræ auri.

Marcha argenti valet duas partes Libræ argenti.

Libra argenti valet LXXV. Groſſos.

Marcha argenti ex conventione antiqua in Anglia IV. Florenis.

Marcha argenti in aliis partibus quantum valet communiter tempore ſolutionis.

Libra argenti puri, vel *duæ Marchæ argenti* VIII. Florenos.

Libra argenti de Anglia ...... IV. Groſſos; & Romanæ Curiæ VII Florenos, X. Groſſos, & medium Groſſum.

Libra argenti de Aragonia, *Tuſcia*, *Sardinia*, & hujuſmodi, VII. Florenos, & medium Florenum.

Uncia argenti VII Groſſos, & medium Groſſum.

Marabotinus argenti unum Florenum minus XII Denarios Turonenſibus.

Duodenum Malgorienſium unum Groſſum.

Obolus aureus unum Florenum.

Maſſamutinus auri duas partes unius Floreni.

Duodenum Denarii Sipontinum I. Malachinum.

Malachinus VIII. Groſſos.

Biſantinus XV. Groſſos, & medium Groſſum.

Tellenus VIII Solidi, & IV. Denarii valent I. Florenum.

Manteſinus & X. Solidi valent I. Florenum.

Manteſinus IX. Solidi, & V. Denarii valent I. Florenum.

Friguntum & XII. Denarii valent I. Groſſum antiquum & medium.

Tarenus valet, ut infra ſequitur.

Carlenus XVI.

Libra X.

Marabitius auri valet XXIV. Marabitios argenti, ſive unum Florenum, minus XII. Denarios.

In Regno Siciliæ citra Pharum maxime, *Uncia* eſt LX. Carlenorum Liliatorum.

Tarenus eſt duorum Carlenorum.

Carlenus valet X. grana.

Granum valet VI. Denarios.

Aliæ verò pecuniæ, ut Floreni, ſunt ad hujus pecuniæ pretium æſtimatæ.

Coſina ſeu *Salma grani* eſt IV. Tumulorum.

Item in Regno Caſtellæ & Legionis ſunt uſuales Monetæ, videlicet *Coronati* valoris V. Obolorum.

Marabitius X. Denariorum; & Sex Coronati valent unum Marabitium; & XXV. Marabitii valent *duplam Maroquitanam*. Et XXII. Marabitii valent *Sciliatum* veterem *Pan ilhon* ...... *Mutonem*, vel *Cabalram*. Atque XXV. Marabitii valent *Agnum*. Atque XXVIII Marabitii valent *Regalem*. Et XXIV. Marabitii valent *duplam Caſtellanam*. Necnon & XXX. duplæ valent *duplam* magnam & latam Saracenorum.

Et ſciendum, quod *Marcha Groſſorum argenti Bohemiæ* valet communiter XLVIII. Groſſos Pragenſes, vel XXIV. *Scotos*.

Item in qualibet Marcha ſunt IV. Fertones.

Item *ſex Scoti* valent unum Fertonem.

Item *unus Scotus* valet duos Groſſos Pragenſes.

Item *unus Groſſus Pragenſis* valet XVI. Denarios.

Item ſciendum, quod in Marcha prædicta ſunt XVI. *Lothones*.

Item *Lotho* valet unum Scutum & medium, vel tres Groſſos, quod idem eſt.

Item quilibet *Ferto* habet IV. Lothones.

Pro *Biſantio* ſolvuntur duæ partes unius Floreni.

Pro *Maſſamutino* ſolvuntur duæ partes unius Floreni.

Pro *Marabottino* ſolvitur unus Florenus, minus X. Denarios.

Pro *Malachino* VIII. Groſſi argentei.

Iſta Cabroſpinus in ſchedâ illâ MStâ. Ex hiſce Nummis quidam Aurei, quidam Argentei fuere. Quidam etiam, quamquam idem gererent nomen, non tamen ex eodem metallo fabricati erant, ſcilicet aliqui ex auro, alii ex argento conflati. Et primo de *Marabotinis* dicendum, Nummis videlicet in Hiſpania cuſis, & olim celebratiſſimis. Erant enim procul dubio Aurei. Eorum pretium indicatur a Hieronymo Rubeo Lib. V. Hiſtor. Ravenn. ad Annum

num MLXXVI. cujus ſunt verba : *Gerardus quotannis penſionem ſolveret duodecim Marabo-ſinorum* (ſcribendum *Marabotinorum*): *ita in vetuſtiſſimis tabulis hujus locationis , quas nos legimus in Bibliotheca Urſiana , ſcribitur*; *qui ejus eſſent ponderis , ut ſepteni unciam conflarent*, ideſt auri . Sunt & alia veterum monumenta , e quibus evincitur, aureos fuiſſe Marabotinos . Verum quidem eſt, ſi Grimaldus ſupra laudatus recte ſcripſit , alteram quoque A pecuniæ Marabotinæ ſpeciem , hoc eſt, argenteam in uſu fuiſſe. Ut enim ille tradit, *in Libro Magiſtri Marini de Ebolo , centum quadraginta Marabotini ſunt decem Marchæ argenti* . Sed minime hæc ſufficiunt ad hujuſmodi opinionem ſtatuendam . Tu interea commemoratos animadverte *Marabutinos aureos Anfuſinos*, hoc eſt a Rege *Anfus* (qui nunc *Alphonſus* dicitur) percuſſos, in Charta mihi ſuppeditata a Codice MSto Cencii Camerarii .

Cenſus *trium Marabutinorum auri Anfuſinorum* pro Caſtro de Agantico Magalonenſis Diœceſis, Anno 1247.

IN Dei nomine. Amen. Anno Domini Milleſimo Ducenteſimo Quadrageſimo Septimo , die XI. exeunte Majo , Indictione V. Pontificatus Domini Papæ Innocentii Anno IV. In præſentia Magiſtri Boëtii Cameræ Domini Papæ Clerici, & mei Baſſi Notarii, ac teſtium ſubſcriptorum , Nobilis vir Raymundus Petri , Dominus Caſtri de Agantico Magalonenſis Diœceſis , aſſeruit, quod annuum Cenſum trium Marabutinorum Anfuſinorum , *quem poſtulavit ab ipſo ex parte Domini Papæ Frater Blancus de Ordine Fratrum Minorum, Nuntius Domini Papæ pro Eccleſia Romana , pro Caſtro prædicto numquam perſolvit, nec umquam ſcit hujuſmodi cenſum Eccleſiæ Romanæ deberi . Sed pro devotione , quam idem Nobilis habet ad Romanam Eccleſiam , promiſit pro ſe, heredibus & ſucceſſoribus ſuis dicto Magiſtro Boëtio , recipienti nomine Eccleſiæ Romanæ , ſolvere de cetero Eccleſiæ Romanæ , & Cameræ Domini Papæ pro ipſa Eccleſia Romana quolibet anno pro dicto Caſtro, nomine Cenſus, dictos* tres Marabutinos aureos Anfuſinos, *quando dictus Nobilis a Nuntio Romanæ Eccleſiæ fuerit requiſitus . Et ſuper his omnibus præfatus Nobilis præſtitit corporaliter juramentum . Quo facto idem Nobilis dicto Magiſtro Boëtio nomine Romanæ Eccleſiæ pro iſto præſenti quarto Anno Domini Innocentii Papæ, tres Marabutinos Anfuſinos perſolvit. Inſuper prædictus Nobilis pro dicto Cenſu integre perſolvendo , ſe heredes & ſucceſſores ac bona ſua omnia perpetuò obligavit.*

Actum Lugduni , præſentibus Donno Paulo Canonico Lucano Cameræ Domini Papæ Clerico , B *Magiſtro Johanne de Manſo Canonico Biterrenſe , Guillielmo de Agantico Burgenſe , Stephano de Sancta Maria Clerico Biterrenſe , Bertrando de Urganicis , & aliis.*

Ego Baſſus , filius quondam Domini Roberti , Apoſtolica auctoritate , & nunc Cameræ ejuſdem Notarius , quia iis omnibus prædictis interfui , rogatu utriuſque partis ſcripſi & publicavi.

Redeo nunc ad ſupra memoratam Cabroſpini ſchedam , in qua *XXII. Marabitii* , ideſt *Marabotini* , ſeu *Marabutini valent Sciliatum veterem* . Num ibi ſcribendum *Liliatum* , an *Scyphatum*, ſive *Schifatum* ? Horum Nummorum C ſpecies ſæpe occurrit in Chronico Caſinenſi Leonis Oſtienſis , ac in aliis veterum Chartis . *Scyphatorum* quidem curſus præſertim fuit in Apulia & Calabria . Mentio quoque pecuniæ hujus occurrit in Charta , quam ex Archivo Monaſterii *de Patiro* , in Calabria ſiti , deſcripſit Sebaſtianus Paulius e Congregatione Clericorum Matris Dei , Theologus Auguſti noſtri CAROLI VI. vir ex Eruditione non minus , quàm Eloquentiâ ſacrâ in Italia Clariſſimus : Ibi Caſalis venumdati pretium ſunt *quingenti Schifati* , *& tres Deſtrerii*, ideſt equi . Ibi memorantur W. ideſt *Willelmus Dux Apuliæ* , celeberrimi Ducis Roberti Gui- D ſcardi nepos , & ejus mater , ſcilicet *Adela* Comitiſſa, & ejus filius *Rogerius Comes*, quem Camillus Peregrinius,& Rocchus Pirrus ignoraſſe videntur , quòd patri præmortuus fuerit, & *Riccardus Seneſcalcus Ducis* , & *Valivus* illius, ideſt *Balivus*, ſeu *Bajulus* Willelmi Ducis.

Caſalis Sancti Apollinaris venditio facta Chriſtadoro Admirato Willelmi Ducis Apuliæ a Fulcone de Balungerio, ut in jus Monaſterii Sanctæ Mariæ de Patiro transferatur, Anno 1112.

IN Nomine Domini eterni Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti , atque Spiritus Sancti . Ego Fulco de Balungerio notum facio , quoniam Domnum Chriſtadorum Ammiratum & preco nobiliſſimum me requiſiſſe de Caſale , quod alias fuit Kiccini Porcelli , quod dicitur Sancti Apollinaris , & eſt ſecus fluvium Conchilis in iis manſis , quos habeo cum Feudo meo de Braala , ut eum ſibi darem ac concederem pro de ſuis rebus , quum ipſe mihi dare volebat , quum ipſe offerre & tradere illum volebat Monaſterio Sancte Marie de Patiro . Quapropter ego requirens voluntatem Domini Ducis W. & Comitiſſe ejuſque filii Roggerii Comitis , atque Riccardi Seneſcalchi Ducis ipſi Valivi , *quorum quippe* E *conſenſu do & concedo ſupradicto Ammirato ipſum jam dictum Caſalem cum villanis , ac ſilvis , terris , aquis ac paſcuis , cunctiſque Caſalis ipſius pertinentiis , ſicut ego illum melius tenui per unam diem & unam noctem . Ita ut ipſe jam dictus Ammiratus jure habeat prefatum Caſalem , ac poſſideat, ac poteſtatem habeat eundem ipſum offerre , dare & tradere ſupernominato Monaſterio , ac ipſum Monaſterium , ac pars ipſius Monaſterii habeat atque poſſideat ipſum Caſalem , ut ſupra dictum eſt , cum villanis ac ſylvis , terris & aquis & paſcuis , ſuiſque pertinentiis , neque a me , meiſque heredibus vel ſucceſſoribus , neque a qualibet magna , privataque perſona quicumque tempore aliquam ex ejuſdem contrarietatem habeant conceſſionis . Qui-*

Quocumque tempore vel [illegible] extiterit, ſitis ſi compoſitionem iſtis perſolvimus Libras decem; & hæc tota conceſſio ſemper firma & inviolabilis permaneat. Quod ut verius credatur, & firmius omni tempore obſervetur, Joannem Ducis Notarium ſcribere rogavi Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo Centeſimo Duodecimo, Ducatus autem ſupradicti Ducis Anno Primo, Menſe Novembris, V. Indictione. Præterea manifeſtum facio, quia propter hanc conceſſionem recepi a ſupradicto Ammirato quingentos Schifatos, & tres Deſtrerios, *& inſuper me, meiſque per ſupradictam compoſitionem obligo heredes, ſi hanc conceſſionem quocumque tempore contraire tentaverimus.*

✠ *Signum Crucis proprie manus Fulconis de Bolungerio.*

✠ *Signum Crucis proprie manus de Riccardo Seneſcalco.*

✠ *Signum Crucis de propria manu* W. *Piſani.*

✠ *Signum Crucis proprie manus Petri de F[illegible].*

Ideo verò *Scyphati* appellati videntur ejuſmodi Nummi, quòd ad formam Scyphi cuſi fuerint, uti Du-Cangius eſt opinatus, qui propterea *Cavos* Nummos pari de cauſâ ejuſdem ſpeciei fuiſſe cenſet cum *Scyphatis*, quum *Cava* Græce ſignificet *Scyphum*, ſeu vas potorium. An ita ſe res habuerit, decernere ego non auſim. Illud quidem fidenter ajo, ejuſmodi Græcos Nummos, ſi quidem figuram *Cavæ* ſeu *Scyphi* prætulere, Scutellam potius ac

A patinam fuiſſe imitatos, ſimileſque fuiſſe Mediolanenſium Nummorum argenteorum, Othonis Magni ævo percuſſorum, qui paululum concavi in medio, aliquantulum in circuitu prominent. De hiſce mihi ſermo fuit in præcedenti Diſſertatione XXVII. *Scyphatæ* autem Aureæ monetæ genus fuiſſe oſtendit idem Du-Cangius, ac poſt eum prælaudatus Pater Paulius in Additamentis ad Beverini Syntagma de Ponderibus. Doerdelinus quoque in Comment. Hiſtoric. de Nummis Germaniæ mediæ, multa habet de *Cavis* in ea regione percuſſis. Rurſus Nummi Aurei, appellati

B *Auguſtales*, cuſi fuere juſſu Friderici II. Auguſti, atque in Apulia & Sicilia diſſeminati. In Chronico Richardi de Sancto Germano dicuntur hi Nummi expenſi pro quarta *unciæ*. Vulgo autem reputantur ita appellati ab ipſo Friderico II. *Auguſto*. Verùm uti me monuit Cl. V. Apoſtolus Zenus, cui veterum Nummorum eſt inſignis peritia atque ſupellex, ab *Auguſto Cæſare*, cujus vultum in numiſmate Fridericus expreſſit, nummi illi *Auguſtarii*, ſive *Auguſtales*, immo *Auguſtali* ſunt nuncupati. Audi Johannem Villanium Lib. 6. Cap. 21. Hiſtoriar. *L'Aguſtaro d'oro* (inquit ille) *valea l'uno la*

C *valuta d'uno Fiorino e quarto d'oro; e dall' uno lato dello Aguſtaro era improntato el viſo dello Imperadore, e dall' altro un' Aquila, al modo de' Ceſari antichi, e era groſſo di carati venti di fine oro a paragone.* Illius pecuniæ mentio eſt in Charta Romana, quam ex Regeſto Cencii Camerarii excerpſi.

De conceſſione Caſtri de Arſa in feudum ſub annuo cenſu, facta ab Innocentio IV. Papa, Anno 1253.

INnocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri . . . . . . Epiſcopo Caſtrenſi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. In negotio Fidei, quod tibi contra Hæreticorum perfidiam in Patrimonio beati Petri in Tuſcia duximus committendum, fidei tuæ zelum, & devotionis fervorem experti, perſonam tuam congruo libenter honore proſequimur, & in iis, quæ a nobis pro tuis, & Eccleſiæ tibi commiſſæ poſtulas incrementis, favorabiliter annuere volumus votis tuis. Hinc eſt, quod fraternitatis tuæ precibus inclinati, Caſtrum de Arſa cum Rocca, & aliis pertinentiis ſuis, in tua ſitum Diœceſi, ad Romanam ſpectans Eccleſiam, ſub annuo Cenſu Duorum Auguſtariorum auri, *vel viginti Solidorum denariorum Senatus, noſtræ Cameræ perſolvendo, tibi, tuiſque ſucceſſoribus, de conſilio Fratrum noſtrorum, præſentium auctoritate concedimus Feudi nomine perpetuò poſſidendum: ita tamen quod guerram, pacemque exinde facietis ad noſtrum, ac ſucceſſorum noſtrorum beneplacitum & mandatum. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.*

Datum Laterani, Kalendis Februarii, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

Richardus de Sancto Germano in Chronico, Tomo VII Rer. Italicar. tempus adnotat, quo cudi cœpti ſunt *Auguſtales*: ſcribit enim ad Annum MCCXXXI. *Nummi aurei, qui Auguſtales vocantur, de mandato Imperatoris in utra-*

D *que Sicilia Brundiſii & Meſſanæ cuduntur.* Eorum autem pondus ac pretium, immo & fabricam longe antea adinventam, diſcimus ex additamento ad Chronicon ejuſdem Richardi, primùm edito a Cæſare Vergara in Lib. de Numm. Regni Neapolit. Hæc ibi verba: *MCCXXII. Menſe Junii, quidam Thomas de Bando civis Scalenſis, novam Monetam auri, quæ Auguſtalis dicitur, ad Sanctum Germanum detulit, diſtribuendam per totam Abbatiam, & per Sanctum Germanum, ut ipsâ Monetâ utantur homines in emtionibus & venditionibus ſuis juxta valorem ei ab Imperatore conſtitutum, ut quilibet Nummus aureus recipiatur & expendatur pro quartâ unciæ, ſub pœnâ perſonarum & rerum in Imperialibus Literis, quas idem Thomas detulit, annotatâ. Figura Auguſtalis erat*

E *ab uno latere caput hominis cum media facie, & ab alio Aquila.* Sed alios Nummos deterioris materiæ, immo falſos, Fridericus II. procudiſſe dicitur in Vita Gregorii IX. Papæ, Tomo III. Rer. Italicar. pag. 584. En verba *Novus Monetæ falſarius, dum æra cudit diverſo charactere, argenti tenui ſuperinductâ cuticula.* Præterea *Byzantii*, ſive *Byſantii* olim fuere Aurei Nummi a Græcis Imperatoribus Conſtantinopoli percuſſi, quorum pretium parùm abludebat a Ducatis aureis Venetis, ſive ab Hungaris, ceteriſque Aureis Germanicæ nationi familiaribus, & a Florenis aureis Florentinis. *Solidos Byzantios* ſimpliciter, atque interdum *auri Solidos Biſanteos* reperimus in antiquis Chartis, præſertim Regni Neapolitani & finitimarum regionum, eorumque frequens mentio eſt in Chron. Vulturnenſi, Part. II. To. I. Rer.

Itali-

Italicar. Ibi etiam vide commemoratos in Charta Anni DCCCLXXXII. *centum auri Solidos Conſtantinianos*, quos non alios a Byzantiis fuiſſe puto. *Solidi Conſtantini* non ſemel occurrunt in Epiſcop. Salernitan. apud Ughellium. Sed fortaſſe ſcribendum *Conſtantiniani*, A aut *Conſtantinopolitani*. Iidem *Conſtantinati*, neſcio an Librarii errore, appellantur in Charta, cujus archetypum adſervatur in Cavenſi Monaſterio. Hanc exerere juvat in omnium Eruditorum commodum.

Donatio facta Eccleſiæ Sancti Felicis in Lucania a Guaimario IV. Principe Salernitano, Anno 1051.

IN nomine Domini. Trigeſimo Tertio Anno Principatus Domni noſtri Guaimarii glorioſi Principis, & Duodecimo Anno Ducatus ejus Amalfie & Surrenti, & Decimo Anno Principatus & ipſorum Ducatuum Domni Giſulfi eximii Principis & Ducis fili ejus, Menſe Martio, Quarta Indictione. Dum coram preſentia ſupraſcripti Domni noſtri Guaimarii ſereniſſimi, & a Deo conſervati Principis & Ducis, eſſemus nos Amatus & Johannes Judices, & plurima ſuorum more ſolito circum adeſſet turba fidelium, ipſe Domnus Princeps & Dux ſemper ſolitus placidum Deo exhibere famulatum, & cupidus in ſanctis Locis de ſuis rebus dare, per hanc cartulam dedit in Eccleſia beati Confeſſoris Felicis, que intra res ſuas, que ſunt in finibus Lucanie, conſtructa eſt, de terris ſuis campeſtribus, & cum vineis, que ſunt propinque ipſi Eccleſie, & ex omnibus partibus terris ipſius conjuncte, per menſuras juſto paſſu hominis menſuratas. A parte Occidentis finis Via, & paſſus centum octoginta. A parte Meridiei eſt finis, ſicut aliquantulum Valitellum diſcernit, & paſſus centum. A parte Orientis ſunt paſſus centum octoginta, & revolvit in ipſam partem Orientis per Vallonem paſſus octo ginta ſex. Ab ipſa parte Septentrionis finis ſicut aliquantum Vallone diſcernit, & paſſus duceenti triginta. Cum omnibus que intra ipſas terras ſunt, cunctiſque earum pertinentiis, & cum vice de ipſa Via. Ea ratione, ut ſemper ſint in poteſtate cuſtodum ipſius Eccleſie, & ipſis terris utantur, fruantur, & de uſufructu earum faciant quod voluerint. Et ipſe Domnus Princeps, & Dux obligavit ſe & ſuos heredes ſemper defendere cuſtodibus ipſius Eccleſie ſupraſcriptam dationem ab omnibus hominibus, quibus per ipſos Domnum Principem & Ducem, & illius heredes illud vel ex ipſo quodcumque datum aut obligatum aut alienatum paruerit, & qui pro illorum parte & dato quaſcumque cauſationes de eo ipſis cuſtodibus jam dicte Eccleſie prepoſuerint, & ſicut ſuperius ſcriptum eſt, ipſe Domnus Princeps, & Dux & ejus heredes ipſis cuſtodibus jam dicte Eccleſie non adimpleverint, & ſupraſcripta vel ex eis quidquam removere aut contradicere preſumſerint, obligavit ſe & ſuos heredes componere cuſtodibus ipſius Eccleſie ducentos auri Solidos Conſtantinatos. *Et duas cartulas unius tenoris, hanc, quam ipſi Eccleſie emiſit, & alteram, quam ipſe Domnus Princeps retinet, te Romoaldum Notarium ſcribere precepimus, qui interfuiſti.*

✠ *Ego qui ſupra Amatus Judex.*

✠ *Ego qui ſupra Johannes Judex.*

Adeo autem uſus *Byſantiorum* invaluit, a tamdiu perduravit, ut Sæculo etiam XIV. in Italica Lingua familiaris ejus pecuniæ appellatio foret; & quum quis dicebat, ſibi in votis eſſe *l'aver de' buoni Biſanti*, quid ejus verba ſignificarent, nemo ſaltem in Tuſcia ignorabat. Eadem ratione in ore Italicæ gentis fuit olim familiaris vox *Torneſe*, quo nomine *Turonenſes* Nummi deſignabantur. Nulla autem dubitatio eſt, ut dixi, quin Byzantii ex auro fuerint: quod etiam ediſcere poteris ex Judicato autographo, mihi viſo apud Monachos Benedictinos Arretii in Cœnobio Sanctarum Floræ & Lucillæ. Ibi Conſtantinus Epiſcopus, & Hugo Comes pœnæ nomine indicunt *duo millia Biſancios* auri. Accipe nunc ipſam Chartam.

Placi-

Placitum Aretii habitum coram Conſtantino Epiſcopo illius Civitatis & Hugone Comite, in quo Guido Abbas Monaſterii Sanctarum Floræ & Lucillæ evincit Curtem de Sello, Anno 1079.

D*Um in Dei nomine, in Palatio Epiſcopatus Aretini in judicio reſideret Conſtantinus Aretinus Epiſcopus, & Ugo Comes ad juſtitias faciendas ac deliberandas, reſidentibus cum eis Ardirico, Gerardo, Johanne Judicibus, Nordilo, Rodulfus, Sigiſmundo ..... Ildevrando Cauſidicis*, Walfredum Comitis, *Pagano de Corſina*, Ugone Vicecomite, *Uberto filio Rucci, Ildebrando Ugonis filio, Rodulfo filio Maſcari Saracino .... Urſone, Grifone*, Wilelmo, *Rainerio filio Grifi, & reliquis pluribus ibidem adſtantibus. Ibique in eorum preſentia proclamaverunt Rainerius de Porcone, & Teudicius de Hereditate Rainerii filio quondam Fuſcerii, quam dicebant ſuis uxoribus pertinere ex ſucceſſione predicti Rainerii fratris eorum ab ..... defuncti, quod adverſus Monaſterium Sancte Flore, quod de hereditate illius partem poſſidebat, cujus Monaſterii* Wido Abbas *cum Pagano ſuo Avogatore ..... hujuſmodi fecerunt reſponſionem, quod prefatus Rainerius in qualem ſua infirmitate teſtamentum fecerat, in quo cuncta ſua bona diſtributa ..... partem hereditatis, de qua controverſia erat, predicto Monaſterio Sancte Flore judicavit, ſcilicet terciam portionem de Curte, quod nominatur Seſſo. Et teſtibus productis, in eorum preſentia jam dictus Rainerius ſuam voluntatem oſtenderat. De teſtamento legitime reddiderunt teſtimonium, & ita vero eſſe, ut Abas Ecleſie Sancte Flore cum Pagano Avogato ſuo affirmaverat. His peractis & juſſione Conſtantini Aretini Epiſcopi, & Ugonis Comitis, & predictorum Judicum, predictus Rainerius & Teudicius pro ſe ſuiſque heredibus, & pro eorum uxoribus refutaverunt ſupraſcriptas res predicto Monaſterio, & obligaverunt ſe, quod nec ipſi, nec eorum uxores, vel eorum ac earumve heredes predicto Abati, ejuſque ſucceſſoribus de prefatis Curte nullam controverſiam in poſterum moturos ſub pena* centum Librarum Denariorum Lucenſium. *Inſuper predictus Epiſcopus & Ugo Comes miſerunt in bannum ſupradictum Abatum & ſuum Avogatum, & ſupra prefatas res, ut nulla magna parvaque perſona, &c. eorumque ſucceſſores de predictis rebus diſveſtire aut moleſtare preſumat ſine legali judicio. Qui vero ita facere preſumpſerit, ſiat* A *ſic compoſiturum* duo millia Byſancios auri, *medietatem Parti Publice, & medietatem eidem Abati ſuiſque ſucceſſoribus.*

Unde quidem & ego Ardericus Notarius ex juſſione Domni Epiſcopi & Ugoni Comi & Judices & Cauſidicorum ammonicione ſcripſi Anno ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti Milleſimo Septuageſimo Nono, Pridie Nonas Decembris, Indictione Tertia.

☧ *Ego Conſtantius Epiſcopus ſubſcripſi.*

B ✠ *Ego Ardericus Judex interfui & ſubſcripſi.*

✠ *Rodulfus Cauſidicus interfui & ſubſcripſi.*

✠ *Gerardus Judex ſacri Palati ſubſcripſi.*

Fuere nihilominus procedente tempore *Byſantii* quoque *albi*, uti Du-Cangius animadvertit, atque ideo ex argento conflati. Atque hi Byzantii poſteriorum temporum, ejuſdem pretii fuere, atque Scuta Romana, quorum ſingula decem Julios conſtant; valebant nempe iidem argentei Byzantii duas partes e tribus Floreni aurei valentis olim Julios quindecim. C Præterea uſurpatos olim invenimus *Mancoſos*, ſive *Mancuſos auri*, uti & *Mancoſos argenti*. In Gloſſis Florentinis ab Eccardo editis reperio *Philippos* (*nummos*) *Mancuſa*. Lege *Mancuſa*. Quaſi a Philippo, aut Philippico Auguſto *Mancuſi* percuſſi fuerint. Apud Anglos olim *Mancuſa* idem fuit ac *Marcha*, ut pluribus oſtendit Du-Cangius: ac proinde quum in Chartis quoque noſtris *Mancuſos* offendimus, argenti, aut auri Marcham deſignatam illic exiſtimare licebit, ſi ejuſdem Du-Cangii ſententiam amplectimur, immo & Voſſii, & Hickeſii, qui idem ſenſere. Ego tamen, quod D eſt ad Italos, dubitare de ea cogor. Quippe in Italicis Chartis video ingentem copiam *Mancuſorum* pro pœna ſtatui. Quod fieri non facile ſolebat quum de Auro ſermo erat. Exempla nonnulla dabo. Scilicet in tabulis, quas authenticas legi in Chartophylacio Monaſterii Mediolanenſis Ambroſiani, *mille Mancoſi auri* memorantur.

Ludovicus II. Imperator Anſperto Diacono Mediolanenſi quaſdam res ab ipſo non ſemel in judicio evictas confirmat, Anno 857.

IN *nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Dei eterni. Hludovicus . . . . & noſtris, preſentibus ſcilicet & futuris notum ſit, quia vir venerabilis* Engilbertus *ſanctæ* Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus *ſuggeſſit celſitudini noſtræ pro quodam ſuo Diacono nomine Anſpertus, qui quaſdam res ſuper quemdam hominem nomine Anſprandum vicerat pro interfectionis ſcelere, quod in germanum ſuum exercuerat; ſuper quibus rebus etiam poſt adquiſitionem, noſtri Genitoris ſerenitate, preceptum adipiſci promeruit. Veruntamen adquiſitione adepta, & Imperiali precepto roborata, non valuit quorumdam hominum factioſa & ſubdola quieſcere conqueſtio, quin in noſtri preſentia prefatum Diaconem propter quandam cautionem, quaſi injuſte retineret, eorum exorta cepit compellare conclamatio: ſuper quibus & denuo compos & victor exiſtens legaliter in ſe jure perpetuo res predictas debere reſpicere etiam ſcriptionis robore per juditii certi definitionem pr . notavi. Petiit quoque idem venerabilis Archiepiſcopus, ut iterum nos noſtra corroboraremus quod eſſe eorum auctoritate. Idcirco hoc noſtrum preceptum fieri juſſimus, per quod confirmamus eidem Diacono illas res, unde ſuperius* A *mentionem habuimus, ſicuti in preceptis Domni & Genitoris noſtri illi confirmata & roborata eſſe dinoſcuntur. Precipientes quoque jubemus, ut nemo deinceps audeat ei de ipſis rebus aliquam injuſtam inferre calumpniam, ſed neque aliquam minorationem facere preſumat. Quod ſi quis hoc hagere temptaverit, & noſtrum Privilegium violare temptaverit, noverit ſe pœna damnandum* Mille Mancoſos auri, *medietatem Palatio noſtro, medietatem vero predicto Diacono, ſuiſque heredibus. Et ut hoc quod jubemus, quodque concedimus, ab omnibus verius credatur, & in Dei nomine diligentius obſervetur,* B *anulo noſtro ſubter juſſimus adnotari.*

(Non adeſt ſubſcriptio Imperialis.)

Werimboldus Notarius rogatus ad vicem Druclemiri.

Data XII. Kalendas Julii, Anno Imperii Domni Hludovvici piiſſimi Auguſti VIII. Indictione V.

Actum . . . . ariola, in Dei nomine feliciter. Amen.

Placitum ſubſequitur, luce plane dignum, quod hauſi e vetuſtiſſimo Regeſto Epiſcopii Cremonenſis, ubi pœna *duum millium Mancoſorum auri* indicitur.

Otto Dux & Miſſus Ottonis III. Imperatoris in Placito Cremonenſi coram ipſo Imperatore Privilegium Imperiale, ab Olderico Epiſcopo Cremonæ productum contra Cives Cremonenſes, germanum recognoſcit, & bannum pro ejus tutela emittit, Anno 998.

D*Um in Dei nomine Civitate Cremona, in Domo ipſius Civitatis, in Laubia majore ipſius Domus, ubi Domnus Otto glorioſiſſimus Imperator preeſſet, in judicio reſidebat, per ejuſdem Domni Olderici licentiam,* Otto Dux & Miſſus Domni ipſius Ottonis Imperatoris, *unicuique juſtitias faciendas ac deliberandas, reſidentibus cum eo* Henricus Dux, *ſeu* Nothecherius, Vivdraldus, & Petrus Epiſcopi, *Gribertus Muſicus, ſeu Leo qui Warinus Capellani ipſius Domni Imperatoris, Autecherius, Adelbertus, item Adelbertus, Marco, Radaldus, Johannes Judices ſacri Palatii, Rogerius de Bariano, Odelricus de Colonie, Albericus de Mauringo, Vaſſi ipſius Domni Odelrici Epiſcopi, & reliqui plures: ibique eorum veniens preſentia ipſe* Domnus Odelricus *ipſius ſancte* Cremonenſis Eccleſie, *& Lanfrancus ejus Advocatus, & oſtenſerunt Preceptum unum, continente in eo ab ordine, ſicut hic ſubter legitur.* In nomine ſancte & individue Trinitatis. Otto divina favente clementia Romanorum Imperator Auguſtus. Notum ſit omnibus noſtris fidelibus, preſentibus ſcilicet ac futuris, ſub noſtre dominationis culmine degentibus, Epiſcopis, Marchionibus, Comitibus, ceteriſque in inferiori ſtatu viventibus, Cremonenſes Cives nefanda deceptionis fraude nos circumveniendo decipientes intra dive memorie Avi, Patriſque mei veneranda, incunvulſe & inte- C merate permanſura Precepta de Cremone diſtrictione infra Civitatem & extra, per quinque miliariorum ſpatia, curatura videlicet, teloneo, ripaticoque, certis redibitionibus, ſive negotiis, que in eiſdem Preceptis leguntur & continentur, que univerſa nos remeante beati Petri Apoſtolorum Principis Corpus, per noſtri Precepti paginam manu propria in Sinodo jam antea roboravimus & conformavimus, ex noſtri parte nobis neſcientibus, apud nos amodo fallum, & ideo . . . . ac deſtruendum inlegitime ac ſubdole acquiſiviſſe Preceptum; quod cum noſtre certitudinis majeſtati per venerabilem Odelricum ejuſdem Civitatis Epiſcopum revelata fraude intimatum fuiſſe, D quia dignum nobis & rectum viſum eſt, ut per ea, que juſtificatione prefate Cremonenſis Eccleſie data & confirmata fuerat, hoc injuſte factum & rite abolendum Preceptum, depoſita fronte verecunde tacere ſilentio, ne forte, quod Deus avertat, juſtitia & rectitudo, obviante mandato Dei . . . . . pura mente, firmoque conſilio ſtatuentes decrevimus, quatenus ex noſtri Præcepti pagina quaſi grave jugum predicto callide acquiſito Precepto imponeretur; cujus juſto pondere ad nichilum omnimode redigatur & annuletur, vigore careat, virtutem non habeat, ſilens tacitumque permaneat, atque in nullo omnino valeat, ſed quod Avus, & Genitor noſter jam dicte Cur-

tis

A

ta Cremonenſis Eccleſie deberent & confirmaremus. Et nos, ut diximus, confirmando roboravimus, precepimus & corroboravimus omni tempore manere, hoc ſuperaddito Imperialis noſtre ſententie Precepto. Eo namque ordine, ut nullus Epiſcopus, Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, Sculdaſcius, Gaſtaldio, Decanus, ſive quilibet Regie aut Imperialis poteſtatis Procurator nobis, noſtrorumque ſucceſſorum ordine, five cujuſcumque ordinis &c. Signum Domni Ottonis Sereniſſimi & invictiſſimi Imperatoris Auguſti. Heribertus Cancellarius vice Petri Cumani Epiſcopi & Archicancellarii recognovi. Data III. Nonas Auguſti Anno Dominice Incarnationis DCCCCXCVI. Indictione IX. Anno vero Tertii Ottonis regnantis XIII. Imperii autem ejus . . . . . Actum Papie feliciter. Amen. *Preceptum ipſum_ oſtenſum et ordine lectum, interrogati ſunt ipſi Domnus Odelricus Epiſcopus & Lanfrancus ejus Advocatus, per quod Preceptum ipſum ibi oſtenderent; qui dixerunt*: Vere ideo Preceptum iſtum hic oſtendimus preſentia, ut ne ſuſtenere appareat, ſi ullus homo versùs nos &c. Et quod plus eſt, querimus, ut dicant iſte_ Domnus Otto glorioſiſſimus Imperator, & Liuzo Judex ejus Advocatus eſſe conſtitutus, ſi Preceptum ipſum, quem hic oſtenſimus, bonum & verum eſt, aut ipſe Domnus Otto glorioſiſſimus Imperator eum fieri rogavit, & ab ejus anulo in calce juſſit ſigillare. *At hec reſponderunt ipſe Domnus Otto glorioſiſſimus Imperator, & Liuzo ejus Advocatus & Judex dixerunt & profeſſi ſunt*. Verum Preceptum_ ipſum, quem vos oſtenſiſtis, bonum & verum eſt: & ego ipſe Domnus Otto glorioſiſſimus Imperator eum fieri rogavi, & meum anulum in calce juſſit ſigillare, & de hoc, quod per ipſum Preceptum parte ipſius Epiſcopii conceſſit habere, & in eo . . . . omni tempore_ firmum & ſtabilem ita jubeat permanere_.

Tunc ipſe Domnus Dux Otto per ejuſdem Domni Ottonis glorioſiſſimi Imperatoris licentia, per fuſte, quem in ſua tenebat manu, ſuper eundem Domnus Odelricus Epiſcopus & Lanfrancus ejus Advocatus, ſeu ſuper ipſum Preceptum, bannum ipſius Domni Ottonis glorioſiſſimi Imperatoris pro Dei amore, & anime ſue mercedis, miſit in Mancoſos auri duo millia, *ut nullum quibuslibet homo de eo, quod in ipſum_ legitur Preceptum, aliqua violencia aut minuationem ſeu contraditionem parte ipſius Epiſcopii facere audead ſine legali judicio. Qui vero fecerit, predicta* duo millia Mancoſos auri *ſe_ compoſiturus agnoſcat, medietatem parte Camare ipſius Domni Ottonis glorioſiſſimi Imperatoris, & altera medietate parte ipſius Domni Odelrici Epiſcopi, ſuiſque ſucceſſoribus, ſeu* B *pars ipſius Epiſcopii. Hanc notitiam pro ſecuritate ejuſdem Epiſcopii fieri ammonuerunt.*

Quidem & ego Dominicus Notarius ſacri Palatii ex juſſione prefati Miſſi & Judicum ammonitione ſcripſi in nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, Tertius Otto gratiâ Dei Imperator Auguſtus, Anno Imperio ejus Deo propitio II. quartodecimo Kalendas Februarii, Indictione XI.

☧ OTTO DVX ET MISSVS SVBSCRIPSI.

C

Autecherius Judex ſacri Palatii interfui.
Adelbertus Judex ſacri Palatii interfui.
Johannes Judex ſacri Palatii interfui.
Radaldus Judex ſacri Palatii interfui.
Martius Judex ſacri Palatii interfui.
Adelbertus Judex ſacri Palatii interfui.

Alterum Placitum exero, cujus antiquum_ apographum ſe mihi legendum obtulit in Archivo Capituli Canonicorum Patavii. Ibi *duo millia Mancuſorum* animadvertas.

Guntherus Cancellarius Henrici Imperatoris II. in Placito Mantuano bannum promulgat pro tutela Decimarum ſpectantium ad Canonicos Patavinos, Anno 1055.

D*Um in Dei nomine, in Civitate Mantua, in Lobia ſolariata, que fuit* Marchionis Bonifacii, *in judicio reſidebat* Domnus Guntherus Cancellarius & Miſſus Domni Secundi Henrici Imperatoris, *ad juſtitias faciendas ac deliberandas, reſidentibus cum eo Atto, Tebertus, Burgundius, Gravo, Wezelus Judices ſacri Palatii, Liutulfus, Papo, Ingo, Rozo, Gumpo, Joannes, Tiſo, Bonifacius, & reliqui plures: ibique in eorum veniens preſentia Milo Archidiaconus, & Milo Presbiter, ſeu Ademarius item Presbiter, & Johannes, & Adam Diaconus, Canonici Sancte Marie matris Eccleſie Patavine, una cum Johanne Advocato eorum, & ceperunt dicere*: Habemus & detinemus ad proprietatem Canonice Sanctæ Marie nominative totas Decimas de omnibus rebus de Villa, que dicitur Vico Altikerii, & Villa, que dicitur Vico de Arzere, & de Villa, que dicitur Roncone, & de Villa, que dicitur Roncaiia, & de omnia_, que ad Decimas de prædictis Villis pertinet. Et ſi quislibet homo adverſus nos aut adverſus pars predicte Canonice aliquid dicere vult, parati ſumus cum eo exinde ad racionem ſtandum & legitime finiendum. Et quod plus eſt,

D

querimus, ut vos propter Deum & anime Domni Imperatoris ac veſtri mercedem, mittatis bannum ſuper nos, & ſuper predicta_ Canonica, ut nullus quislibet homo de predictis Decimis deveſtire, moleſtare vel inquietare audeat, ſine legali judicio. *Et cum ipſe_ Milo Archidiaconus, & Milo, & Ademarius Presbiteri, & Johannes, & Adam Diaconus, una cum Johanne Advocato eorum taliter poſtulaſſent, tunc predictus Domnus Cancellarius & Miſſus per fuſtem, quem ſua tenebat manu, miſit bannum ſupra predictir Canonicis, ut nullus quislibet homo de predictis Decimis pars predicti Canonici deveſtire, moleſtare, vel in-* E *quietare audeat ſine legali judicio. Qui vero fecerit*, duo mille Mancoſos aureos *ſe compoſiturum agnoſcat, medietatem parte Kamere_ Domni Imperatoris, & medietatem parti predicti Cononici. Finita eſt cauſa, & hanc notitia pro ſecuritate parti predicte Canonice fieri ammonuerunt.*

Quidem & ego Petrus Notarius & Judex ſacri Palatii ex juſſione predicti Cancellarii, & Judicum admonitione ſcripſi; Regni vero Domni Secundi Henrici Imperatoris Deo propicio Nono, XV. Kalendas Novembris, Indictione IX. *Ego*

Ego Guntherius Cancellarius confirmavi.
Ego Atto Judex & Miſſus interfui.
Ego Burgundius Judex ſacri Palacii interfui.
Ego Gravo Judex interfui.
Ego Wezolus Judex interfui.

Ex eodem Archivo Capituli Patavini tertium Placitum depromſi, ubi itidem *duo mille Mancoſos aureos* commemorari videas.

Milo Epiſcopus Patavinus litem vincit in Placito coram Liutaldo Duce contra quoſdam uſurpatores bonorum Eccleſiæ ſuæ, Anno 1085.

D*Um in Dei nomine, in Civitate Padua, in judicio reſideret* Domnus Liutaldus Dux, *ad ſingulorum hominum juſticias faciendas ac deliberandas, adeſſent cum eo Ardricus Advocatus, Johannes &c. Judices, Uberto &c. & reliqui plures. Ibique in eorum preſentia veniens* Domnus Milo Patavenſis Eccleſie Epiſcopus, *una cum Advocato ſuo Uberto, retulerunt & ceperunt dicere, ac poſtulare mercedem:* Petimus vobis, Domne Liutaldus Dux, ut propter Deum, & anime veſtre mercedem faciatis nobis rectum de Ugolino de Cingularia, qui tenet caſam unam in jam dicta Civitate Padua juris jam dicti Epiſcopatus, & dedignatur propter nos diſtringi, aut juſtitiam facere. Et . . . . nobis de filiis quondam Fuſcoli, qui tenent Molandinum unum in Fluvio Retrone . . . . ti Epiſcopatus, quem eſterna die vincerunt ſupra quendam Singibaldum. *Cum ipſe Domnus Milo Epiſcopus una cum Advocato ſuo Uberto taliter petiiſſent mereedem: tunc ibi loco per Judicum judicio, qui ibi fuerant, & per lignum, quod in ſua tenebat manu, inveſtivit jam dictum Milonem Epiſcopum & Advocatum ejus Uberto de jam dicta caſa & molandino ad hactenus; & inſuper miſit bannum ſuper predictum Epiſcopum & Advocatum ejus, & ſuper predicta caſa & molandino* in duo mille Mancoſos aureos, *ut nullus quislibet homo &c. predictos* duo mille Mancoſos aureos *ſe compoſiturus agnoſcat, medietatem parti publice, medietatem eidem Epiſcopo. Finita eſt cauſa, & hanc notitiam propter ſecuritatem ejuſdem Milonis Epiſcopi & predicti Epiſcopatus fieri ammonuerunt.*

Quidem & ego Olveradus Domni Heinrici sereniſſimi Auguſti Notarius ex juſſione jam dicti Domni Ducis & Judicum ammonicione ſcripſi.

Factum eſt hoc Anno Dominice Incarnationis Milleſimo Octuageſimo Quinto, Tercio die Marcii, Indictione VIII.

✠ *Hec Crux ſignum manus Domni Liutaldi Ducis, qui hanc noticiam fieri juſſit.*
Ego Gotefridus Judex interfui.

Tantam irrogare pœnam minime mos fuit, ſi *Mancuſi* nomine *Marcham auri* deſignatam velimus. Ad hæc ſub *Mancuſi*, ſeu *Mancoſi* vocabulo genus quoddam *Solidorum aureorum* aut *argenteorum* invenio. Anaſtaſius in Vita Adriani I. memorat *in auro Solidos Mancuſſos numero ducentos*. Et in Vita Leonis IV. ait: *Multos ei in argento Mancoſos præbuit*. Iſoni Magiſtro *Philippei* appellantur *Mancuſi*: *Philippeum* verò Papias Grammaticus, & Gloſſæ MStæ *Solidum* fuiſſe teſtantur. In vetuſtiſſima quoque Papyro Ravennate, Francis in Italia imperantibus, ſcriptâ, quam pag. 175. Diplomat. produxit celeberrimus Philologus Marchio Scipio Maffejus, legimus *ſcripto pretio Solidos Mancoſos trecentos*. Neque diſſimulabo, me reperiſse in Diplomate Henrici I. Auguſti, *Mancuſos viginti* æquivalere *Solidis quinquaginta*. Sed fortaſse *Mancuſi* illi aurei æquiparantur *Solidis* argenteis. Diploma hoc nondum editum accipiat nunc Lector, quod autographum adſervatur in Chartophylacio Monaſterii Veronenſis Sancti Zenonis.

Henrici II. Regis & Imperatoris I. Diploma, per quod Monaſterio Veronenſi Sancti Zenonis omnia illius jura & bona confirmat, Anno 1014.

I*N nomine Sancte & individue Trinitatis. Heinricus divina favente clementia Romanorum Imperator Auguſtus. Quia Regalis & Imperialis poteſtas ſupra omnia & pre omnibus divino cultui debet eſſe ſemper intenta, & Eccleſiarum Dei ſarcinam libenter portare ac ſublevare, quatenus id agendo æternæ remunerationis premia percipere mereatur; idcirco noverit omnium fidelium Sanctæ Dei Eccleſiæ, noſtrorumque preſentium ſcilicet ac futurorum induſtria* Ildeprandum Veronenſem Epiſcopum *humiliter noſtræ ſerenitatis exoraſſe clementiam, quatenus ob amorem Dei omnipotentis, beatique Zenonis Confeſſoris Chriſti reverentiam, omnes proprietates & poſſeſſiones Monaſterii predicti beatiſſimi Zenonis, ubi Corpus ejus ſacrum quieſcit humatum, & ubi nunc* Domnus Rozo venerabilis Abbas *preeſſe videtur, que ab anteceſſoribus noſtris Regibus ſcilicet, & Imperatoribus, Epiſcopis, Comitibus, boniſque hominibus delegatæ ſunt, & conceſſæ, per noſtræ munificentiæ Preceptum corroboraremus, modiſque omnibus confirmaremus. Cujus ratas petitiones eſtimantes, miſericordiaque omnipotentis Dei, & ejuſdem beati Zenonis meritis & interceſſionibus nos adjuvari ſperantes, omnia Privilegia ac Precepta ipſius Monaſterio quæ conceſſa & confirmata ac funditus delegata ſunt priſcis temporibus ab anteceſſoribus noſtris Regibus vel Imperatoribus, ſeu omnes ſcriptiones, univerſaſque res cum familiis & ſervis utriuſque ſexus, unde ipſum Monaſterium juſte & legaliter hactenus inveſtitum permanſit, & quicquid inibi legibus pertinere dinoſcitur, tam per commutationes & precarias, quàm per oblationes & offerſiones bonorum hominum, ſive aliquas traditiones & quaſcumque donationes, quæ dici aut nominari poſſunt, per hanc preſentem noſtræ* muni-

munificentiæ auctoritatem perpetuo confirmamus, modiſque omnibus corroboramus: id eſt in primis eorumdem Veronenſi Monaſteriolum conſtructum in honore Sancti Petri, quod dicitur Maurinianum: Villapella: Caſtellum in Mauriniano, cum Capella in honore Sanctorum Firmi & Ruſtici: Caſtellum Herbetum cum Capellis adjacentiis & pertinentiis ſuis: Tedurbiadum: Vicum Alberis: Capellam Sancti Laurentii, ſitam intra Padi, quæ dicitur Hoſtilia: Campum Walani: Campum Paliarum: Et Nanderium: & in Gajo Villam, quæ dicitur Ajo: Corticellam in Platene: Capellam Sancti Viti ſitam in Portu: In Lavania Cortem unam: In Monte Tauri Cortem unam cum Molendinis: Caſtellum Romanianum cum Eccleſia Sancti Zenonis: & Montem, qui dicitur Alfiera: In Liſinio, ubi dicitur Merlario, campos duos: In Clariano campos tres: in Pauro campos tres: in Laupha campum unum: in Stenalle Cortem unam: in Cavalo, in Puſmane Cortem unam: Caſtellum Sancti Viti cum pertinentiis ſuis: Farena: Caſſianum: Cellam Sancti Petri infra Civitatem Veronam cum pertinentiis ſuis: in Lucaſis Cortem unam cum Capella Sanctæ Chriſtinæ: in Bardulini Cortem cum Capella Sancti Zenonis: in Cavi Cellam Sancti Andreæ cum pertinentiis ſuis: in Alfi Corticellam unam: in Bellune maſſaricias tres: in Valle Trentina Cortem unam: in Lachari Cortem unam: & res in Valle Caprinate, & in Vallepura: in Venti Capellam Sancti Viti cum pertinentiis ſuis: in Comitatu Brixiano in Puniaca Corticellam unam: & res in Alfiano conſtitutas, & in Plaſiano: & Cortem in Rivariola cum omnibus pertinentiis ſuis: in Comitatu Vicentino Cortem unam, quæ dicitur Cornetum: in Eſculetum Cortem unam: in Comitatu Treviſiano Cellam Sancti Theoniſti, & Sancti Martini cum omnibus adjacentiis ſuis: in Parma Cellam Sanctæ Eugeniæ infra Civitatem cum ſuis pertinentiis: in Civitate Florentia Capellam Sanctæ Mariæ, quæ dicitur Ferleuba, cum pertinentiis ſuis, & cum omnibus rebus ad præfatum Monaſterium pertinentibus: cum Eccleſiis, Caſtellis, Vicis, colonibus, mancipiis, factitiis, & familiis utriuſque ſexus, terris, vineis, pratis, paſcuis, ſilvis, aquis, aquarumque decurſibus, molendinis, piſcationibus, paludibus, cultis & incultis, rebus mobilibus & immobilibus, quantumcumque in ſupradictis locis eorum legitima dinoſcitur eſſe poſſeſſio vel dominatio, tam de comparatu quam & de qualibet attractu, omnia & ex omnibus ad memoratum locum pertinentibus.

A

Specialiter tamen concedimus ſecundùm Precepta predeceſſorum noſtrorum, ut in Regalibus ſilvis tam in Gajo quàm in ceteris paſcuis licentiam habeant greges ovium ſuarum, nec non porcorum, jumentorumque vel ceterorum animalium ad ipſam Eccleſiam pertinentium, abſque aliqua datione aut exactione paſcua habere. Precipientes denique jubemus, ut nullus Dux, Marchio, Epiſcopus, Archiepiſcopus, Comes, Vicecomes, Sculdaſcio, Gaſtaldio, nullaque noſtri Imperii magna parvaque perſona predicti Monaſterii Abbatem vel Monachos aut eorum familias, ſervos ſeu liberos de omnibus prefatis rebus inquietare vel moleſtare aut diſveſtire preſumat, nullum fodrum aut cenſum, neque telonaticum perſolvere cogantur. Nullus infra eorum Villas aut Caſtella, ingredi, Placitum tenere, aut eorum liberos ſive famulos diſtringere vel pignorare, neque hoſpitari, ſeu aliquam functionem ſeu exactionem exigere audeat; ſed habeant eorum naves licentiam eundi & redeundi per Padum, vel per Athiſim, ſeu per cetera flumina abſque ulla publica exactione & datione. Sed neque ipſe Epiſcopus aliquid ab eis exquirat, ſeu aliquam moleſtiam inferat, niſi tantum quod antiquitus ſtatutum eſt, in feſtivitate Sancti Zenonis aut Mancuſos viginti, aut Solidos quinquaginta, *cum ſuis Clericis accipiat. Liceatque ipſis Monachis ex propria Congregatione Abbatem eligere, ſi ibi talem potuerint invenire; ſin autem licentiam habeant cum conſenſu Epiſcopi, undecunque, ſibi bonum paſtorem eligere. Et ſi aliqui hoc Preceptum irrumpere temptaverint, licentiam habeant ipſi Monachi pro hac re aut ad nos, aut ad ſucceſſores noſtros reclamandi. Hoc vero & nos ob æternam remunerationem concedimus, ut Epiſcopus ejuſdem Civitatis nullam umquam poteſtatem habeant aliquid inde abſtraere vel ſibi uſurpare, aut alicui in beneficium dare; ſed poſſint quiete & tranquille Dei miſericordiam jugiter pro nobis exorare. Si quis vero hujus noſtri Precepti violator extiterit, ſciat ſe compoſiturum centum Libras auri obrizi, medietatem Kameræ noſtræ, & medietatem predicti Monaſterii Abbati vel Monachis. Quod ut verius credatur & diligentius ac firmius ab omnibus obſervetur, manu propria roborantes, ſigillo noſtro juſſimus inſigniti.*

B

C

D

Signum Domni Heinrici  *ſereniſſimi & invictiſſimi Imperatoris Auguſti.*

Heinricus Cancellarius vice Everardi Epiſcopi & Archicancellarii recognovi.

Data XII. Kalendas Junii, Anno Dominicæ Incarnationis MXIV. Indictione XII. Anno Domni Heinrici Imperatoris Auguſti regnantis XII. Imperii verò ejus I.

Actum Veronæ, in Dei nomine feliciter. Amen.

Appenſa pendet Bulla plumbea ejuſmodi.



Quæ

Quæ verò hactenus dixi de *Mancuſis*, in memoriam mihi revocant Caroli Craſſi Auguſti Diploma Anno DCCCLXXXIII. ſcriptum, atque ab Ughellio editum Tom. 4. Ital. Sacr. in Epiſcop. Bergomatibus pro Eccleſia Bergomate, ubi tranſgreſſores dicuntur perſoluturi eidem Eccleſiæ *triginta millia Mancoſorum Aureorum*. Tantam indicere multam, minime mos veterum fuit; & quiſnam illam quæſo ſolviſſet? Pauci ſane, & ne ipſi quidem opulentiſſimi: quare vitiatum locum opinor. Sed juvat huc transferre, quæ Hickeſius in Diſſertatione Epiſtolari Tom. 2. Linguar. Veter. Septentrional. habet: *Monetæ percuſſæ argenteæ unum, ut videtur, apud Anglo-Saxones genus fuit: nempe argenteus ille Nummus, quem Penning, Pennig, Penninc, & cum ſimplici N Pening* &c. *vocabant. Penning autem, qui a nobis Penningus Latino-barbare nuncupabatur, cuſum nummulum argenteum, quem dicimus hodie* a three pence, *ideſt tres denarios Eſterlingos, quod trutina probat, pondere & valore æquabat. Quinque Penningi pecuniæ argenteæ ſummulam, quæ Anglo-Saxonice*, a enne Scyling, *ideſt unum Scyllingum: & triginta Penningi ſummulam pecuniæ argenteæ, quam* a enne Mancus, *vel* ænne Mancs, *ideſt unam Mancuſam conſtituebant (vel unam Marcam.)* Mearc *enim, ſive* Marc *apud Anglo-Saxones idem argenti pondus, ac Mancus ſignificabat* &c. *Mancuſa pariter argentea, quæ triginta Penningos tales continebat, nonaginta noſtros valebat Penningos, ſeu tres excuſos patriæ noſtræ nummos argenteos, quos vocamus* Halferowns. *Mancuſa verò, vel Marca auri, decies valebat Mancuſam argenti, ſecundùm valorem, quo aurum argentum ſuperabat apud Græcos & Romanos*. Ita Hickeſius. *Folles* etiam mihi commemorandi ſunt, antiquiſſimum pecuniæ genus. *Pholles* ab aliis appellantur, Græcæ originis fuerunt, ac de iis A eruditionis Græcæ & nummariæ ſtudioſi multa dixere. Præterire tamen piaculum ducerem, quid in hanc rem adnotavit Salmaſius in Notis ad Lib. Tertulliani de Pallio pag. 112. Nempe e Rationali Græco in Regia Pariſienſi Bibliotheca adſervato educi, quid Græcorum Nummorum ſpecies quædam proportionis inter ſe haberent. *Nummus*, inquit, *Aureus tum duodecim Milliarenſibus argenteis valebat. Milliarenſe* (hujuſmodi Solidorum eſt mentio in Chronico Vulturnenſi Part. II. Tom. I. Rer. Italicar.) *viginti quatuor æreis Follibus. In beſſem nummi aurei, Dicerati nomine, poſtulabant exactores Folles ſexdecim pro Hexaphollo: ſex Folles bes aurei cum Dicerato & Heſaphollo*, B *Milliarenſia octo colligit, & Folles duo & viginti*. Suidas *Follem* non aliud quàm Obolum fuiſſe ſcribit. Ærei plerique Folles fuere; ſed & Argenteos non defuiſſe fortaſſis oſtendi poſſit. Aureos tantùm agnoſcit Gutherius Lib. 3. Cap. 17. de Offic. Dom. Auguſt. qua in re deceptum illum puto. Marcellinus Comes in Chronico ad Annum Chriſti CCCCXCVIII. de Anaſtaſio Imperatore hæc habet: *Nummis, quos Romani Terentianos* (Sirmondus recte ſuſpicatur legendum *Teruntios* aut *Teruntianos*) *vocant, Græci Follares* (alii Codices habent *Folles*) *Anaſtaſius Princeps ſuo nomine figuratis, placibilem Plebi commutationem diſtraxit*. Et hujus quidem Græcæ pecuniæ, C hoc eſt *Follium*, ſive *Follarium*, antiquiſſimus eſt uſus ac nomen: nam & ejus mentio eſt in Codice Theodoſiano, & apud Lampridium, & penes Sanctum Auguſtinum Lib. 22. Cap. 8. de Civitate Dei, atque alibi, uti & apud Evodium Epiſcopum Uzalenſem Lib. prim. Cap. 14. de Miraculis Sancti Stephani. Idque etiam confirmabit vetuſta Inſcriptio apud Gruterum pag. 810. 10.

Ad Bucinum Lucaniæ Oppidum.

IN QVEM INDVXI SARCOPHAGVM
IN QVEM DVM RECEPTVM FVERIT CORPVS MEVM
NVLLI VNQVAM LICEAT ACCEDERE NEQVE VEXARE OSSA MEA
NON FILIVS NEQVE NEPOTES NEQVE DE AFFINITATE VLLVS
SI QVIS AVTEM INFRINGERE VEL APERIRE AVSVS FVERIT
IS TVM INFERET POENÆ NOMINE REIPVBLICÆ FOLLES MILLE
SANE NÆVIA PRISCA
SI PERMANSERIT VSQVE IN DIEM FINITIONIS SVÆ
RECIPIETVR IBI JVXTA MARITVM SVVM.

Alteram accipe e ſchedis meis.

Aquila in Civitate Aprutina pro foribus Sanctæ Mariæ de Rojo baſis , ſuper qua ex pedum veſtigiis ſtatua olim collocata fuiſſe dignoſcitur .

DEDICATA III. KAL. IVL

VRSO ET POLEMIO CONS

OB CVJVS DEDICATIONEM

DEDIT PLEBI VRBANE

AD AEPVLVM CONVIVII

PANEM ET VINVM TAVROS II. VERBECES XV.

PRÆTEREA ET ARCÆ EORVM FOLLES M.........

EX QVORVM VSVRIS PER SINGVLOS ANNOS CONVIVIVM

DEDICATIONIS SIBE EXSIBEANT.

Poſita eſt Inſcriptio Anno Chriſti CCCXXXVIII. Ne quid prætermittam , quæ de his aliiſque Græcis Nummis ſcribit Scholiaſtes Baſilicorum Eclog. 23. *Noſſe* , inquit , *oportet* , *Ceratium unum Follibus valere duodecim* , *ſive Miliariſio dimidio* . *Valent itaque Ceratia duodecim Nomiſmatis medio : nam integrum Nomiſma continet Miliariſia duodecim* , *ſeu Ceratia XXIV*. Qui plura cupit de *Follibus* , & *Milliarenſibus* adeat Dionyſii Petavii magni viri Diatribam in Sancti Epiphanii Opuſculum de Menſur. & Ponderibus .

Michelatos, ſeu *Michalatos* , aut *Michaelitas*, Michaelis Græci Auguſti nomine ſignatos ; & *Romanatos* a Romano Græcorum Imperatore ita appellatos , novimus . Occurrunt quoque *Eſmeratos* in Charta , quam adſervat Sublacenſis Monaſterii Tabularium . Hanc etiam tenebris ereptam Lector accipiat .

Leonis Sublacenſis Abbatis Charta , per quam agros emit a Marco Archipresbytero &c. Anno 936.

ANno Domino propitio Pontificatus Domni Leonis ſummi Pontificis & univerſalis VI. Papæ in ſacratiſſima Sede beati Petri Apoſtoli Primo , Indictione IX. Menſe Junio die II. Quoniam certum eſt , nos videlicet Marco religioſo Archipresbitero , ſeu Petronia honeſta femina , nec non & Andrea Monetario , Dominicus & Stephania honeſta femina jugalibus , ac die ceſſiſſemus & ceſſimus atque tradidimus , nec non & venumdavimus , nullo nobis cogente neque contradicente vel ſuadente aut vim faciente , ſed propria ſpontaneaque noſtra voluntate , vobis Domno Leone *humilis Presbitero , & evangelico* Abbati *venerabili* Monaſterio Sancti Benedicti , *quod ſitum eſt in Sublaco , ſeu Johannis atque Greſcentium venerabilibus Diaconis & Monachis ex eodem Monaſterio , cunctamque Congregationem ſervorum Dei , ſucceſſoribus veſtris , vel cui eas vobis largire & concedere placueritis : ideſt terra ſementaricia in integrum capacitatis modiorum plus minus XXV. cum parietinis deſertis , & cum omnibus ad eas generaliter & in integrum pertinentibus : poſita foris juxta Porta Majore in fundum , qui vocatur . . . . . . juris venerabilis Scole Cantorum , que appellatur Orfanotrophium ; & inter affines a tribus lateribus Vie publice circumdant , & a quarto latere Arco marmoreo majore ante ſupraſcripta Porta, unde & Charta tertio genere nomine noſtro facta eſſe videtur . Cum hanc ceſſio venditionis charta vobis contradidimus charta ſecuritatis ad nomen de me ſupra ſcripto Andrea facta , quas facere viſa fuit Anna germana mea , & ceſſio venditionis charta ad nomen Johanni ſupraſcripto quondam Monetario genitore meo facta . Cum alias moniminas novas ac vetuſtas apud me meoſque heredes & ſucceſſores rogarunt ad conſervandum & ſalvas faciendum pro alia terra , que meas eſſe continere videtur , & pro hoc eas vobis minime tribuere potuimus ; ſed quandoque vobis veſtriſque ſucceſſoribus neceſſe fuerit pro veſtra defenſione , oſtendere & demonſtrare ſpondeo gratis & abſque omni pecunia in omni tempore . Et ſi ex predicta terra qualiſvis charta a nos noſtroſque heredes & ſucceſſores contra vos veſtriſque ſucceſſoribus litigandum (quod abſit) oſtenſa fuerint ; tunc vacuam & inanem & abſque omni robore firmitatis decernimus permanere . Pro qua etiam ſupraſcripta terra ſementaricia in integrum ad modiorum plus minus XXV. cum parietinis deſertis , & cum omnibus ad eas pertinentibus , ut ſuperius legitur , accepimus nos ſupraſcripti venditores a vobis ſupraſcripti emptores in preſentia ſubſcriptorum teſtium , videlicet* in argento bono optimo Eſmeratos Libram *juſtoque penſantem , novoque placabiles . In omnem veram deciſionem , & ab odierna die licentiam habeatis in ſupraſcripta terra , ut ſuperius legitur , de preſenti introëundi , utendi , fruendi , poſſidendi , vendendi , donandi , commutandi , etiam chartam renovandi , & quicquit exinde facere ſive peragere volueritis , in veſtram , veſtriſque heredibus & ſucceſſoribus ſit poteſtate . Et numquam a me , neque ab heredibus & ſucceſſoribus noſtris , aut a nobis ſummiſſa magna parvaque perſona contra vobis veſtriſque ſucceſſoribus aliquam*

*quam aliquando abeatis queſtionem , onus aut
calumniam , ſed in omni tempore ab omni homi-
ne , in omni loco , ubi & ubi vos veſtriſque ſuc-
ceſſoribus neceſſe fuerit , ſtare nos una cum he-
redibus & ſucceſſoribus noſtris , & defendere
promittimus vobis veſtriſque ſucceſſoribus . In
qua & juramento dicimus per Deum omnipoten-
tem , ſanɛteque Sedis Apoſtolice , ſeu ſalutem
beatiſſimi , & Apoſtolici Domni Leoni ſanɛtiſſi-
mi Sexti Pape , hec omnia , que hujus ceſſio
venditionis charta ſeriem textus eloquitur , in-
violabiliter conſervare atque adimplere promit-
timus . Si vero (quod abſit) & quoquo tem-
pore nos vel heredibus & ſucceſſoribus noſtris
vobis veſtriſque ſucceſſoribus , aut contra hanc
ceſſio venditionis charta , quam ſponte fieri ro-
gavimus , agere aut cauſare preſumpſerimus ,
pro quovis modi ingenio , quod ſenſum huma-
num intelligere vel capere poteſt , & minime de-
fendere potuerimus aut noluerimus , vel amplius
pretium vobis veſtriſque heredibus ſucceſſoribus
queſierimus , tunc non ſolum perjurii reatum
incurramus , verum etiam daturi nos promitti-
mus una cum heredibus & ſucceſſoribus vobis
veſtriſque ſucceſſoribus ante omne litis initium
pene nomine ſupraſcriptum argentum in duplum,
& poſt penam abſolutionis manente hanc ceſſio-
nis venditionis charta ſeriem in ſua nichilomi-
nus maneat firmitate . Quam ſcribere rogavi-
mus Leonem Scriniarium & Tabellionem Urbis
Romæ , in qua & nos ſupraſcripti ſubtus manu
propria ſubſcripſimus , & ſigna ſanɛte Crucis
fecimus , & teſtes qui ſubſcriberent , rogavi-
mus , & vobis ſupraſcripti contradidimus in
Menſe & Indiɛtione ſupraſcripta IX.*

✠ *Marco Archipresbiter huic ceſſio vendi-
tionis charta in venerabili Leone Abbate a me
faɛta manu propria ſubſcripſi , & teſtes qui
ſubſcriberent , rogavi .*

✠ *Signum manu ſupraſcripta Petronia ven-
ditrice ſignum Crucis feci .*

*Andrea in Dei nomine Conſul in hanc ceſſio
venditionis charta teſtis ſignum ✠ feci , & te-
ſtes , qui ſubſcriberent , rogavi .*

*Signum manu Stephania ſignum ✠ feci , &
teſtes , qui ſubſcriberent , rogavi .*

*Nycolaus in Dei nomine Conſul & Dux , te-
ſtis rogatus ſignum ✠ feci .*

*Baduaro in Dei nomine Conſul & Dux , te-
ſtis rogatus ſignum ✠ feci .*

*Petrus in Dei nomine Conſul & Dux , teſtis
rogatus ſignum ✠ feci .*

*Leo in Dei nomine Conſul & Dux, teſtis ro-
gatus ſignum ✠ feci .*

*Romanus in Dei nomine Conſul & Dux , te-
ſtis rogatus ſignum ✠ feci .*

*Ego Leo Scriniarius & Tabellio Urbis Romæ
complevi & abſolvi .*

Vide quot Conſules & Duces hiſce tabulis
ſubſcripſerint . Verùm in notas Chronologicas
hujus Chartæ irrepſiſſe mendum videatur ,
quum Leo *Sextus* appelletur , qui in Hiſtoria
Eccleſiaſtica *Septimus* inſcribitur . Nil tamen
immutare volui : fortaſſis enim Leo VI. Papa
Anno DCCCCXXVIII. electus, uti verus Pon-
A tifex poſt ejus mortem non eſt agnitus . Cete-
rum quod eſt ad *Eſmeratos* in Charta hac me-
moratos , nullum puta peculiaris pecuniæ ge-
nus hoc nomine deſignari, ſed tantummodo
Solidos *Eſmeratos* fuiſſe nuncupatos , qui ex
argento *mero* , ſive bene purgato conſtabant .
In Capitulari Caroli Calvi apud Baluzium
Tom. 2. pag. 178. legitur : *Quorum argentum
ad purgandum acceperint , ipſum argentum Ex-
merent* . Ubi *Exmerare* pro *bene purgare* .
Singularis contra nummorum ſpecies *Perperi*
fuere (Græca pecunia) quorum frequens eſt
mentio in Chronico Veneto Danduli , atque
B in Orientalium Populorum monumentis . Ma-
rino Sanuto juniore teſte in Hiſtor. Venet.
Tomo XXII. Rer. Italicar. duo *Perperi* æqua-
bant unum *Ducatum aureum* Venetum . Hi
etiam appellati *Hyperperi* ſive *Hyperpera* . De
his poſt Du-Cangium egit Clariſs. Vir Seba-
ſtianus Paulius in Additamentis ad Beverini
Syntagma de Ponderibus . Græcorum quoque
Nummi argentei vocati fuere *Aſpri* , aut *Albi*,
de quorum nomine & æſtimatione conſule nu-
per laudatum Du-Cangium in Diſſertat. de
Nummis Græcorum . Attamen Sanutus junior
indicare videtur *Aſpros* non alios fuiſſe a *Per-*
C *peris* ; dum ſcribit , unum Ducatum aureum
Venetum (nunc *Zecchino*) duobus *Aſpris* pre-
tio ſuo reſpondiſſe . *Melachinos* , ſeu *Mala-
chinos* valentes octo Groſſos ſupra commemo-
ratos a Cabroſpino in ſua ſcheda vidimus .
Hos Cencius Camerarius in Ceremoniali Ro-
mano *Meloquinos* appellat ; eoſque *Monetæ
Italicæ* ſpeciem fuiſſe opinatur Du-Cangius .
Arabicæ ſive Saracenicæ originis vocem hanc
extitiſſe cenſeo , a *Melech* , ideſt Rex , dedu-
ctam, quòd eſſent Nummi ab illius gentis Re-
ge percuſſi . *Tareni* verò cudebantur in Apu-
lia & Sicilia . Sed & *Tareni Africani* a Leo-
D ne Oſtienſi memorantur . *Imperialium* Dena-
riorum , ſive Solidorum mentio in Italia oc-
currere incipit Sæculo XII. (fortaſſis etiam
vetuſtior eſt) ſive illi Nummi forent in Impe-
riali Ticinenſi Moneta percuſſi , ſive a Frideri-
co I. Auguſto , Cæſarei nominis in Italia pro-
pagatore , adinventi . In Charta Gerardi Ar-
chiepiſcopi Ravennatis Anno MCLXXVI. ſcri-
ptâ , quidam Emphyteuta pollicetur , ſe quot-
annis perſoluturum *Imperialem unum* . Fride-
ricus II. a Richardo de Sancto Germano ad
Annum MCCXXXVI. *novos Imperiales* cudiſſe
dicitur . *Imperialium* verò Libra quanti foret,
E innuit Matthæus Paris ad Annum MCCXLIX.
commemorans *octodecim millia Librarum de
Moneta Imperialium , quæ tantum fere valet ,
quantum Eſterlingorum* . Et celebres quidem
tunc in Italia quoque fuere denarii *Sterlingi* ,
ex quibus vario modo pro temporum diverſi-
tate apud Gallos & Britannos Libra conficieba-
tur . De iis conſulendus laudatus Du-Cangius
in Gloſſario Latino . Mihi ſatis eſt in hanc
rem producere Chartam unam , ex MSto Cen-
cii Camerarii Codice deſcriptam , in qua
Sterlingorum eſt peculiaris mentio .

Confeſſio facta a Johanne de Columna Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali, de pecunia ſibi perſoluta nomine Gregorii IX. Papæ, Anno 1232.

In *nomine Domini. Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo Ducenteſimo Trigeſimo Secundo, Pontificatus Domini Gregorii Papæ IX. Anno Sexto, Indictione V. Menſis Aprilis die II. Nos Johannes de Columna, divina miſeratione tituli Sanctæ... Presbyter Cardinalis, confitemur & recognoſcimus hac præſenti die recepiſſe a te Caponigro Provenzano Mercatore Senenſi, ſocio Boboni Johannis Boboni Campſoris Domini Papæ, ſolvente vice & nomine Domini Gregorii Papæ IX.*, ſeptuaginta Marcas bonorum novorum & Legalium Sterlingorum, ſcilicet XIII Solidis, & IV. Sterlingis pro Marca qualibet computatis. Item & viginti Uncias boni & legalis auri Tarenorum Regni Siciliæ ad pondus Romanum. *Item & ducen*tas & viginti Libras bonorum Provenienſium Senatus. *Item & octo* uncias & unam quartam boni auri pulveris ad pondus Romanum. *De quibus omnibus vocamus nos bene quietos & pacatos integre, exceptioni non numeratæ vel non ſolutæ pecuniæ, aut non ponderati auri renuntiando. Quæ omnia pro nobis & ſucceſſoribus noſtris promittimus tibi dicto Caponigro recipienti pro Domino Papa præſcripto firmiter obſervare, & contra nullo modo venire.*

Actum præſentibus his teſtibus ad hoc ſpecialiter vocatis, ſcilicet Magiſtro Dicibile Camerario, Johanne Barario Jumentario ab aug... Oddone Adulterino, Radulfo de Zagarola, Davneſe Oclonello, Gracia de Sena teſtibus.

Ego Johannes Fortibrachius, Dei gratiâ ſacri Romani Imperii Scriniarius, quia his omnibus interfui, ſcripſi rogatus.

Sed quando heic *Libræ Proviſinorum*, ſive *Provisinorum Senatus* commemorantur, earumque ſæpe occurret mentio in aliis Contractibus, quos in hoc eodem Opere evulgavi, aliquid heic mihi de iis diſſerendum eſt. Blancus in Tractatu Hiſtorico de Monetis Francicis, multos varioſque Nummos indicat ſub Carolo Calvo percuſſos, atque inter cetera ſubdit: CASTIS PRVVINIS. *ideſt Provins en Brie. Ejus ager in Capitularibus Caroli Calvi appellatur Pagus Provinifus & Provinenſis. Apud Auctores, atque in Chartis ſub tertia Regum Francorum Stirpe, ſæpe fit mentio Solidorum ac Librarum Provinenſium. Ego de iis fuſius*

A *loquar in Tractatu de Monetis Prælatorum ac Baronum*: quem Librum an is umquam confecerit, edideritque, incompertum eſt mihi. Du-Changius monetam Ducum Campaniæ ita appellatam cenſet. Equidem ſæpe vidi in Contractibus Romæ ſcriptis Sæculo XII. & ſæpius Sæculo XIII. in publico uſu ibidem fuiſſe *Libras Proviſinorum Senatus*, hoc eſt Libras ex denariis ſive Solidis Romæ percuſſis, quarum, ut puto, æſtimationem Senatus Romanus decreto ſuo firmarat. Petrus Manlius, qui Anno Chriſti MCLVII. floruit, in Hiſtor. Baſilic. Vaticanæ, Tom. 7. Actor. Sanctorum

B Menſis Junii a V. Cl. Patre Conrado Janningo Soc. Jeſu editâ, pag. 38. ſcribit, datos Canonicis *tres Solidos Provinienſes pro clareto*. Apud Turrigium Part. 2. Cap. 3. de Crypt. Vatican. in pergamena legitur: *XVI. Kalendas Auguſti obiit felicis recordationis Innocentius Papa III. relinquens Baſilicæ noſtræ inter alia ſex Libras Proviſinorum pro anniverſario ſuo*. Mirum certe Lectori videatur, Romanos ab humili Oppido Provinenſi appellationem Monetæ aut Libræ ſuæ fuiſſe mutuatos. Et quamvis Oppidum illud non longe a Pariſiis diſtet, ac fortaſſis olim ab aliquo Francorum

C Regum ibi verſante edictum quodpiam emanare potuerit ad conſtituendum Libræ currentis pretium; aut ibi officina monetaria denariis nomen conferre potuerit, quod poſtea in Italiam quoque permearit; attamen Le-Blanci conjecturam, a Du-Cangio poſtea probatam, ne ipſe quidem Janningus amplexus eſt, nummoſque Romanos appellatos potius putat a *Proviſionibus*, ſeu reditibus Eccleſiarum. Nihilo tamen ſecius Provinenſe Oppidum in Gallia celebre fuiſſe ob ampliſſimas nundinas reperio; & apud Rolandinum Bononienſem in Summa Art. Notar. ſcriptâ Sæculo Chriſti

D XIII. memorantur *decem brachia panni de Pruyn*: quæ omnia famam loci illius apud Italos propagare potuerunt. Interea erit heic locus Chartis tribus, quas e ſupralaudati Cencii Codice MSto deſumtas evulgare congruum puto: non parum enim præſidii hæ conferent ad dignoſcendum, quanti olim penderetur Libra *Proviſinorum*, ſive *Provenienſium*, vel *Provenientium*.

Car-

Chartula refutationis factæ a Guidone Sanctæ Mariæ Trans Tiberim Presbytero Cardinali, & Johanne Guidonis de Papa, & Petro Romano, & Henrico fratribus & filiis quondam Cencii de Papa, ſuper Civitate Caſtellana: Anno 1195.

A *IN nomine Domini. Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo Centeſimo Nonageſimo Quinto, Anno IV. Pontificatus Domni Cœleſtini III. Papæ, Indictione XIII. Menſe Februario, die VII. Nos quidem Johannes Guidonis de Papa pro medietate ſubſcriptæ rei, & nos Guido Dei gratiâ titulo Sanctæ Mariæ trans Tiberim Presbyter Cardinalis, nec non & Petrus, Romanus, & Henricus germani fratres & filii quondam Domini Cencii de Papa. Sed ego Petrus pro me & nepotibus meis, ſcilicet Bonaventura & Romano filiis olim Bonaventuræ fratris mei, quorum tutor ſum, eis a ma-* B *nibus Domni Saiſſonis Primicherii Judicis datus, ſicut per inſtrumentum Inventarii manu Romani de Rubia Scriniarii ſcriptum apparet. Et ego Petrus Bonaventuræ nepos prædictorum fratrum una cum prædicto Domino Petro patruo meo & curatore in hoc mihi a manibus Dominorum Judicum, ſcilicet Saiſſonis Primicherii, & Johannis Saiſſonis Arcarii dato, in eorumdem Judicum præſentia, & per eorum auctoritatem atque decretum, quantum ad dictos Minores pertinet, pro altera medietate, pro portione tamen unicuique noſtrum & ipſorum Minorum competente; in præſentia Domini Petri de Judice Cauſidici, & ſubſcriptorum teſtium; Omnes ſimiliter, ut dictum eſt, pariter propria noſtra voluntate renuntiamus, & generaliter* C *refutamus vobis Domino Cinthio Dei gratiâ Eccleſiæ Sanctæ Luciæ in Silice Diacono Cardinali, & Domni Papæ Camerario, mandato quoque & Procuratori præfati Domni Papæ Cœleſtini ad hoc ſpecialiter conſtituto, ad opus & utilitatem ipſius Domni Papæ, & ſucceſſorum ejus, ac totius Eccleſiæ Romanæ perpetuo: ideſt omnem litem & petitionem, quam ipſi Domno Papæ & Eccleſiæ Romanæ fecimus, petivimus, petere vel facere potuimus, videlicet de univerſa portione quondam Petri Præfecti, illarum ſcilicet mille Marcarum argenti, quas ei & ſuis* D *conſortibus olim Domnus Papa Adrianus IV. debuit. Pro quibus ei Civitatem Caſtellanam & univerſum Comitatum ejus, ac Montem Altum obligavit, & jure pignoris tradidit, ſicut per Privilegium ipſius Domni Papæ Adriani apparet; & ad præſens vobis pro dicto Domno Papa reddimus, & publice reinveſtientes, corporalem traditionem transferimus, & ex eis jam traditam confirmamus, omnes res & poſſeſſiones, videlicet domos, caſalinos, terras & vineas, hortos, canapinas, atque oliveta, Molendinum, & Viam Molarum, cum arboribus fructiferis, & infructiferis, & omnibus ſuis pertinentiis.* E *Quæ res & poſſeſſiones nobis pertinent, vel pertinere videntur, & eas uſque modo jure obligationis tenemus & tenuimus, & in corporibus vel in actionibus habuimus in dicta Civitate Caſtellana intus & de foris & toto Comitatu; quæ ut dictum eſt, nobis pertinent pro duabus partibus centum Librarum Denariorum Papienſium, quas olim Domina Purpura Amita noſtra prælibato Petro Præfecto viro ſuo nomine dotis dedit, ſicut per dotalia Inſtrumenta apparet, quæ ad majorem Eccleſiæ Romanæ cautelam vobis damus. Quodcumque itaque jus & quamcumque actionem perſonalem & in rem, ſive hypothecariam tam etiam ad agendum, quàm excipiendum, quod, quamve in omnibus prædictis rebus Civitatis Caſtellanæ intus & de foris, & totius Comitatus ejus, & in omni patrimonio Eccleſiæ Romanæ, & ſpecialiter in omnibus bonis in corporibus vel in actionibus conſtitutis, quæ fuerunt olim prædicti Petri Præfecti, habemus; & ſpecialiter adversùs modernum Petrum Præfectum, & ejus fratres, atque adeo adversùs aliam quamcumque perſonam habere quoquo modo poſſemus, reſpectu vel jure duarum partium præfixæ dotis centum Librarum Denariorum Papienſium & fructuum, uſurarum vel acceſſionum earum pœnæ, vobis pro dicto Domno Papa & ejus ſucceſſoribus, ut dictum eſt, procuratorio nomine cedimus & mandamus, & quantùm ad ipſum Domnum pertinet refutamus, & ut utili poſſitis & directa actione intendere, vos in re prædicti Domni Papæ & Eccleſiæ Romanæ procuratores facimus.*

Hanc autem refutationem, reſtitutionem, conceſſionem, & mandatum vobis, ut dictum eſt, facimus pro octoginta duabus Marcis argenti & dimidia, quas nobis, ut dictum eſt, pro omni jure noſtro duarum partium prædictæ dotis centum Librarum Denariorum Papienſium pro dicto Domno Papa, & tota Romana Eccleſia, & ex ejus pecunia, ut dictum eſt, procuratorio nomine datis atque perſolvitis pro ducentis ſex Libris Provenienſium Senatus, & quinque Solidis, eo quod Denarius Papienſis ſecundùm ſtatutam formam a Judicibus, & Mercatoribus Urbis, duodecim Denarii pro viginti Provenienſibus veteribus nunc computantur: & habita portione Provenienſium veterum ad Provenienſes Senatus, qui nunc duodecim Provenienſes veteres pro ſex Provenienſibus & dimidio Senatus cambiantur. Unde uſque ad prædictam ſummam argenti extenduntur dictæ duæ partes prælibatæ dotis. *Quas autem argenti Marcas nobis Johanni Guidoni pro medietate, & nobis prædictis fratribus una cum dictis Minoribus pro altera medietate, videlicet mihi Petro pro me & dictis impuberibus, quorum tutor ſum, & mihi Petro Bonaventuræ cum dicto patruo & curatore meo, & pro portione mihi competenti, decreto prædictorum Judicum, quantùm ad portionem mei Petri & prædictorum impuberum pertinet, datis & ſolvitis. De quibus omnibus, & de omni noſtro jure, quantùm ad dictam dotem pertinet, bene nos quietos vocamus, & non ſolutæ pecuniæ, ſeu non redditæ dotis exceptionem in omnibus & per omnia refutamus. Ideoque amodo dictus Domnus Papa & tota Romana Eccleſia ex hac cauſa quiete ſemper & pacifice maneat. Inſuper promittimus vobis hoc noſtrum jus, vel partem nemini aliì conceſſiſſe, obligaſſe, nec aliter alienaſſe. Et ſi aliquando, quod abſit, ex hac cauſa per Petrum nunc Præfectum, vel per ejus fratres, ſeu per aliam quamlibet perſonam, ſeu etiam per alienatio-*

monimum, vel conversionem a nobis factam, dictus Domnus Papa & ſucceſſores ejus, vel Eccleſia Romana dampnum aliquod de jure patientur, quantum ad dictam ſummam argenti pertinet, quantum erit dampnum, tantum auctoritate propria ſine aliqua offenſa & abſque Curiæ proclamatione, & noſtra contradictione, in noſtris bonis eis placentibus jure pignoris vendicent: & ſi contradicere voluerimus, a jure, quod in eiſdem bonis habebimus, cadamus, & ipſum dampnum duplum emendare modis omnibus teneamur. Præterea ego Petrus Cencius de Papa, ſicut me habeo adjuvare, et quod pro Minore intercedo, nihil jure vel legum auxilium, quod pro me in hac cauſa introductum eſt, omnino refutans, vobis pro dicto Domno Papa & ſuis ſucceſſoribus promitto, ſi aliquo in tempore dictus Domnus Papa & ſucceſſores ejus, vel Eccleſia Romana per prædictum Petrum nepotem meum, cujus Curator ſum, occaſione minoris ætatis, vel aliter quoquo modo damnum aliquod patientur, quanti erit dampnum, tantum in meis bonis eis placentibus jure pignoris vendicent. Noviſſime autem nos omnes prædicti pro nobis, & noſtris heredibus & ſucceſſoribus, & ego ſpecialiter Petrus pro me & dictis impuberibus, quorum

A Tutor ſum, tutelari officio vobis pro dicto Domno Papa & ſuis ſucceſſoribus, ac tota Romana Eccleſia, quæ dicta ſunt, omnia obſervare, defendere, & adimplere promittimus ſub pœna totius ſupraſcriptæ ſummæ argenti dupla; & ſoluta pœna hæc Chartula firma permaneat: quam ſcribere rogavimus Johannem Leonis Scriniarium in Menſe & Indictione ſupraſcripta XII.

Petrus de Cencio, Viſcerius Domni Papæ, teſtis.

Petrus Malagromus, Viſcerius Domni Papæ, teſtis.

Johannes Gregorii a Coliſeo, teſtis.

Curteſius, teſtis.

B Paſchalis, Cambitor, teſtis.

Andreas, Cuſtos Cameræ, teſtis.

Leonardus, Janitor Cameræ, teſtis.

Bartholomæus Inſulæ, teſtis.

Bartholomæus Peponis, teſtis.

Ego Johannes Leonis, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Scriniarius, habens poteſtatem dandi tutores & curatores, emancipandi etiam, decretum interponendi, & alimenta decernendi, complevi, & abſolvi.

Altera Charta refutationis factæ a filiis Cencii Romani de Papa de facto Civitatis Caſtellanæ; Anno 1195.

IN nomine Domini: Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo Centeſimo Nonageſimo Quinto, & Anno IV. Pontificatus Domni Cœleſtini III. Papæ, Indictione XIII. menſe Februarii, die XXV. Nos quidem Tederada uxor Andreæ Stephani Rainerii de Stephano, & Romana uxor Gentilis Fortivoliæ, germanæ ſorores, filiæ quondam Cencii Romani de Papa, una cum Stephano Johannis Craſſi Curatore noſtro, in hoc nobis a manibus Domini Johannis Saxonis Arcarii, & Henrici Dativi Judicis dato: & nos Stephanus Johannis Craſſi Tutor Gattæ & Bonæ filiarum olim dicti Cencii, eis & ſic patrimonio a dicto Henrico Dativo Judice datus pro ipſis impuberibus, in præſentia eorumdem Judicum, & per eorum auctoritatem atque decretum, in præſentia Domni Octaviani Dei gratia Oſtienſis & Velletrenſis Epiſcopi, atque Domni Cencii titulo Sancti Laurentii in Lucina Presbyteri Cardinalis, & Domni Fidancii titulo Sancti Marcelli Presbyteri Cardinalis, atque Domni Gregorii Dei gratiâ Eccleſiæ Sanctæ Mariæ de Porticu Diaconi Cardinalis, & Petri de Judice Cauſidici, & ſubſcriptorum teſtium: propria noſtra voluntate renuntiamus, & generaliter refutamus vobis Domno Cencio gratiâ Dei Eccleſiæ Sanctæ Luciæ in Silice Diacono Cardinali, & Domni Papæ Camerario, mandato quoque & Procuratori præfati Domni Papæ Cœleſtini ad hoc ſpecialiter conſtituto, ad opus & utilitatem ipſius Domni Papæ & ſucceſſorum ejus, ac totius Romanæ Eccleſiæ perpetuò: id eſt omnem actionem & petitionem, quam ipſi Domno Papæ & Eccleſiæ Romanæ fecimus, petivimus, petere, vel facere potuimus pro portione olim prædicti Cencii Romani de Papa patri noſtro competenti; videlicet ex univerſa portione quondam Petri Præfecti, illarum ſcilicet mille Marcarum argenti, quas ei & ſuis conſortibus olim Domnus Adrianus Papa IV. debuit: pro quibus eis Civitatem Caſtellanam, & univerſum Comitatum ejus ac Montem Altum obligavit, & jure pignoris tradidit, ſicut per Privilegium ipſius

C Domni Papæ Adriani apparet; & ad præſens vobis reddimus & tradimus omnes res & poſſeſſiones in corporibus & actionibus conſtitutas, quas in dicta Civitate Caſtellana intus & de foris, & in toto Comitatu ejus habemus. Quæ res nobis & dictis impuberibus pertinent, vel pertinere videntur jure obligationis pro tertia parte quinquaginta Librarum ejuſdem Monetæ, nomine donationis propter nuptias; quam idem Præfectus prædictus Dominæ Purpuræ fecit, atque pro portione nobis, ut dicitur competenti centum aliarum Librarum Provenienſium, vel Inforciatorum, quas prædictus Præfectus ipſi Dominæ Purpuræ in ſuo teſtamento reliquit. Quodcumque itaque jus & quamcumque actionem
D perſonalem & in rem, ſive hypothecariam, tam etiam ad agendum, quàm excipiendum, quod, quamve in omnibus rebus Civitatis Caſtellanæ intus & de foris, & totius Comitatus ejus, & generaliter in omni patrimonio Eccleſiæ Romanæ, & ſpecialiter in omnibus, in corporibus, vel in actionibus conſtitutis, quæ fuerunt olim prædicti Præfecti, habemus, & ſpecialiter adversùs modernum Petrum Præfectum, & ejus fratres, atque adversùs aliam quamcumque perſonam habere quoquo modo poſſemus, reſpectu vel jure totius portionis noſtræ, & dictarum ſororum noſtrarum præfixæ dotis & donationis atque legati, fructuum, uſurarum, vel acceſſionum eorum, & pœnæ, vobis, ut dictum eſt,
E pro dicto Domno Papa & ſuis ſucceſſoribus, ac tota Romana Eccleſia procuratorio nomine refutamus, cedimus, & mandamus, & ut utili poſſitis & directa actione intendere vos in re prædicti Domni Papæ procuratores facimus.

Pro quadraginta Marcis argenti, quas nobis prædictis ſororibus, una cum dicto Curatore noſtro, & mihi Stephano Johannis Craſſi pro dictis impuberibus, quorum Tutor ſum, pro omni jure noſtro præfixæ dotis centum Librarum Denariorum Papienſium, pro dicto Domno Papa & ex ejus pecunia procuratorio nomine, decreto prædictorum Judicum, datis atque perſolvitis: & pro aliis undecim Marcis argenti, quas nobis

bis pariter , ut dictum eſt , datis pro omni jure noſtro præfixæ donationis atque legati: eo quod habita ratione Denariorum Papienſium ad Provenienſes veteres , & Provenienſium veterum ad Provenienſes Senatus , ſecundùm ſtatutam formam a Judicibus & Mercatoribus Urbis, dicta portio noſtra dotis prædictæ, donationis & legati, uſque ad dictam ſummam quinquaginta unius Marcarum argenti extenditur . *De quibus omnibus , & de omni noſtro jure prædictæ dotis , donationis , & legati , nos bene quietos vocamus , & non ſolutæ pecuniæ , ſeu non redditæ dotis exceptionem omnino refutamus . Ideoque amodo dictus Domnus Papa & ſucceſſores ejus , ac tota Romana Eccleſia de hac cauſa quietè ſemper & pacificè maneat . Inſuper promittimus vobis , hoc noſtrum jus , totum , vel partem , nec nos , nec olim patrem noſtrum alii obligaſſe , conceſſiſſe , nec aliter alienaſſe , & ex quo nos ſpecialiter prædictæ ſorores legitimam vigintiquinque annorum ætatem habebimus , ſi a Romana Eccleſia erimus excitatæ , quæ dicta ſunt , omnia confirmare promittimus. Ad hæc autem nos Stephanus Rainerii de Stephano , & Stephanus Johannis Craſſi vobis pro dicto Domno & ſucceſſoribus ejus , ac tota Romana Eccleſia procuratorio nomine , fidejubemus & legitime promittimus , ſi aliquando , quod abſit , de hac cauſa per Petrum nunc Præfectum , vel per ejus fratres , ſeu per eorum ſucceſſores vel heredes, ſive per aliam quamcumque perſonam , ſeu etiam per conceſſionem , obligationem , vel alienationem a dictis minoribus & impuberibus , ſive a patre quondam earum factam , vel etiam per ipſas minores , dictus Domnus Papa & ſucceſſores ejus & Eccleſia Romana damnum aliquod de jure patietur , quantùm ad dictam ſummam argenti pertinet , quanti erit damnum , tantum ſine juris offenſa & alicujus Curiæ proclamatione , & ſine noſtra contradictione , in noſtris bonis & poſſeſſionibus eis placentibus auctoritate propria jure pignoris vendicent. Et ſi aliquo modo contradicere voluerimus , a jure , quod in eiſdem bonis habebimus , omnino cadamus , & ipſum damnum duplum emendare teneamur . Pro quo damno , ſi , quod abſit , acciderit , vobis pro dicto Domno Papa & ſuis ſucceſſoribus procuratorio nomine pignori ponimus & obligamus omnes res & poſſeſſiones noſtras ruſticas & urbanas , quas , quantùm ad ipſum damnum , ſi acciderit , pertinet, pro nobis & noſtris heredibus & ſucceſſoribus a dicto Domno Papa & ſuis ſucceſſoribus ac Romana Eccleſia precario & eorum nomine poſſidemus . Et huic promiſſioni & obligationi ſcientes nos legibus adjuvari , eo quod pro minoribus intercedimus , illud omnino juris vel legum auxilium , quod pro nobis in hac cauſa introductum eſt , refutamus , & omnem exceptionem, ſi qua uti poſſemus ad infirmanda quæ dicta ſunt , pariter refutamus . Noviſſime autem nos prædictæ ſorores pro nobis & noſtris heredibus & ſucceſſoribus, & ego Stephanus Johannis Craſſi pro me & dictis impuberibus , quarum Tutor ſum , & meis , & earum heredibus & ſucceſſoribus , & ego Stephanus Rainerii de Stephano pro me & meis heredibus & ſucceſſoribus vobis, ut dictum eſt, pro Domno Papa & ſuis ſucceſſoribus , quæ dicta ſunt , omnia obſervare , defendere & adimplere promittimus ſub veræ pacis & Chriſtianæ fidei vinculo a nobis ſpecialiter Theodora & Romana præſtito , & ſub pœna ab omnibus compromiſſa totius prædictæ ſummæ argenti duplæ : & ſolutâ pœnâ hæc Chartula firma permaneat ; quam ſcribere rogavimus Johannem Leonis Scriniarium in Menſe & Indictione ſupraſcripta XIII.*

Henricus Lombardus , teſtis .

Stephanus Petri Romani Arcoli , teſtis .

Paulus Malagruma , Domni Papæ Viſerius, teſtis .

Paſchalis , Cambiator , teſtis .

Curteſius , teſtis .

Ego Johannes Leonis , Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Scriniarius , habens poteſtatem dandi tutores & curatores , emancipandi etiam , decretum interponendi , & alimenta decernendi , complevi & abſolvi .

Altera confeſſio facta a Johanne de Columna S. R. E. Cardinali de pecuniâ ſibi perſolutâ nomine Gregorii IX. Papæ , Anno 1232.

IN nomine Domini . Amen . Anno Incarnationis Chriſti Milleſimo Ducenteſimo Triceſimo Secundo , Pontificatus Domni Gregorii Papæ IX. Anno VI. Menſis Julii die XVI. Indictione V. Nos Johannes de Columna titulo Sanctæ Praxedis Presbyter Cardinalis , hac die præſenti confitemur , nobis plene ſolutum eſſe ac integre ſatisfactum a te Caponigro de Senis, nomine Domini Papæ & Romanæ Eccleſiæ perſolvente , centum & octo uncias auri Regis & dimidiam ad pondus Romanum , & centum ſeptuaginta quatuor Libras & quatuor Solidos bonorum Provenienſium Senatus , *pro quibuſdam pignoribus noſtris , quæ tempore guerræ in ſervitio Eccleſiæ pro ſolidis militum & ſervientium aſſignavimus. Unde nos de prædictis denario & auro nobis pro pignoribus ipſis a te nomine Domini Papæ & Romanæ Eccleſiæ perſoluto bene quietos vocamus, exceptioni non numeratæ pecuniæ, & non ſoluti vel ponderati auri renuntiando. Renuntiantes etiam omni juri & actioni utili & directæ & exceptioni tacitæ & expreſſæ , quod quaſve occaſione prædictorum pignorum noſtrorum contra Romanam Eccleſiam vel Dominum Papam habere poſſemus . Promittentes pro nobis noſtriſque ſucceſſoribus hanc refutationem & omnia ſupradicta rata & firma ſemper habere & non contravenire ſub pœna dictæ pecuniæ duplæ , & pœnâ ſolutâ hoc Inſtrumentum refutationis nihilominus firmum permaneat .*

Actum Spoleti præſentibus teſtibus ſubſcriptis ad hoc ſpecialiter rogatis, ſcilicet Magiſtro Johanne Caparono de Anagnia , Magiſtro Johanne Anglico , Clerico Domini Cardinalis , Johanne de Furcono Clerico, Fratre Johanne Converſo Saxivivii , & Martino Fulginate , teſtibus .

Et ego Ricardus , Imperialis Aulæ Scriniarius, hanc Chartam mandato prædicti Cardinalis ſcripſi & complevi rogatus .

Proviſinæ quoque pecuniæ mentio eſt apud Grimaldum ſupra laudatum , cujus propterea eruditum ſermonem , per alias etiam Nummorum ſpecies excurrentem, audire juvabit. *Provenien-*

[illegible] autem Libram ita appellat. Mihi tamen animus erat Codices perluſtrandi [illegible], an legendum potius eſſet Pro[illegible], aut Provenientium. Sed rem decernere non audeo, nam in Chartis antiquis breviata eſt eadem vox, & non unam admittit lectionem. Hæc autem ſunt verba Grimaldi.

Libra Provenienſium Senatus valoris erat . . . 3-9. Libra parva Proviſinorum Senatus valoris erat Bol. 15. & 20. Solidi Proviſinorum conficiebant Libram. Solidus Provenientium Senatus argenteus valoris erat Bol. 12. ſemis. Solidus Provenienſium Senatus valoris erat quatuor quadrantum. De differentia Solidorum Provenientium & Proviſinorum exſtat memoria in Inſtrumentis Anni MCXCV. in Archivo Sancti Petri, ſignato 156. capſula 66. De Libra vero Proviſinorum Senatus docent Libri Cenſuales dictæ Baſilicæ ab Anno MCCCLXXVIII. uſque ad MCCCLL. Florenus aureus valoris erat Scuti unius et Bol. 25. Hic namque aureus erat, & ponderabatur, ut legitur ex Inſtrumento venditionis [illegible] vineæ in collis Montis Mali Anno MCCCXIX pretio XLIX. Florenorum boni & puri auri, & juſti ponderis, *ex dicto Archivo, capſula 66. faſciculo 189. & in Libro Tranſuntorum fol. 251. Anno MCCCLXXVII.* quinquaginta Floreni boni auri & recti ponderis, *præter alia exempla brevitatis cauſſa omiſſa. Florenus Romæ currens tempore Eugenii IV. multo etiam ante & poſt ex Lib. Inſtrument. Lelii Petronii in dicto Archivo, & in Libris Cenſualibus, valebat Bol. 35. & quadrantem unum. Et 47. Solidi Florenum conficiebant. Tempore Innocentii III. uti ex ejus Vita habetur,* valida fames invaluit, ut rubium frumenti a 20. ad 30. Solidos venderetur: *hoc eſt ad 24. & 36. Julios aſcendit frumenti rubium. Ex Cæremoniali Gregorii X. in Bibliotheca Vaticana fol. 7.* in Coronatione Pontificis proceſſio a Sancto Petro ad Lateranum. Fiunt Domino Papæ arcus: & Clerici Romani occurrunt eidem in Via ſacra, ubicumque poſſunt, cum thuribulis & incenſo. Et in remuneratione dantur Romanis Libræ XXXV. Provenientium. Et Clericis pro thuribulis XIV. Libræ & dimidia Provenientium. *Item fol. 62. de mandato ſ[illegible].* Miſſa igitur ſolemniter peracta, aſcendit Palatium, comitantibus eum tam Epiſcopis, quam Presbyteris & Diaconibus, omnibus paratis ſecundum ordinem ſuum. Pontifex verò ingreditur Baſilicam Sancti Laurentii de Palatio, vel Capellam Sancti Martini, ſi eſt ad Sanctum Petrum, & exuit planetam, & aſſumit ſibi mantum in ſcapulis, impoſito ſuper caput ſuum ſinone cum mitra, & facit mundatum, XII. Subdiaconibus roquetum cum ſuperpelliceo portantibus. (Hodie ſunt duodecim Pauperes, quibus Papa lavat pedes). Cubicularii ponunt concham ante eum: ipſe verò præcinctus linteo, habens ante ſe linteum mundum, quo unus Diaconus ei ſervit, ſecundum Dominum Jacobum Gaytani ipſum Papam præcingit, bracheolam ad hoc paratam habens in brachiis, & linteum mundum ante ſe tenens. Quæ omnia debent parari per Theſaurarium, vel Fratres de Pagnotta. (*Fratres de Pagnotta Ordinis Sancti Benedicti Eccleſiam Sancti Blaſii in Via Julia incolebant; curabant etiam Corpus Pontificis defuncti. Hodie hujuſmodi curam habet Sacriſta Papæ Ordinis Sancti Auguſtini.*) Et duodecim Subdiaconi manent foris Baſilicam diſcalceati. Duo verò Oſtiarii accipiunt Priorem in ulnis, & portant eum ante Pontificem. Pontifex verò cum aqua calida, quam infundere debent Cubicularii, lavat pedes ejus, & tergit linteo, & deoſculatur pedem ejus dextrum, & dat ei duos Solidos Provenientes. Et ſic facit unicuique Subdiaconorum, & dat ei XII. denarios &c.

Addere etiam juvat, quæ Innocentius III. Papa habet in Conſtitutione ſua ad Rectorem & Fratres Hoſpitalis Sancti Spiritus, quæ typis edita eſt inter ejus Opera. Hæc ille ait: *Jubemus, ut pro mille pauperibus extrinſecus adventantibus, & trecentis perſonis intus degentibus, decem ſeptem Libræ uſualis Monetæ (ut ſinguli accipiant tres denarios, unum pro pane, alterum pro vino, aliumque pro carne) ab Eleemoſynario ſummi Pontificis annuatim vobis in perpetuum tribuantur.* Idem etiam Innocentius imperat, ut Canonicis, *qui effigiem Salvatoris proceſſionaliter deportabunt, ſingulis duodecim Nummi de oblationibus Confeſſionis beati Petri præſtentur.* Hæc autem quum ſibi illuſtranda propoſuiſſet Grimaldus ſupra memoratus, hiſce rem expedit, inquiens: *Supra dictæ decem & ſeptem Libræ uſualis Monetæ erant Scuta auri in auro 34. ut colligitur ex pluribus obſervationibus a me factis ex Scripturis Archivi prædictæ Baſilicæ. Solidi, de quibus infra, valoris erant Bononenorum, ſive Obolorum duodecim ſemis pro quolibet. Decem Solidi argentei conficiebant Nummum aureum Juliorum decem & Bonon. 25. Quatuor Nummi argentei erant unus Solidus. Nummus valoris erat trium obolorum ſeu denariorum. Triginta Solidi valebant Marcham unam argenti puri: ſunt Scuta tria, Bonon. 75. Ita habetur fol. 71. in Libro antiquiſſimo MSto in membranis Calliſti II. Papæ. Ex Vita ejuſdem Innocentii III. colligitur, Marcham majorem eſſe Scutorum trium, Bol. 75. atque etiam Scutorum quinque, Bol. 75.* Libræ XXXV. Provenientium Senatus *ſunt Scuta auri in auro LXX. Idem etiam Innocentius pro ſubſidio Terræ Sanctæ fecit novam navem, in qua cum armamentariis ſuis* mille trecentas Libras *expendit. Sunt Scuta in auro 2600. Hinc colligitur, Libram hanc eſſe magni valoris.* Pro mille *igitur* & trecentis perſonis, *largiendo ſingulis tres denarios ſeu obolos, conficiebant Summam Scutorum 39. Monetæ. Et ſupradictæ Libræ XVII. ſunt auri in auro Scuta 34. ad Julios duodecim ſemis pro Scuto. Sic ſatis ſuperque erat hujuſmodi eleemoſyna, & ſufficiebant illis temporibus dicti tres Denarii ſeu Oboli ad panem, vinum, & carnem prædictis emendis. In Cæremoniali Gregorii X. in Bibliotheca Vaticana de electione novi Pontificis, hæc leguntur:* Recipit Papa de manu Camerarii denarios argenteos valentes decem Solidos Provenientes, & projicit ſuper Populum, dicens ſingulis vicibus: *Diſperſit, dedit pauperibus &c.*

Occurrunt etiam in Chartis antiquis Romanæ Civitatis *Libræ Affortiatorum*, de quibus actum eſt in Diſſertatione præcedenti. Earum pretium non aliud fuiſſe videtur, quam *Libra Lucenſis* monetæ. Atque ad idem nobis perſuadendum fortaſſe proderit Charta ex Regeſto MSto Cencii Camerarii depromta. Confer textum, ut ajunt Leguleji, cum Rubrica.

De

De Rocca Sancti Stephani, & medietate Perceni & Repeſini, pignori obligata Domno Papæ pro *centum Libris Afforciatorum, & quinque Solidis*, Anno 1159.

IN nomine Domini. Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Centeſimo Quinquageſimo Nono: Anno V. Pontificatus Donni Adriani Papæ IV. Indictione VII. Menſis Januarii die II. Ego Aldebrandinus Comes de Calmaniare pro me, & procuratorio nomine pro Bernardino fratre meo, coram Willelmo *Presbytero Cardinali titulo Sancti Petri ad Vincula, & Raimundo Diacono Cardinali Sanctæ Mariæ in Vialata, & Gregorio Corano Judice, obligo & in pignus pono tibi Domino Boſoni venerabili Cardinali Diacono Sanctorum Coſmæ & Damiani, Donni Papæ Camerario, procuratorio nomine pro ipſo Donno Papa & pro Eccleſia Romana; ideſt Roccam Sancti Stephani, & medietatem Perceni, & medietatem Ripeſeni, cum omnibus eorum uſibus, utilitatibus & pertinentiis, ſicut inter ſuos concluduntur fines, poſita in territorio Orbevetano; qualiter nobis competunt, taliter obligamus, & in pignus ponimus pro* centum quadraginta octo Libris Lucenſium & quinque Solidis, *quos nobis pro ipſo Donno Papa mutuaſti. Inſuper in unoquoque menſe pro* ſexdecim Solidis Lucenſium, *quos pro cuſtodia Arcis Dominus Papa expendere debet, prædictum pignus obligatum, ſicut pro ipſa ſorte tenebitur. Et ſic in unoquoque anno, donec pecunia ſoluta fuerit, & pignus liberatum, accreſcit ſumma ſorti* novem Librarum, & duodecim Solidorum Lucenſium. *Quacumque vero hora prædictam pecuniam vobis, veſtriſque Catholicis ſucceſſoribus ſolvemus, pignus hoc ſit vacuum, & hæc Chartula ad nos revertatur. Nos autem & noſtri heredes defendere promittimus ab omni homine, ſi neceſſe fuerit. Quod ſi contra hæc, quæ dicta ſunt, quolibet modo venire tentaverimus, tam nos quam noſtri heredes componamus Donno Papæ, ſuiſque Catholicis ſucceſſoribus pro pœna ſupraſcriptum pretium duplum: & ſolutâ pœnâ hæc Chartula firma permaneat; quam ſcribendam rogavi Andream Scriniarium in Menſe & Indictione ſupraſcripta VII.*

✠ *Signum manus ſupraſcripti Aldebrandini Comitis de Calmaniare pro ſe & Bernardino fratre ſuo, hujus chartulæ rogatorum.*

Docibilis, teſtis.
Bobo de Petro, teſtis.
Urſo filius ejus, teſtis.
Stephanus de Marta, teſtis.
Petrus Buticularius, teſtis.
Rogerius de Letulo, teſtis.
Johannes Ritius, teſtis.
Ego Andreas Scriniarius Sanctæ Romanæ Eccleſiæ & ſacri Lateranenſis Palatii, complevi & abſolvi.

Sed aliquid tamdem mihi dicendum eſt de celebratiſſima ſpecie Italicæ pecuniæ, hoc eſt de *Florenis*. Anno MCCLII. teſte Ricordano Malaſpina Cap. 152. & Johanne Villanio Lib. 6. Cap. 53. Hiſtoriar. cœpit Populus Florentinus percutere Nummos aureos, quos *Florenos*, alii verò *Ducatos* appellarunt, eâ de cauſſâ, quod in altera parte Nummi *Lilium* inſcriptum foret, atque in altera effigies Sancti Johannis Baptiſtæ. Hæc prima inſtitutio *Floreni* aurei, ita ut Borghinii ſententiam in Lib. de Numm. Florent. probare neſciam, ubi videlicet ſcribit:

A *Queſto nome di Fiorino fu innanzi alcuni Secoli* (ideſt antequam Carolus I. Comes Andegavenſis Apuliæ ac Siciliæ regno potiretur) *e tutta la coſa della Moneta noſtra era prima ferma, che queſto Carlo aveſſe che far nulla, o pur penſaſſe al Regno di Napoli*. Quod certum eſt, Anno Chriſti MCCLXVI. Carolus I. Regnum Neapolitanum arripuit. Quum verò Florenus primum percuſſus fuerit Anno MCCLII. ubinam ſunt tot Secula a Borghinio excogitata? Porro *Florenorum* nomen & decus ita deinde propagatum eſt per univerſam Europam, ut fere omnes alii Principes ad eorum imitationem
B ſimiles Nummos procuderint, eoſque ipſo nomine donarint. Uti fidem facit prælaudatus Johannes Villanius Lib. 9. Cap. 48. Henricus VII. Auguſtus Anno MCCCXIII. contra Florentinos iratus ſtatuit: *Che i Fiorentini non poteſſono battere moneta d'oro, nè d'argento; e conſentì per privilegio a Meſſer' Ubizino Spinoli da Genova, & al Marcheſe di Monferrato, che poteſſero battere in loro Terre, Fiorini d'oro contrafatti ſotto il ſegno di quegli di Firenze*. Id alii Principes imitati ſunt, ſive ſuo jure, ſive ex privilegio. Atque inter alios, teſtante eodem Villanio Lib. 9. Cap. 169. Johannes XXII. Roma-
C nus Pontifex Anno MCCCXXII. *fece fare in Avignone una nuova Moneta d'oro, fatta del peſo e lega e conio del Fiorino d'oro di Firenze, ſanza altra inſegna, ſe non che dal lato del Giglio diceano le lettere il nome di Papa Giovanni*. Eadem repetit Villanius Lib. 9. Cap. 278. addens: *E non vi avea altra differenza, ſe non che dal lato della impronta di Santo Giovanni diceano le lettere* Papa Giovanni; *e per intraſegna di coſta a Santo Giovanni una Mitra Papale, e dal lato del Giglio diceano le lettere Sanctus Petrus, Sanctus Paulus*. Præterea ſcribit, anathema ab eodem Pontifice indictum
D iis, qui Florenos aureos ad æmulationem Florentinorum cuderent. Sed & Francorum Reges ſub *Florenorum* nomine aurum ſignarunt, non tamen eo tempore, quo Le-Blancus eſt opinatus. Is enim Florenos aureos tribuit Philippo Auguſto, & Ludovico Sexto, Septimo, aut Octavo Francorum Regibus: immeritò ſane, quum ii ante Annum MCCLII. floruerint, quo primùm Floreni e Florentinorum Moneta prodierunt. Quare ii credendi ſunt pertinere ad Ludovicum Nonum, aut Decimum, & ad Philippum Pulchrum. Neque cum *Florenis* confundendi *Liliati*, ſive *Gigliati*, aurei nempe Nummi a Ca-
E rolo I. Siciliæ & Apuliæ Rege eodem Sæculo XIII. percuſſi, & ſic appellati, quod & ibi *Lilium*, Francorum Regum inſigne, fuiſſet inſcriptum. Non tamen erepta mihi omnis dubitatio, quin & Floreni Florentini ſub eadem appellatione apud aliquos olim venerint. Quænam verò comparatio foret valoris Floreni ad Libras Romanas Proviſinorum, a ſubſequenti Charta ediſcere licebit, quam ex ſupra laudato Codice Cencii Camerarii deſcripſi.

Solutio debiti Hominum de Fruſinone facta filiis Domini Matthiæ de Papa, Anno 1295.

IN nomine Domini. Amen. Anno Nativitatis Dominicæ Milleſimo Ducenteſimo Nonageſimo Quinto, Indictione VIII. Menſis Aprilis die III. intrante, Pontificatus Domini Bonifacii Papæ VIII. Anno Primo. In præſentia mei Notarii & teſtium ſubſcriptorum Nobiles viri Adenulfus & Nicolaus filii quondam Domini Matthiæ de Papa, Cives Anagnini, coram venerabili viro Domino Theoderico Domini Papæ Camerario perſonaliter conſtituti, confeſſi ſunt & recognoverunt, ſe habuiſſe ac recepiſſe ab eodem Domino Camerario dante & ſolvente eis nomine ac vice Sanctiſſimi Patris Domini Bonifacii divinâ providentiâ Papæ VIII. Romanæ Eccleſiæ & Cameræ ſuæ, octingentos ſexaginta ſex Florenos, & duas partes unius Floreni auri pro ſexcentis quinquaginta Libris Proveſinorum, *quas idem Dominus Matthias pater eorum, dum viveret, mutuaverat Hominibus Caſtri de Fruſinone, pro liberatione & abſolutione hominum dicti Caſtri a reſtitutione ſive ſolutione debiti ſeu mutui pecuniæ ſupradictæ. Dicti quoque Adenulphus & Nicolaus recognoſcentes libere & expreſſe eis fore de hujuſmodi mutuo integre ſatisfactum, nomine ſuo, heredum & ſucceſſorum ſuorum promiſerunt eidem Domino Camerario recipienti & ſtipulanti nomine ac vice Domini Papæ, Romanæ Eccleſiæ, & Hominum prædictorum, non inquietare vel moleſtare de cetero Homines ejuſdem Caſtri de Fruſinone ſuper reſtitutione pecuniæ ſeu mutui prædictorum: ſed ipſos abſolverunt & liberaverunt præciſe a debito memorato, ita quod occaſione hujuſmodi mutui eis vel eorum heredibus in nullo de cetero teneantur. Renuntiantes in iis exceptioni non numeratæ, non traditæ vel ſolutæ eis prædictæ pecuniæ quantitatis, beneficio reſtitutionis in integrum, omniſque alterius actionis & juris canonici & civilis auxilio, per quod huic Inſtrumento vel facto poſſet aliquatenus objici vel opponi.*

Actum Laterani in Camera præfati Domini Camerarii, præſentibus Lanfranco Clarenti de Piſtorio, Lando Sigoli, & Dino Orlandi de Florentia Mercatoribus Cameræ, & Gabriele Damaſi, Serviente Domini Papæ, & aliis.

Et ego Jacobus Piſani de Viterbio, Apoſtolica auctoritate, & nunc Cameræ Domini Papæ Notarius, præmiſſis interfui, & ea rogatus ſcribere, fideliter ſcripſi, & in publicam formam redegi, meoque ſigno ſignavi.

Octo aurei Floreni Florentinæ officinæ pondus unius unciæ auri æquabant, & ſinguli pro Solidis XX computabantur. Teſte etiam Guilielmo Venturâ in Chronico Aſtenſi, Floreni Aurei Anno MCCXC. *valebant Solidos XX. Aſtenſes*. Contra Johannes Villanius Lib. 7. Cap. 89 ſcripſit *Cento mila Libre di Genovini* (idest Genuenſis pecuniæ) *erano più di cento venticinque migliaja di Fiorini d'oro*. Apud Brixianos verò circiter Annum MCCLXX Jacobo Malvecio teſte in Chronico ejuſdem Urbis, *mille Aurei ſexcentis Libris æquivalebant. Nam tunc in Civitate hac Brixia duodecim Soldi tantum pro Floreno Aureo dabantur*. Ita verò ſubſequenti Sæculo XIV. percrebuit fama & nomen *Florenorum*, ut ſupra ceteros Aureos Nummos in curſu eſſent longe lateque per Italiam, immo & ultra Italiam. In Libro MSto Decretorum & Privilegiorum exiſtente in Archivo Communitatis Mutinæ, vidi ego tria Diplomata Johannis Bohemiæ Regis, data Anno MCCCXXXI. quo is tot progreſſus in Italia fecerat *Nobili viro Andreæ de la Molza*, in quorum uno ipſum conſtituit *Domus noſtræ Domicellum & familiarem domeſticum*, in altero ei donat Caſtrum Leonis, quum XVII. Kalendas Majas Anni ejuſdem e ſacro Fonte ſuſcepiſſet Gerardinum illius filium. Ibi quoque libellus legitur ab Andrea ipſo oblatus Carolo IV. Auguſto ejuſdem Johannis Regis filio, in quo Privilegia nonnulla petit, eumque rogat, ut ſibi rependatur pecunia a ſe mutuo data ipſi Carolo, ejuſque Auguſti patri Johanni annis retroactis. Neminem puto pigebit legere poſtremam partem petitionis, quam iiſdem verbis, quibus concepta fuit, exerere ſtatui. *Imprima preſtà eo Andrea al meo Signore Miſſer lo Re de Boemia, ſiando in Modena, li quae ello ſe dare a Miſſer Euſilmaro Todeſcho, li quae ello ge donò, e ſoe a dì X. d'Aprile in MCCCXXXI. in preſentia de Miſſer Loyxe di Savoja, e de Miſſer Zim da Caſtione, e de Miſſer Raynero da Monte Pulzano ſoe Cancellero*, Fiorini CCC. d'oro. *Item preſtà eo Andrea al deto meo Signore, ſiando in Bologna in caſa del deto Andrea, e recevelli Miſſer Nicolò, ch'era alora ſoe Cancellero, e da poi ſoe Veſcovo de Trento, & haveli per pagare l'albergo là, ove era ſtae molti Cavaleri e Famia del deto Re, e per vari drapi, che comprò lo deto Miſſer Nicolò, per veſtire lo deto Miſſer lo Re, e li Conti de Namurco ſoe Cuxini, e ſoe a dì XIV. d'Aprile MCCCXXXIII. in preſentia de Miſſer Guido de Scali da Fiorenza Factore e Donzello de Miſſer lo Legato Cardinale de Hoſtia e Signore de Bologna* &c. Fiorini DCC. d'oro. *Item preſtà eo Andrea al dicto Miſſer lo Imperatore a dì XXIII. d'Aprile MCCCXXXIII. ſiando lo deto Re a Modena in caſa di Frà Predicatori, e ricevelli Miſſer Nicolò alora ſoe Cancellero, per pagare ſpeſe, che havea facto Miſſer lo Re in Modena, non poſſandone havere neſſuno da Miſſer Manfrè di Pii, nè in Comune, & queſto in preſentia de Miſſer Guido de Pii da Modena, e de Fra Jacomo da Collegarola Priore di Frà Predicatori de Modena* &c. Fiorini MDC. d'oro: *di quai lo deto Imperatore ne ricevè Cartha, ſiando in Modena in caſa di Frà Predicatori*. Sed integrum Tractatum *de Florenis* ſperare nos propediem facit doctiſſimus vir Franciſcus Victorius, Eques Sancti Stephani, qui Romæ tum ex eruditione, tum ex Muſeo ſuo illuſtris nominis famam ſibi comparare pergit.

Nunc autem eſt animadvertendum, ex quo Civitatibus Italicis una cum Libertate jus auri atque argenti ſignandi ab Auguſtis conceſſum eſt, tunc non paucas ex iis curſum pecuniæ ſuæ fuiſſe moderatas ad normam Nummorum a ſe percuſſorum, ita ut alius non rarò in una, alius in altera eſſet ordo ac nomen pecuniæ. In Chartâ, quam obtulit mihi Archivum Canonicorum

corum Mutinenſium , ſcriptâ Anno MCCXII. *Honeſtus Dei gratiâ Abbas Monaſterii Sancti Benedicti de Lene* (hoc eſt ad Leones) *in Diœceſi Brixiæ , ex præcepto Domini Sicardi Cremonenſis Epiſcopi , & Apoſtolicæ Sedis Legati* (hoc munus , quo functus fuit Sicardus , ignorabam , quum Tomo VII. Rer. Italicar. ejus Chronicon evulgavi) nonnulla prædia venum dat , ac præcipue *Curtem Sancti Vincentii , quæ eſt poſita prope Caſtrum de Badiano* (nunc Bazzano) *pretio CCCLI. Librarum Imperialium in Bologninis , vel Ferrarinis, vel Parmeſinis , tribus Solidis per unum Imperialem* . Mabillonius in Annalibus Benedictinis ad Annum DCCLIX. Leonenſe Monaſterium commemorat , illudque ait, a *Conrado II. Imperatore ſolo æquatum*. En illud vigens adhuc Anno MCCXII. In altera Charta Anno MCLXXIX. exaratâ occurrit mihi *Donnus Enzo Monachus venerabilis Monaſterii Sancti Benedicti de Leune Prior de Panzano*, Cella videlicet, ſive Monaſteriolum ſitum in Vico Panzano , Mutinenſisne an Bononienſis Comitatus, neſcio Sunt enim duo ejuſdem nominis Vici. Panzanum autem illud ſuberat eidem Leonenſi Cœnobio . Vidimus ergo Solidos *Bononienſes*, *Ferrarienſes*, & *Parmenſes* , & adhuc durat *Bologninorum* appellatio non Bononiæ tantùm , ſed & Mutinæ, ac in aliis locis. In vetuſtiſſimo Codice Statutorum Ferrarienſium Lib. 2. Rubrica 341. titulus eſt *de valore Bagatinorum* . Scilicet, *quod quilibet teneatur recipere quatuor Bagatinos pro tribus Ferrarinis* . Apud Ticinenſes verò olim fuit duplex *Libra* , uti eruitur ex Chronico Majori MSto Gualvanei de la Flamma Ordinis Prædicatorum , in Ambroſiana Bibliotheca adſervato. Scribit enim Cap. 286. *Ex hoc poſtea Communitas Papienſis ſolvit decem & octo mille Libras illius groſſæ Monetæ, cujus Libra valebat Florenum* . Hæc Gualvaneus circiter Annum Chriſti MCCCXXX. ſcribebat , quo tempore Florenus Aureus intra & extra Italiam ſupra ceteros Nummos celebratiſſimus erat. Audi etiam Anonymum Auctorem Chronici Mediolanenſis , cujus partem evulgavi Tomo XVI. Rer. Italicarum . Scilicet in parte a me neglecta hæc ille habet (an optimis fundamentis nixus , alii videant) *de Moneta ab Archiepiſcopis Mediolanenſibus cuſâ : Prima Moneta dicebatur Marca auri , & valebat XIV. Florenos* (ſcilicet aureos). *Alia fuit Marca argenti, quæ valuit quatuor Florenos cum dimidio. Tertia Moneta dicebatur Auguſta , habens Imperatoris imaginem , & erat ex puriſſimo argento . Et erat groſſa in tantum , quod decem Auguſti valebant unum Florenum . Quarta dicebatur Imperialis , habens Imperatoris imaginem , & ſupraſcriptionem, & erat de argento puriſſimo . Decem Solidi Imperialium valebant unum Florenum . Quinta Moneta dicebatur Tertiolus , quia ejus tertia pars erat tantùm argentea , & XX. Solidi valebant unum Florenum* . Neque omittenda eſt mentio *Ducati Aurei Veneti* , quem nunc *Zecchino* appellamus . Nummum iſtum primo Venetiis percuſſum ſub Johanne Dandulo Duce , auctor eſt Marinus Sanutus in Hiſtor. Venet. Tomo XXII. Rer. Italicar. ad Annum MCCLXXXV. Ejuſdem verò ponderis ac formæ fuerunt & *Ducati aurei Germanici* , & *Hungarici*, quorum familiaris eſt uſus.

Verùm ad tempora noſtra ſermonem tamdem convertamus . Nulla nunc Provincia eſt , nulla Civitas in Italia , quæ ingens diſcrimen non animadvertat inter pretium Librarum ac Soli- A dorum veteris ac præſentis ævi . Olim paucis, nunc multis Libris Aurei nummi emuntur : olim agri , ædes , ac cetera venum expoſita , paucarum Librarum pretio dabantur , nunc multarum . Ad hæc veterum Contractus ſi attente conſulantur , ubique produnt progreſſum hunc in mutatione pretii pecuniæ , quem noſtris quoque temporibus , immo & in dies ſingulos animadvertimus . Sive tanta inſtabilitas tribuenda eſt numquam ſaturatæ hominum avaritiæ , quibus perpetuum ſtudium eſt , aurum aut argentum ſuum cariori pretio, ſi poſſint , quàm ceteri , quotidie vendere , aut expendere : ſive eadem proceſſerit , ac procedat ex minutorum Nummorum, ſive Denariorum B conditione , quæ quotidie deterior ex officinis Monetariis prodit , ſive aliis ex cauſſis ; neque enim raritati auri aut argenti tribuendas haſce metamorphoſes affirmare auſim : illud certum eſt , enormem intercedere differentiam inter veteris ac recentis monetæ æſtimationem . Cujus rei exempla aliquot delibavi ex Archivo Communis Mutinæ . Quanti væniret apud majores noſtros panis & vinum , ex hiſce intelliges . *Anno MCCXLIX. Indictione VII. die Martis X. intrante Menſe Auguſti , Regnante Domino Imperatore Frederico . Hæc eſt ratio , qualiter vinum vendi debeat ad minutum . Vinum , quod conſtat X. Solidos Mutinenſes quartarium, debet fieri menſura de XXXIII. unciis,* C *& una drama . Item menſura vini de XI. Solidis Mutinenſibus , debet eſſe de triginta unciis & una drama &c. Nota, quod quartarium vini eſt in ſumma CCCXXXIII. Libras . Quando Sextarium frumenti valet XX. Solidos Mutinenſes , debet eſſe panis coctus VIII. uncias & meza pro duobus Denariis Mutinenſibus . Item ad rationem XIX. Soldorum , debet eſſe IX. uncias , minus una drama &c.* Pari etiam ratione Anno MCCLXXXIII. tempore regiminis Dominorum Guidocti de Archidiaconis Poteſtatis, & Guidonis de Corrigia Capitanei Communis & Populi Mutinæ , *panis venalis bene coctus , qui fiet de Sextario frumenti , qui valuit XX. Soldos Mutinenſes , vel ultra , fieri debeat tribus* D *Denariis Mutinenſibus XIV. unciarum , & trium tramarum minus quarta parte unius tramæ &c.* Ferrariæ verò , ut habetur in Statutis Anno MCCLXVIII. confectis , *Fornaxarii tenebantur dare milliarium lapidum* (ideſt laterum) *pro XX. Solidis Ferrarinis , & milliarium cupporum* (hoc eſt tegularum) *pro XXIV. Solidis Ferrarinis ; & milliarium tavellarum* (nempe ſubtiliorum laterum) *pro XV. Solidis Ferrarinis ; & modium calcinæ pro XVIII. Solidis Ferrarinis* . Quod eſt ad agrorum pretium , Anno MCCXXI. *Ubertinus Campetia de Spilimberto vendidit per alodium duas petias terræ poſitas in Curte Spilamberti. Prima petia eſt XII. bubulcæ . Secunda eſt VI.* E *bubulcæ : pro XL. & octo Libris* . Anno MCCXXVIII. *Guilielmus Epiſcopus Mutinenſis* emit in agro Porcilis petiam terræ bubulcarum XIV. titulo pretii ſolvens *XLIX. Libras Imperiales ad rationem trium Librarum Imperialium & dimidii pro qualibet bubulca* . Tum eodem Anno aliam terram *ad rationem quatuor Librarum Imperialium* . Aliam quoque *ad rationem quindicim Librarum Parmenſium quamlibet bubulcam* . Anno MCCLX. Guido de Suzaria , celebratiſſimus eorum temporum Juriſperitus , Civis Mutinæ creatus, de quo mihi erit ſermo in Diſſertatione XLIV. *de Literarum fortuna* , duas petias terræ emit poſitas in Silva de la

Lama,

Lama, bubulcarum XCVI *ad rationem XIII Librarum Mutinenſium pro qualibet bubulca*. Eodem anno Commune Mutinæ emit petiam terræ laboratoriæ poſitam in diſtrictu Florani pro DCXXI. Libris Mutinenſium, *ad rationem novem Librarum & ſeptem Solidorum Mutinenſium pro qualibet bubulca: quæ petia terræ dicebatur eſſe ſexaginta ſeptem bubulcas minus decem tabulis*. Præterea Anno MCCLXIII eadem Reſpublica Mutinenſis in diſtrictu Sancti Felicis magnam copiam agrorum emit, Monaſterio Nonantulano tradendam gratiâ concordiæ initæ, per quam Monachi renuntiarunt cuicumque juri ſibi fortaſſis competenti in quadam Caſtella, quæ ab immemorabili tempore Communitas Mutinenſis poſſidebat. In hiſce fundis emendis erogatæ ſunt bis mille centum & viginti duæ Libræ Mutinenſium *ad rationem cujuslibet bubulcæ ſeptem Librarum Mutinenſium pro trecentis bubulcis, & ad rationem quinque Librarum Mutinenſium pro quatuor bubulcis*. Alia quoque petia XII bubulcarum in Sancto Felice poſita emta fuit *ad rationem octo Librarum Mutinenſium & undecim Solidorum Mutinenſium, & quinque Mutinenſium pro qualibet bubulca*. Nunc apud nos quælibet bubulca terrarum quingentis, aut mille & amplius Libris Denariorum currentium venit.

Eamdem monetæ variationem enormem, in ſingulos pene annos creſcentem diſcere poſſumus e ſubſequutis temporibus. In domeſticis Libris Monachorum Mutinenſium Benedictinorum Sancti Petri hæc animadverti. Anno MCCCCLXX. pro ſingulis millibus laterum coctorum pendebantur Bononini L. hoc eſt, duæ Libræ & ſemis Solidorum. Nunc XXX. Libræ, atque etiam XXXV. impenduntur. Anno MCCCCLXXI Libræ 96. Bononini 16. & Denarius unus monetæ Florentinæ valebant Libras 48 Bononinos 12. & Denarios 3. Mutinenſis monetæ. Quo item Anno Bononinis quatuor pro ſingulis diebus conducebatur Librarius, ut *Homiliam Bedæ* deſcriberet. Anno MCCCCLXXXII. *Florenus aureus* æſtimabatur Solidis 98. monetæ Mutinenſis. Anno autem MCCCCLXXXVII. quilibet *Florenus largus aureus* Mutinæ emebatur Libris tribus & Bononinis duobus. Anno MDVIII. *Ducatus aureus* valebat Solidos 71. *Scuta* verò 26. *aurea* æquabant valorem Librarum 93. Mutinenſium. Idem *Scutum aureum* Anno MDLX. pretium reddebat Librarum quatuor & ſemis. *Dupla Hiſpanica aurea* Anno MDXCVII reſpondebat Libris duodecim & Bononinis duodecim monetæ Mutinenſis: *Italica* verò *Dupla aurea* Libris duodecim & Bononinis tribus. *Zecchinus aureus Venetus* æſtimabatur Mutinæ Lib. 7. & Bonon. 6. *Hungarus* verò *aureus* Lib. 7. Bonon. 5. *Ducatonus argenteus*, ſive *Scutum Romanum argenteum* Lib. 5. & Bonon. 2. Tum Anno MDCIII. *Dupla aurea Hiſpanica* conſtabat Lib. 13. *Italica* Lib. 12. Bonon. 10. *Zecchinus* Lib. 7. Bonon. 12. *Ducatonus argenteus* Lib. 5. Bonon. 7. Rurſus Anno MDCVIII. *Dupla Hiſpanica* valebat Lib. 14. *Italica* Lib. 13. & ſemis. *Zecchinus* Lib. 8. Atque ut cetera omittam, Anno MDCXIV. *Dupla* eadem *Hiſpanica* pendebatur Lib. 16. Anno MDCXXII. Lib. 18. Anno MDCXXXVI. Lib. 22. & ſemis. Ita perenni fluctuatione pretii eo uſque *Dupla Hiſpanica aurea*, uti & *Gallica* ſub Ludovico XIV. Rege percuſſa, Mutinæ pervenit, ut nuper Libris 50. & ultra Bononinorum Mutinenſium, nunc Libris 65. mirabili ſaltu factu redeatur, & apud vicinos noſtros paria in dies incrementa augmenta patiatur, ſive recipiat. Equidem norunt omnes, quàm immanis auri argentique vis in Europam confluxerit, ex quo detectæ Occidentales Indiæ in ditionem venerunt Hiſpanicorum præcipue ac Luſitanorum Regum, ita ut nunc paſſim vili pendenda viderentur pretioſa illa metalla. Attamen animadvertendum ſimul eſt, quantos auri atque argenti acervos exuberans noſtrorum temporum luxus abſorbeat & abſumat. Quod plus eſt, occupante jam nimio ære locum argenti in nummis, neceſſe eſt, ut pluribus quàm antea nummis aurum & argentum emantur. Accedit & alia (ipſaque longe gravior, neque tamen vulgo nota) pecuniæ Europææ vorago, Mercatorum videlicet numquam ſatianda cupiditas, qui ad Turcarum, Indicique Mogolis, & Sinenſium provincias, & in reliquum ferme Orientem, immenſam quotidie auri argentique copiam vehunt, ut inde merces Europæis dividendas abducant; neque enim Orientales Populi Europæas merces pecunia emere, aut mercibus ſuis permutare facile conſueverunt. Quod tamen noſtris temporibus uſuvenit, ne vetuſtis quidem omnino inſuetum fuit. Teſtatur Johannes Villanius Lib. 12. Cap. 96. Hiſtoriar. de Florentinorum argento, *che i Mercatanti per guadagnare, il raccoglievano, e portavano oltre Mare, dove era molto richieſto*. Verùm longe minus olim fuit pecuniæ Europææ detrimentum. Luxum enim non adeo familiarem antiqua ſæcula habuerunt, & præter aromata, margaritas ac pannos, vix quidquam aliud ab Orientalibus conquirebant, nondum perviis Europææ genti ulterioribus Indiis ad Orientem & Occidentem poſitis. Immo hoc ipſum qualecumque commercium in utilitatem non modicam Italicorum cedebat. Verùm ubi luxus Italicorum mentes faſcinare cœpit, tunc Orientalium merces majorem in modum exhaurire etiam cœperunt Italicæ gentis theſauros. Vide in Notis Clariſs. Benvoglienti ad Chronicon Senenſe Tom. XV. Rer. Ital. ad Annum MCCCXXXVII. quot merces Syriacas una Salimbenorum familia Senenſis, effuſâ ingenti pecuniâ, compararit. At de his alii opportunius diſſerant.

Ceterum nullo umquam tempore deſiderati ſunt, qui adulterinam monetam fabricarint, aut legitimam circumciderint, aut collegerint, ut carius divenderent. Adversùs abominandum hoc publicorum furum genus ſunt in Codice Theodoſiano multæ Leges Lib. 9. Tit. 21. & ſequent. Tacitus quoque Auguſtus, ut eſt apud Vopiſcum, *cavit, ut ſi quis argento publice, privatimque æs miſcuiſſet; ſi quis auro argentum; ſi quis æri plumbum, capital eſſet cum bonorum proſcriptione*. Neque Langobardis & Francis in Italia regnantibus ejuſmodi crimen inſuetum fuit. Idcirco Rotharis Rex Lege 246. decretum hoc promulgavit: *Si quis ſine juſſione Regis aurum ſignaverit, aut monetam confinxerit, manus ejus incidatur*. Quæ verba ſatis indicare videntur, jam tum Reges Langobardorum Nummos ſuo nomine ſignaſſe, quamquam antiquiores ego exhibere nequiverim. Carolus autem Magnus in Capitularibus, ne *falſa Moneta* cuderetur, nunquam *niſi in Palatio* cudendam juſſit. Sed & Ludovicus Pius Lege 27. inter Langobardicas Rotharis conſtitutionem his verbis renovavit. *De falſa Moneta jubemus, ut qui eam percuſſiſſe comprobatus fuerit, manus ejus amputetur. Et qui hoc*

hoc conſenſerit , ſi Liber eſt , LX. Solidos componat ; ſi Servus eſt , LX. ictus accipiat. Sed & præter Nummos aureos & argenteos , quorum familiaris uſus fuit temporibus barbaricis, inveniuntur etiam ærei Nummi , ſeu ex ære & argento mixti . Sed rariores , quàm apud Romanos : ærei enim Romanorum ævo ſignati plurimi proſtant , & quotidie tellure effoſsâ in Italiâ inveniuntur ; rarò autem declinante Imperio ærea , aut mixti æris Numiſmata occurrunt , eaque fere omnia ſub Germanicis Auguſtis , & ſub Civitatibus liberis percuſſa . Ex his aliquot vidi . Neque fieri aliter potuit , poſcente id neceſſitate humani commercii . Nam ut ſcripſit Sæculo XIV. Nicolaus Oreſmius Epiſcopus Lexovienſis in Lib. de Mutat. Monet. Cap. 3. *Quoniam portiuncula argenti , quæ juſte dari deberet pro libra panis , vel aliquo tali , eſſet minus bene palpabilis propter nimiam parvitatem , ideo facta fuit mixtio de minus bona materia cum argento : & inde habuit ortum Nigra Moneta , quæ eſt congrua pro minutis mercaturis* . Utique ex hac *Nigrâ Monetâ* nihil mihi ſe obtulit ſpectans ad Langobardorum Francorumque Regum tempora. Le-Blancus etiam in Tractat de Monet. Franc. Cap. 3. affirmare non audet , num ſub prima & ſecunda Francorum Regum ſerie in uſu fuerit apud Francos Moneta *Billionum* , ideſt ex puro ære , aut ære mixto cum argento . Attamen quæ cauſſa invehendi Nummos æreos ab Oreſmio allata eſt , nobis ante oculos ſemper obverſetur neceſſe eſt . Vix enim intelligamus, quei tunc minutæ merces , multaque victui neceſſaria a paupere vulgo comparari quotidie poſſent , niſi vilis alicujus pecuniæ ſpecies in hunc uſum expoſita fuiſſet . In Apulia præſertim & Calabria Sæculo Chriſti XII. uſitata fuit pecunia *Romeſina* ex nummis vilis metalli, quum teſte Falcone Beneventano ad Annum MCXXXIX. Barenſes obſidione preſſi a Rogerio Rege emerent *panem unum ſex Romeſinis* . Vide & Du-Cangium ad hanc vocem . Invexit etiam idem Rogerius Rex Anno MCXL. *Ducatum , octo Romeſinas* valentem , qui longe plus æris quàm argenti præferebat . Idem quoque percuſſit *Follares æreos , Romeſinam unam appretiatos* : quod pecuniæ iniquiſſimæ genus, teſtante eodem Falcone , calamitatem , ac pauperiem Regni mirum in modum auxit ; ut tandem intelligamus , vitia Sæculi noſtri ne vetuſtis quidem temporibus ignota , inſuetave fuiſſe .

DE SPECTACULIS ET LUDIS PUBLICIS MEDII ÆVI.

DISSERTATIO VIGESIMANONA.

DISSERTATIO VIGESIMANONA.

QUi Ludi publici, quæ magnifica Spectacula & oblectamenta Populo præberentur Italico poſt declinationem Imperii Romani, atque ante Annum Chriſti Milleſimum, pauca novimus, quia ne Hiſtorias quidem illius ævi niſi pauculas habemus. Præterea ſuſpicandi locus eſt, barbarica illa tempora, ac rudes gentes parum ſibi procuraſſe, quæ tantâ pecuniæ effuſione a Græcis ac Romanis olim edebantur, ac tanto ſtudio Populus ſpectatum accurrebat. Theodericum inclytum Gothorum Regem ſemper excipio, qui natione quidem barbarus, Romanum tamen animum ſecum gerebat, ac Romanorum mores, quantum potuit, eſt æmulatus. In Excerptis de Theoderico ab Hadriano Valeſio editis ad calcem Ammiani Marcellini, is dicitur exhibuiſſe *Ludos Circenſium, & Amphitheatrum, ut etiam a Romanis Trajanus, vel Valentinianus, quorum tempora ſectatus eſt, appellaretur*. Infra etiam triumphantium more Urbem ingreſſus dicitur, & Populo Romano annonam, *centum viginti millia modios*, ideſt Congiarium, tribuiſſe. Caſſiodorius quoque Lib. 3. Epiſt. 51. Variar. curam Theoderici memorat pro Ludis Circenſibus, ut Populo ad ea ſpectacula aſſueto voluptatem præberet, non quod illa ipſe probaret. De Theoderici ſtudiis etiam ſupra aliquid innui in Diſſertatione XXIII. *de Morib. Italic.* Præter militares Ludos, qui oblectarent Langobardorum gentem, poſtquam Italiâ potita eſt, alios fruſtra in Chartis quærimus. Quod novi, ſub Francis Auguſtis magnificos interdum Ludos Italia accepit. Annaliſta Saxo, Regino, Marianus Scotus, ac alii Chronologi ad Annum Chriſti DCCCLXXVII. referunt nuptias Boſonis Ducis, & Ermengardis Ludovici II. Auguſti filiæ, celebratas Ticini, coram ipſo Carolo Calvo Imperatore, *tanto apparatu, tantâque Ludorum magnificentiâ, ut hujus celebritatis gaudia modum exceſſiſſe ferantur*. Sed quidnam fuere Ludi illi? Silent Hiſtoriæ. Ad me quod attinet, cenſeo, ex iis Spectaculis pleraque ad belli faciem fuiſſe compoſita. Auctor eſt Ennodius Ticinenſis in Panegyric. Theodericum Regem, ne milites otio torperent, umbratiles quaſdam pugnas inſtituiſſe, quibus eorum fortitudinem exercebat, & pulcrum Populo ſpectaculum præberetur. *Pubem*, ita ille ad ipſum Regem ait, *indomitam ſub oculis tuis inter bona tranquillitatis facis bella proludere &c. Implent actionem fortium, dum jocantur; agitur vice Spectaculi, quod ſequenti tempore poterit ſatis eſſe virtuti. Dum amentis puerilibus haſtilia lenta torquentur: dum arcus quotidianæ capitum neces dirigunt*, Urbis (ideſt Ticini) *omne pomœrium Simulacro Congreſſionis atteritur. Agit Figura Certaminum, ne cum periculo vero naſcantur*. Et ſane antiquis Gothis *publica Spectacula* edere in more fuiſſe tradit Olaus Magnus Lib. primo, Cap. 2. Hiſtor. Langobardis, & Francis par deinde ſtudium in Italia fuiſſe opinari licet. Apud Anonymum Poëtam de Laudib. Berengarii Auguſti Lib. 2. lego:

- - - - - - - - quingentaque robora belli
Eduxit patriis horrentia viribus, atque
Francigenis olim duris exercita Ludis.

Ludi tamen iſti non Ludi fortaſſe fuerunt, ſed ficti certamina belli. Ad hæc Aulico Ticinenſi auctore Tomo XI Rer. Italicar. diſcimus, conſueviſſe Ticinenſes, ineunte Sæculo XIV. quo is ſcribebat, ſimulatis prœliis non raro inter ſe congredi, ut eâ exercitatione alacriores ac aptiores ad vera efficerentur. *Battagliole* ejuſmodi certamina appellabantur, quæ hiſce verbis ille Cap. 13. deſcribit: *Ut autem a pueritia melius doceantur ad bellum, ſingulis diebus Dominicis atque Feſtis* &c. *quædam Spectacula faciunt, quæ Battaliolæ, ſed Latine convenientius Bellicula nuncupantur. Dividunt enim Civitatem in partes duas: quarum unaquæque multas Societates, ſive Cohortes habet. Pugnant autem ad invicem ligneis armis, aliquando ſimul omnes, aliquando duo ſeorſim, ſe per occurſum a longe clypeis ferientes, alterutri obviando. Habent enim in capitibus galeas ligneas, quas Ciſtas vocant, pannis & mollibus interius, exteriuſque partitas, habentes in ſuperficie deciſa vel depicta ſuæ Societatis inſignia, & ante faciem cratem ferream circumflexam* &c. Romanis quoque in uſu fuere *clavæ* & *gladii lignei* ad tironum exercitium. Ii quoque *Scuta de vimine in modum cratium corrotundata* gerebant, iiſque armati ad palos exercebantur. De his multa habet Vegetius Lib. I. Cap. XI. ex quo poſteriorum Sæculorum homines multa didiciſſe videntur. Quod obiter dictum ſit. Erat & Ravennatibus altera olim civilium certaminum ſpecies, ſed quæ crudelia ac funeſta nimium poſt ſe conſectaria aliquando reliquit. Rem narrat Agnellus in Vitis Archiepiſcopor. Ravennat. Tomo II. pag. 154. Rer. Italicar. ubi de Damiano Archiepiſcopo XXXVI. ſcribit. Videlicet ibi mos erat, ut ſingulis ferme diebus feſtis extra Urbem una pars Populi adverſùs alteram ludicrum certamen iniret: quod ſpectaculum die quadam in teterrimam cædem & carnificinam evaſit: *Die omni Dominico* (ita inquit Agnellus) *vel Apoſtolorum die, Ravennenſes Cives, non ſolùm illuſtres, ſed homines diverſæ ætatis, juvenes & ephœbi, mediocres & parvuli promiſcui ſexus, per diverſas portas aggregatim egredientes ad pugnam procedunt. Deliri & inſani: quando ſine cauſſa ſe morti ſubjiciunt. Contigit eo tempore* (videlicet circiter Annum DCXC.) *ut Tigurienſis Porta iniret certamen cum Poſterula, quæ vocatur Summus Vicus, juxta Foſſam Lamiſem. Qui ingreſſi in prima fronte, a fundibulariis inſecuti, terga Puſterulenſes dederunt. Tigurienſes verò eos inſequentes, multa ſtraverunt corpora, & venerunt ad prædictam Poſterulam, minaverunt reſiduum infra, & confregerunt molchos & ſerras, & cum victoriâ in ſuas reverſi ſunt domos*. Pejora inde conſequuta ſunt, quæ apud Agnellum legat qui velit. A vero fortaſſe non abludat, qui ſuſpicetur, eam Ravennatis Populi ſciſſuram a Græcis tunc ibi dominantibus, ſi non procuratam, ſaltem libenter fuiſſe toleratam, ut diviſis Civibus tutius imperarent:

quum neque illa non ignotam aliis ex Italis populis oſtenderem.

Vero quoque ſimile eſt, ceteras Urbes Italiæ bellicoſis in temporibus ejuſmodi certaminibus ditas indulſiſſe, ut Populum ſuum ad labores armorumque militiæ adſueſcerent. In Charta Mutinenſi Anni MCLXXXVII extra Urbem noſtram erat *Pratum de Batalia*. Huic Prato inde acceſſiſſe nomen non immeritò ſuſpicari licet, quod ibi gladiatoriæ illæ pugnæ haberentur inter Cives. Novariæ quoque (uti ſcribit Petrus Azarius in Chronico a me edito Tomo XVI Rer. Italicarum) ſingulis civilium pugnarum locus olim fuit. Neque deſideratus eſt Mediolani. Gualvaneus de la Flamma, qui circiter Annum Chriſti MCCCXXX Manipulum Florum ſcripſit, a me evulgatum Tomo XI Rer. Italicar. hæc habet Cap. 15. *Extra muros Civitatis* (Mediolani) *erat Brolium magnum, ubi juvenes in armis & pugnis diverſis, exercitationis cauſâ conveniebant*. Addit etiam: *Ex alia parte Urbis ex oppoſito, ubi dicitur Sancta Maria ad Circulum, erat Hippodromum Circi, ubi equeſtres milites ſua haſtiludia peragebant more Romano*. Adde & alterum Scriptorem Anonymum Mediolanenſem, qui in Chronico apud me manu exarato hæc de *Spectaculo Civitatis Mediolani* memoriæ prodidit: *Spectaculum erat quoddam magnum ſpatium, ubi pueri de Mediolano certis diebus conveniebant ad diverſos Ludos peragendos, qui fiebant pluribus modis, aut de arcubus ſagittas emittendo, vel ballas ponderis librarum jaciendo, vel laterum complexu ſe invicem proſternendo, vel ſaltu longiori ſeu altiori proſiliendo. Eſt iſte locus, ubi nunc eſt Pratum Communis*. Edita eſt a Clariſſimis Doctiſſimiſque Patribus Societatis Jeſu Antuerpienſibus in Act. Sanctor. ad diem XXI Maji Vita Sancti Petri Parentii, qui Anno Chriſti MCXCIX. in Urbevetana Civitate a Manichæis interfectus, palmam Martyrii retulit. Auctor ſynchronus hæc de eo ſcribit: *Prohibuit Urbevetanos in Carniſprivio a bellorum conflictibus abſtinere, quia eo tempore ſub Ludi occaſione multa conſueverant homicidia perpetrari*. Ita Sanctus Bernardinus, ut habet illius Vitâ a coævo Scriptore literis conſignata, *radicitus evertit mortalem Luſum, qui Peruſii inter Cives vetuſtâ conſuetudine vigebat, cum Scutis & Clavis*. Vide etiam Notas Benvoglienti ad Chronicon Senenſe, Tomo XV Rer. Italicar. pag. 42. e quibus diſcas, Anno MCCXCI in Urbe Senenſi ultra, quam par eſſet, exarſiſſe utriuſque Popularis factionis animos, dum haberetur *la Battaglia all' Elmora*, ita ut *per queſto ſi levò via, che non ſi giocaſſe con battaglia di Pertiche nè di Saſſi: ma che ſi giocaſſe alle Pugna per meno ſcandalo. E così fu il principio del Giuoco delle Pugna in Siena, e levoſſi via l'altre battaglie*. Quæ autem de Sæculis poſterioribus ſcribo, fortaſſis a ſerâ antiquitate originem traxere. Nam præter vetuſtum Ravennatis Populi exemplum nuper memoratum, & talia hujuſmodi certamina ipſo Sæculo Æræ Chriſtianæ Quinto in uſu fuiſſe deprehendi. Audi Sanctum Auguſtinum ita ſcribentem Lib. 4. Cap. 53. de Doctrina Chriſtiana: *Quum apud Cæſaream Mauritaniæ Populo diſſuaderem pugnam civilem, vel potius quam civilem, quam Catervam vocabant; neque enim Cives tantummodo, verùm etiam propinqui, fratres, poſtremò parentes ac filii Lapidibus inter ſe in duas partes diviſi, per aliquot dies continuos certo tempore anni ſollemniter dimicabant, & quiſque ut quemque poterat, occidebat; egi quidem granditer, quantum valui, ut tam crudele & inveteratum malum de cordibus & moribus eorum avellerem &c.* Hæc Auguſtinus circiter Annum CCCCXXVI quæ ſatis indicant, quantum ſit virium inveteratæ conſuetudini, ita ut animalia ratione prædita non animadvertant, ſe in ultimam dementiam abripi.

Præterea barbarici ævi ſpectaculum familiare fuerunt *Duella*, ſive ſingularia certamina, de quibus acturus ſum in Diſſertatione XXXIX. *de Duello*. Ea palam habebantur. Confluebat Populus univerſus, impium experimentum ſpectaturus; ipſique etiam Imperatores, Reges, ac Principes, quum pugna futura erat inter nobiles viros, interdum Ludo crudeli intererant. Ad Sæculum uſque a Chriſto nato XVI. abominanda ejuſmodi conſuetudo manavit, ejuſque exempla utpote obvia a me Lector nequaquam exſpectet. Illud potiùs commemorandum eſt, non ignotas quidem Romanis & Græcis antiquis, uti Vergilius præ ceteris teſtatur, fuiſſe reſtitutas poſt, ac ſupremum poſtea locum inter publicos Ludos obtinuiſſe, fictas illas concertationes, quæ *Torneamenti* & *Giostre* adhuc Italice appellantur. Doctiſſimus Du Cangius tum in Gloſſario Latino, tum in Diſſertatione Septimâ ad Joinvillam, erudite pro more ſuo originem *Torneamentorum* inquirit, eamque Gallis, & ſingulari etiam titulo Gaufrido II Domino Pruliaci tribuit: qui teſte Chronico Turonenſi ad Annum MLXVI. *Torneamenta* invenit. Gallica profecto vox, a verbo *tourner*, ejuſmodi ſententiam confirmat, præter Matthæum Pariſium, qui ad Annum MCLXXIX. *Conflictus Gallicos* Torneamenta nuncupavit. Otto Friſingenſis Lib. prim. Cap. 17. de Geſtis Friderici, *Tyrocinium* commemorat, *quod vulgo nunc Turniamentum dicitur*. Quæ Romani milites olim in otio agebant, & quæ nuper de Theoderico, ejuſque militibus attuli, rudimenta quædam fuiſſe videntur ejuſmodi ludicrarum decurſionum; quæ a turmis equeſtribus armatis, equos in gyrum agitantibus, ſeque ferientibus invicem Lanceis & Gladiis hebetibus, peraguntur. Sed & armis interdum acutis, ac hoſtili pæne more eadem Haſtiludia olim habebantur, ita ut Ludis hiſce etiam mitioribus vix umquam finis ſtatueretur, quin per alicujus nobilis viri cædem voluptati luctus ſuccederet; ab unis enim Nobilibus viris certamina iſta haberi conſueverunt. Propterea in Concilio Lateranenſi II. œcumenico, Anno MCXXXIX Canon. XIV. in Remenſi Anno MCXLVIII. Canone XII. ac in aliis permultis Conciliis, ſubinde interdicta fuere *Torneamenta* quæque, ea videlicet, unde hominum mors conſequi poterat. Verùm fruſtra obſtitere ſacrorum Præſulum Canones: uſus adeo altas radices egerat, ut ne comprimi quidem, nedum vinci, ſe paſſus fuerit. Illumque non ſine æmulatione finitimæ gentes ſingulæ adoptarunt, quòd præcipue illic ad prodendam fortitudinem & dexteritatem ſuam illuſtribus viris aditus aperiretur. Quo tempore invecta fuerint in Italiam *Torneamenta*, incertum eſt. Fortaſſis eorum amor atque ars invaluere apud nos longe antea quam credant Gallici Scriptores. Laurentius Vernenſis, ſive Veronenſis, qui Anno MCXV. ſcripſit Carmen de Bello Balearico, editum Tomo VI. Rer. Italicar. Hugonem Vicecomitem Piſanum laudat his verbis:

At

At vice qui Comitis Piſaná præſidet Urbe
Hugo, militiæ cui præbent ſingula laudem ,
Agmine qui toto vitam ſervavit honeſtam,
Haſtarum Ludis, & curſibus uſus equorum,
Ac proponendo vincenti præmia curſus.

Quamquam hæc interpretari quiſquam poſſit
de Ludis iis tantummodo , quos *Gioſtre* appellamus,
& quibus ſaltem vides delectatos fuiſſe
Italos vel ſub initium Sæculi a Chriſto nato
Duodecimi : attamen non immeritò etiam opineris,
agi heic de *Torneamentis*, quum ſimul
jungantur *Haſtarum Ludi*, & Curſitatio *Equorum*.
Anno quoque MCLVIII. uti memoriæ
prodidit Radevicus Lib. 2. Cap. 8. de Geſt.
Friderici Primi , *Cremonenſes Placentinorum*
B
*militiam ad certamen provocaverant, quod modò
vulgus Turneimentum vocant ; ibique hinc inde
aliqui ſauciati , alii capti , quidam occiſi ſunt*.
At frequentiori in uſu ſubſequente Sæculo apud
Italos ejuſmodi certamina eſſe cœperunt, poſtquam
Anno MCCLXVI. Carolus Provinciæ
Comes , Siciliæ ac Apuliæ Regnum adeptus ,
Gallicæ militiæ mores apud Italicam gentem
propagavit. Erat huic Principi incredibile erga
ludicras haſce decertationes ſtudium , ac ſumma
in eis peritia ; atque ejuſmodi ſpectaculis
oblectabat non corda tantùm ſui Populi , ſed
& reliquorum , præſertim nobilium Gallicæ
gentis , qui undique ad eum confluebant , ut
in iis Ludis ſtrenuitatis ſuæ periculum facerent.
C
Tanti animorum ac armorum motus quo vergere
aliquando poſſent, ſecum hæſitans tacite
perpendebat Ludovicus Galliæ Rex illius frater,
in Sanctorum poſtea catalogum illatus .
Quare ubi actum eſt de evocando ad Regnum
Siculum Carolo , Ludovicus rem ſuam agi ratus,
in ejus exaltationem non ſolùm conſenſit,
ſed & operam ſuam lubentiſſime contulit . Audiendus
eſt heic Ptolomeus Lucenſis in Annalib.
Eccleſ. Tom. XI. Rer. Ital. *In quo quidem
facto adfuit favor Regis Francorum triplici de
cauſſa , ut dictus Rex aliquando retulit* &c.
*Tertia cauſſa fuit quies ſui Regni , quod perturbabat
Carolus in Torneamentis, & aliis*. Potiſſimum
ergo iis temporibus ſolennia Haſtiludia
D
apud Italos, præcipue apud Principes, majori
in honore ac uſu , quàm antea , eſſe cœpiſſe
opinor . Proinde Dantes Aligherius Cap.
22. Inferni , veluti rem vulgarem ineunte Sæculo
XIV. ſcribit :

E vidi gir gualdane ,
Ferir Torniamenti , e correr Gioſtra.

Quæ verba Benevenutus Imolenſis,ejuſdem Sæculi
Scriptor, in Comment. a me editis To. præced.
ita interpretatur: *Gualdane : ideſt Maſinatas, brigatas
in dicto tumultu Arretii . Ferir Torniamenti .
Hìc conſidera , quod aliqui glorificare
E
volentes ſuam patriam , dicunt: Iſta Torniamenta
& Equiſternia facta ſunt Arretii tempore
Guidonis de Tarlatis de Petramala, qui vir valentiſſimus
Terram illam maxime exaltavit , &
exornavit viris, viribus , muris, & omni opere
pulcro , ſub quo multi viri militares exercebant
ſe in iſtis rebus bellicis . Sed quidquid dicatur,
iſtud eſt alienum a propoſito , quia dictus Epiſcopus
magnificus non claruit tempore Auctoris,
immo poſt ejus mortem . Nec dubito , ſi noviſſet
geſta ejus, non tacuiſſet omnino. Ideo dico, quod
Auctor non refert ampliùs dictum ſuum ad Arretium ,
ſed ad alias Terras ; quia Auctor poterat
vidiſſe iſta Spectacula Florentiæ, Bononiæ,*
A
Ferrariæ , & alibi. En ubi potiſſimum militaribus
hiſce Ludis opera tunc daretur . Ferretus
quoque Vicentinus Hiſtoricus Lib 4. Poëmat.
de Scaligeror. origin. quod Tomo IX.
Rer. Italicar. evulgavi , juvenilia ſtudia Canis
Grandis Scaligeri deſcribens , paria Veronæ
ineunte Sæculo XIV. acta fuiſſe ſcribit his
verſibus :

Jam non haſta gravis, jam non puerilibus armis,
Aut vacuâ pugnare manu, Simulacraque belli
Sumta juvant, fractæque novis concurſibus haſtæ,
Et galeæ, validoque enſis colliſus ab ictu,
Sive celer mediis producis equiria campis,
Agmen agens equitum &c.

B

Ita & in Italia a longo tempore in uſu fuere
ludicra certamina duorum equitum haſtâ concurrentium ,
quæ *Gioſtre* appellantur . Originem
vocis a Græco τζῶστρα Salmaſius in Notis
ad Hiſtoriam Auguſtam deducit . Sed uti Menagius
animadvertit in Origin. Linguæ Italicæ,
Græcus Scriptor Nicephorus Lib. 10. Hiſtor.
diſertis verbis teſtatur , *Gioſtra* eſſe verbum
Latinum , ſive Italicum ; ac propterea Ferrarius
ac idem Menagius arbitrantur, a *juſta pugna*
efformatam fuiſſe per Italos vocem *Gioſtra.*
Alii a Græco διώστρα , quod *luctam* ſignificare
dicitur, & cujus exempla nulla ego reperio ;
alii a Latino adverbio *juxta* , vocabulum hoc
C
arceſſunt. Ego potiùs nihil heic ſapere , quàm
etymologias male confutas adoptare , amo .
Alioquin & mihi liceret derivare *Gioſtra* a
Clauſtro , ſive loco certaminis, quem Tuſci
Chioſtra , Lombardi verò *Ciostra* , & demum
Gioſtra appellare potuerint . Potiſſimum verò
Sæculo Chriſti XIV. Haſtiludia ejuſmodi Italica
gens uſurpabat . Cortuſii Hiſtor. Lib. 4.
Cap. 6. publicum Ludum deſcribentes , hæc
ajunt : *Ibi fuerunt Dominæ pulcherrimæ , haſtiludia ,
& torneria ; & breviter ad perfectum
gaudium nihil defecit*. Rurſus Lib. 5. Cap. 7.
*Fuerunt etiam haſtiludia , Gioſtræ , torneria ,
& omnia ſolatia cogitata* . Sed & *Quintanæ*
Ludus ante aliquot Sæcula notus fuit , quum
D
ejus mentio occurrat apud Robertum Montenſem
Lib. 3. Hiſtor. Hieroſolymit. Matthæum
Paris ad Annum MCCLIII. Fatium de Ubertis
Florentinum in Dittamundo . Vide Du-Cangium
in Diſſertat. 7. ad Joinvillam . Fuit &
alter Ludus militaris apud Italos, quod *Bagordare*,
& *Armeggiare* nuncupabatur . Præcipue
ejus inſtitutum hoc fuit . Adoleſcentes fere
ſemper nobiles , equis inſidentes , ſimili veſte ,
paribuſque armis magnifice contecti , aut per
Urbem incedebant , pugnas inter ſe mentiri ,
aut obviam Principibus procedentes , eis in
itinere præibant , excurſionibus equorum , &
haſtis ac enſibus innocuis ludentes . Hujus ne
ſpectaculi picturam quæris ? Illam accipe . Sabas
E
Malaſpina , cujus Hiſtoriam habes Tomo
VIII Rer. Italicar. inſperatum Caroli Provinciæ
Comitis , futuri Siciliæ Regis , adventum
Romam Anno MCCLXV. deſcribit Lib 2.
Cap. 17. ſimulque honores ei a Populo Romano
habitos. *Quilibet*, inquit, *Nobilis ſecundùm
ſuarum facultatum potentiam ſecum quorumdam
equitum comitivam ſignanter induit ad ludendum ;
& omnes excipiunt plauſu pavidos , gaudentque
videntes Francigenæ . Poſtquam omnes
læti Francos , oculoſque ſuorum luſtravere in
equis , ſignum clamore paratis dabat militiæ
præcurſor. Ceteri ſtatim diſcurrebant pares ; &
alii terni agmina ſolvebant deductis choris; rurſuſ-*

ſuſque vicem convertere vont , haſtas e contra ſpiciunt . Inde alios curſus , aliaſque recurſus adverſis ſpatiis frequentabant : nec alternos ceſſabant orbes orbibus impedire . Nec terga fugæ nudant . Nunc vertunt haſtilia (an potius *haſtilia* ?) *infenſi . Ac ſicut labyrinthus quondam , ut fertur , in alta Creta cæcis parietibus habuit textum iter , & viam ancipitem mille dolis , non aliter Romana girata veſtigia curſu impediunt pluribus repetitis . Hunc autem morem curſus Aſcanius , quum muris cingeret Albam , priſcos Latinos docuit celebrare .* Johannes quoque Villanius , aliique complures Hiſtorici , hujuſmodi *Bagordorum* meminere .

Eodem Sæculo XIII. alterius generis Spectacula Hiſtoria Italica nobis exhibet . A Rolandino Patavino in Chronico Lib. prim. Cap. 10. ad Annum MCCVIII. commemoratur *magnus Ludus factus in Prato Vallis . Et omnes contratæ de Padua , ſingulæ videlicet ad unum & idem ſignum veſtimentorum* (*a una ſteſſa diviſa* , Italica Lingua dicebat) *ſe novis veſtibus immutarunt . Et tunc in prædicto loco de Prato Dominæ cum Militibus , cum Nobilibus Populares , Senes cum Junioribus , in magnis ſolatiis exiſtentes in feſto Pentecoſtes , & ante & poſt per plures dies , cantantes & pſallentes tantam oſtendebant lætitiam , quaſi omnes fratres* &c. Quid ſingulare in eo Ludo factum fuerit , non explicat Rolandinus . Sed is alterum Ludum accuratius depingit eodem Lib. primo , Cap. 13. habitum Tarviſii Anno MCCXIV. *Fuit autem hujuſcemodi Curia , ſive Ludus . Factum eſt enim ludicrum quoddam Caſtrum , in quo poſitæ ſunt Dominæ cum virginibus , ſive domicellabus & ſervitricibus earumdem , quæ ſine alicujus viri auxilio Caſtrum prudentiſſime defenderunt .* Honeſtatis Caſtrum ſub ea imagine deſignatum puto . *Fuit etiam Caſtrum talibus munitionibus undique præmunitum , ſcilicet variis & griſeis , & cendatis , purpuris , ſamitis & ricellis , ſcarletis & baldachinis & armerinis . Quid de coronis aureis dicam cum gryſolitis & hyacinthis , topaziis & ſmaragdis , pyropis & margaritis , omniſque generis ornamentis , quibus Dominarum capita tuta forent ab impetu pugnatorum ? Ipſum quoque Caſtrum debuit expugnari ; & expugnatum fuit hujuſcemodi telis & inſtrumentis , pomis , dactylis , & muſcatis , tortellis , pyris , & cotanis , roſis , liliis , & violis ; ſimiliter ampullis balſami* &c. Ad hocce Spectaculum certatim confluxere Veneti , Patavini , aliique finitimi Populi , cum ſuis quiſque Vexillis . Verùm inter feſtivos ac ſolennes Italorum Ludos illud ſæpe frequentatum , quod appellatum fuit *tener Corte* . Scriptores Latini *Curiam habere* dicebant, uti nuper Rolandinus ſcripſit . Occurrit præterea *tener Corte bandita* , quòd nempe emiſſo *banno* , ſive publico invitamento , Populos etiam exteros ad eam Curiam honorandam allicere Principes magnifici ſolebant . Eccelinus de Romano apud eumdem Rolandinum Lib. 2. cap. 14. innuit *Curiam* circiter Annum MCCVI. Venetiis habitam his verbis : *Erat conſtituta Curia quædam cauſa ſolatii Venetiis , ubi fuit Azo Marchio* (Eſtenſis) *pater Marchionis iſtius , & alii de Marchia nobiles & potentes . Quam Curiam pater meus honorare deſiderans , habuit undecim Milites , & ipſe exſtitit duodenus : quorum omnia ſimilia fuerunt veſtimenta , in re una ſolummodo diſcrepantia , quod ſcilicet mantatura patris mei fuit de armerinis , ſed aliorum de pretioſis variis Sclavoniæ* &c.

Quid in ea Curia factum fuerit , ſilet Rolandinus . Sed mos erat Ludis militaribus , idest Torneamentis & Gioſtris , aliiſque fictis certaminibus operam dare , choreis , & conviviis opiparis indulgere , equitum choros ſplendide comtos ducere , Hippodromia , ſive equos curſu certantes , aliaque ejuſmodi oblectamenta non ſine incredibili magnificentia ac apparatu ornamentorum exhibere . Plerumque etiam menſa Palatina omnibus advenientibus parata erat . Quo tempore Bonifacius Marchio & Dux Tuſciæ nuptias iniit cum Beatrice Friderici Lotharingiæ Ducis filia , hoc eſt circiter Annum MXXXIX. magnifice multa ab eo ſunt acta , uti narrat Donizo in Vita Mathildis ejus filiæ Lib. prim. Cap. 9. Tomo V. Rer. Italicarum . En ejus verba :

- - - - - - - - - - Qui Dux cum pergeret illo ,
Ornatus magnos ſecum tulit , atque caballos ,
Sub pedibus quorum chalibem non ponere ſolùm
Juſſerat , argentum ſed ponere , ſit quaſi ferrum :
Eſſe repercuſſum clavum voluit quoque nullum ,
Ex hoc ut gentes poſſent reperire quis eſſet .

Infra addit :

Per menſes ternos fiunt convivia , verò
Non ibi pigmenta tritantur , ſed quaſi Spelta ;
Ad curſum Lymphæ molendinantur ibidem :
Gurgite de putei potus trahiturque Lyæi ;
Ex alio puteo refluebat potio : vero
Situla pendebat ex argentove catena ,
Cum quibus hauritur dulciſſima potio , vinum :
Obbas vel lances ad menſam fert equus , atque
Argento ſplendent , auro quoque vaſcula menſæ &c.

Tum verò præſertim hilares iſti Populorum conventus celebrari conſueverunt , quum quiſquam ex Principibus Uxorem ducebat , aut Militari cingulo , ſive honore Militiæ donandus erat . Certe dum *Curiæ* ſolennes celebrabantur , tunc etiam novos Milites creare uſitatum fuit . In Chronico Eſtenſi , Tomo XV. Rer. Italicar. ad Annum MCCXCV. ſeu potius MCCXCIV. *Azzo Marchio Eſtenſis* , Ferrariæ , Mutinæ , Regii &c. dominus , *factus fuit Miles per Dominum Girardum de Camino , qui tunc dominus erat Civitatis Trivixii , ſuper Platea Communis Ferrariæ ante portam Epiſcopatus . Et magna Curia tunc fuit in Ferraria .* Eamdem rem Auctor Chronici Parmenſis Tomo IX. Rer. Italicarum ad Annum MCCXCIV. hiſce verbis enarrat : *In feſtivitate omnium Sanctorum Dominus Azzo Marchio Eſtenſis , una cum Domino Franceſchino fratre ſuo , congregavit in Civitate Ferrariæ maximam & honorabilem Curiam omnium Procerum Civitatum Lombardiæ de amicis ſuis . In qua Curia factus fuit Miles cum prædicto fratre ſuo per Dominum Gerardum de Camino Dominum Terviſii* &c. Neque minori magnificentiâ Curiam Veronæ celebravit Anno MCCCXXVIII. Canis Grandis Scaliger . Adjunxerat ille nuper ditioni ſuæ eximiam Urbem Patavinam ; atque ut tantæ rei felicem celebraret eventum , Ludos ſolennes indixit , multoſque ea occaſione & ipſe Militari honore inſignivit . Qui Chronicon Veronenſe Pariſii de Cereta continuatum nobis reliquit Tomo VIII. Rer. Italicarum , hæc de Cane tradit : *Ad gloriam ampliorem de obtentu Civitatis Paduæ , ultimo Octobris in Verona maximum gaudium & Curiam celebravit , & creavit triginta octo manu ſua de diverſis*

par-

partibus Lombardiæ (Milites): *& duravit feſtum per unum menſem in Civitate & Palatio Veronæ* . Paria habent Cortuſii Lib. 4. Cap. 6. quorum verba accipe: *Dominus Canis gaudium voluit eſſe ſolenne : & multis Nobilibus donavit honorem Militiæ , quos ornavit veſtibus aureis & purpureis , aureis cingulis , deſtreriis , & pulcherrimis palafrenis . Ad hoc gaudium convenerunt de diverſis partibus Hiſtriones univerſæ nationis , & omnibus donis & expenſis Dominus Canis voluit providere* .

Sed inter iſta Popularia Spectacula erant quæ olim ſummam Plebi lætitiam creabant , nunc autem a ſeveris hominibus veluti ridenda vix probarentur . Anno MCLXII. Udelricus Patriarcha Aquilejenſis Venetorum fines adortus, B in prœlio captus, & Venetias ductus cum aliis captivis , tamdem libertati redditus eſt, pollicitus ſe quotannis exhibiturum Duci duodecim porcos pingues, & duodecim panes *die Mercurii Carniſprivii*, ideſt ultimâ Feriâ quartâ Bacchanaliorum. *Ob hoc* (ſunt verba Andreæ Danduli in Chronico, Tomo XII. Rer. Italicar.) *reperitur ſtatutum , ut annuatim die triumphi , aſſiſtente Duce & jubente, uni tauro & animalibus prædictis in Platea capita amputentur. Deinde ut Dux in Majori Sala procedens coram Populo cum baculis ferratis Caſtra figuraliter condita dejiciat , ut eorum pœna in animalibus figuraliter deſignata , & Caſtrorum Patriarchæ depreſſio in Caſtris ligneis exemplariter demonſtrata , tanti triumphi poſteris memoriam derelinquant* . *De occiſis taliter animalibus Dux* C *poſtea omnes & ſingulos de majori Conſilio participes reddit , ut ſicut in obtinenda victoria ſe periculis ſubmiſerunt , ita eâ obtentâ illam ſibi ſentiant fructuoſam* . Sed quum iſta Sanſovino teſte Lib. X. Cap. 273. Venet. Deſcript. plus ridiculi quàm dignitatis præferre viderentur , ſervato tantùm more decollandi tauri, cetera ſub Andrea Gritto Duce ſublata fuere . Cur verò hæc riſum moverent , intellexiſti e Dandulo : nam ſub tauri formâ ſe caput amputare infelicis Patriarchæ ſignificabant ; duodecim verò Canonicos captos ſub duodecim porcorum figurâ jugulari ; & in ligneis Caſtellulis Forojulienſium magnatum Caſtella dejici . Neque D fortaſſis gravitatem ſapiebat , Ducem ipſum & Senatores pugnaſſe contra imaginaria illa Caſtella . Audi Marinum Sanutum in Hiſtor. Venet. ad Annum MCLVI. Tom. XXII. Rer. Italic. *Il Patriarca promiſe egli e i ſucceſſori di non moleſtare mai più Grado , e di dare ogni anno al Doge e al Comun di Venezia per tributo nel Giovedì Graſſo un Toro grande con dodici Porci , e dodici Pani grandi di uno Stajo di farina l'uno , e certo Vino . E fu decretato , che ogni anno in tal memoria il Giovedì ſuddetto ſi faccia una feſta ſulla Piazza di San Marco di caccia di Toro , e ſi tagli la teſta a' detti* E *Porci , che ſignificano i Calonaci predetti . Poi ſi vada in Sala , la quale al preſente ſi chiama de' Signori di Notte . E il Doge con gli altri primi della Città co' Brazolari in mano traggano contro alcuni, come Caſtelli, tenuti in mano per gli Scudieri del Doge, in ſegno della rovina de' Caſtellani della Patria . Tamen detti Brazolari al preſente non ſi tirano più : ma il Patriarca manda quanto è notato di ſopra , e ſi fa la caccia* &c. In ea quoque inclyta Urbe uſque ad Annum MCCCLXXIX. perduravit feſtus dies Mariarum , quum ſingulari æmulatione interdum duodecim Virgines ſumtu ac pompâ incredibili ornarentur ac deducerentur

A per Urbem : cujus conſuetudinis deſcriptionem habes apud nuper laudatum Franciſcum Sanſovinum Lib. 12. Venet. Deſcript. In prælaudati Marini Sanuti Hiſtoriâ Venetâ, ſub Petro Candiano Duce non vivæ Virgines , ſed ſimulacra Virginum lignea portata fuiſſe dicuntur . Ita Anno MCCLXXXI. Bononienſes per proditionem Faventiam ingreſſi , ac Lambertaciis trucidatis, aut inde exturbatis , inſtituerunt *la feſta della Porchetta* , quam adhuc recurrente die feſto Sancti Bartholomæi obſervant .

De *Curiis* autem tunc celebratis , ſive *Corti bandite* , illud mihi minime diſſimulandum eſt, videlicet fere ſemper illis interfuiſſe Mimorum, Circulatorum , Funambulorum, Scurrarum , B Agyrtarum , Ludionum, ac id genus aliorum hominum, qui luſibus ſuis, ſive cantilenis tum Palatium tum Populum diu noctuve oblectabant . *Giullari* a Tuſcis , & *Giocolari* nuncupabantur , & apud Latinos ejus ævi Scriptores , *Joculares* & *Joculatores* nominatos videas . Quod ſtupeas , erat hujuſmodi ſannionum ac nebulonum ea exiſtimatio & fortuna , ut numquam niſi bene donati a Principibus inde recederent . Immo quæ pretioſæ veſtes dono iiſdem Principibus offerebantur , in iſtos nugivendulos effundi fere ſemper conſuevere . Is enim eorum temporum mos fuit , ut qui Nobiles viri ad nuptias , aliave ſolennia Principum conveniebant , manibus vacuis minime C accederent , ſed ſinguli aliquid teſtandæ amicitiæ aut obſequii cauſsâ conferrent . Si otio abundas , lege quæ Benevenutus Aliprandus , infelix ſed veridicus Poëta in Chronici Mantuani heic evulgandi Lib. 2. Cap. 35. narrat , hoc eſt illuſtrem Curiam , *la gran Corte*, habitam Mantuæ Anno MCCCXL. quo tempore Gonzagæ ibidem dominantes non unas nuptias celebrarunt . Tunc varii Italiæ Principes, prætereaque Nobiles quamplurimi viri , quorum nomina ſigillatim ibi recenſentur , obtulere pretioſas veſtes . Eas *Robe* Italica Lingua appellabat . Ut autem Poëta ait , ſub unius *Robe* nomine veniebant *Veſtito* , *Guarnaccia* , *Guarnaccione* , *Mantello* , *Cappuccio* . Alii verò ge- D neroſos equos , alii præterea argentea vaſa , aut monilia largiti ſunt ; quæ ſingula Aliprandus enumerat , ita ut qui tot donorum catalogum legat & conſideret , nequeat non mirari illorum temporum mores a noſtris adeo diſſimiles . Sed quid factum de tot illis veſtibus magno emtis , ac liberaliſſime collatis ? Eas rurſus Mantuani Principes dono dedere Scurris ac Muſicis. Accipe Aliprandi verba Cap. 36.

Tutte le Robe ſopra nominate
Furon' in tutto trent' otto e trecento ,
A' Buffoni e Sonatori donate .

E Viciſſim verò & ipſi Gonzagæ erga multos nobiles viros munificos ſeſe præbuere, ut idem Poëta tradit, qui narrationem ſuam his tamdem rudibus ſane verſibus concludit :

Otto giorni la Corte ſi durare .
Torneri , Gioſtre , Bagordi facia .
Ballar , cantar' e ſonar facean fare .
Quattrocento Sonator ſi dicia ,
Con Buffoni alla Corte ſi trovoe .
Roba e danari donar lor facia .
Ciaſcun molto contento ſi chiamoe &c.

Quantâ autem magnificentiâ eo ipſo Sæculo decurrente Vicecomites Mediolani Principes in

ſuis

ſive Curiam habendo celebrarunt, Corii Hiſtoria non uno in loco oſtendit. Sed omnium oculos præcipue præſtrinxit ſolemnis pompa adhibita in nuptiis Leonelli, ſive Leonetti Anglorum Regis filii cum Violante Galeatii Vicecomitis filia Anno MCCCLXVIII. Mirabili apparatu, donis innumeris, incredibili Populorum concurſu, ludis, conviviis, & oblectamentis, quorum ſimilia nemo niſi ipſum viderat, res acta eſt Mediolani, & ab eodem Corio enarrata, atque ante illum ab Auctore Anonymo Annalium Mediolanenſium, quos dedi Tomo XVI Rer. Italicarum. Sed fuſius eamdem Curiam deſcripſit Alipandus Mantuanus ſupra memoratus Cap. 42. informis ſui Poematis, eas nuptias ad B Annum MCCCLXVI. perperam ſtatuens. Inter cetera is ait:

Fu fatta la detta Corte in Milano.
Non ſi ne fece mai la ſomigliante.

Ego cetera prætermitto, apud eum non ſine admiratione legenda, memoraturus tantummodo illud, quod ad *Mimos* & Scurras ſpectat; neque enim ad Spectaculum adeo magnificum illorum agmina deſiderata fuere. Ita ergo ille:

Meſſer Lionel colla ſua compagnia
Il'altri Baroni, per farſiſi onore,
Robe cinquecento a i Buffon daſia.

C *Buffoni, Zigoladri, e Sonatore*
Per Galeazzo aſſai Robe donate.
Bernabò lor fe' dar danari ancore.

Et eorum quidem Sæculorum mos fuit paſſim obſervatus, ut nullius ferme Principis, aut potentis viri, etiam ſapientis, aula foret, quæ non aliquem Scurram, immo multos nutriret. Nempe eorum facetis dictis inter graves curas recreari ſe poſſe Magnates arbitrabantur; & per eos, riſu veniam faciente, aliquid interdum veri audiebant, quod nemo fortaſſis alius delicatis eorum auribus porrigere auſus fuiſſet. In proceſſu Bernabovis Vicecomitis apud nuper memoratum Annonymum D Auctorem Annalium Mediolanenſium Tomo XVI Rer. Italicar. pag. 795. & alibi, *Hiſtriones*, ſive *Buffones* ejuſdem Principis non ſemel nominatos videas. Celebres adhuc ſunt Gonella, ac alii Scurræ, quibus utebantur Borſus Eſtenſis Ferrariæ ac Mutinæ Dux, optimus profecto ac prudentiſſimus Princeps Sæculi XV, ut Alphonſum Arragonum, Siciliæ, & Apuliæ Regem celeberrimum, alioſque Regulos ævi illius ejuſmodi hominum genere delectatos omittam. Deſcribit Ricordanus Malaſpina felicem Reipublicæ Florentinæ ſtatum ad Annum MCCLXXXIII. Cap. 219. Hiſtor. Florentinæ, atque inter cetera ſcribit, nobiles ac E potentes Cives tunc *non attendeano ad altro, che a Virtù e gentilezze. E attendeano per le Paſque a donare a uomini di Corte, e a' Buffoni molte Robe e ornamenti. E di più parti, e di Lombardia, e d'altronde, e di tutta Italia, venivano alla detta Firenze i detti Buffoni alle dette feſte: e molto v'erano volentieri veduti.* Audiſtin *Uomini di Corte*? Hoc nomen facetis lepidiſque viris impoſitum, non quod in Principum aula omnes verſarentur, inter familiares eorum numerati, ſed quod ad omnes *Curias* (Italice *Corti*) appellatas accurrerent. Immo quoque *Miniſtrieri* appellati ſunt, quaſi Miniſtelli Palatini. Quod nomen apud Villanios occurrit, & a Vocabularii Furfuracei Auctoribus ſignificare dicitur *Uomo di Corte*. Sed tam *Uomini di Corte*, quam *Miniſtrieri* nuncupabantur, qui ſuis facetiis aut jocis Principes & Magnates ad hilaritatem ac riſum concitabant. Apud Johannem Villanium Lib. 7. Cap. 88 repetita videas, quæ nuper Ricordanus Malaſpina nobis enarrabat. In editione Junctarum legitur: *Alla quale Corte vennero di diverſe parti e paeſi molti gentili Uomini di Corte, e Giocolari, e furono ricevuti e provveduti onorevolmente.* Sed illud *gentili* expungendum puto, & legendum *molti Uomini di Corte*. Infra idem repetitur: *Onde di Lombardia e di tutta Italia vi traevano Buffoni e Bigerai, e* B *Uomini di Corte*. In Codice, quo ſum uſus ad Johannis Villanii editionem, non legitur *Bigerai*. Iſtam vero exiſtimo vocem, quam Hiſtoricus mutuatus fuerit, aut alius in ejus Hiſtoriam intruſerit, ex Gallica Lingua petitam, quæ *Bigarré* appellat hominem veſtibus diverſi coloris indutum, quales Scurræ olim eſſe conſueverunt. Vide in Diſſertatione XXXIII. *de Origin. Voc. Italicar. Bizzarro*. Verùm, ut auctor eſt idem Villanius Lib. X. Cap. 152. Anno MCCCXXX. a Florentinis conſtitutum fuit: *Che a Corte de' Cavalieri novelli non ſi poteſſe veſtire per donare Robe a' Buffoni, che in prima aſſai ſe ne davano.* In aliis tamen Urbibus eodem Sæculo XIV. hujuſmodi con- C ſuetudini liber curſus relictus eſt. Anno MCCCXLVII. Nicolaus Laurentii, Tribunus Romanus, vir alioqui phantaſticus, Militiæ honore decoratus eſt, Anonymus Auctor illius Vitæ Cap. 25. in hoc Opere edendæ, narrat, tunc ad Urbem confluxiſſe *la molta Cavalleria di diverſe nazioni di gente, Baroni, Popolari, Foreſi, a pettorali di ſonagli, veſtiti di zendado con bandiere. Facevano grande feſta: correvano giocando.* (Hoc, ut ſupra dixi, *bagordare* appellabant.) *Ora ne vengono Buffoni ſenza fine.* Tum Cap. 27. magnificum convivium a Tribuno inſtructum deſcribens ait: *Mentre lo manucare ſi faceva, ſenza gli altri Buffoni molti, fu uno veſtito di cuojo di bue: le corna in capo* D *avea: bue parea; giocò e ſaltò.* En quibus olim oblectabantur Italicorum animi. Neque diſpar fuit in Germania & Gallia ritus. Alberto Argentinenſi teſte, Anno MCCCLVI. Metenſi in Urbe Carolus IV. Auguſtus ſolennem Curiam, ut ajebant, habuit. *Electores & Officiales ſeu miniſtrales Imperii veniebant ſuper equo uſque ad menſam. Deſcendentes verò de equo coram menſâ, Hiſtrionibus & Mimis dabatur equus.* Ita Anno MCCCLXXXII. Conforto Pulice teſte in Hiſtor. Vicentina, habita eſt magnifica Curia in nuptiis Antonii Scaligeri, ubi *fuerunt plures quam ducenti Hiſtriones diverſarum regionum, qui nova indumenta ſinguli perceperunt ſecundùm dignitates, valoris ad minus decem* E *Ducatorum pro quoquo.*

Longe verò ante iſta tempora nuper memoratus Bonifacius Dux & Marchio Tuſciæ, Mathildis Comitiſſæ pater, quo tempore Beatricem Lotharingam duxit, magnificentiæ lora laxavit Anno MXXXIX. teſte Donizone Monacho, qui in Vita Mathildis Lib. primo, Cap. 9. hæc addit:

Timpana cum citharis, ſtiviſq; lyriſq; ſonant heic.
Ac dedit inſignis Dux præmia maxima nimis.

Medicas manus, uti nunc animadverto, exigebat hic locus Hoc eſt, pro *nimis* ſcribendum

dum eſt *Mimis*. Jam tunc enim in mores Principum indactum fuerat, præmiis onerare Joculatores ſeu Mimos. Idque etiam Proſodiæ ratio amat, quum Donizo alibi *nimis* breviet, non verò producat. Et iiſdem quidem temporibus, ut habet Annaliſta Saxo ab Eccardo editus, hoc eſt Anno MXLV. (Annum hunc alii Hiſtorici ſtatuunt MXLIII.) Henricus II. inter Auguſtos, Agnetem Wilhelmi Pictavienſis Principis filiam ſibi ſacro vinculo ſociavit, eâque occaſione *infinitam multitudinem Hiſtrionum & Joculatorum ſine cibo & muneribus vacuam & mœrentem abire permiſit*. Rem narrat & Otto Friſingenſis in Chronico Lib. 6. Cap. 32. his verbis: *Quumque ex more Regio nuptias Inglinheim celebraret, omne balatronum & Hiſtrionum collegium, quod (ut aſſolet) eò confluxerat, vacuum abire permiſit, pauperibuſque ea, quæ membris Diaboli ſubtraxerat, large diſtribuit*. Paria habet Hermannus Contractus ad Annum MXLIII in fuſiori editione illius Chronici. Quæ omnia oſtendunt, non XI. Sæculo tantùm, ſed jamdiu invaluiſſe morem, ut ad ſolemnia ejuſmodi ſpectacula agmina Mimorum & Hiſtrionum confluerent, ac munera a Principibus referrent. Auctor etiam eſt Rigordus de Geſtis Philippi Auguſti ad Annum MCLXXXV. frequentes eos fuiſſe *in Curiis Regum & Principum, ut ab eis aurum, argentum, equos, ſeu veſtes extorquerent*. Ita Genuenſes, ut eſt in eorum Annalibus, Tomo VI. Rer. Italicar. editis, poſt victos Anno MCCXXVII. Saonenſes, alioſque rebelles, *mirabilem Curiam tenuerunt, in qua innumerabilia indumentorum paria a Poteſtate, & aliis Nobilibus & honorabilibus viris fuerunt Joculatoribus*, (non *Jaculatoribus*, uti per incuriam typographorum ibi ſcriptum eſt) *qui de Lumbardia, Provincia, Tuſcia, & aliis partibus ad ipſam Curiam convenerant, laudabiliter erogata, & convivia magna facta*. In mirabilem verò exceſſum conſuetudo iſta aliquando delapſa eſt. Nam uti narrant complures Hiſtorici, celebratæ fuerunt Anno MCCC. Mediolani nuptiæ inter Galeatium Vicecomitem, & Beatricem Eſtenſem, tantâ magnificentiâ & prodigalitate, ut univerſa Lombardia obſtupuerit. Ceteris omiſſis audi Guilielmum Venturam Auctorem ſynchronum in Chronico Aſtenſi, Tomo XI. Rer. Italicarum, ita ſcribentem: *Admirabiles nuptiæ pro ea Mediolani factæ ſunt, ad quas invitati fuerunt omnes Lombardi; & ibi data fuerunt Joculatoribus pluſquam ſeptem millia pannorum bonorum*. In additamentis etiam ad Hiſtoriam Cortuſiorum Lib. V. Cap. 6. nuptiæ Marſilii Carrarienſis ad Annum MCCCXXXV. deſcribuntur: *Tunc Veronæ fit Curia generalis* &c. *Nec deerat Hiſtrionum atque Joculatorum maxima copia* &c. *Facta ſunt haſtiludia, joſtræ, torneria, & alia quæcumque virilia atque nobilia, quæ ſenſu hominum excogitari potuerunt. Quæ quidem decem diebus durante Curiâ non ceſſarunt. Et Marſilius de Carraria Dominabus Paduanis multa jocalia condonavit, & Joculatoribus multas veſtes: quibus deficientibus aurum & argentum pro ſupplemento largitus eſt*. Immo unum ex præſtantioribus ornamentis Curiarum illius temporis reputata videtur hujuſmodi Ludionum immanis copia, ita ut colligeretur eorum numerus, & quo major is foret, eo ſolennius ac magnificentius reputaretur ſpectaculum.

Auctor Chronici Cæſenatis, Tomo XIV. Rer. Italicar. ad Annum MCCCXXIV. pro-

A dit, habitam Arimini a Malateſtis Principibus inſignem Curiam, ad quam confluxere *omnes Nobiles & Potentes de Tuſcia, Marchia, Romandiola, & fere tota Lombardia* &c. *Fuit etiam multitudo Hiſtriorum circa Mille quingentos & ultra*. Numeratos quoque in illa turba fuiſſe, quos Cyclicos Poëtas antiqui appellarunt, conjicere fas eſt. Nam ut apud veteres Gallos Bardi, Regum ac inſignium virorum geſta in bello, & ad menſas, inſtrumento Lyræ ſimili concinente decantabant, uti Diodorus Siculus Lib. V. ſcribit, & apud Romanos & Græcos, aliaſque gentes, non defuiſſe oſtendere poſſem: ita & apud Barbaros iidem Poëtæ, Circulatorum & Scurrarum ca- B talogo addendi, numquam deſiderati ſunt. *Cantilena Rollandi* præcipue iis in uſu fuit, ad quam vocem conſule Du-Cangium in Gloſſar. Latin. Erant etiam, qui in plateis coronam Populi Rhythmis decantatis oblectabant: quod & nunc quotidie fieri videmus. Cenſet idem Du Cangius, *Cantilenam Rollandi* uſurpatam tantummodo fuiſſe in apparatu ad prœlia, ut militum animi veterum Heroum exemplo ad fortia excitarentur. Opinor ego, & in compitis etiam atque plateis decantata olim fuiſſe fabuloſa geſta ejuſdem Rollandi. In Chronico MSto Mediolanenſi, quod Anonymus quidam ex aliis Chronicis conſarcinavit, antiquum Mediolanenſium *Theatrum* deſcribitur, *ſuper* C *quo Hiſtriones cantabant, ſicut modò cantantur de Rolando & Oliverio. Finito cantu, Bufoni & Mimi in citharis pulſabant, & decenti motu corporis ſe circumvolvebant*. Apud Ghirardaccium in Hiſtor. Bononienſ. ad Annum MCCLXXXVIII. ſtatutum a Populo Bononienſi fuit, *ut Cantatores Francigenorum in plateis Communis ad cantandum omnino morari non poſſint*. Quibus verbis veri videtur ſimile, non alios deſignari, niſi Cantatores Romanenſium Fabularum, quæ de Francia potiſſimùm in Italiam deferebantur. Ejuſmodi verò Poëtarum cantilenæ, ac dona eis collata, non ævi barbarici inventa ſunt, ſed ab ipſis antiquis Sæculis per ſucceſſionem accepta. Ariſtopha- D nes in Avibus agit de veſte dono danda Poëtæ, quòd bene laudes Civitatis cujuſdam cecinſſet. Martiali quoque teſte novimus, Romæ uſitatum Poëtarum præmium fuiſſe nova indumenta. Sanctus Auguſtinus Tractat. 100. Cap. 2. in Johannem; *Donare*, inquit, *res ſuas Hiſtrionibus, vitium eſt immane, non virtus; & ſcitis de talibus, quàm ſit frequens fama cum laude*. Sed & Arabes hiſce potiſſimum donis Poëtarum labori gratos ſeſe oſtendere conſueverunt, Maumetis Pſeudo-prophetæ exemplo præeunte, qui Poëtam Caabum pallio ſuo muneratus eſt. Fortaſſis inter alia, quæ Itali & Franci ab ea gente didicerunt, ritus donandi Circulatores & Scurras eſt computandus. *Mi-* E *morum* etiam nomine opinari quiſquam poſſit, deſignatos fuiſſe imitatores eorum, qui ab antiquis eodem vocabulo ac appellatione donati fuere. Horum ſcilicet erat imitatione humanarum actionum e plebe petitarum riſum concitare audientium, & fabulam agere ſæpe non ſecundùm regulas, ſed effuſam ex tempore, quamquam egregiæ eorum ſententiæ ſuperſint. Quare Salmaſius in Solinum Cap. 5. hæc habet: *Et ſane quas hodie agunt & vocant Itali Comedias, Mimi ſunt & Planipedes verius quàm Comœdiæ, Perſonas tantùm habent ex Comœdia*. Ita ille non de Comediis rite efformatis loquens, harum enim ingentem copiam Italia a duo-

 a duo-

a duobus Sæculis penes nos agere, uti in ſuo Libro de Origine Comœdiæ Gallicâ Linguâ edito Pariſiis olim Aloyſius Riccobonus Mutinenſis, celeberrimus Comœdorum noſtri temporis ſub nomine *Lelio*, ſed quidem de extemporaneis illis Comœdiis, quas Hiſtriones larvati, variiſque utentes Dialectis, jocis, ac ludicris interdum ineptis ævo noſtro agunt. A vero non abhorret, *Mimorum* ejuſmodi, ut uſque plebejæ Comœdiæ ſemina numquam intercidiſſe in Italia. Et ſane Sanctus Thomas 2. 2. quæſt. 168 articul. 3 ſatis oſtendit, ætate ſua, hoc eſt Sæculo XIII. non defuiſſe Italiæ *Hiſtriones*, tradens, *eorum officium non eſſe ſecundum ſe illicitum, dummodo moderate ludo utantur, ideſt non utendo aliquibus illicitis verbis, vel factis ad ludum*. Ii verò tunc idem præſtitiſſe credendi, quod nunc *Circulatores* (*Saltimbanchi*, *Cantimbanchi* eos appellamus) agunt, quum fragmenta quædam Comœdiæ (*Farſe* licebat nuncupare) atque alia ludicra proferunt in plateis & compitis. Quæſtioni huic anſam fortaſſe dedit, quod Philippus Auguſtus Rex Franciæ eodem Sæculo XIII. jubere Hiſtriones ex Regni finibus excedere juſſerat, quod id genus hominum Reipublicæ perniciosum exiſtimaret. Contra Rogerio Hovedeno teſte, Richardus I. Angliæ Rex *de Regno Francorum Cantores & Joculatores muneribus allexerat, ut de illo canerent in plateis*. Apud Papiam Grammaticum barbarici ævi, *Scenicus*, *Hiſtrio*, *Jocularis*, idem ſunt. Iſtos autem nullum Sæculum ignoraſſe videtur. Et Anno quidem Chriſti DCCXCI. Alcuinus Albinus in Epiſtol. 107. *Spectacula & diabolica figmenta* exſecrebatur, deinde addens: *Neſcit homo, qui Hiſtriones & Mimos & Saltatores introducit in domum ſuam, quàm magna eos immundorum ſequitur turba ſpirituum*. Ita in Concilio Cabilonenſi II. Anni DCCCXIII. mentio fit *Hiſtrionum, ſive Scurronum, & turpium ſeu obſcœnorum jocorum*. Agobardus etiam Lugdunenſis Archiepiſcopus in Libr. de Diſpenſ. circiter Annum DCCCXXXVI. hæc habet: *Inebriat Hiſtriones, Mimos, turpiſſimoſque & vaniſſimos Joculatores, quum pauperes Eccleſiæ fame diſcruciati intereant*.

Populares etiam Poetas numquam deſideratos in Italia, illud etiam oſtendere poteſt, quod narrat Auctor Chronici Novalicienſis Lib. 3. Cap. 10. Part. II. Tomi II. Rer. Italicarum. *Contigit* (inquit), *Joculatorem ex Langobardorum gente ad Carolum* (Magnum ſcilicet Anno DCCLXXIV.) *venire, & Cantiunculam a ſe compoſitam de eadem re, rotando in conſpectu ſuorum, cantare*. Ergo Joculatores appellati quoque fuerunt plebeji illi Poetæ. Nam quod eſt ad Circulatores (*Saltimbanchi*, *Cantimbanchi*, *Ciarlatani*, *Cerretani* &c.) nulla ætas, nulla Provincia iis caruit. In Statutis Mediolanenſibus Part. 2. Cap. 433. inter alios memorantur *Avantatores Corrigiolæ, pulvereæ, dantes gratiam Sancti Pauli, aut Sanctæ Apolloniæ, aut prædicantes brevia pro febribus* &c. Obſcurum eſt, quod heic dicitur de *Avantatoribus Corrigiolæ*, & *Pulvereæ*. Sed lucem aliquam afferent Statuta Cremonenſium, in quibus Rubricâ 181 legitur: *Si quis Avertator repertus fuerit ludere ad Corezolam, vel Polverellam, condemnetur in Solidis viginti Imperialium*. Ergo *Corezola* & *Polverella* genus ludi fuerunt, quem Agyrtæ incauto Populo proponebant, & ſtultos contra ludere audentes facili negotio emungere conſueverunt. *Correggiuolo* Tuſci

A olim appellarunt fuſorium vas, nunc *Crogiuolo*. Nam tubuli heic deſignantur vaſculis ejuſmodi ſimiles, ſub quibus globulum ſe celaſſe præſtigiatores ii fingunt? Verbum Lombardis *Corregiola*, nihil aliud eſt, niſi diminutivum *Corrigiæ*. Apud Orlandum Peſcettum occurrit adagium: *Far' alla ſcorreggiuola; o ch' ella è dentro, o ch' ella è fuora*. Atque heic menti meæ ſeſe offerunt, quæ apud Quinctilianum Lib. 10. Cap. 7. Inſtitution. Orator. olim legebam: *Quo conſtant*, ait, *miracula illa in Scenis Pilariorum, & Ventilatorum, ut ea, quæ emiſerint, ultro venire in manus credas, & qua jubentur decurrere*. Quid verò ſit *Avantator* & *Avertator*, quæ nuper vidimus, adhuc inquirendum

B foret. Ego vitiatam vocem in Cremonenſi Statuto ſuſpicor, ibique legendum *Avantator*, ut in Mediolanenſi habetur. Circulatores autem olim fortaſſis appellati *Avantatores*, ideſt *Vantatores* (nam apud Lombardos *avvantarſi* idem eſt ac *Vantarſi*) quòd oſtentatores eſſent arcanorum & mirabilium, qui Tuſcis etiam *Ciurmadori* dicuntur. Neque enim audeo opinari, antiquum *Ventilatorum* nomen, a Quinctiliano memoratum, ad ea uſque tempora ſervatum, atque in *Avantatores* immutatum. Sæpe nunc intuemur ejuſmodi homines Urſos circumducere ſtudioſe educatos ad ludum aliquem, ſeu choreas agendas. Idem præſtitere antiqua Sæcula. Egregius eſt in hanc rem locus Hinc-

C mari Remenſis Archiepiſcopi, qui Sæculo Chriſti Nono in Capitul. ad Presbyteros, Cap. 14. ſcribit: *Nec plauſus & riſus inconditos, & fabulas inanes ibi referre aut cantare præſumat. Nec turpia joca cum Urſo vel tornatricibus ante ſe facere permittat*. Feminæ *tornatrices* eædem fuere ac ſaltatrices. Nugas etiam hujuſmodi hominum commemorat Albericus Monachus Trium-Fontium in Chronico edito per Leibnitium ad Annum MCCXXXVII. ubi referuntur nuptiæ Roberti fratris Regis Franciæ. *Et illi*, ait, *qui dicuntur Miniſtelli* (de voce *Miniſtrieri*, quæ idem eſt, ſupra ſermonem feci) *in ſpectaculo vanitatis multa ibi fecerunt, ſicut ille, qui in equo ſuper chordam in aere equi-*

D *tavit, & ſicut illi, qui duos boves de Scarlata veſtitos equitabant, cornicantes ad ſingula fercula, quæ apponebantur Regi in menſa*. Quod etiam veterum Satyrorum more veſtiti interdum incederent ac ſaltarent ludiones illi, *Satyrici* a quibuſdam ſunt appellati. *Cerretanorum* nomen Cœlius Rhodiginus, Leander Albertus in Deſcription. Italiæ, ac alii, ex *Cerreto* Spoletani agri Oppido profectum putant, quòd inde copia ingens ejuſmodi Circulatorum prodiret. A vero non abhorret eorum opinio. *Ciarlatani* autem, ſi fides Menagio eſt in Lib. de Origin. Linguæ Italicæ, a *Circulus* appellati ſunt, hoc pacto: *Circulus*, *Circulo*, *Circulonis*, *Circulone*, *Cirlone*, *Ciarlone*. Fallitur

E vir doctus. A *Circulare* nos deduximus *Cerchiare*, non verò *Ciarlare*. Ab hoc poſtremo ſignificante *Multum loqui*, *Garrulus* & *loquax* eſſe, effluxit *Ciarlatano*. Unde verò *Ciarla* & *Ciarlare* natum ſit, nondum aſſequi potui. Niſi quod menti meæ obverſatur dubitatio aliqua, num ex Gallico nomine Caroli Magni ideſt *Charle*, derivaſſe olim potuerit *Ciarlare*, ad ſignificandam narrationem de Carolo ipſo. Nam pleræque olim Romanenſes Fabulæ, quas in plateis, triviis, & ad menſas canebant Hiſtriones, Circulatores, aliique id genus homines, Populum oblectaturi, fabuloſis Caroli Magni, ejuſque Palatinorum Procerum conſtabant. Inde

de manaſſe potuit *Ciarleria*, qua voce uſus eſt Frater Jacobus Tudertinus, pervetuſtus Italicæ Linguæ Scriptor, ad ſignificandas inanium rerum narrationes. Hæc ipſa eſt ſignificatio verbi *Ciarlare*. Olim verò *Ciarlatani* nuncupati fuerint, qui Fabulas canendo aut agendo, Populum ad ſe alliciebant, ut nummos ab eorum crumenis arte blanda educerent. Dubitationi huic ſit venia apud Lectores, quum in re adeo abſtruſa crimine careat vel leves ſuſpiciones proponere. Atque heic in memoriam meam redit *Maffei Vegii Laudenſis*, hominis ob eruditionem ſuam Sæculo Chriſti XV. celeberrimi, *Dialogus Veritatis*, quem in Ambroſiana Bibliotheca MStum vidi. Ibi colloquuntur Veritas & Philoſophus. Illa verò contendit, ſe nullum apud mortales locum invenire potuiſſe; atque in eam rem adfert, quæ ſibi acciderant apud *Circulatores*, *Hiſtriones*, *Alchimiſtas*, *Philoſophos*, *Judices*, *Negotiatores* &c. Innumeris autem aliis modis, ac ſuperſtitioſis potiſſimum remediis illudebant nebulones vulgi inſipientis credulitati: quod ne noſtris quidem temporibus deſiiſſe cernimus. Sed & heic audiendus Boncompagnus Italicus Scriptor, cujus Librum MStum *de Arte dictaminis* laudat Du-Cangius in Appendice ad Gloſſar. Latin. *Velut Scurra*, ait, *totam Italiam regiravit cum Cantatoribus, & tamquam eximius Tructanorum ſe fingit eſſe Medicum doctrinarum, ut fornicandi & adulterandi opportunitatem valeat invenire*. Boncompagnus, ipſo Du-Cangio teſte, floruit Anno MCCXIII. quare nulla dubitatio eſt, quin ille idem fuerit, qui *Opuſculum de Obſidione Anconæ*, a me editum Tomo VI. Rer. Italicar. conſcripſit, ubi vide, quæ de ejus patriâ ac ſtudiis ſum commentatus. *Tructani* autem a Boncompagno memorati Circulatores fuere, ſive errones, qui fallaciis ſuis emungebant rudis Populi marſupia. Neque enim *mendici* tantùm eo nomine ſignificati, quum, ut vides, ille ſe fingeret *Medicum*: quod & adhuc Circulatorum plerique faciunt. Ab Hiſpanis adhuc Scurra appellatur *Truan* ſive *Truhan*. In Notis ad Legem 6. Aiſtulphi Langobardorum Regis, Papiâ præeunte, dixi, *Troctingos* fuiſſe *Joculatores*. Quare alicui veri ſimile videatur, nihil diſcriminis interceſſiſſe inter *Tructanos* & *Troctingos*. Attamen non tam facile explodenda alia interpretatio ibi a me propoſita, nempe ſub *Troctingorum* nomine veniſſe *Paranymphos*. Theotiſcis *Truthine* idem eſt ac nuptarum comes, Paranymphus. Ibi de nuptiis & Pronuba res eſt. Ita in Gloſſis Theotiſcis ab Eccardo editis *Paranymphus* Teutonice appellatur *Truthigomo* & *Trutteboto*.

Sed forte percunteris: fuerunt-ne Sæculis barbaricis inter publicos Ludos Tragœdiæ, aut ſaltem Comœdiæ? Equidem in remotis Sæculis nullum apertum hujuſce rei veſtigium hactenus offendi. Poſt Sæculum vero a Chriſto nato Undecimum aliquid inveni; quamquam in ea opinione ſim, numquam ita excidiſſe veterum Latinorum Hiſtrionicam Artem, ut abolita prorſus fuerit apud Italos ejus memoria atque uſus. Suſpicor enim, viguiſſe fere ſemper eam partem, quæ olim a Pantomimis, ideſt geſticulatoribus peragebantur. Atque hi *Mattacini* ab Italis poſtea ſunt appellati, dum actionem quampiam geſtibus tantùm non verbis exprimerent. Arbitror etiam, aliquid inconditæ Comœdiæ ſemper fuiſſe Italis, quales nunc Romæ ſunt, quæ *Giudiate* nuncupantur. Sed iſta

A certis eorum temporum monumentis confirmare poſſe difficillimum ſit. Concilium quidem Aquiſgranenſe Anno DCCCXVI. habitum Canon. 83. ſtatuit: *Quod non oporteat Sacerdotes aut Clericos, quibuſcumque Spectaculis in Scænis, aut in nuptiis intereſſe: ſed antequam Thymelici* (ſcilicet Hiſtriones, Muſici, aut Mimi) *ingrediantur, exſurgere eos convenit, atque inde diſcedere*. Et in Concilio Turonenſi III. Anno DCCCXIII. Canone 7. Dei Sacerdotes *Hiſtrionum turpium & obſcœnorum inſolentias jocorum effugere* jubentur. Atto etiam Vercellenſis Epiſcopus circiter Annum DCCCCXLV. Capitulare ſuum emiſit, editum a Dacherio in Spicilegio, ubi Cap. 42. eumdem Canonem repetitum videas. B Verùm hinc minime certò evincas, temporibus iis *Spectacula in ſcænis*, ac *Thymelicos* veterum in uſu fuiſſe: is enim Canon totidem verbis deſumtus fuit ex antiquiſſimo Concilio Laodiceno in eum finem, ut Clerici deterrerentur a quibuſvis obſcœnis ac inhoneſtis Ludis, quorum ne Sæculis quidem IX. & X. inopia fuit, quum tamen lateat, an quiſquam ex iis in Scæna per Hiſtriones ageretur. Adi nunc Johannem Sariſburienſem Epiſcopum Carnotenſem, qui circiter Annum MCLX. Libros *de nugis Curialium* ſcribebat. Is Cap. 8. Libri primi inſcribit *de Hiſtrionibus & Mimis & Præſtigiatoribus*, atque inter cetera ait: *At noſtra ætas prolapſa* C *ad Fabulas, & quævis inania, non modò aures & cor proſtituit vanitati, ſed oculorum & aurium voluptate ſuam mulcet deſidiam. Nonne piger deſidiam inſtruit, & ſomnos provocat, inſtrumentorum ſuavitate, aut vocum modulis, hilaritate canentium, aut Fabulantium gratiâ?* Dixerat ante, *multos gratiam ſuam Hiſtrionibus & Mimis proſtituere*. Subdit etiam: *Admiſſi ſunt Spectacula & infinita tyrocinia vanitatis. Hinc Mimi, Salii vel Saliares, Balatrones, Æmiliani* &c. *& tota Joculatorum ſcena procedit. Quorum adeo error invaluit, ut a præclaris domibus non arceantur* &c. Satis hæc innuere videntur, Sæculo illi non defuiſſe Spectacula in ſcænâ peracta. Neque ſine tunc D fuere pudiciores & caſtigatiores Italicorum mores. Audiendi ſunt Patres Concilii Ravennatis Anno MCCLXXXVI. habiti apud Rubeum, & Tomo XI. Concilior. Labbei edit. Dicitur ibi, *Laicorum importunitate, qui Clericis plurimùm ſunt infeſti*, invectam fuiſſe conſuetudinem, *ut quum Laici decorantur cingulo Militari, ſeu nuptias contrahunt, Joculatores & Hiſtriones tranſmittunt ad Clericos, ut eis provideant, prout & idem Laici faciunt inter ſe*. Sed hæc obſcura, quum ſub nomine *Hiſtrionum* tunc venirent, quicumque Circulatores & Mimi jocis & ludis Populo riſum aut delectationem crearent. Audi Everhelmum in Vita Sancti Popponis Stapulenſis Abbatis in Actis Sanctor. E Bolland. ad diem 25. Januarii, Cap. 6. hæc ſcribentem: *Contigit etiam Ludis Hiſtrionum Imperiales fores occupari, atque eo Spectaculi genere Regem cum ſuis delectari*: ideſt Henricum I. Auguſtum, poſtea inter Sanctos adnumeratum. *Urſis etiam nudus quidam vir, membra melle perunctus, exhibetur, a quo etiam plurimum pro periculo ſuimet timetur, ne forte ab iiſdem urſis ad oſſa ſui, melle conſumto, perveniretur. Porro Rex ejuſdem Spectaculi adeo amore in oculis ſuis captus tenetur* &c. En quibus olim delectarentur & Imperatores ipſi Sæculo XI. ineunte.

Certe nullum ego tempus fuiſſe puto, quo

ſtatis Circulatoribus, Ludionibus, & Præſtigiatoribus alio caruerit. Theophanes in Chronographia ad Annum XVII Juſtiniani Magni Imperatoris, hoc eſt Chriſtianæ Æræ Anno DXLIII rem narrat, quam & Auctor Hiſtoriæ Miſcellæ Tomo I. Rer. Italicar. ab eo excerpſit. Eodem, inquit, *Anno plane in Circumforaneus quidam, Andreas nomine,* ex ITALICIS *partibus adfuit, fulvum & orbum lumine circumducens canem, qui ei ex juſſu, & ad ejus nutum mira edebat ſpectacula. Is ſiquidem in foro, magnâ Populi circumſtante catervâ, annulos aureos, argenteos, & ferreos, clam ſumtos, a ſpectatoribus depromebat, eoſque in ſolo depoſitos anguſtâ terrâ cooperiebat. At canis deinde juſſum ſingulos tollebat annulos, & unicuique ſuum reddebat. Similiter diverſorum Imperatorum numiſmata permixta & confuſa, nominatim & ſigillatim proferebat. Quin etiam adſtante virorum ac mulierum circulo, canis interrogatus mulieres uterum geſtantes, ſcortatores, adulteros, parcos ac tenaces, ac denique magnanimos, atque cum veritate demonſtrabat. Et ideo eum Pythonis ſpiritu motum dicebant.* Ejuſmodi præſtigias ne noſtra quidem tempora ignorant, eaſque Diabolicâ tantùm arte perfici, ignarum ac rude vulgus non raro ſuſpicatur. Gothi etiam ſub Juſtiniano I. Imperatore, ut auctor eſt Procopius Lib. primo, Cap. 18. Romanis exprobrabant, quod a Græcia Italia nullos alios acciperet, niſi *Tragœdos, Mimos, & Piratas.* Attamen ſi Comica aut Tragica inferiorum temporum Poëmata quæras, vix ullum reperias. Unum tamen indicabo, quod e MSto Codice Tegernſeenſi evulgatum eſt ante paucos annos a Cl. Viro Bernardo Pezio Monacho Benedictino Mellicenſi, part. 2. Tomi 2. Theſaur. Anecdotor. noviſs. pag. 185. Ita verò inſcribitur: *Ludus Paſchalis de adventu & interitu Antichriſti in ſcena Sæculo XII. exhibitus.* Ibi in ſcenam inducuntur Papa, & Imperator, Reges Francorum, Theotonicorum, Græcorum, Babylonis &c. Antichriſtus & Synagoga. Multos Reges ſibi devincit Antichriſtus, ſed tamdem corruit. Albertinus quoque Muſſatus Patavii circiter Annum MCCCXX. *Eccerinidem* Tragœdiam ſcripſit, quæ an ſcenæ tradita fuerit, minime liquet. Illud exploratum eſt, Sæculo XV. reſtauratam fuiſſe ab Italicorum ingeniis Artem Comicam ac Tragicam; Muſicam quoque Tragœdiæ junctam. Qua de re Eruditi jamdiu multa ſunt commentati. Ceterum Sæculo XIII. aut XIV. Spectaculorum genus reperio, quibus *Rappreſentazioni* nomen erat, atque imitatione conſtabant alicujus veræ, aut veriſimilis, & plerumque ſacræ actionis. An ſermones, aut verſus interſererentur, ignotum eſt mihi. In Forojulienſi Chronico Juliani Canonici Cividatenſis, heic a me edito, ad Annum Chr. MCCXCVIII *facta* dicitur, *repræſentatio Ludi Chriſti, videlicet Paſſionis, Reſurrectionis, Aſcenſionis, Adventus Spiritus Sancti, & Adventus Chriſti ad Judicium, in Curia Domini Patriarchæ honorifice & laudabiliter per Clerum.* Anno itidem MCCCIV. *facta fuit per Clerum, ſive per Capitulum Cividatenſe Repræſentatio de creatione primorum Parentum; deinde de Annuntiatione B. Virginis, de Partu, de Paſſione &c. & de Antichriſto &c. Et prædicta facta fuerunt ſolemniter in Curia Domini Patriarchæ* cum ingenti concurſu Populi, & finitimorum Nobilium. At rem funeſtiſſimam narrat Johannes Villanius Hiſtoriar. Lib. 8. Cap. 70. quæ Florentiæ Anno MCCCIV. accidit, hiſce verbis: *Come per antico aveano per coſtume, quelli di Borgo San Priano di fare più nuovi e diverſi Giuochi, ſi mandarono un bando per la Terra, che chi voleſſe ſapere novelle dell' altro Mondo, doveſſe eſſere il dì di Calen di Maggio in ſul ponte alla Carraja, e d'intorno all' Arno. E ordinarono in Arno ſopra barche e navicelle palchi; e fecionvi la ſimiglianza e figura dell' Inferno con fuochi & altre pene e martori, con uomini contrafatti a Demonia, orribili a vedere, & altri, i quali aveano figura d'anime ignude. E mettevangli in que' diverſi tormenti con grandiſſime grida e ſtrida e tempeſte: la quale parea odioſa coſa e ſpaventevole a udire e vedere. E per lo nuovo giuoco vi traſſono a vedere molti Cittadini. E'l ponte alla Carraja, il quale era allora di legname da pila a pila, ſi caricò sì di gente, che rovinò in più parti, e cadde colla gente, che v'era ſuſo. Onde molta gente vi morio, & annegò in Arno, e molti ſe ne guaſtarono la perſona, sì che il Giuoco da beffe tornò a vero* &c. Si e quibuſvis Sæculis Hiſtoricos, Poëtas, alioſque Scriptores haberemus, facile deprehenderemus, nulli tempori defuiſſe publica Spectacula, quibus oblectarentur Civium animi, eaque præſertim, quæ ex hominum crumenis argentum exprimunt. Sed ſatis ſuperque de hiſce actum eſt. Progrediamur.

Inter veterum Spectacula, quorum adhuc conſtans eſt uſus Florentiæ, Bononiæ, ac in aliis quibuſdam Italiæ Civitatibus, *curſus Equorum* ſuum etiam locum poſcit. Quantopere delectati fuerint ejuſmodi Ludis Græci olim ac Romani, nemo ignorat, niſi qui in veterum eruditione hoſpes omnino eſt. Jamdiu deſuetos Italia rurſus recepit, ſed equis tantum aut ſponte currentibus, aut a juvenculo inſidente rectis, rariſſime verò cum quadrigis. Præmium equo victori proponebatur, plerumque *Pallium*, hoc eſt ſericus aut laneus pannus, non levis, aut certe non contemnendi pretii: unde poſtea emerſit familiaris Italicæ Linguæ formula *correre il Palio*, ſive *correre al Palio*. Quod ſi Pallium minime proponebatur, certe donaria alterius generis (tria fere ſemper) conſuevere conferri. Sæculo Decimo tertio ejuſmodi equorum certamen uſitatum video; an antea, ignotum mihi. In Legibus municipalibus Ferrarienſis Populi (Codicem MStum Eſtenſis Bibliotheca adſervat) Anno MCCLXXIX. ſtatutum fuit Lib. 2. Rubric. 116. *Ut in feſto beati Georgii equi currant ad Pallium, & Porchetam, & Gallum.* En tria præmia. Rurſus Rubric. 117. ejuſdem Libri ſancitur: *Ut in feſto Sanctæ Mariæ de Auguſto in Civitate ſolatium habeatur. Poteſtas, qui pro tempore fuerit, teneatur octo diebus ante diem dicti feſti ſcire voluntatem hominum majoris Conſilii de faciendo equos currere ad Bravium in dicto feſto, ſcilicet ad unum Runcinum, Ancipitrem* (ideſt *accipitrem*: ita enim medii ævi Scriptores vocem iſtam efferebant), *& duos Bracos*, nempe canes venatorios. In Statuto MSto Populi Mutinenſis Anno MCCCXXVII. Lib. 2. Rubric. 27. decretum fuit: *Ut in feſto Sancti Michaëlis equi currant ad Scarletum ſex brachia de Scarleto, & ad Porchetam, & Gallum, ſecundùm conſuetudinem.* Non id Spectaculum tunc adinventum; ſed confirmata eſt illius tantùm conſuetudo. Bononienſes quoque (Annalibus a me editis Tomo XVIII. Rer. Italicar. & Ghirardaccio teſtibus ad Annum MCCLXXXI.) de-

decrevere, ut deinceps recurrente die feſto Sancti Bartholomæi, hoc eſt IX. Kalendas Septembris, Equorum curſus haberetur, & præmii loco ſtatueretur *Equus bene ornatus, Accipiter, duo Canes venatici, & Sus tenella*. Auctor eſt Scipio Admiratus ſenior in Hiſtor. Florentin. Lib. primo, inſignem victoriam a Romanis Anno CCCCVII. (immo CCCCV.) reportatam fuiſſe de Radagaiſo Gothorum Rege in Etruria, & tunc ad perpetuam memoriam tantæ rei inſtitutum fuiſſe a Florentinis die VIII. Octobris certamen equorum: *qui mos*, ut ille ait, *uſque ad nunc perduravit*. Tantam inſtitutionis illius antiquitatem propinet cui vult Admiratus: mihi certe non perſuadebit, cui nonniſi multis poſt Sæculis ejuſmodi equorum certamina reſtituta fuiſſe creduntur. Fauſtus autem aliquis eventus fere ſemper occaſionem dedit inſtituendi annuum bravium Equorum in Urbibus. Erepta fuit feliciter ex impii Eccelini manibus Anno MCCLVI. Civitas Patavina: quare ſubſequenti Anno, ut tantæ felicitatis memoria anniverſariâ ſolennitate celebraretur, Reſpublica illa Decretum hoc promulgavit, quod in antiquo membranaceo Codice Statutorum Civitatis Patavii, apud Dominum Stephanum Vareſium ibidem adſervato, legitur ſub Rubrica *de Feriis, Nundinis, & Feſtivitatibus celebrandis*.

Decretum Populi Patavini de in poſterum celebranda anniverſaria liberatione Civitatis ſuæ, Anno 1257.

Poteſtate Domino Matthæo Quirino, Milleſimo Ducenteſimo Quinquageſimo ſeptimo. Item ſtatuimus, quod omni anno, die duodecimo exeunte Junio, quo burgos cepimus Civitatis, Poteſtas Paduæ cum ſua Familia ſeu Curia, & Fratalea Populi, ad Veſperas accedant ad Eccleſiam Sancti Anthonii ad honorem Dei & beatæ Mariæ ſemper Virginis, & omnium Sanctorum, & beatorum Proſdocimi, Juſtinæ, & Antonii Confeſſoris. Et die undecimo exeunte Junio, in quo capta fuit Civitas Paduæ, Dominus Epiſcopus & omnes Clerici de Padua, & Poteſtas cum tota ſua Curia, & Dominus Marchio (*), *ſi erit in Civitate Paduæ, cum omnibus Militibus, & Dominabus, atque Frataleis, ad ipſam Eccleſiam accedant ibidem Miſſam audituri, in proceſſione cum devotione, cereis & candelis, quæ Poteſtati & ſuæ Curiæ per Commune Paduæ ſolvi debeant ibidem ob reverentiam Jeſu Chriſti. Et Commune Paduæ omni anno dare teneatur ac præſentare in dicta die in Via publica in medio Prati Vallis* duodecim brachia Scharletti, & unum Spariverium, cujus pretium non excedat ſummam Soldorum ſexaginta, & duas Cyrothecas, ad quod Scharlettum, Spariverium & Cyrothecas præoccupandas currere debeant Dextrarii ante Miſſam; & illius cujus fuerit Dextrarius, qui primus metam curſus attigerit, ſit Scharlettum prædictum: & illius, cujus fuerit Dextrarius, qui ſecundus metam curſus attigerit, ſit Spariverius: & ille, cujus Dextrarius fuerit, qui tertio loco vicerit in currendo, habere debeat Cyrothecas. Ita tamen quod currere non debeat ad curſum prædictum Dextrarius aliquis, qui non fuerit æſtimatus Libras quinquaginta per Judicem vel Militem Poteſtatis. *Et dictum Feſtum ſicut Feſtum Apoſtoli celebretur.*

Neque tantùm Equorum curſus olim habebatur, ſed & Hominum, Feminarum, Meretricum, Aſinorum &c. Dantes Aligherius circiter Annum MCCCIV. hæc ſcribebat Cap. XV. Inferni:

Poi ſi partì, e parve di coloro,
Che corrono a Verona 'l drappo verde
Per la campagna &c.

Quæ verba ita explicat Benevenutus Imolenſis ejus Sæculi Scriptor, in Commentariis in hoc opere a me evulgatis: *Ad quod ſciendum eſt, quod in Civitate Veronæ eſt conſuetudo, quod annuatim ideſt primâ Dominicâ Quadrageſimæ currunt Homines pedites ad unum Pallium viride certatim. Itaque ibi videtur maxima celeritas currentium. Hunc autem actum viderat Dantes, quando ſtetit Veronæ.* Quod etiam peculiare eorum temporum fuit, ſi quando proſpere res bellica cedebat, ita ut hoſtes cogerentur ſe intra mœnia ſuæ Civitatis concludere, tunc victor in eorum opprobrium certamen equorum deducebat uſque ad portas trepidantis Urbis. Nummos quoque ibi, quaſi in ſui juris loco percutiebant, aliaque ridenda perpetrabantur. Anno MCCLXIII. Piſani, ut eſt in eorum Annalibus a me editis Tomo VI. Rer. Italicar. pag. 195. uſque ad Lucæ portas exercitu ſuo penetrarunt, *ubi ad perpetuam rei memoriam, & laudis noſtræ præconium, & adverſariorum ſempiternum opprobrium, & ad ſuperabundantiam ultionis, Monetam noſtram novam duorum Solidorum cum impreſſione noſtræ victricis Aquilæ coronatæ cudi fecimus, & quamplures novos Milites cingulo novæ Militiæ decorari. Quadrellos, ſagittamina, & virgas Sardorum in Civitatem Lucanam projici fecimus, ex quibus ſupra muros & in Civitate ipſa plures fuerunt lethaliter ſauciati. Ludum ad maſſa, ſcutum, & alia jucunda tripudia fieri.* Ita Anno Chriſti MCCLXXXIX. Florentini victores mœnibus Arretinæ Urbis inſtantes, teſtante Johanne Villanio Lib. 7. Cap. 132. Hiſtoriar. *fecionvi correre il Palio per la Feſta di San Giovanni, & rizzaronvi più dificì, e manganaronviſi Aſini con la mitra in capo per rimproccio del loro Veſcovo.* Anno quoque MCCCXXV. inſignem de Florentinorum exercitu victoriam retulit Caſtruccius Lucenſium Princeps. Is blandiente fortunâ uſus, uſque ad mœnia Florentiæ progreſſus eſt, prædæ ac incendiis omnia ſubjiciens. Ibi verò in contemtum Florentini Populi tria certamina edenda juſſit, præmiis unicuique propoſitis. Primum fuit curſus *Equorum*: ſecundum curſus *Peditum*: tertium curſus *Meretricum*. Nummos & ipſe pæne ſub mœnibus Florentiæ cudendos curavit, quos deinde *Caſtruccinos* appellavere. Florentini verò & ipſi, ubi ſecundæ res ſucceſſere, paria contra Piſanos, Senenſes, Mediolanenſes præſtitere. Ipſo quoque

(*) ideſt Marchio Eſtenſis.

quæ Anno MCCCXXV Mutinenſes copiis Paſſerini Mantuani, Azzonis Vicecomitis, & Marchionum Eſtenſium adſiliti, ingenti ſtrage exercitum Bononienſium ad *Zapolinum* fregere. Tum uſque ad portas Bononiæ deductis copiis, ſuburbia populati, ibidem conſtitere. Inſuper, ut ſcribit Morianus ad eumdem Annum in Chronico Mutinenſi Tomo XI Rer. Italicarum, *a di 15 Porta Civitatis* (*Bononiæ*) *ad Pontem Rheni fecerunt aquas currere ad Pallia & Scarlata; unum videlicet pro Communi Cremonæ, cujus Civitatis præſens Azzo exiſtit titulatus; aliud pro Communi Ferrariæ; aliud pro Communi Mantuæ; & reliquum pro Communi Mutinæ antedicto, ad æternam memoriam præmiſſorum, & ipſorum Bononienſium ſcandalum*. Liceat hic nobis emendare Corium, qui hanc Mutinenſium victoriam refert ad Annum MCCCXXIII. Sed longius a veritate abfuit Ghirardaccius ſuper memoratus, qui clauſis oculis Corio ſubſcribens, bis debellatos a Mutinenſibus Bononienſes ſuos ſcripſit, hoc eſt Anno MCCCXXIII ac deinde MCCCXXV. Unâ tantum clade perculſi in eo bello Bononienſes fuere. Reliqua conſuetudinis hujus exempla prætereo, quæ illius Sæculi Hiſtoria ſuppeditat. Hæc autem pleraque ſi puerilia inanis gloriæ inventa appellem, concordes mecum ſapientes quoſque habiturum me ſpero. Neque alia fuit ſententia Philippo Villanio, qui Lib. XI Cap. 63 bellum inter Piſanos ac Florentinos ſuo tempore, hoc eſt Anno MCCCLXIII. geſtum deſcribens, hæc literis conſignabat: *Il perchè i Piſani* (aciebus ad mœnia Florentiæ deductis) *feciono correre il Palio per traverſo a Rifredi, e tra le Schiere. Più feciono battere Moneta; e al Ponte a Rifredi impiccarono tre Aſini; e per deriſione, loro puoſono al collo il nome di tre Cittadini, a ciaſcuno il ſuo. Ecco in che i ſavj Communi di Firenze e di Piſa ſpendono i milioni di Fiorini, rinovellando ſpeſſe queſte villanie* &c.

Sunt & alia Spectacula a pluribus Sæculis uſitata Florentiæ, Senæ, Venetiis, videlicet *il Giuoco del Calcio*, *le Regatte* &c, a quibus recenſendis abſtineo. Sæculo etiam XIV. in Civitate Romana *Ludus Taurorum*, ſive nobilium Juvenum cum Tauris indomitis certamen, in Amphitheatro Titi celebrari conſuevit. Ipſum deſcribens Lodovicus Monaldeſcus in Annalibus, Tomo XII. Rer. Italicar. pag. 535. enumerat nobiles viros, qui in arenam, Anno MCCCXXXII deſcenderunt, eorumque chlamydes atque emblemata. Pugnatorum fortitudinem laudat, ſed quem finem Ludus habuerit, hæc illius verba produnt: *Tutti aſſaltarono il ſuo Toro, e* (de' combattenti) *ne rimaſero morti diciotto, e nove feriti; e de i Tori ne rimaſero morti undeci. A i morti ſi fece un grande onore*. Si tanta ibi revera fuit hominum cædes, qualis fuerit temporum illorum ſapientia, aliis perpendendum relinquam. Prudentiores certe fuerunt Romanorum illorum poſteri, immo & reliqui Populi, qui periculoſum adeo certamen, ab unis vilibus Gladiatoribus olim uſurpatum, totum dimiſere agilitati, dexteritatique Hiſpanicæ gentis, quam nulla hactenus ſuorum funera ab hujuſmodi Spectaculo avertere potuerunt. Erat & antiquis Sæculis magnificentia non mediocris in nuptiis, inaugurationibus Principum, aliiſque eorum publicis actis: quod repetere mihi liceat. Tunc nobiliores inter juvenes, turmas varias pari colore indutas conſtituebant. Interdum verò veſtes non uno colore, ſed gemino induebantur, ita ut dextera pars veſtimenti rubeum exempli cauſsâ, ſiniſtra verò croceum oſtenderet, uti in Diſſertatione XXXIII. *de Origin. Vocum Italicar* ad vocem *Bizzarro* innui. Superſunt adhuc Mediolani veſtigia hujus moris in Oſtiariis Communis Conſilii, atque illum referunt quoque picturæ Sæculi XIV. & XV. Atque hinc opinor natum nomen *Diviſa*. Nunc *Livrea* dicimus; quod nempe moris eſſet Dividere ſive Partiri veſtimenta, ita ut una pars unum colorem, altera alterum præferret. In Vita Sanctæ Franciſcæ Romanæ in Actis Sanctor. Bolland. ad diem IX. Martii, Viſion. 30. legitur: *Pulcherrima Diviſa eſt color albus & rubeus*. In Notis ita vox iſta explicatur: *ideſt Partitio. Item Modus & Electio,, ut ſcribunt Academici Florentini*. Sed nihil aliud ibi *Diviſa*, niſi *Livrea*. Et inde *Veſti diviſate, Panni diviſati*, ideſt duplicis coloris. Alia magnificientiæ exempla apud majores noſtros occurrunt, e quibus unum in præſentia prætermittere nolo, nempe quam ſplendidis ritibus Populus Romanus Sæculo Chriſti XIV. exciperet Principes, aut Romanorum Pontificum tunc Avenione degentium Legatos. Narrationem hanc ſuppeditavit mihi ampliſſima Vaticana Bibliotheca, depromtam ex Codice 6823.

Ordine

Ordine e magnificenza de i Magiſtrati Romani nel tempo, che la Corte del Papa ſtava in Avignone.

IO già, come vi diſſi, in un Libro ſcritto a mano fra molte coſe vi trovai, come intenderete nel tempo, che in Avignone la Corte Romana faceva reſidenza, per malignità de' tempi cagionata, nel quale il governo di Roma aſſolutamente da' Senatori la giuſtizia della patria eſercitava con lor molta real grandezza sì nel governo, come nel ricevere & incontrare i Legati Apoſtolici con belliſſimo ordine, precedenze de' Magiſtrati, sì degli abiti, Livree, e mutazione anco di eſſe, nell' andare ad incontrare gl' Imperadori & altri Principi, e ſimili altre occaſioni, con magnificenza de' detti uſate, & anticamente da loro oſſervate. Prima ſi vedeva venire di molti Gentiluomini a cavallo, ſeguitati da' Baroni e Signori a loro beneplacito veſtiti, con i loro Staffieri e Livree. E ſeguivano poi gli Officiali e Magiſtrati, che ſi davano a' Baroni e Gentiluomini principaliſſimi Romani. Venivano prima quattro Trombetti del Popolo a cavallo, con fornimenti e ſella di corame roſſo, & alle Trombe l'Arme del Popolo. E loro erano veſtiti con beretta di panno roſſo all' antica, con una fettuccia cinta di taffettà bianco, allacciata, con un giubbone ſcollato di raſo giallo, e calze liſcie all' antica di panno roſſo, con un Sajone aperto da i fianchi ſcollato di panno roſſo, liſtato di faſcie di raſo giallo, con trine bianche, con una manica alla Diviſa roſſa e gialla, e l'altra roſſa tutta, con una banda di taffettà, ſecondo la Livrea del Senatore. Seguivano ſei Mazzieri con mazze d'argento, veſtiti con veſte lunghe ſenza maniche, di panno pavonazzo, con rivetti e fodera di tabì roſſo, & il giubbone di raſo roſſo, con un berettino all' antica di Scarlatto: e cavalcavano con fornimenti e ſella di corame roſſo. Venivano quattro Alabardieri della guardia del Senatore con berretta all' antica di panno roſſo, con due piume, & un Sajone all' antica ſcollato con maniconi larghi, tutto fatto a faſcie per lungo di panno roſſo e giallo, con paſſamani bianchi, con calze liſcie all' antica di panno roſſo, con una banda ſecondo la Livrea del Senatore. Et in certe occaſioni andavano avanti armati tutti fin ſopra la coſcia d'arme bianche. E queſti andavano per guardia della perſona del lor Capitano, che ſeguiva loro a cavallo con ſella armata di velluto pavonazzo, e fornimenti e fibbie dorate, e con una berretta di ſcarlatto di grana, con una medaglia d'oro, con piume, & un giubbone di damaſco roſſo, con un collaro di maglia, & una collana d'oro al collo, con calza all' antica, una roſſa e l'altra gialla e roſſa, & un robbone all' antica di panno pavonazzo, faſciato di velluto pavonazzo, foderato di raſo roſſo. E nelle occaſioni iva armato tutto fuor che la teſta. E ſopra la coſcia, d'arme bianche, con una mazza ferrata all' arcione: e due, che gli andavano da i lati a' piedi con la medeſima Livrea veſtiti degli Alabardieri; ma con baſtoni in mano, che gli facevano far largo al Popolo. Li due Maeſtri di ſtrada ſeguivano a cavallo con fornimenti di velluto roſſo, con gualdrappa di ſcarlatto. Portavano una berretta all' antica alla Ducale di velluto cremeſino con un giubbone di raſo pavonazzo, con calza liſcia all' antica di ſcarlatto di grana, con ſcarpe di velluto roſſo, con un robbone all' antica corto di velluto roſſo con fodera di damaſco giallo. Venivano i due Sindici del Popolo, che cavalcavano con fornimenti di velluto roſſo con gualdrappa di panno roſſo, e portavano in teſta ...... con una certa calza lunga di ſcarlatto ...... che ſe la gettavano ſopra le ſpalle con un poco di moſtra di pelle bianca, che uſavano, & un robbone lungo alla Senatoria all' antica di damaſco pavonazzo con fodera di raſo cremeſino con una ſottana di ſcarlatto. Seguivano poi due Secretarj, che cavalcavano con gualdrappa e fornimenti di velluto pavonazzo, veſtiti con berrette alla Ducale, con un giubbone di raſo roſſo, con calze di ſcarlatto, con un robbone di damaſco cremeſino, foderato di raſo giallo, fin ſopra il ginocchio. I due Scriba-Senatus vanno a cavallo, come i Secretarj, e veſtono come loro; ma il robbone aveva ſolo mezzi maniconi con bottoni d'oro, e la fodera di raſo pavonazzo. Poi venivano quattro Mareſcalchi al paro cavalcando con mezze copertine di ſcarlatto con frangie d'oro con fornimenti di velluto roſſo, con berretta alla Ducale di velluto cremeſino, e calze di ſcarlatto, con un robbone corto di velluto pavonazzo con bottoni d'oro, foderato di damaſco roſſo, con un baſtone per uno in mano di legno bianco.

Andavano avanti alli Paggi de' Caporioni i Tamburi de' Rioni, tutti inſieme a quattro a quattro per fila, con una berretta all' antica di panno roſſo con piume, con un giubbone giallo, con calze all' antica, una roſſa di panno, e l'altra ſecondo la Livrea del Rione, con una caſacca liſcia di panno roſſo con paſſamani gialli, con faldoni e maniche, una roſſa, e l'altra alla Diviſa del Rione, con una banda de' colori dell' Arme de' Caporioni. E ſopra i Tamburi erano dipinti i ſegni del loro Rione, con queſte lettere ✠ S. P. Q. R. Venivano tredici Paggi de' Caporioni, che andavano a due a due avanti a i Caporioni con loro precedenza. E queſti tali Paggi portavano le Inſegne de' Rioni, cavalcando con fornimenti di velluto roſſo, e mezze copertine fatte a pendoni, con pettorali di panno del color dell' impreſa del Rione con l'Arme di ricamo al pettorale del cavallo del Caporione; e fatto il fornimento a frangie, con frangia e fiocchi d'argento alla teſtiera del cavallo con le piume. Il veſtimento de i Paggi: prima portavano un berrettino all' antica di ſcarlatto. Ma queſto lo portavano nelle feſte poſitive ſenza la Bandiera; ma nelle feſte Militari portavano in teſta la celata con piume, e con la Bandiera de' Caporioni, con un giubbone di raſo giallo, con calze di ſcarlatto, e l'altra alla Diviſa del Rione: con Sajone con le maniche, una di damaſco roſſo, come il Sajone, e l'altra alla Diviſa del Popolo Romano: & era ſcollato e liſcio, guernito con certe faſce alla Livrea del Rione di ricamo, con una banda alla Livrea dell' Arme del Caporione. Seguivano i tredici Caporioni, che oggi così li chiamano: e queſti tali il Popolo Romano gli usò nel Pontificato di Giovanni XII. l'Anno DCCCCXLVIII. E li chiamarono Decharchoni, che guardavano la

Corte. E nel Pontificato d'Urbano IV. nell' Anno MCCLXIII. ſi chiamarono Banderesi. Questa podeſtà avevano di dare la vita e la morte, e nella Repubblica avevano tutto il governo, e guardavano la Patria. Queſto nome di Banderesi era di Germania venuto, che Bandieri chiamano i Veſſilli, che portano nelle imprese: perciocchè ogni Capo di Regione oggi chiamavano Caporione, & ancor la loro Bandiera, e ſegno è di Rione. E fra di loro tredici erano un loro Capo, che Priore lo chiamano, ancor oggi ſi uſa; e fu frenata la loro grande autorità per la loro inſolenza contra la volontà de' Pontefici nell' Anno MCCCLXIX. da Gregorio XI Pontefice, e la riduſſe ſecondo la volontà ſua. E così fino al dì d'oggi tengono; che ſe naſceſſe tumulto grande nella Città, ſono tenuti a quietarlo. E nelle Sedie vacanti con loro grande autorità miniſtrano la giuſtizia, e guardano la Città da i tumulti, che poſſono accadere. Con molta loro modeſtia e onore oggi la eſercitano. In certe occaſioni portavano queſt' abito. Cioè una berretta alla Ducale all' antica di velluto cremeſino, con un robbone corto all' antica con mezzi maniconi di velluto cremeſino, con punte e bottoni d'oro, foderati di tocca turchina e oro, con un giubbone di raſo pavonazzo, con calze, una di ſcarlatto, e l'altra di roſſo e giallo, con ſcarpe di velluto roſſo, con un baſtone bianco per uno in mano. E il loro Priore portava il Laticlavo indoſſo di velluto pavonazzo, foderato di pelle d'armellino all' antica, con un bottone d'oro allacciato. E cavalcavano con mezze copertine fatte a' pendoni, con il pettorale di velluto verde fatto a' ricami d'oro e d'argento con frangie e fiocchi d'oro, e fornimenti del medeſimo velluto. Andavano due a due ſecondo le loro precedenze, col Prior loro in mezzo nell' ultima fila, con ſei Paggi avanti colle loro Bandiere. Nelle feſte Militari avevano un' altra ſorta d'abiti, che uſavano. Portavano un Sajone creſpo ſcollato all' antica, che ſi allacciava ſopra le ſpalle, aperto da i fianchi, con falconi lunghi di velluto cremeſino, con certe faſcie guarnite di ricamo, ſecondo i colori del loro Rione, e con maniche, una tutta roſſa di velluto, e l'altra alla Diviſa di giallo e roſſo, con una banda de i colori dell' Arme de' Caporioni: e ſotto fin ſu la coſcia tutti armati, fuorchè la teſta, che la celata la portavano in teſta i loro Paggi, d'arme bianca con berretta, calze, e 'l baſtone, come di ſopra è detto. E i cavalli andavano tutti bardati di velluto verde fatto a ricami, e al pettorale l'Arme del Caporione, con fiocchi e frangie d'oro, armati la teſtiera con Pennoni: e il Priore portava il Laticlavo.

I due Cancellieri ſeguivano dietro a i Caporioni. Cavalcavano con gualdrappa di ſcarlatto con frange d'oro e fornimenti di velluto roſſo con berretta alla Ducale di velluto cremeſino, con ſottana di velluto pavonazzo, e calze di ſcarlatto, con robbone alla Senatoria, con maniconi di tela d'oro foderati di damaſco roſſo. Venivano poi gli Oratori de i Re e de' Principi e Repubbliche, che s'imbattevano alla Corte Romana, veſtiti a loro beneplacito. Seguivano due Paggi del Confaloniero, che tenevano in mezzo quello del Prefetto di Roma, e quelli del Confaloniero andavano veſtiti con un berrettino di ſcarlatto & un giubbone di raſo roſſo, con calze, una di ſcarlatto, e l'altra gialla e lionata, che è la Livrea del Confaloniero, con un Sajone creſpo ſcollato aperto da i fianchi di damaſco giallo con faſce guarnite di damaſco roſſo con ricami d'argento, e le maniche, una gialla e l'altra lionata e gialla. E cavalcavano con una mezza coperta e pettorale fatto a' pendoni con l'Arme di ricamo del Confaloniero di panno lionato con faſcie di velluto giallo, con frange e fiocchi e paſſamani di ſeta roſſa & argento, con fornimenti di velluto lionato. Nelle feſte Militari poi portavano uno d'eſſi una mazza ferrata, e la celata con pennoni in teſta del Confaloniero, con una banda roſſa. E quando il Confaloniero non portava egli lo Stendardo grande, lo portava queſto Paggio, e l'altro portava una Zagaglia e lo Scudo, con l'Arme del Confaloniero, con la medeſima banda, e pennoni alla teſta del cavallo. Il Paggio del Prefetto di Roma in mezzo de' Paggi del Confaloniero a cavallo con una mezza copertina e pettorale fatto a pendone di panno turchino, con un' Aquila d'argento, con paſſamani e frange e fiocchi di ſeta roſſa & argento, con pennoni alla teſtiera del cavallo. Andava il Paggio veſtito con un berrettino di ſcarlatto, con un giubbone di raſo turchino, con una calza di ſcarlatto, e l'altra bianca e turchina, che è la Livrea del Prefetto, un Sajon creſpo ſcollato di velluto roſſo liſtato con faſce di damaſco turchino, con ricami d'oro e d'argento, e le maniche una roſſa e l'altra di velluto bianco e turchino, con una banda roſſa e gialla. E nelle Feſte Militari porta la celata del Prefetto in teſta, e ſempre va innanti al Prefetto: e porta una fruſta in mano, che è ſegno che caſtiga i malfattori. Veniva il Confaloniero del Popolo Romano: e queſta Dignità si in pace, come in guerra porta lo Stentardo grande della Libertà Romana, il qual' era di tabì cremeſino con le lettere del Popolo ✠ S. P. Q. R. d'oro, con un fregio attorno di un palmo di ricamo d'oro e d'argento con frange d'oro. E da molte centinaja d'anni in quà pe' benemeriti della nobiliſſima Famiglia Ceſarini per ſucceſſione ereditaria, le è conceſſa dal Popolo Romano, e da' Pontefici confermata inſino ad oggi. Andava con queſto abito. Portava una berretta alla Ducale di tela d'oro con un giubbone di raſo cremeſino con bottoni d'oro, con calze una di ſcarlatto, e l'altra roſſa e gialla, con un robbone corto, largo, tutto chiuſo, con mezzi maniconi di tela d'oro, foderato di damaſco cremeſino, con una gualdrappa al cavallo, pettorale, e fornimenti di velluto cremeſino, & al pettorale l'Arme ſua di ricamo, con frange e fibbie d'oro. Nelle Feſte Militari andava il Confaloniero armato con collaro, ſpallacci, e bracciali d'arme bianca, con un Sajone creſpo, mezzo di velluto cremeſino, e l'altro mezzo della ſua Livrea, fatto a faſce di color lionato, e tela d'oro, e ſimile le maniche di eſſo, con una catena d'oro al collo, col cavallo bardato armato in fronte, con pennoni, coperto di damaſco lionato, tutto fatto a ricami d'oro e d'argento, con l'Arme, e frange d'oro.

Seguiva il Prefetto di Roma a man dritta del Confaloniero. E queſt' Officio dopo il Senatore ha il primo luogo, eſercitato da' Baroni Romani; & aveano carico di mantenere la Patria abbondante, e di tenere purgate e ſicure le ſtrade della Campagna di Roma, nette da' ladroni & aſſaſſini; e con rigore li caſtigava. Però gli andava avanti quel Putto con la fruſta; e le Città, Terre, e Caſtelli erano obbligati di mantenergli i ſoldati. E quando i Pontefici coronavano gl' Imperadori, egli teneva la Corona Imperiale, & andavagli ſempre avanti vicino al

al Pontefice : e nelle pompe portava una bacchettina d'oro in mano . E queſt' officio lo eſercitò molto tempo la nobiliſſima Famiglia di Vico , conceſſole dal Popolo Romano , e da' Pontefici per eredità ſucceſſiva pe' benemeriti di queſta Famiglia . Ma poi per la loro mala vita , ed enormi ſcelleraggini da loro uſate li perſeguitarono con l'arme , e la eſtinſero , e lo diedero ad altre Famiglie Nobili Romane , a tale uffizio della Prefettura di Roma . . . .

E veſtiva queſt' abito: con una berretta alla Ducale di tela d'oro , con un giubbone di raſo turchino, con bottoni d'oro , con calze una di ſcarlatto di grana, e l'altra di tela d'oro , con un robbone corto all' antica di tela d'oro , foderato di pelle d'armellino , con una collana al collo d'oro , e la bacchetta in mano , cavalcava con pettorale con l'Arme ſua di ricamo , & una gualdrappa , e fornimenti di velluto cremeſino , con frange e fibbie d'oro . Dietro a queſto venivano quattro Paggi del Senatore . Cavalcavano con mezze copertine di panno roſſo , con frange di ſeta roſſa , e fornimenti di corame roſſo, con un berrettino di ſcarlatto , e lo portavano in mano , con un giubbone di raſo cremeſino , con calze, una roſſa di ſcarlatto , e l'altra alla Livrea de' colori del Senatore , con un Sajone ſcollato liſcio di damaſco roſſo , con faſce di velluto giallo con trine di ſeta bianca , con una manica roſſa , e l'altra de' colori dell' Arme del Senatore ; con una banda roſſa , e una targa all' antica con l'impreſa del Senatore . Andavano due a due , e nelle Feſte poſitivamente andavano alla ſtaffa al Senatore ſenza banda , e ſcudo . Venivano ſedici Palafrenieri, oggi detti Fedeli del Popolo Romano . E li chiamano di queſto nome per memoria di un Caſtello , che è nella Campagna di Roma , e ſi chiama Vitorchiano : che eſſendo ribellato tutto lo Sato al Popolo Romano, ſolo il ſopradetto Caſtello ſtette nella fede , e ſi difeſe da' nimici del Popolo Romano; e d'allora in quà tutti gli Ufiziali della Corte del Popolo Romano ſono da Vitorchiano , & anco non pigliano d'altri, che di queſti. Fino ad oggi dura : e Fedeli del Popolo Romano li chiamano . Ora torniamo a i Palafrenieri, che veſtivano con una berretta all' antica di velluto roſſo , e la portavano in mano , quando andavano dinanti al Senatore , e nelle berrette tutti portavano una medaglia d'argento , che loro donavano i Senatori , quando entravano in officio: e così a i ſuoi Paggi ; con giubbone di raſo giallo, con calze, una roſſa di panno, e l'altra alla Diviſa , ſecondo i colori dell' Arme del Senatore : con un Sajone di panno roſſo ſcollato, con mezzi maniconi , liſcio , guarnito a faſce di velluto giallo con paſſamani di ſeta turchina e bianca . E quando il Senatore andava pontificalmente , portavano certi baſtoni dipinti di verde : e ora uſano portarli davanti a i Conſervatori . Poi venivano due Gentiluomini a cavallo con mezza copertina di velluto pavonazzo , con fornimenti del medeſimo . Et eglino andavano con berretta all' antica di velluto nero , con un giubbone di raſo cremeſino , con calze di ſcarlatto , con robbone all' antica di pelluzzo pavonazzo corto , con faſce del medeſimo colore di velluto . E portavano un collaro di maglia ſopra il giubbone , con una collana d'oro : e portavano una mazza d'oro con una Roma in cima a ſedere ſopra un Lione : e la Roma tiene da una mano la Vittoria , dall' altra una Palla ; e l'altra mazza vi era ſopra una Lupa con due putti , che tengono uno Scudo, dov' era ✠

A S. P. Q. R. E andavano di quà , e di là dal Putto della Giuſtizia . Seguiva la guardia de' ſeſſanta Alabardieri , veſtiti nel modo , che io diſſi di ſopra : Era la guardia del Senatore , e di Campidoglio . Andavano di quà, e di là alla perſona del Senatore , e agli altri Magiſtrati .

Veniva davanti alla perſona del Senatore il Putto della Giuſtizia , che ſi dava a i figliuoli de' Gentiluomini . Cavalcava con mezza copertina , fatta a pendoni di ſcarlatto , con frange e fiocchi d'oro, con li fornimenti di velluto roſſo. Portava un berrettino all' antica di ſcarlatto di grana con queſte lettere d'oro, cioè ✠ S. P. Q. R. di ricamo : con un giubbone di raſo cremeſino , con calze di ſcarlatto , con un Sajone ſcollato B creſpo , con mezzi maniconi di velluto cremeſino liſtato con faſce di tela d'oro , con uno ſtocco dorato , con fodero di velluto roſſo . E porta dietro alla ſchiena il Cappello del Senatore, che è di tela d'oro , foderato d'ormeſino cremeſino . Di quà, e di là alla perſona del Senatore a piedi due Alabardieri con baſtoni in mano , per far far largo al Popolo , andando ſenza berretta , e non vanno armati . Venivano due a canto al Senatore a piedi con due Spadoni da due mani ſopra le ſpalle , ſenza niente in teſta : e veſtivano un giubbone liſcio di raſo roſſo , trinato d'oro , con una manica roſſa , e l'altra alla Livrea del Senatore , tagliate ſotto al gomito , con calze di ſcarlatto , e l'altra alla Diviſa del C Senatore , con una catena traverſa per banda d'oro . Veniva la perſona del Senatore con maeſtà a cavallo ſopra bianca Chinea, con fornimenti di velluto cremeſino alla teſtiera della Chinea , con certi fiocchi di ſeta cremeſina e oro , e fibbie dorate , con gualdrappa di velluto cremeſino , con una faſcia attorno di ricamo d'oro , e d'argento larga un palmo , con frange d'oro . L'abito Senatorio è queſto . Un berrettone all' antica alla Ducale di broccato d'oro , foderato di pelle d'armellino , con calze di ſcarlato di grana, con ſcarpe di velluto roſſo con una fibbia d'oro , con una ſotanna di velluto cremeſino con bottoni d'oro , con una veſte alla Senatoria di broccato riccio ſoprariccio d'oro , foderata di D pelle d'armellino , con una mozzetta ſopra di pelle d'armellino con codette , e certi guanti di pelle bianca con un' orlo di ricamo d'oro e perle, con tre anelli in dito d'oro, uno era un rubino, l'altro un diamante, & uno ſmeraldo ; con una collana d'oro al collo ; con una bacchettina d'oro in mano , con una pallottina, e una crocetta in cima . Dietro al Senatore ſeguivano due Camerieri ſegreti, veſtiti con calze, una di ſcarlatto, e l'altra alla Diviſa del Senatore , con un giubbone di raſo cremeſino, con una berretta di ſcarlatto, con un robbone all' antica di pelluzzo pavonazzo con faſce dell' iſteſſo colore di velluto , con fodera di damaſco pavonazzo , con ſella di velluto nero . Venivano poi i Giudici di Campi- E doglio con gualdrappa di panno pavonazzo , con veſti lunge di velluto nero , con berretta da Dottore , con ſotanna pavonazza , con gli Ufiziali della Corte del Senatore. In ultimo veniva una Cornetta di cinquanta cavalli leggieri . E veniva un Trombetto , che nella Banderuola di eſſa portava ✠ S. P. Q. R. , e ſotto l'Arme del Senatore . Cavalcava una ſella armata di corame , e fornimenti roſſi . Portava una berretta di panno roſſo con piume , e giubbone di raſo turchino , con calze , una roſſa di panno , e l'altra alla Livrea del Senatore , con un Sajone liſcio di panno roſſo , mezza con la manica , e l'altra mezza di panno de' colori dell' Arme

del Trombetta, con una banda roſſa e gialla, con ſtelloni e brocchieri d'arme bianca. Seguivano due Paggi, uno era del Capitano, e l'altro portava la Celata dell'Alfiere, con l'Arme del Popolo. E vanno al medeſimo modo veſtiti come il Trombetta. Poi veniva il Capitano, e l'Alfiere de' cavalli, ch' erano Gentiluomini Romani. Andavano veſtiti al medeſimo modo ſopradetto del Trombetta, ma erano di velluti e oro, con un collare per uno di maglia. Seguivano i cavalli leggieri, al medeſimo modo veſtiti che il Trombetta, con le Banderuole, ſtando la Livrea del Senatore ſopra le lance. In certe occaſioni poi andavano nel medeſimo modo, ma con le celate in teſta con piume, e alle teſtiere de' cavalli. Con queſto bell' ordine, pompa, e magnificenza loro andavano, come udito avete, che pareva che in loro foſſe l'antico grande Imperio Romano tornato. Non vi ſo dir' altro in queſto; che poi non dico le Livree de' Particolari, che uſavano alli ſervidori, ma con queſto farò fine. Teneva di più il Popolo Romano due Cori di Muſici, uno di voci, e l'altro di ſtromenti. Erano tutti ſalariati, e li tenevano ſtipendiati, e queſto era il loro veſtire. Portavano un berrettino all' antica di ſcarlatto, e calze ſimili, e portavano un giubbone di raſo roſſo, con una veſte ſcollata ſenza maniche, lunga fino al ginocchio, liſcia diſcinta, e non andavano ſe non a certe ſorti di funzioni, che erano obbligati.

Præter profana Spectacula, religioſa quoque olim Populi curioſitatem, ſive pietatem paſcebant, quæ ne noſtris quidem temporibus infecta ſunt. Vide quæ habeat Falco Beneventanus, Tomo V. Rer. Italicar. pag. 94., ubi Tranſlationem refert ſacrorum corporum *Martiani, Doti &c.* Beneventi Anno MCXIX. peractam. Ita Anno MCCCXXXVI. teſte Gualvaneo de la Flamma de Reb. Geſt. Azonis Vicecomitis, Tomo XII. Rer. Italicar. inſtituta eſt peculiaris forma celebrandi Feſti Dominicæ Epiphaniæ. Eum ita loquentem nemini grave erit audire. *Fuerunt*, inquit, *coronati tres Reges in equis magnis, vallati Domicellis, veſtiti Variis cum ſomariis multis, & familia magna nimis. Et fuit Stella aurea diſcurrens per aera, quæ præcedebat iſtos tres Reges. Et pervenerunt ad columnas Sancti Laurentii, ubi erat Rex Herodes effigiatus cum Scribis & Sapientibus. Et viſi ſunt interrogare Regem Herodem &c. Quo audito iſti tres Reges coronati aureis coronis, tenentes in manibus ſcyphos aureos cum auro, thure, & myrrha, præcedente Stella per aera cum ſomariis, & mirabili famulatu, clangentibus tubis, & buccinis præeuntibus, Simiis, Babuynis, & diverſis generibus animalium, cum mirabili populorum tumultu, pervenerunt ad Eccleſiam Sancti Euſtorgii. Ubi in latere Altaris Majoris erat Præſepium cum bove & aſino, & in Præſepio erat Chriſtus parvulus in brachiis Virginis Matris. Et iſti Reges obtulerunt Chriſto munera. Deinde viſi ſunt dormire, & Angelus alatus eis dixit, quod non redirent per contratam Sancti Laurentii, ſed per Portam Romanam: quod & factum fuit. Et fuit tantus concurſus Populi & Militum & Dominarum & Clericorum, quòd nunquam ſimilis viſus fuit.* Quibus etiam piis Spectaculis Mutinenſis Populus exceperit Borſium optimum Ducem ſuum, ac Ferrarienſium, ad ſe venientem Anno MCCCLII. prodit Hiſtoria Fratris Johannis Minoritæ, Tomo XX. Rerum Italicarum. Pace pariter reſtaurata Anno MCCCLXXIX. inter Bernabovem Vicecomitem, Dominum Mediolani, & Bartholomæum, ac Antonium Scaligeros, Vicentinus Populus in lætitiam effuſus, Spectaculum pium edidit, quod ſtuporem, ac reverentiam omnium Civium animis ingeſſit, deſcriptum a Conforto Pulice in Hiſtor. Vicentin. Tomo XIII. Rerum Italicarum. Ibi uſum pulveris pyrii animadvertas. Inquit enim: *Omnibus autem hoc modo in admiratione manentibus, qui ſuper ſuperiori ſolario aderant, faciebant ſclopos igneos ad modum maximorum tonitruum, & fragorum: quare non ſolùm qui erant ſuper ædificio, ſed qui ad Spectaculum convenerant, ſtupefacti aſpicientes verſus cælum ſtabant.* En quales animorum motus excitaret pyrii pulveris apud Italos nonnullos novitas. At de iſtis ſatis.

DE

DE MERCATIBUS ET MERCATURA SÆCULORUM RUDIUM.

DISSERTATIO TRIGESIMA.

DISSERTATIO TRIGESIMA.

Mercaturam agnovere, multoque ſtudio exercuere Sæcula etiam antiquiſſima. Ut enim circulatio ſanguinis humano corpori, ita & politico neceſſaria, nedum utiliſſima eſt circulatio fructuum terræ, aut humanæ induſtriæ, aut auri atque argenti, ut ejuſmodi commercio unuſquiſque procurare poſſit quod ſibi deeſt, alteri refundendo quod ſibi ſuperfluit. Nullus profectò dubitandi locus eſt, quin ritum hunc rei publicæ omnino neceſſarium Italia perpetuo retinuerit, vel poſt declinationem Imperii Romani, & invectos in eam Barbaros. Quei verò perageretur hujuſmodi negotium, brevibus nunc eſt enarrandum. Et primo non ſecus ac noſtris temporibus, privatum cujuſque Urbis ac Oppidi commercium fuit inter Cives & Ruſticos, Mercatibus conſtitutis pluribus in locis. Stata dies erat hiſce celebrandis: atque hæc plerumque Sabbatum fuit ſingulis hebdomadis, ut ſibi quiſque opportuna ad victum pararet pro Dominica die, qua unice pietati vacandum erat. Plautus in Perſa Act. 2. Scen. 3.

Nam herus meus me Eretriam miſit, domitos boves uti ſibi mercarer:
Dedit argentum; nam ibi Mercatum dixit eſſe Dieſeptimi.

Dieſeptimi pro *die ſeptimo* Latini antiqui dixere, hoc eſt *in diem ſeptimam*. Conſtat autem ex Varrone, Dionyſio Halicarnaſſeo, Macrobio, & aliis, apud Romanos in uſu fuiſſe non minus *Mercatus*, hoc eſt hebdomadarios conventus mercatorum & ruſticorum, quàm *Nundinas*, quæ ſtato aliquo anni tempore haberi conſuevèrunt. Nundinas nos *Fiere* appellamus (a voce *Feria*, quam veteres quoque adhibuere) hoc eſt ſolennes Mercatus die ſtato quotannis inſtitutos. Hiſce verò hoc nomen inditum, quòd plerumque diebus feriatis haberentur, hoc eſt in Natalibus alicujus Sancti, aut Dominicis feſtivitatibus: quem morem parùm alioqui laudabilem adhuc Italia ſervat. Et ſane præter Concilia quædam, Carolus Magnus in Lege 140. inter Langobardicas, ne honori Dominicæ diei officeretur, ſtatuit, ut *Mercata & Placita a Comitibus illo die prohiberentur*. Ita & Ludovicus Auguſtus II. in Additamento II. ad Leges Langobardicas, Part. II. Tomi I. Rer. Italicar. edixit, *ut omnis homo die Dominico nullas audeat operationes, Mercationeſque peragere, præter in cibalibus rebus pro iterantibus*. Mercatus nunc diebus tantùm ferialibus aguntur. Nundinas verò ſolennes a diebus feſtis removere nulla hactenus lex aut pœna potuit: altas adeo radices conſuetudo egit. Et multis quidem Chriſtianorum Nundinis originem longe antea dederant ipſi Natales dies Sanctorum. Quum enim ad feſtos illos dies immanis Populorum copia conflueret, opportunum ducebant Mercatores ſuas eâ occaſione merces venum exponere: quod & adhuc multis in locis obſervatur. Sanctus Baſilius in Lib. Regul. fuſius diſput. Reg. 39. & 40. hanc interrogationem promit: *De Nundinis illis,*

A *quæ in Sanctorum celebritatibus habentur, quid?* Eas improbat ſapientiſſimus Epiſcopus. Caſſiodorius quoque Lib. 8. Epiſtolâ ultimâ prodit, celebratas fuiſſe Nundinas de multis regionibus in Lucania *ad Natale Sancti Cypriani*. Ita Gregorius Turonenſis Lib. primo, Cap. 32. de Gloria Martyr. auctor eſt, in Urbe Edeſſa, *adveniente feſtivitate Sancti Thomæ Apoſtoli* immanem fieri conſueviſſe Populorum conventum, cum votis, negotiiſque, quibus *vendendi, comparandique per triginta dies, ſine ulla telonei exactione, licentia datur*. Eadem Sæculis ſubſequutis conſuetudo fuit. Anno MCV. quum
B Mediolani in Templo Sanctæ Mariæ ad Portam inſignes quædam Reliquiæ inventæ fuiſſent, Clerus Mediolanenſis, uti ſcribit Landulphus junior Cap. 22. Hiſtoriæ a me editæ Tomo V. Rer. Italicarum, ſolennem inſtituit diem Feſtum ſingulis annis obſervandum VII. Idus Maji, *tamquam in die Reſurrectionis & Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti. Quo etiam die ad frequentationem ſolemnitatis ſtatutum eſt, annuale eſſe Mercatum, & omnibus venientibus ad hanc ſolemnitatem vel cauſſâ orationis, vel cauſſâ mercandi, & redeuntibus ſtabilita eſt ab omni Civitate firma & inviolabilis Trevia* (ideſt
C Tregua) *octo dies ante Feſtum, & octo dies poſt Feſtum*. Ita Adelbertus Epiſcopus Bergomas Anno DCCCCII. Canonicis ſuis dono dedit *Mercatum, quod in Feſto beati Alexandri Martyris annualiter publicâ coadunatione hominum, longinquis etiam e partibus advenientium fit*. Neque alia Mutinenſibus fuit olim conſuetudo, ut ex monumentis in Archivo Civitatis adſervatis, & Anno MCCCVI. manu exaratis didici. Tribus enim diebus ante feſtum Sancti Geminiani, & tribus poſt, Mutinæ habebantur Nundinæ ingenti finitimorum concurſu: cujus rei aliqua adhuc veſtigia perdurant.

D Ceterum Nundinas ipſas, quas nunc *Fiere* appellamus, *Mercatus* etiam, ſive *Mercati* voce olim deſignatas interdum reperimus. *Fori* autem vox ad ſignificandum Mercatum hebdomadarium, & ad ipſas Nundinas, nonnumquam occurrit. Ejuſmodi verò Nundinarum jus concedere ad Principem ſupremum, aut Regalibus donatum ſpectabat, & ſpectat ex omnium Juriſperitorum conſenſu; nam inter Regalia & quidem majora, recenſentur, ut habet Sixtinus de Regal. Lib. primo Cap. 6. num. 30. Hoc tamen nomine intelligunt Nundinas ſolennes ſemel aut bis in anno celebratas; non au-
E tem minores, ſive hebdomadales, quas *Mercatus* appellamus; has enim contendunt inſtitui poſſe a Domino territoriali: quam in rem conſulat, qui vult Knipſchildtium de Jure & Privil. Civitat. Imperial. Et quandoquidem olim ſibi tribuebant nonnulli facultatem inſtituendi novos Mercatus, ſupra laudatus Carolus Magnus Lege 52. Langobardorum ſancivit, *ut Mercatum in nullo loco haberetur, niſi ubi antiquitus fuit, & legitimum eſſe debet*, hoc eſt, uti conjicere poſſumus, auctoritate Principis inſtitutum, non autem Comitum, aut Populi arbitrio. Quod eſt ad jus Mercatus, video olim id impetratum a Regibus Italiæ, ſive Imperatoribus, non ſolùm quoties agebatur de hebdoma-

nundinis Mercatibus, ſed etiam quoque de annis & hebdomadis. Lucem accipiet hoc argumentum a Diplomate Ludovici II. Auguſti, quod e Chartario Archivi Epiſcopalis Cremonenſis decerpſi.

Ludovicus II. Imperator Eccleſiæ Sancti Laurentii de Plebe Juvenaltæ in Comitatu Cremonenſi jacturam Chartarum reparat, & Privilegia confirmat, Anno 852.

IN nomine Domini noſtri *Jeſu Chriſti* Dei æterni. *Hludowicus gratia Dei Imperator Auguſtus, invictiſſimi Domni Imperatoris Hlotharii filius. Dignum eſt, ut ejus ſtudia proſequi certemus, cujus pietate propoſiti eſſe cognoſcimur. Idcirco omnium fidelium Sanctæ Dei Eccleſie, ac noſtrorum preſentium ſcilicet & futurorum noverit ſolertia, quia quidam Cuſtos Eccleſie Plebis ſcilicet Juvenalte, ſacrata in honore Levite Laurentii, Jubedeus nomine, ad noſtram accedens pietatem, multimodam tergiverſationem aliquorum circa aſſiſtentium ejuſdem loci innotuit, addens pro hoc habere occaſionem, quia Rectores ejuſdem loci ſtrumenta & firmitatem conſcriptionum male tractantes, & ex parte perdiderunt, unde nunc detrimentum & deſolatio devenire poterit rerum ejuſdem loci, ita ut paupertate exigente & locus adnichilatus ſit, & Dei per omnia minuerentur obſequia, ſed ſolummodo per Dei adjutorium noſtra auctoritate exinde queſivit ſublevationem. Quapropter eidem ſancto loco hoc noſtrum Preceptum fieri juſſimus, per quod conſtituimus, ut ab hinc in futurum quicquid pars & poteſtas ejuſdem Eccleſie tempore Nautecarii & Agimundi tenuit, deinceps jure quietiſſimo teneat. Nam ſi aliqua contentio legalis de juſtitia ſurrexerit, tunc precipimus, ut in quicquid pars ejuſdem Eccleſie queſierit, bonorum ac meliorum circum aſſiſtentium hominum adhibeatur inquiſitio, quales predicte Eccleſie pars prenominaverit, & quicquid juſtum reperiri poterit, abſque ulla ſubtractione vel tarditate pars potiatur predicte Eccleſie ad exequendum ſub omni quietudine quicquid militationis convenit Eccleſiaſtice. Pro pleniſſima namque quietudine confirmamus eidem Sancto loco aqueductus tam ad diviſa Molendina, quamque ad navigia deducenda, ſcilicet ſive in Delmona, ſive in Olio,* atque etiam Mercata ibidem devenientia tam in montanis quàmque in planicie, *ut abhinc in futurum, ſicuti antiquitus conſuetum fuit deducat, nullo contradicente, aut in aliquam partem deducente: ſed tantummodo pars prefate Eccleſie per hanc noſtram auctoritatem ordinet ac diſponat juxta ejuſdem loci utilitatem. Precipientes ergo jubemus, ut nulla quelibet perſona, aut quislibet Reipublice Miniſter tam in his, que premiſſa ſunt, quàmque in omnibus, que ad eamdem Eccleſiam pertinere videntur, ullam contrarietatem aut infeſtationem vel diminorationem quoquam tempore facere preſumat, quicumque emunitatem noſtram, triginta Libras argenti Rectoribus ejuſdem loci componere non vult. Ut autem hec noſtra auctoritas pleniorem in Dei nomine obtineat vigorem, de anulo noſtro ſubter juſſimus ſigillari.*

Deſideratur monogramma Imperatoris.

Dructemirus ſacri Palatii Archinotarius recognovi.

Data VIII. Kalendas Marcias, Anno Chriſto propitio Imperii Domni Hlotharii pii Imperatoris XXXIII. & Hludovici glorioſiſſimi Auguſti in Italia III. Indictione XV.

Actum Mantua Palatio Regio in Dei nomine feliciter. Amen.

Egregie ſignatam heic vides Epocham Imperii Ludovici II. uti & Lotharii Auguſti ejus patris, atque ex his habes, unde Cardinalis Baronii Chronologiam emendes. Quæ heic dicuntur *Mercata ibidem devenientia*, nihil aliud fuiſſe videntur quàm minores Mercatus ſingulis hebdomadis illic habiti. Sed illuſtrius in hanc rem erit alterum Guidonis Imperatoris, quod ex Archivo Noſocomii Senenſis Sanctæ Mariæ de Scala deſcripſit & ad me miſit, dum in vivis erat, Hubertus Benvoglientus, Patricius Senenſis. En ejus verba.

Gui-

Guidonis Auguſti Præceptum, quo omnia jura antiqua confirmat, & nova addit, Monaſterio Domini Salvatoris de Monte Amiate, ejuſque Abbati Petro, Anno 892.

IN nomine Sancte & individue Trinitatis. Wido divina favente clementia Imperator Auguſtus. Omnium fidelium ſancte Dei Eccleſie, noſtrorumque, preſentium ſcilicet & futurorum comperiat ſollertia, quod Albericus & Liotardus fideles noſtri deprecati ſunt Celſitudinem noſtram, ut omnia Freda, & Judiciaria, ſeu Decimas de manentibus eiſdem Cellulis & Curtibus, cum omnibus integritatibus illarum, que Monaſterio Domini Salvatoris, ſito Monte Amiate, ab anteceſſore noſtro piiſſimo Imperatore Ludovico pro remedio anime ſue collate fuerunt, ita & nos ob amorem Domini, & ſecuritatis augmentum, eidem Cenobii pollicente preſente Petro Abbate, *quemadmodum deceſſor noſter pie recordationis Ludovicus Auguſtus, jam fato Monaſterio largitus fuit, noſque eodem modo largiremur ob emolumentum animarum noſtrarum, & propter oppreſſiones malorum & pravorum hominum, qui jugiter inſultant contra Sanctam Eccleſiam. Igitur concedimus & confirmamus eidem prefato Monaſterio, ejuſque preſenti venerabili Abbati Petro ſucceſſoribuſque ejus, qui pro tempore inibi ordinati fuerint, omnia Freda, & Judiciaria, vel Decimas de manentibus conceſſis Cellulis & Curtibus jam dicti Monaſterii pro Dei amore & remuneratione animarum noſtrarum, ſucceſſorumque noſtrorum Regum vel Imperatorum, qui pro tempore fuerint, ut in Hoſpitali ipſius Monaſterii omnia in eleemoſinam pauperum diſtribuantur & diſpenſentur.* Simulque

A concedimus ſupramemorato Monaſterio Mercatum Sabbatinum, ſeu annualem habere, quo in loco terre ejuſdem Cenobii Abba vel Prepoſitus fuerit, inſtruere voluerint ad utilitatem veſtimentorum Monachorum atque pauperum, peregrinorumque fratrum. Et quicquid ex ſupraſcripto Mercato privatim vel publice exigere deberet, omnia omnino in uſus Monachorum ac pauperum, peregrinorumque fratrum contulimus in alimoniam, *& remiſſionem animarum noſtrarum Regum vel Imperatorum. Precipientes ergo jubemus, ut nullus Dux, Marchio, Comes, Caſtaldus, vel Actionarius, aut*
B *Actor Reipublice, ſeu magna parvaque perſona de manentibus, ſervis, vel ancillis, mancipiis, audiis & audianis predicti Monaſterii opprimere, aut aliquam violentiam inferre preſumat abſque legali terminatione. Si quis verò, quod futurum minime eſſe credimus, contra hec noſtre auctoritatis preceptum temerario auſu contendere, aut irrumpere, moleſtare, vel inquietare, ſeu evacuare, aut diminorare, aut etiam invadere preſumpſerit ſine legali judicio, ſciat ſe compoſiturum argenti Libras triginta, inſuper auri obrizi Libras quinque, medietatem Palatii noſtri, & medietatem ipſius Monaſterii,*
C *ejuſque Rectoribus. Et ut hoc auctoritatis noſtre Preceptum futuris temporibus Deo opitulante firmiorem obtineat vigorem, manu propria ſubter firmavimus, & anuli noſtri impreſſione adſignari juſſimus.*

Signum Domni  *Widonis Imperatoris Auguſti.*

Deſideratur ſubſcriptio Cancellarii Imperialis.

Data XVIII. Kalendas Octobris, Indictione XI. Anno Incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti DCCCXCII. Anno Regni Domni Widonis IV. Imperii II.

Actum Roxelle in Dei nomine feliciter. Amen.


Ad hunc Petrum Abbatem ſpectant alia monumenta, quæ adfert Ughellius Tomo 3. Ital. Sacr. in Epiſcoporum Cluſinorum catalogo. Heic autem habemus Epocham Regni & Imperii Guidonis Imperatoris recte poſitam. Pagius in Critic. Baronii ad Annum DCCCXCII. ut Baronii errorem hac in re emendet, hæc ſcribit: *Sigonius in Lib. 6. de Regno Ital. ex probo aliquo antiquitatis monumento hauſerit, quod ſcribit, Widonem nempe Imperatorem a Stephano Pontifice, IX. Kalendas Martii Anno DCCCXCI. coronatum eſſe,* hoc eſt die XXI. Februarii. Unde hoc didicerit Sigonius, ego fortaſſe digito tangam. Eſt mihi Diploma ex

D Archivo Capituli Canonicorum Parmenſium eductum, in quo chronicæ iſtæ notæ occurrunt: *Data IX. Kalendas Martii, Indictione IX. Anno Incarnationis Domini DCCCXCI. Regnante Domno Widone in Italia Anno Regni ejus III. Imperii illius die Prima. Actum Romæ.* Præterea Diploma ſimile produxit Ughellius Tom. 2. in Epiſcop. Parmenſib. iiſdem notis ornatum: immo prope fuit, ut ab hoc evulgando ego abſtinerem, quod primo aſpectu Ughellius antevertiſſe conſilium meum viſus mihi fuiſſet. Sed quum poſtea diverſa eſſe Diplomata deprehenderim, illud quoque tenebris ereptum heic volo.

Con-

Confirmatio bonorum & jurium facta a Guidone Imperatore Ageltrudi Auguſtæ conjugi ſuæ, Anno 891.


IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Wido divina favente clementia Imperator Auguſtus. Omnium fidelium noſtrorum, præſentium ſcilicet & futurorum comperiat ſolertia, quia Wibodus ſanctæ Parmenſis Eccleſie venerabilis Epiſcopus & Archicapellanus, deprecatus eſt celſitudinem noſtram, ut dilectiſſime Conjugi noſtre Ageltrudi Imperatrici, & conſorti Imperii noſtri, de omnibus rebus ad eam pertinentibus tam noſtre donationis, quam ſue hereditatis, vel undecunque adquiſitionis, tam que modo adquiſita, vel que in antea Deo propitio adquirere potuerit, per noſtrum Imperiale Preceptum, ſicuti jam antea per Preceptum Regale illi conceſſiſſe feramus, a preſenti in perpetuum concederemus & confirmaremus. Cujus precibus aures noſtre celſitudinis accommodantes, decrevimus ita fieri, ſicut hic inſertum eſt. Per quod concedendo concedimus, & perdonando perdonamus, & confirmando confirmamus predicte Ageltrudi conjugi noſtre omnes res & ſubſtantias ſibi pertinentes tam ex noſtra donatione, quàm ex alia quacumque adquiſitione, tam in rebus mobilibus quam immobilibus, & utriuſque ſexus familiis, A *omnia & in omnibus cum adjacentiis & pertinentiis vel aſpicientibus in ſingulis fundoris & locis ſupradictarum rerum ac ſubſtantiarum, tam quod modo ſibi pertinere videtur, ſeu quicquid in antea adquirere potuerit a quolibet juſte & legali ordine, a preſenti in perpetuum in ejus jura & poteſtatem in integrum transfundimus, habendi, tenendi, & donandi, commutandi, ac faciendi & deliberandi juxta ſuum libitum quecumque voluerit ex noſtra Imperiali largitate, & auctoritate pleniſſima. Si quis autem unquam per tempora auſu temerario contra hoc noſtre conceſſionis ac confirmationis Preceptum agere* B *aut infringere vel moleſtare, ſeu violentiam in aliquo inferre preſumpſerit, ſciat ſe multa, que eſt auri optimi Libras trecenti compoſiturum, medietatem Palatio noſtro, & medietatem predicte Ageltrudi dilecte Conjugi noſtre; & hoc inſuper noſtrum conceſſionis & confirmationis Preceptum ſtabile firmumque perhenniter conſiſtat. Et ut verius credatur & diligentiſſime ab omnibus obſervetur, manu propria ſubter confirmavimus & bulla noſtra ſigillari juſſimus.*

Signum .  *Domni Widonis excellentiſſimi Imperatoris.*

Goderadus Notarius ad vicem Helburgi Archicancellarii recognovi.

Data IX. Kalendas Martii, Indictione IX. Anno Incarnationis Domini DCCCXCI. Regnante Domno Widone in Italia Anno Regni ejus III. Imperii illius die Prima.

Actum Roma in Dei nomine feliciter. Amen.



Habet Charta (quod animadvertendum utique eſt) Sigillum hoc plumbeum pendens. In antica parte viſitur caput Imperatoris, cum epigraphe VVIDO IMPERATOR AGV. hoc eſt *Auguſtus*. In poſtica eſt corona laurea alias literas complectens RENOVATIO REGNI FRANC. ideſt *Francorum*. Vide & alterum Diploma Widonis ipſius in Diſſertat. XXXIV. *de Diplomat.* quo confirmatur propoſita Epocha ejuſdem Imperii. Regredior nunc ad Privilegium Amiatino Cœnobio conceſſum, in quo idem Auguſtus eidem largitur *Mercatum Sabbatinum, ſeu annualem*. Tenemus heic antiquitatem Mercatuum ſingulis diebus Sabbati non feſti celebratorum. Sed & Agobardus Lugdunenſis Archiepiſcopus antea idem nos docuerat in Opuſculo de Inſolentia Judæorum, con- C querens, quod Miſſi Regii, *ne Sabbatiſmus eorum impediretur, Mercata, quæ in Sabbatis ſolebant fieri, tranſmutari præceperint*. Sed quid revera ſignificat *Mercatum annualem habere?* Erunt qui Nundinas ſolennes ſemel in anno celebrandas heic intuebuntur. Sed neque deerunt, qui ſuſpicentur, *Sabbatinos Mercatus* heic deſignari, qui nempe ſingulis Sabbatis per totum annum habebantur. Eâdem ſignificatione uſurpatum fuiſſe *Forum annuale*, quod infra occurret, mihi etiam perſuadeo. Id autem ſublucere, ne dicam lucere, videtur in Charta, quam vetuſtiſſimum Regeſtum MStum Archivi Eſtenſis nunc mihi ſuppeditat, digna plane quæ legatur ob alia etiam eruditionis antiquæ veſtigia.

Pacta

Pacta pacis & fœderis initi inter Mantuanos & Ferrarienſes, Anno 1208.

IN Chriſti nomine. Talis ſit concordia inter Mantuanos & Ferrarienſes. Scilicet quod homines Mantuæ, & ejus Epiſcopatus & totius ejus diſtrictus, debeant ire & redire per Civitatem Ferrariæ & ejus Epiſcopatum, atque totum diſtrictum, non ſolvendo aliquod datium, niſi duos Veronenſes in loco Ferrariæ, & duos Veronenſes in loco Figaroli de fundo navis ſurſum venientis. Aliter nichil penitus accipiant, nec accipere permittant aliqua occaſione beſtiarum, ſeu aliarum rerum vel perſonarum. Liceat tamen eis accipere tres Imperiales de modio Salis pro Communi, & ſexdecim Imperiales de centum modiis pro Eccleſia, & non plus. Item dabunt Ferrarienſes Salem Mantuanis illa menſura, qua pacti ſunt dare Veronenſibus, & cum canna rotunda menſurare debeant, & hoc perpetuo obſervabunt. Et eodem modo incipiant trahere & trahant cannam rotundam, quemadmodum ſubtilem trahebant Aſſazatores. Item faciant Ferrarienſes unum ſtarium lapidis noſtris expenſis, & ipſum ponant in loco Ferrariæ, in quo nobis placebit, ad quem debeamus temptare & atemplare cum menſe menſuram, quam nobis debent. Item faciant ſuos Aſſazatores jurare omni anno dare nobis bene rationem noſtram in preſentia Conſulum Mercatorum Mantuæ, *vel eorum Nuntii, ſi intereſſe voluerint. Item ut non vendant nec dent nobis Salem cum ſorte nec ejus ſimili, neque cum Baguga, nec ejus ſimili pro communi neque pro diviſo. Et non debeant tenere ſortem neque Bagugam contra nos. Et ſi aliquo tempore fuerit reperta, ipſam rumpere teneantur. Item debeant dare & deſignare Pellipariis ſtationes eis ſufficientes a frontibus ſuorum Pellipariorum* ad ambas ſuas Ferias omni anno, *ſecundùm quod conſueverunt habere; & ceteris noſtris* Paraticis *ſecundùm ſuum ordinem; & ſpecialiter Draperiis, qui vendant pannum coloris in bina Lombardorum apud Mediolanenſes. Nec aliquid ab eis accipiant de ſtorata, niſi duos Imperiales, ponendo Mantuani hedificium: alioquin ſolvant tantum quantum Ferrarienſes aut alii negotiatores Lombardiæ.* Et hoc debent attendere tam in omnibus Mercatis annualibus ſui diſtrictus, quàm in Feriis Civitatis. Præterea permittant omnibus volentibus venire ad noſtras Ferias, & nos permittemus omnibus ire ad ſuas, noſtris ſcilicet finitis, hoc modo quod die Mercurii in ſero ante Dominicam Lazari detur licentia publice per præconem omnibus extraneis volentibus ire ad Ferias Ferrariæ; & quarto die poſt Feſtum Omnium Sanctorum ſimiliter detur licentia in foro, ut dictum eſt. *Et ut omnes homines Ferrariæ & ejus diſtrictus jurent attendere & obſervare hoc totum pro Communi Ferrariæ & diviſo. Item debeant inimicare Reginos, ſicuti nos ipſos inimicamus, & eos capere, nec eos ſine noſtra licentia relaxare, & eis prohibere iter per totam ſuam Civitatem, & diſtrictum. Idem dicimus de omnibus inimicis, quos habemus vel habebimus, qui nobiſcum confinant, quando a nobis eis fuerit denuntiatum. Item ut omnes homines noſtre Civitatis & diſtrictus euntes & redeuntes, ſtantes per ſuam Civitatem, Epiſcopatum, & diſtrictum, per aquam & terram ſalventur & cuſtodiantur ab omnibus hominibus & ab ipſis Ferrarienſibus; & in aliis locis ipſi Ferrarienſes non debeant offendere Mantuanos. Et ſi eſſent derobati Ferrariæ, aut in ejus Epiſcopatu vel diſtrictu uſque ad Vallem Cluſuriæ, & unum miliarium ultra, teneantur Ferrarienſes facere emendare Mantuanis illos, qui hoc fecerint, ſi potuerint, totum hoc, quod eis fuerit ablatum; alioquin de Communi Ferrariæ, vel illius Villæ, in cujus territorio reperiretur, hoc actum fuiſſe. Et ſi eſſent ultra ab illo miliario capti vel derobati, bonâ fide dabunt operam omnibus modis ad ipſam recuperandam, ſicuti darent pro Ferrarienſibus. Item ut alius pro alio non conveniatur nec impediatur, ſed cui datur, ab eo requiratur. Item faciant jurare Arbitris, qui pro Mantuanis erunt Ferrarie, quod facient rationem Mantuanis, ſicuti Conſules Ferrarie faciunt Ferrarienſibus, ſalvo eo quod ſemper teneantur in omnibus, ut ſupra legitur. Et ſi Arbitri non eſſent, Conſules teneantur ita facere rationem.*

Item ſi quod dampnum vel maleficium factum fuerit Ferrarienſibus a Mantuanis, & contra, quando Mantuani venerunt Ferrariam cum exercitu pro Domino Azone Marchione Eſtenſi, *euntes, ſtantes, & redeuntes, nihil requiratur a Communi vel diviſo, nec ratio inde fiat, & de eo ſit finis. Item jurent facere exercitum Mantuanis bis in anno communiter cum Populo & militia, ſi ab eis petitum fuerit, quando Mantuani voluerint ponere in eo loco, ubi voluerint: & per quadraginta dies ſuis expenſis debeant ſtare ſecum, & ſuas rationes & quaſi poſſeſſiones eis contra omnes homines defenſare, defendere, & manutenere teneantur. Item quod non debeant facere pacem cum Sallinguerra, nec cum aliis de ſua parte, nec eos recipere, niſi venerint ad hanc concordiam, & hoc ſacramentum fecerint. Ferrarienſes excipiunt Bononienſes, Veronenſes, Mutinenſes, ſalvis ſacramentis, quibus tenentur eis, &* Domino Azoni Marchioni. *Mantuani excipiunt Cremonenſes, Veronenſes, & Mutinenſes, &* Dominum Marchionem Azonem Eſtenſem, *& illos de parte ſua. Venetias excipiunt communiter, ita tamen quod ſi Ferrarienſes non irent Venetias, & eis inimicarentur, poſſint per ſuum diſtrictum Mantuanis prohibere ire, ſi aliis hominibus Lombardiæ prohiberent. Item permittant, homines Mantuæ, qui habent poſſeſſiones in Epiſcopatu Ferrariæ, fructus omnes terrarum libere portare. Item non debeant ire per Bondenos cum aliqua negotiatione, & ſi in eis reperirentur, & dampnum aliquod vel detrimentum in perſonis & avere eis accidere per quamcumque perſonam ſeu per Mantuanos, Mantuani non teneantur eis ſatisfacere, nec operam dare ad ipſam robbam recuperandam. Item non teneantur eis reſtituere aliquod dampnum, ſi quod eis accideret in Curte Gonzagæ & Pigognage, & utriuſque Bondeni, ſi quid mali accideret in terris illis; teneantur tamen bonâ fide operam dare ad ipſam recuperandam. Item non teneantur Mantuani reſtituere ſeu emendare dampnum, ſi quod eis accideret in paludibus a Burana uſque Gabianam: ſed dare bonâ fide operam ad ipſam recuperandam. Et Mantuani & Ferrarienſes juramenta concordiæ innovent per ſingula quinquennia, vel ſi concorditer voluerint, vel una partium petierit; concordia tamen in omni-*

omnibus capitulis rata perſiſtat, licet permuta non fuerint innovata. Et ſi de communi concordia & voluntate Civitatis utriuſque aliquid vel aliqua de prædictis capitulis minuerentur, vel aliquid vel aliqua capitula augerentur, Unitatem utriuſque & ſinguli integre ſervare teneantur, & hoc obſervent Ferrarienſes perpetuo. Ferrarienſes obligant Mantuanis pro ſupradictis obſervandis Melarium & Bragantinum cum ſuis pertinentiis. Mantuani obligant Ferrarienſibus Caſtrum Burgi Franci & Curtem cum omnibus ſuis pertinentiis, & Carbonarium cum omnibus ſuis pertinentiis uſque ad Mollam Lombardiæ, hoc ſalvo quod ſi cambium non videretur æquale in his locis, arbitrio Domini *Marchionis ſuppleant Mantuani. Et Ferrarienſes & Poteſtas Ferrariæ & Conſules omni anno ſuo tempore regiminis ſui concordiam Mantuanis, & Mantuani obſervare, ſecundum quod ſtatutum eſt. Die Veneris VII. Menſe Julio, in Palatio Communis Ferrariæ, Milleſimo Ducenteſimo Octavo, Indictione XI.*

Nimirum memoratas hic vides *ambas Ferias* Civitatis, hoc eſt, Nundinas (*le Fiere*) *quæ die Dominica Lætare*, & aliquot diebus poſt *Feſtum omnium Sanctorum* habebantur Ferrariæ. Præterea memorantur *Mercatus annuales* A *diſtrictu Ferrarienſi* eſt ducendi formâ, ut a Nundinis omnino diverſi appareant. Quam bonæ fuerint Ferrariæ Anno MCCVIII res *Azonis Marchionis Eſtenſis*, cujus eſt hic non ſemel mentio, jam palam feci Part. I. Cap. 39. Antiquitat. Eſtenſ. *Paratici*, quos hic nominatos vides, occurrunt etiam in Charta Cremonenſi apud Du Cangium in Gloſſar. Latin. qui ſuſpicatur, eâ voce ſignificari *Nobiles*. Verùm hinc ſatis elucere poteſt, deſignatos eo vocabulo fuiſſe *Mercatores*. In Charta Cremonenſi nominantur *Conſules Paraticorum*. At infra videbimus, olim electos *Conſules Mercatorum*. Immo & in ipſa Charta, quam modo produxi, ſe nobis exhibent *Conſules Mercatorum Mantuæ*. B Fortaſſis ita appellati Mercatores ad Nundinas confluentes, quod ſuarum mercium *paratam* facerent, hoc eſt, *una diſtenderet*, *una moſtra*, ut ea occaſione fieri ſolet. Verùm etſi nudum *Mercatus* vocabulum, in Chartis inferioris ævi occurrens, ſignificare plerumque ſoleat Mercatorum conventus per ſingulas hebdomadas celebratos, ambiguum tamen eſt in aliis Chartis, an Nundinas potius deſignet. Accipe Diploma Friderici II. Auguſti, quod in Tabulario Monaſterii Vangaditienſis autographum legi.

Friderici II. Romanorum Regis Diploma, quo Monachis Camaldulenſibus Sanctæ Mariæ de Vangaditia confirmat omnia illorum jura & Privilegia, Anno 1219.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Fridericus divina favente clementia Romanorum Rex Auguſtus, & Rex Siciliæ. Regiæ majeſtatis a Deo nobis creditum poſtulat & requirit officium, ut unicuique quod ſuum eſt, æquitatis jure conſervetur, præcipue autem Eccleſiis & Monaſteriis ad ſerviendum Deo continua devotione deputatis, favorem & opem gratiæ noſtræ eo magis familiaribus ſtudiis impendimus, quo certius ad remiſſionem peccatorum in æterna bonorum retributione nobis quidem id profuturum ſperamus. Ea propter cognoſcat tam præſens ætas, quàm ſucceſſiva poſteritas, quod nos ob remedium animæ noſtræ piam & primam aurem gratanter accommodantes rationabilibus & juſtis petitionibus Joannis venerabilis Abbatis de Vangaditia Camaldulenſis Ordinis, *religioſi quidem, & ſanæ opinionis viri, clementer annuentes, & felicis memoriæ gloriosiſſimi* Friderici Avi noſtri Romanorum Imperatoris *veſtigiis inhærentes, ſicut in ejus Privilegio continetur: Monaſterium Sanctæ Dei Genitricis Mariæ Ordinis Camaldulenſis conſtructum ſuper Athesis fluminis ripam ad locum, qui quondam Petra dicebatur, nunc autem Vangaditia vocatur, una cum Abbate & Fratribus divino inibi obſequio mancipatis, & cum omnibus ſuis poſſeſſionibus, & rebus mobilibus & immobilibus, & ea quæ haſtenus poſſidet, & in futurum Deo favente juſto acquiſitionis titulo poſſidebit, ſub noſtra Regali tuitione & defenſione gratanter ſuſcipimus; omneſque res & poſſeſſiones ejus mobilibus & immobilibus, ſeſeque moventes, quas Abbas & Fratres ejuſdem Monaſterii, vel ipſi, vel per alium poſſident, vel de cetero acquiſierint, eidem Eccleſiæ perpetua ſtabilitate per noſtræ auctoritatis robur & munimen confirmamus. Ex quibus quædam duximus exprimenda vocabulis: videlicet Poſ-* C *ſeſſiones, quas habet in prædicto loco, qui dicitur Vangaditia, & in Abbatia, & in aliis quibuſcumque locis, in Epiſcopatu Veronæ infra Civitatem Eccleſia Sancti Salvatoris cum omnibus ſuis pertinentiis, & in Barbulio, in Ilaſio, in Albareta, in Porto, in Curia Leniaci, terram ſcilicet arabilem, prata, ſilvas, ſaliceta, lutiones, venationes, paludes, piſcationes, cum omnibus ſuis pertinentiis & adjacentiis, quæ ad Curiam Leniaci pertinent, cujus terminum currit ſuperius caput Silvæ ipſius Monaſterii uſque in Tartarum, quæ Silva vocatur Gazuolo, & eſt ex alia parte Athesis Salvaterra, Ramo de Palo, Borſela, Torreda, in Contra, in Arquada, in Rodigio, in Ponticino, in Conto,* D *in Squinacio, in Donino, Boniſago, in Martegio, in Sarzano, in Mardinago, Venezza cum omnibus ſuis pertinentiis, in Congula, Clauſurella, Cavezana, Saguedo, in Merlaria, in Scudacia, in Pulſo, in Vighizzolo, in Corrigia, in Villa, in Eſte, Vallis Almerici, in Monte-Silicis, in Padua, in Curte de Piove, in Villa Cornedæ, in Denajolo. Hæc igitur ſupradicta, & cætera omnia, quæ in aliquo Regni noſtri loco præſtita poſſidet Eccleſia cum Caſis, Capellis, Decimis, Placitis,* Mercatis, *Theloneis, Ripis, Ripaticis, Molendinis, Collectis, Viis & inviis, Vineis, agris, terris cultis & incultis, ſilvis, paſcuis, montibus, planitiebus, venationibus, aquis,* E *aquarumque decurſibus, ſtallariis, paludibus, piſcationibus, arimaniis, tanſis, bannis, ac olivetis, univerſis exhibitionibus, cum omni honore & diſtrictu, ſalvâ tamen Regali juſtitiá, confirmamus. Tum id Abbati & Eccleſiæ, ac ſuis ſucceſſoribus, & eorum hominibus indulgemus, ut nulli inde reſpondere teneantur, niſi nobis, aut certo Miſſo noſtro ad hoc ſpecialiter deputato & deſtinato. Præcipimus igitur Regalis auctori-*

ctori-

A *ctoritatis noſtræ Edicto, quatenus nullus Archiepiſcopus, Epiſcopus, Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, Conſul, vel Poteſtas, vel ullum Commune Civitatis alicujus loci, nec ulla omnino perſona magna vel parva, ſecularis vel Eccleſiaſtica, ſupradictum Monaſterium, & ejus Abbatem & Fratres & homines in Curtis prædictis, vel in ullis rebus aut functionibus ſibi pertinentibus inquietare, diſveſtire, vel quocumque modo moleſtare præſumat. Quod ſi quis contra hæc Præcepta noſtra venire præſumpſerit, centum Libris auri pœna feriatur, quæ medietas ipſo Fiſco noſtro, reſiduum Abbati præfatæ Eccleſiæ perſolvatur. Pro quorum omnium certa & inviolabili obſervatione & memoria præſentem paginam Majeſtatis noſtræ Sigillo communivimus teſtibus ſubſcriptis, qui ſunt Gherardus Salburghenſis Archiepiſcopus, Albertus Magdeburgenſis Archiepiſcopus, Henricus Balenſis Epiſcopus, Rodigerius Marchio Montisferrati, Hermannus Marchio de Baden, Egno Comes de Via . . . . . Gerardus & Ultricus Comes . . . . . . Anſelmus Curiæ noſtræ Mareſcalcus, Fridericus Camerarius, Berardus Dapifer, & alii quamplures.*

Signum Domni  *Friderici Romanorum Regis invictiſſimi, & ſemper Auguſti, & Regis Siciliæ.*

Locus ✠ Sigilli.


Ego Curadus Metenſis Epiſcopus, Imperialis Aulæ Cancellarius, vice Domini Goffredi Moguntini Archiepiſcopi, & totius Alemaniæ Archicancellarii.

Datum apud Agne, Anno Dominicæ Incarnationis MCCXIX. Quinto Calendas Aprilis, Indictione VII. Regnante Domino Friderico Romanorum Rege ſemper Auguſto, & Rege Siciliæ Anno VII. feliciter. Amen.

B Vides heic omnia Cœnobii jura a Friderico confirmata cum *Placitis*, *Mercatis* &c. In altero Diplomate, quod Conradus I. Auguſtus pro inſigni Monaſterio Veronenſi Sancti Zenonis conſcripſit, diſertis verbis intuebimur conceſſum *annualiter Mercatum publicum habere*. Præceptum ipſum exero, quod autographum vidi in Archivo ejuſdem Veronenſis Monaſterii.

Chonradi I. Imperatoris Diploma, quo Monaſterium Tarviſinum Sancti Theoneſti Martyris ſub ſua protectione recipit, ejuſque jura confirmat, Anno 1037.

C  *In nomine Sancte & individue Trinitatis. Chuonradus divina favente clementia Romanorum Imperator Auguſtus. Quicquid enim temporalis commodi ob divini nominis amorem locis divino cultui mancipatis conferimus, hoc nobis procul dubio ad perpetuæ remunerationis lucra capeſſenda prodeſſe omnino confidimus. Idcirco omnium Sancte Dei Eccleſie, noſtrorumque fidelium, preſentium ſcilicet ac futurorum noverit induſtria: quia* noſtra *dilectiſſima* conjugalis Gisla *noſtram deprecata eſt ſerenitatem, ut nos ob amorem Dei & beate Virginis Marie, Sanctique Chriſti Confeſſoris Zenonis, pariterque* Michaëlis Abbatis, *atque Monachorum in ejuſdem Sancti Zenonis Cœnobio Deo ſervientium, Monaſteriolum Sancti Theoniſti Martyris Chriſti Tarviſio ſitum, pertinentem ad prædicti Sancti Zenonis Monaſterium, una cum Monachis inibi degentibus & Eccleſiis atque familia, vel omnibus rebus, ſub noſtræ auctoritatis Precepto recipere & confirmare dignaremur. Cujus piæ petitioni aures noſtre majeſtatis inclinantes, idem Monaſterium una cum Monachis & familia ſeu rebus ad eum juſte pertinentibus ſub noſtra defenſione ſuſcepimus, atque in futuro abere decrevimus. Concedimus etiam illis* annualiter ad Eccleſiam Sancti Laurentii Martyris Chriſti in Pendia Mercatum publicum habere, *& thelonaticum inde ad Eccleſiæ vel ſuos uſus ſuſcipere. Præcipientes ergo jubemus, atque per hanc noſtri Precepti paginam omnibus interdicimus, ut nullus Judex publicus, aut quislibet ex judiciaria poteſtate ab hinc in futurum in ipſas Eccleſias Sancti Theoniſti, & Sancti Laurentii, ſive reliquas poſſeſſiones ad cauſas audiendas vel freda exigenda, ſive manſiones, ſeu paratas faciendas, aut illicitas occaſiones requirendas, aut homines ſupra terram* D *prædicti Monaſterioli commanentes diſtringendos noſtris & futuris temporibus ingredi audeat, aut ea, quæ ſupra memorata ſunt, penitus exigere preſumat, ſed liceat ipſis Monachis quiete vivere & Deo vacare, atque pro noſtra ſeu Conjugis noſtre vel prole, ſive totius Imperii noſtri ſtabilitate, cum tranquillitate Dei miſericordiam implorare. Si quis vero &c.*

Signum Domni  *Chuonradi ſereniſſimi Romanorum Imperatoris Auguſti.*

Locus ✠ Sigilli cerei deperditi.

Kadelohus Cancellarius vice Herimanni Archicancellarii recognovi.

Datum II. Idus Julii, Anno Dominicæ Incarnationis MXXXVII. Indictione V. Anno autem Domni Chuonradi Secundi, Regni XIII. Imperii XI.

Actum Veronæ ad Sanctum Zenonem, feliciter. Amen.

In hiſce Diplomatis *Mercatus* vocem vidiſti. Id ſiveri nunc nolo, num Sabbatum, an verò ſubeunque ſinem in anno celebrandi Mercatus hoc deſignetur. Certum tamen ſatemur, ſub *Mercatus* nomine comprenſas intelligentibus, hoc eſt ante Sæculum Æræ Vulgaris XI Nundinas quoque veniſſe. Apud Campium in Hiſtor. Placentin. Tomo primo, pag. 476. Angilberga Abbatiſſa Monaſterii Placentini Sancti Sixti Anno DCCCXCVI. petit ab Arnulpho Imperatore, ut ſibi liceat *Mercatum in feſtivitate Sanctæ Martinæ ad Xenodochium ipſius Monaſterii congrega-* A *re.* Præterea id infra idem Auguſtus, *ut a XII. Kalendas Junii uſque in Nonas Julii liceat pari modo Monaſterio Mercatum ibidem celebrare.* Nemo eſt, qui probe non intelligat, quid iſta ſonent. Et ex hiſce quidem Nundinis & Mercatibus emolumenta non pauca, uti & nunc, reportare olim mos fuit: quod ex Diplomate nuper edito conſtare poteſt. Elucebit etiam ex Charta Odelrici Epiſcopi Patavini, cujus vetuſtum apographum extat in Archivo celeberrimi Monaſterii Patavini Sanctæ Juſtinæ.

Oldericus Epiſcopus Patavinus Monaſterio Sanctæ Juſtinæ Decimas, paludes, Mercatum, & alia donat, Anno 1076.

I*N nomine Domini Dei eterni. Anno ab Incarnatione ejuſdem Domini noſtri Jeſu Chriſti Milleſimo Septuageſimo Sexto. Regnante Domno Henrico Tertio, ſilio quondam Henrici Imperatoris Auguſti, tertio Kalendas Aprilis Indictione XIV. Monaſterio Sancte Juſtine Virginis, & Sancti Proſdocimi Chriſti Confeſſoris ſite extra Urbem Patavii, ubi nunc* Donnus Johannes Abbas *preordinatus eſſe videtur, ego* Domnus Oldericus *Dei gratiâ venerabilis Sancte Eccleſie* Patavienſis *Epiſcopus, qui profeſſus ſum Lege vivere Romana, preſens preſentibus dixi: Quiſquis in Sanctis &c. Itaque ego qui ſupra Domnus Oldericus Dei gratia Epiſcopus dono & offero in eodem Monaſterio ſancte Virginis Juſtine & Sancti Proſdocimi Chriſti Confeſſoris pro anime mee mercede, ideſt totum & integrum illarum Decimarum, quod vocatur Quarteſe, & tota Villa, que vocatur Maſerata, in integrum. Seu dono & offero in eodem Monaſterio omnem diſtrictionem de loco, qui vocatur Lignario de ipſo latere de ſupradicto Monaſterio; atque Decimam totius allodii, que ad Novum* . . . . *Et totam ipſam diſtrictionem, & totum ipſum redditum integriter in integrum. Etiam dono & offero de alio latere Lignario totam & integram paludem, que vocatur Memora, ſicut percurrunt & diſcurrunt in circuitu omnes fines & latera ejus in integrum. Item dono & offero in eodem Monaſterio* Mercatum unum cum omnibus juribus & condicionibus, *quocumque tempore placuerit tibi ſupraſcripto Johanni Abbati vel tuis ſucceſſoribus & Monachis ejuſdem Monaſterii facere & ordinare, ac hedificare in onore Sancti Danielis ad veſtram proprium utilitatem abſque mea, meorumque Succeſſorum, qui ſupra Oldericus contradictione. Quidem expendio atque promitto me ego, qui* B *ſupra Donnus Oldericus Dei gratia Epiſcopus una cum meis ſucceſſoribus ad ſupraſcriptum Monaſterium, ſuiſque Abbatibus ac Monachis ſupraſcriptis, offerſiones qualiter ſuperius legitur, integriter in integrum ab omni homine defenſare &c. Hanc enim cartam offerſionis Agicardo Notario Sacri Palatii tradidi & ſcribere rogavi, in qua hic ſubter teſtibus optuli roborandum.*

Ego Oldericus Dei gratiâ Epiſcopus manu mea ſubſcripſi.

Signum manibus Chonradus Vicecomes &c.

Ego Agicardus Notarius ſacri Palatii, ſcriptor hujus conceſſionis poſt tradita complevi & C *dedi.*

Eſt heic adnotata *Indictio XIV.* quum tamen Anno MLXXVI. Martio Menſe decurreret *Indictio XIV.* Ad quem nam referendus ſit error, divinare neſcio. Neque tibi perſuadeas, ab Olderico Epiſcopo jus inſtituendi Mercatus fuiſſe conceſſum. Spectabat hoc ad Reges, ſive Auguſtos. *Dono*, inquit, *& offero Mercatum unum*, hoc eſt jus illud, quod ego, aut anteceſſores mei a Regia poteſtate impetrarunt. Conradus etiam Primus inter Auguſtos in Diplomate Anno MXXVII. Patavinæ Eccleſiæ D conceſſo memorat *Mercata & Caſtella ſuper quaſcumque res & poſſeſſiones jam dictæ Patavienſis Eccleſiæ, quæ eſſe videntur*, ut eſt apud Ughellium Tom. V. Ital. Sacr. in Epiſcop. Patavin. In iis vero Nundinis atque Mercatibus ſummopere curabat publica poteſtas ne fraudes aut furta committerentur. Viſitur adhuc lapide inſculptum in atrio Cathedralis Lucenſis ſacramentum, quod præſtare cogebantur quicumque ad Nundinas Sancti Martini Urbis illius patroni confluebant, atque eſt hiſce verbis conceptum.

AD MEMORIAM HABENDAM ET JUSTITIAM
RETINENDAM CURTIS ECCLESIE BEATI
MARTINI, SCRIBIMUS JURAMENTUM, QVOD
CAMBIATORES ET SPECIARII OMNES
ISTIUS CURTIS TEMPORE RANGERII
EPISCOPI FECERUNT, UT OMNES HOMINES
POSSINT CUM FIDUCIA CAMBIARE ET
VENDERE ET EMERE. JURAVERUNT
OMNES CAMBIATORES ET SPECIARII,
QVOD AB ILLA HORA IN ANTEA NON
FURTUM FACIANT NEC TRECCAMENTUM,
AUT FALSITATEM INFRA CURTEM
SANCTI MARTINI, NEC IN DOMIBUS
ILLIS, IN QVIBUS HOMINES HOSPITANTUR.
HOC JURAMENTUM FACIUNT
QVI IBI AD CAMBIUM AC SPECIES
STARE VOLUERINT. SUNT ETIAM
INSUPER QVI CURTEM ISTAM CUSTODIUNT,
ET QVICQVID MALE FACTUM FUERIT
EMENDARE FACIUNT ANNO DOMINI MCXI.

ADVENIENS QVISQVIS SCRIPTURAM PERLEGAT ISTAM
DE QVA CONFIDAT, ET SIBI NIL TIMEAT.

A Heic memorantur dumtaxat *Cambiatores* & *Speciarii*. Nomine *Cambiatorum* (nunc *Campſores* appellamus) deſignabantur Argentarii, Nummularii, qui aurum & argentum permutabant. At *Speciarii* voce non *Seplaſiarios*, aut *Aromatarios* indicatos puto, ſed quicumque negotiabantur vendendo *Species* omnes rerum reliquarum, ſive ſupellectilia. Ab auro & argento *Species* diſtinguebantur apud veteres. *Treccamentum* heic non aliud eſſe videtur, quàm *Tricamentum*, ideſt impedimenta & implicationes, uti Nonius Marcellus *Tricas* interpretatur. Nunc venio ad Mercatores. B Nullum ſane tempus excogitari poteſt, quo commercium aliquod non viguerit inter Italiam ac finitima Regna, præſertim vero inter hanc & Populos Orientis. Nam ut cetera mercium genera præteream, ex Oriente adferenda erant Aromata, & variæ telarum ac pannorum ſpecies, quæ nulla alia tellus ſuppeditabat. Ipſa quoque Italia vinum, oleum, & varia opificia in Septemtrionales plagas emittebat. Quei procederet mercimonium Langobardis regnantibus, monumenta nulla me docent; rariſſima quippe ſuperſunt. Certe nuſpiam legimus, gentem illam tentaſſe claſſibus æquor, & maritima commercia ſuis C navibus foviſſe. At ſub Francis Italiâ potitis, mercaturæ veſtigia aperta habemus. Inter additamenta ad Langobardicas Leges pag. 114. Part.II. To.I. Rer. Italicar. protuli ego Capitulare Caroli Magni *de Negotiatoribus*, *qui partibus Sclavorum & Avarorum* (nunc Hungarorum) *pergunt*, *quouſque procedere cum ſuis negotiis debeant*. Hæc quidem Germaniam reſpiciunt, ut & alia Caroli ejuſdem Capitularia apud Baluzium legenda. Sed nemo non intelligat, Italicos quoque iiſdem temporibus non ſegnius inſtitiſſe commutandis mercibus ſuis. Immo erat eis etiam commercium maritimum. In Annalibus Bertinianis ad Annum DCCCXX. iſta leguntur: *In Italico mari octo Naves Negotiatorum de Sardinia Italiam revertentium a pyratis captæ ac demerſæ ſunt*! Et primas fortaſſe obtinebant Veneti in excolendis negotiis & advehendis mercibus. Nam quamvis Inſularum Venetarum incolis ineunte Sæculo Chriſti Sexto, *in Salinis exercendis tota contentio eſſet*, *& inde eis fructus omnis enaſceretur*, *& paupertas ibi cum divitibus ſub æqualitate conviveret*, uti Caſſiodorius Lib. 12. Epiſtol. 24. ſcribit; procedente tamen tempore induſtrius ille Populus mercaturam facere adortus eſt eâ animi contentione, ut ferme unus in Italiam importaret quidquid rari ac pretioſi Oriens gigneret, aut fabricaret. Teſte Monacho Sangallenſi, cujus verba in Diſſertatione XXV. *de Textrina* attuli, dum Carolus Magnus in Italia verſaretur, ejus Optimates *modo de Papia venerant, ad quam nuper Venetici de tranſmarinis partibus omnes Orientalium divitias advectarant*. En ergo qui tunc navigandi in longinquas regiones, & mercandi arte in Italia præſtarent. Ac præcipue in Ægypto & Syria commercio vacabant, ut conſtat ex Hiſtoria Translationis Corporis Sancti Marci, quod

circi-

circiter Annum Chriſti DCCCXX. Alexandriâ furtim ſublatum, & Venetias deductum traditur. Hoc autem commodum Venetis præſtabant divitiis mercatura, & fœdera, aliaque vincula cum Græcis, quorum Dandulus teſtis nobis eſt. Poſtea in Pacto, quæ Venetorum gens cum Regibus Italiæ aut Auguſtis identidem renovabat, hoc etiam ſtatuebatur: *Negotia inter Partes fiant, & inter dare quæcumque inter eos convenerit ſine aliqua violentia aut contrarietate, ita ut æqua conditio utrarumque Partium Negotiantibus conſervetur.* Diploma Ottonis II. Auguſti ego protuli in Appendice ad Plenariam Expoſitionem Jurium Cæſareorum & Eſtenſium in Comaclum. Sed Venetis hoc olim ſatis non fuit. Servos habere & venumdare, non ſecus atque ſub Græcis & Romanis antiquis, tunc erat in uſu. Ex his alii erant Ethnici, alii, atque ii ſine comparatione plures, Chriſti legibus addicti. Agobardus Archiepiſcopus Lugdunenſis in Lib. *de inſolentia Judæorum* ad Ludovicum Pium Auguſtum, conqueritur non potuerat, mancipia Chriſtiana a Judæis Lugdunum habitantibus emi, eiſque liberum fuiſſe mancipia ipſa Saracenis Hiſpanis divendere. *Hæc*, inquit, *paſſi ſumus a fautoribus Judæorum, non ob aliud, niſi quia prædicavimus Chriſtianis, ut mancipia eis Chriſtiana non venderent, ut ipſos Judæos Chriſtianos vendere ad Hiſpanias non permitterent.* Sed neque boni Veneti piaculum olim putabant abominandum hoc mercimonii genus exercere. Accipe quæ de Zacharia Romano Pontifice Sæculo præcedenti, hoc eſt circiter Annum DCCXLVII vulgaris Epochæ, Anaſtaſius, ſive quiſquis ſit vetuſtiſſimus Auctor, in ejus Vita habet: *Contigit, plures Veneticorum hanc Romanam advenisse in Urbem Negotiatores: & mercimonii nundinas propagantes* (en quantum foret gentis hujus fervor ad Mercaturam) *multitudinem Mancipiorum, virilis ſcilicet & feminini generis, emere viſi ſunt, quos & in Africam ad Paganam gentem nitebantur deducere. Quo cognito, idem ſanctiſſimus Pater fieri prohibuit, hoc judicans, quod juſtum non eſſet, ut Chriſti abluti Baptiſmate Paganis gentibus deſervirent. Dataque eiſdem Veneticis pretio, quod in eorum emtione ſe dediſſe probati ſunt, cunctos a jugo ſervitutis redemit.* En quo rapiat Chriſtianos lucri & auri cupiditas. Sed ne ſic quidem compreſſa eſt impia illorum avaritia. Nam & Dandulus in Chronico pag. 186. ad Annum Chriſti circiter DCCCLXXVIII. ſcribit: *Quo tempore Mercatores Veneti lucri cupidi a Piratis & Latrunculis mancipia comparabant, & transfretantes de eis commercium faciebant. Cui manifeſto facinori Duces obviare volentes, pie decreverunt, ne quis de mancipiis commercium faciat, vel in navibus recipiat.* Ceterum, quando *Judæorum* mihi nuper facta fuit mentio, addendum eſt, uti nunc, ita & iis temporibus gentem illam potiſſimùm ad mercaturam faciendam animum intendiſſe. Dignum eſt, quod in hanc rem legatur Capitulare Caroli Magni, Anno DCCCVI. promulgatum. Statuit ille, *ut ſinguli Epiſcopi, Abbates, & Abbatiſſæ diligenter conſiderent theſauros Eccleſiaſticos, ne propter perfidiam aut negligentiam cuſtodum aliquid de gemmis aut de vaſis, reliquo quoque theſauro, perditum ſit: quia dictum eſt nobis, quod Negotiatores Judæi, nec non & alii gloriantur, quod quidquid eis placeat, poſſint ab eis emere.* Neque dubitandum eſt, an ſeſe Judæi per Italiam quoque effuderint Sæculis iis: nulla enim regio effugiebat eorum diligentiam. Agnello teſte (floruit is circiter Annum Chriſti DCCCXXX.) in Vitis Archiepiſcopor. Ravennat. Part. I. Tomi I. Rer. Italicar. pag. 162. Ravennæ ſervabatur *Corona ex modico auro una, ſed tamen habens pretioſiſſimas gemmas, ita ut Temporibus noſtris interrogatus Judæus Negotiator a Carolo* (Magno videlicet) *Imperatore, quo pretio venumdari poſſet, adjecit, quod omnes opes iſtius Eccleſiæ, & omnia etiam ornamenta & tegmina, ſi venumdentur, non poſſint eam explere.* Vide Diſſertationem XVI. *de Fœneratoribus*.

Dixi de *Veneticis*. Nunc noris, non diſparem induſtriam, & navigationis ac mercaturæ curam olim celebres *Amalphitanos* reddidiſſe: quorum originem (eam tamen a fabulis prorſus immunem non præſto) & varia itinera *negotiando* ſuſcepta, vide in brevi Chronico, quod ſupra edidi in Diſſertatione VI. *de Ducibus Italiæ*. Ea quoque deſcribit Anonymus Salernitanus in Paralipomenis a me editis Part. II. Tomi I. Rer. Italicar. Cap. 75. Amalphitanos ergo Cap. 63. nobis exhibet idem Anonymus Salernitanus Tarentum profectos, & *mercimonia ſecum geſtantes* Sæculo Chriſti Nono. At ſubſequente Sæculo X. Luitprandum Ticinenſem Hiſtoricum habeo hæc omnia confirmantem in Opuſcul. Legationis ad Nicephorum Phocam pag. 487. Tomi II. Rer. Italicarum. Nam quum is pretioſas quaſdam veſtes emere Conſtantinopoli a Græcis prohiberetur, eis reſpondebat, minime rara eſſe apud Italos ejuſmodi *Pallia*. Petentibus iis, unde hæc Italia acciperet, reponebat Luitprandus: *A Veneticis & Amalphitanis inſtitoribus, qui noſtris ex victualibus, hæc ferendo nobis, vitam nutriunt ſuam.* Tradit etiam idem Scriptor, in exercitu Græcorum contra Aſſyrios ceteris præſtitiſſe *Veneticos & Amalphitanos*: quòd ſpecie ridentis efferr, quaſi id hominum genus e ſagacitate potius ac ſolertia in mercando, quàm e fortitudine in militando ſpectabilis tunc foret. Accipe nunc, quid de Amalphitana Civitate Sæculo Chriſti XI. ſcripſerit Guilielmus Apulus Lib. 3. de Normannis:

Urbs hæc dives opum, Populoque referta videtur.
Nulla magis locuples argento, veſtibus, auro.
Partibus innumeris, ac plurimus Urbe moratur
Nauta, maris, cœlique vias aperire peritus.
Huc & Alexandri diverſa feruntur ab Urbe,
Regis & Antiochi. Hæc freta plurima tranſit.
His Arabes, Indi, Siculi noſcuntur, & Afri.
Hæc gens eſt totum prope nobilitata per Orbem,
Et mercanda ferens, & amans mercata referre.

Hæc ſane magnifica de hujuſmodi Populo. Hugo etiam Falcandus in Præfatione ad Hiſtor. Sicul. Panormum Anno MCLXXXIX. deſcribens, memorat ibi poſitum *Amalfitanorum vicum, peregrinarum quidem mercium copiâ locupletem, in quo veſtes diverſi coloris ac pretii, tam Sericæ, quàm de Gallico contextæ vellere, emtoribus exponuntur.* Chorum claudat Guilielmus Archiepiſcopus Tyrius Lib. 18. Hiſtor. Sacr., qui poſt deſcriptum *Amalphitanæ Civitatis* ſitum, hæc ſubdit: *Hujus regionis habitatores, ut prædiximus, primi merces peregrinas, & quas Oriens non noverat, ad ſupra nominatas partes* (hoc eſt ad Regnum Hieroſolymorum, Syriam, & Ægyptum) *lucri*

lucri faciendi cauſsâ inferre tentaverunt. Hæc ab Amalphitanis acta ante receptam Anno Chriſti MXCIX. Hieroſolymam a Chriſtianorum exercitu; iique in ipſa ſacra Urbe tunc Ægyptio Sultano ſubjectâ conſtituerant duo Cœnobia, atque unum Xenodochium. Quare vides gentis vires & famam vetuſtis temporibus late propagatam. Acceſſere deinde *Piſani* & *Genuenſes*, qui præcipue poſt Annum a Chriſto nato Milleſimum non mercaturam tantum facere, ſed & claſſes contra Saracenos parare cœperunt; fortaſſis etiam & piraticam exercere. Piſæ in primis opulentum Mediterranei maris emporium ſenſim evaſerunt. Gaufredus Malaterra Lib. 2. Cap. 34. Hiſtor. Siculæ ad Annum MLXIII. auctor eſt, *Piſanos Mercatores ſæpius navali commercio Panormum* (tunc Saracenis ſubjectum) *venire ſolitos fuiſſe*. Addit Lib. 4. Cap. 3. *Piſanos, qui apud Africam negotiando proficiſcebantur, quaſdam injurias paſſos, exercitu congregato, Urbem Regiam Regis Tunicii oppugnantes, uſque ad majorem Turrim, qua Rex defendebatur, cepiſſe*. Aditus quoque fuit ad portum Piſanum, atque ad ipſam Civitatem navibus Saracenorum: quam libertatem, ac morem Donizo Monachus Lib. primo, Cap. 20. de Vita Mathildis Comitiſſæ carpit acribus verbis. Ægre enim ferens, quod Beatricis Duciſſæ corpus non Canoſſæ, ſed Piſis, tumulatum fuiſſet, Urbem illam tanto honore minime dignam ait. Et quidni? Audi bonum virum:

Qui pergit Piſas, videt illic monſtra marina.
Hæc Urbs Paganis, Turchis, Lybicis quoq; Parthis
Sordida: Chaldæi ſua luſtrant litora tetri.
Sordibus a cunctis ſum munda Canoſſa &c.

Hæc ille circiter Annum MCXV. ſcribebat. Neque dubito ego, quin Piſis illi Civitatis parti, ſive ſuburbio, quod olim *Kinſica* appellabatur, & ſæpe in Hiſtoriis Piſanis memoratur, nomen dederint Saraceni, olim Piſis mercaturam facientes. Vide quæ de illa Piſarum parte ſcripſit in Epiſtol. de Pandectis Doctiſs. & Clariſs. Vir D. Guido Grandius. Annales Piſani Tom. 3. Ital. Sacr. ad Annum MCLVI. hæc habent: *Piſani fecerunt Barbacanas circa Civitatem & Hinticam, & miraverunt a turre*. Vide Annales Piſanos a me editos Tomo VI. Rerum Italicar. ubi ſcriptum eſt: *& Kinſicam muraverunt a turre &c.* Sancta Bona, Virgo Piſana, Anno MCCVIII. defuncta, ut habetur in ejus Vita a Patribus Societ. Jeſu in Act. Sanctor. ad diem XXIX. Maji editâ, *nata eſt in Civitate Piſana, parte, quæ Chincitha dicitur, juxta Arnum fluvium, in Parochia Sancti Martini*. Scribendum ibi *Chinſica*, uti & infra legitur in Vita quoque Beatæ Claræ Piſanæ ad diem XVII. Maji; ubi memoratur *locus ſitus Piſis in parte Civitatis poſterioris, cui Chinſica nomen, in fronte Vici Sancti Ægidii, qui locus hodie nomen proprium habet a Sancto Dominico*. Attamen verum amo: ſi quis vocem *Hinticham* ſuſtinere velit in editione Ughellii, offerre nobis poterit Græcum vocabulum ἐνθήκη, quod reconditorium ſignificat. Piſanis uſurpari potuit vox *Entheca*, & *Intiche*, ſeu *Hinticha*, nunc Italice *Magazzino*. Florentini Vocabularii Auctores Italicam vocem *Endica* ita definiunt: *Il comperar robe per ſerbarle, e poi a tempo rivenderle per guadagnarvi*. Scopum minime

A attigiſſe mihi creduntur. Nihil aliud eſt *Endica* apud Johannem Villanium, niſi *Magazzino*: neque ſignificat *Incetta*, uti ii ſubdunt. Vide Du-Cangium ad vocabulum *Entheca*. qui nonnulla veterum exempla in hanc rem congerit. Vide & infra Differt. XXXIII. *de Orig. Ital. Vocum* ad vocem *Endica*. Proinde fruſtra ſudavit Menagius, ut vocem *Endica* ab *Emo* pertraheret. Ejus origo, ut dixi, Græca eſt. Redeo nunc ad Piſanos Mercatores. Donizoni ſupra memorato ſynchronus Hariulfus Monachus Centulenſis, elogium Anſcheri Abbatis contexens, a Mabillonio editum in Annalib. Benedictin. Tom. V. inter ejus laudes hanc refert:

B

Notior Urbanis, & ditior ille Piſanis.

Quibus ex verbis innoteſcere poteſt, quantæ tunc divitiæ Piſano Populo forent, quando ſupra ceteros Populos ditiores fuiſſe traduntur. Eo autem crevit Piſanorum, & Genuenſium potentia in Oriente, ut Sæculo Chriſti XII. Græcorum Imperatores utrique Populo annuum cenſum perſolverint, uti Annales Piſani, & Caffari editi fidem faciunt. *Anconitani* quoque olim ob mercaturam celebres fuere: propter quod inter eos, & Venetos ſimultates ac bella non ſemel interceſſere.

Et ſanè quàm ſolicitè Italica gens etiam an-
C tecedente Sæculo XI. mercaturæ operam dederit, indicabit Epiſtola quincta Lib. 2. Gregorii VII. Romani Pontificis ad Epiſcopos Francorum, ſcripta Anno MLXXV. Præter alia gravia crimina, quæ is eorum Regi objicit, hoc in rem noſtram adnotandum eſt. *Quin etiam*, ait, *Mercatoribus, qui de multis terrarum partibus ad Forum quoddam* (hoc eſt, *ad una Fiera*) *in Francia nuper convenerant, quod antehac a Rege factum fuiſſe nec in fabulis refertur, more prædonis infinitam pecuniam abſtulit*. Neque heic ſtetere pro Mercatoribus Italicis a Gallico Rege expilatis imperterriti Pontificis querelæ. Vide & alteram Epiſtolam, nempe XVIII. Lib. 2. eodem Anno
D exaratam ad Guilielmum Comitem Pictavienſem. Illic enim querimoniam ipſam refricans idem Sanctus Gregorius, de Francorum Rege in hæc verba dolet: *Adeo Regiæ dignitatis poſthabuit verecundiam, ut avaritiâ potiùs inflammante, quàm ratione aliquâ poſcente, Italiæ Negotiatores, qui ad partes veſtras venerant, deprædatus fuerit*. En quo in loco tunc eſſet Italicorum induſtria, ſimulque exteræ gentis erga illos iniquitas. Non diſpares ſcænas, ſed ſubtiliori arte ſubſtructas, tempora quoque noſtra ſpectarunt. Quod ſi fides Conſtantino Cajetano Abbati Ordinis Sancti Benedicti habenda eſt, primi Piſani fuere, qui operam dederunt, *ut quando Mare nullis an-*
E *tea legibus navigabatur, certis in poſterum ejus navigatio coërceretur*. Ita ille in Notis ad Vitam Gelaſii II. Papæ, Tom. III. pag. 402. Rer. Italicarum. Probatas verò fuiſſe has leges Anno MLXXV. a ſupralaudato Gregorio Septimo idem tradit: ſed quam certis Tabulis (nullas enim laudat) ille viderit. Earum verò Legum, quæ Italice *il Conſolato del Mare* inſcribuntur, meminit in Epiſt. de Veter. Piſan. Conſtit. Cl. V. Domnus Virginius Valſecchius Monachus Benedictinus, in Gymnaſio Piſano Hiſtor. Eccleſiaſticæ Profeſſor, eaſque teſtatur egregie explicatas Opuſculo edito ante paucos annos a Joſepho Maria Caſaregio

[illegible] Juriſconſultis [illegible]. [illegible] ad [illegible] ac amplificandum mercaturæ [illegible] commercium [illegible] Italicarum gentium, poſtquam complures e Civitatibus Sæculo XII. in libertatem ſeſe vendicarunt; [illegible] Mercaturæ [illegible] in Civitatibus liberis, & Republicæ [illegible]. Tunc ergo multis in locis [illegible] creandi *Conſules Mercatorum*, qui & adhuc alicubi perdurant. Multa A erat auctoritas ejuſmodi munere fungentibus tum ad componendas, aut dirimendas Mercatorum lites, tum etiam ad puniendos quoſdam criminum reos, & ad fœdera etiam cum exteris ineunda. Nullam ergo antiquiorem de his memoriam hactenus inveni, quam quæ mihi occurrit in vetuſtis Libris MStis adſervatis in Archivo Senatus Mutinenſis. Longe tamen antea adinventum fuiſſe eorum munus arbitror. En ergo Tabulas Mutinenſes.

Pacta concordiæ initæ inter Conſules Majores & Conſules Mercatorum Mutinæ, & Conſules Majores & Conſules Mercatorum Lucæ, Anno 1182.

IN Dei Patris omnipotentis nomine. Amen. Brevis deſcriptus cauſa memoriæ, qualiter hoc actum eſt intra Lucæ Civitatem in domo filiorum quondam Tadolini, bonorum virorum preſentia, quorum inferius ſcripta apparebunt nomina. Quoniam ea, que fiunt a Conſulibus, ſive Rectoribus Civitatum ex multiplicitate negotiorum tum temporum mutabilitate facillime a mentibus hominum decurrerent: dignum eſt, ut ea, quæ ſtabili debent vigore letari, per ſcripturæ officium impoſterum reducentur memorie. Et ideo omnes preſentem ſcripturam videntes, ſecuritatem & promiſſionem, atque concordiam factam inter Majores Lucenſium Conſules & Conſules Mercatorum Lucenſium, *& Conſules Majores &* Conſules Mercatorum de Mutina, *tale eſſe cognoſcere poſſunt. Cujus talis eſt materia. Ego Carnelvare Dei gratiâ Major Mutinenſis Civitatis Conſul, pro me, & Bocha de Lucio, & Priſo, & Coradino Manarii, & Alberto Teſii, & Bravo, & Paſſavante de Carandola, & Pariſio, meis Sociis, & pro Mutinenſi Civitate: &* ego Guilielmus de Atto Dei gratiâ Mutinenſium Mercatorum Conſul pro me, & Gandulfo Judice, & Hermano Pegolocti, & Jambone de Filita Mutinenſium Mercatorum Conſul, *promittimus & ſecuramus vobis Suffredutio quondam Uberti Sandei & Sigherio quondam Januenſis, recipientibus pro vobis, & Alberio Vecchi, & Turchio Malarie, & Guilelmo Paganelli, & Ugolino quondam Curiamontanis, atque Kecio quondam Rolandi, veſtris Sociis,* nec non Federico Caneſtri, & Uberto Tadulini, atque Quilictioni quondam Pagani Conſulibus Mercatorum *recipientibus pro vobis*, & Baldincto Sulini, & Tederclo quondam Fredicionis Veteri Lucenſium Mercatorum *recipienti pro te*, & Clanne Cervelati tuo ſocio, *ita videlicet, quod nos predicti Majores Mutinenſium Conſules*, & Conſules Mercatorum, *ac noſtri ſucceſſores, ſive Mutinenſium Poteſtas, dehinc ad* B *proximas Januarii Kalendas, & deinde ad novem proximos annos expletos cuſtodiemus & juvabimus & ſalvabimus atque defendemus unamquamque perſonam Lucenſis Civitatis, ejuſque burgi, & fortie atque Diſtrictus, & eorum habere per totam fortiam & Diſtrictum Civitatis Mutinenſis terra & aqua; & quod infra predictum terminum faciemus, vel fieri faciemus rationem & bonum uſum hominibus & perſonis Lucenſis Civitatis, ejuſque burgi & fortie atque Diſtrictus, ſecundum rationem & bonum uſum predicte noſtre Mutinenſis Civitatis. Et hoc faciemus infra quadraginta proximos dies poſt inquiſitionem nobis factam ab Luce Conſulibus, vel per eorum literas ſigillo Lucenſis Civitatis* C *ſignatas.*

Hæc facta fuerunt hec omnia preſentiâ Villani & Lamberti germanorum quondam Tadolini Lucenſium Civium, & Benedicto, & Rolentho filio Caſſonis, & Marchexino de Paterna, Miſſorum predictorum Conſulum Mutine, & Ruſtichello, & Joppo, & Luchenſe Miſſis predictorum Conſulum Mercatorum Lucenſium. Anno Dominice Nativitatis Milleximo Centeſimo Octuageſimo Secundo, Octavo Kalendas Marcii, Indictione Quinta decima.

Henrigus Domini Imperatoris Notarius, & predictorum Majorum Lucenſium Conſulum Scriba, his omnibus interfui, & hec omnia memorie causâ in publicam ſcripturam redegi.

D Ut hinc liquet, præter Conſules Majores, qui ſupremo munere & Magiſtratu in liberis Civitatibus tunc fungebantur, erant & *Conſules Mercatorum*, quorum non mediocris auctoritas fuit, quando ad percutienda pacta publicorum fœderum & ipſi adſciſcebantur. Occurrit mihi eorumdem quoque Conſulum mentio in altera Charta, quam ſervavit nobis antiquiſſimum ſupra laudati Senatus Mutinenſis Regeſtum. Et hanc producere non inutile erit, tum ad iſta confirmanda, tum ad noſcendos alios eorum temporum mores.

Pacta Fœderis & Societatis, quàm Ferrarienſes ineunt cum Mutinenſibus, Anno 1198.

IN Chriſti nomine . Anno a Nativitate ejuſdem Milleſimo Centeſimo Nonageſimo Octavo, Indictione Prima . Ego Ferrarienſis juro guardare & ſalvare Homines Mutinenſes in perſonis & rebus , & omnes res & perſonas in toto diſtrictu Ferrarie & in Ferraria : & quod non auferam aliquod toloneum , vel aliquam Datiam eis in Ferraria , & in diſtrictu Ferrarie , vel in Epiſcopatu Ferrarie , occaſione cujuſcumque perſone magne vel parve , Pape , vel alterius , vel nomine Univerſitatis mee , vel alterius . Et remittam Mutinenſibus omnem Datiam , & omnem toloneum , quod dare conſueverant occaſione cujuſcumque perſone , ſive Apoſtolici , ſive Imperatoris , vel Communis Ferrarie , vel quacumque alia occaſione . Et quod de cetero non auferam , nec auferri patiar , nec novum aliquod imponam ; & ſi ablatum fuerit , reſtituam , vel reſtitui faciam infra octo dies , exceptis tribus denariis pro modio ſalis , & non plus ullo tempore accipietur ; & ſi alicui Civitati remiſſum fuerit , vel ſibi hoc bonus remiſero , a Mutinenſibus non exigetur nec auferetur : & ſi ablatum fuerit , vel exactum , eis reſtituam . Item juro ego Ferrarienſis , quod ſemper tenebo omnes homines Mutine , & Epiſcopatus juſta me ad voluntatem Conſulum Mercatorum Mutine , *locatis prime Ferrarienſibus in foro Ferrarie ,* & in omnibus aliis Mercatis *ad Ferrarienſem conſuetudinem , ſecundùm quod in me facio de Datiis & ſtationatico fori , tam de tabulis , quàm de aliis ſtationibus ; nec ultra quod ſcriptum eſt , eos gravabo . Et ſi meam datiam , vel ſtationaticum augere voluero ,* & binam Mercatoribus Mutine in Foro Ferrarie aſſignatam pro drappis groſſis eis conſervabo. *Item juro , quod permittam Mutinenſes ſine impedimento Ferrariam libere ire per terram & aquam Ferrarie ſurſum & juſum , ubi voluerint , niſi ad domos inimicorum Ferrarie pro ſuis negotiationibus , vel aliis rebus exercendis . Item juro , quod non faciam Societatem cum aliqua Civitate vel Loco , niſi parabolâ Mutinenſium . Item juro adjuvare Mutinenſes & Civitatem Mutine contra omnes perſonas & Civitates & loca , ita ut in unoquoque quinquennio renovetur hoc ſacramentum . Et quicumque fuerit inimicus Mutine ſive Civitas ſive perſona ſive locus , tenebo eum inimicum Ferrarie , donec fuerit inimicus Mutine ; & a mea terra & aqua prohibebo , donec fuerit inimicus Mutine . Et ſi Mutinenſes fecerint Caſtellum ſive hedificium in Diſtrictu vel Epiſcopatu Mutine , & aliqui Ferrarienſes voluerint ibi venire ad habitandum de Civitate vel de Diſtrictu Ferrarie , non prohibebo , & venire permittam . Et ſi aliquis diſtrictus eſt per ſacramentum , vel erit , ne veniat ad habitandum in illo Caſtello vel hedificio vel Epiſcopatu Mutine , vel relinquat locum , in quo habitat , eum a ſacramento liberabo , & liberum arbitrium veniendi ei permittam . Et nullum bannitum Mutine tenebo nec recipiam , poſtquam requiſitus fuero . Et blavam omnis Mutinenſis , ſcilicet de ſua terra , vel ſi ſuis operibus queſierit , vel ſuis animalibus , vel aliunde de alio Epiſcopatu vel diſtrictu ducere voluerit eam Mutine vel alibi , venire non prohibebo , vel aliam quamcumque rem vel* mercationem *per meam terram ,*

A *vel per meam aquam , vel per meum Epiſcopatum vel Diſtrictum . Item juro , quod bis in anno exercitum cum Peditibus & Militibus communiter ad meas expenſas Mutinenſibus faciam , ubicumque voluerint , & manere cum eis ad eorum voluntatem per octo dies poſtquam eis adjunctus fuero , & eos bona fide adjuvabo .*

Item juro , quod Salem non dabo aliis Civitatibus vel aliis locis vel perſonis , nec portari permittam per totam meam aquam & meam forciam & meum Diſtrictum . Et ſi quem alibi quàm Mutinam portare voluerit , prohibebo , & bannum pro hoc ei auferam , exceptis Paduanis & Veronenſibus , qui nec a Figaro ſupra deferre B *debeant per terram nec per aquam , & Mutinenſibus omnibus , & his omnibus , qui per Mutinam portare voluerint , dabo , niſi Mutine permiſſu . Et juro , quod nec faciam pacem vel concordiam cum aliqua Civitate , cum qua Ferrarienſes habeant guerram vel habebunt ſine permiſſu Mutine & Rectorum Mutine . Item juro , quod permittam Mutinenſibus ſuum navigium habere , ſicut modo eſt , meliorare , reficere , mutare ad voluntatem Mutine uſque in Padum , & omne impedimentum inde auferre ; nec predicto navigio vel edificio , ſi quod in eo facere voluerint , aliquo unquam in tempore aliquod impedimentum faciam , & ab omni homine* C *imbrigare , diſturbare volente Mutinenſes adjuvabo . Daciam quoque , quam Mutinenſes poſuerunt ſuper portum Salis uſque ad eam quantitatem , quam Ferrarien. dant , ratam habebo . Item juro , quod bis in anno Mutinenſibus cum Militibus & Archatoribus per Commune ad voluntatem Rectorum Mutine exercitum faciam , ſecundùm quod in Civitate & Diſtrictu reperiretur , & per octo dies , ſecundùm quod dictum eſt , ſtare meis expenſis . Item juro , quod bannum piſcium non tenebo eis . Item juro , quod ſi Mutinenſes voluerint rationem de Ponte Ducis & ejus territorio , eis faciam rationem ſub duobus communibus amicis , quorum unum eligant* D *Ferrarienſes in Mutina , & alium eligant Mutinenſes in Ferraria , qui jurent infra tres menſes cauſam per rationem & bonum uſum vel convenientiam , que utrique parti placeat , definire , & eligant arbitros , ſi Mutinenſes voluerint , & eorum ſententiam ſervabo . Et hoc ſacramentum in omnibus ſupradictis capitulis per unumquodque quinquennium renovabo , & ab aliis de Civitate vel Epiſcopatu Ferrarie qui non fecerint , a quindecim annis ſupra , & a ſeptuaginta infra , de novo faciam renovari vel fieri . Et ſi aliquod additum vel diminutum fuerit conſenſu utriuſque partis , facto Conſilio publico , ſonato publice ad campanam publicam , obſervabo . Et* E *ſi aliqua diſcordia de predictis , vel aliquo predictorum , vel quocumque alio apparuerit inter eos , per duos homines de his Civitatibus componatur , qui ab his Civitatibus predicto modo eligantur , & quod ab eis ſtatutum fuerit , obſervabo , nihilominus omnibus ſupradictis firmis manentibus , licet dicta diſcordia apparuerit , infra triginta dies diffinient . Et hec omnia in perpetuum obſervabo . Et hoc ſacramentum facient omnes de Epiſcopatu & Diſtrictu Ferrarie a XIV. annis ſupra , & a LXX. infra . Et Poteſtas Ferrarie jurabit , quod omnia ſupra-*

ſerique faciat illis ſecuritatem ſupradictis omnibus perſonis. Et quidem Rectorem aliquem in perpetuum, neque aliquâ permittam, & ſi electus fuerit, in eum non conſentiam nec parebo, niſi prædictum faciat ſacramentum, cum intrabit ad regimine Civitatis. Et menſura Salis Mutine cum raſo ra raſa, quam conſtituent Conſules Mercatorum Mutine cum Conſulibus & Mercatoribus Ferrarie, communiter menſurabo vel menſurari faciam, nec cum alia menſurabo vel menſurari faciam vel permittam.

Hoc Sacramentum, ut perlegitur, & ut in prædicta Carta continetur, fecit Petrus quondam Alberti Adigerii, Mutine in Conſilio publice ſonato; & inſuper juravit, quod faciebat voluntate & parabola Poteſtatis & Conſulum Ferrarie, & quod ei parabolam ſic jurandi & comjurandi, ut perlegitur, dederunt, & poſtquam ſibi dederunt, non abſtulerunt, neque vetaverunt. Præſentibus Conſulibus Mutine Majoribus, & Mercatorum, ſcilicet Domino Jacobo de Gorzano, Domino Ugone Novello, Domino Uberto de Frede, Domino Carnelvario, Domino Alberto Baccelacii, Rainerio de Parma, & aliis pluribus. Anno Domini MCXCVIII. Indictione Prima, die Martis Kalendis Septembris. Eodem Anno & Menſe, die Veneris XI. intrante Septembre, apud Caſtrum Maſſe in Choro illius Eccleſie, & in porticu Canonice, & in Eccleſia Sancti Martini juraverunt hoc Sacramentum, ut in preſenti Carta continetur, Dominus Iſaac Ferrarienſium Poteſtas, & alii de Conſilio Ferrarie, videlicet Salinguerra Taurello, & alii plures.

Ego Berardus ſacri Palatii, & invictiſſimi Imperatoris Federici Notarius rogatus ſcribere ſcripſi, & omnibus ſupraſcriptis interfui.

Ex hac Charta intelliges, nondum Anno MCXCVIII. excidiſſe morem numerandi Indictionem novam Kalendis Septembribus. Atque ita Civitates mercimonio addictæ fœdera & pacta cum finitimis ad tutelam ac utilitatem Mercatorum ſuorum inſtituebant. Quid inter ſe eâ de cauſâ pacti fuerint Bononienſes & Ferrarienſes, juvabit nunc perſpicere in Inſtrumento, quod mihi ſuppeditarunt vetuſtiſſimæ membranæ adſervatæ in Archivo Sereniſſimæ Familiæ Eſtenſis. Et heic multa habentur, quibus eorum temporum mores illuſtrentur.

Pacta concordiæ initæ inter Bononienſes & Ferrarienſes, Anno 1193.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Amen. Hic eſt tenor antique Pacis & concordie facte tempore Domini Gerardi Giſle Epiſcopi, & tunc Poteſtatis Bononie, inter Ferrarienſes & Bononienſes.

In Dei eterni nomine. Anno Dominice Nativitatis Milleſimo Centeſimo Nonageſimo Tertio, tempore Celeſtini Pape, & Henrici Imperatoris, die X. intrante Menſe Martio, Indictione XI. in Dulciole in Eccleſia Sancte Marie. Nos Ferrarienſes juramus Pacem Bononienſibus & hominibus de Comitatu & diſtrictu & Epiſcopatu, & eos ſalvare & cuſtodire in Civitate Ferrarie & Comitatu & diſtrictu: nec in Epiſcopatu Bononie & diſtrictu, nec in alieno, ſtudioſe eos offendere. Et ſi qua offenſa facta fuerit, infra triginta dies ſub Arbitris electis emendatio fiat, niſi remanſerit conſenſu partium, & juſto impedimento, de re ſine pena. Si res compareat, reſtituatur: ſin autem, extimatio. Si deterioratio ſit facta, emendetur, dato ſacramento illi, cujus erat; ſi noluerit jurare, arbitrio Arbitrorum emendetur tam de extimatione quam deterioratione. Si perſona, que offenſam fecerit, non compareat poſt requiſitionem, in banno a Rectore vel Rectoribus illius Civitatis ponatur, & de banno non extrahatur, niſi ſatisfecerit. Si vero compareat, & ſatisfacere non poterit, perſona tradatur. Et ſi aliquis de Civitate Ferrarie & Comitatu & diſtrictu, vel de alterius Civitate & diſtrictu vellet manere in ſervitio Communis Bononie, niſi eſſet inimicus Communis Ferrarie, non prohibebo. Bannitus a Civitate Bononie, ex quo fuero requiſitus, in mea Civitate & diſtrictu non ſtabit ſcienter. Si qua poſſeſſio mobilium & immobilium fuerit intromiſſa a Communi Ferrarie, ex quo iſta diſcordia intervenit, & res compareat, reſtituere faciam ſine Placito. Et ſi aliquid pervenit Communi Ferrarie, quod fuiſſet ablatum extra Civitatem Ferrarie & Comitatum & Diſtrictum, ſub Arbitris emendare faciam cap. rei, vel rem ſine pena. Si vero a privatis in Civitate Ferrarie & Comitatu & diſtrictu & Epiſcopatu, vel in alterius diſtrictu aliquid fuerit ablatum, ſub Arbitris emendari faciam ſine uſuris & rem ſine fructibus & cap. rei. Et ſententias, que retro date fuerunt, firmas tenere faciam, & hoc ante iſtam diſcordiam. Et ſi qua poſſeſſio fuerit impedita, que data fuerit vel dimiſſa, jurare faciam, quod non impediet. Et ſi teſtes fuerint neceſſarii, de meo diſtrictu illis, qui cauſam habebant, dabo ſicut meis Civibus, ſi petierit. Et hec omnia ſupradicta fient & obſervata erunt ex parte Bononienſium Ferrarienſibus. Et illi, qui paſſi ſunt, & parentes eorum & femine uſque ad quinque gradus a duodecim annis ſupra uſque ad ſexaginta, & poſtea omnes Ferrarienſis Comitatus & Epiſcopatus a quindecim annis uſque ad quindecim jurent Pacem in perpetuum, ex quo Arbiter erit electus a Ferrarienſibus, infra octo dies, vel Rectores Bononie teneantur dare, & illud facient facere, ex quo electus Arbiter a Bononienſibus fuerit.

In toloneis ſic ſtabilitum eſt, quod Ferrarienſes Bononienſibus nihil debent accipere, & ab his, qui ſunt de Comitatu eorum & Epiſcopatu, de his rebus, que ſunt apte ad comedendum: & debeant vendi Ferrarie occaſione tolonei, & alia, que ſi alibi portarent per Ferrariam, duodecim Imperiales de navi ſive magna ſive parva, niſi remittere velint, & de ſingulis navibus ineundo & redeundo a Ferraria in ſurſum in Lombardiam duos Solidos Ferrarienſes vel Bononienſes, ſive veniat navis de ſurſum ſive de Lombardia; & ultra Monte de Torſello *Cavalcarizo duos Solidos Ferrarienſes vel Bononienſes; & de ſoma totidem. Si vero Venetias iverit cum navi honerata, duos Solidos Ferrarienſes vel Bononienſes: de navibus duos Solidos Bononienſes de ſoma. Et ſi de his rebus, de quibus ſemel toloneum datum eſt, aliquid comparaverit & reduxerit, de eo nihil debet dare, nec de navi*

navi ipſa , niſi de eo quod ſuperaderit , & hoc oſtenſo ſacramento Bononie . Si autem redierit a Venetiis cum alia navi onerata , dabit duos Solidos Ferrarienſes vel Bononienſes de navi . Si de mercibus nihil niſi de ſuprappoſito . Si vero redeat a Venetiis , cum nihil dediſſet , duos Solidos Ferrarienſes vel Bononienſes , de Torſello & Soma totidem . Si vero magnam navim divideret in plus , non det niſi duos Solidos Bononienſes vel Ferrarienſes , ſi primo dati non fuerint . Et hec fient , niſi cum Bononienſes venerint in Foro annuali Ferrarie : *tunc enim nihil dabunt pro navi vel rebus , que ſunt in eis , vel qui ſunt de Epiſcopatu & Comitatu , undecumque venerint . In* Foro vero annuali , *novem Ferrarienſes vel Bononienſes . Et de ſtoratica & tabula totidem , ſi fuerit Cambitor : & nihil plus de forcatica ſtationum . Idem faciant Bononienſes , quod alii Lombardi . Et de equo & aſino & bove , tres Ferrarienſes vel Bononienſes , niſi ſint Milites vel Clerici : & de aliis beſtiis minutis ſecundùm quod conſueverunt . Et liceat Bononienſibus ire & redire , ubicumque Ferrarienſes vadunt , cum mercibus ſine mercibus , exceptâ* mercatione Salis , *qua ire non debent per aquam Ferrarienſium &* mercatione piſcium *exceptâ , ſi vellent portare in Lombardiam . Si vero Ferrarienſes non vadant ad aliquam Civitatem vel locum pro guerra vel banno , nec Bononienſes ibi vadant cum mercibus, ſed ſine mercibus liceat eis ire , dum tamen non vadant ad eorûm offenſionem ; & cum mercibus redire , dum tamen non ſint de mercibus inimicorum, nec in terra eorum empte, & non deferant in navibus inimicorum , vel cum perſonis eorum vel rebus . Et idem facient Ferrarienſes eorum parte : & liceat Ferrarienſibus ire & redire cum mercibus & ſine mercibus , ubicumque Bononienſes vadunt . Si vero Bononienſes non vadant ad aliquam Civitatem vel locum pro guerra vel banno , nec Ferrarienſes ibi vadant cum mercibus : ſed ſine mercibus liceat eis ire , dum tamen non vadant ad offenſionem Bononienſium : & cum mercibus liceat eis redire , dum tamen non deferant de rebus inimicorum , vel veniant cum perſonis & rebus eorum . De modio ſeminis Lini , & valanie , & folie , dent Bononienſibus duodecim Solidos Bononienſes vel Ferrarienſes . De omnibus rebus , que pondere emuntur , de centenario tres Solidos Ferrarienſes vel Bononienſes , niſi in Foro annuali , in quo nihil dare debent . Et de centenario piſcium tres Ferrarienſes vel Bononienſes . De vegete vini ſtarium unum ad ſtarium Ferrarie pro ripatico . Et blavam , quam habebunt Bononienſes in terris ſuis in Comitatu Ferrarie , vel quas lucrati fuerint trituratione . . . . . . & blavam , quam joculatores acquirunt , & ſpiculaturam , & licium , quam Saltine acquirunt , quiete ducere permittantur . Idem faciant Bononienſes Ferrarienſibus . De fareatica , que fiet in territorio majoris Eccleſie , debent dare duos Solidos Imperiales . De tabula Campſorum & Mercatorum panni majoris totidem , & non plus . Si alii minus darent, Bononienſes minus dabunt . Et in omni quinquennio ſacramenta predicta ab utraque parte renoventur . Et Poteſtas & Conſules jurent omni anno predicta obſervare . Et ſi aliqua perſona de his , qui paciſciti fuerunt , vel aliquis de propinquis eorum vel heredum eorum , qui ad hanc pacem vocatus fuerit , & ad ſecuritatem preſtandam pro pace a predictis perſonis ſervanda pacem fregerit , vel frangere fecerit , expellatur de Civitate & Epiſcopatu & Comitatu Ferrarie , & bona ejus deſtruantur & dentur Bononienſibus , nec recipiatur , niſi ſatisfecerit illi , cui offenſa facta fuerit . Idem faciant Bononienſes de filiis Henrici de Fracta , & eorum heredibus , & qui ex parte eorum vocati fuerint . Ad hec fuerunt teſtes preſentes Ramiſanus & Guezzus Conſules Bononie, Rambertus de Albaro , Manfredus de Ugone de Ramiſano &c. Maranus tunc Maſſarius Communis Ferrarie , & plures alii .*

He ſunt quedam adjectiones facte preſcripte Concordie & Paci tempore Domini Girardi Giſlæ Epiſcopi , & tunc Poteſtatis Bononie , & Domini Guizardi tunc Poteſtatis Ferrarie , & ſacramentum ejuſdem Domini Guizardi Poteſtatis Ferrarie . Nec aliquod toloneum a Ferrarienſibus accipiant vel eis auferant , niſi antiquum & conſuetum , & quod fuerit probatum a Bononienſibus per teſtes ſub Arbitris , & ex tali tempore , quod Arbitri antiquum judicaverint . Et de eo , quod tunc dabatur antiquitus Lucenſis pro toloneo , debent dare duos Ferrarienſes & non plus . De lignis nihil debent dare . In Duliolo & Galeria tantum , ex quo Arbiter fuerit electus a Ferrarienſibus infra octo dies Poteſtas vel Rectores Bononie teneantur dare eis . Dominus Guizardus tunc Poteſtas juravit , quod illa Capitula, que ſunt ſcripta Ferrarie de Pace tenenda & propter pacem tenendam inter Bononienſes & Ferrarienſes ſecundùm quod eſt conſtitutum , quod ipſe obſervabit & obſervare faciet omnibus hominibus Ferrarie , quod Dominus Epiſcopus & Poteſtas voluerit . Ad hec fuerunt preſentes Dominus Jacobus Funtane , Dominus Albertus de Aldigerio , Guido de Turcho , Rambertus de Albaro , Ramiſinus , Guezus , Zacharias Judex , & plures alii , Milleſimo Centeſimo Nonageſimo Tertio tempore Celeſtini Pape & Henrici Imperatoris in Duliolo Indictione XI.

He ſunt interpretationes antique Pacis & concordie facte ſuper quibuſdam Capitulis , ſuper quibus erat diſcordia inter Ferrarienſes & Bononienſes . In Chriſti nomine . In Milleſimo Centeſimo Nonageſimo Quarto , tempore Celeſtini Pape , & Henrici Imperatoris , die XI. Menſis Februarii , Indictione XII. apud Galeriam . Cum diſcordia eſſet inter Sapientes Bononie & Sapientes Ferrarie de interpretatione Some , de quibus mercationibus & rebus debent Bononienſes dare datium pro ſoma in Ferraria , ita a Sapientibus utriuſque Civitatis , qui inferius leguntur, qui ad hoc ordinandum & ſtatuendum inſimul fuerunt , fuit amicabiliter interpretatum , quod de iſtis rebus debent ſolvere Bononienſes pro ſoma . Scilicet de omnibus drappis de (*) batilicio , de lume zucarina , de grana de Braſile , de pellibus de vulpe , de leporinis , de coniliis , de variis , & griſiis : de pipere , de zucaro , de zafrano , de indigo , de incenſo , de ſpeciebus , de coloribus , de cera , de agnellinis , de curionibus , de lutriis , de martiris , de chartis , de rammo . De ceteris aliis mercationibus & rebus debent dare Bononienſes pro nave , excepto quod de ferro laborato, ſcilicet de (**) figlis , & de tallonis, debent dare Bononienſes pro unoquoque ſachetto uſitato &

(*) In Regeſto MSto Bononienſi legitur *de Bambacio.*

(**) Bononienſe Regeſtum habet *de Riglis.*

& conſignare Ferrarienſium unum. Et in hoc exceptantur mercatores, quae venerint in Ferrariam, in quibus debent ſolvere ſecundum quod continetur in Charta Pacis, ſalvo eo quod eſt de porto Saliz in Ferraria, ſicut aliae Civitates ... Ferrariae. Ad quam interpretationem fuerunt Gandulfus de Urſo Conſul Bononiae, Guido de Rovaldello, Addigerius de Sala, Gibertinus Judex & Arbiter pro rationibus Ferrariae, Albertus Gerardi de Gisla Arbiter, Thomas Judex, Ubertus Maſſarius, Romiſinus Rodulphi Ranerii, Calamchinus Conſul Mercatorum, *Guido de Tencarolis Rector Societatum, Rolandinus de Michaele, Petrus de Trugio, Ubertus de Armannis, Henrigettus Riſtale, Albertus Albigherius, Jacobus Trette Arbiter electus, Marchiſinus Mainardi Arbiter, Urſitius Maſſarius, Paltronus, & Cumimellius*.

Occurrit nobis in Charta illa vox *Torſellus*, ſive *Torſellum*. Vocabularii Florentini Auctores eam interpretantur *Balletta, balla piccola*. Neſcio an ſatis dilucide, & ad rem. *Torſellus* nihil aliud fuit quàm volumen, ſeu *Rotolo* alicujus panni. Nos adhuc vocabulum retinemus, appellantes *un Torſello di panno, un Torſello di tela*. Menagius in Originibus Linguae Italicae illud deducit a *Tortus*, *Torſus*, *Torſellus*. Mihi derivandum potiùs videtur a *Torſus*, unde *Torſo*: quo nomine ſtatuam indicamus, cui ſubtractum ſit caput, brachia, coxae, vel crura, quaſi aliquam illius ſimilitudinem praeferat pannus ſic involutus. *Troſſellus* in Chartis Gallicis idem fuit ac nobis *Torſello*. Atque heic res poſcit, ut de Artibus Lanificii, & faciendi ac texendi *Serici* aliquid innuam. Nam ex hiſce duobus opificiis magnum olim ſibi quaeſitum comparaverunt aliquot ex Urbibus Italicis in rem ſuam prudentiſſime intentae. Nemini ignotum reor, textrinam Lanae a ſera antiquitate in uſum hominum, ac proinde & gentis Italicae, invectam, numquam ex eorum commercio excidiſſe. Textrinae & Artis Serici alia fata fuere. Vopiſci aevo, ut is ſcribit in Vita Aureliani Imperatoris, *Libra Serici Libra auri fuit*. Perſae videlicet ab Indis Sericum ſibi comparabant; a Perſis Graeci atque Romani. Verùm Procopio teſte Lib. 4. Cap. 17. de Bello Gothico ſub Juſtiniano I. Auguſto primùm ex India immigravit in Graeciam ars alendi bombyces, & Serici inde educendi, ac ſubinde texendi. Quo autem tempore in Italiam ipſam importata eadem Ars fuerit, fruſtra vetuſtum Scriptorem quaeramus, qui rem utiliſſimam memoriae hominum tradiderit. Supra tamen vide Diſſert. XXV. *de Textrina*, ubi aliquid in hanc rem indicavi. Nunc alia pauca de Serico, apud Mutinenſes confecto, heic innuam; neque enim ſegnes fuere Majores noſtri in hac Arte excipienda atque excolenda; & praecipue quod Sericum ex agro Mutinenſi collectum ejus roboris ac venuſtatis evaſerit, ut cum primis de praeſtantia certare poſſit, ac multa aliarum Urbium poſt ſe relinquat. In Legibus Municipalibus Mutinenſis Reipublicae Anno MCCCXXVII. Auguſto Menſe manu exaratis haec habentur Lib. 2. Rubric. 23. *Folexelli Civitatis & Diſtrictus Mutinae, & cujuslibet alterius loci, de quo conducti fuerint Mutinam vendibiles, tantum in Platea Communis Mutinae ad penſam Communis vendantur & emantur. Nec extra Diſtrictum Mutinae Folexelli nec Seta, niſi fuerit extracta de Folexellis ad Molinellum in Civitate Mutinae extrahantur &c. Et duo Fratres de Poenitentia eligantur ad brevia, quorum ſit ſtare in Platea, & penſare Folexellos*. Tunc pro qualibet Follicellorum libra venditor perſolvebat Communi Mutinae unum *Mutinenſem*, hoc eſt Solidum, & alterum perſolvebat emptor. Praeterea Lib primo, Rubric. 71. decernitur, *quod denarii, qui colliguntur per Fratres deputatos ad penſam Folexellorum tam pro Communi, quam pro Maſſario Sancti Geminiani, non intelligantur nec eſſe debeant Conductorum* &c. Longe etiam antea video, Mutinenſem Rempublicam ex ipſo Follicellorum commercio reditum non contemnendum percepiſſe. In Regeſto MS., ubi recenſentur deliberationes habitae ab eodem Populo Anno MCCCVI. una eſt *de Boacia, & redditu Follicellorum locando*. In altero decreto poſt paucos dies ad ſubſidium publicae rei ſtatuitur, *quod redditus Follifellorum debeat duplicari*, hoc eſt, ut duos Solidos pro ſingulis libris ſolvat venditor, & duos emtor. *Follicellorum* nomine, quod adhuc Bononienſes, Ferrarienſes, Mutinenſes, aliique Populi uſurpant, jam Lector intellexerit heic deſignari thecas ſeu glomos illos, in quibus ſe bombyx veluti in tumulo includit, novam ſurrecturus in vitam, & unde poſtea Sericum artificioſe deducitur. Vocem hanc Du-Cangius in Gloſſarium ſuum intulit, ſed inexplicatam reliquit. *Gallette* a Mediolanenſibus; *Bozzoli* a Florentinis appellantur; qui & in Vocabulario Bombycem nuncupant *Baco filugello*. Quum nullum vocis hujus teſtem antiquum ii laudent, paene mihi ſuborta eſt dubitatio, an recte expoſuerint vim vocabuli *Filugello*, quod idem eſſe videtur ac Langobardicum *Follifellus*, *Folexellus*, ſeu *Follicellus*, utique a Latino *Folliculus* deſcendens; & non vermem Serici artificem, ſed vermis opificium deſignans, quaſi *Baco da Filugello*, ſive *Vermis faciens Folliculos*. Sed Florentini conſuetudinem Dialecti ſuae in hac re ſequuti fuerint. Ut autem Mutinenſes noſtri emolumentum e Serico emanans ſibi amplificarent, Mororum etiam arborum plantationi diligentius & copioſius inſiſtendum decreverunt Anno MCCCXXVII. decreto hoc in publica Statuta illato Lib. 3. Rubric. 41. quod fortaſſe ridens, ſed tamen laudans, unuſquiſque legat: *Ordinatum eſt pro publica utilitate, quod quaelibet perſona, quae habet clauſuram intra confines Civitatis, & a ſerra de Ligorzano inferius, teneatur & debeat plantare, ſeu plantari facere tres plantas de Ficubus, & totidem de Moris, & totidem de Pomis-granariis, & tres Amandolas, & eas cuſtodire & allevare. Et ad hoc teneantur laboratores & tezolani* &c. Haec ante quatuor Saecula excogitabat ſtudium & zelus Mutinenſium Civium in Reipublicae ſuae commodum. Quum verò unis fortaſſe Bononienſibus olim forent mirabilis artis aedificia, quae *Filatoi* adhuc appellantur, ubi Sericum tortum ad telam conficiendam idoneum efficitur; Mutinenſes autem ejuſmodi beneficio carentes, illuc Sericum ſuum torquendum mittere cogerentur, caute cuſtodientibus Civibus Bononiae utile illud inventum: tamdem factum eſt, ut Mutinam delata fuerit ratio exſtruendi ejuſmodi aedificia, atque heic ambabus ulnis excepta ineunte Saeculo Chriſti XVI. Quare Nobiles de Rangonibus, contemtis Bononienſium minis, continuo unum excitavere in Oppido Spinalamberti, atque alterum in ipſa Civitate Mutinae prope ſacram Sancti Geor-

Georgii Ædem ; ad quorum ſimilitudinem alia non pauca ſubinde acceſſere , unde ex Plebe multi adhuc ſibi victum quærunt . Ex iſta Serici copia quænam telæ vetuſtis temporibus fabricarentur in Italia , plura jam dixi in nuper memorata Diſſert. XXV.

Aliquid nunc tantum adferam de Arte Lanæ, quæ Mutinæ quoque magnâ animi contentione olim excolebatur . Uti legitur in Regeſto MSto Civitatis Mutinenſis , Anno MCCCVI. Cives , *qui faciunt & exercent Artem Pignolatorum , Toaliarum , & Stamignolarum in Civitate Mutinæ , qui ſunt in magna quantitate,* petunt ut liceat eis habere peculiarem Maſſarium Artis ſuæ . In Statutis ejuſdem Urbis Anno MCCCXXVII. Lib. 2. Rubric. 17. hæc inſuper leguntur : *Nullus , qui ſit ſcriptus in Arte Bixellorum* (*Bixellum* , nunc *Biſello* , genus eſt panni vulgaris , e craſſo filo contexti , & præcipue in Mutinenſium montibus uſitati) *audeat immiſcere aliquod pilum de bove , vel de capra , vel de aſina , vel de yrco , de capreto , vel de cane , vel lanam de Petegatiis , cum lana de Pecora , vel de Agnellino* &c. Sed ne tibi perſuadeas , ſtetiſſe heic totam Civium ac Mercatorum Mutinenſium induſtriam , in præcedenti Rubric. 16. hæc habentur : *Textores vel textrices panni lanæ , lini , bindæ , Setæ , vel Zendalis , non debeant recipere aliquod filum prædictorum , vel Setam , niſi primo totum fuerit penſatum* &c. Sed potiſſimùm Florentiæ poſt Annum MCC. & uberius quoque poſt MCCC. crevit Ars Serici , ac Lanificii , ita ut complura hominum millia in iis operarentur , & ex ejuſmodi ſtudio ſibi neceſſaria ad vitam conquirerent . Pari etiam æmulatione Mediolanenſes , Bononienſes , Veronenſes , Patavini ſeſe Artibus hiſce addixere , ita ut haberet Italia , unde exteris aliquot regionibus pannos ac telas ſuppeditaret , quæ nunc , ſi paucas Urbes excipias , oblita ſui , atque otio vili corrupta , ab exteris tot indumentorum ſpecies magno emit . Habemus in *l. interdum ff. de Publicanis* , quæ olim *ſpecies pertinerent ad vectigal* . Accipe nunc , quantum vectigalis Mutinæ penderetur Anno MCCCVI. pro mercibus tranſvectis per *Stratam Claudiam* , quam Æmiliam appellaſſe videntur antiqui Romani , *Claudiam* verò aut *Regiam* nos a multis Sæculis conſtantiſſime nuncupamus . Hinc autem agnoſcere incipies , quot genera mercium eo tempore eſſent in uſu . Itaque ad eum Annum in Regeſto MSto Reipublicæ Mutinenſis memorantur : *Soma Setæ laboratæ & non laboratæ . Soma Zaffrani & Braxilis* (nomen hoc animadverte , de quo mihi erit poſt pauca ſermo) . *Soma Pannorum de Mediolano & Como & Florentia , & tutalanis de Bononia* (ideſt e lanâ tantùm confectis) . *Soma lanæ de Cunixe* (lego *Tunixe*, nunc *Tuniſi* in Africa) *& de Buzea* (quæ eſt Afrorum Civitas in Regno Algeriano) . *Soma Pannorum mezalanorum de Bononia , Mantuanorum , Veronenſium , & Brixienſium . Soma Bixillorum , & Agnellinorum tinctorum & non tinctorum . Soma terræ Tinæ , de qua fit auricalchum* . Facta eſt heic mentio *Buzeæ* . Certe olim Saraceni & Arabes , in Coriis parandis ad uſum hominum eminebant , eorumque vim ingentem per Italiam diſtribuebant . Hinc a pluribus Sæculis apud nos ſonant hæc vocabula , *Marochinum* , ideſt corium a Marochii Populis in Africa profectum ; & *Cordovanum* a Saracenis olim Cordubæ in Hiſpania dominantibus elaboratum . Peritiorum erit inquirere , num e Bugia , ſive Bugea Africæ Urbe , quam noſtri *Buzea* appellabant , præter lanas inde delatas , derivari potuerit vox *Bazana* pro *Bugeana* , quaſi ſit pellis vitulina aut ovina confecta a Populis Bugeæ , an ex alia regione , quæ ad nos mittat ejuſmodi pelles . Ego tamen pellium , quas *Bazane* appellamus , potius ab aliquo Oppido , cui nomen ſit *Bazanum* , aut ab alio fonte proceſſiſſe nomen ſuſpicor . Mentionem quoque *Braxilis* nuper inveniſti factam Anno MCCCVI. Quid rei hoc eſt ? Cum hac ipſa Charta conſonat altera , quam nuper attuli ex Archivo Eſtenſi, pacta exhibens inita inter Bononienſes , & Ferrarienſes , ubi enumerantur hæ merces , & quid pro iis pendendum ſit vectigalis , ſtatuitur ; ſcilicet *de omnibus drapis de batilicio , de lume zucarina , de grana de Braſile* . En iterum *Grana de Braſile* in Charta Anno MCXCVIII. ſcripta . Atqui poſt Annum tantummodo MD. vaſtiſſima Regna *Braſilis*, ignota antea , a Luſitanis primum , ac deinde ab Americo Veſpuccio Italo homine procul dubio fuere detecta . Quid eſt ergo , quod *Braſilis* nomen , hoc eſt *ligni Braſiliani* , quo infectores , ſive Tinctores utuntur ad pannos tingendos (nos *Verzino* nunc vocamus) , quid eſt , inquam , quod vel ipſo Sæculo XII. hoc eſt tanto antea lignum & nomen notum Italis fuit ? Nil habet de voce hac eruditiſſimus Du-Cangius , uti nil de *Grana* : quo vocabulo Majores noſtri ſignificarunt , & nos quoque intelligimus *Coccum infectorium* , ſive granum tinctorium , *Grana de Tintori* , quo ſericea ac lanea ſtamina inficiuntur : ejus enim baccæ ſive grana , intus parvis vermiculis ſcatentia ex arbuſculo leguntur . *Optimum* , inquit Dioſcorides , *gignitur in Galatia & Armenia , deinde Aſia & Cilicia : ultimum ex omnibus Hiſpanicum* . Vide in hæc verba commentarium Matthioli , & Salmaſium in Plinianis Exercitationibus pag. 192. 213. & alibi : *Granum Cocci* Plinio memoratur : hinc Italicum *Grana* . Veteres ex aliis etiam locis , utpote ex Africa , Luſitania , Phœnicia &c. *Coccum* adferri ſcribunt : at nemo *Braſilis* nomen interſerit . Thevetus in America meridionali , nunc *Braſile* , a Luſitanis primo inventum hoc lignum memoriæ prodidit . Bauhinus apud veteres nihil de illo occurrere & ipſe teſtatur . Equidem heic hæreo , & ad alia raptus , rem alioquin luce dignam aliis illuſtrandam relinquo . Eorum autem erit decernere , num longe antea quàm *Braſilia* Luſitanis pateret , eadem aliis Populis non ignota fuerit ; atque inde lignum Braſilianum, & Grana Braſilis per Afros mercatores in Italiam transferrentur . Equidem veri ſimilius puto , ingenti illi continenti , quam nunc Braſiliam appellamus , impoſitum fuiſſe nomen *Braſilis*, ex Luſitania , aut ex Italia potius , illuc advectum , quod nempe ibi ingens copia Ligni *Braſilis* deprehenſa fuerit , quo nomine Lignum hoc apud nos antea donabatur . Americus autem Veſpuccius Italus primus fuit , qui vaſtas Braſiliæ oras detexit . Tandem inveſtigandum eis dimitto , quid *Coccus* , *Chermes* , *Blatta* , & *Cochinilla* ex Indiis Occidentalibus ad nos delata , inter ſe conveniant , aut differant . Neque enim his immorari vacat .

Nuper vidimus in Charta pactorum Ferrarienſium recenſitas diverſas mercium ſpecies , quæ olim per Italiam tranſvehebantur . Nunc al-

aliorum monumentorum profero, quod mihi ſuppeditavit Tabularium ſæpe memoratæ Reipublicæ Mutinenſis. Inter Mutinenſes & Lucenſes non raro diſcordiarum germina intercesſerunt. Sed pacificis intercurrentibus Anno MCCLXXXI. *Indictione IX. die Jovis I. intrante Octubri* percuſſa ſunt novi fœderis & concordiæ pacta, inter quæ ſtatutum eſt, quid pedagii ſeu vectigalis perſolvendum eſſet pro mercibus per Mutinenſem agrum tranſducendis. Hæc igitur ibi: *De ſoma qualibet Pannorum ultramontanorum: de ſoma Lanæ ultramontanæ: de ſoma Setæ: de ſoma mercadantiæ & laborerii: de ſoma Pilliżariæ ſilvaticæ: de ſoma rerum ultramontanarum: de ſoma Zafarani: de ſoma argenti in petiis, vel in bonis: de ſoma Granæ* (idest *Braſilis*, ut ſupra): *ſex Solidi Mutinenſes auferantur. Item de ſoma Pannorum de colore laboratorum ultra montes, exceptis Biſantinis: de ſoma Bombacis cujuſcumque conditionis ſint: de ſoma Lanæ Tunicis & Brunæ: de ſoma ceræ: de ſoma telarum: de ſoma diſtillorum, zucbirellorum* (quo nomine *Cannullas* deſignari puto, quæ in Oriente atque in ipſa Sicilia naſcuntur, unde Species Sachari elicitur) *& uvæ paſſæ; quatuor Solidi Mutinenſes auferantur. Item de ſoma Lanæ citramontanæ groſſæ: de ſoma Bruſtorum: de ſoma Agnellinorum tinctorum & non tinctorum: de ſoma Pignolati: de ſoma lini: de ſoma canepina: de ſoma coriorum & pellium: de ſoma Piliżariæ domeſticæ: de ſoma Baratorum* (telam lineam aut canapinam nos eâ voce deſignamus, ex qua conficiuntur mappæ craſſiores ſeu lintea ad abſtergendas manus) *& Pannorum de lino: de ſoma funium: de ſoma Anchalchi* (*Aurichalchum* aliquis facile heic legat. Sed ego immutare nihil audeo. Vide infra.), *Galeti, butiri, ſepi, amigdalarum, pignolorum extractorum de pignis, nizellarum* (nucum Avellanarum, quæ *Nocciuole* communi Linguâ Italicâ nuncupantur) *ficuum de Piſcaria, Romaniola, Marchia, & Apulia: ferri laborati: cujuſlibet metalli laborati; tres Solidi Mutinenſes auferantur. Item de ſoma ferri non laborati, Plumbi, Stagni, Rami, terræ Ymiæ, de qua fit Anchalchum: caſei, foliæ, Valaniæ, gallæ, Pilli, Tozolorum lapetum* (idest lebetum) *de petra, Cuchari Sachari, Synapis, Ruzæ, Cornuum, Saponis tarſii: Setæ, unde fiunt Sedazii: cineris de cetro, guadi, Lunæ rozæ; tres Solidi Mutinenſes auferantur*. Sed juvat integram Chartam proferre, præcipue quod infra in Diſſertatione XLVII. *de amplificata Civitat. Italicar. poteſtat.* hujuſce mentio recurret.

Concordia inita inter Commune Mutinæ ex una parte & Commune Lucæ ex altera, Anno 1281.

IN *Chriſti nomine. Milleſimo Ducenteſimo Octuageſimo Primo, Indictione IX. die Jovis primo, intrante Octubri. Multæ diſcordiæ, litigia & controverſiæ erant, & longo tempore ſteterant inter Commune Lucæ & ſingulares perſonas & Univerſitates Civitatis & diſtrictus & Epiſcopatus Lucenſis Communis ex una parte, & Commune Mutinæ & ſingulares perſonas Civitatis & diſtrictus & Epiſcopatus ex altera parte, tam propter robarias, quæ factæ dicebantur in diſtrictu cujuſque prædictorum Communium, quàm propter repreſalias hinc inde conceſſas, & propter pedagia utriuſque Civitatis & Diſtrictus & Epiſcopatus cujuſque prædictorum Communium, quæ petebantur hinc inde debere certificari, & de Stratis aſecurandis per utrumque Commune. Propter quæ omnia pro bono pacis & concordiæ inducendæ & manutenendæ inter prædicta Communia & ſingulares perſonas & Univerſitates prædictorum Communium & diſtrictuum & Epiſcopatuum eorumdem, & ut omnis materia ſcandali, diſcordiarum & litium inter prædictas partes omnino tollatur:* Dominus Girardus Nocis nobilis Civitatis Lucanæ Mercator & Syndicus Lucani Communis & Mercadantiæ Civitatis Lucanæ pro dicto Communi & Mercadantia *prædicta & pro omnibus & ſingulis perſonis & Univerſitatibus Civitatis Lucæ & diſtrictus & Epiſcopatus ipſius ex una parte, &* Manfredinus de Zeza Bannitor Communis Mutinæ & Syndicus Communis Mutinæ & Mercadantiæ Civitatis Mutinæ, pro dicto Communi & Mercadantia, *& pro omnibus & ſingulis perſonis & Univerſitatibus Civitatis Mutinæ & diſtrictus & Epiſcopatus ipſius ex altera parte, in tali fuerunt conventione & pacto & concordia: videlicet, quod dictus Dominus Girardus Syndicus Communis Lucani, & pro prædicto Communi, præſente & inſtante prædicto Syndico Communis Mutinæ, confirmavit & approbavit ſolemniter omnia & ſingula capitula, quæ proviſa & firmata fuerunt per* Dominum Philippum de Occulis & Bonaventuram de Spezano Conſules Mercatorum Civitatis Mutinæ, & per Mercatores ad hoc electos ex auctoritate & bailia eis conceſſa per Conſilium Mercatorum Civitatis Mutinæ, *quibus conceſſa fuit auctoritas & bailia per Conſilium generale Populi Civitatis Mutinæ, præſentibus Ambaxatoribus Lucani Communis, videlicet prædicto Domino Girardo Nocis, & Domino Aldovrando Mageze, & ſcripta fuerunt per Dominum Nicolaum de Brunecta Notarium. Et inſuper prædicti Syndici ambo vice & nomine prædictorum Communium, perſonarum & Univerſitatum, ut dictum eſt ſupra, in communi fuerunt concordia, quod per Commune Mutinæ Canale ſive Navigium Mutinæ aſecurari debeat per ipſum Commune Mutinæ & ſecurum teneri uſque ad Foveas de Rufalcazo, qui locus eſt inter Finale & Bondenum: ſalvo quod per hoc non præjudicetur juri ſeu juriſdictioni, quod Commune Mutinæ habet vel habere poſſet ultra dictas Foveas versùs Bondenum & Ferrariam. Et Commune Finalis tempore, quo oportuerit, teneatur & debeat dare* Mercatoribus Lucæ *pro eorum ſecuritate tanſam ad petitionem ipſorum Mercatorum a Finali uſque ad Bondenum cum Burclello uno & pluribus ſecundùm voluntatem Mercatorum, & cum hominibus armatis, habendo a dictis Mercatoribus pro Burclello tres Solidos Mutinæ, & pro quolibet homine duos Solidos Mutinæ. Et a Civitate aſecurari debeat per Commune Mutinæ caminum ſive Strata recta a Civitate versùs Bononiam, & a Civitate versùs Fregnanum per totam fortiam & diſtrictum & territorium Mutinæ; & a Mutina*

ver-

versùs Tuſciam Stracta ſive caminum, quod vadit per Fregnanum a Zovo Alpis versùs Mutinam, uſque ad Civitatem Mutinæ, & per ipſam Civitatem; & Strata quæ vadit per territorium de Fraxinorio ab Hoſpitali Sancti Peregrini versùs Civitatem Mutinæ *uſque ad Civitatem Mutinæ, & per ipſam Civitatem, aſecurari debeat, & ſecura teneri per Commune Mutinæ. Et e converſo per Commune Lucanum aſſecurari debeat, & ſecura teneri Strata ſive caminum a prædictis locis, videlicet* a Zovo Alpis, & Hoſpitali Sancti Peregrini versùs Lucam *ad Civitatem Lucæ, & per ipſam Civitatem, & a Civitate Lucæ, & per totam fortiam & diſtrictum & territorium Civitatis Lucæ versùs Piſtorium, & versùs Piſas, & versùs Florentiam, & versùs Lunixanam per rectas Stractas.*

Item quod omnes repreſſaliæ, & inſtrumenta repreſſaliarum datarum & conceſſarum uſque nunc per utrumque Commune vel ſpeciales perſonas utriuſque Communis, vel per alterum ipſorum Communium, ſeu per Communia Garfagnanæ vel alia diſtrictus & fortiæ prædictorum Communium, vel alterum eorum contra aliquas perſonas alterius prædictorum Communium, & eorum diſtrictus & fortiæ, ſint caſſæ & vanæ & nullius valoris, non obſtante quod in Capitulis ſeu pactis factis inter utrumque Commune, tempore Domini Jacopi Baſoli, de quibus fit mentio in Capitulis prædictis ſcriptis mánu dicti Domini Nicolai Notarii continetur. Item quod ſi contigerit, quod abſit, robariam aliquam fieri vel damnum dari in diſtrictu & territorio alicujus prædictorum Communium contra aliquas perſonas diſtrictus, territorii, ſive forciæ alterius Communis, Commune illius Civitatis, in cujus diſtrictu, territorio ſive forciá, robaria facta fuerit, vel dampnum datum fuerit, teneatur dictam robariam ſive dampnum emendare ſive emendari facere infra viginti dies poſtquam conſtiterit de robaria & damno, facta fide de robaria & dampno prædicto, ſine ſolemnitate & ordine juris, ſummarie, & ſine aliqua litis ordinatione. Item quod infraſcripta pedagia ſolummodo & non alia colligi debeant in Civitate & diſtrictu ſeu fortia cujuſque prædictorum Communium: & quod ipſa pedagia, quæ inferius denotantur, nullá ratione poſſint augeri, nec aliqua alia poſſint de novo conſtitui, nec aliquid fieri in fraudem prædictorum. Quæ pedagia ſunt iſta: videlicet in Civitate Mutinæ ſolvi debeant, de ſoma qualibet pannorum ultramontanorum: de ſoma lanæ ultramontanæ: de ſoma Setæ: de ſoma mercadantiæ & laborerii Setæ: de ſoma Pillizariæ ſalvaticæ: de ſoma rerum ultramontanarum: de ſoma Zafarani: de ſoma argenti in pecis vel in bono: de ſoma granæ, ſex Solidi Mutinenſes auferantur. Item de ſoma pannorum de colore laboratorum citra montes exceptis bixaninis: de ſoma bambacis, cujuſcumque conditionis ſit: de ſoma lanæ Tunizis & Buzeæ: de ſoma Ceræ: de ſoma telarum; de ſoma Datilorum, Zachirelorum, & Uvæ paſſæ, quatuor Solidi Mutinenſes auferantur. Item de ſoma lanæ citramontanæ groſſæ: de ſoma bixetorum: de ſoma Agnellinorum tinctorum & non tinctorum: de ſoma Pignolati: de ſoma lini: de ſoma Canepenæ: de ſoma cariorum & pellium: de ſoma Pillizariæ domeſticæ: de ſoma boraziorum, & pannorum de lino: de ſoma funium: de ſoma anchalchi: de ſoma Galecti: de ſoma butiri: de ſoma ſepi: de ſoma amigdalarum: de ſoma pignolorum extractorum de pignis. De ſoma Nizollarum:

A de ſoma ficûm de Piſcaria Romaniola, Marchia, & Apulia: de ſoma ferri laborati: de ſoma cujuslibet rei nominatæ ſupra & infra tantumdem accipiatur, ferri non laborati, Plumbi, Stagni, Rammi, Terræ Ymiæ, de qua fit anchalchum, Caſei, Foliæ, Valaniæ, Gallæ, Pilli, tres Solidi Mutinenſes auferantur. Tozzorum, Lapetum de petra, Cucharum Sacharum, Synapis, Ruzæ, Cornuum, Saponis, Tarſii, Setæ, unde fiunt Sedazii, Cineris de cetro, Guadi, Lumæ rozæ, de ſoma tres Solidi Mutinenſes auferantur. Item pro quolibet equo venali de armis, & qualibet equa cum puletro tres Solidi Mutinenſes, qui puletrus ſit de ſovranno. Item de quolibet ron-
B cino, aſino, aſina venali, mulo vel mula, duodecim Denarii Mutinæ. De aliis Mercationibus autem ſolvatur pedagium in Statuto Communis vel Populi comprehenſum.

In diſtrictu autem ſive fortia Communis Mutinæ ſolvi debeant in terra Fraxinorii ſive Monaſterio illis, qui habere debent pedagium, tres Solidi Mutinenſes pro qualibet Soma, quæ conduceretur per dictam Stratam. In Fregnano autem ſolvi debeant ad Plebem de Pelago pro qualibet ſoma, quæ conducetur per dictam Stratam, ſi fuerit de majori ſoma, quinque Solidi Mutinenſes: ſi autem fuerit de aliis, tres Solidi Mutinenſes pro qualibet ſoma. Et intelligatur major ſoma illa, de qua ſolvi debent in Ci-
C *vitate Mutinæ ſex Solidi Mutinenſes. Quod pedagium, quod colligitur ad dictam Plebem, habere debeant illi Capitanei de Fregnano, qui habent jus percipiendi dictum pedagium, ſi ipſi bonos dederint fidejuſſores de ſecurando dictam Stratam, & dictam Stratam ſecuraverint, & ſecuram tenuerint a Zovo Alpis uſque ad Balugulam, eorum periculo & fortuna: alioquin Commune Mutinæ dictum pedagium habere & percipere debeat. Pedagia verò, quæ conſueverunt colligi in terra Montisbonelli, & in terra Balugulæ, vel in aliquo dictorum locorum per Epiſcopum ſeu per Epiſcopatum Mutinæ, vel alium ſeu alios ſolvantur, ſicut & cui, vel quibus conſuevit vel debet de jure. Et in Civi-*
D *tate Lucæ & ejus diſtrictu & fortia ſolvi debeant infraſcripta pedagia, videlicet de Ferro, intratæ Lucani Communis, Denarii duo per Libram, quocumque portaretur. Et de Bixellis & Albaxetis, qui portarentur versùs Piſas Denarii duo pro qualibet Libra intratæ prædictæ. Item Doanæ Lucani Communis de omnibus mercadanciis & rebus, quæ portarentur versùs Piſas, vel quæ mitterentur in Civitatem Lucæ, vel extraherentur versùs Piſas, ſolvantur & ſolvi debeant Denarii XXVI. denariorum Lucenſium parvorum. Item de omnibus mercadanciis, quæ reducerentur de Civitate Piſana in Civitatem Lucæ vel in ſua fortia, ſolvantur & ſolvi debeant Doanæ prædictæ Denarii XIII.*
E *denariorum Lucenſium parvorum: & eodem modo ſi mitterentur, vel extraherentur de Civitate Lucæ. Item per Lucanum Epiſcopum, ſive pro Lucano Epiſcopatu apud Morianum ſolvantur & ſolvi debeant de majori ſoma Denarii XVI. & de minori & mediocri Denarii VIII. Et apud Decimum ſolvantur & ſolvi debeant pro qualibet ſoma majori, mediocri & minori ad dictam rationem medietates prædictarum ſomarum Denarii XII. & Denarii VIII. Item in Garfagnana Nobilibus & Potentibus de Garfagnana, quibus ſolvi debent pedagia in utroque Vicariato pro qualibet ſoma ſolvantur & ſolvi debeant Solidi tres, ſalvo ſi minus eis competit. Et Vicarius cujuſ-*

cumque Vicarius Garfagnanæ, qui eidem præponetur pro Communi Lucæ in qualibet Vicaria, cumque ipſorum Vicariorum ſolvantur & ſolvi debeant pro qualibet ſoma Denarii XII. denariorum Lucenſium parvorum. Item in præſentia de dictis Nebulæ quibuſlibet de Buiano apud Buianum pro qualibet ſoma Denarii XXVI. Et apud Montem Carulum quibuſlibet de Monte Carulo Denarii XXVI. pro qualibet ſoma. Quæ omnia ſupradicta & ſingula & omnia & ſingula Capitula ſcripta manu prænominati Notarii Domini Nicolai de Bruncolla Notarii, de quibus ſuperius facta eſt mentio, & omnia & ſingula, quæ in dictis capitulis continentur, prædicti Syndici pro prædictis Communibus, perſonis, & Univerſitatibus, ut dictum eſt, confirmaverunt, & ſolemniter approbaverunt, & jure tranſactionis & pacti inter ſe ad invicem ſolempni ſtipulatione promiſerunt attendere & obſervare bona & ſana intellectu, & in nullo contrafacere directo vel per obliquum, vel per ſe, per alios ſub obligatione bonorum omnium prædictorum Communium, & ſub pœna ſolempniter ſtipulata mille Librarum Imperialium, quæ pœna committatur & exigi poſſit cum effectu contra partem non obſervantem, quoties in aliquo capitulo fuerit contrafactum, obligatione pœnæ, & omnibus ſupraſcriptis & ſingulis firmis manentibus etiam poſt pœnam ſolutam & commiſſam. In quibus omnibus ſupraſcriptis & ſingulis prædicti Syndici pro prædictis Communibus, perſonis & Univerſitatibus, ut dictum eſt, per pactum expreſſum renunciaverunt exceptioni & actioni doli mali & in factum conditioni, ſine cauſa vel ex injuſta cauſa, & omnibus aliis exceptionibus, juribus & rationibus competentibus & competituris, quibus venire poſſent contra prædicta vel aliquod prædictorum. Et quod dictus Dominus Gerardus Notus & Syndicus dicti Communis & mercadantiæ Lucæ ad prædicta facienda apparet in Inſtrumento publicato & confirmato per Jacobum Ubaldi Imperialis Aulæ Judicem ordinarium & Notarium, & Lucani Communis Cancellarium. Et quod dictus Manfredinus ſit Syndicus dicti Communis Mutinæ ad prædicta facienda, apparet in Inſtrumento a me Notario ſcripto. Quæ omnia & ſingula ſupraſcripta, & alia ſupradicta Capitula ſcripta per dictum Dominum Nicolaum, ſcribi & poni debeant in Statuto Communis Mutinæ & Communis Lucæ & pro ut ſtant, debeant obſervari, & inſuper regiſtrentur per utrumque Commune.

Quæ omnia acta & publicata fuerunt ſolempniter in Palatio Communis in Camera, ubi congregantur Viginti quatuor Populi defenſores, coram Dominis Guillielmino de Rubeis Poteſtate, Ramberto de Bazalleriis Capitaneo Communis & Populi Mutinæ, Petro Magno, Raynerio Ugonis Militibus Poteſtatis: præſentibus teſtibus & rogatis Dominis Philippo de Occulis, Mutinenſe Bruno Bartolapeo de Rabuſatis, Bartolameo de Petrezanis, Rolandino de Bayſio, Gibertino Oriendæ, Guidono Pelenca, & aliis multis.

Ego Mutinenſis quondam Fratris Valentini filius, Notarius ad Conſilia & literas deputatus ſcripſi.

Habemus heic non contemnendam ſeriem præcipuarum Mercium, quæ Anno MCCLXXXI. per Italicas Civitates diſtribuebantur. Minutiores ſpecies horum generum exquirere & indicare ulterius ſuperfluum puto: neque enim Hiſtoriam Mercaturæ mihi ſcribendam propoſui, ſed tantummodo illius umbram legenti exhibere. Quare mihi ſat erit hanc unam ſuperaddere Chartam, quam ex antiquo Regeſto MSto Reipublicæ Mutinenſis excerpſi, utpote quod ibi enumerentur peculiaria quædam Mercium capita.

Petitio Laxati Mutinenſis Mercatoris a Bonizo Syndico Bondeni Ferrarienſis pro quibuſdam mercibus ſibi in agro Bondeni ablatis, Anno 1227.

ANno Domini Milleſimo Ducenteſimo Vigeſimo Septimo: tempore Gregorii Papæ & Federici Imperatoris; die XIII. exeunte Menſe Junii, Indictione Quintadecima: in Palatio Communis Ferrariæ. Ego Guido Capitaneus, Judex & Aſſeſſor Domini Ugonis de Ugone Rubeo Ferrariæ Poteſtatis, cognoſcens ſuper petitione Laxati Mutinenſis, quæ petitio talis erat. Petivit namque dictus Laxatus Mutinenſis a Bonizo Sindico Bondeni pro ipſo Communi, ſibi reſtitui quatuor centenaria Piguolati, & quatuor Libras Setæ, & tres Libras Ravennatum, & duodecim Venetianos groſſos, & unam Zenturam argenti, cum una burſa Setæ, in qua erat duodecim Imperiales, & decem Solidos Ferrarienſes, qui erant in uno ſachetto, & unum Mantellum zendati zani, copertum de ſtanforte brano, & duas Pelles de ſtanchis copertas de virde, & unum guarnimentum de ſeta, & duas ſlubetas auri, & tres anulos, & quatuor bindas ſetæ, & de lino novas, & unum Gonellum de morelo, & duas dozenas de burſis laboratis de ſeta, & quatuor libras de bambaxino de Luca, duas libras filatas, & duas non filatas, & duas caſas (hoc eſt capſas *), una quarum erat plena filati ſubtili mixto cum ſeta, alia plena de filato, & lino, & unam Cultram, & quatuor linteamina, & viginti brachia panni de lino, & unum Sotanum, & duas Camiſias, & duas Serabulas, & unam cazetam novam de Luca, & duas pelles Agnelli, & unum Cultrum, & quadraginta Solidos Ferrarienſes, & plures alias &c. ſibi ablatas per vim inter Pontem Ducis & Bondenum juxta Palladam Cambioli in diſtrictu Bondeni, ſive territorio Communis Ferrariæ. Unde prædicta petit ſibi a dicto Sindico reſtitui vel emendari pro ſuo Communi ſecundùm formam Statuti, & bonam conſuetudinem Civitatis Ferrariæ. Et contra dictus Bonizus Sindicus reſpondit, quod non credebat, dictum Laxatum res predictas amiſiſſe, neque per vim ei ablatas in dicto loco fuiſſe. Et ſi conſtaret, quod ei ablate fuiſſent dicte res in predicto loco, dicebat, locum Palladum Canbioli non eſſe de Diſtrictu Bondeni, neque de ejus territorio, ſive guarda, neque unquam fuiſſe &c.*

Guido Judex & Aſſeſſor Hugonis de Hugone Rubeo Ferrariæ Poteſtatis pro Syndico Bondeni ſententiam tulit. Quam quum Laxatus iniquam reputaret, querelam ſuam depoſuit apud Prætorem Mutinenſem, ut ſibi meliorem juſti-

juſtitiæ menſuram per ejus officia conquireret, aut per *Rappreſalias* procuraret. Ceterum tantum olim lucri quædam Italiæ Civitates, & maritimæ præſertim, ex Mercaturæ ſtudio, ac *Artibus Serici* & *Lanæ* referebant, ut inde earum opes atque potentia mirum in modum creverint. Veneti in primis, qui antiquitus ante alios in mercando ſedulam operam poſuere, ſuaſque naves in otio marceſcere numquam ſinebant, inter cetera *Aromatum* commercium veluti ſuum effecere. Nam quum Romanis etiam imperantibus per Erytrheum mare aut per Regnum Perſiæ in Ægyptum immenſa mercium copia ex Orientali India adveheretur, Veneti Alexandriam ſtatis anni temporibus navigantes, illinc Aromata præcipue deportabant, quæ poſtea in reliquas fere Occidentis regiones diſtribuenda ferebantur. Amalphitani quoque, Genuenſes, & Piſani, Venetorum diligentiam æmulati, commercium frequentiſſimum in Oriente inſtituerunt. Sed æmulatio brevì odia, inimicitias, ac bella peperit, in quibus Piſana Reſpublica tamdem ſuccubuit, Amalphitanis diu antea graviora detrimenta paſſis. Plurimùm quoque contulit ad augendas iſtarum Urbium vires ac divitias celeberrima Chriſtianorum expeditio, quæ ſub finem Sæculi XI. ſuſcepta eſt ad recuperandam Hieroſolymam, aliaſque Civitates e Saracenorum manibus, ac deinde per duo ferme Sæcula continuata eſt. Tunc innumeri Cruceſignati ex univerſa Europa collecti in Orientem profecti ſunt, plerique maritimum iter terreſtri præferentes. Veneti ergo, Genuenſes, & Piſani præſto erant ſuis navibus, & ex naulo immanem auri ac argenti vim congerebant. Ad hæc reliquis Chriſtianis arma ſua conjunxere contra impiam Saracenorum gentem, neque ſolum prædas & ſpolia opima domum retulere, ſed etiam jura permulta, immo terras quoque, Caſtra & Urbes in Oriente ſibi conquiſierunt: e quibus magnum deinde acceſſit commodum ad amplificanda mercaturæ negotia. Non injocundum fortaſſe Lectoribus erit nonnulla accipere, quæ in hanc rem Piſana potiſſimum Civitas mihi ſuppeditavit. Venetorum, & Genuenſium progreſſus in Oriente Lector habet in Annalibus Danduli, & Caffari a me editis in Rerum Italicarum Collectione. Nunc accipe nonnulla ad Piſanam Rempublicam ſpectantia. In Archivis Primatialis Eccleſiæ, atque Operæ Piſanæ, aliquot Chartas ego olim vidi, quas ad illuſtrandam Orientalem Chriſtianorum Hiſtoriam non inutiles duxi. Et primò geminas proferam pertinentes ad celeberrimum virum Tancredum Principem Antiochenum, qui Anno Chriſti MCVIII. in ditione illa ſucceſſit Boamundo conſobrino ſuo e vivis erepto. Quid cum eo pacti fuerint Piſani, hinc diſces.

Tancredi Principis Antiocheni Charta, qua Piſanis pollicetur locum in Urbe Laodicea, & Vicum unum in Civitate Antiochiæ concedit, Anno 1108.

IN *nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Dei æterni. Anno ab Incarnatione ejuſdem Milleſimo Centeſimo Octavo, Indictione I. Epacta vero VI.* Tancredus *Dei gratia* Antiochenus Princeps *fecit convenientiam & pactum Piſanis, pro auxilio quod ei fecerint ad devincendos Grecos Laodicie. Si Deus aliquomodo dederit ei Civitatem, dare & conſervare libere & ſine aliquo jure Voltas Podromi ab uno capite uſque ad aliut ſuperius & inferius, ſuperius ad Sanctum Nicholaum cum eodem, inferius uſque ad litus maris, & uſque ad Puteum ferreum, cum omnibus ſuis pertinentiis. Videlicet Vicum Sancti Salvatoris undique: ſuper hæc enim omnimodam libertatem totius ſue terre portuum cum diligentia & gratiſſimo honore. Laudante & confirmante B. Antiochiæ Patriarcha, ſimul laudantibus Archiepiſcopis, R. ſcilicet Eccleſiæ Tarſenſis, R. Eccleſiæ Mamiſtenſis, T. Sancti Pauli Abbate, & teſtimonio Baronum horum, ſcilicet R. Fulconis filii, & Engellerii, & R. Sancti Laudi.*

Ejuſdem Tancredi Principis Antiocheni Charta, qua Piſanis Vicum unum in Civitate Laodiceæ, eorumque navibus immunitatem ac libertatem concedit, Anno 1108.

TAncredus *gratia Dei* Princeps Antiochenus *omnibus orientalibus Chriſtianis filiis in Chriſto ſalutem. Milleſimo Centeſimo Octavo ab Incarnatione Domini Anno, Indictione I. Epacta vero VI. Tancredus Dux & Princeps Antiochenus, qui tunc Orientali Deo favente dominabatur regioni, pro auxilio atque conſilio, quod fecerant ei Piſani ad devincendos Laodicie Grecos, qui contra Dei juſtitiam dominium ſupradicte Civitatis vi & rapina injuſte ſibi ſubjugaverant, dedit eiſdem ſcilicet Piſanis in predicta Civitate Vicum unum cum omni honore & libertate. Eodem autem modo navibus & Galeis ſuis, ut libere ſtare in portu Laodicie, & quando vellent, ab ipſo ſine aliquo munere ac conſuetudine poſſent exire & intrare . . . . ſupradicta ratione Vicum unum tribuit: ſuper hec enim omnimodam libertatem totius ſue terre portuum cum diligentia & gratiſſimo honore. Hæc Carta confirmatur teſtimonio B. Patriarchæ Antiochie, & R. Archiepiſcopi Eccleſie Tharſenſis, & R. Archiepiſcopi Eccleſie Mamiſtenſis, & T. Sancti Pauli Abbatis, & teſtimonio Baronum Domni Tancredi, horum ſcilicet R. Fulconis filii, & Engellerii, & R. Sancti Laudi.*

Quot conſilia animo verſaret Amalricus Hieroſolymorum Rex, & quantâ ſpei aurâ ſibi blandiretur Anno MCLXIX. contra Saracenos exercitum parans, ſubſequens Charta nos edocebit, in qua videas *negotiationi* ſuæ Piſanos probe intentos dum Regi ſe in ea expeditione adfuturos pollicentur.

Amalricus Hieroſolymorum Rex multa jura, commoda, ac proventus Piſano Populo pollicetur, Anno 1169.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus Sancti, Amen. Notum ſit omnibus, quod ego Amalricus per Dei gratiam in ſancta Civitate Hieruſalem Latinorum Rex Quintus dono, concedo, & confirmo Communi Piſanorum libertatem de omni jure negotiationis per totam terram, quam mihi Deus dederit in Egypto; & Curiam in Babilonia, & Eccleſiam, domum, furnum, molendinum, & balnea juxta fundam Mercatorum. Similiter apud Cahiram in platea Belbeiensi concedo ei Curiam, Eccleſiam, domum, furnum, molendinum, & balnea. Similiter apud Raſſit hæc omnia ei concedo. Concedo præterea ei mille Biſantios in fundis meis, ſive in Babilonia, ſive in Caharia, ſingulis annis ſine ſervitio, quandoque de omnimodo jure negotiationis ipſum Commune acquietavero in Alexandria, & Damiata, & Tannis. Ut igitur hæc mea donatio Communi Piſarum in ſempiternum ſtabilis permaneat, Cartam præſentem teſtibus ſubſcriptis, & Sigillo meo corroboro.

Factum eſt hoc Anno ab Incarnatione Domini MCLXVIIII. Indictione II. Hujus rei teſtes ſunt Bernardus Liddenſis, Guillielmus Acconenſis Epiſcopi, Philippus Militiæ Templi Magiſter, Gilbertus Magiſter Hoſpitalis, Galterius Princeps Galileæ, Hemfrid Conſtabularius, Milo Dapifer, Guillielmus Mareſcalcus, Gaufridus Tortus.

Datum Accon per manum Radulfi Epiſcopi Bethleem, Regiſque Cancellarii, XVI. Kalendas Octobris.

Ego Albertus Domini Frederici Romanorum Imperatoris Judex ordinarius & Notarius, authenticum hujus vidi & legi, & fideliter exemplavi.

Soliciti pariter fuere Piſani, ut ſibi immunitates & privilegia varia largiretur Boamundus III Princeps Antiochenus, uti conſtabit ex ejus Diplomate, quod itidem Piſis exſiſtit.

Privilegium Boamundi III. Principis Antiochiæ, Raimundi Principis filii, & Dominæ Urgolloſæ Principiſſæ uxoris ejuſdem, conceſſum Archiepiſcopo & Populo Piſano, Anno 1170.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus Sancti. Amen. Notum ſit omnibus hominibus tam præſentibus quam futuris, quod ego Boamundus Raimundi Principis filius, Dei gratia Princeps Antiochenus, aſſenſu & voluntate Dominæ Urgolloſæ uxoris meæ kariſſimæ Principiſſæ, dono & concedo, & jure perhenni confirmo Eccleſiæ Sanctæ Mariæ, & Archiepiſcopo Piſanæ Civitatis, Conſulibus ac Senatoribus & Communi Populo, tam in Piſana provincia, quam in noſtra manenti, quandam terram ad conſtruendam domum in portu Civitatis Laodiciæ. Quæ terra extenditur ſubtus Eccleſiam Sancti Helyæ, ſcilicet ante domum Templi, & domum Magiſtri Hugonis, uſque ad mare quod contra eſt, & extenditur per litus maris uſque ad quandam turrim & murum antiquum, & in ſuperiori parte uſque ad foſſatum. Sciendum eſt autem, quod ſi prædicti Piſani judicio Curiæ terram illam recipere poſſent, quam in prædicto Portu Hugo Enbriacus filius Willelmi poſſidet, terra, quam ſuperius illis dedi, in meis propriis uſibus redibit. Inſuper dono illis, firmo, & concedo domum quandam in Civitate Antiochiæ, quæ domus fuit Domini Odonis de Cyro. Hæc quidem omnia ſuperius aſſignata dono ego illis & concedo jure hereditario habenda in pace & ſine calumnia aliqua, libere & quiete (ſalvo tamen hominum meorum jure) in perpetuum poſſidenda. Præterea ſi in terra mea naufragium paſſi fuerint, illos & res eorum ſalvabo & protegam. Et ſi quiſpiam illorum in terra mea obierit, res ejus parentibus ſuis reſervari faciam, niſi inteſtatus obierit. Inſuper eiſdem dono & dimitto per totam terram meam, de quibuſcumque partibus venerint, medietatem totius juris, quod per conſuetudinem intrando vel exeundo, eundo vel redeundo, emendo vel vendendo, dare ſoliti ſunt; & eos in mare & in terra mea ex omni poſſe meo protegam & defendam. Et ſi inter ſe querelam habuerint, in Curia ſua juxta Statuta eorum tractetur & emendetur. Si vero querela talis fuerit, quæ ab eiſdem difiniri non poſſit, vel de probato furto, vel proditione, vel homicidio, vel de ſuis & meis hominibus fuerit, in mea Curia audietur & diffinietur. Hæc quidem omnia ſuperius aſſignata dono eis & concedo jure hereditario in perpetuum. Ut autem hoc donum firmum fiat, ſtabileque conſiſtat, literarum inſcriptione, & mei Principalis Sigilli impreſſione munio & confirmo. Hujus rei teſtes ſunt Guiſcardus de Inſula Vicecomeſtabulus, Rogerius de Surdavalle, Willelmus de Lobiis, Guafridus de Dordan, Johannes de Salga, Guiſcardus de Nazarche, Henricus de Lorges.

Datum eſt autem Privilegium iſtud per manum Bernardi Cancellarii, Anno Principatus mei VII. & ab Incarnatione Domini Milleſimo Centeſimo Septuageſimo.

Quid etiam Balduinus IV. Hieroſolymorum Rex Piſano Populo conceſſerit, ſubſequens Charta indicabit.

Di-

Diploma Balduini IV. Hieroſolymorum Regis, quo Piſanis plateam quamdam donat in Civitate Achon ſive Ptolemaide, Anno 1182.

A

IN nomine Sante & individue Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus Santi, Amen. Notum ſit omnibus tam futuris quam preſentibus, quod ego Balduinus, *per Dei gratiam* in Santa Civitate Jeruſalem Latinorum Rex Sextus, *dono & concedo Communitati Piſanorum libere & ſine ſervitio quandam Plateam ad portum Achon: caput cujus plateæ eſt unum a via publica, aliud a portu, latus unum a domo Martini Piperis, aliud a domo* Willelmi *Joppenſis. Tali quidem tenore, quod ſuper eandem plateam voltas facere poſſint, & ſuper eaſdem voltas qualecumque voluerint edificium, ſub voltis Platea vacua & libera remanente in Communi Piſanorum & Civitatis ſervitium. Et ut hujus donationis & conceſſionis mee pagina rata teneatur in eternum & indiſſoluta, preſentem Cartam teſtibus ſubſcriptis, & Sigillo meo muniri precepi.*

B

Factum eſt hoc Anno ab Incarnatione Domini MCLXXXII. Indictione XV. Hujus rei teſtes ſunt Remundus Tripolitanus Comes, Guido Joppenſis & Aſcalonenſis Comes, Comes Joſcelin. Princeps, Rainaldus, Armericus Conſtabularius, Hugo Tiberiadenſis Plebanus.

Data Achon per manum Willelmi *Tirii Arehiepiſcopi, Regiſque Cancellarii, Octavo Kalendas Septembris.*

Ego Benincaſa quondam Leonardi Caſcinenſis filius, Domini Frederigi invictiſſimi Romanorum Imperatoris Judex & Notarius, autenticum hujus vidi, legi, & obſcultavi Accon in Eccleſia Sancti Petri Piſanorum, preſentibus Roberto Tonnuli, Gontulino de Ponte Ugolino Notario quondam Bandini, & aliis teſtibus ad hoc; Dominice Incarnationis Anno, ſecundùm curſum Piſanorum, Milleſimo Ducenteſimo Quadrageſimo Nono, Indictione Sexta, Pridie Kalendas Aprilis. Ideoque, prout inveni in originali, munito Sigillo plumbeo pendenti, in quo ab uno latere erat impreſſa quedam Civitas, circumdata his literis ✠ CIVITAS REGIS REGUM OMNIUM, *& ab alio quædam imago cujuſdam Regis coronati ſedentis in Regali Sede, & tenentis in manu dextra quamdam Crucem, & in ſiniſtra quamdam pallam rotundam cum parvâ Cruce, circumdata his literis* ✠ BALDUINUS DEI GRATIA REX JERUSALEM. *Non viciato non cancellato, non abolito, nec in aliqua ſui parte raſo, ita per ordinem de verbo ad verbum nihil addens neque minuens, de mandato nobilis viri Domini Guidonis de Sancto Caſſiano quondam Galli, Conſulis Communis Piſanorum Accon, & totius Syriæ, tranſumpſi, & in publicam formam redegi.*

Tripolitanus quoque Comes munificum ſe erga eoſdem Piſanos exhibuit, immunitatem cunctis eorum *mercimoniis* terrâ marique largitus

Ampliſſima immunitas, aliaque jura Piſanis conceſſa a Raymundo Comite Tripolitano, Anno 1187.

C

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus. Notum fieri volumus tam preſentibus quam futuris per preſentis inſtrumenti Privilegium, quod ego Raimundus *Dei gratia* Tripolis Comes, *cum fideli & ſumma benevolentia, & amore ductus ſpeciali, dono, laudo, & concedo, concedendoque libens confirmo Piſanis omnibus, & etiam illis univerſis hominibus, quicumque Piſæ Civitatis honorem juraverint, extra Terram meam, & cunctis meis hominibus exceptis, quod in Civitate mea Tripoli, & per totam terram meam propriam, hereditario jure ſtabili* talem perpetuis temporibus habeant libertatem, quod habeant poteſtatem intromittendi, & extrahendi in ipſam Tripolim, & in totam terram meam, quæ eſt Domini mei, *ſicut prædiximus*, omnes ſuas res, & ſua cuncta mercimonia, terrâ & mari, *libere & quiete, ſic quod nullum jus unquam nullam prorſus inde donent conſuetudinem. Sed & preter hec & amplius illis adhuc dono & concedo, videlicet quod in ipſa Civitate mea Tripoli Curiam ſuam habeant pleniſſime de omnibus cauſis, excepto omicidio & traditione. Ut igitur hoc donum meum ratum ſemper conſervetur & inconcuſſum ſemper, preſens Privilegium plumbeo Sigillo meo munitum, & ſubſcriptorum teſtimonio virorum ipſum confirmari volui & precepi: videlicet Raimundi de Biblio, Hugonis de Biblio, Raimundi de Nephuns, Aſtafortis Ejadi, Guillelmi Porceleti, Joannis Manſcalci, Girardi Vicecomitis, Dalmacii de Vabiam, Saiſii, Raimundi Conſtantini, Johannis de Moneta, Philippi Velocis, Bandini Beci, Guillielmi Catalani, Guillielmi Firmini, Francardi....... Matthei Cancellarii, cujus manu datum eſt Anno Domini noſtri Jeſu Chriſti Milleno Centeno Octuageno Septimo, Menſe Auguſto.*

Subſcriptum per Dominum Benincaſam quondam Leonardi Caſcinenſis filium, Domini Frederici invictiſſimi Romanorum Imperatoris Judicem & Notarium.

D

Erat in Civitate Tyri *Societas Umiliorum*, hoc eſt Mercatorum quorumdam Piſanorum, qui negotii cauſsâ illic verſabantur. Similes Mercatorum Societates, Florentiæ præſertim inſtitutas, Johannes Villanius in Hiſtoriis ſuis commemorat. Quum Tyrum graviſſimâ ac diuturnâ obſidione Saladinus preſſiſſet, quantis potuere viribus & opibus aſtitere Piſani illi Conrado celeberrimo Guilielmi Marchionis Montiſferratenſis filio, qui incredibili virtute Urbem tutatus eſt, vir ſummis laudibus propter hæc & alia geſta cumulatus a Sicardo Epiſcopo Cremonenſi, & a Bernardo Theſaurario in Chronicis editis Tomo VII. Rer. Italicarum. Quare grati animi cauſsâ eis beneficia multa largitus eſt Conradus, quorum teſtem exero Chartam, cujus autographum Piſis adſervatur.

Conradus Guilielmi Montisferratenſis Marchionis filius multa jura concedit Societati Umiliorum Piſanorum in Civitate Tyri, & aliis in locis, Anno 1188.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis, *Patris & Filii & Spiritus Sancti. Amen. Ut omnibus in poſterum clareat, & nulla ambiguitatis quæſtio inde emergat, manifeſtum fiat, ego* Conradus Marchionis Montisferrati *filius, quod de communi voluntate, & pari concordia Fratrum Militiæ Templi, videlicet Fratris Terrici tunc ejuſdem Militiæ magni Præceptoris, & Fratris Gaufredi Morini tunc Mariſchalchi, & aliorum quamplurium ejuſdem Militiæ Fratrum, nec non & Fratrum Domus Hoſpitalis Sancti Joannis, videlicet Borelli, tunc ejuſdem Domus magni Præceptoris, & Fratris Ermengaldi Prioris Sancti Egidii, & aliorum quamplurium ipſius Domus Fratrum, & Raynaldi Sydonienſis, & Gualteri Cæſariæ, & omnium Capitaneorum, & Valvaſſorum, atque Militum, tunc in Tyro congregatorum, donavi atque tradidi & conceſſi hominibus Civitatum & aliis, & Communitatibus eorum, quos in defenſione ipſius Tyri, & commodo totius Chriſtianitatis, domos & poſſeſſiones, & alia beneficia, prout mihi dignum & rationabile videbatur, optime remunerare uniuſcujuſque obſequia, & ad ipſius Civitatis beneficium ipſos reddere ferventiores ac promtos. Quocirca donavi & conceſſi* Piſanis Viris de Societate Umiliorum, qui mecum in ipſius Tyri defenſionem pro honore nominis Unigeniti Dei Filii, totiuſque Chriſtianitatis, fideliter atque conſtanter permanſere, *furnum unum, qui poſitus eſt in Tyro in Ruga Sancti Johannis, cum omni ſuo jure & pertinentiis. Et extra Tyrum in partibus Tyri Caſale Zoje cum omni ſuo jure & pertinentiis. Item donavi atque conceſſi & tradidi præfatis Piſanis in pertinentiis Tyri Caſale Anſdele cum omni ſuo jure & pertinentiis, & Caſale Aithichi cum omni &c. Et Caſale Elſrerachiæ cum omni &c. Et Caſale Berdezajæ, & Caſale Mediſcarchi, & Caſale Darelnſecan, & Caſale Marcumſachair, & Caſale Darzibinæ, & Caſale Orache, cum omni ſuo jure & pertinentiis. Hæc omnia prædicta donavi & conceſſi præfatis Hominibus Societatis Umiliorum, & eorum ſucceſſoribus, vel quibuſcumque ea eis dare placuerit, ad tenendum & vendendum & pignorandum ſeu alienandum, & quicquid eis inde placuerit faciendum. Et donavi & conceſſi eiſdem omnia præſcripta libera & abſoluta ab omni talia & tributo, ita quod nullum ſervicium mihi facere teneantur, neque Regi, neque alicui Petenti; eo quod in defenſione ſæpe dictæ Tyri plurimos labores die noctuque indeſinenter pertulere cum nimiis ſuarum rerum expenſis. Spopondi quoque me eiſdem Piſanis Viris omnia prætaxata ab omni perſona & loco defenſurum; & quod nulla arte vel ingenio faciam vel fieri permittam, quod in aliquod de prædictis eis fiat diminutio; ſed omnia ea integra & illibata eis & eorum ſucceſſoribus obſervabo per me & meos ſucceſſores, & obſervare faciam meo poſſe eis omnibus. Et ſi prædictas res prædictis Hominibus Piſanis a me ipſo, qui ſupra, Conrado donatas & conceſſas ipſi diviſerint, eas diviſiones firmas tenebo, donec ipſa Societas duraverit, & etiam poſt Societatis diviſionem, omni tempore, ita quod non permittam, ut aliquis eorum aliquid ex prædictis rebus perdat ſeu amittat, ſed liberam ſuam partem unuſquiſque ad tenendum & vendendum & pignorandum, & alienandum, & quicquid voluerit inde faciendum, & in Piſanorum Curia vendendi, impignandi, alienandi communiter vel diviſim liberam facultatem habeant. Et ut hæc mea donatio & conceſſio eis firma & immutabilis præſervetur, hoc præſens Privilegium plumbeo meo Sigillo coram ſubſcriptis teſtibus muniri feci. Hujus quoque rei vocati ſunt teſtes Dominus Paganus de Caypha, Obertus Nepos, Lovellus quondam Caſtellani Tyri, Bernardus de Templo tunc Tyrenſis Vicecomes, Bellamutus, Obertus Orgioli.*

Actum eſt hoc Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo Centeſimo Octuageſimo Octavo, Indictione VI. in Caſtello Tyri, Menſe Madio.

Rogatum per Dominum Benincaſam Caſcinenſem, Domini Frederigi invictiſſimi Romanorum Imperatoris Judicem & Notarium.

Alterum ejuſdem *Conradi* Privilegium hominibus ipſis, atque ipſo Anno conceſſum, Troncius publici juris fecit in Annalib. Piſan. pag. 156. Subſequente Anno MCLXXXIX. Guido Hieroſolymorum Rex Populo Piſano jura omnia confirmavit & auxit in eâdem Civitate Tyri Diplomate, quod pariter tenebris ereptum Lectori nunc ſiſto.

Guido Hieroſolymorum Rex jura ac privilegia omnia ad Piſanum Populum in Civitate Tyri ſpectantia corroborat & amplificat, Anno 1189.

IN nomine Sancte & individue Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus Sancti. Amen. Notum ſit omnibus hominibus tam futuris quam preſentibus, quod ego Guido *per Dei gratiam* in ſancta Civitate Jeruſalem Latinorum Rex Octavus, & Domina Sibilla Sponſa mea eorumdem venerabilis Regina, *donamus, concedimus, & confirmamus Communi Piſanorum omnes dationes & conceſſiones Piſanis factas a* Domino Raimundo *bonæ memoriæ* Tripolitano Comite in Tyro *& in partibus Tyri, unde habent privilegia, & de quibus privilegia non habent; ut ſunt domus, quæ fuerunt Templi cum terris & omni ſua pertinentia, & plateam coram ipſis uſque ad mare & earum pertinentia; & ſunt poſitæ & fundatæ prope* Fundacum Piſanorum ſuper murum Civitatis; *& domus, quæ fuerunt filiorum Balduini Piſani cum platea coram ipſis domibus uſque ad mare; & ſunt poſite & fundate juxta* Fundacum Piſanorum: *& domus, que fuerunt Matthei Johannis Guidi, cum platea coram ipſis uſque ad mare, & cum omni earum pertinentia antea & retro; & ſunt poſite & fundate a domibus filiorum Balduini uſque ad domum Uguccionis Taliaventi: & domus, quæ fuerunt Ghini Piſani, cum omni eorum pertinentia, & cum platea uſque ad mare; & ſunt poſite & fundate inter jam nominatas domos: & domus, que fuerunt Regis, ubi fiebant car . . . . læ, cum omni earum pertinentia, & ſunt poſitæ poſt* Fundacum Piſanorum. *Et donamus & concedimus eis plateam Portus undique liberam, ut nihil in ea poſſit edificari extra muros domuum in mari, vel in terra, Logiâ eorum exceptâ. Et confirmo & concedo dicto Communi Piſanorum furnum Buciariæ, quod fuit Regis, cum omni ſua pertinentia, & eſt poſitum in Ruga Bugiariæ; & balneum, quod fuit Regis cum omni ſua pertinentia; & eſt poſitum in Ruga Templi prope Rugam Sancti Juliani. Et donamus, & concedimus eis, ut poſſint facere duo molendina equi in Tyro, & furnum in ſuis domibus, ſicut continetur in Privilegio* Regis Balduini *quod habent. Et concedo & confirmo dicto Communi Piſanorum ſtateram & penſas & modia & menſuras vini & olei & omnium rerum, quæ ponderari poſſunt & menſurari, conceſſas eis a dicto Comite Raimundo, ut libere poſſint inter ſe ponderare, & menſurare, & extraneis ab eis comparantibus. Preterea extra Tyrum, & in partibus Tyri donamus atque concedimus dicto Piſanorum Communi unum Molendinum aque cum domo & aqua & omni ſua pertinentia, ut conceſſum eſt eis a dicto Comite Raimundo; & Caſale, quod nominatur Tabbiæ cum duabus gaſtinis, & cum omni ſuo territorio & pertinentia, & raſalame, cum edificiis omnibus & molendinis & aqua & jure molendinorum, & cum ſuo territorio & pertinentia. Et Caſale, quod vocatur Sylio cum omni territorio & pertinentia, & cum gaſtina Montis & Anebeddele, cum aquis & omni ſuo territorio & pertinentia, & Jardinum, quod fuit Regis & Reginæ, cum aqua & omni ſua pertinentia. Et donamus & con-*

A *cedimus Piſanis & eorum Communi in Tyro & in partibus Tyri omnes libertates per mare & terram intrando & exeundo, & Curiam, quam in Tyro habuerunt, & Raimundus Tripoli Comes eis confirmavit. Et amplius etiam eis concedo, ut omnes Piſani, & qui Piſanorum nomine cenſentur, tam ſcapuli quam Burgenſes, ſeu etiam Milites & Comites, ſeu cujuſcumque conditionis Laici, in Piſanorum Curia judicentur de omnibus cauſis & factis & forisfactionibus, quæ dici vel excogitari poſſunt, præterquam de Feodis, & Arſiſiis, & quæ ad feoda & arſiſias pertinent, de quibus omnibus in Dominorum Curia judicentur.*

De nulla autem alia re Piſanus judicetur in
B *regali Curia in Tyro & ejus partibus, nec etiam in toto Regno. De domibus autem Burgenſium Piſanorum extra honorem Piſani Communis poſitis, Piſani taliam poſſint percipere, ſi pro Communi Piſanorum Tyri taliam receperint. Nichil autem nomine alicujus diricturæ aut hoſtilis expeditionis, vel ſui averis occaſione ab eis poſſit extorquere, & ut a Piſanis, & ab his, qui Piſanorum nomine cenſentur, nihil nomine tertiariæ, aut alicujus diricturæ poſſit exigi. Et concedimus eis Vicecomitatum ſive Conſulatum pro regenda Curia & eorum onore in Tyro. Et concedimus eis, ut pro ſuo Communi ponantur homines pro ſuo velle ad cathenam & fundum & poſtas Civitatis Tyri, qui habeant cu-*
C *ram de omnibus Piſanis, & de his, qui Piſanorum nomine cenſentur, & ut nullus homo Regis ſe intromittat de aliquo Piſano, vel de his qui Piſanorum nomine cenſentur, aut de eorum avere, ad catenam vel fundum vel poſtas Civitatis, intrando vel exeundo per mare vel per terras: & ut omnes Piſani per quaslibet partes Regni cum ſuis rebus ſecure ac libere poſſint ire, & a nullo poſſint impediri nomine Regis, aut alicujus Baronis occaſione: & ut de nulla re fiat eis decretum, nec ab eis occaſione alicujus decreti aliquid poſſit extorqueri. Si quis autem Piſanus vel Piſani naufragium ſuſtinuerint in Regno & in partibus Regni, cum omnibus rebus ſuis ſint ſecuri, & nichil eis au-*
D *feratur. Inſuper damus & concedimus eis dictas domos & furnos & balneum & caſalia & molendina & ſtateram & penſas & modia & menſuras omnes liberas & abſolutas ab omni tributo & exatione, & ut nichil nomine ſupraſcriptarum rerum & conceſſionum aliqua occaſione ab eis poſſit exigi. Nichil etiam a Rege vel ejus Nuntio poſſit inveniri vel machinari per decretum vel aliqua arte vel ingenio, unde jus eorum ledatur vel reditus eorum in Tyro, vel in ejus partibus minuatur in furnis & molendinis vel balneo vel caſalibus, aut in aliquo honore eis conceſſo. Et quia quidam Piſani in obſequio Chriſtianitatis deceſſerunt, quidam autem ſunt ſuperſtites, concedimus, ut Piſani &*
E *eorum heredes, & qui Piſanorum nomine cenſentur, feoda & arſiſias ſuas recuperent, & per totum Regnum feudis & arſiſiis ſuis reſtituantur. Adue concedimus eis & eorum Eccleſiæ quid juris & libertatis eis concedere poſſumus. Promittimus eis, quod in Libertate querenda eorum Eccleſiæ in Tyro & ejus partibus*

con-

conſilium & adjutorium preſtiterunt. Hec autem omnia prædicta dedimus & conceſſimus eis in Tyro & per totum Regnum, quia in Tyro remanſerunt, & pro defenſione Civitatis contra Saracenos pugnaverunt, nullaque de cetero pro dictis Rationibus in Tyro aut in aliqua parte Regni debent preſtare ſervitia. Hec ſiquidem preſcripta dona Piſanis concedimus, dum nos plena ſibi ſervaverint, & perfecta nobis per omnia legitime obtemperaverint. Ut autem hujus noſtre donationis, conceſſionis & confirmationis auctoritas Piſanis & eorum Communi rata in perpetuum ac inconcuſſa permaneat, preſentem paginam teſtibus ſubſcriptis & ſigillo noſtro muniri ac corroborari fecimus. Hujus rei teſtes ſunt Gaufridus de Lezenano, Armericus Regum Conneſtabulus, Balianus de Ibilino, Hugo Tabriadus, Willelmus Tybriadus, Gaufridus Tortus, Galganus de Chenache, Aldimus Bellus.

Factum eſt Anno ab Incarnatione Domini MCLXXXIX. Indictione VII.

Datum in obſidione Accon, per manum Petri Regis Cancellarii, & Tripolitanæ Eccleſiæ Archidiaconi, XIII. Kalendas Decembris.

Ego Benencaſa quondam Leonardi Caſcinenſis filius, Domini Frederigi invictiſſimi Romanorum Imperatoris Judex & Notarius, autenticum hujus vidi, legi, & obſcultavi Accon in Eccleſia Sancti Petri Piſanorum, præſentibus Gherardo Marandella, Roberto Tornali, Jacobo Valiſoli, Bartolomeo Campſore, & Ugolino Notario quondam Bandini, & aliis teſtibus ad hoc rogatis, Dominicæ Incarnationis Anno ſecundum curſum Piſanorum Milleſimo Dugenteſimo Quadrageſimo Octavo, Indictione Sexta, ſextodecimo Kalendas Aprilis. Ideoque prout inveni in originali munito Sigillo plumbeo pendenti, in quo ab uno latere erat impreſſa quedam Civitas circumdata his literis ✠ CIVITAS REGIS REGUM OMNIUM, & ab altero erat impreſſa quedam imago cujuſdam Regis coronati ſedentis in Regali Sede, & tenentis in manu dextra quamdam Crucem, & in ſiniſtra quamdam pallam rotundam cum cruce parva, circumdata his literis ✠ GUIDO DEI GRA REX JERUSALEM, non vitiato, non cancellato, non abolito, nec in aliqua ſui parte raſo, ita per ordinem de verbo ad verbum, nichil addens neque minuens, de mandato nobilis viri Domini Guidonis de Sancto Caſſiano quondam Galli Conſulis Communis Piſanorum Accon, & totius Syriæ, tranſumpſi, & in publicam formam redegi.

Sunt heic multa, quæ dilucidare conferret ad illorum temporum ac morum lucem: ac præcipue quum ibi *Fundacum Piſanorum* toties memoretur, quæ vox apud nos adhuc perdurat, idemque Italice ſonat ac *Magazzino*; Menagio autem explicatur *Bottega di Drappi*. Sed mihi properandum eſt. Hiſce accedat alterum Diploma ſupra laudati Marchionis Conradi.

Præceptum Conradi Principis Tyrii, & Iſabellæ ejus conjugis, quo Piſano Populo jura ac privilegia confirmant, Anno 1191.

✠ IN nomine Sancte & individue Trinitatis Patris & Filii & Spiritus Sancti. Amen. Ut veritatis memoria in poſterum conſervetur, omnibus tam præſentibus quam futuris liquidum appareat, quod nos Conradus Marchionis Montisferrati filius, per Dei gratiam Tyri Dominus, & Domina Iſabella quondam Illuſtris Armalrici Regis Jeroſolymitani filia, uxor ejus, inſimul conſentientes concedimus & confirmamus atque corroboramus vobis Gulſo & Malberſi Conſulibus Piſanorum, recipientibus pro Communi Piſano, omnes domos, terras, & poſſeſſiones, honores & libertates, quæ in Tyro & extra Tyrum, & qualibet parte Regni Jeroſolimitani Piſana Civitas & ejus Commune habuit & tenuit antiquitus. Similiter omnes domos, terras, & poſſeſſiones, honores & libertates, quas vobis vel anteceſſoribus veſtris pro Communi Piſano ego Conradus Marchio Comes Tripolitanus donavimus & conceſſimus in Tyro & extra Tyrum, & in qualibet parte Regni. Confirmamus etiam & corroboramus vobis pro Communi Piſano omnia privilegia de predictis a me Marchione eidem Communi & aliis pro eo facta, ſicut in tenore pacis & concordie inter me Marchionem & Conſules Piſanos pro eorum Communi a Manfredino Pithi & Gualfredo & Philippo, inter nos Arbitris electis de nobis viſum fuerat. Et omnia privilegia de predictis honoribus & donationibus a nobis vel aliis pro Communi facta Regio Jeroſolimitano Sigillo juſſimus communiri. Ut autem hæc noſtra confirmatio & corroboratio firma & inlibata omni tempore permaneat, nullaque ſuper his valeat pullulare dubietas, preſens Privilegium teſtibus ſubſcriptis & Sigilli noſtri plumbei impreſſione juſſimus communiri. Hujus rei teſtes ſunt Dominus Balianus, Dominus Rainaldus Sydoniæ Dominus, Paganus de Cayphа, Manfredinus Pitthi, Bruſcus, Paraſon, & Aſcianenſis.

Actum in Caſtello Tyri, Incarnationis Anno Milleſimo Centeſimo Nonageſimo Primo, Indictione VIIII.

Data Tyri per manum Bandini, Domini Marchionis Cancellarii, V. Nonas Martii.

Ego Benencaſa quondam Leonardi Caſcinenſis filius, Domini Frederigi invictiſſimi Romanorum Imperatoris Judex & Notarius, autenticum hujus vidi, legi, & obſcultavi Accon in Eccleſia Sancti Petri Piſanorum, preſentibus Opithone Buzaciaro, Pipino Conetti, Ildo de Gombo, & Ugolino Notario quondam Bandini, & aliis teſtibus ad hac rogatis, currente Dominice Incarnationis Anno ſecundùm curſum Piſanorum Milleſimo Dugenteſimo Quadrageſimo Octavo, Indictione Sexta, VI. Idus Martii. Ideoque prout inveni in Originali munito Sigillo plumbeo pendenti, in quo ab utroque latere erant impreſſe due ſimiles imagines cujuſdam hominis armati ſuper equo tenentis in manu dextra quoddam Vexillum, circumdate his litteris CONRꝶ MARCHIONIS MONTISFERRATI*, non vitiato, non cancellato, non abolito, nec in aliqua ſui parte raſo, ita per ordinem de verbo ad verbum, nichil addens neque minuens, de mandato nobilis viri Domini Guidonis*

denis

donis de Sancto Caſſiano Conſulis Communis Piſanorum Accon & totius Syriæ, tranſumpſi & in publicam formam redegi.

Harum Chartarum ſeriem claudat Diploma Rapini Principis Antiocheni, qui & ipſe novis privilegiis Piſanorum gentem exornavit.

Rapini Principis Antiocheni & Heluiſæ Principiſſæ ejus conjugis Diploma, quo Piſanos in Principatu Antiocheno multis immunitatibus ac privilegiis donant, Anno 1216.

IN *nomine Patris & Filii & Spiritus. Amen. Notum ſit omnibus hominibus tam preſentibus quam futuris, quod ego* Rapinus *Dei gratia* Princeps Antiochiæ, Raimundi Principis filius, *voluntate & conſenſu* Domine Heluiſe uxoris mee Principiſſæ, *nec non &* Domini Leonis Illuſtriſſimi Regis Armeniæ Avunculi mei, *& rogatu piiſſimi* Domini Hugonis Illuſtris Regis Cipri, mei ſororii, *atque conſilio hominum meorum, dono, concedo, & confirmo in perpetuum hæreditatem Communi Piſarum, & omnibus preſentibus Piſanis & futuris, & Piſanorum filiis & omnibus illis, qui ſunt vel fiunt de honore & juramento Piſanorum, exceptis omnibus hominibus illis, qui ſunt de meo Principatu Antiocheno, & de meo dominio qui non ſunt Piſani, nec Piſanorum filii vocantur, ita quod ipſi non poſſint in honore nec juramento Piſanorum nec eorum libertate recipi nec colligi, omnes donationes, quas* Boamundus meus Avus Princeps Antiochiæ, & ejus Mater Domina Conſtantia Principiſſa Antiochiæ *dederunt prænominatis Piſanis, ut illas habeant, & pacifice, libere, & quiete teneant, & abſque calumnia & ſine contrarietate aliqua in perpetuum poſſideant. Inſuper dono, concedo, & confirmo ſupradictis Piſanis plenam & liberam Curiam de omnibus cauſis & forifactis, quæ dici vel excogitari poſſunt, per totum Principatum meum, & in omni Terra, quam Deo volente potero conquiſtare: ita quod aliquis homo Piſanorum de commiſſo aliquo ſeu forifacto, quod fecerit, niſi tantum de furto & homicidio & proditione contra propriam perſonam meam, quam cauſam meæ Curiæ reſervo, non debeat reſpondere, nec rationem facere in Curia alicujus, niſi in Curia prædictorum Piſanorum, & coram Vicecomite vel Conſule, ſecundúm uſus eorumdem Piſanorum & conſuetudines. Propterea dono eis & concedo amodo plenam libertatem & perpetuam in toto Principatu meo Antiocheno & meo dominio, & in tota terra, quam habiturus ſum,* per mare & per terram emendo & vendendo, *& liberum introitum & exitum, & de omnibus drecturis cabane totius paſſaggi, & q . . . . . rati &* commercii, *& domorum & jardinorum, & vini, & vinearum, & omnium rerum venalium, & de omnibus drecturis, que pertinent ad emptionem & venditionem,* ut ipſi prenominati Piſani, vel eorum famuli, ſeu quicumque res eorum & Mercaturas portaverint, de omnibus drecturis liberi permaneant & immunes. *Ita quod ego, nec mei ſucceſſores, nec noſtri Bavili, nec Pautonarii, neque Secretarii, nec aliquis alterius pro nobis pro ulla emptione ſeu venditione vel paſſagiis, ſeu pro hujuſmodi drecturis ſupra nominatis poſſimus nec debeamus aliquid ab eis poſtulare vel accipere, aut aliquam inferre calumniam, excepto Portu Sancti Symeonis, ubi prenominati Piſani tenentur donare medietatem paſſagii, quam ſolebant dare tempore Boamundi Avi mei Principis, & medietatem tercenarie ejuſdem Portus, & medietatem ancoragii. Et de omnibus emptionibus & venditionibus, quæ pertinent ad dominium Antiochiæ, quas Piſani facient in prædicto Portu, fiant liberi & immunes. Et de omnibus aliis rebus venalibus, que pertinent ad dominium Domini portus prenominati, donabunt dicti Piſani medietatem juris, ſicut dederunt illam tempore dicti Boamundi Principis Avi mei. Ut autem hoc donum, quod predictis Piſanis per hoc preſens Privilegium facio, firmum habeat tenorem & terminum ſupraſcriptis teſtium nominibus corroboro, & meo principali Sigillo munio & confirmo. Hujus rei ſunt teſtes Otho de Tabarea, Willelmus de Inſula, Acharias Seneſcalcus, Eſchevardus frater ejus, Rogerius de Montibus, Simon Camoaris, Pontius Lonbardus, Thomas Molebrunus, Johannes Flandrenſis Dux Antiochiæ.*

Factum eſt hoc Anno Domini MCCXVI. ſeptimo die Aprilis, ut a proximo Menſe venturo Septembris hinc inde in antea firmum permaneat & eternum, quod in hoc preſenti continetur Privilegio.

Datum per manum Jordani Cancellarii Nicolai Vicecomitis in Antiochia Piſanorum.

Latius quoque *Veneti* in Oriente tum ſuis viribus, tum ſtudio Mercaturæ, famam ſui nominis propagarunt, atque illic ſibi plurima commoda ac jura comparavere. Dandulum in Chronicis multa ex iis recenſentem habemus; nunc unam Chartam proferre juvat, ex Appendice ad ipſa illius Chronica decerptam, unde hoc ipſum argumentum lucem accipiet.

Balduini II. Hieroſolymorum Regis, ſive Primatum illius Regni, Charta, per quam Duci & Populo Venetiarum multa jura concedunt, & confirmant in Oriente, Anno 1130.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus Sancti. Amen. Hæ ſunt conventiones, quas Balduinus Rex Hieruſalem Latinorum Secundus fecit Sancto Marco, & Dominico Michaëli, ſuiſque ſucceſſoribus & Baronibus ſecundum prælocutionem litterarum & Nunciorum ſuorum, antequam captus eſſet, ut deberent conſilio Patriarcharum & Archiepiſcoporum & Principis Antiocheni, nec non utrorumque Baronum, videlicet Hieroſolymorum & Antiochenorum ſecundum ſuum ordinem conceſſæ, atque Baronibus ſacramentali manu confirmatæ in Eccleſia Sanctæ Crucis apud Acon.

In omnibus Civitatibus, dominioque prædicti Regis & omnium Baronum ſuorum, Venetici Eccleſiam, & integram Rugam, unamque plateam & balneum, necnon & furnum habeant jure hereditatis poſſidenda, ab omni exactione libera, ſicut ſunt propria Regis. In Ruga vero Hieruſalem Venetici tantum ad proprium habeant, quantum ipſe Rex ſolitus eſt. Quod ſi apud Achon furnum, molendinum, aut balneum, ſtaterias ſive modios, & buzam ad vinum, oleum, vel mel menſurandum in vico ſuo facere voluerint, libere liceat quicumque voluerint in eorum vico habitantibus abſque omni contradictione pretio ſuo coquere, molere, balneare, menſurare. Præterea illam ejuſdem Plateæ Rugæ Achon partem, quam primus Rex Balduinus beato Marco & Domino Duci Or.... ſuiſque ſucceſſoribus in acquiſitione Sydonis dedit, eidem Evangeliſtæ Marco, vobiſque Domino Michaëli Venetiarum Duci, veſtriſque ſucceſſoribus per præſentem paginam confirmamus. Rugam, dico, unum caput in manſione Petri Zanni, aliud verò in Sancti Demetrii Monaſterio firmantem, & ejuſdem Rugæ aliam partem unam Machomariam, & duas manſiones lapideas habentes, quæ quondam Caſulæ de cannis eſſe ſolebant. Vobiſque poteſtatem concedimus tenendi, poſſidendi, & quicquid vobis in perpetuum placuerit faciendi. Quin etiam nullus Veneticorum in tota terra, dominioque Regis, ſuorumque Baronum, nullam dationem in ingrediendo, aut in dominio Regis, ſuorumque Baronum, morando vel egrediendo per ullum ingenium dare debeat, ſed liberi ubique dominii Regis, ſuorumque Baronum, ſicut in ipſa Venetia, ſint, excepto quando cum navibus exeunt, peregrinos portantes: tunc quippe ſecundum Regis conſuetudinem tertiam partem ipſi Regi dare debeant. Unde nos omnes Duci Venetiarum de funda Tyri ex parte Regis de Feſto Apoſtolorum Petri & Pauli trecentos unoquoque anno Byzantios Sarracen. ex debiti conditione perſolvere debemus. Si vero aliquod Placitum vel litigationem Veneticus contra Veneticum habuerit, in Curia Veneticorum determinetur. Vel ſi aliquis homo verſùs Veneticum querelam vel litigationem habuerit, in Curia Veneticorum determinetur, vel diffiniatur. Verùm ſi Veneticus ſuper quemlibet alium hominem, quàm Veneticum, clamorem fecerit, in Curia Regis emendetur. Inſuper ſi Veneticus ordinatus vel inteſtatus, quod nos ſine Lingua dicimus, obierit, res ſuæ in poteſtatem Venetorum redeant. Si etiam aliquis Veneticorum naufragium paſſus fuerit, de rebus ſuis nullum patiatur damnum; ſed ſi in ipſo naufragio mortuus fuerit, heredibus ſuis, vel Venetis res ſuæ remaneant. Præterea ſuper Burgenſes cujuſque gentis, ſi in vicis eorum ſint habitantes, & ſuper domos eorum, eaſdem juſtitias & conſuetudines, quas Rex ſuper ſuas habet, Veneti habeant. Denique duarum Civitatum Tyri & Aſcalonis tertiam partem cum ſuis pertinentiis, & terrarum ſibi pertinentium a die Sancti Petri, Sarracenis tamen ſervientium, quæ non ſunt in manibus Francorum, quas Deus ſuâ miſericordiâ per eorum auxilium & laborem aut aliquod ingenium, Chriſtianorum manibus tradiderit, libere & regaliter Venetici habeant, ſicut Rex alias duas, & poſſideant. Verumtamen in defenſione Terræ, ſecundùm quod tertiæ partis redditus convenienter tolerare poterint, in commune ſervitium Regis defenſores habeant.

Ego itaque Balduinus per Dei gratiam Rex Hieruſalem Latinorum Secundus, ad Regnum Hieroſolymitanum de Antiochena terra, ubi diu poſt meam liberationem moram feceram, veniens, auditis & viſis conventionibus, quas me abſente Varmundus Hieroſolymorum Patriarcha cum Clero & Baronibus cum Populo Dominico Michaëli Venetiarum Duci, ſuiſque ſucceſſoribus, & Venetis ſecundùm Privilegium ipſorum affirmaverant, quas me confirmaturum illis promiſerant, has quidem ſupra dictas univerſales conventiones, ſecundúm quod Privilegium hoc continet, concedo & confirmo, & meæ auctoritatis Sigillo obſervandum corroboro, quatenus noſtro, noſtrorumque heredum & ſucceſſorum tempore in perpetuum inviolabiliter permaneant.

Ego Varmundus Dei gratia Hieroſolymæ Patriarcha, propria manu ſubſcribens confirmo hæc eadem.

Ego Ebremarus Cæſarienſis Archiepiſcopus ſimiliter confirmo.

Ego Bernardus Nazarenus Archiepiſcopus ſimiliter confirmo.

Ego Aſquetinus Bethlemita Epiſcopus ſimiliter confirmo.

Ego Rogerus Lidenſis Epiſcopus ſimiliter confirmo.

Ego Enfredus de Torone Epiſcopus ſimiliter confirmo.

Ego Guido de Milliaco ſimiliter confirmo.

Ego Rodulphus de Fontanellis ſimiliter confirmo.

Ego Goffridus ſimiliter confirmo.

Ego Rainerius de Burgo ſimiliter confirmo.

Ego Hugo Ludenſis Dominus ſimiliter affirmo.

Ego Guibertus de Caifas ſimiliter affirmo.

Ego Goldumus Abbas Sanctæ Mariæ Vallis Joſaphat ſimiliter affirmo.

Ego Gerardus Sancti Sepulcri Prior ſimiliter affirmo.

Ego Acchardus Prior Templi Domini ſimiliter affirmo.

Ego Arnardus Prior Montis Syon ſimiliter affirmo.

Ego Reymund Procurator Hoſpitalis Hieruſa-

ruſalem ſimiliter affirmo.
Ego Vall. de Buiers Tyberiadis Dominus ſimiliter affirmo.
Ego Ugo Joppenſis Dominus ſimiliter affirmo.
Ego Valterius Bribare Benthii Dominus ſimiliter affirmo.
Ego Romanus de Podio ſimiliter affirmo.
Ego Ugo de Pagano Magiſter Militum Templi ſimiliter affirmo.
Ego Euſtachius Granerius ſimiliter affirmo.
Data apud Achon per manus Pagani Regis Cancellarii, Anno MCXXX. Indictione Tertiâ, VI. Nonas Maji.

Ceterum antiquis etiam Sæculis ſtatæ quædam Conſuetudines aut Leges fuere in Mercatoria, tum quod eſt ad Contractus, tum quod attinet ad Vectigalia ac Pedagia; & variæ A quidem pro varietate regionum ac Principum; aut eorum arbitrio, aut pactis inter Populos commercio deditos initis conſtitutæ. Leges quoque ſuas habuit Mercatura maritima, uti ſupra innui, navigantibus obſervandas ſive in mari, ſive in portubus atque emporiis. Sed nimis in longum progrederetur oratio. Quare Diſſertationem claudam, unam producendo Chartam, e qua conſtabit, quid *Cintracus* Genuenſis a Mercatoribus maritimis olim exigeret. *Cintraci* nomine Genuenſes *Præconem* deſignabant, eratque apud eos nobile munus. In aliis quoque Urbibus liberis animadvertes, uſitatum fuiſſe *Præconem*, ejuſque dignitatem fortaſſe miraberis. Vide etiam Du-Cangium B ad hanc vocem.

De munere, deque beneficiis & honoribus Præconis Civitatis Genuenſis; circiter Annum 1190.

Cintragus *debet eſſe ad conjurium illius, qui intrat in Macellaturam. Omne Lignum, quod venit de Sardinea cum Sale, debet dare* Cintrago *minas ſalis tres; & ſi venerit per Corſicam & fecerit cambium, debet ei dare minas grani tres. De unoquoque Ligno de maritima & Romania, minam unam. Quidam Januenſes fuerunt in Mercato ad Populoniam, & venerunt cum Ligno ſuo in Portu noſtro. Cintragus hoc ſciens, & credens eos venire de maritima, queſivit eis minam unam. Ipſi verò Januenſes reſpondentes*, quod nobis a Cintraco petitur, numquam dabimus, quoniam in maritima non fuimus: *tamdem Cintracus duos vocavit teſtes, Gandulphum Carmandinum ſcilicet & Johannem Carmeli, quoniam juraverunt, quod Conſules Lanfrancus Piper, & Anſaldus Malonus, & ſocii eorum laudaverunt, quod unumquodque Lignum tranſiens Liurnam pro mercato grani debet dare ad Cintracum minam grani unam. Auditis dictis teſtium a Conſulibus Bonvaſſalli Tetuice, Anſaldo Mallone, Oglerio Guidone, & Bellamuto, placuit eis & laudaverunt, ut ipſi, qui venerant a Populonia, darent Cintraco minam* C *unam grani. De unoquoque ligno Salis de Provincia debet habere quartinos Salis tres. De unaquaque Galea, quæ vadit in curſum ultra Sardiniam vel in Hiſpaniam, debet habere Marabutinum unum. De unoquoque Ligno veniente de Sicilia, ſi major pars fuerit grani de Carneo, debet habere minas grani duas. De Lignis, que vadunt pro grano ultra Forum Julienſe, minam unam. In principalibus Feſtis debet Cintracus prandere cum Domino Archiepiſcopo. Cintracus debet ordinare guardias Civitatis, & requirere & cognoſcere, ſi facta fuerint. Cintracus debet vocare Populum ad Parlamentum per Civitatem & per Burgum & per Caſtrum in præcepto Conſulum. Et debet voca-* D *re homines ad Placitum per Civitatem & per Burgum & per Caſtrum in præcepto Conſulum. Et debet facere bandum per Civitatem & per totum Archiepiſcopatum in præcepto Conſulum. Et quando ventus Aquilo regnat, debet ire per Civitatem & per Caſtrum & per Burgum, amonendo ut bene caveant ignem. Cintracus debet cuſtodire in Sabbato Sancto Portam Sancti Johannis, donec Archiepiſcopus & Canonici veniant ad benedicendos Fontes cum proceſſione.*

DE
PLACITIS
ET
MALLIS.

DISSERTATIO
TRIGESIMAPRIMA.

DISSERTATIO TRIGESIMAPRIMA.

QUo ordine, quibuſve ritibus juſtitia olim Populo miniſtraretur, liteſque civiles dirimerentur, nunc edicendum eſt. Alii enim mores a noſtris obtinuere in Italia, regnantibus in hac Provincia Langobardis, Francis, & Germanis Regibus. Itaque primo veri videtur ſimile, non eam tunc fuiſſe litigiorum ſegetem & copiam, quæ enormi a nonnullis Sæculis fluxu non Italiam ſolùm, ſed univerſam Europam fatigat. Paucæ leges paucis controverſiis aditum aperiebant; ſcitum enim eſt illud Platonis: *Apud quos plurimæ Leges, ibi & plurimæ lites*. Ad hæc nullæ tunc erant Primogenituræ, nulli Majoratus, nulla Fideicommiſſa, ac Subſtitutiones, quæ nunc Judicum patientiam quotidie exercent, & Advocatorum crumenam turgidam faciunt: & quæ ſi tollere de medio quiſquam Princeps in animum induceret, in Juriſconſultorum agros non exiguam ſterilitatem inferret. Qui etiam Legibus operam dabant, & *Judices* appellari conſueverunt, tum quod pauci forent, tum etiam quod mediocre patrimonium ſcientiæ habuiſſe videantur, nudo Legum paucarum textu contenti, non Gloſſis, non Commentariis, non Deciſionibus, non Tractatibus ſtudebant, ſed expeditâ Legis allegatione & collatione propoſiti caſus, ſibi ad cito pronuntiandam ſententiam viam ſternebant. Laudanda procul dubio Romanarum Legum reſtitutio, neque ſegnius commendanda eſt publicorum Gymnaſiorum inſtitutio, ubi Juris ſcientia ſpiſſo diſcipulorum agmine colitur. Sed minime diſſimulandum, non levia incommoda tantum beneficium conſequuta fuiſſe, nempe multiplicatas juris Quæſtiones, innumeras inter ſe digladiantes, oppoſitaſque ſententias emerſiſſe, atque adeo ſuccreviſſe lites, & in annos plures, ne dicam in Sæcula, litigantium cauſſas hodie trahi. Hoc ſaltem utilitatis habebat rudium temporum exilis doctrina, & ſi etiam dicere mavis inſcitia, nempe extemplo componi, aut dijudicari privatæ gentis lites conſueviſſe. Nam quod quiſquam objiciat, facile olim ex ignorantia Judicum & Patronorum, obnoxia fuiſſe judicia injuſtitiæ: a quo diſcrimine nos eripit noſtrorum temporum multiplex doctrina; id quidem non ſine aſſentatione erga Sæcula noſtra opponatur. Erant olim quoque viri ingenio & acumine mentis inſtructi. Iis vel ſola naturalis Ratio dabat inter album & nigrum, juſtum & injuſtum recte poſſe diſtinguere. Atque utinam nemo nunc niſi bene doctus judicaret, aut nemo ſuâ ſcientiâ hodie abuteretur, ut juſtitiæ trutinam in ſuam partem quocumque pacto inclinaret. Utinam quoque nullis affectibus rapti umquam Judices ævo noſtro ſententias ferrent. Quin olim juſtitiæ aliquando officeretur, quamquàm non ſponte, ab indoctis Magiſtratibus, negare ego nolim: incertum tamen eſt, raro-ne an ſæpe contingeret. Nunc nullus dubitandi locus eſt, an a Magiſtratibus temporum noſtrorum æqua ſemper judicia ferantur, quando quotidie Appellantium voces audimus conquerentium, ſententias jam pronuntiatas falſitate, iniquitate, & A injuſtitiâ abundare, atque in eamdem rem videmus varia atque oppoſita Judicum decreta prodire, quamquam noſtrorum temporum ſcientia tantopere extollatur.

Duplex autem Judiciorum genus præcipue novimus olim peractum: *Mallum* videlicet, & *Placitum*; & publicum quidem utrumque, hoc eſt coram Populo habitum, veniâ factâ cuicumque accedere & audire volenti. Sed quid inter ſe differrent, *Mallus*, ac *Placitum*; quidve liceret in uno, quod non liceret in altero, non ſatis liquet. Voſſii, Bignonii, Baluzii, & Du-Cangii ſententia eſt, *Mallos* ſive *Malla*, fuiſſe publicos conventus, in quo majores cauſſæ diſceptabantur. Hujus rei Papias antiquus B Grammaticus teſtis adfertur. Baluzius verò Tomo II. pag. 1193. Capitular. Reg Francor. vetuſtam marginalem notam profert, ubi Mallus *generale Placitum* definitur, ita ut *Placiti* nomine ſignificarentur minora Judicia, Populo minime ad ea convocato, habita; *Malli* autem majora, ad quæ univerſa Plebs invitabatur. Proinde raro *Malli*, ſæpe verò *Placita* habebantur. Si originem vocis petis, audi Hickeſium ita loquentem Tom. II. Theſaur. Linguar. Veterum: *Ab Alamannico* Mahal, Mahl, *Curia: quod a Gothico* Mathls *Forum*, *Marci 7. verſ. 4. Forum autem Gothis* Mathls *a* Mathlgian, *Loqui*, *Sermonem habere*. Itidem *apud Iſlandos* at Moela *vel* Mala *eſt Loqui*, *&* Mal C *Sermo*. *Fruſtra igitur Bradejus* Mallum *a* Mahl, *quod eſt Saxonice*, *ut ait*, Signum, *deducit*. Alibi addit idem Hickeſius: Methel, *Sermo a Gothico* Mathls *Forum*, *in quo conciones habentur*. *Nota*, Maëlen *Cimbricum eſſe: nam apud Cimbros* at Maëla *eſt Loqui*. *Inde Mallus*, *& Mallare* Latino-barbara *derivantur*. Ita in Gloſſis Rhabani Mauri *Curia* Germanice redditur *Mahal*. Itaque in Capitulari Caroli Magni Lib. 7. Cap. 33. decernitur, ut bis quolibet anno liberi homines ad Mallum conveniant: *Ut ad Mallum venire nemo tardet, unum circa æſtatem, & alterum circa autumnum*. Hinc tamen minime deducendum, duos tantùm Mallos ſingulis annis indictos fuiſſe; additur enim: D *Ad alia verò, ſi neceſſitas fuerit, vel denuntiatio Regis urgeat, vocatus venire nemo tardet*. In altero tamen textu legitur: *ad alia vero Placita* &c. quod minime urgeo; nam ultra duos Mallos, plures etiam olim celebratos fuiſſe perſuaſum habeo. Sunt tamen, quæ rem adhuc turbare videntur, quum & Placiti & Malli vocabula pro uno uſurpata reperiantur, neque ſatis conſtet, quæ cauſſæ in uno agitari ſolerent ac poſſent, quæve in altero. Inter Leges Langobardicas Part. II. Tomi I. Rer Italicar. in Lege 77. Caroli Magni hæc habentur: *De manire verò, niſi de ingenuitate, aut de hereditate, non ſit opus obſervare. De ceteris vero cauſſis per diſtrictionem Comitis ad Mallum veniant*. E Lex certe obſcura, ex qua tamen ſublucere videtur, præter duas cauſſas licuiſſe ceteras ad Mallum deducere. In Præcepto Ludovici Pii apud Baluzium Tomo II. pag. 550. Capitular. hæc etiam occurrunt: *Pro majoribus cauſis, ſicut ſunt homicidia, raptus, incendia, deprædationes, membrorum amputatione, furtas,*

forte, [illegible], aliarumque rerum inveſtiones, *& [illegible] a vicinis ſuis aut [illegible] aut [illegible] fuerit conqueſtus, & ad Placitum venire juſſus, ad Comitis ſui Mallum [illegible] venire non curavit*. Hic habemus confuſa ſimul nomina *Malli* & *Placiti*, quum in ambobus cauſſas videamus non minores tantùm, ſed & majores tractari. Attamen conſentire cum veritate puto propoſitam ſuperiùs ſententiam, quamquam interdum *Placiti* nomen tam ad majora, quam ad minora Judicia deſignanda adhiberetur. In Lege Langobardica 63. Caroli Magni: *Ingenui homines nulla Placita cuſtodire*, hoc eſt ad ea advenire, coguntur, *poſtquam illa tria cuſtodierint Placita, quæ inſtituta ſunt*. Supra vero vidimus, ad duos præſertim Mallos confluere coactum fuiſſe Populum. In Lege Langobard. 49. ejuſdem Caroli præcipitur: *Ut nullus alius de liberis hominibus ad Placitum, vel ad Mallum venire cogatur, exceptis Scabinis & Vaſſis Comitum, niſi qui ſuam cauſam quærere debet, aut reſpondere*. Adde Legem Langobard. 41. Ludovici Pii, ubi *in anno tria ſolummodo generalia Placita* obſervanda *liberis hominibus* dicuntur; *& nullus eos amplius Placita obſervare compellat, niſi* &c.

Hinc autem certo habemus, *Placita generalia* nihil aliud fuiſſe, quàm quæ alibi *Malla* ſive *Malli* appellantur; ita ut illud præcipue interceſſiſſe videatur inter hæc duo judicia, quod omnes liberi homines intereſſe Mallis cogerentur, non autem Placitis. Quapropter Carolus Magnus in Comitiis apud Piſtas decrevit, *ut vicini Comites* (Urbium nempe Præſides) *in una die, ſi fieri poteſt, Mallum non teneant, propter francos homines & Advocatos, qui ad utrumque Mallum non poſſunt occurrere*. Interdictum quoque fuit, ne Mallus in Templis, eorumve atriis haberetur; *minora verò Placita Comes ſive intra ſuam poteſtatem, vel ubi impetrare potuerit, habeat*. Meibomius in Notis ad Witichindum, Chartam Caroli Magni adfert, conſtituentis Trutmannum Comitem in Saxonia, *ut reſideat in Curte ad campos in Mallo publico, ad univerſorum cauſas audiendas, vel recta judicia terminanda*. Eadem exhibet Formula Bignoniana Cap. 6. apud Baluzium. Atqui non diſpari phraſi, nempe *ad ſingulorum hominum juſtitiam faciendam ac deliberandam*, aliiſve ſimilibus verbis, utebantur quicumque *Placita* habebant, uti ex infra adducendis exemplis patebit. *Mallare* etiam veteres appellabant in jus vocare, ac proinde quamvis ad *Placita* adverſarium accirent, *Malli* appellatio recurrebat. Animadvertendum quoque eſt, Carolum Magnum in Lege Langobardorum 99. decreviſſe, *ut neque Abbates, neque Presbyteri* &c. *ad publica vel ad Sæcularia judicia trahantur*. Tum Lege 120. ſtatuit idem Auguſtus: *Ut Placita publica, vel Sæcularia, neque a Comite nec ab ullo Miniſtro ſuo vel Judice, nec in Eccleſiis, nec in terris Eccleſiæ teneantur*. Cur quæſo Placita *Publica* a *Sæcularibus* diſtingui videatur? Res mihi obſcura. Vix autem fallar, ſi dixero, ideo univerſum Populum ad generalia illa Placita fuiſſe convocatum, quod ibi lites & cauſſæ ſingulorum hominum agnoſcendæ ac dirimendæ forent, & brevior via viſa fuerit convocare totam gentem, ut adverſarios ſuos in promtu haberet, quiſquis contra illos inſtituere actionem vellet. Quum verò ſæpe accuſatus exceptiones opponeret, ac moram peteret ad parandas Chartas aut teſtes, is fidem ſuam obligabat, immo & cautionem ac juſjurandum addebat de ſiſtendo ſe alteri proximè venturo Placito. Hæc fuit Majorum noſtrorum methodus in Judiciis, longe expeditior ſane, quàm æterna atque interminata noſtrorum temporum. Neque tantùm Sæculares viri jubebantur intereſſe Placitis, quoties *Miſſi Regii* veniebant ad miniſtrandam Populo juſtitiam, ſed & Eccleſiaſtici viri. Accipe Legem 81. Lotharii I. inter Langobardicas, Part. II. Tomi I. Rer. Italicar. ubi ſtatuitur: *Ut omnes Epiſcopi & Abbates & Comites, excepta infirmitate vel noſtrâ juſſione, nullam habeant excuſationem, quin ad Placita Miſſorum noſtrorum veniant, aut talem Vicarium ſuum mittant, qui in omni cauſſâ pro illis rationem reddere poſſit*. Scilicet ut ſi quis adverſùs illos querelam inſtituere vellet, e veſtigio utriuſque partis jura excuterentur. Neque enim tunc in civilibus cauſſis immunes erant a Sæculari judicio Sacri Viri. Nunc aliis moribus in Italia vivimus. Ceterum honoris etiam cauſſâ, quum Placita a Miſſis Regalibus habebantur, intereſſe conſueverunt quicumque Epiſcopi, Marchiones & Comites alterius Civitatis ac Provinciæ aderant. In Comitum quoque Placitis aſſidere interdum deprehenduntur Epiſcopi, volentes, ut puto, non verò coacti. Ibi Comites Epiſcopis ſine controverſia præcedebant. Neque tantùm Miſſi Regii, Marchiones, Comites, aliique minores Judices in Mallis & Placitis juſtitiam miniſtrabant; ſed ne ipſi quidem Reges dedignabantur Populi ſui contentiones audire, & una cum Judicibus ac Primoribus Aulæ reſidentibus, litigantium rationes expendere, & quæ æquior cunctis videretur, ſententiam expromere. Clariſſimus Mabillonius Lib. 6. Rei Diplomaticæ, nonnulla adſert Placita a Clodoveo III. Childeberto III. & Chilperico III. Francorum Regibus celebrata. Alia inſuper idem evulgavit habita a Pippino, tum quando Majorem Domus agebat, tum etiam poſtquam Rex Francorum inunctus fuit. Neque ſecus egiſſe dignoſcitur ejus filius glorioſiſſimus Imperator Carolus Magnus. Reliqui ſubinde Francorum Reges non tam ſoliciti fuiſſe videntur ad præbendas aures contendentium querelis. Verùm in Italia mos iſte diu perduravit, Regeſque ac Imperatores generalibus ſaltem Placitis non raro intererant, operamque dabant componendis ſuæ gentis controverſiis. Exemplum accipiat Lector ex Placito in Senenſi Civitate habito a Carolo Craſſo Imperatore, quod olim ex autographo deſcripſi exſiſtente in Canonicorum Arretinorum Archivo.

Pl

Placitum a Carolo Craſſo Imperatore una cum Proceribus ac Judicibus habitum, ubi decernitur, quaſdam Eccleſias in territorio Senenſi poſitas ſpectare ad Epiſcopum ac Diœceſim Civitatis Arretinæ, Anno Chriſti 881.

D*Um in Dei nomine*, *Civitate Sena*, *in Domum Epiſcopii ipſius Civitatis*, *in tus Caminata*, *ubi* Domnus Karolus piiſſimus Imperator in judicio reſidebat, *adeſſent cum eo* Berengarius Marchio; *item Berengarius*, *Walfredus*, *Bertaldus*, Winigiſus, *Gotfredus*, *Adelbertus*, *Maurinus*, *& Erardus* Comitibus; *Liuto*, *Magnifredus*, *Amelbertus*, *Ribaldus*, *& Berardus* Vaſſi idem Auguſti; *Petrus*, *Fulbertus*, *& Urſepertus* Judices ſacri Palatii; *Farulfus* Comes Domni Apoſtolici, *& reliqui multis*: *ibique veniens* Johannes *venerabilis* Epiſcopus *ſancte* Aretinenſis Eccleſie, *una cum Suppone & Gumpertus Advocatore predicte ſue Eccleſie*, *& retulerunt*: Abemus & detinemus ad partem predicti Epiſcopii Aretinenſis ad proprietatem Eccleſias Sancti Amſani, & Sancti Stefani .... Eccleſiam Sancte Marie in Coſana, Eccleſiam Sancti Ipoliti in Sexiano, Eccleſiam Sancti Johannis in Rancia, Eccleſiam Sancti Andree in Malceno, Eccleſiam Sancti Petri in Pava, Eccleſiam Sancte Marie in Pacina, Eccleſiam Sancti Quirici & Johannis in Vicofalcino, Eccleſiam Sancte Reſtitute in fundo Sexiano, Eccleſiam Sancti Felicis in Tuano, Eccleſiam Matris Eccleſie in Miſulas, Eccleſiam Sancti Valentini in Caſale Urſino, Monaſterium Sancti Petri Daxo, Eccleſiam Sancti Viti in Rutiliano, & ſancte Matris Eccleſie in Caſtello Pollociano, Eccleſiam Sancti Viti in Verſure, Eccleſiam Sancti Donati in Ciciliano, Eccleſiam Sancte Marię in Saltu, Eccleſiam Sancti Viti in Pruniano, & Eccleſiam Sancti Quirici in Oſſina, cum Oraculis & omnibus rebus & caſis maſſariciis ad eas pertinentibus. Sed, ut audivimus, pars iſtius Epiſcopii Senenſis exinde adverſus pars predicti Epiſcopii Aretinenſis velleant inde agere. *Unde ipſe Johannes Epiſcopus & predictos Advocatores ſuos Suppo & Gumpertus miſericordiam ſupradicti Domni Karoli glorioſi Impenatoris poſtulaſſent, ut ſue mercis exinde per circa manentes homines idoneos ipſius finibus Aretinenſis & Senenſis, qui ibi ad preſens erant, inquiſicionem facere juberet, & juſticiam ipſius Epiſcopati Aretinenſis inveniret. Cum ipſe Johannes Preſul & predicti Advocatores taliter ipſe Auguſtus poſtularet, ſue conſuetudinis miſericordie motus, eorum obaudiente poſtulationibus, taliter homines ipſius Civitatis Aretinenſis & Senenſis, quos dicebant inde veritatem ſirent, ſui venire preſentia. Ita ſunt Offo, Rigibaldus, Aldo, Soavericus, Rodericus, Amelfredus, Leo, Ato, iſti de Aricio: Cienus, Dioniſius, Erembertus, Boſo, Gumfredus, & Gervinus, iſti de Sena. Et cum omnes teſtificati fuiſſent, quod bonos & receptibiles, & unuſquiſque ſuorum aberent* Widrigildum, *fecimus aduci ſancta Dei Evangelia; & unus ad unus ad ipſa ſancta Dei Evangelia jurati dixerunt, ut quicquid denominatas Eccleſias, unde contencio erat inter pars Epiſcopii Aretinenſis & pars Epiſcopii Senenſis, ſirent, certam dicerent veritatem.*

In primis nominatus Offo, *poſtquam juravit*, *inquiſitus dixit*: Sio predictas Eccleſias cum Oraculis & caſis, ſeu rebus ad eas pertinenti-
A bus, unde contencio eſt inter pars Epiſcopii Aretinenſis & pars Epiſcopii Senenſis odie, per quadraginta annos abeat & poſſideat ad proprietatem pars Eccleſie Aretinenſis. *Nominatus Rigibaldus*, *Aldo*, *Suavericus*, *Rodericus*, *Amelfredus*, *Leo*, *& Ato*, *omnia*, *poſtquam juraverunt*, *inquiſiti dixerunt*, *ſicut nominatus Offo*. *Nominati Cienus*, *Erembertus*, *& Boſo ſimiliter dixerunt*, *ſicut nominatus Offo*. *Dioniſius*, *Gumfredus*, *& Gervinus*, *poſtquam juraverunt*, *inquiſiti dixerunt*, *a quo memorare ceperunt Eccleſias ipſas*, *unde ſupra intencio eſſet*, *eas abente a proprietate pars Eccleſie Aretinenſis ſirent*. Winigiſus Comes, *Raginerius* Abba, *& Farulfus a co memorare ceperunt*, *dixerunt*, *ſicut nominatus Dioniſius*, *adjurati ab
B ipſo Auguſto*. *Interrogatus* Lupus Epiſcopus Senenſis *& Gaidoaldo Avocatore ſuo a Domno Karolo piiſſimo Auguſto*, *quod contra hanc inquiſicionem dicere vellet*, *ad hec reſpondens jam dictus Lupus Epiſcopus Senenſis una cum Gaidoaldo Avocatore ſuo*: Verè de predictas Plebes cum Oraculis vel Decimis, atque rebus inibi aſpicientes & pertinentibus, unde iſti bonos & credentes homines per inquiſicionem teſtimonium dixerunt, veritatem dixerunt, quia in omnia hec eſt veritas quomodo ipſi dixerunt, & pars noſtri Epiſcopii Senenſis nihil pertinet ad habendum, & ipſas Plebes nec contradiximus, nec contradicere querimus, quia cum Lege
C non poſſumus, eo quod exinde nullam firmitatem, nullamque racionem inde habemus, nec invenire poſſumus, per quam jam dictas Plebes cum Oraculis vel Decimis, cum omni integritate inibi pertinentibus a pars ipſius Epiſcopii Aretinenſis aliquid contradicere aut ſubtrahere poſſamus. *Cum ipſe Lupus Senenſis Epiſcopus una cum Gaidoaldo Avocatore ſuo taliter ſemel & bis profeſſi & manifeſti fuiſſent, rectum eorum omnibus paruit eſſe*, *& judicaverunt*, *ut juxta eorum altercacionem*, *& eorum Luponi Senenſi Epiſcopo & Gaidoaldi Avocatore ſuo profeſſione*, *Plebes illas predictas per ſingula loca cum Oraculis vel Decimis*, *cum omnibus rebus inibi pertinentibus*, *unde agebantur*, *pars
D ipſius Epiſcopii Aretinenſis Eccleſie haberet*; *& ipſe Lupus Senenſis Epiſcopus cum ſuo Avocatore Gaidoaldo pars Epiſcopii Senenſi a modo & in antea manerent inde taciti & contenti*. *Et finita eſt cauſa*. *Et hanc noticia*, *qualiter ipſe Auguſtus ipſa inquiſicionem ſui preſentia fecerat pro ſecuritate ipſius Epiſcopii Aretinenſis*, *mihi Raidulfi Notario ſui Palacii ſcribere juſſit*, *Anno Imperii idem Domni Karoli Primo*, *Menſe Marcio*, *Indictione Quarta decima*.

Signum ✠ *manus* Bertaldi Comiti, *qui interfuit*.

Signum ✠ *manus* Berengerii Comiti, *qui interfuit*.

Signum ✠ *manus* Liutoni Vaſſus idem Au-
E guſti, *qui interfuit*.

✠ Petrus Judex Domni Imperatoris *interfui*.

✠ Fulbertus Judex Domni Imperatoris *interfui*.

✠ Virpertus Judex Domni Imperatoris *interfui*.

✠

✠ *Marinus* Judex Domni Imperatoris *in-ſpecto ubi fui*.

✠ *Gulielmus* Judex Domni Imperatoris *in-ſpecto*.

✠ *Maurinus* Comes *ibi fui*.

✠ *Ego Giraldo ibi fui*

✠ *Ego Grifo ibi fui*.

Animadverte, inter Proceres Imperatori aſſiſtentes nominari recenſeri Adelbertum tunc Tuſciæ Marchionem, ſed quidem *Berengarium Marchionem*, qui tunc Forojulii præerat, & poſt Caroli Craſſi mortem Regnum Italicum arripuit. Hîc autem habes *Lupum Epiſcopum Senenſem*, quem minime novit Ughellus, propterea catalogo Senenſium Epiſcoporum addendum. Antiqua jamdiu fuerat de hiſce Parochiis contentio inter Aretinos & Senenſes Antiſtites, & vel ſub ipſis Langobardis Regibus excitata, ac deinde refricata, uti conſtabit e Chartis mihi producendis in Diſſertatione LXXIV. *de Parochiis*. Interim quæ de Epocha Caroli Craſſi diſſerui, vide in Diſſertatione XII. *de Nummis*. Alia exempla Imperatorum & Regum, qui Placitis interfuere, ex Archivis depromſi, atque evulgavi in Antiquitat. Eſtenſ. Par. I. Cap. 14. pag. 129. Cap. 18. Cap. 20. & alibi, nempe Ottonis III. Henricorum Primi, Secundi, Quarti, & aliorum Auguſtorum. Alia identidem in hoc ipſo Opere occurrent. Et ſane dignum eſt, quod heic loci commemoretur nobile conſilium Conradi inter Auguſtos Primi, qui Anno Chriſti MXXXVI. in Italiam deſcendit, ut Regno, a tyrannis multiſque ſeditionibus dilacerato, ſuâ præſentiâ, ac juſtitiæ rigore conſuleret. Rem narrat Landulphus ſenior Lib. 2. Cap. 22. Hiſtoriæ a me editæ Tomo IV. Rer. Italicarum: *Per idem tempus*, ait, *quum Conradus Imperator, Papiæ, circumſtante exercitu, Imperialibus perfulgens dignitatibus conſediſſet, univerſis, qui Eccleſiarum beneficia invaſerant, aut qui homicidia injuſte commiſerant; aut orphanorum aut viduarum prædia devaſtando contriverant; & omnibus, qui injuſte a perfidis hominibus per aliquam cauſam cruciabantur, ut ſui Imperii vigor exigebat, ſecundùm legem ſacere humanam & judicare decrevit. Itaque circumſpiciens, multos in Italiæ partibus circumſperſos, ſine lege, ſine fœdere, omni dimiſſo timore, inhumaniter invicem offendere, ut omnes a malo in bonum revocaret, quatenus qui ſine lege omnia habentes promiſcua, illicite ſeſe exercuerant, per legem diſtricte judicarentur: edicto per diverſas Italiæ* B *provincias volante, hujus rei cauſâ diem ſtatuit. Quo audito orphani multi, viduæque multæ, quamplurimi Duces, multique Epiſcopi, velut aqua in ſentinam, Papiam ante Imperatoris aſpectum, unuſquiſque de propria conquerens injuria confluxere* &c. Mos etiam fuit, ut Placita, fortaſſe minora, neque generalia, haberentur coram ipſis Imperatoribus & Regibus, in quibus tamen non ipſi Principes, ſed Comes ſacri Palatii, aut alii ab ipſis Regibus conſtituti, Judicem agebant: cujuſmodi exempla itidem dedi Part. I. Cap. 24. pag. 110. & 125. Antiquitat. Eſtenſium. Juvat nunc altero exemplo rem confirmare, nempe Berengarii I. Italiæ Regis ac poſtea Imperatoris, qui Placito C interfuit habito Ticini in conclavi, *ubi ſub Theoderico dicitur*; ſed Epiſcopis duobus, Ticinenſi videlicet & Bergomati, judicii ferendi munus injunxit. Deſcripſi ego ex authentico exſiſtente in Archivo Monachorum Ciſtercienſium Sancti Ambroſii Majoris Mediolanenſis; atque hæc ibi occurrunt.

In Placito Ticinenſi coram Johanne ipſius Urbis & Adelberto Bergomate Epiſcopis, Regis Berengarii Miſſis, Gaidulfus Abbas Monaſterii Sancti Ambroſii Mediolanenſis, litem agit contra quoſdam ſuo Monaſterio ſubjectos, qui ſe Aldios, & non Servos eſſe contendebant, circiter Annum 908.

D*Um in Dei nomine, Civitate Papia, in ſacro Palatio*, hubi Domnus Berengarius Rex preerat, *in laubia maiore*, ubi ſub Teuderico dicitur, *in judicio reſideret* Johannes *venerabilis* Epiſcopus *ſancte* Ticinenſis Eccleſie, & Adelbertus *ſancte* Bergomate Eccleſie, ab ipſo Principe conſtituti *una cum* Domno Aihone Archiepiſcopo *ſancte* Mediolanenſis Eccleſie, *reſidentibus cum eis* Petrus & Adelmannus Epiſcopis, *Gontardus* & *Dido* Comitibus, Grimo Vaſſos Domni Regis, *Adelgrauſus*, Walbertus, *Faraminulus* . . . . . *Donumdei*, *Johannes*, *item Johannes*, *Stabilis*, *Thomas*, *Leo*, *Rafredus*, *Ragifredus*, *Adelgiſus*, *Gandulfus*, & *item Ragifredus* Judices Domni Regis, *Aupaldus* Judex Mediolanenſis, *Aribaldus*, *Lampertus*, & *Petrus de Civitate Papia*., *Ariprandus de Bliſſunno*, *Arialdus filio Tadoni* . . . *Sibardus*, *Ildebertus*, & *Giſelbertus* Notarius, & *reliqui multis*. *Ibique eorum venerunt preſencia* Gaidulfus Abba Monaſterii ſancti Chriſti Confeſſoris Ambroſii, *ubi ejus ſanctum quieſcit Corpus*, *ſitum ſuburbium Civitatis Mediolani*, & *Boniprandus Judex Domni Regis* . . . . . *Sancti Ambroſii*, *nec non Stefanus*, *Johannes*, *item Johannes*, *Lupus*, *Ambroſius*, *Lupus*, *Beſanius*, *Teodericus*, *Ambroſius*, D *Urſus*, *Rimolo*, *Johannes*, & *item Johannes de Cevenna*, *Lupus* . . . . *filius Madrevertus*, *Urſus*, & *Urſacio de loco Madronino*, *Johannes*, *Urſevertus* &c. *intencionem habentes*. *Dicebant ipſi Gaidulfus Abba* . . . . . reſedentibus in Madronino Johannes, Urſevertus, Petrus, Dominicus, Liutaldus, Raginaldus, Urſus abitantes loco Salvaniate, Munaldus, Mauricio, Dominicus, Johannace, Stefanace, & Laurencius abitantes locus, qui dicitur . . . . Servi cum Lege eſſe debent Monaſterii Sancti Ambroſii & Curtis Lemontas: ſet neſſimus qua racione ſe ſubtraère querant de ſervicio ejuſdem Monaſterii & Curtis, & dicunt ſe Aldii E eſſe, unde jam ante os dies ad racionem ego Gaidulfus . . . . . ejuſdem Monaſterii, preſencia Domni Andrei Archiepiſcopo, & iſti Ragifredi Judici, qui Miſſi Domni Imperatoris erant, & Judicum, ſeo relicorum ſtetimus. Ibi eos in judicio Servi a parte ejuſdem Monaſterii requeſivimus: ſed dum ic in palatio a Domno E . . . . . aldii eſſe deberent, & non Servi, dedi ego Boniprandus Advocatus waidam eorum per Judices recordatores, aut noticiam probandum, qualiter jam ante os dies pre-

preſencia jam dicti Domno Andrei Archiepiſcopi, & iſti Ragifredus . . . . . . ejuſdem Monaſterii ſe manifeſtaſſent, & ipſi dederunt mihi waidam de Placitum . Ecce nos parati , & in preſentia abemus noticiam firmatam , qualiter iſti omnes Servi ejuſdem Monaſterii & Curtis Lemonta eſſe manifeſtaverunt . . . . . *Lupus*, *Johannes*, *item Johannes* , *Lupus*, *Ambroſius &c.* & *Laurentius* : Verè , ſicut vos Gaidulfus Abba, & Boniprandus Advocatus dixiſtis , ita per omnia actum eſt , & taliter nobis per Judices recordatores , aut noticia ad probandum waidam dediſti, ſicut . . . . . conſtitutum eſt Placitum per Judices recordatores , aut noticiam probandum, & finem legiptime faciendum . *Cum ipſi taliter egiſſent , fecerunt Auditores ipſi . . . . relecta continebatur in ea inter cetera , qualiter Villa Belano in Laubia Solarii Sancti Ambroſii Curtis ipſius in judicio preſencia Domni Andrei . . . . . . biles omines intencionem abuiſſent Gaidulfus Abba Monaſterii Sancti Ambroſii & Adelricus Notarius Advocatus ipſius . . . . . Lupone , Stefano , Johanne &c. intencionem de ſervicium eorum ſuper pre-*

A *dictis omnibus* . . . . (Cetera temporis edacitate obliterata deſiderantur .)

Archiepiſcopus Mediolanenſis, qui huic Placito interfuit , *Aibonis* nomine donatur . Eum Ughellius *Athonem* vel *Achonem* appellat, Epitaphium inſuper adferens , in quo *Attho Oldradus* inſcribitur . Sed quicumque non ignorat, ævo illo nondum invecta fuiſſe Cognomina , quæ nunc in uſu habentur , falſi vitio laborare Epitaphium illud continuò intelliget . Egregium magnique faciendum , alterum Placitum addo , cujus autographum in Archivo ſuo adſervat Capitulum Canonicorum Parmenſium. Hinc autem habemus , coram ipſis Hugone & Lothario Italiæ Regibus celebratum
B fuiſſe Placitum in Palatio Ticinenſi , cui præfuit *Enefaribo*, ſeu *Enefarichus Comes Palatii*, ita appellatus ſub initium Placiti ejuſdem , in fine autem , atque in ſubſcriptione Placito appoſitâ , nuncupatus *Sarilo Comes Palacii* . Itaque primo in loco ſcribendum videtur ; *in eorum præſentia eſſet Sarilo* &c. Vide ſupra Diſſertat. VII. de *Comit. Palatii* .

Placitum Ticini habitum coram Hugone & Lothario Regibus Italiæ, & Curiæ Proceribus atque Judicibus, in quo Eccleſiæ Parmenſi adjudicatur Curticella , cui nomen Loculus , & Abbatia de Berceto, contra Albuinum Judicem, & Anſcharium Marchionem, Anno 935. una cum Placito peracto eâ de re, Anno 906. contra Adelbertum Marchionem, & cum Privilegio Hugonis Regis emiſſo pro Eccleſia Parmenſi , Anno 930.

D*Um in Dei nomine* , *Civitate Papia* , *in Palacium noviter ædificatum ab Domnum Ughonem glorioſiſſimum Rex in Caminata Dormitorii ipſius Palacii* , *ubi ipſe* Domnus Ugo & Lothario filio ejus glorioſiſſimi Reges præeſſent , *in eorum preſentia* Eneſariho Comes Palacii , *ſingulorum hominum juſtitiam faciendum ac deliberandum* , *erantque cum eis* Atto Vercellenſis, Batericus Yborienſis *ſanctarum Dei Eccleſiarum venerabilibus* Epiſcopis, Ubertus *illuſtris* Marchio, & filio idem Domni Ugoni piiſſimi Regis , *Ubertus*, *Lanfranchus*, *Gariardus* , *Giſo* , *Rainulfus qui & Albericus* , *Johannes*, *Teudinus* , & *Martinus* Vaſſi idem Domnorum Regum , *Johannes* , *Arnuſtus* , *Walfredus* , *Raginaldus* , *Walpertus* , *item Johannes* , *Adelgiſus* , & *Airaldus* Judices Domnorum Regum, *Otgerius & item Otgerius* Vaſſalli *ſupraſcripti* Uberti Marchio , *Berengarius* Vaſſallo Domni Sigefredi Epiſcopo , *Cenſaldus de Vico Colloni* , *Gariardus de Parpanenſe* , & *reliqui plures* . *Ibique eorum veniens præſentia prædictus* Domnus Sigefredus Epiſcopus *ſancte* Parmenſe Eccleſie , & *Adelbertus Notarius* , *filio quondam Staudeverti* , *habitator eadem Civitate Parma* , & *Advocato prædicto Epiſcopio ſanctæ Parmenſis Eccleſiæ* , & *idem Domni Sigefredi Epiſcopo*, & *oſtenſerunt ibi Noticia una*, & *Præceptum unum* , *ubi continebatur in prædicta noticia* , *ſicut hic ſubtus legitur* .

Dum in Dei nomine (*) , *ad Curte Velonia-*

C *no* , *finibus Parmenſe* , *qui eſt propria* Domni Adelberti Comes & Marchio , *ubi* Bertaldus Vaſſus & Miſſus Domni Berengarii Regis in judicium reſidebat , *per licentiam ipſius* Domni Adelberti Marchioni , *ſingulorum hominum juſtitias faciendas ac deliberandas* , *reſidentibus ibi cum eo ipſe* Domnus Adelbertus Marchio, *Deodatus* Vicecomes , *Adelbertus* , *Gundelprando* , *Benedicto* , *Amelgerio* , *Ariſre* , *Gaudentio* , *Aultremundo* Scavinis , *Oberto*, *Sigefredo*, *Arimundo* , *Luitaldo* , Vaſſis Domni Marchioni , *Armanno* , *Warinus* , *Bevinus* , Vaſſi Domni Elbungi Epiſcopus , *Ramberto de Tuliore* , *Au-*
D *techerto de Pezenano* , *Anſprando & Aldeverto germanis de Fleſo* , *Gariverto* , *Roitichildo germanis* , *Bernardo de Vico Pauli* , *Ramberto* , *Gamberto de Gambaritico* , *Rimegauſo* , *Criſtofalo* , *Giſo* , *Giſelberto* , *Petrus* , *Conſtantinus* Notariis , & *reliquis multis* : *Ibique eorum veniens præſentia* Elbuncus *venerabilis ſanctæ* Parmenſis Eccleſiæ Epiſcopus , *una cum ipſe Benedicto Scavino & Avocato ipſius Epiſcopio*, & *ibi oſtenſerant Præceptum unum*; & *nos eum ab ordine relegi fecimus*, & *in eo relegiente continebat*.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis . *Karolus* (**) *divina favente clementia Impera-*
E *tor Auguſtus* . *Imperiali clementia congruum fore credimus* , *venerabilium locorum ſtatum jure Regni noſtri proſperis adhæreſcere ſucceſſibus*, *quia ſi Eccleſias omnipotentis Dei temporalibus donamus muneribus* , *theſaurum non deficientem nobis*

(*) Placitum hoc ſpectat ad Annum Chriſti 906.
(**) Ideſt Carolus Craſſus Imperator, Anno Chriſti 880. ſeu potius 881.

unde promereri dabis theſaurizationem in cœlis, quod non conſumit ærugo, nec fures effodiunt, nec furari poſſunt. Quapropter noverit omnium Sanctæ Dei Eccleſiæ, noſtrorumque Fidelium, præſentium ſcilicet ac futurorum, ſolertia, qualiter interventu ac petitione Berengarii, nec non & Waldonis ſublimium Comitum, dilectorum quoque Fidelium & Conſiliariorum noſtrorum, Wibodi ſanctæ Parmenſis Eccleſiæ reverentiſſimus Epiſcopus, dilectus Fidelis noſter, noſtri Auguſtalis culmen poſtulavit regiminis, ut pro Dei amore noſtra, omniumque parentum noſtrorum mercedem, locellum quemdam, nomine Luculum, ſitum in alpinis ac ſcopuloſis vaſtorum montium locis in Comitatu Parmenſis, juris Regni noſtri, ſibi & Eccleſiæ ſuæ concederemus cum finibus & terminis ſuis inter Gavum & Coſtam Finalem, decurrentibus videlicet finibus illis ab alveo torrentis, qui dicitur Incia per Montem Comanenſem, & inde protendentibus in Monte de Calibiano, declinantibus caput in Pratum Rotundum, venientibus ſcilicet illis per Montem de Valle Uſtinaria, inde vero in Montem de Scalugo, deinde autem de Peſſiſi tranſeuntibus ſiquidem per Montem Almaria, & inde per Coſtam Finalem deſcendentibus in prænominatum Torrentem Inciam. Cujus precibus benigno favore inclinati, hoc noſtrum eidem Wibodo venerabili Epiſcopo, Fideli noſtro, juſſimus conſcribi Præceptum, & hanc Imperialis noſtræ conceſſionis paginam, per quam prædictum Locellum, nomine Luculum, ſitum in ſcopuloſis Montium locis infra Comitatum Parmenſem cum deſignatis finibus & terminationibus cum omnibus ſuperioribus & inferioribus ſuis in integrum, ſicut ſupra inſertum eſt, donamus, concedimus atque largimur ſempiternaliter jure proprietario eidem Wibodo Epiſcopo, ſuiſque ſucceſſoribus a parte prædictæ Parmenſis Eccleſiæ, ut habeat, teneat, poſſideat, ac fruatur perenniter tam ipſe Wibodus Epiſcopus quamque & ſucceſſores ejus a parte, ut dictum eſt, prælibatæ Eccleſiæ in æternum, omne publica inquietudine vel repeticione remota atque extincta. Si quis vero, quod minime credimus, noſtris & futuris temporibus contra hanc noſtræ donationis, conceſſionis, ſeu largitionis Præceptum in ſupradictis finibus & deſcriptis terminationibus ab hinc & deinceps jam dicto Wibodo Epiſcopo, ſuiſque ſucceſſoribus injuſte aliquam moleſtiam intulerit, ſciat ſe compoſiturum auri optimi Mancuſos mille, medietatem Palatio noſtro, ac medietatem ſæpe nominato Wibodo Epiſcopo, ſuiſque ſucceſſoribus, quibus violentia inlata fuerit. Et ut hoc noſtræ donacionis ſeu conceſſionis edictum firmius habeatur, & diligentius ab omnibus obſervetur, manu propria ſubter confirmavimus, & Bulla noſtra juſſimus inſigniri.

Signum Domni Karoli ſereniſſimi Imperatoris Auguſti.

Inquirinus Notarius ad vicem Liutoardi Archicancellarii recognovi & ſubſcripſi.

Data III. Idus Martii, Anno Incarnationis Domini DCCCLXXX. (a) & Domni Karoli ſereniſſimi Imperatoris Anno Primo, per Indictionem XIII.

Actum Ticino, Palacio Regio in Dei nomine feliciter. Amen.

Cum ipſum Præceptum ab ordine relectum fuiſſet, interrogati ſunt ipſis Elbuncus Epiſcopus & Benedictus ejus Advocatus, pro qua cauſa ipſum oſtenderent Præceptum. Qui dixerunt: Vere pro ideo illum oſtendimus Præceptum, ut ſciatis qualiter ego pars ipſius meæ Eccleſiæ ipſis rebus, quod in eo legitur, habeo & detineo jure proprietario, & cum ſciens & occultum vel conlodioſum tenere non volo. Et quod plus eſt volo, ut dicant illis Domnus Adelbertus Comes & Marchio, & Berta conjuge ejus, vel ille Boniprandus eorum Advocato, qui ad hic præſens ſunt, ſi ipſis rebus, quod in eodem legitur Præceptum, nobis parti noſtræ Eccleſiæ contradicere volerent, an non. Qui & ipſis Adelberto & Berta jocalibus, & Boniprando Advocato eorum profeſſi & manifeſti dixerunt, quod ipſum Præceptum in omnibus bonum & verum eſt, & ipſis rebus, quod in eo legitur non contenderent, nec contradicere queſiſſent, quia cum Lege non poterant, ſed propriis ipſius veſtræ Eccleſiæ eſſe debent. Cum hæc omnia taliter actum & manifeſtum fuiſſet, paruit nobis ſupraſcriptorum Judicum & Auditores eſſe rectum, & judicavimus, ut ammodo in antea ipſis rebus juxta ipſum Præceptum ipſe Elbuncus Epiſcopus parti ſuæ Eccleſiæ habere & detinere deberet, & ipſis Adelberto & Berta jocalibus, vel ipſe Boniprandus eorum Advocato fuiſſent ſibi exinde taciti & contenti; pro hac cauſa ad memoriam retinendum ammonuimus exinde Martinus Notarius hanc notitiam commemorationis ſcribere; quidem & feci Anno Domni Berengarii Regis Octavodecimo, Menſe Madio, Indictione IX. (b)

Signum manu Bertaldi Vaſſus & Miſſus Domni Regis, qui ut ſupra interfui.

Signum manu Deodati Vicecomes, qui ibi fuit.

Ego Adelbertus Scavinus ibi fui.

Signum manu Amelgarii Scavino, qui interfui.

Signum manu Arſri & Gaudentii Scavinis, qui ibi fuerunt.

Ego Auferemundo Scabino ibi fui.

Ego Rimegauſo Notario ibi fui.

Ego Giſelbertus Notarius ibi fui.

Ego Criſtofalus Notarius ibi fui.

Ego Giſo Notario ibi fui.

Ego Petrus Notarius ibi fui.

Ego Otbertus ibi fui.

Ego Arimundo ibi fui.

Signum manu Sigefredi & Liutaldi Vaſſis Domni Adelberti Marchio, qui ibi fuerunt.

Signum manu Almerici, & Armanni, & Warini, & Bevini, qui ibi fuerunt in prædicto Præcepto continente in ea ab ordine per omnia ita.

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Ugo (c) divino fretus auxilio Rex. Nihil apcius ob noſtræ ſublimitatis honorem, noſtrique regiminis corroboracionem facere credimus, quàm ſi ſanctarum Dei Eccleſiarum habentes ſollicitudinem earum dotes inconvulſas ſervare curamus, & juſtis fidelium pias aures accomodamus: ac per hoc omnium ſanctæ Dei Eccleſiæ, noſtrorumque Fidelium præſentium & futurorum noverit ſagacitas, qualiter interventione Aldæ amantiſſimæ & cariſſimæ Conjugis noſtræ, ſeu Ermengardæ Comitiſſæ & dilectæ Sororis ac Conſiliatricis noſtræ, nec non & Samſon Comitis nobiliſſimi, Fidelis noſtri, Sigefredus vene-

ne-

(a) Scribendum omnino videtur DCCCLXXXI. & Indictione XIIII. Vide infra Diſſert. XLI. de Nominibus, ubi de Imperiali Epocha Caroli Craſſi diſceptabitur. Authenticum hujus Chartæ non vidi.

(b) Idest Anno Ch. DCCCCVI.

(c) Hoc Præceptum ſpectat ad Annum Chriſti 930.

A *nerabilis ſanctæ* Parmenſis Eccleſiæ Epiſcopus, *dilectuſque Fidelis noſter, noſtræ ſerenitatis adiit celſitudinem, petens, quatinus Præcepta atque auctoritates piiſſimorum Auguſtorum vel Regum prædeceſſorum noſtrorum, omniumque, quodquod a tempore divæ memoriæ* Radchis Regis, *uſque ad præſens noſtrum tempus ſui prædeceſſores præfatæ ſanctæ Parmenſis Eccleſiæ acquiſierunt, Abbaciam ſcilicet de Bercetum in honore Sancti Remigii extructam in integrum, ac ejuſdem Parmenſis Civitatis diſtrictum, & omne jus publicum & tholoneum, ambitumque murorum in circuitu, & locellum quendam, Luculum nominatum, ſitum in alpinis ac ſcopuloſis vaſtorum montium locis in Comitatu*
B *Parmenſe, cum finibus & terminibus ſuis in integrum, ſicut in Præcepto bonæ memoriæ Karoli Imperatoris prædeceſſoris noſtri continetur, ceteraque etiam, quæ a Prædeceſſoribus noſtris prælibatæ Eccleſiæ Parmenſi dudum collata ſunt, noſtri corroboratione Præcepti concederemus atque corroboraremus: eorum ſimul junctis condignis peticionibus ratam fore Deo pleniter exiſtimantes, atque ad remedium animæ noſtræ proficere firmiter cognoſcentes, hos noſtræ auctoritatis apices inſcribi juſſimus. Quibus decernimus, ut jam dicta Abbacia de Bercedo, & Diſtrictum juris publici Parmenſis Civitatis, cum ambitu murorum, ſive theloneum ejuſdem Civitatis, nec non & Curtem Regiam cum pertinentia ſua, & Pratum Regium, ſeu & Lo-*
C *cellum illum, nomine Luculum; cum finibus & terminacionibus ſuis, ut dictum eſt, vel quidquit antiqui Reges ſeu Imperatores & reliqui homines Deum timentes memoratæ ſanctæ Parmenſis Eccleſiæ ſuis Præceptis vel teſtamentis contulerunt, & poſtea præcellentiſſimi Reges atque Auguſti ſua auctoritate confirmaverunt, juſte & legaliter, ſtabili, atque inconvulſa, noſtris futuriſque temporibus in ſua poteſtate vel jure ſuæ ſanctæ Parmenſis Eccleſiæ præſcriptus Sigefredus Epiſcopus, ſuique ſucceſſores perpetualiter teneant. Statuimus etiam, & modis omnibus interdicimus, ut nullus ſub Regno noſtro conſtitutus, de rebus ſupra taxatæ Eccleſiæ in quibuſcumque Comitatibus vel locis aliquam di-*
D *minorationem facere, aut alias quaslibet annuales dominationes, aut conſuetumdinaria more exigere vel tollere aliquit, aut Clericos ejuſdem Eccleſiæ in perſonis vel domibus ſuis lædere audeat, ſed repulſa omni injuſta conſuetudine liceat prætaxato venerabili Epiſcopo Sigefredo, ſuiſque ſucceſſoribus, omnes res jam dictæ Parmenſis Eccleſiæ, de quibus legitimam veſtituram tenuit, vel tenere dinoſcitur, aut in futurum tentura eſt, cum univerſis ſibi ſubjectis ſub immunitatis noſtræ defenſione quieto ordine tenere, atque pro incolomitate noſtra altiſſimum Dominum exorare. Omnimodis etiam præcipimus, ut ſi de rebus jam dictæ Eccleſiæ ullam diminora-*
E *tionem quislibet facere temptaverit, non ſit neceſſe jam dicto Epiſcopo ejuſque ſucceſſoribus, ſive ejuſdem Eccleſiæ cauſam peragentibus, ullam facere probationem, ſed diligenter per bonæ fidei homines jurejurando finiatur, ut rei veritas declaretur. Quicumque ergo hujus noſtri Præcepti prævaricator extiterit, trecentas auri optimi Libras componere cogatur, medietatem Cameræ noſtræ, & medietatem præfatæ Parmenſis Eccleſiæ & jam dicto Sigefredo Epiſcopo, ejuſque ſucceſſoribus, qui pro tempore fuerint. Quod ut verius credatur, diligentiuſque ab omnibus obſervetur, manu propria roborantes, de anulo noſtro ſubter annotari juſſimus.*

Signum Domni Hugonis glorioſiſſimi Regis.

Petrus Notarius ad vicem Gerlandi Abbatis & Archicancellarii recognovi & ſubſcripſi.

Data XVI. Kalendas Octubris, Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXXX. Regni vero Domni Hugonis invictiſſimi Regis V. Indictione IV.

Juſſum Papiæ, & Actum Parmæ, in Dei nomine feliciter.

Erat Præceptum ipſum manu propria idem Domni Hugoni glorioſiſſimum Rex firmatum, & ab ejus anulo ſigillatum. Noticia ipſa, & prædictum Præceptum oſtenſi, & ab ordine lecti, interrogati ſunt prædictus Domnus Sigefredus Epiſcopus, & Adelbertus Notario & Advocato ab his Judices & Auditoribus, pro qua cauſa prædicta Noticia, etiam dictum Præceptum oſtenderent. Qui dixerunt: Verè ideo hic veſtri præſentiæ iſta oſtenſimus Noticia & Præceptum, ut ne quislibet homo dicere poſſit, quod nos a parte prædicto Epiſcopio ſanctæ Parmenſis Eccleſiæ eis ſciens, aut occulte, vel conludioſe habuiſſemus vel detenuiſſemus. Et quod plus eſt, querimus, ut dicant iſte Albuinus Judex quondam Petri, idemque Judici filius, & Avocato Domnorum Regum, ſeu pars publica, qui hic ad preſens eſt, ſi noticia iſta & jam dictum Præceptum bonum & verax ſunt, vel ſi jam dicta Curticella, qui vocatur Luculo, ſicut & in iſta noticia & Præceptum, quæ in ea continetur, vel in iſto alio Præcepto, quas iſte Domnus Hugo piiſſimus Rex ſuæ clementiæ fecit parti jam dicto Epiſcopio prædictæ ſanctæ Parmenſis Eccleſiæ da pars Domnorum Regum, ſeu pars publicæ, & quicquid in ipſa Præcepta & Noticia continet quid a pars regia & pars publicæ pertinuit, contradicere aut ſuſtrahere vult, an non. *Qui & ipſe Alboinus Judex & Avocatus dixit & profeſſus eſt:* Verè Noticia iſta & Præceptum, quæ in ea legitur, & in iſtum alium Præceptum, quam hic oſtenſiſtis, boni & verax ſunt: & prædicta Curticella, quæ vocatur Luculo, cum ſua pertinencia, ſicut fines diſcernitur, etiam dicta Abbacia, quæ dicitur Berceto, ſive omnibus quicquid per iſtas Præceptas in jam dicto Epiſcopio datas vel conceſſi ſunt da pars regia, & pars publicæ pertinuerant partem jam dicto Epiſcopio, da pars regia & pars publicæ, unde ego Advocatus ſum, non contradixi, nec contradicere quero, quia nec legibus poſſum, eo quod propriis parti jam dicto Epiſcopio juxta iſta Noticia & Præceptum, quæ in ea legitur, & juxta iſtum alium Præceptum cum lege, & debent, & pars regia, ſeu pars publicæ nihil pertinent ad habendum, nec pertinere debent cum lege. *Et dum ibi ad preſens eſſe* Anſcharius Marchio quondam Adelberti *idemque* Marchio filio, *& Raperto, qui & Azo, filio quondam Gaubaldi de loco Vedolio adjutores ejus, qui ejus cauſam ex Regia juſſione peragebat, interrogati ſunt ab eiſdem Domni Sigefredus Præſule & Adelbertus Notario & Advocato, quid contra jam dictam Noticiam & præceptum, que in ea legitur, ſeu in alium Præceptum ad Domnum Hugonem emiſſum, qui ibi oſtenſerunt, & lecti eſſent, dicere volerent, vel ſi jam dicta Curticella, quæ vocatur Luculo, cum ſua pertinentia, ſicut fines diſcerniſſent, parti jam dicto Epiſcopio contradicere aut ſubtrahere volerent, an non. Qui & ipſis* Anſchario Marchio *& Raperto ejus Adjutor dixerunt & profeſſi ſunt.* Verè Noticia iſta & Præceptum, quem in ea legitur,

ſive ipſum aliud Preceptum, quam hic oſtendiſſet, bona & veraz ſunt; & jam dicta Corticella, qui dicitur Lucula, cum ſua pertinentia, ſicut ſuperius diximus, & quicquid ibi pars publica pertinuit, quod in illa legitur Noticia & Precepta, parte jam dicto Epiſcopio ſancte Parmenſis Eccleſie cum lege eſſe debent, & mihi Anſcharo nihil pertinent ad habendum, nec pertinere debent cum lege. *Et taliter ſi prædicto Anſchario Marchio exinde ſe werpivit & abſolutus fuit. His actis, & manifeſtatione, ut ſupra fecit, nullum earum* [illegible] *paruit eſſe, &* [illegible]*, ut juxta eorum altercationem, & prædictorum Alboini Judex & Avocato, ſeu Anſchario Marchio, & Raperti ejus Adjutor, profeſſionem & manifeſtationem, ut pars jam dicti Epiſcopio ſancte Parmenſis Eccleſiæ jam dictam Corticellam, que vocatur Lucule, & prædicti Abbatis, que dicitur Bercetum, cum ſuarum pertinentiis, & quicquid ibi pars Regis & pars Publicæ pertinuit, quod in ipſas continetur Præceptas & Noticia ad ſuam proprietatem habere & detinere deberent. Et ipſi Alboinus Judex & Avocato, ſeu pars Regis, & pars Publicæ, atque prædicti* Anſcharius Marchio, *& Rapertus ejus Adjutor manerent inde taciti & contenti. Et finita eſt cauſa. Et hanc noticia pro ſecuritate ipſius Epiſcopio ſancte Parmenſis Eccleſiæ fieri juſſimus.*

Quidem & ego Ripertus Notarius & Judex Domnorum Regum ex juſſione ſupraſcripto Sarilone Comes Palacii, *& Judicum ammonicione ſcripſi. Anno Regni Domni Hugoni & Lotharii filio ejus gratia Dei Reges, Deo propicio, Domni Hugoni Decimo, Lotharii vero Quinto, XIV. Kalendas Octobris, Indictione IX.*

Sarilo Comes Palacii ſubſcripſi.

Atto Dei gratia Epiſcopus interfui.

Johannes Judex Domnorum Regum interfui.

Arnfuſus Judex Domnorum Regum interfui.

Johannes Judex Domnorum Regum interfui.

Walpertus Judex Domnorum Regum interfui.

Walfredus Judex Domnorum Regum interfui.

Adelbertus Judex Domnorum Regum interfui.

Lanfrancus ibi fui.

Auctor eſt Florentinius in Vita Mathildis Comitiſſæ Lib. 3 pag. 42. Hubertum Hugonis Regis filium extra nuptias natum, tantummodo poſt Annum DCCCCXXXVI. *Tuſciæ Marchionem* fuiſſe conſtitutum. At heic, ideſt Anno DCCCCXXXV. (hunc enim indicare videtur *Indictio Nona*, ſiquidem ea Kalendis Septembribus immutata fuerit) nos habemus Hubertum jam *illuſtris Marchionis* titulo donatum. Attamen minime certum eſt, an ex Tuſciæ Præfectura eidem jam collata obvenerit Huberto hæc appellatio. Quod ſi ad ſubſequentem Annum integrum DCCCCXXXVI. referenda eſt *Indictio IX.* locus conjiciendi rectius aperitur, cum ante Kalendas Octobris Anni DCCCCXXXVI. renunciatum fuiſſe Tuſciæ Marchionem. Hinc etiam diſcimus, ***Attonis*** *Vercellenſis Epiſcopi celebris* inaugurationem ad Epiſcopatum maturius eſſe ſtatuendam, quam Ughellius cenſuerit, illam referens ad Annum DCCCCXLV. Deſideratur etiam in Catalogo Eporedienſium Epiſcoporum apud eundem Ughellium *Bater[illegible] Yporienſis*, hoc eſt, *Eporedienſis*, in hoc Placito commemoratus. Complectitur autem Charta hæc Placitum alterum Anno DCCCCVI. habitum in agro Parmenſi *in Curte propria Domni Adelberti Comes & Marchio*. Sed quis Adelbertus iſte? Duos ea tempora agnovere Adelbertos, quorum unus cognomento *Dives*, Tuſciæ Marchionis dignitate inſignitus erat; alter verò eodem titulo Eporedienſi Civitati, & conterminis locis præerat, uti in Antiquitatibus Eſtenſibus oſtendi. Sed Tuſciæ Regulum heic memorari, ea evincunt, quæ ſequuntur. Nempe is appellatur *Adelbertus Comes & Marchio, & Berta conjux ejus*. Nimirum Berta appellata eſt uxor Adelberti II. Tuſciæ Marchionis. Ex hac etiam Charta elucet, emendationem adhibendam eſſe Catalogo Epiſcoporum Parmenſium in Italia Sacra Ughellii, ubi *Elburgus* nuncupatur, qui uti ex illa Charta apparet, *Elbuncus* erat ſcribendus. Denique in Diplomate Hugonis Italiæ Regis, quod heic itidem committitur, memoratam videas *Albam* ejus uxorem. Et *Ermengardam* ſororem, quæ Adelberto Eporedienſi Marchioni nupſit; uti & *Sampſonem Comitem*, qui a Liutprando Ticinenſi in Hiſtoria appellatur *præpotens Comes*. Huic Hugonis Regis Præcepto alterum ſimile profert Ughellius Tom. 2. Ital. Sacr. pag. 198. primæ editionis, ubi eædem notæ Chronologicæ occurrunt, quæ in Præcepto nunc a me edito viſuntur. Sed quei ſe res habeat, viderint alii: autographum enim Ughelliani Diplomatis egomet ſub oculis habui, ibique legebam: *Data XIV. Kalendas Octubris Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXXIX. Regni vero Domni Hugonis invictiſſimi Regis Quarto, Indictione Tercia. Actum Parmæ in Dei nomine feliciter. Amen*. Denique in hujus Placiti Charta memoratur *Anſcharius Marchio quondam Adelberti Marchionis filius*. Is autem eſt, quem Liutprandus Ticinenſis in Hiſtor. Lib. 4. Cap. 4. his verbis deſcribit: *Anſcarius Berengarii* (qui poſtea Rex Italiæ fuit) *frater, quem ex Adelberto Ermengarda Regis Hugonis genuit ſoror*, ***virium audaciá potentiáque clarebat***.

In his vero Placitis in more habuerunt Clerici præſertim & Monachi patrocinium Regis, ſive Imperatoris implorare contra ſuorum bonorum vexatores. Si juſte id petebatur, conſuevit Princeps, aut ejus Miſſi, *Bannum* mittere ſuper ea bona, ac pœnam promulgare adversùs infeſtatores eorumdem. En exempla geminorum Placitorum ab ipſis Auguſtis habitorum, e quibus primum archetypum vidi in Tabulario inſignis Monaſterii Patavini Benedictinorum Sanctæ Juſtinæ.

Decre-

Decretum Henrici Imperatoris Tertii promulgatum in Placito Patavii habito pro tutela quorumdam bonorum, ad Monachos Sanctæ Juſtinæ Patavinæ ſpectantium, Anno 1095.

D*Um in Dei nomine in Civitate Patavi in Broilo juſta Epiſcopalem Domum in judicio reſidebat* Domnus Henricus, *Dei gratia*, Tercius, Romanorum Imperator Auguſtus, *adeſſet cum ſeo* Walbrunus Veronenſis Epiſcopus ac Cancellarius, Bruchardus, & Walnerius Marchiones, Bonefacius Comes, Manfredus Comes, *Hiſnardus*, *Aldecherius*, *Aichardus*, *Ugo*, *Gumbertus* Judices, *Peregrinus de Verona*, *Ubertus de Fontanaviva*, *Cono*, *Gumbertus de Talſano*, *Odelricus de Salvazano*, *Ucho de Caſale*, *Baronzello*, *& Cono Patuaro*, *Bernardus Almenardo*, *Odo de Juſtinus Judex*, *& reliqui plures. Ibique in eorum veniens preſentia Johannes Presbyter & Monachus, Prior Monaſterii Sancte Juſtine, cum ceteris Monachis ejuſdem Monaſterii, inſimul cum Ingelero Avocato ſupraſcripti Monaſterii, retulerunt & ceperunt dicere, ac poſtulare mercedem.* Petimus ad vos, Domne Imperator, ut vos propter Deum, ac veſtram mercedem, ut mittatis bandum ſuper nos, & ſuper illas res, quas res Litulfus de Cararia hic in veſtra preſentia nobis refudavit. Scilicet Curtem, que vocatur Monteſilice, cum omnibus rebus ad ipſam Curtem pertinentibus, & ſuper illas res, quas Milo & Henricus germani ſimiliter hic in veſtra preſentia nobis refudaverunt: ſcilicet Villa, que dicitur Lignaria, & Villa, que dicitur Ronchi, cum omnibus pertinentiis ſuis, & Villa, que dicitur Tribano, & Caput Silve. *Tunc cum predictus Domnus Imperator taliter audiſſet mercedem, per Judicum conſilium, que ibi aderant, & per fuſtem, quem in ſua tenebat manu, miſit bandum ſuper predictos Monachos & ſuper eorum Avocatum, & ſuper predictum Monaſterium, & ſuper predictas omnes illas res, que ſuperius leguntur in integrum, ut nullus quislibet homo*

A *predictum Monaſterium de predictis rebus inquietare aut moleſtare, vel deveſtire audeat. Qui vero hoc fecerit, ſciat ſe compoſiturum auri optimi Libras centum, medietatem Camere Domni Imperatoris, & medietatem a predictum Monaſterium Sancte Juſtine. Et inſuper miſit bandum, ut nullus Epiſcopus, nulluſque Abbas predictas res audeat in beneficium alicui dare vel per titulum pignoris alicui obligare, vel quodcunque ingenium a manibus Fratrum auferre. Qui vero hoc fecerit, ſciat ſe compoſiturum Parti Publice auri optimi Libras centum. Finita & cauſa, & Noticia pro ſecuritate ſupra-*
B *ſcriptum Monaſterium Sancte Juſtine fieri ammonuerunt.*

Quidem & ego Johannes Notarius ex juſſione Domni Imperatoris, & Judicum amonitione ſcripſi Anno ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti Milleſimo Nonageſimo Quinto, Secundo Kalendas Junii, Indictione Tercia.

✠ *Ego* Henricus *Dei gratia* Tertius Romanorum Imperator Auguſtus *ſubſcripſi*.

C ✠ *Ego* Wilbrunus Cancellarius *ex juſſione Domni Imperatoris manu mea ſubſcripſi*.
✠ *Ego* Iſnardus Judex *ſubſcripſi*.
✠ *Ego* Aldegerius Judex *interfui*.
✠ *Ego* Ugo Judex *interfui*.
✠ *Ego* Gumbertus Judex *interfui*.
✠ *Ego* Agichardus Judex *interfui*.
✠ *Ego* Peregrinus Judex *interfui*.

Alterum e membranis Ferrarienſibus excerptum ad me miſit Joſeph Antenor Scalabrinius Ferrarienſis, antiquitatum amantiſſimus, & Eccleſiæ Sanctæ Mariæ in Bucca Rector.

Placi-

Placitum Gubernuli habitum ab Henrico inter Imperatores Quarto, in quo Canonicis Regularibus Curtis Melariæ patrocinium ſuum largitur, Anno 1117.

DUm in Dei nomine, die Sabbati . . . . . . Idus Madii, in Loco Gubernule, ſolitet prope Eccleſiam . . . . gratia Quartus Romanorum Imperator Auguſtus in judicio reſideret ad juſtitias faciendas ac deliberandas; adeſſent cum eo Wernerius Bononienſis, Ubaldus de Carpenedo, Judices; Arduinus de Palude, Opizo de Gonzaga, Saſſo de Bibianello, Girardus de Plaza, Sicfredus de Bondeno, Rolandus de Rumo Rolandi, Ratikerius de Gonzaga, Odo de Mulo, & reliqui quamplures. Ibi in illorum veniens preſentia Wibertus Prior de Curte Melara Sancti Salvatoris, una cum fratre ſuo Johanne Presbitero, cepit proclamare mercedem Dei, ac Domno Imperatori poſtulans, ut ipſe juſtitiam faceret de tanta oppreſſione, quam de predicta Curte Melara Sancti Salvatoris a Miniſtris Comitiſſæ de Revere injuſte patiebatur. Tunc Domnus Imperator juſtitiæ pacisque amator, ac omnium Eccleſiarum defenſor, miſericordia motus, per Judicum conſilium, per lignum, quod in ſua tenebat manu, Bannum Imperiale ſuper predictum Wibertum Priorem, & ſuper Curtem Melaram, & ſuper omnes res & poſſeſſiones, piſcationes, venationes, & ſuper omnia bona & jura, que prefata Eccleſia Sancti Salvatoris in Curte Melara, vel extra Curtem tunc habebat, vel in antea Deo propitio adquiſitura erat legitime: ſcilicet, ut nullus Patriarcha, Archiepiſcopus, Epiſcopus, Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, Capitaneus, Vavaſſor, Advocatus, Gaſtaldio, Villicus, Decanus, vel aliqua magna parvaque perſona predictum Priorem, ſuſque ſucceſſores de prefata Curte Melara, vel de Cella Sancti Stephani, ſine legali judicio diſveſtire, moleſtare, vel inquietare audeat. Qui vero infringere hoc Preceptum temptaverit, ſciat ſe compoſiturum centum Libras auri, medietatem Imperatoris Camere, & medietatem predicto Priori Sancti Salvatoris, ſuiſque ſucceſſoribus ejuſdem Eccleſie Sancti Salvatoris & Stephani de Melara ſervientibus.

A

Factum eſt hoc Anno ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti Milleſimo Centeſimo Decimo Septimo, Indictione VIIII.

B

✠ Henricus Dei gratia Romanorum Imperator Auguſtus.

✠ Ego Wernerius Judex affui & ſubſcripſi.
✠ Ego Ubaldus Judex interſui & ſubſcripſi.
✠ Ego Obertus Domni Henrici Imperatoris Judex interſui, & per ejuſdem Imperatoris preceptum hanc notitiam ſcripſi.

C

Ejuſdem Banni, ſive protectionis Cæſareæ donum, ipſi Regii Miſſi facultatem concedendi habuere. Atque heic exerere volo duo Placita in eadem Civitate Veronenſi habita, atque ex Archivo Cathedralis Patavinæ Eccleſiæ depromta.

Bannum in Placito Veronenſi emiſſum a Bennone Oſnaburgenſi, & Odone Novarienſi Epiſcopis pro tutela Canonicorum & Clericorum Eccleſiæ & Diœceſis Patavinæ, Anno 1077.

DUm in Dei nomine in Caminata Monaſterii Sancti Zenonis in judicio reſideret Domnus Benno Oſnebrugenſis Epiſcopus, & Odo Novarienſis Epiſcopus, adeſſet cum eis Albertus Marchio, & Albertus Alimannus, & reliqui Proceres Italiæ, & Judices ſacri Palacii Walcauſus, Bonushomo, Johannes &c. & reliqui plures. Ibique in eodem judicio venerunt Milo Archidiaconus, & Liutefredus ſimiliter Archidiaconus, & Adam, & Ubertus Presbiter, & Aribertus Presbiter cum Canonicis ſuis, & Martinus Archipresbiter de Sancta Juſtina, & Johannes Archipresbiter de Rovolone, & Vitalis Presbiter &c. cum Bertaldo Advocato eorum. Et petierunt ad ſupraſcriptos Epiſcopos, ut ipſi propter Deum & anime Domni Regis mercedem mitteret bannum ſuper ſupraſcriptos omnes Presbiteros & Clericos ad partem predictarum Eccleſiarum de Plebibus Montegalli, & Rovolone, Lixaro, Adrino, Caltana, Cauſalve, Cona, Tribano, Maſerada, Albegnaſega, Abano, Terricla, Galcignano, Luvigliano, Curtarodulo, Sarmaza, cum omnibus ſuis Capellis ad ſupraſcriptas Plebes pertinentibus, poſitis in Epiſcopatu Patavenſi in integrum. Similiter petiverunt ſuper quarteſem & decimas & omnes res ad ſupraſcriptas Plebes pertinentes de dotibus & de omnibus rebus ad ſupraſcriptas Plebes pertinentibus, ut nullus quislibet homo ſupraſcriptos omnes Presbiteros & Clericos ad partem ſupraſcriptarum ſanctarum Eccleſiarum de jam dictis omnibus rebus, ſeu de quarteſimis decimarum diſveſtire vel moleſtare preſumat ſine legali judicio. Et cum ipſi omnes jam dicti Clerici ſimul cum Bertaldo Advocato eorum taliter petiviſſent, tunc ipſe Domnus Benno, & Odo Epiſcopi miſerunt bannum ſuper jam dictos Clericos omnes, & ſuper jam dictum Advocatum ad partem ſupra dictarum Eccleſiarum de ſupra dictis omnibus rebus & quarteſimis, in centum Libras auri, ut nullus quislibet homo &c. Et hanc Noticiam, qualiter acta eſt cauſa, ipſi predicti Epiſcopi fieri juſſerunt.

D

E

Quidem & ego Wido Notarius ſacri Palacii ex juſſione predictorum Benni & Odonis Epiſcoporum & Judicum amonicione ſcripſi, Anno ab Incarnacione Domini noſtri Jeſu Chriſti Milleſimo

ſimo

ſimo Septuageſimo Septimo, Regni vero prediƈti Domni Tercii Henrici Regis Anno Viceſſimo Quarto, X. die Menſis Marcii, Indiƈtione Quintadecima.

Ego Benno Oſnebrugenſis Epiſcopus *ſubſcripſi*.

A

Odo *divina gratia* Novarienſis Epiſcopus *ſubſcripſi*.

Ego Gandulfus Judex *interfui*.

Ego Walcauſus Judex *interfui*.

Gregorius Epiſcopus Vercellenſis, & Odelricus Miſſi Regis Henrici in Placito Veronenſi bannum emittunt pro tutela Canonicorum Eccleſiæ Patavinæ, Anno 1077.

D*Um in Dei nomine, in ſuburbio Civitatis Verone, in caſa Monaſterii Sanƈti Zenonis in judicio reſidebat* Domnus Gregorius Cancellarius & Epiſcopus Vercellenſis Eccleſie, *&* Odelricus Miſſus Domni Enrici Regis, *ad juſticiam faciendam ac deliberandam; reſidentibus cum illis* Boſo Comite, *& Alberto Alamanno*, W*alcauſo &c.* Legisperitis; *Wido de Landriano, Erizo de Cararia, Rufus de Montagnone, Ugo de Baone, & reliqui plures. Ibique in eorum preſentia venerunt Milo Archidiaconus, & Litteſredus Diaconus, & Adam &c. Diaconi Canonice Sanƈte Marie Patavenſis Eccleſie una cum Bertaldo Advocato eorum, & ceperunt dicere*: Domne Gregori Cancellari ac Epiſcope Vercellenſis, & Domne Odelrice Miſſi Domni Enrici Regis, volumus & deprecamur, ut vos propter Deum & animam Domni Imperatoris mittatis bannum ſuper nos Canonicos Sanƈtæ Mariæ Patavenſis Eccleſiæ una cum Advocato noſtro, & ſuper maſſaricias ...... quæ jacent in Comitatu Patavino, & infra finem de Villa, quæ dicitur Galzegnano, & in ejus finibus cum omnibus *&c. Et cum ſupradiƈti Canonici taliter retuliſſent, tunc Domnus Gregorius Cancellarius ac Epiſcopus Vercellenſis, & Odelricus Miſſus Domni Einrici Regis per fuſtem, quem tenebat in ſuis ma-*

B

nibus, miſit bannum ſuper jam diƈtos Canonicos &c.

Quidem & ego Ugo Notarius & Judex ſacri Palatii ex juſſione Domni Gregorii Cancellarii ac Epiſcopi Vercellenſis & Odelrici Nuncii Domni Einrici Regis, & Judicum ammonicione ſcripſi, Anno ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti Milleſimo Septuageſimo Septimo, Regni vero Domni Tercii Einrici Regis Anno Viceſimo Primo, XIV. die Menſis Marcii, Indiƈtione XV.

Ego Gregorius Vercellenſis Epiſcopus & Cancellarius *ſubſcripſi*.

Ego Walcauſus Judex *interfui*.

Ego Marcus Judex *interfui*.

C

✠ *Signum manus ſupraſcripti* Domni Odelrici Miſſi Domni Heinrici Regis.

In utroque Placito Leƈtor animadvertat velim *Domnum Tercium Einricum Regem* nuncupari. Hoc ſane inſuetum. Innumera ſunt monumenta, in quibus is *Heinricus Quartus Rex* dicitur, atque heic ego duo tantùm ex multis excerpta proferre ſtatui. Primum deſcripſi e vetuſto apographo, exiſtente apud Monachos Benediƈtinos Sanƈti Salvatoris Ticinenſis, & ſpeciem autographi ad primum aſpeƈtum referente.

Henrici IV. Regis Germaniæ ac Italiæ Diploma, quo Monachis Ticinenſibus Sanƈti Salvatoris omnia illorum jura confirmat, Anno 1077.

I*N nomine ſanƈtæ & individuæ Trinitatis.* Heinricus Quartus *divina favente clementia* Rex *ſecundùm voluntatem Dei Salvatoris noſtrique liberatoris quicquid confirmationis & proprietatis ad Eccleſiarum Dei Sanƈtorumque ſuorum exaltationem prebuerimus, id nobis ad eterne beatitudinis bravium, & ſecularis vite profeƈtum eſſe profuturum veriſſime credimus. Igitur omnium ſanƈte Dei Eccleſie fidelium noſtrorumque, preſentium ſcilicet ac futurorum noverit univerſitas, qualiter nos pro Dei omnipotentis amore, & Patris noſtri, noſtreque anime, &* amite noſtre Adheleide *amore & remedio* ...... Comitis noſtri *fideliſſimi* Adalberti, *etiam Alenanni Brixienſienſis* (ſic) *Vexilliferi, rogante* Domno Genexio *venerabili* .... Adheleida ſanƈte Imperatricis Auguſte *memorie concedimus & confirmamus atque corroboramus noſtra Regali* ..... *ideſt* .... *& conſecrata in onore Sanƈti Martini in loco Marinco, cum omnibus pertinentiis ſuis, & rebus, quas habet & Deus donare* ...... *donatas a bonis hominibus, nec non etiam terram noſtri Bononis, & vineas*

D

& pratas & ſediminas & inſulas ſine ullo tenore ...... *quas olim* ..... *amus & donamus, & terram aliorum hominum, quas Deus omnipotens permiſerit donare ſeu judicare ſupradiƈte Eccleſie Sanƈti Martini noſtris temporibus ſuis* ...... *ſucceſſoribus. Hec igitur omnia idem venerabili Monaſterio Domini Salvatoris nos pro ſalute anime noſtre, noſtrorum parentum, Regali munimine & Precepto confirmamus, concedimus & corroboramus & imperpetuum jure & abenda tenenda ſancimus. Precipiendo vel precipientes denique jubemus, & hac Regali auƈtoritate judicamus, ut nullus Dux, Archiepiſcopus, Epiſcopus, Marchio, Comes, Vicecomes, noſtrumque Miſſum, Gaſtaldium, Sculdaſcius, nullaque magna parvaque perſona prediƈtum Abbatem Genexium, ejuſque ſucceſſores imperpetuum de prediƈta Eccleſia Sanƈti Martini ejuſque pertinentiis, mobilibus, & immobilibus, inquietare, moleſtare, vel diveſtire ſine Regali & legali juditio preſumat. Si quis igitur Archiepiſcopus, Epiſcopus, Marchio, Comes, Vicecomes, aut noſtrum Legatum, Gaſtaldium, Sculdaſcius,*

E

daſſum, aut aliqua Regni noſtri magna parvaque perſona contra hanc noſtre auctoritatis & Regie confirmationis agere temtaverit, vel in aliquo ſupradictum locum inquietare, moleſtare. audierit, reus noſtre Curie judicetur, & centum Libras auri ſolvere cogatur, medietatem Camere noſtre, & medietatem predicte venerabili Abbati, ejuſque ſucceſſoribus imperpetuum: & inſuper, quod deterius eſt, cum Juda traditore Domini Salvatoris, in cujus nomine jam dictum Monaſterium conſtructum eſt, æternis deputetur incendiis. Ut autem verius credatur hoc Preceptum, noſtra auctoritate peractum, preſentem paginam . . . . propria . . . . . infra corroborantes, ſigillo noſtro juſſimus inſigniri.

Signum Domni Heinrici Quarti Regis *invictiſſimi.*

Gregorius Vercellenſis Epiſcopus & Cancellarius, vice Domni Hitulſi Colonienſis Archiepiſcopi & Archicancellarii, recognovit.

Locus ✠ Sigilli cerei.

Datum Tercio Nonas Aprilis Anno ab Incarnacione Domini noſtri Jeſu Chriſti Milleſimo Septuageſimo Septimo, Indictione XV. Anno autem ordinationis quidem Domni Heinrici IV. Regis *XXVI. Regni vero XXIIII.*

Actum Papiæ feliciter. Amen.

En alterum exemplum ex archetypo depromptum, quod mihi oblatum eſt Lucæ in Archivo inſignis Monaſterii ſacrarum Virginum Sanctæ Juſtinæ.

Diploma Henrici IV. Regis Germaniæ ac Italiæ, quo Herithæ Abbatiſſæ Monaſterii Lucenſis Sancti Salvatoris omnia bona ac jura confirmat, Anno 1081.

IN nomine Sancte & individue Trinitatis. Heinricus *divina favente clementia* Quartus Rex. *Quicquid locis divino cultui mancipatis noſtræ liberalitatis munere conferimus, id nobis ad æternæ retributionis remunerationem profectu minime diffidimus. Cognoſcat igitur omnium fidelium ſancte Dei Ecclesie, ſeu noſtrorum, preſentium ſcilicet, futurorumque ſollertia, qualiter nos interventu, ac petitione fidelis noſtri* Bochardi Cancellarii Lauſannienſis Epiſcopi *per hanc noſtri Precepti paginam, pro ut juſte & legaliter poſſumus, confirmamus & corroboramus Monaſterium Sancti Salvatoris, quod dicitur Briſciani, quod eſt infra murum Urbis Lucæ conſtructum una cum* Heritha Abbatiſſa *cum omnibus Sanctimonialibus ibidem Deo famulantibus, que modo ſunt, aut pro tempore Deo inibi famulantibus, cum omnibus earum rebus, & proprietatibus, ſcilicet cum Caſtello, quod dicitur Caſtagnoro, cum omnibus ſuis, cum Villis in eodem loco Caprugnano, Corſanico, Caprile, cum omnibus rebus & pertinentiis, quas predictum Monaſterium habet & detinet in loco & finibus Coſa, & in loco & finibus Vico Morrimo una cum terris, vineis, pratis, paſcuis, ſilvis, paſcentes, piſcuationibus, ac omnia ſubſtantia, quod idem locus mereretur habere. Confirmamus per noſtram Regalem potentiam per quod Monaſterium illud res habitas, & adhuc in jure ipſius Monaſterii jure manentes poſſint in futuro contineri. Statuimus ergo, ac per hoc noſtræ confirmationis Preceptum, ut ab hinc & in futurum prefatum Monaſterium una cum omnibus ſuis rebus, vel familiis juſte pertinentibus, vel quecumque in antea per dationem religioſorum virorum, ſeu devotarum feminarum collatum extiterit, ſub noſtri Precepti confirmatione permaneat, & nullus quislibet de predictis rebus, quas tunc tenere quiete ac legaliter videbantur, aliquam inquietudinem ullo umquam in tempore facere preſumat, ſed per hanc noſtram auctoritatem omnes res ipſius Monaſterii ſint defenſate ſub noſtri Precepti confirmatione. Volumus etiam, ut ſub noſtra immunitate idem predictum Monaſterium noſtris & futuris temporibus exiſtat cum omnibus rebus ac familiis ad eum juſte pertinentibus. Et ſi aliquando Abbatiſſa obierit, de ſuis ipſis eligant, quam bone converſationis invenerint meliorem Abbatiſſam. Precipientes quoque jubemus & jubendo precipimus, ut nullus Judex publicus, aut alius ex judiciali poteſtate, infra ipſum Monaſterium ſeu Eccleſias aut Villas vel agros aut reliquas poſſeſſiones in quibuſcumque locis aut territoriis ſeu molendinis, piſcationibus, aquis, aquarumque decurſibus, vel alia omnia ad jus ipſius Monaſterii pertinentes, vel que in antea in jure ipſius loci divina pietate bonorum hominum voluntas voluerit augeri, ad cauſas audiendas vel freda exigenda, aut manſionaticum vel paratas faciendas, aut fidejuſſores tollendos, aut homines ipſius Monaſterii tam ingenuos quàm & Servos ſuper terra ipſius commanentes injuſte diſtringendos, nec ullas redibitiones vel inconſuetas occaſione requirendas ullo umquam tempore ingredi audeat, aut ea que ſupra taxata ſunt penitus exigere preſumat. Sed liceat memorate Herithæ Abbatiſſæ, ſeu & his, que poſtea ejuſdem Monaſterii regimen habuerint, una cum ancillis Dei ibidem degentibus, tranquille vivere, & propoſitum Monachicæ converſationis quiete ſervare, ac pro ſalute noſtra ſeu totius Regni noſtri ſtabilitate a Deo nobis collati, omnipotentis Dei miſericordiam implorare. Quapropter precipimus, ut nullus Dux, Marchio, Epiſcopus, Comes, Vicecomes, Caſtaldio, Sculdaſcio, Decano, ſeu aliqua noſtri Regni magna, parvaque perſona prenominatam Heritham Abbatiſſam,*

vel

vel Abbatiſſam ſibi ſuccedentem, atque Sanctimoniales inibi Deo famulantibus, quomodo ſunt, aut in futuro inibi Deo ſervire debent, audeat moleſtare, aut inquietare preſumat, niſi in noſtra preſentia, aut Succeſſoris noſtri, vel Cancellarii noſtri. Si quis vero hujus noſtri Precepti quandoque, quod non credimus, violator A *extiterit, ſciat ſe compoſiturum auri optimi Libras centum, medietatem Camere noſtre, & medietatem Heritbæ Abbatiſſæ jam prædictæ, ſuaſque ſucceſſores, ſeu Sanctimoniales inibi Deo famulantibus. Quod ut verius credatur, & diligentius ab omnibus obſervetur, manu propria roborantes, Sigillo juſſimus inſigniri.*

Signum Domni Heinrici  Auguſti Regis invictiſſimi.

Burchardus Epiſcopus & Cancellarius recognovit Anno Dominice Incarnationis MLXXXI. Indictione Quartâ, XIV. Kalendas Auguſti data: Anni autem Domni Heinrici XXVII. Regni vero XX. . . . .

Lucæ in Chriſti nomine feliciter Actum. Amen.



Sigillum cereum.

Vidiſti in utroque Diplomate *Henricum Quartum Regem* appellari: id etiam tibi in aliis ejuſmodi monumentis occurrat. Quid eſt ergo, quod in ambobus Placitis Veronenſibus antea evulgatis is *Tertius Rex* dicitur? Ad hæc in altero ex eiſdem Placitis legitur currente Anno MLXXVII. *Annus Viceſimus Primus Regni*; in altero autem, quod eodem Anno MLXXVII. datum eſt, ſcribitur *Annus Viceſimus Quartus*. Diſcordiam ſentis. Appellationem ſive Cognomen *Tertii* a conſuetudine abhorrens intueris. B At ego progredior. Quod ſi quis ad Regis aut Auguſti Placitum ſuas querelas deferebat, neque dirimere controverſiam in præſentia licebat ob facti obſcuritatem, tunc deſtinabantur e latere Principis, qui ad controverſiæ locum accederent, reique veritate ibi per examen teſtium explorata, ſententiam ferrent. Id conſtabit ex Placito, quod mihi ſuppeditavit Chartarium, ſive Regeſtum Epiſcopii Cremonenſis, juſſu Sicardi celeberrimi ejus Urbis Epiſcopi, Ottone IV. Imperatore regnante conſcriptum.

Inquiſitio facta a Theodorico Miſſo Ludovici II. Imperatoris de juribus Cremonenſis Epiſcopi in naves Cremonenſium per Padum diſcurrentes, cum ſententia contra Cremonenſes de eodem Epiſcopo querimoniam facientes, Anno 852. aut 851.

Dum in Dei nomine Domnus Hludowicus Imperator ſuum generale Placitum detineret Civitatem Ticinenſem, ibique eidem proclamandum venerunt, ideſt Rothecarius, Dodilo, Gudipertus, & ceteri habitatores de Civitate Cremona, eo quod eis Benedictus *venerabilis* Epiſcopus *ſancte* Eccleſie Cremonenſis *multas violentias injuſte feciſſet de ſuis navibus, que adducunt ad portum ipſius Civitatis, quod nobis ripaticum & palifictu ram ſeu paſtum detuliſſet, que nos nec parentes noſtros antea numquam dederunt. Quidem Domnus glorioſiſſimus Imperator audiens hunc clamorem, direxit de ſui preſentia* Miſſum Theodoricum *dilectum* Conſiliarium ſuum, *qui hec omnia diligenter inquireret, atque diligenter definiret. Tunc predictus Theodoricus veniens in ipſum Palatium, ubi in judicio reſidebat* Hucpaldus Comes ſacri Palatii, *reſidentes cum eo* Adelgiſo & Achedeo Comitibus, *cum reliquis* Judicibus Palatii, *ibi conve-* C *niens jam dictus Benedictus Epiſcopus, & ſupradicti Clamatores: & cum ibi multum inter eos de hac cauſa orta fuiſſet intentio, ſtatuit ipſe Theodoricus inter eos Placitum in Civitate Cremone, ubi de hac cauſa per veraces & idoneos homines circa manentes de ipſa Civitate inveſtigare aut invenire potuiſſet per legem. Tunc ipſe Theodoricus Miſſus Domni Imperatoris veniens hic in Civitate Cremona in Domum ipſius Eccleſie, reſidentibus cum eo predictus Benedictus Epiſcopus, Landepertus, & Aripertus, & reliqui plures; ibique venientes ſupradicti habitatores cum reliquis habitatoribus de ipſa Civitate aſſerebant,* D *quod Benedictus Epiſcopus eis multas violentias injuſte facit, eo quod eis ripaticum & palifictu ram & paſtum ad riparios per vim accipiat, ſicut ad milites Comaclenſes; quod nec ipſi nec anteceſſores eorum umquam dederunt, nec cum lege dare debeant. Ad hec reſpondebat prefatus Epiſcopus, quod quotienſcumque quislibet negotiator*

tinatur cum ſuis navibus in ipſum portum applicat, omnia hoc, ſcilicet Ripaticum, Paliſicturam, & Paſtum ad Riparios dare debeat ad partem Eccleſie noſtre juxta iſtud pactum, quod Domnus *bone memorie* Karolus Imperator *confirmavit. Et ad hoc probandum teſtes idoneos homines publicavit coram ſupraſcripto Theoderico Miſſo Domni Regis. In primis Odepertus Archipresbyter dixit adjuratus in ſuo ſacerdotio:* Memoro ante tempora Domni Karoli & Pipini Regis, quod iſti homines, qui contra hanc ſanctam Eccleſiam de ipſo portu agunt, nec ipſi nec ſui parentes naves proprias numquam habuerunt ſuas, nec de Comaclo Salem ad negotiandum in iſtum portum numquam adduxerunt, niſi moderno tempore Panchoardi Epiſcopi. *Leonardus Preſbiter ſimiliter dixit. Gundepertus Preſbiter adjuratus in ſuo ſacerdotio & inquiſito dixit*: Scio ad tempora Domni Karoli & Pipini Regis, quod iſti numquam ſuas habuerunt naves, quod de Comaclo Sale ad negotium peragendum adduxiſſe, niſi cum nave Comaclenſe communiter cum militibus ſale, aut alias ſpecies adduxerunt, & communiter ripaticum & paliſicturam dabant parti Regie & Eccleſie Cremonenſi juxta iſtud pactum. *Garibertus Preſbiter ſenex ſimiliter dixit.* ***Antonius Presbyter ſenex dixit***: Memoro, duodecim annos, antequam Domnus Karolus in Italiam ingreſſus fuiſſet, numquam ſibi iſtos homines nec ſuos parentes ſuas habere naves ad negotium peragendum, niſi cum Comaclenſes communiter Salem aut alias ſpecies adducebant in iſtum portum, & de communiter ipſum Ripaticum & paliſicturam dabant juxta iſtud pactum. *Lampertus adjuratus in ſuo ſacerdotio dixit*: Scio tempore Panchoardi, & Benedicti Epiſcopi, quod iſti, qui in Comaclo pergebant, ſi Salem adducebant, in ſorte ſtabant, & ripaticum & paliſicturam dabant, ſicut Comaclenſes. Petrus juratus dixit. Scio, tempore Domni Karoli atque Pipini Regis, quod iſti, nec genitores ſui ſuas numquam habuerunt naves, cum in Comaclo peragerent, niſi communiter, cum Comaclenſes adducebant Salem ad negotium peragendum, & de communiter ripaticum & paliſicturam dabant, juxta iſtud pactum: & tempore Panchoardi & Benedicti Epiſcopi ceperunt cum ſuas pergere naves, in ſorte ſtabant, & ripaticum & paliſicturam dabant, & Riparios paſcebant, juxta iſtud pactum. *Rolelandus, Gudevertus, Walpertus, & multi alii dixerunt ſicut Petrus. Cunimundus juratus dixit, quod tempore* Bernardi Regis *fuit Riparius, & ripaticum & paliſicturam dedit, & iſti legibus dare debent. Deusdei juratus ſimiliter dixit, niſi quod Riparius non fuit. Giſo juratus dixit ſicut Petrus, & addidit, quod de ſua nave dedit Ripaticum & Paliſicturam. Caſtabiles juratus dixit*: Scio infra triginta annos, poſtquam cum ſuas naves ceperunt pergere, dare Ripaticum & Paliſicturam. *Aribertus juratus dixit, quod poſtquam perrexerunt, ſic dederunt, ſicut iſtud pactum continet, & adjunxit, quod Riparius fuit & Ripaticum tulit. Demum poſt multos teſtes & multa ſimilia teſtimonia, manifeſte profeſſi ſunt, ſe non habere ullam firmitatem, per quam contra ſanctam Eccleſiam Cremonenſem vel eius Pontifices ripaticum, vel paliſicturam ſubtrahere poſſent, ſed ipſos Sacerdotes & alios homines, qui de hac cauſa jurati vel inquiſiti dixerunt, omnia vera dixiſſe, & ſe ripaticum & paliſicturam & paſtum ad Riparios dare debere. Tunc Theodericus interrogavit Landebertus Gaſtaldio de Sexpiles, ſimulque Ariperto Advocatum de ipſa Curte, ut ſi aliquod haberet firmitatem, aut homines, per quibus pars Regie ibidem de ſupraſcripta ripa contradicere poterent. Qui dixerunt, quod* nec per homines, nec per ullam aliam firmitatem da parte Regi non habemus, nec invenire poſſimus, per quibus da parte ſupraſcripta Eccleſie ipſum ripaticum, vel paliſicturam ſubtrahere poſſimus. *Dum hec omnia taliter audiſſemus, & clare factum fuiſſet juxta ipſam inquiſitionem vel eorum manifeſtationem, tunc paruit nobis, quorum ſupra, auditoribus rectum eſſe ita, & judicavimus, ut ipſi homines ripaticum, vel paliſicturam de ſuis navibus, juxta ipſum pactum de antea dare deberent. Et finita eſt cauſa. Unde qualiter acta, vel deliberata cauſa eſt, per augmentum & ſtabilitatem ipſius Eccleſie, me Petrone Notarius ſcribere monuerunt.*

Quidem ego Petrus Notarius ex juſſione ipſius Theoderici Miſſo Domni Imperatoris ſcripſi in Anno Domnorum noſtrorum Hlotharii & Hludowici Imperatoribus Trigeſimo ſecundo, & Secundo, ſupraſcripta die, Indictione Quintadecima.

✠ *Signum manu* Theodorici, *qui* Miſſus *de hac cauſa inquirendum fuit, & in omnibus actis interfui.*

✠ *Signum* Landeberto Gaſtaldio *in his actis interfui.*

✠ ***Signum*** Ambroſſioni Scavino ***in his actis interfui, & hunc juditium dedit.***

Ego Goderam Gaſtaldio *in parte interfui.*

Ego Pertefre *ibi fui, & hoc judicium dedit.*

Ego Leo Notarius ***ibi fui, & hoc juditium dedi.***

✠ ***Signum Bruningi de Humili Vico interfui.***

✠ ***Signum Rotecharii de Cedraria interfui.***

Audevertus *Clericus* Capellanus Domni Imperatoris ***interfui.***

Ego Rubo Diaconus ex parte ibi fui.

Ego Lampertus Diaconus ibi fui.

Ego Aribertus Diaconus interfui.

Ego Petrus Subdiaconus ibi fui.

Ego Radebertus Archipresbiter interfui.

Ego Rodemarius Subdiaconus interfui.

✠ *Signum Digiverti de Buciningo interfui.*

Angelbertus Subdiaconus ad omnia interfui.

Ego Richerius Clericus interfui.

Odelbertus Presbiter & Cuſtos Eccleſie Sancti Laurentii, ſita Brixianore, interfui.

Ex hac eâdem Chartâ habemus, anticipandum eſſe Epiſcopale munus *Benedicto Cremonenſi Antiſtiti* citius quàm opinatus fuerit Ughellius. Deſideratur autem dies & menſis in hoc Placito. *Indictio Quintadecima*, quæ heic memoratur, ſpectat ad Annum DCCCLII. uſque ad Kalendas Septembris. Sed mihi dubitatio ſupereſt, num Kalendas ejuſdem menſis Charta conſcripta fuerit, quo caſu *Indictio XV.* indicaret Annum DCCCLI. Ceterum quæ olim foret *Comaclenſis Civitatis* fortuna, hinc apte intelligimus; illic enim Salinæ exſiſtebant, e quibus Salem reliqua Langobardorum regio Circumpadana accepiſſe videtur, uti & ex ipſa Civitate non paucas merces. Conſule ſupra Diſſertationem XIX. *de Tributis*, & valde quidem commendandus fuit eorum temporum mos, quo Reges & Auguſti ipſi non aures ſolùm præbere conſueverunt juſtitiam poſcentibus, ſed etiam intereſſe publicis cauſſarum ac litium

litium diſputationibus . Neque enim tam facile cuiquam Judicum fuit ad alicujus favorem contra æquitatis rationem inclinare , ipſo Principe vidente ac audiente , quem juſtitiæ tutorem Populi reſpiciebant , & Conſiliarii recta ſuadentes ſtipabant . Poſt Imperatores ac Reges primus juſtitiæ miniſter erat *Comes Sacri Palatii*, qui Placita indicebat , quacumque in parte Regni Italici foret . Beneventanum Ducatum excipio, in quem minime affirmare audeo, Magiſtratui huic aliquod fuiſſe jus . Tum in Diſſertatione VII. *de Comitibus Palatii* , tum in Antiquitatib. Eſtenſib. multis exemplis palam feci , quantus foret dignitatis hujus ſplendor . Is vel ipſo Rege , ſive Imperatore præſente ,


A judiciis præerat ; eoque præſente ceterorum Regni Procerum auctoritas cedebat . Ad hæc *Marchionibus* & *Ducibus* Placita habere , & controverſias Populi dirimere non licebat ſolùm , ſed etiam veluti neceſſarium munus injungebatur ; idque intra fines dumtaxat Ducatus, ſive Marchiæ eis commendatæ: non enim extra fas fuit . Exemplum res pervulgata minime poſceret ; attamen unum adferre juvat Beatricis Comitiſſæ & Duciſſæ Tuſciæ , quod ex autographo exiſtente in Archivo nobiliſſimi Noſocomii Senenſis Sanctæ Mariæ de Scala deſcripſit , dum vivebat , & ad me miſit Hubertus Benevoglientus Patricius Senenſis , quem Anno MDCCXXXIII. invida mors ſuſtulit .

Placitum in Comitatu Cluſino habitum a Beatrice Duciſſa Tuſciæ, ejuſque filia Mathilde , in quo Roca de Scanzano adjudicatur Mauro Abbati Monaſterii Sancti Salvatoris de Monte Amiata , contra Lanfrancum Epiſcopum Cluſinum , Anno 1072.

DUm *in Dei nomine in loco* , *qui vocatur Calceraki*, *reſideret* Domna Beatrix Comitiſſa ac Ducatrix , & Matilda ejus filia , *ibique aderat Raginerius* , *& Bernardus* Comites *ipſius* Comitatus Cluſini , *&* Epiſcopus Cluſinus , *nec non &* Senenſis Epiſcopus , *atque Ardericus* Judex, *& Ubertus* , *ſeu Girardus* , *atque Johannes* , *& Rolandus* , *& Petrus*, *atque Adelbertus* Judices , *ſeu Adegerius* , *& Johannes* , *& iterum Johannes* Cauſidicus , *& Payanus de Corſena* , *& Ildebrandus filius Widonis* , *atque Hugo filius Supe* , *& Tegizo* , *& Saxo filii quondam Ildebrandi*, *& Ubertus filius Bolci* , *& reliqui plures* . *Ibi in eorum preſentia venit* Maurus Habas de Eccleſia Sancti Salvatoris de Monte Amiata , *una cum Pepo Avocato ſuo* , *& retulit* : Habeo & teneo Rocam de Scanzano, una cum omnibus pertinenciis & ajacenſiis ad Curtem predicte Roce , & ad proprietatem a parte Eccleſie Sancti Salvatoris. Et ſi aliquis homo adversùs nos de predicta Roca & ejus pertinenciis aliquit dicere vult , paratus ſum cum eo ad racionem dicere , & legiptime finiendum . Et quod plus eſt , querimus , ſi Lanfrancus Epiſcopus Cluxinus , & Bonizo Abas de Sancto Petro de Campo , una cum Rolando Avocato ſuo aliquit de jam dicta Roca & ſuis pertinenciis , ut ſupra legitur , adversùs nos dicere , aut ſubtraëre aliquit querat , an non , dicant . *Tunc cum jam dictus Maurus Habas cum ſuo Avocato taliter retuliſſent ad hec predictus Epiſcopus Cluſinus*, *& jam nominatus Bonizo Habas cum predicto Rolando Avocato ſuo reſponderunt*: Verè jam dicta Roca cum ſuis pertinenciis , qualiter ſupra legitur , propria eſt parti Eccleſie Sancti Salvatoris, nec vobis eam contradicimus , nec contradicere querimus, quia cum lege non poſſumus, eo quod propria eſt Eccleſie Sancti Salvatoris, & cum lege eſſe debet . Nec ſcriptum , aut aliqualiter mutare habemus , per quam poſſimus adverſus vos exinde agere aut cauſare cum lege . Et inſuper ſpondemus & obligamus nos jam dictus Lanfranchus Epiſcopus , & Abas , una cum noſtro Avocato , ut ſi unquam in tempore nos aut noſtros ſubceſſores agere, aut cauſare preſumpſerimus , vel exinde omni tempore taciti & contenti non permanſerimus, vel

B ſi apparuerit ullum datum aut factum vel quodlibet ſcriptum , quod nos exinde in aliam partem feciſſemus , & clare factum fuerit , tunc componere promittimus nos , qui ſupra Lanfrancus Epiſcopus , & jam dictus Bonizo Abas ad tibi jam dicto Mauro Abati, tuiſque ſucceſſoribus a parte ſupradicti Monaſterii Sancti Salvatoris, pene nomine argenti Libras ducentum, & ſupraſcriptas res in duplum , qualiter pro tempore fuerint meliorate, aut valuerit in conſimilibus locis. Et ad hanc transhactionem confirmandam haccepimus nos , qui ſupra Lanfrancus Epiſcopus , & Bonizo Habas exinde
C Launachild annullum aureum , & inſuper Libras treginta denariorum Lucenſium . *His actis rectum predictis Judicibus*, *& Auditoribus quoniam eſſe comparuit* , *judicaverunt* , *ut juſta profeſſionem Epiſcopi Lanfranci* , *& Bonizonis Habatis* , *& Rolandi Avocati eorum* , *exinde predicta Roca & ſuis pertinenciis taciti & contenti eſſe debent ipſe Lanfranchus Epiſcopus* , *& Bonizo Abas* , *& eorum ſucceſſores* , *cum eorum Avocato a parte ſue Eccleſie* , *& predictus Maurus Habas & ſui ſucceſſores exinde debent eſſe ſecuri* , *ſoluti* , *& indempnes omni tempore a parte predicti Monaſterii Sancti Sal-*
D *vatoris* . *Poſt hec jam nominatus Maurus Abas cum ſuo Avocato dixit Domne Comitiſſe ac Ducatricis* , *& Domni Raginerii*, *& Bernardi Comites* ; querimus , ut propter Deum , & animam Domni Imperatoris ac veſtri mercedem , mittatis Bannum ſuper nos , & partem noſtri Monaſterii, & ſuper predictis Rocam cum omnibus ſuis pertinenciis , ut nullus quislibet homo de ipſis rebus nos, & partem noſtre Eccleſie ſine legali judicio diſveſtire preſumat . *Cum ipſe Maurus Abas*, *& ejus Avocatus taliter retuliſſent* , *tunc jam nominate Ducatrices* , *& predicti Comites miſerunt Bannum ſuum ſuper*
E *eundem Maurum Abatem* , *& ſuum Avocatum*, *& parte predicte Eccleſie Sancti Salvatoris* , *& ſuper predictam Rocam cum ſuis pertinenciis* , *ut nullus quislibet homo vos & partem predicte Eccleſie Sancti Salvatoris de predictis rebus ſine legali judicio diſveſtire preſumat* . *Qui vero fecerit* , *preſentiat ſe compoxiturum ducentum Libras optimi arienti* , *medietatem Camere Domni Regis* , *& medietate parte predicti Monaſterii Sancti Salvatoris* .

Quidem & ego Ardecio Notarius ſacri Palatii ex juſſione ſupradictarum Ducatricum, & Comitum, & Judicum ammonitione, hanc paginam Notitiæ ſcripſi. Anno Dominice Incarnationis Milleſimo Septuageſimo Secundo, Septimo Idus Junii, Indictione Decima.



Ego Andreas Judex *interfui & ſubſcripſi.*

Ego Ubertus Judex Domni Imperatoris *interfui.*

Ego Petrus Judex ſacri Palacii *interfui & ſubſcripſi.*

Ego Rullandus Judex ſacri Palacii *interfui & ſubſcripſi.*

Ego Johannes Judex Domni Imperatoris *interfui & ſubſcripſi.*

Subſcripſi dictis preſens Albericus iſtis.

Ego qui ſupra Ardecio Notarius ſacri Palacii ſcripſi & complevi impera… ſupradictarum Ducatrix, & Comitum, & Judicum in hoc acto.

Occurrunt heic duo *Comites* unius *Cluſini* Comitatus, quod Lectori adnotandum eſt. Iis autem ſervata eſt ſua dignitas, quamquam Duciſſa Beatrix adeſſet; nam una cum illa Bannum protulere pro tutela Mauri Abbatis in eâ cauſsâ victoris. Tamdem *Servitoribus loci* jus fuit Placita indicendi, & judicandi, ut exempla oſtendunt, quæ attuli in Diſſertatione X. *de Minoribus Juſtitiæ Miniſtris*. Fortaſſis hæc ipſa auctoritas eo tantùm tempore illis collata fuit, quum Comes ſive Præſes Urbis abeſſet. Ceteris ſane hactenus memoratis facultas judicandi ordinaria fuit, eorumque dignitati conjuncta. Sed quoniam Miſſis Regis ſive Imperatoris olim ejuſmodi judicandi facultas extra ordinem & precariò tribuebatur, de iis mihi peculiaris ſermo habitus fuit in Diſſertatione IX. Nunc cetera congeram ad judiciorum veterum ritus ſpectantia. Nempe una cum Ducibus, Comitibus, Miſſis, aliiſque *ad ſingulorum hominum juſtitiam faciendam, ac deliberandam electis*, aſſidebant in Placito *Judices Sacri Palatii*, *Judices Domni Imperatoris*, *Scabini*, *Tabelliones*, ſeu *Notarii*, *Cauſidici*, aliique ejuſmodi *Legum Periti*, ut eorum conſilio recta pronuntiaretur ſententia. Neque enim Comites, aliique Populorum Rectores atque Primores conſuevere multum operæ, ac olei impendere in Legibus addiſcendis, & Juris quæſtionibus, ac tricis perpendendis. Sæpe etiam Epiſcopi, ut ſupra monui, ad eadem Placita conveniebant, ac potiſſimum quum Regii Miſſi aderant, ad juſtitiam Populo miniſtrandam, a quorum certe Placitis Comites, niſi legitima cauſſa intercederet, minime excuſabantur. Immo Principes iidem, ideſt Marchiones, & Comites exteri, ſi contingebat, ut verſarentur, ubi Miſſi Regii, aut alii Principes Placitum erant habituri, honoris cauſsâ & ipſi intererant. Fragmentum habeo Placiti a Mathilde Comitiſſa, Duciſſa Tuſciæ, Ferrariæ celebrati, Anno MLXXIX. quod e Ferrarienſi pergamenâ attritâ hauſit ſupra laudatus amicus meus Joſeph Antenor Scalabrinius. Agebat tunc Ferrariæ *Azo II. magnus Marchio Eſtenſis*, e quo Brunſvicenſium Ducum nunc in Britannia regnantium, & Ducum Mutinenſium ſoboles progenita, ad noſtros uſque dies feliciſſime perdurat. Fervebant tunc bella inter Henricum IV. Germaniæ, ac Italiæ Regem, eique oppoſitam factionem Italicorum: quæ cauſſa *Azonem Marchionem* ad colloquium cum Mathilde, ut puto, pertraxerat. Quare quum Placitum Mathildis Comitiſſa haberet, ipſe quoque interfuit. Pro *Octuageſimo* legendum in Charta videtur *Septuageſimo*.

Placitum Ferrariæ habitum a Mathilde Comitiſſa, ubi controverſia agitata eſt inter Gratianum Epiſcopum Ferrarienſem & Hieronymum Abbatem Pompoſianum, Anno 1079.

IN *nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, Anno ejus Incarnacionis Milleſimo Octuageſimo* . . . . . (*lege* Septuageſimo Nono) *Domni Gregorii Apoſtolici Pape Anno Septimo, die VII. menſis Septembris, Indictione Tertia, in Curia filii Widonis Federici prope* . . . . DOMNA MATILDA *Dei gratiá Ducatrix* . . . . . *Sancti Nicolai* Judex, & Judex *de Conſtantino, & una cum eo Alberto, & Rodulfo, & Alberto, & Leone, & Petro, &c. ac aliis quamplurisbus; quam etiam* DOMNUS MARCHIO AZO, & Comes Ugo, *ac* Comes Ubertus, & *Albertus filius* Comitis Boſonis, & *Paganus de Cor.* . . . . *Fulcus Alberti de Roberetto, & Gerardus de Corviazo, & Ugo Armatus, & Ardizo filius Bucconis, & Petrus de Ermengarda, & Wiczo, & Creſcentius, & alii quamplures. Ante ſupraſcriptorum omnium preſentiam proclamante* Epiſcopo Gratiano, *de poſſeſſione Domus poſite ante Eccleſiam Sancte Marie contra* Domnum Geronimum Pompoſiane Eccleſie Abatem. *Et conſtitutum eſt ab iis omnibus Judicibus*, DOMNA COMITISSA MATILDA *laudante, Domnum Geronimum Abatem eſſe contentum de eádem domu & feneſtrâ, quæ eſt ante ſcalas juxta porticum Eccleſie Sancte Marie, ſecundùm* . . . . . *deſignatione facta ha Johanne Clerico. Nec non proclamante heodem Epiſcopo de poſſeſſione Francolini aversùs eundem Domnum Abatem, confirmatum eſt ab eiſdem Judicibus, eum ab ac proclamatione eſſe abſolutum, producendo teſtes, aſſerentes Domnum Ubertum Abatem miſiſſe Nuntium Apoſtolice Sedi, ſecundùm juſſionem.*

Itaque coram illuſtribus Viris, & coram Judicibus pro illorum temporum conditione a Juriſperitis lites, & controverſiæ Populi diſcutiebantur atque dirimebantur. Et quoniam non unâ Lege Populus Italicus vivebat, nonnullis *Romanam*, longe pluribus *Langobardicam*, aliis *Salicam*, aut *Alamannicam*, aut *Bajoaricam* profitentibus, ſi quis ſecundùm unam ex iſtis Legibus judicandus erat, numquam deſiderabantur

bantur in Placitis Judices ejuſdem Legis periti, quorum ope quid juſtitia expoſceret, dignoſceretur. Vide Præfationem meam ad Leges Langobardicas, Part. II. Tom. I. Rer. Italicar. Neque id ſatis fuit. Etiam *boni homines*, hoc eſt, qui bonæ famæ erant, ac juſtitiam amare credebantur, Placitis, ac Judiciis publicis intereſſe conſueverunt, atque in eam rem a Comite advocabantur, uti teſtes, ac adjutores veritatis. Et præſertim Nobiles rogabantur A ejuſmodi aſſidere judiciis. Cujus moris multæ in hoc Opere exempla protuli. Heic verò unum tantummodo exeram, ſed illuſtre, nempe Placitum Ravennæ habitum, ubi adfuere complures *Nobiles Viri*, *laudabileſque famâ*. Adſervatur illius autographum in Archivo Monachorum Ferrarienſium Sancti Benedicti, qui celebris Pompoſiani Monaſterii Chartas & jura poſſident.

Placitum Ravennæ habitum a Johanne Archiepiſcopo Placentino, & Hugone Epiſcopo Hamburgenſi, Miſſis Theophaniæ Auguſtæ, Anno 990.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Anno Deo propicio, Pontificatus Domni Johannis ſummi Pontificis & univerſalis Pape in Apoſtolica ſacratiſſima beati Petri Apoſtoli Sede Quinto, die XIII. Menſe Marcii, Indictione III. foris Civitate Ravenne, in Vico, qui dicitur Sablonaria, poſt tribunal Palacii, quod olim conſtruere juſſit Domnus Hotto Imperator . . . . *videntur in futuris filiiſque, temporibus memoriter mandari non poſſunt; quapropter decens eſt, ſcripturarum vinculo anotari. Igitur dum reſideret Deo annuente* Johannes Archiepiſcopus *ſancte* Placentine Eccleſie *in generali Placito, ſimul cum eo* Hugo *gracia Dei* Epiſcopus *ſancte* Hanſdeburgenſis Eccleſie, juſſione Domne Theofana Imperatris, *& reſidentes & adſtantes cum eis* Nobiles Viri, laudabileſque famâ, *nomina quorum ſunt hec, ideſt Paulus* Dativus, *Petrus* Dativus, *Andreas* Dativus hutilis, *Johannes* Dativus *filius quondam Johannis Conſulis, & alter Johannes* Dativus *Calcianſpelle, Petrus de Traverſaria, & Petrus & Paulus germani filii quondam Paulus de Traverſaria, & Petrus atque Deuſdedit filii ſui*, Johannes Dux, *Johannes Conſul, & pater ejus, & Paulus & Petrus germani filii quondam Pauli, qui vocabatur de Traverſaria, Gerardus de Farualdo, & Farualdus, qui vocatur Paulus filius jam dicti Pauli Judicis, Petrus Conſul de Criſtaduli, Gerardus Conſul, Johannes dictus Guandilo, Vitalis filius quondam Vitalis, atque Conſtantinus de Lazario, Johannes de Tenda & Mauricius filius ſuus Conſul, & Romanus, & Paulus Raſtaneus, Andreas* Tabellio, *Apollinaris* Tabellio, *Aldo* Tabellio, *& Johannes Deo largiente* Tabellio *Civitatis Ravenne, & alii, quorum recordari non poſſum. In eorum jam dictorum preſentia reclamaverunt & interpellaverunt ſupraſcripti germani Paulus & Petrus filii quondam Pauli, qui vocabatur de Traverſaria, ſemel & bis & tercia vice de Johanne, qui vocatur de Mariana, & de Johanne de Strata, & de Giſulfo & Dominico germano ſuo de omni re integra, quam ipſi detinent in fundo Scamno, & in fundo Liſiniano, & in fundo Peritulo, & Roveritulo, ſitis in territorio Livienſi prope ipſius Livienſis, & prope Sancte Marie in Aqueducto.* Que res nobis pertinent, & nobis contendunt. *Hoc audito a predicto Johanne Archiepiſcopo & ab Hugone Epiſcopo, interpellati ſunt a dictis Judicibus, que de hoc Lex eſſet. Et ipſis Judices dixerunt:* Faciant eos vocare per publicum Cancellarium in eodem Placito. *Et ita factum eſt. Et minime eos habere potuit. Ita jam fati Johannes Archiepiſcopus & Hugo dixerunt ipſis Judici-* B *bus, quid rectum eſſet cum eiſdem de hoc? Judices verò dixerunt:* Poſtquam eos vocare feciſtis, & ad Placitum non venerunt, Lex autem eſt, ut vos ſupraſcriptis germanis Paulo & Petro de ſupraſcriptis rebus inveſtiatis, ſalvâ querelâ. *Et ita fecerunt per virgam, quam in ſuis detinebant manibus. Hoc autem facto, apreenderunt manu Riculſum Cancellarium, & miſerunt in manus jam dictorum germanorum, ut cum illis ad eas res pergeret, & corporaliter illis exinde inveſtiret. Deinde miſerunt bandum ſuper capita eorum, ut nullus ſit auſus eis de illa re diſveſtire ſine legali judicio. Et qui facere preſumpſerit, ſciat ſe compoſiturum centum Mancoſos aureos, medietatem* C *Camare Imperatricis, & medietatem ipſis germanis, eorumque heredibus.*

Hoc factum eſt ſub die & Menſe & Indictione III. foris Civitatem Ravennæ, in loco, qui dicitur Sablonaria poſt Tribunal Palacii, quod conſtruere juſſit Domnus Hotto Imperator.

✠ Petrus *Deo donante* Dativus, *in hac inveſticione & bandicione interfui & ſubſcripſi.*

✠ Andreas *Deo favente* Dativus, *in hac inveſticione, ut ſupra legitur, interfui & ſubſcripſi.*

Johannes quondam Petri Conſulis, in hac inveſticione, ut ſupra legitur, interfui.

Vide, quæ de *Dativis* Judicibus, qui huic Placito interfuerunt ac ſubſcripſerunt, egomet D attuli in Diſſertatione X. *de Minorib. Juſtit. Miniſtris*. Interim mirabitur quiſquam, ſibi occurrere heic *Archiepiſcopum Placentinum*, quum antiqua ſimul ac vetera monumenta Placentinam ubique Eccleſiam nobis exhibeant *Epiſcopali* tantùm dignitate ornatam. Ita quidem: ſed, ut alibi etiam monui, *Johannes* ille, qui in hoc Placito memoratur, ambitioſiſſimus hominum, Theophaniæ potiſſimum Imperatrici carus, quod Græcus & ipſe foret, ad Sedem Placentinam evectus, titulum ſibi *Archiepiſcopi* ab Apoſtolica Sede ſuis artibus corraſit, eumque retinuit, quouſque Romanam Cathedram invaſit Anno DCCCCXCVII. ut Hiſtoria Eccleſiaſtica habet. Animadvertas etiam velim E *Palatium, quod olim conſtruere juſſit Domnus Hotto Imperator* in ſuburbio Ravennæ, & Placitum hoc in eodem loco habitum fuiſſe *juſſione Domnæ Theophana Imperatris*, ut intelligas, quiſnam tunc eidem Urbi, atque Exarchatui dominaretur. Tenemus ergo, quale tunc fuerit in agitandis cauſſis publicum Auditorium & Conſilium, ne facile Præſides, volentes aut nolentes, iniquis ſententiis cuiquam officerent. Ex his *Placitis* enata vox *Placitare*, quam Franci in *Plaider* converſam retinent, Tuſci

Itali-

[illegible] Judices. Ante omnia [illegible] cauſſas expedire Judices jube-bantur, quas in ipſis [illegible] Carolus Ma-gnus in Lege 58. Langobard. præcipiens: *Ut Comites pleniter juſtitiam diligant, & juxta* [illegible] &c. *& ut primitus ad Placita eorum, Orphanorum, Viduarum, nec non Pauperum cauſæ deliberentur, nec propter aliquam dilationem eorum juſtitia a Judicibus differatur*. Idem quoque præcepit Ludovicus Pius Auguſtus Lege undecimâ inter Langobar-dicas; inſuper mandans, ut ſi quando Paupe-res habere non poſſent ſuæ cauſſæ patronum, aut Legem ignorarint, Comes eorum neceſſi-tati ſuccurreret, *dando eis talem hominem, qui eorum rationem teneat, vel pro eis loquatur*. Et ne Judices in ſuis judiciis, quantum fieri poſſet, aut fallerentur aut fallerent, Lotharius I. Auguſtus Lege Langobard. 94. hæc ſtatuit: *De Judicibus, ut inquiratur, ſi Nobiles & Sa-pientes & Deum timentes conſtituti ſint, & ju-rent, ut juxta eorum intelligentiam rectum ju-dicent, & pro muneribus vel humanâ gratiâ juſtitiam non pervertant nec differant* &c. Hoc autem urgebant præcipue Imperatores Carolinæ ſtirpis, inter quos Ludovicus II. Lege 4. Lan-gobardorum, hæc ſancivit: *De judicio autem Judicum tam frequenter rememoramus, quia omnino conſuetudinem judicandi injuſte Judici-bus auferre volumus. Sed tantum ſecundum ſcriptam legem judicent, & nullatenus ſecundum ar-bitrium ſuum. Sed diſcant pleniter Legem*. En quàm ſanctè negotio tanti momenti conſulerent olim ſupremi Italiæ Principes. Equidem me-met præbeam vadem, nullum tunc fuiſſe Judi-cem humanis affectibus præreptum, indoctum, iniquum. Erunt hujuſmodi, dum terrarum or-bis erit. At profectò ſolicite Cæſares ii cura-bant, ut quando nulli non eſſe poterant, eſſent ſaltem pauciores; ac proinde Miſſis Regiis cu-ra potiſſimum incumbebat Judices, quos me-liores invenire poterant, eligendi, abjiciendi verò, quos improbos aut ineptos reperirent. Nos ea tempora nonniſi ferrea, barbara, in-

A culta putamus. Erant tunc etiam, quæ lau-dem noſtris temporibus non vulgarem mere-rentur. Ceterum diſſimulanda minime Lex eſt a Carolo Magno promulgata, quæ eſt 42. in-ter Langobardicas. Ibi ſancitur: *Ut Judices jejuni cauſas audiant & diſcernant*. Rurſus ab eodem Auguſto in Lege 94. decretum eſt, ut *nec Comes Placitum habeat niſi jejunus*. An a Germanica gente, cujus pars olim Franci fue-re, in Gallias quoque ſua dominatione pro-greſſi, multus honos tempeſtate illa haberetur, noſtrâque etiam Baccho habeatur, aliorum

B erit inquirere. Ex his certo Legibus elucere poteſt, Caroli Magni ævo & Francos imperan-tes, & Langobardos ſubjectos, geminos nem-pe Populos e Germania in Italiam prolapſos, parum ſobrie indulſiſſe vino, ita ut neceſſa-rium duxerit inclytus ille Imperator prohibere pomeridiana judicia, & ebrietatem quantâ po-tuit circumſpectione arcere a foro.

Neque iis temporibus deſiderabantur, qui omni induſtriâ & arte niterentur evitare Pla-cita, ne cum adverſario, ad Judices querelam deponenti, congredi cogerentur. Fraudi huic iſta ratione occurrebatur. Citabatur non ſe-mel ad judicium is, de quo erat querela. Re-

C cuſante illo accedere, in poſſeſſionem rei con-troverſæ actor immittebatur, aut ſi jam poſſi-debat, auxilio juris juvabatur, ne in ſua poſ-ſeſſione deinceps turbaretur. Utrumque verò ita ſtatuebatur, ut locus reo relinqueretur ad deducendas, ſi quas haberet, rationes in peti-torio. Itaque Bannum Regis emittebat Placiti Præſes Judicum, ideſt Juriſperitorum, admo-nitione fretus, pœnam interminans turbanti Poſſeſſionem actori datam, *ſalvâ* tamen *que-relâ*, hoc eſt, ſalvâ reo facultate experiendi jura ſua in petitorio, ita ut nemini liceret poſt emiſſum Bannum moleſtias inferre poſſeſſori

D *ſine legali judicio*. Opportunæ ad hanc rem melius intelligendam erunt Chartæ, quas ex diverſis Tabulariis congeſſi. Primam debeo amico olim meo Huberto Benevoglieno Patri-cio Senenſi.

Placi-

Placitum in Comitatu Senenſi celebratum ab Hermanno Colonienſi Archiepiſcopo, & Bertolfo Comite Miſſis Conradi Auguſti, in quo reſtituitur poſſeſſio quorumdam prædiorum Huberto Abbati Sancti Salvatoris de Fonte Bona, Anno 1037.

A *Dum in Dei nomine, in Comitatu Senenſe, locus prope Burgo, qui dicitur Arbia, in judicio reſedebant* Domnus Hermanus Colonienſis Archiepiſcopus & Archicancellarius ſacri Palatii, *una cum* Bertolfus Comes, Miſſi Domni Conradi *invictiſſimi* Imperatoris, *ad ſingulorum omnium juſtitias faciendas, hac deliberandas: reſidentibus cum eis* Berizo *nunc* Comes *filius bone memorie Berardi qui fuit Comes, &* Johannes *venerabilis ſancte ejuſdem* Senenſis Eccleſie Epiſcopus, *& alius* Johannes Lucenſis Epiſcopus, & Wido Cluſienſis Epiſcopus, & Raineri Comes *filius bone memorie Widoni, qui* B *fuit Comes, & Gherardus, & Albertus, & Ubaldus, & Gesbertus, & Farolfus* Judicibus Domni Imperatoris, *& Lambertus & Petrus* Notarii Domni Imperatoris, *& Raineri, & Walfredi germani, filii bone memorie item Gualfredi, qui fuit Comes, & alio Raineri, & Guatzulino germani, filii bone memorie Valfredi, qui fuit Comes, & Raineri de Roſino, filio bone memorie item Raineri, & Ugonem filiis bone memorie Ubaldi, & Petro filius bone memorie Vivenſi Comes, & . . . . . . filius bone memorie Supponi, & Raimundo filius bone memorie Raineri, & reliqui plures. Ibique in eorum veniens preſentia* Domnus Ubertus *venerabilis* Abbas ex C Monaſterio Sancti Salvatoris *ſito in Campo, ubi qui dicitur* Fonte Bona, *una cum* Wido *Notario Avocato ſuo, & oſtendebant ibi in eodem judicio monimentum unum, ideſt documentum de predicta Eccleſia & Monaſterio, in quo continebatur omnibus Caſis, Caſtris, & Eccleſiis, ſeo terris, & rebus domnicatis, maſaritiis, ſimulque ſervis & ancillis, movilias & immovilibus, omnia & in omnibus. Et inſuper ibi continebatur cuncte & integra res illa, que eſt in vocabulo Clatina cum Eccleſia Sancti Petri ibidem poſita, & omnes res, & ſubſtantias, ſicuti bone* D *memorie* Winiſi, *qui fuit Comes filius bone memorie Raghinari, una inſimul cum Richilda ejus conjuge, in predicta Eccleſia & Monaſterio per ipſum documentum pro eorum anime redemptione donaverunt atque conceſſerunt in ipſum ſanctum ac venerabilem locum. Monimentum ipſum oſtenſum, & ab ordine relictum. Interrogatus eſt ipſe predictus Ubertus Abbas una cum predictus Avocato ſuo ab his Judicibus & Auditores, pro quo monimento ipſo ibi in jodicio oſtenſiſſent. Qui dixerunt:* Verè monimentum ipſum in judicio veſtris oſtenſimus preſentiis, ut omnibus vobis cognitum ſit, ut integra . . . . . . in pre- E dicto loco Clatina una cum predicta Eccleſia Sancti Petri ibidem poſita, que in predicto monimento legitur, ut ipſe predictus Winiſi Comes una inſimul cum predicta Richilda ejus Conjuge in predicta Eccleſia & Monaſterio per ipſum documentum dederunt atque concederunt jure proprietario nomine. *Et cum taliter retulerunt ipſe predictus Ubertus Abbas cum jam dicto ſuo Advocato, ceperunt dicere, hac reclamare:* Jam plures vices nos reclamati ſumus ad vos, Domnus Hermanus Archiepiſcopus & Domnus Bertulfus Comes, ſuper Ranerius filius bone memorie Ghiſolfi, & ſuper Ildebrando & Wido & Enricus germanis, filiis bone memorie Iſalfridi eos, quod malo ordine & contra Legem ipſa predicta Eccleſia & Monaſterio diſveſtivit de integra predicta Curte, & res illa de Clatina, & de predicta Eccleſia Sancti Petri ibi poſita, quod ſunt de ſub jure de jam dicta Eccleſia & Monaſterio Sancti Salvatoris. Unde ipſa predicta Eccleſia & Monaſterio legibus & per ipſum predictum documentum inveſtita fuit ad ſuam proprietatem. Et vos predictus Domnus Hermannus Archiepiſcopus & Bertolfus Comes ad predictus Rainerius, & a predictis germanis multos direxiſtis Miſſos, & vos nullo modo ad veſtrum poteſtis habere Placitum. Unde nos querimus, ut vos de ipſa ſupraſcripta Curte & res illa, & de predicta Eccleſia Sancti Petri in elemoſina Donni Corradi Imperatoris, veſtraque mercedem inveſtiatis. *Cum ipſe predictus Ubertus Abbas una cum Advocato ſuo taliter retuliſſent, tunc ipſe Domnus Hermannus Archiepiſcopus & dictus Bertolfus Comes & Judices, qui ibi aderant, recordati ſunt, & dixerunt, quod ipſe jam dictus Ubertus Abbas cum predictus Avocato ſuo per plures vices reclamare vidiſſent,* & eos nullo modo ad noſtrum Placitum habere potuerimus. *Tunc ipſe Hermannus Archiepiſcopus & predictus Bertolfus Comes fecerunt predictus Rainerius, & Wido & Enrico & Ildibrando, per ipſum Placitum intus & foris querere & vociferare, & eos nullo modo habere potuit, & ibi eos minime invenerunt. Tunc ipſe jam dictus Hermannus Archiepiſcopus per fuſtem, quas in ſuis tenebat manus, ipſe predictus Ubertus Abbas una cum predicto Avocato ſuo de integra predicta Curte & res illa de jam dicta Eccleſia* ad ſalva querela *inveſtiebant. Et inſuper miſit* bannum Domni Imperatoris *ſuper ipſas predictas res, & ſuper ipſa predicta Eccleſia, ſimulque & ſuper ipſe Abbas* in auro optimo Libras centum, *ut nullus quislibet homo, magna parvaque perſona ipſe predictus Abbas, ſuoſque ſucceſſores* de *ipſa jam dicta Curte, & res illa, & de ſupraſcripta Eccleſia ſine legale judicio diſveſtire audeat. Quique vero fecerit, ſciat ſe* compoſiturus predicte Libras aurei, *medietate pro Camera Domni Imperatoris, & medietate a pars predicte Eccleſie & Monaſterio, & ad ejus Abbate, qui pro tempore ibidem fuerit. Unde hanc Notitia per ſecuritatem eidem Eccleſie & Monaſterio & illius Abbati, qui pro tempore ibidem fuerit, factum eſt, oſtenſione eidem Eccleſie & Monaſterio oſtendendam fieri juſſimus.*

Quidem & ego Lambertus Notarius ex juſſione de ſupraſcripto Hermannus Archiepiſcopus & Miſſo, & Judicum amonitione ſcripſit in Anno Domni Conradi invictiſſimi Imperatoris, Anno Imperii ejus, Deo propitio, Undecimo, V. Nonas Madii, Indictione Quinta.

Hermannus, ***Dei gratia***, Colonienſis Archie-

Archiepiſcopus, & ſacri Palatii Archicancellarius ſubſcripſi. (L.S.)

Johannes Epiſcopus interfui & ſcripſi.

Ego Gerardus, gratia Dei, Romani Judex Imperii interfui & ſcripſi.

Ego Vitalis Judex ſacri Palatii interfui & ſubſcripſi.

Lambertus Notarius interfuit, & ant. Notitia ſubſcripſi.

Habes heic Walterum Epiſcopum Cluſinum ad Annum MXXXVII. quem Ughellius Tomo 3. Italiæ Sacræ ignoravit. Uti verò ex hoc monumento conſtat, jam non ſemel expoſtulaverat Hubertus Abbas apud Miſſos Regios de uſurpationibus rerum ſui Monaſterii. *Jam plu-* A *res vices* (inquit ille cum Advocato ſuo) *nos reclamati ſumus ad vos &c. quod ii, malo ordine & contra Legem, prædictum Monaſterium diſveſtiverunt. Et vos multos direxiſtis Miſſos; & vos nullo modo ad veſtrum poteſtis habere Placitum*. Propterea juſtitiam implorabat. Tunc ergo Miſſi Imperiales *fecerunt per ipſum Placitum intus & foris quærere & vociferare, & eos nullo modo habere potuerunt, & ibi eos minime invenerunt*. Quo peracto Abbatem prædictum *ſalvâ querelâ* de Curte controverſâ *inveſtiverunt*, Banno in ejus tutelam emiſſo. Alteram Chartam adjicio, quam ex autographo deſcripſi exiſtente in Archivo Capituli Canonicorum Cremonenſium.

Odelricus Cremonenſis Epiſcopus in Placito Cremonenſi ab Adelelmo, qui & Azo, Miſſo Arduini Regis, impetrat Bannum Regium pro tutela quarumdam terrarum ſui Epiſcopatus, Anno 1004.

D*Um in Dei nomine, Civitate Cremona, in Laubia majore Domus Epiſcopii ipſius Civitatis, per data licencia* Domni Odelrici Epiſcopi, *in judicio reſideret* Adelelmus, qui & Azo, Miſſus Domni Arduini Regis, *ſingulorum hominum juſticias faciendas ac deliberandas, reſidentibus cum eo Adelbertus, Andreas, Johannes, item Adelbertus, Dominicus*, Judices ſacri Palacii, *Amizo, Ardericus*, Walbertus, *Bonizo, & reliqui plures. Ibique eorum veniens preſencia Rolandus Avocatus ipſius Epiſcopii retulit*: Abeo & teneo ad parte jam dicto Epiſcopio proprietatem petias duo ..... de terra, quas eſſe videntur prima in loco Picimingo, hoc eſt pro menſura juſta jugias decem & octo. Coeret ei ad ſeras, a mane, a meridie Sancti Silveſtri. Secunda in loco Landaciſca, & per menſura juſta jugias ſedecim. Coeret ei a mane via communis Sancte Marie. Tercia ibi prope eſt per menſura juſta jugias ſex. Coeret ei da tres partes terra ipſius Epiſcopii. Quarta eſt in Mutidelle pro menſura juſta jugias quin ...... Coeret ei da omnes partes terra eidem Epiſcopio. Quinta in Dardi Caſtle eſt per menſura juſta jugias quadraginta. Coeret ei da omnes partes prenominato Epiſcopio. Sexta in Viſidanelli, eſt per menſura juſta jugias trex. Coeret ei da duabus partibus prefato Epiſcopio. Septima in eodem loco ibi prope eſt per menſura juſta jugias duas. Coeret ei da duabus partibus eidem Epiſcopio. Octava ibi non multo longe eſt per menſura juſta jugias ſeptem. Coëret ei da duabus partibus jam dicto Epiſcopio. Nona in eodem loco, que eſt per menſura juſta jugias ſex. Coeret ei ad ſera Sancte Marie. Decima in Silva Bonella, & eſt per menſura juſta jugias ſex. Coëret ei da duabus partibus eidem Eccleſie. Undecima ibi non longe, que eſt per menſura juſta juges novem. Coëret da duabus partibus prefacte Eccleſie. Duodecima in Fatinengo, & eſt pro menſura juſta juges octo. Coeret ei ad ſera prefacte Eccleſie, B ſibique alii ſunt in is omnibus coërentes. Et ſi quislibet omo exinde aliquit dicere volt, paratus ſum cum eo da parte jam dicti Epiſcopii inde ad racionem ſtandum, ac legitime finiendo. Et quod plus eſt, quero, ut vos Domnus Adelelmus Miſſus pro Dei amore, & anime Domni Arduini Regis mercedem, Bannum da pars Regi mittatis, ut nullus omo de predictis rebus prenominato Epiſcopio ſine legali judicio diſveſtire audead. *Cum ipſe Avocatus taliter retuliſſet, tunc ipſe Adelelmus pro Dei amore & anime Domni Regi* Bannum da parte ejus miſit in Mancoſus auri mille, *ut nullus omo pre-* C *nominato Epiſcopio de predictas petias de terra ſine legali judicio deveſtire audead. Qui vero fecerit, predictos mille Mancoſos ſe compoſiturus agnoſcat, medietate parti Camere Domni Regis, & medietatem parti ejuſdem Epiſcopio. Et anc Noticia pro ſecuritate*

Ego Adam Notarius ſacri Palacii ad juſſione prefato Miſſo, & Judicum amonicionis ſcripſi

Factum eſt hoc Anno Regni Domni Arduini Regis, Deo propicio, Tercio, V. Kalendas Marcii, Indictione Secunda.

Adelelmus Miſſus *ſubſcripſi*.

Adelbertus Judex ſacri Palatii *interfuit*.

D Andreas Judex ſacri Palatii *interfuit*.

Johannes Judex ſacri Palatii *interfuit*.

Dominicus Judex ſacri Palatii *interfui*.

Ex iſta Charta habemus, *Odelricum Cremonenſem Epiſcopum* Anno MIV. in vivis fuiſſe, atque adeo infidis, aut nullis tabulis nixum Ughellium, qui Landulphum ejus ſucceſſorem ad Annum MIII. retulit. Atque hinc etiam diſcimus, Anno eodem MIV. Februario currente nondum ex Regni Italici poſſeſſione dejectum fuiſſe *Arduinum Regem*. Ipſe verò Odelricus paucos ante annos Curtem Crottam E in ſimili Placito recuperaverat, cujus rei certos nos faciet Ottonis III. Auguſti Præceptum ex Regeſto MSto Cremonenſis Epiſcopii deſcriptum.

Otto

Otto III. Imperator Odelrico Epiſcopo Cremonenſi duas Curtes Crottam & Cellam confirmat, Anno 1000.

IN *nomine Sancte & individue Trinitatis*. Otto *divina favente gratia* Romanorum Imperator Auguſtus. *Si Eccleſias Dei tranquilla pace tueri ſtuduerimus &c. Quocirca &c. comperiat univerſitas, qualiter ob petitionem* Domni Odelrici *ſancte* Cremonenſis Sedis *venerandi* Pontificis, *noſtra Imperiali auctoritate, prout juſte & legaliter poſſumus, confirmamus, & firmiter corroboramus ſue Eccleſie Curtem unam Epiſcopatui ejus legaliter pertinentem, Crottam nominatam, que ab ipſius Eccleſie jure injuſto & incompetenti ac nimis irrationabili concambio abſtracta fuerat, ſet* nunc juſto & legali Judicum judicio in preſentia noſtri Nuntii, Ceſſonis *ſcilicet* noſtri *dilecti* Capellani reſidentis in Placito, *Deo agente, ipſiuſque Sedis debite utilitati proſpiciente, recuperatam, redditamque conſtat Eccleſie &c. Hanc itaque Curtem cum omnibus ejus pertinentiis, aliamque Cellam nuncupatam, que olim* A *Paganorum perſecutione deſtructa, & funditus deleta fuiſſe cognoſcitur, nunc vero renovari & noviter a jam dicto Preſule incipitur reſtaurari, cum omnibus ad ſe pertinentibus ſub noſtra defenſione, & tuitionis mundiburdio recipimus &c.*

Signum Domni Ottonis Sereniſſimi Imperatoris Auguſti.

Heribertus Cancellarius vice Petri Cumani Epiſcopi recognovi.

Datum V. Idus Maji, Anno Dominice Incarnationis Milleſimo, Indictione XIII. Anno Tercii Ottonis Regnantis XV. Imperii V.

B *Actum Aquiſgrani in Palatio feliciter.*

Frequentior autem ſubſequenti Sæculo mos fuit petendi in Placitis, atque impetrandi Bannum Regium pro tutela ſuorum bonorum. Exemplum do in Charta, quam authenticam legi in Archivo Capituli Canonicorum Patavii.

Guntherus Cancellarius Imperatoris Henrici III. Bannum promulgat in Placito Veronenſi pro Canonicis Patavinis, Anno 1055.

D*Um in Dei nomine in Vico Volarnes in Comitatu Veronenſi in judicio reſidebat* Domnus Guntherius Cancellarius, & Miſſus Domni Henrici Secundi Imperatoris, *ad juſtitias faciendas ac deliberandas, reſidentibus cum eo Tolbertus, & Walcauſo, Araldo, Lambertus* Judices Sacri Palatii, *& Tiſo qui Brenta dicitur, Johannes pater & filio, & Lancio, Flamerigo, Randulfo, & reliqui plures. Ibique in eorum veniens preſentia Milo Presbiter, & Adam Sancte Marie Patavienſis Matris Eccleſie, huna cum Johanne Advocato eorum, ac ceperunt dicere:* Habemus & detinemus ad proprietatem Canonice Sancte Marie nominative totas decimas de omnibus rebus de Villa, que dicitur Turre & Nohenta & Lignaro, & in loco qui nominatur Caſale, & Vicoleone, & in Albignalego, in Villa, que dicitur Maſſerada, & Coriclana, & Spaſano, & Tencarola, & Sarmedaula, & de omnibus decimis, que ad predictis Villis pertinentibus. Et ſi quislibet homo adverſus, aut adverſus pars predicte Canonice aliquit dicere vult, parati ſumus cum eo exinde ad rationem ſtandum, ac legitime finiendum. Et quod plus eſt, querimus, ut vos propter Deum, & anime Domni Imperatoris, hac veſtri mercedem; mittatis bandum ſuper nos & ſupra dicta Canonica, & ſuper omnibus rebus juris predictis Canonibus, ut nullus quislibet homo de predictas decimas, & de predictis rebus diſveſtire, moleſtare, aut inquirere audeat ſine legali judicio. *Et cum ipſis Milo Presbiter & Adam Diaconus, huna cum Johanne Advocato eorum taliter poſtulaſent, tunc predictus Domnus Cancellarius, &* C *Miſſus Domni Imperatoris per fuſtem, quem in ſua tenebat manu,* miſit Bannum ſupra predictis Canonicis, ut nullus quislibet homo de predictis decimis & de predictis rebus de predictis Canonicis diſveſtire, moleſtare, vel inquietare audeat ſine legali judicio. *Qui verò fecerit, Libras centum auri compoſiturum agnoſcat, medietatem Camere Domni Imperatoris, & medietatem parte predictis Canonicis. Finita eſt cauſa, & hac Noticia pro ſecuritatem parti predicte Canonice fieri ammonuerunt.*

Quidem & ego Johannes Notarius ex juſſione predicti Cancellarii, & Judicum amonicione D *ſcripſi, Regni verò Domni Secundi Henrici Imperatoris, Deo propicio, Nono, Tertiodecimo die, menſe November, Indictione Nona.*

Ego Guntherius Cancellarius *confirmavi*.

Walcauſus Judex ſacri Palatii *interfui*.

Lambertus Judex *interfui*.

Ego Hagaldus Judex ſacri Palacii *interfui*.

Quod ſi tam actor, quàm reus, ad Placitum conveniebant, ibi rationibus utriuſque partis diligenter diſcuſſis, & ſine tot induciis noſtrâ tempeſtate vigentibus, ſententia ferebatur, eamque ſcriptis conſignare jubebatur Notarius. *Chartam Judicati* appellare conſueve- E runt, in qua reus inducebatur veluti ſuo ore confeſſus, ſibi nullum jus eſſe in rem controverſam. Et ſic *finita* erat *cauſa*, uti per hanc formulam exprimebant litis cujuſque deciſionem. Innumera proſtant ejuſmodi ritus exempla. Unum accipe deſumtum ex Collectaneis MStis Peregrini Priſciani viri doctiſſimi Ferrarienſis, ut alibi monui, adſervatis in Bibliotheca Eſtenſi.

Placitum Odelrici Miſſi Imperialis & Honeſti Archiepiſcopi Ravennatis, in quo ſtatuitur, homines Maſſæ Fiſcaliæ ſubjectos ac obedientes eſſe debere eidem Archiepiſcopo Ravennati, Anno 921.

A IN nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Amen. Temporibus Domni noſtri Johannis ſummi Pontificis, & univerſalis Papæ in Apoſtolica ſacratiſſima beati Petri Apoſtoli Domini Sede, Anno VII. ſique imperante Domno Berengario piiſſimo perpetuo Auguſto pacifico magno Imperatore, Anno X. die IX. menſis Madii, Indictione IX. in Maſſa, que vocatur Fiſcalia. Notitia brevis recordationis ad memoriam retinendam, qualiter Domnus Honeſtus religioſiſſimus Archiepiſcopus ſancte Ravennatis Eccleſie, & Domnus Oldericus Vaſſus & Miſſus de Domno Imperatore, & *Wilpertus ſimiliter* Judex Domni Imperatoris, & *Egirulfus* B Judex Domni Imperatoris, & *Lanfrancus* Judex Domni Imperatoris, & *Farimundus* Judex Domni Imperatoris . . . . *In iſtorum & aliorum multorum preſentia acceſſit jam dictus Domnus Oldericus Vaſſus & Miſſus de predicto Domno Imperatore cum jam dicto Domno Honeſto Archiepiſcopo in Maſſa, que vocatur Fiſcalia; & proclamavit ſe Domnus Honeſtus Archiepiſcopus ante eum, & ante omnes alios, qui in eodem loco erant, de cunctis hominibus de predicta Maſſa Fiſcalie, quod ipſi nolebant ſervire neque obedire ſibi, neque ad ſanctam Ravennatem Eccleſiam beati Apolenaris, ſecun-* C *dum quod a ſancta Romana Eccleſia & univerſali data & tradita fuerat predicta Maſſa in preſcripta ſancta Ravennate Eccleſia beati Apolenaris in perpetuum poſſidenda. Et cum hoc audiſſet predictus Domnus Oldericus Vaſſus & Miſſus Domni Imperatoris, ſic cœpit interrogare & queſtionare ipſos predictos homines de predicta Maſſa Fiſcalia:* Quare non ſervitis, & non vultis obedire Domno Honeſto Archiepiſcopo & Sancto Apolenari? *Et ipſi responderunt omnes una voce:* Nos non ſcimus quod iſta Maſſa ſit data & tradita a Sancta Romana Eccleſia in Sanctam Ravennatem Eccleſiam, ſicut D ille dicit. *Et ſic perlegere fecit preſcriptus Domnus Archiepiſcopus Præcepti paginam, & [illegible], que facta eſt & tradita a Sancta & univerſali Romana Eccleſia in Sanctam Ravennatem Eccleſiam de ſupradicta Maſſa Fiſcalia. Unde omnes pariter magno timore perterriti confeſſi ſunt. Et laudantes omnes Judices, qui in eodem loco erant, cum ſupradicto Domno Olderico & Domno Honeſto Archiepiſcopo, juraverunt omnes de tota Maſſa habitantes unuſquiſque coram cunctis, qui ibi in eodem loco erant, quia ab ipſo die in antea numquam amplius adverſus Sanctam Ravennatem Eccleſiam* E *reſiſtere debent, ſed ſemper obedientes exiſtere debent predicte Eccleſie Sancti Apolenaris, & omnibus Archiepiſcopis de Ravenna in perpetuum, & predicto Domno Honeſto Archiepiſco-*

A *po. Inſuper* poſuit bannum *predictus Domnus Odelricus Miſſus Domni Imperatoris ſuper caput Domni Honeſti Archiepiſcopi in centum Libras auri, medietatem Camere Imperatoris, & medietatem Camere Sancti Apolenaris. Inſuper obligaverunt ſe omnes habitatores de predicta Maſſa in manu predicti Domni Archiepiſcopi, quod ſi ipſi, vel ſui filii & heredes unquam in aliquo tempore adverſus Sanctam Ravennatem Eccleſiam inſurrexerint, aut ſi inobedientes aliquo tempore permanſerint, qui promiſerunt ſe omnes cum ſuis filiis & heredibus daturos preſcripto Honeſto Archiepiſcopo, ſuiſque ſuc-* B *ceſſoribus in perpetuum pene nomine auri rupti optimi Libras centum, & in perpetuum tacituri & contenti.*

✠ *Signum manus* Domni Odelrici Vaſſi & Miſſi Domni Imperatoris.

Walpertus Judex Domni Imperatoris *interfui & ſubſcripſi.*

Egerulfus Judex Domni Imperatoris *interfui & ſubſcripſi.*

Lanfrancus Judex Domni Imperatoris *interfui & ſubſcripſi.*

Walcarius Judex Domni Imperatoris *interfui & ſubſcripſi.*

C *Ego Petrus in Dei nomine Tabellio de Vico Maderio, Scriptor hujus Notitie, jubente ipſo Domno Olderico Miſſo Domni Imperatoris interfui & ſcripſi.*

Quo plus Chartam hanc perpendo, eo magis dubius hæreo. Decurrente *Indictione IX.* minime decurrere potuit *Annus X.* Berengarii Auguſti. Sed facile hic error in Priſcianum male legentem, aut in Amanuenſes parum attentos, refundi poſſit. Quod gravius mihi videtur, occurrit heic nobis *Honeſtus Archiepiſcopus Ravennas* ſub Johanne X. Papa, & Berengario I. Imperatore Anno DCCCCXXI. D quum tamen tabulæ Ravennatis Eccleſiæ apud Rubeum & Ughellium per ea tempora *Conſtantinum* exhibeant in Cathedra Ravennate ſedentem, cui Petrus ſucceſſit. *Honeſtus* autem ex Rubeo & Ughellio Archiepiſcopus Ravennas inauguratus eſt Anno Chriſti tantùm DCCCCLXXI. imperante Ottone I. Quare niſi alter Honeſtus Archiepiſcopus nobis ignotus, Berengarii Auguſti temporibus floruerit, Chartam hanc apocrypham omnino neceſſe eſt appellare, quæ alioqui cetera antiquitatis ſigna exhibet, neque certe conficta fuit a Priſciano intemeratæ fidei viro. Itaque pro ſaltem dubiis E tabulis, alteras ſubjicio ab omni ſuſpicione immunes, quas ex authentica pergamena olim deſcripſi, exiſtente in Archivo nobilis Cœnobii Veronenſis Monachorum Montis Oliveti Sanctæ Mariæ ad Organum.

Audi-

Audibertus Abbas Monaſterii Veronenſis Sanctæ Mariæ ad Organum in Placito Tridentino coram Miſſis Imperatoris, & Liutfredi Ducis, litem agit contra quoſdam negantes, ſe eſſe ejuſdem Cœnobii Servos, & cauſſam obtinet, Anno 845.

IN nomine Domini & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Dum ad excellentiſſimam poteſtatem Domni Hludowichi glorioſiſſimi Regis, Domni Hlotarii Imperatoris filius, proclamandum & dicendum veniſſet Audibert Abba Monaſterio Sancte Marie, quod eſt ſcitum non longe a Civitate Verona ad Portam Organi, quod homines pertinentes ſupraſcripto Monaſterio, ſeo Senodochio Sancte Marie, que edificavit bone memorie Lupo Dux cum conjunge ſua Ermilenda, qui pertinet a predicto Monaſterio, qui commanent in Comitatu Tridentino, deberent facere hoperas & aliud ſervicium pro conditione a partem ſupraſcripti Monaſterii, modo ſe inde ſuptraunt de ipſas hoperas vel ſervicium, neſſio pro qua rem, unde in ipſo Comitatu juſticia minime habere potuimus. Tunc predictus Rex de ſuis preſentiis Miſſum ſuum Garibaldum Palatinum Judicem illuc direxit ad ipſam ſupraſcriptam cauſam inquirendum, & eidem Abbati juſticiam faciendum. Tunc conjungente ſe ſupraſcriptus Garibaldus Miſſus atque Judex in Civitate Tridentina Curtem Ducalem cum Paulitione Miſſo Domni Liutfridi Duci, atque Loco-poſito, hubi aderant cum eis Corentianus de Marcha, alius Corentianus de Clauze, Hagilo de Priſſianum, Aledeo de Milano, Aldo de Feltres, Launulfus de Baovarius, Fritari de Apiano Scavinis, Huerini, Adelald, Starcfrido, Regimpaldus Sculdaſſius, Andreas Archidiaconus de Civitate Tridentum, Audo Arsbidiaconus de Verona, Iſſardus Vaſſus Domni Liutfridi Duci, Autpertus, Petrus de Villa, Yibſo de Marcus, Blandus de Civitiano, Todo, Avardus de Perſines, Corentiano de ipſo loco, Gaideris, Ortari de Fornaces, Andelbertus, Giſo de Priſſianum, Hodo de Miliano, Andelbertus de Villa, Heribertus, Petrus de Marcus, & aliis Vaſſi Domnicis tam Teutiſci quàm & Langobardi, ad ſingulorum hominum cauſas audiendum vel deliberandum. Ibique veniens ad eorum preſentia Audibertus Abba una cum Anſcauſo Advocato ſupraſcripti Monaſterii proclamandum & dicendum contra Lupone Suplainpunio filius quondam Lupardo de Tilliarno, quia iſte Lupo, Suplainpunio nominatus, biſavius, & avius, & patruus tempore Langobardorum & Francorum, & tu ipſe moderno tempore infra tregintam annos feciſtis hoperas pro condicione ad partem ſancte Marie, neſcio pro qua cauſa modo te ſuptrais, & ipſas hoperas minime facis. Ad ec reſpondebat Lupo: non eſt veritas, quod ego, aut parentes mei ad partem Sancte Marie hoperas pro condictione feciſſemus, niſi quod comendavimus nos Ariperto Abbati. Tunc nos ſupraſcripti Scavini interrogavimus ipſo Lupone, ſi potuiſſet probare, ſicut ipſe dicebat. Et ipſe dixit, quod ſic potuiſſet. Tunc nos ſupraſcripti Scavinis judicavimus, ut daret Lupo wadiam de conſignatione. Et poſuit fidejuſſorem Dagimpertum & Lubarium. Et poſuerunt conſtitutum Placitum in Civitate ad ſupraſcriptam Curtem Ducalem. Iterum interpellavit Ancauſus Advocatus ſupraſcripti Monaſterii Martinum & Gundaldum germanis de Avi, quod ipſi & parentes eorum ſimiliter ad partem Monaſterii Sancte Marie hoperas per condictione facere deberent. Et ipſi reſpondentes dixerunt: Non eſt ita quod dicitis, quod nos aut parentes noſtri hoperas pro condictione, neque perſonas, neque res ad partem Sancte Marie operas feciſſent, niſi per comendatio per liberos homines. Tunc interrogavimus eos nos ſupraſcripti Scavinis, ſi potuiſſent probare. Et ipſi dixerunt, quod ſic potuiſſent. Et fecimus eos dare wadiam de conſignatione, & poſuerunt fidejuſſorem Yibſone & Anſcauſus de conſtitutum ad ipſam Curtem. Similiter in ipſo Placito interpellavit ſupraſcriptus Anſcauſus Vitalem de Murrius, Maurontonem de Caſtellionem, Brunarium, Bonaldum, & Honoratum germanis de Tilliarno dicendum: & vos ſimiliter & parentes veſtri operas pro condicione feciſtis & facere debetis ad partem Sancte Marie; neſcio pro qua cauſa modo facere diſtuliſtis. Ad hec ipſi reſpondentes dixerunt: non eſt veritas, quod nos aut parentes noſtri aliquando operas feciſſemus, neque pro condicione, neque pro aliqua alia cauſa, ſed ſemper nos & parentes noſtri in liberam poteſtatem fuimus, & eſſe debemus. Dum nos ſupraſcripti Scavinis taliter audivimus, judicavimus eis, ut darent wadia de conſtituto. Et poſuerunt fidejuſſorem Launulfum, & poſuerunt conſtitutum ſimiliter ad ſupraſcriptam Curtem.

Poſito autem conſtituto, iterum conjungentes nos in Civitatem Tridentinam ad Curtem Ducalem nos ſupraſcriptus Garibaldus Miſſus & Paulitius Locopoſitus, ſeo ſupraſcripti Scavinis & Sculdaſſiis, ac ceteri plures homines. Ibique noſtra preſentia conjungente ſe Audibertum Abba & ſimul cum Anſcauſo Advocato ſupraſcripti Monaſterii, necnon & aliam partem ipſis ſupraſcriptis homines, cum quibus pars Monaſterii altercabant, inprimis interrogavimus nos ſupraſcriptis Scavinis & Auditores Lupone Suplainpunio, ſi aberet paratos ipſos teſtes, ſicut wadiam dedit, & ipſe dixit, quod ſic aberet. Et preſentavit ſuos teſtes, ideſt Launulfum & Johannem de Baovarius, Giſempertum de Lanzimas. Dum ſupraſcripti teſtes in noſtra preſentia preſentati fuiſſent, ſic nos Judices ipſos teſtes unum ab alio ſeparari fecimus, & minutius atque diligenter inquiſivimus. In primis Launulfus dixit: Scio de ipſa contencione, que habet iſte Anſcauſus Advocatus de Sinodochio Sancte Marie cum iſto Lupone Suplainpunio faciente operas ad partem Sancte Marie de ipſas res, ubi reſedebant, pro condicione tam iſto Lupone Suplainpunio, quam & parentes ejus, abſit quod de perſonas ſuas, niſi de ipſas res ubi reſedebant. Johannes, Giſempertus ſimiliter dixerunt, ſicut & Launulfus dixit. Poſt hoc teſtimonium dictum interrogavimus nos ſupraſcripti Scavini Anſcauſo Advocato, ſi abuiſſet teſtes contra opponendum, noſtriſque preſentaſſet preſentiis. Quibus Anſcauſus Advocatus dixit: Sic habemus. Tamen non eſt nobis neceſſum, quia iſti teſtes magis teſtificant de ipſas res ad partem Monaſterii de Sinodochio Sancte Marie, quàm ad partem

illius Lupanis Sculdascionis. Sic fecimus nos ſupraſcripti Scavini predictos teſtes ante noſtris preſentiam unuſquiſque manum ſuam ſuper ſancto Evangelio ponere, & juraverunt, ut qualiter de ipſa cauſa teſtimonium dixerunt, ſic fuiſſet veritas. Et Lupo Sculdascionis juravit & confirmavit teſtes ſuos, ut qualiter teſtes eius de ipſa cauſa teſtimonium dixerunt, ſic fuiſſet veritas. Poſt hunc Sacramentum factum, & omnis veritatis per ipſos teſtes inquiſita, tunc apparuit nobis Judicibus recte, & judicavimus, ut pars ſupraſcripti Monaſterii Sancte Marie aberet ipſas res, qualiter teſtes eius teſtimonium dixerunt, ut Lex eſt, & finitum eſt. In ipſum Placitum compellivit Anſiauſus Advocatus ſupraſcripti Monaſterii Martinum, Gundalbertum, Vitalem, Maurentianum, Brunario, Bonaldum, Honoratum: Mittite nobis racionem de ipſas operas, unde wadiatum abemus. *Quos interrogavimus nos ſupraſcriptis Scavinis & Auditores, ut ſi & ipſi haberent ſua teſtimonia, ſicut wadium dederunt. Qui dixerunt:* Volumus abere, ſed non poſſumus. *Et interrogavimus eos iterum atque iterum pro ana re ipſa teſtimonia abere non potuiſſent. Et ipſi dixerunt:* Pro ideo non poſſimus, quia faciebamus operas ad radem, & portabamus paſtas ad Veronam, & alias ambaſſias, quas nobis mandabant da parte Sancte Marie. *Et interrogavimus eos nos ſupraſcripti Scavinis, ut ſi pro perſonis ſuis, aut rebus, ubi reſidebant, ipſas operas & ambaſſias facerent. Qui manifeſtaverunt & dixerunt, quod pro ipſis rebus, ubi reſidebant, ipſas operas vel ambaſſias facere deberent. Nos quidem ſupraſcriptis Scavinis vel Auditores, dum taliter eos manifeſtantes audiſſemus, ſic judicavimus, ut pars Sancte Marie ipſas res aberet. Et finita eſt ipſa intencio. Unde qualiter acta vel deliberata eſt cauſa, anc* paginam *Judicati Grimualdum Notarium ſcribere monuimus, ut futuris temporibus exinde nulla amplius oriatur intencio.*

Quam enim paginam Judicati *ſcripſi ego Grimualdus Notarius Civis Tridentine per ammunitione de ſupraſcriptis Scavinis, Anno Dominorum noſtrorum Hlotarii invictiſſimi Imperatoris Anno Viceſimo Quinto, & Domni Hludowichi Filii ejus glorioſiſſimi Regis Anno Quinto, ſup die Viceſimo ſexto de Menſe Februario Indictione Octava feliciter.*

Ego Paulicius in his hactibus interfui manu mea ſubſcripſi, & judicium dedi.

Ego Aldo in his hactibus interfui, & judicio dedi, & manu mea ſubſcripſi.

Ego Petrus in his hactibus interfui, & manu mea ſubſcripſi.

✠ *Signum manibus* Carentiano de Marcha Scavino, *qui in his actibus interfui, & juditio dedi, & mano ſua poſui.*

✠ *Signum manibus* Alliberto de Garda Scavino, *qui in is actibus interfui, & juditio dedi, & mano ſua poſui.*

✠ *Signum manibus* Frictari Scavino, *qui in his actibus interfui &c.*

✠ *Signum manibus Erlulfo,*

✠ *Signum manibus Adelald,*

✠ *Signum manibus* Starchfrido Sculdaſſio, *qui in is actibus interfuerunt, & manus ſuas poſuerunt.*

✠ *Signum manibus Gundalberto de Marcha.*

✠ *Signum manibus Autperto &c.*

Ego Audalbertus interfuit, manu mea ſubſcripſi.

Ego Giſo interfui, manu mea ſubſcripſi.

Ego antedictus Grimualdus Notarius hac Notitia Judicati per juſſione & ammonitione de ſupraſcriptis Judices & Scavini ſcripſi & complevi.

Egregiam Chartam, neque uno titulo, hanc appello, tum quod ritus eorum temporum abundanter nobis pingit, tum etiam quod *Lutfridi* Ducis memoriam nobis ſervavit, quem Tridentinum Ducem fuiſſe credere par eſt, quum in ea Civitate fuerit *Curtis Ducalis*. Neque enim conſtat, an eo tempore Tridentum ſubeſſet Marchiæ Tarviſinæ, & contra palam ſit, eam Urbem ſub Langobardis peculiarem Marchiam conſtituiſſe. Hiſce adde Epocham Ludovici II. poſtea Imperatoris hinc deduci, quam minime novit Pagius V. Cl. Auctor ille eſt in Critic. Baronian. ad Annum DCCCXLIV. quatuor Epochas Ludovici hujus occurrere: primam videlicet deductam ab Anno DCCCXLIV. quo is Rex Italiæ coronatus eſt: ſecundam ab Anno DCCCXLIX. quo ille in conſortium Imperii aſſumtus fuit a Lothario I. Auguſto illius patre. Reliquæ poſteriores ſunt. Atqui hinc manifeſtum fuit, Ludovicum II. ante Annum DCCCXLIV. hoc eſt Anno DCCCXL. aut DCCCXLI. renuntiatum fuiſſe a Lothario I. Auguſto ejus patre Regem Italiæ, quum nempe idem Lotharius in Gallias ſe contuliſſet, certaturus cum fratribus pro hereditate paterna. Epocham iſtam nos in poſterum certam ex certo monumento habebimus. Attamen addo, alteram Chartam cum iſta concordem evulgatam fuiſſe a Campio in Appendice Tomi primi Hiſtor. Eccleſ. Placentin. pag. 457. quæ ſcripta eſt *Anno Domni Hlothrius Imperator, Hludovici Rex ejus filio Anni Regni eorum XXVII. & VII. Menſe Junio, Indictione X* hoc eſt non Anno DCCCL. ut idem Campius cenſuit, ſed quidem DCCCXLVII. Quamobrem quod Annales Francorum in rebus Italiæ referendis non parum jejuni omiſerunt, e Chartis diſcimus, nempe Ludovicum Lotharii Auguſti filium, ut Rex Italiæ diceretur, non exſpectaſſe coronationem per manus Sergii II. Romani Pontificis Anno DCCCXLIV. factam, ſed quidem Anno DCCCXLI. aut DCCCXL. renuntiatum fuiſſe Regem a patre. Porro eamdem veritatem in meliori etiam lumine collocabit tertia Charta, quam infra ſum producturus. Itaque barbarici Sæculi Judices decretum ſuum ſive ſententiam in ſcriptis minime proferebant, uti noſtris temporibus; ſed præſentibus adverſariis in publico Placito cauſſam adjudicabant alteri partium, prout æquum videbatur. Victus diſertis verbis conſentiebat, aut conſentire fingebatur. Notarius verò confeſſionem victi, & Judicum vota in tabulas referebat. Charta hæc *Judicatum* appellabatur. Interdum tamen vidi *Judicata*, in queis nulla victi confeſſio legitur, ſed tantummodo ſententia Judicum exprimitur. Exemplo erit Charta, quam debeo Archivo Eſtenſi.

Sen-

Sententia lata coram Comitiſſa Mathilde in Rocha Carpeneti pro controveſia inter Johannem Ferrarium, & filios Bonvicini, Anno 1114.

IN *die Sabbati, qui eſt XII. Kalendas Maji, preſentia* Domne Matilde, *adeſſe cum ea Rainerius Saxonus, &* Judices *Ubaldus major & Ubaldus minor, & reliqui plures homines. Diffinita eſt controverſia inter Filios Bonivicini de Carpineto, & Johannem Ferarium, & Benzonem de Pantano, que erat de terra poſſeſſione ſupradictorum Ferarii & Benzonis, que jacet in Pantano cum ſua pertinentia. Unde ſupradictus Johannes Ferarius & Benzo lamentati ſunt Rainerio atque Judicibus; qui diligenter inquirentes litem cum antiquioribus hominibus, qui teſtificaverunt, Filios Bonivicini nullam rationem in hanc terram habere. His ita cognitis prefati Judices laudaverunt, quod Fl. Bonivicini in manu ſupradicti Ferarii & Benzonis refutarent ſupradictam terram, & finem facere. Et factum eſt. Facta eſt etiam obligatio ſub pena Libras decem, quod ſi Filii Bonivicini, ſcilicet Ugo & Rainerius, aut ſui heredes agere aut cauſare aut per Placitum fatigare preſumſerint, ſupraſcripte pene ſubjaceant.*

Factum eſt in Rocha Carpineto in Caſa Domnicata, Dominico Gaſtaldio, & Raincrio de Cavitulio, Alberto & Bonizo de Cano, & Clemens de Valle, & Giſo, & Johanne, & Guinizo, Henzo, Manverto, & Michaël de Pantano, & aliis pluribus. Anno ab Incarnatione Domini noſtri Iheſu Chriſti Milleſimo Centeſimo Quartodecimo, Indictione VII.

Ego Stephanus Notarius ſacri Palatii rogatus hoc Breve exemplavi, *& litere neque plus neque minus deſcripſi; & hoc feci* per conſilium A Guidonis Judicis & Advocatus DVCIS GVELFI.

Qui *Breve hoc exemplavit*, id fecit *per conſilium Guidonis Judicis*. Id animadvertas velim. Perduravit enim diu in aliquibus Civitatibus mos, ut Notariis ſine conſilio & conſenſu Judicum exempla facere Chartarum non liceret. Ad hæc ibi vides *Guidonem Judicem & Advocatum Ducis Gulfi*. Ne puta, heic agi de Guelpho V. Duce, ex Ateſtinorum Principum ſanguine procreato, ac marito Comitiſſæ Mathildis, cui a ſe abjecto illa nil poteſtatis in ſuis ditionibus reliquerat, & qui tunc adhuc B vivens erat in Germania. Memoratur ibi, ut opinor *Guelphus*, ſive *Guelpho VI.* Quincti Guelphonis e fratre Duce Bavariæ nepos, qui *Dux Spoleti, Marchio Tuſciæ, & Dominus Domus Comitiſſæ Mathildis* renuntiatus fuit a Friderico I. Auguſto, uti ego Par. I. Cap. 30. Antiquit. Eſtenſ. pluribus oſtendi. Sed his miſſis, jam animadvertere potuiſti, in duabus nuper evulgatis Chartis ritum dirimendi controverſias per teſtes de una re concordes: qui familiaris quidem noſtris quoque temporibus eſt, ſed Sæculis rudibus præcipue fuit in uſu. Quotieſcumque enim tabulas ſui juris adferre C quiſquam non poterat, quod jam deperditæ fuiſſent, ad teſtium examen confugiebatur: quæ unica via ſupererat. Hoc autem remedium juris vel ab ipſis Imperatoribus ſibi procurabant ſacrati viri, uti conſtabit ex Diplomate, quod in vetuſtiſſimo Regeſto Epiſcopii Cremonenſis ego olim legebam.

Lotharius I. Imperator Panchoardo Cremonenſi Epiſcopo privilegium concedit, ut per ſolos teſtes jura ſuæ Eccleſiæ deperdita recuperare poſſit, circiter Annum 840.

IN *nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Dei eterni*. Hlotharius *divina ordinante providentia* Imperator Auguſtus. *Omnibus fidelibus ſancte Dei Eccleſie, & noſtris, vel cunctis Rempublicam adminiſtrantibus, notum ſit, quia* Panchoardus *venerabilis* Cremonenſis Urbis Eccleſie Epiſcopus *petiit excellentiam noſtram, ut per noſtram auctoritatem concederemus ei, ut quicquit predicta Sedes de rebus vel de mancipiis injuſte privaverat*, per inquiſitionem in quibuslibet locis *redintegrare valeret. Cujus precibus ob reverentiam ipſius Eccleſie adquieſcere placuit, hanc noſtram auctoritatem fieri juſſimus, per quam ei concedimus atque confirmamus, ut ubicumque ipſa Sedes aliquid injuſte privatum habet tam de rebus, quamque & de mancipiis*, in quibus locis inquiſitio fa- D cta fuerit per bonos & veraces & nobiles homines ipſius ibi commanentes, *ubicumque de his facta fuerit cauſa, eas adquirere valeat, ne prefata Sedes nil injuſte perdat hoc, quod legibus habere dignoſcitur; & volumus, ut nullus contradictor de hac re exiſtat, ſed ſicut a nobis conceſſum eſt, ita permaneat. Et ut hæc noſtra conceſſio firmior habeatur, vel a cunctis fidelibus noſtris melius conſervetur, de anulo noſtro ſubter juſſimus ſigillari.* (Cetera deſiderantur.)

Neque ſegnis fuit idem Panchoardus Epiſcopus in inquiſitione jurium ſuæ Eccleſiæ, & in uſu Privilegii ſibi conceſſi. Hanc in rem dignum plane publica luce cenſeo Placitum Cremonæ habitum, quod mihi ſupra laudatum Chartarium Epiſcopii Cremonenſis ſuppeditavit.

Pan-

Panchoardus Cremonenſis Epiſcopus coram Adelgiſo Comite Miſſo Ludovici II. Imperatoris in Placito Cremonenſi, teſtes adducit, ut probet quaſdam Curtes cum aliis juribus a Carolo Magno Eccleſiæ ſuæ donatas, & a ſuis anteceſſoribus poſſeſſas, Anno 842.

IN *Chriſti nomine. Dum per ſanctionem ſacri Principis & ſereniſſimi* Auguſti Hlotharii *magni & glorioſiſſimi* Imperatoris Adelghiſus Comes *Cremonam advenisset, ad perquerendum inſtituta Precepti, que per* Stephani ejuſdem Civitatis Epiſcopi *petitionem* Domnus *& glorioſiſſimus & piiſſimus* Karolus Rex *in eadem Eccleſia conceſſit habendum, ideſt Curtem Cucullo, Tecleto, Capraridlas, Brivisſula, una ſimul cum Porto Vulpariolo & molitura de molinis & navium tranſitoria & reliqua portora uſque in capud Addue, & cum eo adeſſent* Panchoardus ejuſdem Civitatis Epiſcopus, *una cum Sacerdotibus ſuis* Benedicto Diacono ejuſdem Preſulis Nepote, Capellano Domni Regis Hludowici, Auguſti Lotharii filius, *Odelbertus Archipresbiter de Brixianore, & Agemundus Archipresbiter de Jovenalta, Sigeprandus & Lambertus Presbiteris, & ſimul cum eo* Ambroſius & Rumualdus Pergomatus Judices, *nec non* Wilfredo, *Fulberto, Sicchemano, Laſcari, Ylduini & Gilduini germani, Bavo,* Otto, Wlcumam, *Aldo,* Giſevertto, *Rachimperto, Arichis, Radenmanno, Auperto, Roteperto, Ardulfo, Nazarius, Stabilis, iſti Brixiani ſunt; & Urſo de Parma,* iſti Vaſſalli ſupraſcripti Comitis; *& Adaldo, Johanne, Radimundo, & Radelando, Rotchario, & Rotgildo, Alaoldo, Helyrio, Gallo, Ardemanno,* Walteramo, *Odelberto, Pertefuſo, Bruningo, Adeſuf,* iſti Vaſſalli Epiſcopi. *Sic in iſtorum omnium preſentia* Sacerdotes & Laici interrogati, atque conjuncti in eadem fide Sacerdotii & Chriſtianitatis ſue, quod de hac Precepti inveſtitura ſcirent, ut verum dicerent, & per nullius hominis timorem, neque blandimentum in aliqua parte deverterent. *In primis Antonius Presbiter dixit:* Scio & bene memoro, quando Domnus Karolus Rex iſtam patriam Longobardiam adquiſivit, per Preceptum ſuum in ſancta Cremonenſi Eccleſia, in Stephano ejuſdem Eccleſie Preſule conceſſit Curtem Cucullo, Tecleto, Briviſula, & Porto Vulpariolo cum molitura de Molinis, & tranſitoria militum, cum reliqua portora, uſque in Capud Addue, ſicut iſtud Preceptum continet. Et poſt Stephanum poſſeſſorem & Atonem, eo uſque dum Rotechild Bajulus Pipini Regis contra legem & malo ordine Atonem Epiſcopum diſveſtivit. *Garibertus Presbiter dixit:* Memoro, Atonem Epiſcopum habentem in integrum juxta iſtud Preceptum, quod Domnus Karolus Rex in ſuperiori Eccleſia conceſſit, ideſt Curtem Cucullo, Tecleto, Biviſula, & Porto Vulpariolo, cum molitura de Molinis, & tranſitoria militum, cum reliqua Portora uſque in capud Addue, donec eum Rotchildus contra legem & malo ordine diſveſtivit. *Gumpertus Diaconus ſimiliter dixit, ut Garibertus. Sinipertus Presbiter, Natalis Presbiter, Viſevertus Presbiter, Aldemarus Presbiter, Giſemprandus Presbiter, Lupus Presbiter, iſti omnes ita dixerunt, ſicut Garibertus & Gumbertus. Garoto de Auces juratus a Dei Evangelia, & inquiſitus dixit:* Scio & bene memoro, Atonem Epiſcopum habentem integrum juxta iſtud Preceptum Curte Cucullo, cum reliqua ſequentia Precepti, & Porto Vulpariolo, & reliqua Portora uſque in Capud Addue, uſquequo a Rotchildo contra legem diſveſtitus eſt. *Agevertus de Waldeningo ſimiliter ut Garoto dixit, & reliqua omnia de poſſeſſione Epiſcoporum, ut Antonius Presbiter firmaverunt. Arimundus dixit:* Memoro Atonem Epiſcopum habentem molituram molinorum de Vulpariolo uſque in Capud Addue, & ego de meo molino in hanc Domum Cremonenſem meam molituram vexi. *Iſti Bergomates ſunt. Iſempertus de Muredellas ſimiliter de Atone dixit, ſicut & ceteri Presbiteri dixerunt. Graſevertus, Agemundus, & Aripertus de Gaidiſco, iſti omnes jurati ut Iſemperto dixerunt. Mauritius, Munofredo Clerico, Ragemundus, iſti omnes jurati dixerunt, ut Iſemperto & Graſeverto. Lamperto de Publicillas ſimiliter dixit, & hoc per ſacramentum affirmavit. Leonaſſe de Cremona juratus ſimiliter dixit ut Iſemperto & Graſeverto vel reliqui. Hii omnes inveſtitura Atoni Epiſcopo teſtati ſunt; ſcilicet a Rotchildo Pipini Bajulo malo ordine & contra legem deſveſtitus fuiſſe dixerunt.*

Facta hac Notitia inquiſitionis Anno Domni & ſereniſſimi Lutharii Auguſti XXII. ejuſque *dilecti* filii *glorioſi* Regis Ludovici *idemque* Secundo, *XI. Kalendas Aprilis, per Indictione V. feliciter.*

Scripſi ego Ingeprandus Diaconus ex ſanctione Miſſi & Comitis Adelgiſi.

Adelgiſus Comes *in hac inquiſitione a me facta ſubſcripſi.*

Ego Romaldo Scavino *interfui.*

✠ *Signum manibus* Ambroſii Scavino Bergomate, *in his actis interfui.*

Ego Benedictus Diaconus & Capellanus Domni Regis *in hac inquiſitione interfui.*

Ego Odelbertus Presbiter *& Cuſtos Eccleſie Sancti Laurentii, ſita Brixianore in his actis interfui.*

Sigeprandus Presbiter *in his actis inquiſitionis interfui &c.*

En ut evidentius conſtabilitur exordium Regni Italici in Ludovico Lotharii Imperatoris filio. Scripta eſt Charta *Anno Lotharii Auguſti XXII. ejuſque dilecti filii glorioſi Regis Ludovici item Secundo, XI. Kalendas Aprilis, Indictione Quincta*, hoc eſt, Anno Chriſti DCCCXLII. Ergo Ludovicus II. Anno antecedenti DCCCXLI. aut DCCCXL. Italico Regno præfectus a patre Imperatore fuerat titulo Regio. Ac propterea heic etiam occurrit *Benedictus Diaconus*, Panchoardi Epiſcopi Cremonenſis Nepos, & *Capellanus Domni Regis Hludowici filii Auguſti Lotharii*. Cujus quoque rei veſtigia animadvertiſſe potuimus in Diſſertatione X. *de Minor. Juſtit. Miniſtr.* quamquam ibi anticipatum videas (cauſſa eſt mihi ignota) Epochæ hujus exordium. Memoratum heic etiam videmus *Rotchildum Bajulum*

julum Pipini Regis. Duo heic nobis ſe offe-runt Pippini Reges: alter Caroli Magni filius, a patre pæne infans conſtitutus Italiæ Rex Anno DCCLXXXI. fato functus DCCCX. alter Ludovici Pii filius, Aquitaniæ Rex e vivis ſublatus Anno DCCCXXXVIII. Utri iſtorum Rotchildus iſte Bajulus fuerit (nunc *Aio* & *Balio*, qui antiquis erat *Bajulus*, appellamus) hoc eſt ejus educationi præfectus, decernere ego non auſim. Attamen veriſimilius heic intelligatur junior Pippinus, qui tempori hujus Placiti propior fuit, quamquam nihil rei fuerit illi cum Italia. Senior quidem Italiæ dominatus eſt, ſed a tempore Placiti hujus longe abfuit. *Atto Cremonenſis Epiſcopus*, qui a Rotchildo dicitur heic *contra legem, & malo ordine diſveſtitus*, ſi Ughellium auſcultamus, Anno DCCCXVIII. ad eam Cathedram aſcendit, illamque paucos annos tenuit, ita ut Rotchildus ſub utroque Pippino Rege floruiſſe potue-

A rit. Ad *Adelgiſum Comitem* quod attinet, heic memoratum, veluti Præſidem Placiti, veri mihi videtur ſimile, non alium ab eo fuiſſe, qui Anno præcedenti DCCCXXXVI. ut habet Hiſtoria Francorum, a Ludovico Pio Imperatore tunc vivente miſſus fuit ad Lotharium Auguſtum filium Ticini degentem, ut pax & amicitia inter ſe repararetur. Leo IV. Papa in Concilio Romæ habito Anno DCCCLIII. apud Baronium, memorat Miſſos Imperiales *Notingum Brixienſem*, *& Adelgiſum illuſtrem Comitem*. Idem ille fuerit, qui in hac Charta primas tenet. Subdere nunc juvat inquiſitiones

B factas per teſtes. Lis erat inter Palatium, & *Jacobum Epiſcopum Lucenſem* de celebri Eccleſia Sancti Fridiani, utrâque parte eam ſibi aſſerente. In Archivo Archiepiſcopii Lucenſis Charta habetur teſtium ab Epiſcopo productorum, quam nunc exero.

Teſtes coram Miſſis Regiis producti a Jacobo Epiſcopo Lucenſi pro ſuo jure in Eccleſiam Sancti Fridiani, Anno 838.

IN *Chriſti nomine*. *Notitia brevis, que facta eſt de inquiſitione Eccleſie beati Vincentii Chriſti Martiris, ubi requieſcit umatum Corpus beati Fridiani Chriſti Confenſoris juxta Lucanam Urbe, per* Aghanum Comite ipſius Civitatis, & Criſtianum *venerabilem* Diaconum, Miſſos Domni Hlotthari *piiſſimi* Auguſti. *Hoſprandus Archipresbiter ejuſdem Civitatis dixit*: Scivi, Jacobum Epiſcopum abentem Eccleſia Sancti Fridiani, ubi ejus Corpus requieſcit, infra iſtos triginta annos, & ita eum ordinabat, ſicut alias Eccleſias ſedales, & pertinens erat de iſto Epiſcopio Sancti Martini. *Theupaldus Presbiter Cardinalis ſimiliter dixit*. *Acrifuſus Presbiter ſimliter*. *Daniel Presbiter ſimiliter*. *Atus Presbiter ſimiliter &c. Anſpaldus Clericus dixit*: Scibi, Jacobum Epiſcopum habentem Eccleſiam Sancti Fridiani, ubi in Corpu requieſcit, & imperantem ſicuti in ceteris Eccleſiis ſedalibus: & pertinebat Epiſcopatui Sancti Martini infra iſtos triginta annos. *Oſtrualdus Clericus*, *Gunfridi Clericus &c. ſimiliter dixerunt*. *Iſti omnes prefati Clerici per ſagramentum ad ſancta Dei Evangelia unianimiter teſtati ſunt*. *Johannes Clericus, & Schabinus dixit*: Sibi, Johannem Epiſcopum abentem Eccleſiam Sancti Fridiani, & dedit illam Jacobi germano ſuo in beneficio. Et poſtea abuit eam Jacobus Epiſcopus in poteſtate Sancti Martini infra iſtos triginta annos, uſque ad diem morti ſue. *Savinus ſimiliter dixit*. *Alamundus Schabinus dixit*: Scivi, Eccleſiam Sancti Fridiani abentem Jacobum Epiſcopum, & imperantem. Sed Adegrimus Vaſſus Domni Regis illam voluit contendere ad parte Palatii, ſet minime potuit, quoniam ipſe Epiſcopus eam pertinentem Epiſcopatui ſui faciebat. *Petrus Giſtaldius ejuſdem Civitatis dixit*: Scivi Eccleſiam Sancti Fridiani abentes Jo-

C hannem & Jacobum Epiſcopos. Et ita illam inperabat, ſicut iſte alie Eccleſie ſedales de iſto Epiſcopato Sancti Martini. *Teudiprando & Ermiprando germani*, *Auchiſi*, *Atrifuſo &c. iſti omnes per ſagramenti teſtum equaliter dixerunt*. *Petro dixit*: Scivi, Johannem Epiſcopum, & Jacobum Epiſcopum abentem Eccleſiam Sancti Fridiani, & imperantes uſque ad diem mortis eorum, & wiganiationem exinde faciebant de res ipſius Eccleſie, & prandia recipiebat, ſicut in cetere Eccleſie ſedales iſtius Epiſcopati. *Adalbertus Schabinus dixit*: Scibi, Jacobum Epiſcopum abentem

D Eccleſiam Sancti Fridiani infra iſtos annos triginta, & imperantem, ſicut ad ejus Epiſcopatum Sancti Martini.

Facta eſt hec inquiſitio Anno, Chriſto propitio, Domni noſtri Hludowichi magni Imperatoris Vigeſimo Quinto, & Domni noſtri Hlotharii glorioſiſſimi Auguſti filii ejus in Italia, Anno Sextodecimo, menſe Aprili, Indictione Prima.

✠ *Signum manus* Aghani Comitis & Miſſi Domni Hlotharii *piiſſimi* Auguſti, *qui ibidem fuit*.

Ego Criſtianus *Diaconus &* Miſſus Domni

E Hlotharii *piiſſimi* Auguſti *ibi fui*.

Ego Oſprandus Archipresbiter ibi fui.

Ego Joanes Clerico Scabinus *ibi fui*.

Ego Adalbertus Scavinus *ibi fui*.

Ego Savinus ibi fui.

Ego Alamundus Scavino *ibi fui*.

Accipe & alteram inquiſitionem, Sæculo eodem factam per teſtes, quum controverſia de quibuſdam juribus verteretur inter *Landonem Cremonenſem Epiſcopum*, & Advocatum Curtis Sexpilas, quem nunc Fiſcalem appellamus. Monumentum hoc deſcripſi e vetuſtiſſimo Regeſto Epiſcopii Cremonenſis.

Lando

Lando Cremonenſis Epiſcopus coram Ardengo Miſſo Guidonis Imperatoris in Placito Cremonæ habito, per teſtes probat ſuum jus in ripam Padi, & in quaſdam Inſulas, ſententiam obtinens contra Anſelmum Advocatum Curtis Sexpilas, Anno 891.

DUm in Dei nomine infra Civitatem Cremonam reſideret Ardengus Miſſus Domni Guidonis Imperatoris ad juſtitiam faciendam, reſidentibus cum eo Domino Landone venerabili Epiſcopo Cremonenſi, & Azo Archipresbytero, & Leone Archidiacono, & multis aliis Clericis & Laicis, venerunt Anſelmus Advocatus Curtis Sexpilas, & Aldegiſus Advocatus Epiſcopatus, altercationem inter ſe habentes. Anſelmus enim dicere: Pars Epiſcopatus detinet Ripam Padi, & inſulas de Vulpariolo, & Inſulam Mortuam, & portora, & molendina contra legem & malo ordine, pertinentes ad Curtem Sexpile. *Aldegiſus reſpondit*: Scio ſupraſcriptam ripam, & Inſulas, & portora, & molendina, que tu dicis, partem Epiſcopatus habere & tenere, ſed non contra legem, pro eo quod per ſexaginta annos ad ſuam detinet proprietatem. Et ſunt hic boni & credentes homines, qui de hac cauſa ſciunt veritatem. *Tunc nos fecimus eos de hac cauſa juratos dicere veritatem. In primis Adrevertus juratus dixit*: Scio ſupraſcriptam ripam & Inſulas & molendina & portora, unde iſta contentio eſt, habere & tenere partem Sanctæ Mariæ Epiſcopatus Cremonenſis per ſexaginta annos ad ſuam proprietatem. *Similiter dixerunt Arnulfus & Farulfus & Lupus & Uldepertus*, & multi alii omnes jurati & inquiſiti. *Tunc hac facta inquiſitione judicavimus, quod pars Eccleſiæ haberet ſecundum Legem ſupraſcriptas ripam & Inſulas & portora & molendina ad ſuam proprietatem per augmentum & ſtabilitatem abſque ulla contradictione Curtis Sexpilis, Aupertum Notarium hanc Notitiam ſcribere commonuimus.*

Quidem & ego Aupertus Notarius per hanc admonitionem ſupraſcripti Miſſi hanc Notitiam ſcripſi, in Anno Primo Domni Guidonis Imperatoris, in primo menſe Junii, Indictione Nona.

Ardengus Miſſus *ut ſupra* Imperatoris *interfui*.

Ego Rumpertus interfui.

Ego Ageprandus Scavinus *his actis interfui, & hunc judicium dedi.*

Angelbertus Archidiaconus ibi fui.

Acho Archipresbiter ibi fui.

✠ *Signum manibus Andro interfui.*

✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ *Signum manibus Algiſi, Adelax, Gandulfi, Luthardi, Angauſi, Amelgerii item Vaſſalli ut ſupra Etnalch interfuerunt.*

Ego Giſulfus Notarius ibi fui.

Lupus Diaconus ibi fui.

✠ ✠ ✠ ✠ ✠ *Signum manus Brichaldir, Albonboni, Odelberti, Ageperti, Comperti interfuerunt.*

Luboripertus Presbiter affui.

Quod etiam peculiari obſervatione dignum eſt (idque etiam animadverti in Diſſertat. IX. *de Miſſis Regiis*) Placitis habendis nullus certus locus deſtinatus erat. In Palatio, in Prætorio complura quidem celebrabantur; ſed ſæpe etiam in locis & domibus alienis, ſi contingebat, ut illic Reges, Miſſi eorum, Duces, Marchiones, aut Comites verſarentur, & Judicum aliorumque adſidentium & adſtantium copia foret. Etiam ſub dio interdum ſunt habita. Quod ſi in privatorum ædibus ejuſmodi conventus ac judicia inſtituenda erant, venia antea a domino domus, aut loci petenda fuit, ne illius juribus quidquam detrimenti per publicum illum actum crearetur. Idque in Charta Placiti exprimere mos fuit. Exempla ſuperius dedi, aliaque in hoc ipſo Opere ſparſa videas. Nunc adjiciendum, ſi Rex aut Imperator adeſſet, etiamſi in privatorum fundis haberetur Placitum, non a domino fundi, ſed ab ipſo Rege aut Imperatore, petitam fuiſſe facultatem celebrandi eo in loco Placiti, quaſi is non Civitatis tantùm, ſed & cujuſvis privati loci dominus foret. Alia in hoc Opere exempla conſuetudinis hujus proſtant: unum nunc apponere juvat, quod autographum vidi in Archivo nuper memorati Archiepiſcopii Lucenſis.

Cadelohus Cancellarius & Miſſus Conradi I. Auguſti, Placitum Lucæ habet, in quo Johannes Lucenſis Epiſcopus quædam ſua jura confirmanda curat, Anno 1038.

A DUm *in Dei nomine qualiter infra Comitato Lucenſi in loco*, *que dicitur Vivinaria*, *intus caſa domnicata* Domni Bonifatio Marchio, per data licentia Domni Conradi Imperatoris, qui ibi aderat, *in judicio reſideret* Domnus Kadelous Cancellarius & Miſſus Domni Imperatoris *ad juſtitia facienda hac deliberanda*, *reſidentibus cum eo* Bertaldus Comes, *&* Adelbertus Comes, Adalfredus Epiſcopus Bolonienſis Eccleſie, *Adalbertus* Judex Avocato, *Flaipertus* Judex Avocato Domni Bonifatii Marchioni, *Johanne*, *Rolandi*, *Gherardi*, *Waldaandelberti*, Judicibus ſacri Palatii, *Bernardo* Notario, *Petri filio bone memorie Pauli*, *Teuderico filio bone memorie Ildebrandi*, *Petri filio bone memorie* Wariperti *&c. & reliquis plures. Ibique eorum veniunt preſentiis* Johannes Dei gratia Epiſcopus Lucenſis, *una cum Bernardo Avocato ſuo*, *ceperunt dicere adverſus eodem Cadelohus Cancellarius & Miſſus Domni Imperatoris*: Abeo & teneo ad jure propietario ad pars Eccleſie Epiſcopatu meo Sancti Martini omnibus illis caſis, ſeu Curtis, ſeu Caſtellis & Rocchis, ſive Eccleſiis, ſimulque Caſſinis & Caſalinis, & terris & rebus, que ibi fuerunt bone memorie Benti filio bone memorie item Benti, quamtas ipſe bone memorie Bentio per offerſionis Cartula dedit & fecit in Eccleſia beati Sancti Michaëli Archangeli, que dicitur Afore, qui eſt fundata infra Civitate Luca, quas ipſe Eccleſia Sancti Angneli eſt de ſup regimine & poteſtatem ſupraſcripti Epiſcopatu meo Sancti Martini, & ipſa offerſionis Cartula ſcripta ex manibus Petri Notarii Domni Imperatoris, ſicut in ipſa offerſionis Cartula legitur. Et ſic eſt ullus homo, qui exinde adversùs me aliquid dicere vult, paratum ſum hic veſtris preſentiis cum eo exinde in rationem ſtandum & legitime fine percipiendum, aut ſit Rainerii filio bone memorie Chumundi, vel ſuis germanis exinde de ipſis caſis & Curtis, ſeo Caſtellis & Rocchis, ſive Eccleſiis, adque Caſſinis & Caſſalinis & terris & rebus, que ſuperius legitur, agerent, aut cauſare voluiſſet. *Et cum nemo ſe ibi adpreſentaſſet, qui exinde de ipſis caſis & Curtis &c. adverſus predicte Eccleſie Epiſcopatui Sancti Martini, & adverſus ſupraſcripti Johanni Epiſcopi, & predicti Bernardi Avocato ſuo agere aut cauſare voluiſſe ſiſtatis*, *predicto Domnus Kadelohus Cancellarius & Miſſus Domni Imperatoris & Bertaldus Comes*, *per fuſte*, *quas in ſuorum detinuerunt manibus*, *miſerunt bannu Domni Imperatoris ſuper eodem Johannes Epiſcopus & ſuper predicto Bernardo Avocato ſuo*, *& per jan dictis caſis & Curtis* B *&c. in mille Libras auri octimi*, *ut nullus quislibet homo &c. Quis vero fecerit*, *predicte mille Libras auri compoſiturus ſe agnoſcat*, *medietatem pars Cammare Domni Imperatoris*, *& medietatem predicti Johanni Epiſcopi*, *& ſuis ſucceſſoribus &c.*

Quidem & ego Rodulphus Notarius Domni Imperatoris ex juſſione ſupraſcripti Domni Kadelohus Cancellarius & Miſſus Domni Imperatoris, *ſeo Judicho ammonitione ſcripſi*, *Anni Domini noſtri Jeſu Chriſti Dei eterni ab Incarnationis ejus Milleſimo Trigeſimo Octavo*, *Conradus gratia Dei Imperator Auguſto*, *Anno Imperii ejus in Italia Undecimo*, *VIII. Kalendas Martii*, *Indictione Sexta*.

C Kadelohus Cancellarius & Miſſus ſacri Palatii *ſubſcripſi*.
Adelbertus Judex ſacri Palatii *interfui*.
Rolandus Judex ſacri Palatii *ibi fui*.
Flaipertus Judex Domni Imperatoris & Avocato *interfui*.
Johannes Judex ſacri Palatii *ibi fui*.
Wido Judex ſacri Palacii *interfui*.
Andelbertus Judex ſacri Palatii *interfui*.
Ego Girardus Judex ſacri Palatii *interfui*.

DE
ORIGINE
LINGUÆ
ITALICÆ.

DISSERTATIO
TRIGESIMASECUNDA.

DISSERTATIO TRIGESIMASECUNDA.

ALiquid etiam commentari juvat *de Origine Linguæ Italicæ*, qua nunc utimur; ſpectat enim & ipſa ad inſtitutum meum, videlicet ad tempora illa, quæ mihi aliqua ex parte illuſtranda ſuſcepi. Diſſertationem hac de re jam dedit Angelus de Nuce in Notis ad Oſtienſis Chron. Caſin. ſed tam jejune, ut nihil ſupra. Sed quod fateri & ego non erubeſco, ſi quum de aliis loquor, blæſus videor, heic pæne elinguem vel poſt multa verba me dicam. Exploratum ſane eſt, & extra controverſiam jamdiu poſitum, ex Latinæ Linguæ corruptione, & veluti ex illius tumulo emerſiſſe Linguam non tantummodo noſtram, ſed & Gallicam, atque Hiſpanicam. Verum qua ratione, quo tempore, quibus ex cauſſis acciderit tanta Latini ſermonis immutatio, & tanta apud nos Dialectorum varietas, divinare quidem atque opinari licet, certis rerum documentis oſtendere non licet. Nam vel ipsâ florente Romanorum Republicâ, & ſub primis Imperatoribus, quiſnam quæſo liquido nos doceat, qualis Latinæ Linguæ ſtatus foret in Provinciis, & extra Romam, ac Latium, puta in Galliis, immo & per univerſam fere Italiam? Attamen Linguarum genium nos ſatis novimus. Unam quidem univerſa, ut ita loquar, Natio profitetur, ſed quæ in plures Dialectos diviſa, aliter in una Provincia, aliter in altera, uſurpatur; immo inter Linguam unius Civitatis, & reliquarum ejuſdem Provinciæ Urbium, diverſitas occurrit; & quod plus mirere, in ipſis ampliſſimis Civitatibus inter unam ipſius Civitatis regionem, & ceteras, non levem ſermonis differentiam ſentimus. Quid Italia, quid Gallia, Hiſpania, & Germania, quod eſt ad haſce Dialectos longe inter ſe diverſas, temporibus noſtris ferat, nihil eſt quod ego memorem, quando res notiſſima in omnium aures incurrit. Adeone, quæſo, beata fuere Romanorum tempora, ut purum putum Latii ſermonem univerſæ Provinciæ Romani Imperii, immo & ſingulæ Civitates, & rura omnia, in uſu habuerint, & ex iis nulla gens ab altera diſſenſerit? Equidem id mihi numquam perſuaderi ſinam, & fœdiſſime eos falli puto, ſi qui ſunt, quibus opinio inſederit, fuiſſe olim Latinæ Linguæ eamdem puritatem ac pronuntiationem per univerſam Italiam, quæ Romæ erat. Erant & tunc Dialecti complures; ac propterea quum in Livii Libris aliquid ex Patavina Dialecto Romani ſubolfeciſſent, ei *Patavinitas* objecta fuit. Immo ne in ipſa quidem Urbe, ubi Latinitatis ſacraria erant, Ciceronis & Quinctiliani ævo, intacta a barbariſmis & ſolœciſmis Latina Lingua fuit; atque opus jam tum erat Grammaticæ operam dare, ut ad laudem *Latine loquendi* aſſurgerent ipſi Romani: quod eviciſſe mihi videor in Tom. 2. Perf. Poëſ. Ital. pag. 101. Negabat id olim Cl. V. Antonius Maria Salvinius in *Notis Criticis* ad eoſdem Libros meos Venetiis recuſos, contendens, Grammaticæ quidem Scholas Romæ permultas fuiſſe, ſed ad Græcam tantummodo Linguam, non verò A ad Latinam tradendam, quam a nutrice purgatiſſimam quiſque hauriebat. Attamen habeo Svetonium de Illuſtr. Grammat. contraria plane ſuadentem. Is enim nobis exhibet *M. Antonium Gniphonem, in Gallia natum, non minus Græce quam Latine doctum, qui docuit primum in D. Julii domo pueri adhuc, & duo tantum volumina de* LATINO SERMONE *reliquit*. Aſinius etiam Pollio apud eumdem Svetonium *Atejum nobilem Grammaticum Latinum* laudat. Plerique verò ex iis Grammaticis Latinos Libros interpretabantur, & Latinam Linguam ſuis ſcriptis expoliebant: ad quod potiſſimum B incubuiſſe liquet M. Terentium Varronem, celeberrimum Virum, ut alios omittam, qui & Lib. VII. de Lingua Latina ſcribit, *Græcos & Latinos de utraque declinatione nominum & verborum, Libros feciſſe multos*. Minime tamen prætermittenda ſunt, quæ Lib. I. Cap. 7. ſcripſit Quinctilianus, quum de Grammatica ſermonem haberet. *An ideo*, inquit, *minor eſt M. Tullius Orator, quòd idem Artis hujus diligentiſſimus fuit, & in filio (ut in epiſtolis apparet)* RECTE *loquendi ac ſcribendi aſper quoque exactor? Aut vim C. Cæſaris fregerunt editi de Analogia Libri? Aut ideo minus Meſ-* C *ſala nitidus, quia quoſdam totos libellos non de verbis modo ſingulis, ſed etiam literis dedit?* Exigebat Tullius, ut filius *Recte* loqueretur ac ſcriberet, non Græce, ſed Latine, hoc eſt, ſecundùm Grammaticæ regulas, non ad vulgi imperiti morem. Propterea Schola erat pueris, ut præcepta Latinæ Linguæ diſcerent. Quod quum ajo, Tullium ipſum auctorem habeo, qui Lib. III. de Oratore ſcribit: *Præcepta Latine loquendi puerilis doctrina tradit*, id eſt Ars Grammatica, ad quam ſe conferre tunc vel ipſi Romani pueri cogebantur. Ita Vitruvius Auguſtum alloquens rogabat, *ut ſi quid* D *parum ad Artis Grammaticæ regulam fuerit explicatum*, ignoſceret. Sed quæ in hanc rem jam attuli, Salvinius verò inſalutata reliquit, ſatis ſunt ad opinionem meam firmandam. Neque enim Cicero ſcripſiſſet, *non tam præclarum eſſe ſcire Latine, quam turpe neſcire*; neque Ovidius Romanis auctor fuiſſet, ut *Linguas duas* ediſcerent, ſi ad Latinam recte aſſequendam una matris aut nutricis Schola ſatis fuiſſet. Neque Auctor Rhetoricæ ad Herennium tradidiſſet, *rationem vitandi Solœciſmos & Barbariſmos, in Arte Grammatica dilucide diſci*. Vide etiam Danielem Georgium Morhofium E Virum inter Germanos eruditiſſimum, qui in Opuſculo de Patavinit. Liviana multa ad hoc argumentum congeſſit, uti & Barthium in Adverſar. Lib. 13. Cap. 2., ut alios omittam. Quid ultra? Quinctilianus ipſe Lib. I. Cap. 10. fatetur, *aliud eſſe Latine, aliud Grammatice loqui*. Et profecto oſtendere poſſumus Inſcriptiones, ipſo Cæſare Auguſto imperante poſitas Romæ, in quibus Grammaticam deſideres, & corruptam vulgi Linguam ſentias. Paucas tantùm ſeligo editas a Cl. V. Franciſco Blanchinio in Lib. Inſcript. Sepulcr. Libert & Serv. Aug. & extra Urbem in Via Appia effoſas An. Ch. 1726.

GE

GENIO
COETI HERODIANI
PRÆGUSTATORIS
DIVI AUGUSTI
IDEM POSTEA VILLICUS
IN HORTIS SALLUSTIANIS.

DIS MANIBUS
. . . . S. AUG. LIB. BATHYLLUS ÆDITUS (*pro* ÆDITUUS)
TEMPLI DIVI AUG.
II. ET DIVÆ AUGUSTÆ QUOD EST IN PALATIUM (*pro* IN PALATIO) IMMUNIS ET HONORATUS.

TELEPHUS. LIVIÆ. L.
DAT
FUFIÆ. CLYMENE. ET FUFIÆ.
EUCHE. SORORES (*pro* SORORIBUS)

GEMINA L. AUGUSTÆ
ORNATRIX
IRENE SUÆ DAT OLLA (*pro* OLLAM)

Et ſane in loquela vulgi, ac præcipue Servorum extra Romam natorum, tunc ejuſmodi fæces crebræ occurrebant. Quod plus eſt, nobiles ipſi ac Literati inter Romanos non ita prorſus pronuntiaſſe videntur in quotidiano ſermone Latinas voces, uti eas ſcribebant. Svetonio quippe teſte Cap. 88. Auguſtus ipſe *Ortographiam, ideſt formulam, rationemque ſcribendi a Grammaticis* (ergo Latinæ quoque Linguæ ſui tunc erant Grammatici) *inſtitutam, non adeo cuſtodiit; ac videtur eorum ſequi potius opinionem, qui perinde ſcribendum, ac loquimur, exiſtiment*. Ii nempe exempli cauſsâ pro *Ipſi* & *Ipſe* pronuntiabant *Ipſus*, *Iſſi*, & *Iſſe*, ut adhuc Neapolitani faciunt, unde noſtrum *Eſſo* prodiit. Atque ea cauſſa eſt, cur in antiquis Inſcriptionibus, rudis præſertim popelli, tot diſtortæ, mancæ, ac deformatæ voces deprehendantur, interdum Quadratariis, ſæpius uſui loquendi tribuendæ.

At heic nos interpellat Sanctus Auguſtinus Lib. XIX. Cap. VII. de Civ. Dei in hæc verba ſcribens: *Imperioſa Civitas Roma non ſolum jugum, verùm etiam Linguam ſuam, domitis gentibus impoſuit*. Ita ſane. Sed num in devictis populis ſublatæ ſimul fuere, atque omnino abolitæ primitivæ eorum Linguæ? Quis credat? Et quei tam facile fieri id potuerit? Teſtis eſt Auguſtinus ipſe, *Punicam Linguam* in Africa ſuo adhuc tempore ſuperfuiſſe. In Curia quidem, & in foro per univerſas Romani Imperii Urbes, ac præſertim ubi conſtitutæ Coloniæ, Latina Lingua regnavit; eamque Cives plerique noverant, Actaque publica non alio ſermone fuere conſcripta: quod & fieri nunc certum eſt aut Hiſpanicâ, aut Latinâ in tot Civitatibus Americæ, aut Aſiæ, quæ Hiſpanis ac Luſitanis Regibus parent. Immo in Italia, in Gallia, & aliis in Regionibus id adhuc factum cernimus, quum aut Latinâ, aut communi Italicâ, ſive Gallicâ, ad normam Grammaticæ compoſitâ, omnes ferme in Actis publicis, & in concionibus ad populum utantur; quum tamen ſingulæ fere Provinciæ Dialectum propriam in uſu quotidiano adhibeant, quæ a doctorum hominum Lingua nimium ſæpe diſcordat.

Quamobrem ne ſua quidem Lingua ſub Romanis victoribus cenſenda eſt prorſus erepta Populis profligatis, aut in deditionem acceptis. Immo veri omnino ſimile videtur, ipſas eorum primitivas Linguas diu perduraſſe, aut multa ſaltem ex iis vocabula, & formas loquendi, a Latinis diverſa, aſylum ſibi quæſiiſſe apud rude vulgus; & potiſſimum ab agrorum colonis, ac tenacius a montium incolis retenta ac ſervata fuiſſe. Ita ut vel florente Romana Republica, ac Romano Imperio, veſtigia plurima, ut parce loquar, inveniſſes Linguarum, quæ in diverſis Italiæ partibus ante Latinam viguerunt, puta Etruſcorum, Græcorum, Oſcorum, Inſubrum, Ligurum, aliorumque Gallorum, ſive & aliorum Populorum, qui primi Romano victori colla ſubmiſere. Idque innuere videtur Quin-

Quinctilianus Lib. I. Cap. IX. Inſt. Orat., ubi de verbis *peregrinis* ſcribens, hæc ait: *Taceo de Tuſcis, Sabinis, & Præneſtinis quoque; nam ut eo Sermone utentem Vectium Lucilius inſectatur, quemadmodum Pollio deprehendit in Livio Patavinitatem*. Adde A. Gellium Lib. 17. Cap. 17. in hæc verba ſcribentem: *Q. Ennius tria corda habere ſeſe dicebat; quod loqui Græce, & Oſce, & Latine ſciret*. Ergo Ennii ætate adhuc Oſca Lingua vigebat. Apud Feſtum quoque legitur ex Titinnii fabula ſumtum: *Qui Obſce & Volſce fabulabantur, nam Latine neſciunt*. Adde etiam Varronem, cujus verba ſunt Lib. XIX. rerum humanarum: *Multæ vocabulum, non Latinum, ſed Sabinum eſt; idque ad meam memoriam manſit in Lingua Samnitium, qui ſunt a Sabinis nati*. Sed quid Lingua Samnitium, ſeu Sabinorum? Paucis dicam. Qui Quinctiliano nuper appellabatur *Sabinus Sermo*, nihil aliud fuit, quam eadem *Oſcorum* Lingua, cujus mentionem fecere Livius, Varro, Feſtus, & alii, & vocabula etiam nonnulla retulerunt. *Oſcam* autem fuiſſe Linguam Sabinorum, Samnitium, Brutiorumque, oſtendit Cluverius Lib. 3. Cap. 9. Ital. antiquæ. Novimus etiam florente ipsâ Latinâ Linguâ, immo & declinante, Atellanas Fabulas *Oſcâ Linguâ* actitatas in ipſa Urbe fuiſſe. Teſtem præ ceteris ſelectum, ecce exhibeo Strabonem, Tiberii Cæſaris ætate viventem, cujus hæc ſunt verba Lib. V. Geograph. *Quum Oſcorum gens interierit, Sermo eorum apud Romanos reſtat, ita ut Carmina quædam ac Mimi certo quodam certamine, quod inſtituto majorum celebratur, in ſcenam producantur*. Velius Longus Grammaticus, *Harena*, inquit, *ut teſtis eſt Varro, a Sabinis Faſena dicitur*. In ea autem opinione erat amicus olim meus Hubertus Benvoglientus Patricius Senenſis, nihil aliud fuiſſe *Oſcorum* Linguam, niſi Dialectum *Etruſcæ*: quod an probandum ſit neſcio. Illud quidem conſtat, Etruſcos antiquis temporibus longe lateque per Italiam dominatos fuiſſe, eorumque Linguam, Auguſto ipſo imperante, nondum extinctam videri, uti colligi fortaſſe poteſt ex Dionyſio Halicarnaſſeo Lib. I. Antiquit. Roman. qui *Tyrrhenorum* Linguam ſcribit a Romanorum, ac Lydorum Linguis fuiſſe diverſam. Quare etiam aureo Linguæ Latinæ Sæculo non una Lingua Latina in Urbium Italicarum Populis audiebatur. Quod etiam intelligas ex Livii verbis Lib. XL. Cap. 42. ita ſcribente: *Cumanis petentibus permiſſum, ut publice Latine loquerentur, & Præconibus Latine vendendi jus eſſet*. Ergo apud eos familiaris tunc alia Lingua fuiſſe credenda eſt, eamque propterea nondum Latinus ſermo aboleverat.

Quibus poſitis, fateamur quidem cum Sancto Auguſtino Romanos *Linguam ſuam domitis gentibus* impoſuiſſe; ſed ſimul excogitare licet, non deſiiſſe propterea, neque deſinere potuiſſe, niſi poſt multa Sæcula, nativam devictorum populorum Linguam, ita ut multi extra Latium, & præcipue extra Italiam; non eam cum lacte a matribus biberent, ſed ſtudio ſibi ac labore conquirerent. Atque ex his intelligas, quare Auctor Panegyrici Conſtantino Auguſto Treveris recitati (is Nazarius fortaſſe fuit) hæc Anno Ch. 313. verba protulerit. *Neque enim*, inquit, *ignoro, quanto inferiora ſint ingenia noſtra Romanis. Siquidem LATINE, & diſerte loqui illis ingeneratum eſt; nobis elaboratum*. Accedit, quod Tul-

A lius pro Archia Poëta ſcripſerit: *Græca leguntur in omnibus fere gentibus: Latina ſuis finibus, Exiguis ſane, continentur*. Si tam felicem velimus Latinorum Linguam, ut quòcumque victricia eorum arma penetrarunt, ipſa quoque ſe intulerit, atque in uſum omnium converſa fuerit, non *Exiguos* fines, ſed ampliſſimos, eadem ſibi conſtituiſſet. Supereſt ergo, ut vel ſub Romanis dominantibus, indigenæ Linguæ vigorem ſuum retinuerint, ac poſt plura tamdem Sæcula attenuatæ fuerint nonnullis in gentibus, quum tamen aliæ ſuam excidere numquam paſſæ fuerint. Græcia inprimis exemplum præbeat. Apud eos Populos in poteſtatem Romanæ Reipublicæ redactos,
B ut ut fortaſſe Latinam Linguam eorum acta Conſiſtoriana, aliaque publica Acta ſonarent, Græcæ tamen Linguæ vis & uſus numquam propterea fuit imminutus; immo & in ipſa Urbe interdum cauſſæ auditæ ſunt Græco ſermone. Idem diu obſervatum & ab aliis populis. Audi-ſis nunc Sanctum Hieronymum circiter Annum Ch. 388. de *Galatis* Aſiæ populis loquentem in Præfat. ad Lib. II. in Epiſt. ad Galatas. *Maſſilienſes* ait appellatos a Varrone *trilingues, quod & Græce loquantur, & Latine, & Gallice*. Infra addit, *Galatas* (*excepto ſermone Græco, quo omnis Oriens loquitur*) *Propriam Linguam eamdem pæne habere, quàm Treviros. Nec referre, ſi aliqua exinde*
C *corruperint; quum & Afri Phœnicum Linguam nonnulla ex parte mutaverint; & ipſa Latinitas & regionibus quotidie mutetur & tempore*. Si Maſſilienſes non *Latine* tantùm, ſed & *Gallice* loquebantur; ſi Linguam propriam ſervavere Galatæ, Celtarum veterum ſoboles, eumque ſermonem retinebant, quo Trevirenſes Hieronymi ævo utebantur: conſequens eſt, ne eo quidem tempore vetuſtam Gallorum Linguam interiiſſe, uti neque apud Afros Phœnicum Linguam, quæ nihil aliud quam Punica fuit, uti poſt alios oſtendit Salmaſius in Plin. Exercit. Auctor verò eſt Cæſar, tempore ſuo Galliam in tres partes fuiſſe diviſam, ſcilicet Belgas, Celtas ſive Gallos, & Aquitanos. *Hi*
D *omnes*, ait *LINGUA, inſtitutis, legibus inter ſe differunt*, Linguæ-ne iſtæ Dialecti unius Linguæ fuerint, an diverſa plane idiomata, non liquet. Sanctus quoque Irenæus Sæculo II. Æræ Chriſtianæ *Linguam barbaram* appellabat in Præfat. ad Libros ſuos, Linguam Celtarum *Lugdunenſium*, apud quos ipſe verſabatur. Poſt Sanctum Irenæum floruit Ulpianus ſub Severo Alexandro. Ejus autem verba ſunt in l. XI. de Legatis III. *Fideicommiſſa quocumque ſermone relinqui poſſunt; non ſolum Latinâ, vel Græcâ, ſed etiam Punicâ, vel Gallicanâ, vel alterius cujuſcumque gentis*. Auli quoque Gellii verba omnibus perpendenda profero. Scribit ille Lib. XI. Cap. VI. Romanum quemdam cauſſarum patronum celebrem, ſe audien-
E te, obſoletis quibuſdam vocibus apud Præfectum Urbis fuiſſe uſum, quæ primò ſtuporem, tum riſum ab auditoribus extorſere. *Aſpexerunt*, inquit, *omnes qui aderant alius alium, primo triſtiores turbato & requirente vultu, quidnam illud utriuſque verbi foret. Poſt deinde, quaſi neſcio quid Tuſce aut Gallice dixiſſet, univerſi riſerunt*. Hinc etiam, ſi quid video, ediſcere poſſumus, vivente ipſo A. Gellio, ſive Agellio, non *Gallicam* tantummodo Linguam, ſed & *Tuſcam*, ſuperſtitem in Italia fuiſſe, ita ut quum ipſi inter Romanos eruditi Cauſidicum illum audirent inſolentibus atque incognitis vocabulis

tabulis perorantem, ibi vult fieri audire *Gallum* quempiam, aut *Tuſcum* loquentem, hoc eſt peregrinâ Linguâ verba facientem. De Lingua noſtrum non ſatis commode hæc interpretaris, & præcipue quum Gallicam Linguam eo tempore adhuc viventem ſupra viderimus; & Apollinaris Sidonius Lib. II Ep. III *ſermonis Celtici ſquamam* vegetem in Arvernorum Urbe commemoret; & Lampridius in Alexandro Severo ſcribat: *Mulier Dryas eunti* (Auguſto) *exclamavit Gallico ſermone: Vadas* &c. Quod tamen potiſſimum animadvertas velim, teſte Hieronymo, uti nuper vidimus, *ipſa Latinitas & regionibus Quotidie mutabatur, & tempore*: quæ verba indicia ſunt, Linguam ipſam Latinam jam non paucas ſubiiſſe mutationes, & novas in dies ſubire.

B Proinde ne tempora quidem Barbarorum in Italia pacifice regnantium ſunt expectanda, ut eandemmet atque a puritate ſua declinantem apud nos excogitemus Latinorum Linguam. Jam rugas illa contraxerat, jam fœdata erat innumeris Solœciſmis ac Barbariſmis in plebis commercio, utpote commixta cum Linguis ante Latinorum imperium in Italia uſurpatis, & nunquam extinctis, & obnoxia mutationibus, quas ſenſim Linguæ contrahunt. Edidit Mazochius ſenior, ac deinde in Theſaurum ſuum

A pag. DCVII. n. 1. Gruterus intulit Inſcriptionem Romanam ſingularis pretii, quippe quæ libellum continet, ab *Arrio Alphio, Liberto Arriæ Fadillæ matris Antonini Pii Auguſti*, porrectum eidem Imperatori, ut ſibi liceret ex fictili in marmoreum ſepulcrum transferre corpora Conjugis & Filii vitâ functorum. Additum eſt Decretum Magiſtratus, atque Epiſtola Velii Fidii, rogantis Juventium Celſum, ut Libellum ſubſcriptum ad ſe quantocyus remittat. Pertinet Inſcriptio ad Annum Ch. CLV. Porro eadem Anno 1730. rurſus reperta fuit in Monte Cæliolo prope mœnia Urbis æternæ, ac diligentiſſime deſcripta ex lapide. Veniam peto ejus denuo evulgandæ, qualem ad me miſit elegantis ingenii vir, & præclariſſimus amicus meus Ignatius Maria Como, Patricius Neapolitanus. Erit Lectoris animadvertere, quot ſphalmatis abundet epigraphe, non barbaricis, ſed felicibus Romanæ Reipublicæ temporibus marmore inſculpta. Potiorem quidem errorum partem Marmorario indocto tribuendam lubens fateor; at dubitare non deſino, quin aliquis etiam exciderit Auctoribus Epiſtolæ atque Libelli. Ibi A ſemper ſcriptum veluti λ. ſive uti Græcum Lamda, & M. conſtitutum ex duobus λλ.

VELIUS FIDIUS. JUBENTIO COL
LEGÆ SUO SALUTEM DESIDERI (1) FRA
TER ARRI ALPHII ARRIÆ FADILLÆ DOMI
NI N IMP. ANTONINI AUG. MATRIS LIBERTI
LIBELLUM TIBI MISI COGNITI MIHI EX
LONGO TEMPORE PRIMÆ JUBENTUTIS
ETIAM (2) MIRATUS CUM SE AB ÆDIBUS ES
SEM QUOTEOLO (3) SE CONTULIS ET A QUO
DIDICI CAUSAS EREQUITIONIS (4) SET ET RE
LIGIONIS MAGNOPE A DOMINO N IMP
IMPETRASSE ITA NE QUA MORA VIDEA
TUR EI PER NOS FIERI LIBELLUM SUBSCRIP
TUM PER FUDEM (5) PUBLICUM SINE MORA
MIHI REMITTAS OPTO. TE SALVOM TFE (6) BOI EMES
EXPLU (7) LIBELLI DATI
CUM ANTE HOS DIES COJUGEM ET FILIUM AMI
SERIM ET PESSUS (8) NECESSITATE CORPORA CORUM (9)
KICTILI (10) SARCOFAGO COMMENDAVERIM DONI (11)
E
QUIS LOCUS QUEM EMERAM ÆDIFICARETUR VI
A FLAMINIA INTER MILIAR II ET III EUNTIBUS A
B URBE PARTE LÆVA CUSTODIA MONUMENTI
FLA (12) THUM FIES MÆSO SOLA EM STILORCILI
ROGO DOM (13) TA' PERMITTAS MIHI IN EODEM LO
CO IN MARMOREO SARCOFAGO QUEM MIHI MO
DO COMPERAVI (14) EA CORPORA COLLIGERE UT CUAN (15)
DO NE EGO ESSE DESIER PARITER CUM EIS PONAR
(16) KECRETUM FIERI PLACET JUBENTIUS CELSUS
PROMAGISTER SUBSCRIPSI III. NONAS NOFM (17)
ANTIO POLIONE ET OPIMIANO KOS ORDINALIS (18)
SEVERO ET SABINIANO COS

(1) pro DESIDERIUM.
(2) Hæc difficile explices.
(3) Gruter. QUOT EOLO SE. Num pro PUTEOLOS?
(4) Gruter. REQUIETIONIS.
(5) Gruter. EUDEM.
(6) Gruter. ET FELICEM ES.
(7) pro EXEMPLUM, ſed fortaſſe linea literæ V. ſuper impoſita fuerit.
(8) Gruter. PRESSUS.
(9) Gruter EORUM.
(10) Gruter. FICTILI.
(11) Gruter. DONIQUIES. Legendum opinor DUM QUIETIS.
(12) Gruter FLA. THUMELES. A. MESOLO. M. SELI ORCILI.
(13) Gruter DOMINE PERMITTAS.
(14) Gruter. COMPARAVI.
(15) Gruter. QUANDONE.
(16) Gruter. FERETRUM. Legendum opinor DECRETUM.
(17) pro NOVEMBRIS.
(18) Gruter. ORDINARIS.

Pan.

Panvinius, Falconerius, Noriſius, & Relandus, hujus Inſcriptionis cauſsâ diſputarunt, quinam Anno Æræ vulgaris CLV. Conſules ordinarii, & qui ſuffecti fuerint. Poſteriores duo Scriptores contendunt, *Severum & Sabinianum* revera fuiſſe *ordinarios*: quod ſane quei exſculpi hinc poſſit, non video. Reliqua etiam perpende, ac nonnullorum ſenſum vix aſſequeris; & poſtquam Marmorarium non ſemel culpaveris, juſta etiam ſuſpicio ſupererit, in auctores ipſius Inſcriptionis mendum aliquod Linguæ eſſe rejiciendum. Vitiatæ autem ejuſdem Latinæ Linguæ temporibus proxime ſubA ſequutis exemplum alterum adjicere juvat, Inſcriptionem videlicet illuſtrem, quam ex Muſæo ampliſſimi S. R. E. Cardinalis Alexandri Albani deſcriptam ad me miſit Franciſcus Maria Otterius Marchio Montorii, Clariſſimus noſtrorum temporum Hiſtoricus. Continet ipſa Decretum Collegii Fabrûm Sentinatium, Anno Chriſtianæ Æræ, CCLX. confectum, ut in Patronum ejuſdem Collegii adſciſceretur *Coretius Fuſcus* vir ſplendide natus, intuitu etiam Memmiæ Victoriæ illius matris bene de ipſo Collegio meritæ.

P. CORNELIO SÆCULARE II. ET JUNIO DONATO II.
KAL. JULIS COS

SENTINI CUM IN SCOLA SUA FREQUENS NUMERUS COLL FABR
SENTINATIUM CONVENISSENT NUMERUM ABENTIBUS
C. JULIO MARTIALE ET C. CASIDIO RUFINO QQ. (1) ET REFERENTIB
IPSIS SEMPER ET IN PRÆTERITUM ITA SPLENDIDISSIMUM $\bar{N}$ $\bar{N}$ (2)
CONISUM ESSE UT ADEECTIONE SPLENDORIS SUI IN SINGULOS
QUOSQUÆ CONDIGNOS MERENTES EXIBEANT VEL MAXIME
IN HONORE ADQUE DIGNITATE MEMMIÆ VICTORIÆ QUON
DAM INDOLES MAMORIÆ FEMINE MATRIS NUMERI NOSTRI
PROORSUS USQÆQUE ESSE PROVECTUM NOMEN DOMUS
EJUS UT PER ORDINEM GENERIS SUI OMNES IN NUMERUM N
PATRONI IN COLLEGIUM NOSTRUM APPELLARENTUR OPTAN
DAQUE ERANT UT OMNES UNIVERSISQUÆ INCOLUMES IN
NUMERUM NOSTRUM VIDERENTUR ET QUONIAM VIR SPLEN
DIDUS CORETIUS FUSCUS PATRONUS NUMERI DEBEAT EX
EMPLO PIETATIS PARENTIUM ET MATRIS HONORIFICENTIA
ITAQUE SI OMNIBUS VIDERETUR TABULA ÆREAM EI OFFER
RI

(3) Q. F. P. D. E. R. I. C. C.

GLORIOSAM ESSE RELATIONEM B.B. V.V. Q.Q COLLEGI. $\bar{N}$ (4)
ET IDEO CUM SIT CORETIUS FUSCUS SPLENDIDE NATUS UT
POTIUS HONORIFICENTIÆ NOSTRÆ MODUM INTEL
LEGAT NECESSAQUE SIT EI TABULAM ÆREAM TITULIS
ORNATAM SCRIPTAM OFFERI PETIQUE AB EO HANC
OBLATIONEM NOSTRAM LIBENTI ANIMO SUSCIPE
RE DIGNETUR LEGATOSQUE IN EAM REM FIERI QUI
QUIDIGNE PROSEQUANTUR NERATIUM AMPLIATUM ORPIUM VER
TATEM ÆMILIUM VICTOREM BEBIDIUM JUSTUM CASIDIUM MARTA
LEM JULIUM MARTIALEM CASIDIUM RUFINUM BEBIDIUM JENU
ARIVM AETRIVM ROMANUM CASIDIUM CLEMENTINUM AETRIVM
VERNAM VASSIDENUM FAVOREM CASIDIUM JUSTISSIMUM SA
TRIUM VERECUNDUM STATIUM VELOCEM VETURI CELERINU

(1) Ideſt QUINQUENNALIBUS.

(2) Ideſt *Numerum noſtrum*, niſi ſit M N ideſt *Municipium noſtrum*.

(3) Ideſt QUID FIERI PLACERET DE EA RE ITA CENSUERUNT.

(4) Ideſt ut puto BONORUM, vel BINORUM VIRORUM QUINQUENNALIUM COLLEGII NOSTRI.

Heduos, ut puto, ad intricatam orationem Præſidum Quinquennalium Collegii, ſive Numeri, hoc eſt, Corporis illorum Fabrum. Animadvertere & alios [illegible] *Villicis quondam* [illegible] *memoriæ* [illegible] *eſſe* [illegible] *erant* [illegible] *ſque ſit &c.* Uno verbo: ſenſus interdum male vix exſculpuntur. Populares homines erant: nil mirandum. Ceterum barbolenta alia exempla declinantis Linguæ Latinæ attulere jamdiu doctiſſimi Viri Celſus Cittadinius Senenſis in Lib. de Orig. Ital. Linguæ, Lipſius in Dial. de recta Pronunt. Cujacius Obſerv. Lib. 9. Cap. 26. Briſſonius, Salmaſius, Naudæus, & alii, exercendo in primis *Chartam plenariæ ſecuritatis*, quam recudit Mabillonius in Append. ad Diplomat. Scripta ea fuit Ravennæ Juſtiniano I. Auguſto imperante Anno 564. atque ibi peregrinæ voces, errorésque non pauci occurrunt, quibus indicantur vulnera jam ipſi Linguæ inflicta. Alias etiam id genus Ravennates Chartas evulgavit idem Mabillonius, & alias addidit Cl. V. Scipio Maffejus Marchio, qui ſolicito ſtudio quotquot potuit Ægyptiacas philyras adhuc ſuperſtites, & ab aliis omiſſas, in unum collegit. Erat mihi exemplum Ægyptiacæ Papyri Ravennæ An. Ch. 540. ſcriptæ, quam nempe eduxeram e MSto Commentario Jacobi Grimaldi olim in Baſilica Vaticana Clerici Beneficiati, & Archivo ejuſdem Baſilicæ præfecti, *de Sacroſancto Sudario Veronicæ Salvatoris Domini noſtri Jeſu Chriſti*. Is autem illam deſcripſerat ex archetypo exiſtente in Bibliotheca Vaticana. Huic loco deſtinaveram ego, ſimulque luci publicæ pretioſum hoc, & adhuc in tenebris latens antiquitatis monumentum, cui vix aliud par inter vetuſtas Philyras reperias, quum ritum in contractibus venditionis olim a Magiſtratibus adhibitum nobis ſervarit, quem ſi noviſſet Briſſonius, in præclarum ſuum Opus *de Formulis Populi Romani* Lib. VI. lubenter, ut puto, inſeruiſſet. At quandoquidem prælaudato Marchioni Maffejo Mutinæ agenti illud legendum ante aliquot annos præbui, cenſuit ipſe, nihil de officiis amicitiæ noſtræ imminutum iri, ſi ejuſdem Papyri exemplum e Vaticano archetypo ſibi procuraret, atque in eo evulgando mihi præiret. Conſilium tamen ejuſdem Papyri huc inferendæ retinui, idque duplici de cauſſa. Prima eſt, ut ſub oculis Lector habeat, quæ foret An. Ch. 540 Linguæ Latinæ conditio, non dicam in ore vulgi, ſatis corruptè, quantum arbitror, vel longe antea loquentis, ſed in ipſis Literatorum hominum, immo & Magiſtratuum ſcriptis. Altera eſt, ut experiri poſſint eruditi, an Jacobus Grimaldus ante centum & ultra annos felicius quam recentiores, quibus uſus eſt Maffejus, Vaticanam Papyrum legerit. Conferenti exemplum utrumque fortaſſe patebit, tum plura, tum alia non pauca rectius a Grimaldo expreſſa fuiſſe. Neque enim in intricatiſſimis Ravennatis ſcripturæ eo ævo uſurpatæ characteribus, & in iis verborum compendiis tantum ſibi polliceri quiſquam poteſt, ut quidquid Notarii tunc ſcripſere, certiſſime inde eliciat. Exemplo ſit omnium in hac arte princeps Mabillonius, qui in calce Inſtrumenti *plenariæ ſecuritatis* a me nuper laudati *Agemagd* legit. Nihil aliud in archetypo eſſe arbitror ego, niſi *Magd. D.* inter duas calami excurſiones: quæ literæ ſignificant *Magiſtratus dixit*, uti Maffejus interpretatur, aut *Magiſtratus decrevit*, uti Grimaldus. Sed en ipſa Acta. Ea in latiſſima papyro ſcripta fuere lineis in enormem longitudinem productis. At quandoquidem tempus extrema utrinque linearum exedit, ita ut tam in earum principio, quam in fine quædam aut voces, aut literæ deſiderentur, ego lineas inter ſe diſtinctas appoſitis numeris deſignans, quantum fieri poterit earum defectum exprimam. Utrumque verò textum apponam, e quorum conſpectu illico apparebit, quid diſcriminis inter eos intercedat.

Ven-

Venditio fundi Domicilii, ac alterius fundi, ſitorum in agro Faventino, facta in Urbe Ravennate Montano Viro Clariſſimo Notario ſacri Veſtiarii a Domnico Viro honorabili una cum Magiſtratuum Faventinorum decreto, Anno VI. Poſt Conſulatum Paulini Junioris, hoc eſt An. Ch. 540.

Secundum editionem March. Maffeji.

. . . .
. . . . *maximumque, venientem ſibi* $\overline{ss}$ (*ſupraſcriptus*) *venditor dixit ex jure & ſucceſſionem q d* (*quondam*) *matris ſuæ, & filiorum ſuorum omni pretio* . . . . *pro* $\overline{ss}$ *portionis ex duobus fundis & omnibus ad ſe pertinentibus auri ſolidos dominicos optimos penſantes numero quadraginta tantum, qui eidem venditori per manus* $\overline{ss}$ *emtoris dati numerati* . . . . *domi ex arca, vel ex ſaceulo ſuo, teſtibus præſentibus, infra ſubſcribturis. Nibilque ſibi* $\overline{ss}$ *venditore ex hoc omni prætio quidquam amplius rediberi dixit, & pollicetus ſe nullum in poſterum adverſus* . . . . *hæredibuſque ejus ſuper hujus definitionis placitum aliquam aliquando movere rem, litem, ultionem, petitionem, repetitionem, controverſiam, queſtionem in rem vel in perſonam habire aviturus ve.* . . . . *poſſeſſionem rei* $\overline{ss}$ *qui ſupra venditor eundem emptore actoremque & jus in rem ire, mittere, ingredi, poſſidereque permiſit: hac ſuos omnes inde ex eadem re exiſſe, exceſſiſſe, diſceſſeque dixit* . . . . . *uno* . . . . *autem inlibatas portiones duorum fundorum ab omni nexu fiſci, deviti populi, pribati, ut & ab hære alieno, litibus, controverſibiſque omnibus nec non & a ſortebus* . . . . *& a ratione ſeu obligatione citeriſque aliis titulis vel honeribus ſive contractibus, nullique antea portionis juris ſui ſive competentis in integro* . . . . *ſtelonatus* (*ſtellionatus*) *& rurſus neque diſtractas nec alicui offiduciatas* . . . . *habere* . . . . *neque per venditionem aliove quolibet jure tranſtuliſſe, ſed ſui juris eſſe profeſſus eſt. Et ſi quis portiones ſupra memoratas de quibus agitur partemve* . . . . *fructumve earum quis evicerit, quo minus emptor* $\overline{ss}$, *ipſum hæredes, ſucceſſoreſque ejus* . . . . . . *ad quem ea res erit de qua agitur* $\overline{pp}$ (*perpetuo*) *habere, & ire, poſſidere, uti, frui, uſumque capere, commutare* . . . . *voluerit in perpetuo vindicare: ita liceat comparatori hæredibuſque ejus, quod inlicetum non erit; evictum ablatumve quid fuerit; tunc quanti ea res erit, quæ evicta fuerit* . . . . *ſolidos* . . . . *ſed & rei quoque melioratæ, ac ædificatæ, cultæque exactionem habitur* $\overline{ss}$ *venditori hæredibuſve ejus memorati comparatoris, ejuſque hæredibus cogantur inferre juxta legum ordinem* . . . . *traditionique dolus malus abeſt afuturuſque eſt, vi, metu, & circumſcriptione ceſſante. De qua re & de quibus omnibus* $\overline{ss}$ (*ſupraſcriptis*) *ſtipulatus eſt Montanus v c* (*vir clariſſimus*) *Notarius: emptor ſpopondit, qui ſupra* . . . . *ad omnia* $\overline{ss}$ *in vervis* (*verbis*) *ſollemnibus*.

Actum fuit die . . . . *ſexies* $\overline{pc}$ (*poſt Conſulatum*) $\overline{ss}$ (*ſupraſcriptum*.)

Signum Domnici v h (*viri honorandi*) $\overline{ss}$ *venditoris litteras neſcientis*.

Item ſubſcribtio teſtium.

A Papyrum hanc ita legit Jacobus Grimaldus.

1\. . . . . . *jure poſſeſſum eſt, ita uſque nunc in* h^s *d. die poſſidetur, optimum, maximumque eſt venientem ſibi ſupraſcriptus venditor dixit ex jure, & ſucceſſione qd matris ſuæ, & filiorum ſuorum omni pretio* $\bar{q}$. *ne* . . . . . . *es*.

2\. . . . . . *placito & definito pro ll. portiones ex duobus fundis, & omnibus ad ſe pertinentibus auri ſolidos dominicos optimos, penſantes numero quadraginta tantum, quem eidem venditori per manus ſupraſcripti emptoris dati nume.* . . . .

B 3\. . . . . . *ex traditione domi ex arca, vel ex ſacculo ſuo teſtibus præſentibus infraſcripturi, nihilque ſibi ſupraſcriptus venditor ex hoc omni pretio quidquam amplius redhiberi dixit, & pollicetur, ſe nullum in poſterum adverſus eun.* . . . .

4\. . . . . . *heredibuſque ejus ſuper hujus definitionis placitum aliquam aliquando movere rem, litem, actionem, petitionem, repetitionem, controverſiam, quæſtionem in rem, vel in perſonam* habire avviturufve . . . .

5\. . . . . . *bacuam poſſeſſionem rei ſupraſcriptæ, qui ſupra venditor eundem emptori, actoreſque ejus in rem ire, mittere, ingredi,* C *poſſidereque permiſit, hac ſuos omnes inde ex eadem re exiſſe, exceſſiſſe, diſceſſeque dixit* . . . . .

6\. . . . . . *ico uno liberas autem inlibatas portiones duorum fundorum ab omni nexu Fiſci,* deviti *populi, pribative, & ab here alieno, litibus, cauſis, controverſibiſque omnibus, nec non & a ſorte barbari, & a ratione* . . . . .

7\. . . . . . *e ab obligatione citeriſque aliis titulis, vel honeribus, ſive contractibus, nullique antea portiones juris ſui, ſive competentes in integro a ſe donatas, ceſſas, neque diſtractas, nec alicui offiduciatas*.

D 8\. . . . . . *as habere communes neque per cautionem, neque per venditionem, aliove quolibet jure tranſtuliſſe, ſed ſui juris eſſe profeſſus eſt, & ſi quis portiones ſupra memoratas, de qua* h^s *d. die agitur, partemve*

9\. . . . . . *rem, aut uſum fructumve earum,* qui ſe vicerit, (*fort.* quiſiverit) *quo minus emptori ſupraſcripto ipſum heredes ſucceſſoreſve ejus, eumve ad quem ea* ris *erit, de qua agitur perpetuo habere, tenire, poſſidere, uti, frui, uſumque capire*

10\. . . . . . *commutare more quo voluerit in perpetuo vindicare ricte liceat comparatori,* E *heredibuſve ejus, quod ita licetum non erit evictum, ablatumque quid fuerit tunc quanta ea* ris *erit, quæ evicta fuerint*.

11\. . . . . . *ſolidorum ſupraſcriptorum, ſed rei quoque melioratæ, ædificatæ, cultæque taxationem habita a ſupraſcripto venditore, heredibuſve ejus memorata comparatori, ejuſque heredibus cogantur inferre juxta legum*.

12\. . . . . . *tioni traditionis dolum malum abes, afuturuſque eſt, vi, metu, & circumſcribtione ceſſante, de qua re, & de quibus*

Ex Editione March. Maffeji

Florus v c his inſtrumentis portiones fundi Do . . . . & quinque appellatur , in integro cum ædificio rogatus a Domnico v h ss venditore , ipſo præſente teſtis ſubſcribſi , & ss prætium quadraginta ſolidos ei in præſenti traditum vidi , qui & . . . . ſius , & Centum viginti quinque appellatur , in integro rogatus a Domnico v h ss venditore ipſo præſente teſtis ſubſcribſi , & ss prætium quadraginta ſolidos ei in præſenti traditum vidi , qui mei præſentia ſignum fecit .

Paulus v c Argentarius his hinſtrumentis portionis fundi Domicilii cum edificio , vel Cenſum , qui Vigintiquinque appellatur , rogatus a Domnico v h ss venditore ipſo præſente teſtis ſubſcribſi , & ss prætium quadraginta ſolidos ei in præſenti traditus vidi , & mei præſentia ſignum fecit .

Ego Vitalis v c Monitarius his inſtrumentis portionis ss fundi Domicilii cum edificio , vel Cenſum , qui Vigintiquinque appellatur , rogatus a Domnico v h ss venditore ipſo præſente ſubſcribſi , & ss prætium quadraginta ſolidos ei in præſenti traditus vidi .

Ego Romulus v c Silentiarius his inſtrumentis portionis fundi Domicilii cum edificio , vel Cenſum , qui Vigintiquinque appellatur , rogatus a Domnico v h ss venditore ipſo præſente teſtis ſubſcribſi , & ss prætium quadraginta ſolidos ei in præſenti traditus vidi , & mei præſentia ſignum fecit .

Item inſerendam Epiſtulam traditionis datam ad Municipes civitatis Faventinæ .

Dominis prædicavilibus & colendis Parentibus , Defenſori , Magiſtratibus cunctoque Ordini Curiæ Civ (*Civitatis*) *Faventinæ Domnicus v h ſal.* (*ſalutem .*)

Noveritis vv. . . . (*viri*) *me jure optimo & propria voluntate diſtracxiſſe & diſtracxi Montano v c Notario Sacri Veſtiarii Dom̃ñ ,* (*Dominici*) *ideſt omnem portionem meam mihi competentem ex fundi , cui vocabulum eſt Domicilius cum edificio , quem ex fundi , qui appellatur Centum . . . . . . idem* (*item*) *portionem ſuam omnem in integro , cum omnibus ad ſe pertinentibus : a quo omnem prætium placitum & definitum in præſenti percipi* (*percepi*) *, auri ſolidos quadraginta , ut tenor continet inſtrumentorum , que aput Ravennati urbe confecta ſunt ; & quia ſolvi* (*ſolvit*) *, traditio ei detur . Ideoque Domini prædicaviles accepta hanc epiſtulam meam . . . . dignavitur quolibet modo aut quolibet tempore , quando eidem emptori placuerit , ſolemnem traditionem celebrari , ut agnoſcat ad ſe . . . . omnia pertinere : nomen quoque meo ex apodypticis publicis eximi faciatis , & nomen ss emptoris in loco proſterni faciatis . Quam epiſtulam traditionis debin mutato* (*de immutato*) *dominio Stefano v h For* (*Forenſi*) *Rogatario meo ſcribendam dictavi , in qua ſubter manu propria ſignum feci , & teſtes ut ſubſcriberent conrogavi , & ad vos direxi . Sub die II. Nonarum Januariarum , Indictione tertia , ſexies p c* (*poſt Conſulatum*) *Paulini jun* (*junioris*) *v c .*

Signum Domnici v h ss venditoris litteras neſcientis .

Item ſubſcribtio teſtium Florus v c huic epiſtulæ traditionis fundi Domicilii cum edificio , vel Cenſum , quod Viginti & quinque appellatur , rogatus a Domnico v h ss venditore ipſo præſente teſtis ſubſcribſi .

Lectio Jacobi Grimaldi.

omnibus ſupraſcriptus ſtipulatus eſt Montanus V. C. Notarius emptor ſpopondit , qui ſupra . . . .

13\. *. . . . . . ad omnia ſupraſcripta in vervis ſolemnibus . Actum Ravennæ die ſexies P. C. ſupra ſcribtum . Signum Domnici V. H. ſupra ſcribti venditoris litteras neſcientis . Item ſubſcriptio teſtium Florus V. C. his inſtrumentis portiones fundi Do. . . . .*

14\. *. . . . . quod Viginti & quinque appellatur in integro cum ædificio, rogatus a Domnico V. H. ſupraſcribto venditore ipſo præſente teſtis ſubſcripſi , & ſupraſcribtum pretium quadraginta ſolidos ei in præſenti traditos vidi , qui mei . . . .*

15\. *. . . . . ſignum fecit Reparatus V. C. Præpoſitus Curſorum Dominicorum his inſtrumenti portionis ſupraſcribti fundi Domucilii cum ædificio , & Centum viginti quinque appellatur in integro , rogatus a Domnico V. H. ſupraſcripto venditore ipſo præſente teſtis ſubſcripſi , & ſupradictum pretium quadraginta ſolidos in præſenti traditos vidi, qui mei præſentia ſignum fecit . Paulus V. C. Argentarius his inſtrumentis portionis fundi Domicilii cum ædificio , vel Cenſum Viginti quinque appellatur , rogatus a Domnico V. H. ſupra ſcribto venditore ipſo præſente teſtis ſubſcribſi , & ſupradictum pretium quadraginta ſolidos ei in præſenti* traditus *vidi , & mei præſentia ſignum fecit . Ego Vitalis V. C.* Monitarius *his inſtrumentis portionis ſupra ſcripti fundi Domicilii cum ædificio , vel Cenſo , qui Vigintiquinque appellatur , rogatus a Domnico V. H. ſupra ſcribto venditore ipſo præſente teſtis ſubſcripſi , & ſupra dictum pretium ei in præſenti* traditus *vidi . Ego Romulus V. C. Silentiarius his inſtrumentis portionis fundi domicilii cum ædificio , vel Cenſum , qui Vigintiquinque appellatur , rogatus a Domnico V. H. ſupra ſcribto vendito ipſo præſente teſtis ſubſcribſi , & ſupra dictum prætium quadraginta ſolidos ei in præſenti* traditus *vidi, & mei præſentia ſignum fecit . Item inſerendam Epiſtulam traditionis data ad Municipes Civitatis Faventinæ* DOMINIS PRÆDICAVILIBUS *& colendis parentibus Defenſori Magiſtratibus qs li'* (*quibuslibet*) *cunctoque Ordini Curiæ Civitatis Faventinæ Domnicus V. H. ſalutem . Noveritis Ravennæ me jure optimo , & propria voluntate legibus diſtracxiſſe, & diſtracxi Montano V. C. Notario Sacri Veſtearii dom̃ñ , ideſt omnem portionem meam mihi competentem ex fundo , cui vocabulum eſt Domicilius cum ædificio, quam ex fundo , qui appellatur Centum, idem portionem ſuam omnem in integro cum omnibus ad ſe pertinentibus, a quo omnem prætium placitum & definitum in præſenti percipi auri ſolidos quadraginta , ut tenor continet inſtrumentorum , quæ aput Ravennati Urbe confecte ſunt, & quia ſola traditio ei deeſt , ideoque Domini prædicaviles* accepta *hanc epiſtulam meam lauu dignavitur quolibet modo , aut quolibet tempore , quando eidem emptori placuerit ſolemnem traditionem celebrari , ut agnoſcat ad ſe deinceps omnia pertinere nomen quoque meo de polypticis publicis eximi faciatis , & nomen ſupraſcribti emptoris in loco proſterni faciatis : Quam epiſtulam traditionis de immutato dominio Stephano V. H.* forx (forum) *rogatario meo ſcribendam dictavi , in qua ſubter manu propria ſignum feci, & teſtes ut ſubſcriberent conrogavi, & ad vos direxi ſub die tertia Nonarum Janua-*

Ex Editione March. Maſſeji

A

Reparatus v c Præpoſitus Curſorum Dominicorum huic epiſtulæ traditionis portionis fundi Domicilii cum edificio , vel Centum viginti & quinque appellatur , rogatus a Domnico v h ss venditore ipſo præſente teſtis ſubſcribſi .

Paulus v c Argentarius huic epiſtulæ traditionis portionis fundi Domicilii cum edificio, vel Cenſum , quod Viginti & quinque appellatur , rogatus a Domnico v h ss venditore ipſo præſente teſtis ſubſcribſi .

Mag d. (Magiſtratus dixit .) Lecta inſtrumenta venditionum , ſimulque & epiſtulam traditionis in actum . . . . ſecundùm petitionem Montani v c perfuncti nunc de præſenti Firmilianus Urſus , Flavius Severus jun vv ll (junior , viri laudabiles) Principales, una cum

B

Deusdedet Exc (Exceptore) ad Domnico v h . . . . . ut dum eidem inſtrumenta venditionum , una cum epiſtulam traditionum oſtenſe relicteque fuiſſent , ſi que facta eſſe cognoſcet, ei quid reſponſi dederit, actis renuncietur. Et q (quum) ad Domnicum v h venditore itum fuiſſet , & paulo poſt regreſſum , public. . . . . . . pp qq ss (præſentibus quibus ſupra) Firmiliano Urſo & Flavio Severo jun vv ll Principalibus , ſed & Deusdedet Exceptori dixerunt . Sicut præcepit gr va (gravitas veſtra) perreximus ad Domnicum v h ss venditore ; cuique dum a

C

novis eidem inſtrumenta venditionis , ſimulque & epiſtulam traditionis oſtenſe relicteque fuiſſent , ita dedit reſponſum : ſe eaſdem Stefano v h poſt ſcribendas dictaſſe , & ipſe in eiſdem ſubtus ſignum feciſſe ; teſteſque qui inivi ſuſcribſerunt ipſe conrogaſſe profeſſus eſt . . . . . . quibus ſe diſtracxiſſe & diſtracxit , adque tradediſſe & tradidit his idem Domnicus v h eidem Montano v c Notario Sacri Veſtiarii ſub duplariæ rei evectionis (evictionis) nomine , & rei quoque melioratæ, omniaque textus ipſorum inſtrumentorum venditionem, vel epiſtulæ traditionis ad ſingula tenor continent ſcriptura . Quare etiam geſtis . . . . gr va allequid (Gravitas veſtra aliquid) deſiderat his actis profitemur .

D

Mag d Capta reſponſionem (reſponſione) præſentum Firmiliani Urſi , & Flavii Severi jun vv ll Principalium, pariterque & Deusdedet Excep (Exceptoris) , quid nunc amplius deſideratur ? Montanus v c Notarius Sacri Veſtiarii dixit . Quoniam omnia ordine ſuo , que ad firmitatem ipſorum inſtrumentorum venditionum , vel epiſtulæ traditionis . . . . pertinebat, rite ademplita ſunt, ideoque peto gratiam optimi Mag. ut geſta mihi propter monimen meum a competenti officio edi jobeatis ex more . Pompulius Plautus Mag. dixit : ut petiſti , Chartæ tibi propter monimen tuum a competenti officio dabuntur ex more .

E

Pompulius Plautus . . . . rogatus . . . . geſta apud me habita recognovi .

Flavius Florianus v c his geſtis apud nos habitis ſubſcribſi .

Firmilianus Urſus v l his geſtis apud nos habitis ſubſcribſi .

Flavius Severus jun v l his geſtis apud nos habitis ſubſcribſi .

Quiriacus . . . . v h his geſtis apud nos habitis ſubſcribſi .

Deusdedit Exceptor Civitatis ſuæ his geſtis edidit rogatus .

Lectio Jacobi Grimaldi.

nuariarum , Indictione tertia , ſexies P. C. Paulini Junioris V. C. huic epiſtulæ traditionis fundi Domicilii cum ædificio , vel Centum , quod Viginti & quinque appellatur , rogatus a Domnico V. H. ss venditore ipſo præſente teſtis ſubſcribſi . Reparatus V. C. Præpoſitus Curſorum dominicorum huic epiſtulæ traditionis portionis fundi Domicilii cum ædificio, vel Centum, quod Viginti & quinque appellatur , rogatus a Domnico V. H. ſupra ſcripto venditore , ipſo præſente teſtis ſubſcribſi. Paulus V. C. Argentarius huic epiſtulæ traditionis portionis fundi Domicilii cum ædificio , vel Centum , quod Viginti & quinque appellatur, rogatus a Domnico V. H. ſupraſcripto venditore , ipſo præſente teſtis ſubſcribſi XXX.

Mꝫ d. (Magiſtratus decrevit .) Lecta inſtrumenta venditionum , ſimulque & epiſtulam traditionis in acta megragrunt , & adliter ſecundum petitionem Montani V. C. pergant nunc de præſenti Firmilianus Urſus , & Flavius Severus Junūūll' principales , una cum Deusdedet Exceptore ad Domnico V. H., ita ut dum eidem inſtrumenta venditionum , una cum epiſtulam traditionis oſtenſe , relicteque fuiſſent , ſi a ſe factas eſſe cognoſcet , vel quid reſponſi dederit actis renuntietur , utqs ad Domnicum V. H. ſupraſcripto venditore itum fuiſſet, & paulo poſt regreſſum ad publicum pp qq ss Firmiliano Urſo , & Fl. Severo Jūn ūūlli principalibus, ſed & Deusdedet Exceptor dixerunt , ſicut præcipitis Ravū perreximus ad Domnicum V. H. ſupraſcriptum venditorem , cui que dum a novis eidem inſtrumenta venditionis , ſimulque & epiſtulam traditionis oſtenſe , relicteque fuiſſent , ita dedit reſponſum ſe eaſdem Stephano V. H. forx ſcribendas dictaſſet , & ipſe in eiſdem ſubter ſignum feciſſet , teſteſque qui inivi ſuſcripſerunt ipſe conrogaſſe profeſſus eſt , pro quibus ſe diſtracxiſſe & diſtracſit , & tradediſſet & tradidit hiſdem Domnicus V. H. eidem Montano V. C. Notario Sacri Veſterii ſub duplariæ rei evectionis nomine , & rei quoque melioratæ ea omnia , quæ textus ipſorum inſtrumentorum venditionum , vel epiſtulæ traditionis ad ſingula tenor continent ſcriptura , quas etiam geſtis is Ravū allegare deſiderat , his actis profitemur .

Mꝫ d. accepta reſponſione præſentium Firmiliani Urſi, & Fl. Severi Junūūlli principalium, pariterque & Deusdedet Exceptoris , quid nunc amplius fieri deſideratur ? Montanus V. C. Notarius Sacri Veſtearii dixit . Quoniam omnia ordine ſuo , quæ ad firmitatem ipſorum inſtrumentorum venditionum , vel epiſtulæ traditionis rubor pertinebat , rite ademplita ſunt, ideoque peto is Ravū optimi Magiſtratus , ut geſta mihi propter monimen meum a competenti officio edi jubeatis ex more .

POMPULIUS PLAUTUS Mꝫ dixit , ut petiſti geſta tibi propter monimen tuum , a competenti officio dabuntur ex more .

Pompulius Plautus Mageſtratus geſta apud me habita recognovi &c.

P. Flavius Florianus V. C. his geſtis apud nos habitis ſubſcribſi , ea pp^{a} .

P. Firmilianus Urſus. u. Z. his geſtis ſubſcribſi &c.

† Fl. Quiriacus Junūls his geſtis apud nos habitis ſubſcribſi &c.

✠ Flavius Severus Junūls his geſtis apud nos habitis ſubſcribſi &c.

Deusdedet Exceptor Civitatis Ravennæ his geſtis editis &c. Con-

Conſentit magnus Annalium Eccleſiaſticorum parens, Beliſarium Anno Ch. 540. neque aliter, potitum Ravenna fuiſſe, cui etiam ſubſcripſit Bacchinius in Notis ad Agnelli Librum Pontificalem, Par. I. Tomi II. Rer. Ital. Contra Hieronymus Rubeus Lib. III Hiſt. Ravenn. ac deinde Pagius in Crit. Baron. ad An. 540 ſcribunt, Ravennam Anno 539. obſidione preſſam, eo ipſo Anno in ditionem Auguſtorum rediiſſe. Hoc idem ex hac ipſa Philyra ediſcere poſſumus: ea quippe ſcripta fuit pacis tempore, & obſidione ſoluta, quum Ravennates viri, & Faventini Municipes, ideſt Decuriones, & Magiſtratus illius Urbis *die II. Non. Januar. Indict. III.* hoc eſt ineunte Anno ipſo 540. ſumma cum animi tranquillitate ſuis negotiis vacarent, ſuoque munere fungerentur, & liberum inter ſe commercium exercerent: quod certe turbulentiſſimis belli temporibus, atque obſeſſa Civitate præſtari non poterat. Clariſſ. Marchio Maffejus alteram Papyrum e Vaticana Bibliotheca produxit, mutilam quidem, ſed quæ adhuc hasce voces retinet: *IM dis & Quinquies P. C. Ravenna*. Has ille interpretatur *Quinquies poſt Conſulatum Paulini Junioris*, hoc eſt Anno Ch 539. Verùm Annus ille inter maximas anguſtias a Ravennatibus exactus vix locum contractibus, ac interpretationi huic relinquit; ac præcipue ſi per literas illas IM Imperatorem Ravennæ dominantem ſignificari velis, quum totum ferme Annum 539. Gothis Ravenna ſervire perrexerit. Quare tutius Inſtrumentum illud referas ad Annum Ch. 546. ſignatum *Quinquies poſt Conſulatum Baſilii V. C.* Immo ſerius, quum tota Charta illa ſcateat Linguæ Latinæ nævis, ut remotior quam ceteræ videatur ab ejuſdem puritate. Annus Ch. 570. ſignatus eſt *V. poſt Conſulatum Juſtini Jun. Aug.* Et Annus 587. *V. poſt Conſul. Mauricii Tiberii*. Itidem Annus 607. *V. poſt Conſul. Focæ Aug.* Et Annus 615. *V. poſt Conſul. Heraclii Aug.* Et Annus 646. *V. poſt Conſul. Conſtantis Auguſti*. Alios Annos omitto eodem Sæculo VII. habentes *V. poſt Conſulatum*, ad quos Charta illa pertinere potuit.

Ad rem noſtram quod attinet, Chartam nuper editam legens, ſentire potuiſti, quo in loco eſſet vel apud doctos Ravennæ & Faventiæ An. Ch. 540. fortuna Linguæ Latinæ. Parum tamen hoc eſt. Deteriorem Linguæ Latinæ conditionem longe etiam antea deprehendas in Formula, edita a Baluzio Lib. VI. Miſcellan. pag. 546. Hæc ſcripta *Honorio & Theodoſio Conſulibus*, ac propterea, uti veri videtur ſimile, Anno Ch. 422. Quanta ibi ſit elegantia ſermonis quamquam a Cauſidico aut Notario quopiam literis conſignatam opinari fas ſit, accipe. *Ob hoc igitur ego ille, & conjux mea illa commanens orbe Arvernis, in pago illo, in villa illa. Dum non eſt incognitum, qualiter Cartolas noſtras per hoſtilitatem Francorum in ipſa Villa illa manſo noſtro, ubi viſi ſumus manere, ibidem perdimus; & petimus, vel cognitum faciemus, ut qui per ipſas ſtromentas & tempora habere noſcuntur poſſeſſio noſtra, per hanc occaſionem noſtrorum pater inter epiſtolas illas de manſis in ipſa Villa illa, de quo ipſo aravimus in integrum, ut & vendedit ipſa omnia ſuperius conſcripta, vel quod memorare minime poſſimus Judicibus brevis noſtras ſpondiis incolcamentibus, vel alias ſtromentas tam noſtris, quam & qui nobis commendatas fuerunt, hoc inter ipſas Villas ſupraſcriptas, vel de ipſas turbas ibidem perdimus. Et petimus, ut hanc conteſtaciuncula ſeu planctoria per hanc cartolas in noſtro nomine collegere vel adfirmare deberemus. Quo ita & fecimus iſta Principium Honorio & Theodoſio Conſulibus eorum ab hoſtio ſancto illo Caſtro Claremunte per triduum habendo, vel cuſtodivimus, ſeu in mercato publico, in quo ordo Curiæ duxerunt, aut Regalis, vel manuenſis veſter, aut perſonarum ipſius Caſtri, ut cum hanc conteſtaciuncula ſeu planctoria juxta legum conſuetudinem in præſentia veſtra relata fuerit, noſtris ſubſcriptionibus ſignaculis ſubroborare faciatis; ut quocumque perdiciones noſtras de ſupra ſcripta per veſtra adfirmatione juſta auctoritas remedia conſequatur, ut noſtra firmitas legum auctoritas revocent in propinquietas.* Quod ſi Magiſtratus ac Notarii, quos prorſus indoctos ac ineruditos fuiſſe arbitrari non licet, toties impingebant in Latine ſcribendo: quid a rudi ac ignaro vulgo tunc factum non intelligamus? Nam uti S. Iſidorus habet Lib. I. Orig. *unaquæque gens facta Romanorum, cum ſuis opibus vitia quoque & verborum & morum Romam tranſmiſit*. Quod idem ab eo repetitum videas Lib. 9. Cap. I. At inquies, Anno 540 jam Gothi Italiam invaſerant, ac Ravennæ potiſſimum ſedem fixerant ſuam: quare nil mirum, ſi a ſua puritate dejectum in iis monumentis jam Latinum ſermonem offendimus. Sed fruſtra id mihi ingemines. Vel ante Gothorum irruptionem, eorumque in Italia Regnum, antiqui lapides teſtantur, quanta jam barbaries in Latinam Linguam irrepſiſſet. Et ſane Solœciſmos & Barbariſmos in plebejis præcipue Inſcriptionibus, quæ Sæculo Epochæ Chriſtianæ Quarto & Quincto efformatæ fuere, ego tibi complures oſtendere poſſem, ſi Gruterum, Reineſium, Sponium, ac Fabrettum, celebres earum Collectores, deflorare animus foret. Sed abſtinebo; ſatis enim in ejuſmodi ſtudio expatiatus eſt Celſus Cittadinius Senenſis in Lib. de Orig. Linguæ noſtræ. Mabillonius quoque Cap. 3. pag. 15. Supplem. de Re Diplom. idem nonnullis exemplis confirmavit. Temperare tamen mihi non poſſum, quin huc teſtem advocem Cl. V. M. Antonium Boldettum Canonicum Romanum, qui in egregio Opere *de Cœmet. Martyr.* Lib. II. Cap. VIII. marmora multa profert erroribus undique ſcatentia. Eorum certe pars in indoctos marmorarios, aut alienigenas rejicienda eſt; ſed non levis etiam in corruptam eo tempore vulgi Linguam, idque in ipſa Urbe, hoc eſt in ſacrario Latinitatis. Apud eum hoc epitaphium, effoſſum in Cœmeterio Sanctæ Helenæ, & ſpectans, uti veri videtur ſimile, ad tertium aut quartum Epochæ vulgaris Sæculum, legitur Lib. II. Cap. VIII. pag. 433.

TER-

TERSU. DECIMU. CALENDAS. FEBRARAS
DECESSIT IN PACE QUINTUS ANNORO
OCTO MENSORUM. DECE. IN PACE.

In altera verò Inſcriptione pag. 410. occurrit

MARTIUS ANNORUM III. ET MESORUM VII.

Ita apud Malvaſiam Marm. Felſin. pag. 571.

GAUDENTIUS IN PACE QUI VIXIT ANNIS XX.
ET VIII. MESIS CINQUE. DIES BIGINTI.
ABET DEPOSSONE X. KAL. OCTOBRES.

E Cœmeterio Caſtuli educta fuit Inſcriptio hæc, eamque rurſus in ſuum Librum intulit Fabrettus Cap. VIII. pag. 573. Vidiſti *Terſu Decimu* pro *Tertio Decimo*. Vide etiam apud Fabrettum Cap. I. pag. 53. Inſcrip. Antiq. Romani Ethnici Epitaphium, in quo eſt LONGU, LATU, COEPTU, pro *Longum*, *Latum*, *Cœptum*. Qui mos non tunc invectus, quippe apud antiquiſſimos Poëtas Ennium &c. uſitatus. Quare in rudis vulgi Inſcriptionibus, vel ipſis vetuſtioribus Sæculis, Quadratariorum quidem errores non raro offendimus; ſed ſæpius vulnera ſunt Linguæ apud populum corruptæ, Barbariſmi & Solœciſmi illic a nobis deprehenſi. Adfert doctiſſimus Gorius Tom. I. Inſcript. Florentin. pag. 429. marmor his verbis inſcriptum.

TI. LATINIUS TI. L........
AGRASIA TI. L.....
HOC. MANSUM. VENI. IIII. K. SEPT....
P. SULPICIO C. VALGIO RUFO.....
CONSULIBUS.

Hæc adnotat Antonius Salvinius: *Hoc Manſum veni. Fortaſſe pro* VENIT, *ideſt* VENIIT (*venditum fuit*) MANSUM, *ideſt Curia: vox barbara Manſum regale. Vide Du-Freſnium in Gloſſario*. Verùm Latinis ignota plane fuit vox *Manſum*, ſeu *Manſus pro agro*, uſurpata deinde Sæculis barbaricis, & originis fortaſſe Germanicæ. Proinde veri mihi videtur ſimilius, interpretationem aliam eſſe ibi adhibendam, ut *hoc manſum veni ſit*, *huc manſum veni* (Italice *ſon venuto, o venuta a ſtar quì*) formâ dicendi e trivio ſumtâ. At in hac re præ ceteris curioſitate dignum eſt, quod ſubdam. In Differt. XXVI. *de Militia* animadverti *Urbicium*, Græcum hominem, Tacticorum, ſive rei Militaris auctorem, floruiſſe circ. An. Ch. 500 ſub Anaſtaſio Auguſto. Ejus Libri adhuc ſuperſunt, ſed luce deſtituti. Fabrettus Cap. V. pag. 390. Inſcript. Antiqu. e Mediceo Codice verba adfert, quibus olim Duces, ſive Tribuni Romani, mandata militibus dabant. Latinæ ſunt voces characteribus Græcis ſcriptæ CIΛENTIO MANΔATA KOMΠΛETE. NON BOC TOYPBATIC. OPΔINEM CEPBATE. BANΔOYM CEKYITE NEMO ΔEMITTAT BANΔOYM. ET INIMIKOC CEKE. Ideſt *Silentio mandata complete. Non vos turbatis; Ordinem ſervate. Bandum* (ideſt Vexillum) *ſequite. Nemo demittat Bandum. Et inimicos ſeque*. Audiſ-ne *Bandum ſequite*, *& inimicos ſeque?* Italicam in his Linguam ſentis. *Seguite* pro *Seguimini*; *Segue* pro *Sequere*. *Non vos turbatis* pro *Me vos turbate*, aut *Ne vos turbetis*. Atque heic occurrit mihi Alciatus Legum celeberrimus Interpres in ſuo Antiquario, quod manu exaratum adſervat Ambroſiana Bibliotheca, ubi hæc ſcribit. *Mediolani in Sanctæ Valeriæ ædicula tumulus Contii conſpicitur, qui ſe Biboarcham ridiculo nomine inſcripſit. Injuriâ quidem vetuſtatis eſt ſemifractus, ſed poſt tot Sæcula hunc in modum legi poteſt*.

B. M.
EGO CONTIUS
ME BIBOARCHA
FECI.

Sed virum oculatiſſimum heic ſua acies defecit; non enim animadvertit, quantum a Latii puritate atque ortographia receſſerit Italicum vulgus poſt Conſtantinum Magnum, quo tempore hæc Inſcriptio enata videtur. Illius auctor *bibo* pro *vivo* poſuit, Neapolitanorum more, de quibus faceta illa exclamatio:

Felices, quibus vivere eſt bibere.

Sæpe etiam in Chriſtianorum, ipſorumque Ethnicorum titulis vetuſtis occurrit hæc formula SE BIBO, BIBERE, SE VIVUS, SE BIVUS, & horum ſimilia non ſine Solœciſmis. Ac proinde nihil aliud heic dicitur, niſi Contium *ſe vivo*, hoc eſt viventem ſibi *Arcam* ſive tumulum paraſſe. Apud Turrigium Par. II. pag. 414. de Crypt. Vatic. legitur Inſcriptio poſita Romæ in æde Sancti Nicolai in Carcere, digna ſane quæ legatur.

DE

✠

DE DONIS D̅I̅ ET S̅C̅E̅ D̅I̅ GENITRICI MARIÆ,
S̅C̅E̅ ANNÆ, S̅C̅S̅ SIMEON, ET S̅C̅E̅ LUCIE,
EGO ANASTASIUS MAJORDOMU OFFERO BOBIS
PRO NATALICIES BESTRE BINEA TABULUM R. P.
IN PORTU, SEU BOBES PARIA II JUMENTA, SU
PECORA XXX. PORCI XX. FURMA DE RAME LIBRAS
XXVI LECTU SISTRATU IN UTILITATE PBR. (ideſt *Presbyterorum*)
SEU ALEO LECTO SISTRATO AT MANSIONARIIS
EQUI SEQUENTIBUS:

✠

IC REQUIESCIT IN ANTE.

Nulla temporis, quo inſculpta fuit Inſcriptio, nota occurrit; attamen formula illa *de donis Dei* referenda videtur ad Sæculum Chriſtianæ Epochæ VI. aut VII. uti ex aliis exemplis ab Illuſtriſs. Fontaninio allatis in Diſſertat. de Disco votivo intelligi poteſt. Ita apud Boſium Rom. Subterr. Lib. III. Cap. IV. hæc Inſcriptio Romana legitur: IC QUISCET CUTINUS IN PACE QUI VIXIT ANUS PM. XXC. MC. DEPOSIT ONORIO ACUSTO C. LAURENTIUS AMICUS DOLISI SCRIBET. Hæc circiter Annum Ch. 396. ſcripta. Mutinæ & apud Inſubres Mercurii dies nunc appellatur *Mercore* ſecunda ſyllaba brevi. Quam antiqua ſit ejus nominis corruptio, prodet Inſcriptio An. 1675. Mediolani effoſſa

HIC REQUIESCIT VIT.....
LES SEMA QVI VIXIT AN...
PL. M. IIII. ET BENENAT...
QUI VIXIT AN. PL. M. IIII.
D. PRIDE IDUS AUGUSTAS
DIE MERCURIS DD. NN.
TEUDOSIO XI. ET VALENIA
NO PUERO FLORENTISSIM
O CE SARE

Pertinet Inſcriptio ad Annum Ch. 425. Pariter in Inſcriptione reperta in Cœmeterio Romano Priſcillæ, atque edita a Boldetto Lib. II. Cap. III. de Cœmet. Martyr. legitur DOMITIA &c. DEFUNCTA EST IDUS MAZAS.

Interea ſat noſſe potuimus, quanta olim fuerit corruptio Linguæ Latinæ in Italia, immo & in Urbe ipſa, ita ut per ipſa quinque priora Sæcula a Chriſto nato non ſolum a primæva pulchritudine ipſa defecerit, ſed etiam barbariem quamdam, ſive exoticum colorem, apud vulgus contraxerit, tum quod ad eam inficiendam diverſarum gentium colluvies in Urbem dominam ante ipſos Barbaros confluxerat, tum etiam ob ipſarum Linguarum naturam, quæ mutationi apud rudem populum quotidie obnoxiæ ſunt. Hoc antea Sanctus

A Hieronymus nos monuit. Quod ſi in ipſa Urbe, & felicibus Sæculis, Quinctilianus teſtatur Lib. I. Cap. 6. *vulgo imperitos barbare loquutos, & Tota ſæpe Theatra, & omnem Circi turbam exclamaſſe barbare*: quanto frequentius & gravius id factum putemus Sæculo Quincto, quo vel ipſum Romanum Imperium a Gothis, aliiſque barbaris populis concuſſum declinare mirum in modum cœpit? Quanto plus etiam extra Urbem, atque in ipſis Italicis Provinciis, imminuta fuerit Latini ſermonis dignitas, quando ne multa quidem præcedentium veterum Linguarum vocabula inde um-

B quam avelli potuerant? Varrone teſte Lib. V. de Lin. Lat. *Quiritare urbanorum eſt, Jubilare ruſticorum*. Nempe ſuæ voces erant ruſticis, a civili ſermone diverſæ. Lib. VI. idem Varro ſcribit: *In Atellanis* (Fabulis) *licet animadvertere, Ruſticos dicere ſe adduxiſſe pro ſcorto pelliculam*. Infra idem: *In Atellanis Obſonium vocant Manducum*. Præterea *Ruſtici pappum Maſum, non Meſum, dicunt*. Audi nunc Pompejum Feſtum Lib. 16. de Verb. ſignif. *Orata genus piſcis appellatur a colore auri, quod Ruſtici Orum dicebant, ut auriculas Oriculas*. Durat adhuc apud nos

C vox *Orata*, uti & *Oro* pro auro, atque alia hujuſmodi nomina. Neque enim Galli tantùm didicere AU. exprimere per O., ſed & Veteres idem in more habuerunt. Priſcianus Lib. I. *Tranſit quoque* AU. *in* O. *productum more antiquo: ut Lotus pro Lautus; Ploſtrum pro Plauſtro; Cotes pro Cautes*. Ignota eſt Palladii ætas, qui nobis Commentarios de Re Ruſtica reliquit. At certe ante Sæculum VI. floruiſſe videtur. Sunt autem illius verba Lib. 2. Cap. 1. *Ablaqueandæ ſunt vites, quod Itali excodicare vocant*. Si vera hæc Palladii ſententia, videat Cl. V. Marchio Johannes Polenius.

D in elegantiſſima editione Frontini de Aquæduct. an in lege a T. Quinctio Criſpino Conſule atque a Populo Romano latâ An. Ch. 44 difficultas occurrere poſſit: *Arbores, vites, vepres, ſentes, ripæ, maceriæ, ſalicta, arundineta tollantur, excidantur, effodiantur, Excodicentur*. In aliis editionibus erat *Excorticentur*. Si Latinorum vox minime fuit *Excodicare*, ſed Italicorum, exoriri dubitatio poteſt, an rite ei locus ſit factus in lege ac decreto Populi Romani, ac præſertim quum *Excodicare* non ſit tollere, excidere &c. quod poſce

re

re lex ipſa videtur . Fieri tamen poteſt , ut Latinior vox quàm putarit Palladius, *Excodicare* fuerit ; atque ita ſane legitur etiam in MSto Codice Frontini adſervato in Eſtenſi Bibliotheca . Interea vidimus ab antiquis Scriptoribus *Ruſticos* & *Italos* a *Latinis* diſtingui , multaque vocabula in illorum ore perduraſſe , quæ in cenſum Romanæ , ſive Latinæ Linguæ minime veniebant . Cujus rei & alterum exemplum nobis ſuppeditabit prælaudatus Sanctus Hieronymus Cap. IV. in Ezechiel . Ibi hæc ait: *Quam nos Vitiam* (nunc *Vezza* Mutinenſibus , *Veccia* Tuſcis) *interpretati ſumus , Septuaginta , Theodotioque poſuerunt* ὄλυραν , *quam alii Avenam , alii Sigalam putant. Aquilæ autem prima editio , & Symmachus* ζίας , *ſive* ζείας *interpretati ſunt , quas nos vel Far , vel gentili Italiæ Pannoniæque ſermone Spicam , Speltamque dicimus* . Vide , quanta olim foret diſceptatio de illius leguminis nomine . Nobis diverſa legumina ſunt *la Vezza* , *la Segala* , *la Spelta* . Ad nos in præſentia quod attinet , antiquitatem vocis *Spelta* videmus , quæ adhuc apud nos perdurat, uti & apud Germanos, qui *Speltz* dicunt . Hanc autem non a Latinis acceperunt regiones iſtæ , ſed ab ipſis Italiæ incolis, qui ante Romani Imperii propagationem heic habitabant, ac dominabantur . Quare intelligas , vel poſt additam Romanæ Reipublicæ Galliam Ciſalpinam , quam *Italiam* Sæculo Ch. Quarto appellare mos fuit , gentem hanc quibuſdam peculiaribus ac vetuſtiſſimis vocibus ſuis uti perrexiſſe . Ita *Parenti* nunc nobis appellantur *Cognati* , *Affines* : quod minime Latinum eſt . Idem Sanctus Hieronymus Lib. 2. Apol. ad Rufinum, vocem hanc ſuo quoque tempore in uſu fuiſſe teſtatur , ſcribens : *Niſi forte Parentes militari Vulgarique ſermone Cognatos & Affines nominat* . Et Sanctus Gaudentius Epiſcopus Brixianus Sancto Hieronymo ſynchronus in Serm. II. ad Neophytos *Brodium* pro *Jure* carnium elixarum memorat, ſcribens: *Ut immaculatus Dei Agnus hoſtiam mundam traderet , ſine uſtione , ſine ſanguine , ſine Brodio , ideſt jure carnium &c.* Attamen Gloſſema a quopiam appoſitum heic fuiſſe merito animadvertit V. Cl. Paulus Galleardus Canonicus Brixianus in elegantiſſima editione Operum Sancti Gaudentii : Sed quot deinde putes novorum verborum agmina in Linguam devictæ Italicæ gentis illata fuiſſe a Septentrionalibus populis , qui heic per tot annos inſedere tam quam in proprio ſolo ?

Itaque poſcat aliquis , quo revera Sæculo tanta acciderit Latini ſermonis perturbatio , & tanta peregrinitas invecta in voces , in phraſes , in ſyntaxim , & in reliqua ejus viſcera , ut inde nova Lingua emerſerit , quam nunc *Italicam* appellamus , in varias Dialectos diviſam , ſed ab Italis omnibus intellectam . Id ſenſim factum ; immo ab ipſis vetuſtioribus Sæculis arceſſenda corruptionis hujus origo eſt . Cenſuit autem doctiſſimus vir concivis meus Ludovicus Caſtelvetrus in Additam. ad Bembi Libros de Lingua Vulgari , Langobardis in Italia regnantibus , potiſſimum accidiſſe , ut Latina Lingua antea corrupta , & a novis hiſce hoſpitibus amplius fœdata evaſerit in alteram Linguam . Verùm quæ vulnera ſub Langobardis inflicta fuerint antea dominanti Linguæ Latinæ , is tantùm nobis explicare poſſet , qui iis temporibus vivens memoriæ prodidiſſet , quali & quam vitiato ſermone tunc Italiæ populi uterentur . Incom-

A pertum ſane eſt , ne dicam falſum , eo præcipue tempore , quo Gothi & Langobardi in Italia dominati ſunt , natam , atque ad culmen ſuum perductam fuiſſe Vulgarem Italicam Linguam , quam ad exprimendas cogitationes noſtras nunc uſurpamus . Complurium Sæculorum opus iſta mihi creditur , & quo longius a Romanorum ævo abibant homines , eo etiam plus ab eorum Lingua diſceſſere . Ceterum a veri ſimilitudine minime abhorret , ſub eorumdem Langobardorum imperio adauctam non leviter fuiſſe Latinæ Linguæ corruptionem . Tunc immanis turba promiſcui ſexus , Germanicam Linguam a teneris unguiculis edocta, in Italiam effuſa eſt , & Provinciis fere univerſis B dominari cœpit . Didicere illi quidem debellatæ gentis Linguam , utpote dulciorem , & nimis altis radicibus ſtabilitam ; nam ut ut exhauſta habitatoribus tunc Italia fuerit , longe tamen major Italicorum ſuperſtitum , quam Langobardorum novorum hoſpitum numerus fuit . Didicerunt , inquam , ſed ita ut nova ipſi quoque vocabula in ſermonem Italicum intulerint , & ad immutandam gravius quam antea pronuntiationem & deſinentiam Latinarum vocum , inſcitiâ potiſſimum ubique graſſante , operam ſuam & ipſi contulerint. Quod certum eſt , non immerito barbaricis iis Sæculis tribuere in primis licet nonnullos Linguæ noſtræ uſus a Latinorum ſermone diverſos .

C Exempli gratiâ quum apud Langobardos , Germanicæ originis populum , vigerent Articuli nominibus præpoſiti , facile hunc uſum æmulati Itali , cœpere & ipſi Articulis locum dare in patria Lingua , hoc eſt adhibere *Il* , *La* , *Lo* , *Le* , *Li* , *I*. Quod quomodo factum fuerit , Caſtelvetrus nuper memoratus Etymologiarum acutiſſimus inveſtigator, primus recte excogitaſſe videtur , atque ex eo poſtea in ſuum Opuſculum de Orig. Linguæ Vulgaris derivavit Celſus Cittadinius . Videlicet ex Latino pronomine *Ille* , *Illa* , *Illi* , *Illæ* , Italici Articuli ſenſim manarunt . Vulgus enim quum exempli cauſſa dicere ſoleret , *illo caballo* , *illa haſta* , *illæ feminæ* , abjiciens primam , aut D alteram pronominis ſyllabam , tamdem dicere incepit compendii cauſſa *il cavallo* , *lo cavallo* , *la aſta* , *l'aſta* , *li cavalli* , *i cavalli* , *le femmine*. Quam Caſtelvetri ſententiam egregie confirmat pronomen *Loro* , ſine dubitatione efformatum ex *Illorum* , ſublato nempe IL . Idem quoque confirmare poſſunt Litaniæ ſub Carolo M. circiter Annum 790. ſcriptæ, atque evulgatæ noſtris diebus a Clariſſimo Mabillonio inter vetera Analecta pag. 171. noviſſimæ editionis : quod etiam animadvertit Du-Cangius in Gloſs. Lat. ad vocem *lo* pro *ille* . Ibi a populo acclamatum legitur: *Adriano Summo Pontifice & univerſale Papæ vita* (pro *Pontifici & univerſali*) *Redemptor Mundi* . *Tu lo adjuva* . E Ita legit Du-Cangius , at in nuper memorata editione habetur : *Tu lo juva* . Idem in ſubſequentibus precibus repetitum videas, uti & *tu los juva* , quum in plurali loquuntur . Quæ certo indicant , ex *tu illum juva* efformatum primo fuiſſe *tu illo juva*, ac tamdem *tu lo juva*. Exemplum alterum exhibuit nobis Campius in Append. ad Tomum I. Hiſt. Eccleſ. Placentinæ pag. 455. videlicet in Diplomate Caroli M. Auguſti, ſpectante ad Annum Ch. 808. ubi legimus : *Inde percurrente in la Vegiola , ex alia vero parte de la Vegiola uſque Caſtellioni* &c. Vetuſta etiam Sæcula pro *Illi* Dativo, ut ipſum ab *Illi* Nominativo diſtinguerent, invexiſſe viden-

dicunt Illui, unde poſtea effluxit Lui; quæ vox occurrit in Formulis antiquiſſimis Marculfi Lib. I. Cap. XVII. ubi hæc verba: *Sicut conſtat, memorata villa ab ipſo Principe memorato illui fuiſſe conceſſa*. Bignonius tamen & Menagius non immerito ab *Illui* eſſe natum putant *Lui*. Ceterum Mutinenſes aliique Lombardi dicunt *El ſignore*, *El caval*, *El cavallo* &c. pro *Ille*, *Illa*, &c. ut Italica Lingua habet, *Quello*, *Quella*. Quod autem noverit Italicum, Gallicum, & Hiſpanicum genium ad ejuſmodi Articulos addendos nominibus, quibus Latina Lingua caret, exemplum, ut dixi, populorum Borealium fuit in ſuis ſedes habitantium. Audiebant enim Meridionales populi, Latinorum ſibi, Gothos, Langobardos, Francos adhibere particulas rem aliquam certam deſignantes, ac dicentes *Der Konig*, ideſt *Ille Rex*; *Die Frau*, *Illa Mulier*; *Das* [illegible], *Illa* [illegible], cum variatione aliqua in caſibus ac in numero plurali. Quare & ipſi *Lo*, *La*, *Li*, cœperunt dicere pro *Ille Rex*, *Illa Mulier*, *Illi milites* &c. Ita & Galli uſurpare cœperunt *Le*, *La*, *Les* &c. & Hiſpani *El*, *La*, *Los* &c. Multi quoque ex Græcis & Arabibus Italiam, ac Regna Chriſtianorum Meridionalia incolebant. Notiſſimum vero eſt, Græcos ſuos Articulos eſſe. Sed & Arabes *Al* habent, idem illis, ac nobis *Il*, *Lo*, *La* (& Hiſpanis *El*) ſignificans. Matthæus Silvaticus in Pandectis Medicinæ Anno 1317 ſcriptis ait: *Al & El articulus apud Arabes ſignificat id, quod apud nos vulgariter addimus præponendo nominibus Lo*, *Le*, *Li*, *La*. Arabicus autem articulus *Al* mihi videtur a Tuſcis ſervatus adhuc in voce *Altalena* (*Dindagara* Mutinenſes appellant, peregrino ſane vocabulo) ſignificante ludum puerorum, ſedentium videlicet ſuper tabulam ſuſpenſam inter duos funes, quam undulare faciunt. Ita ludum hunc deſcribunt Florentini Vocabularii Scriptores. Sed iis addendum fuit, ludum hunc etiam a pueris confici, ſedentibus utrinque ſuper tabulam libratam ſuper trabem, atque ita diſpoſitam, ut quum unum tabulæ caput deprimitur, alterum erigatur. Hæc prima ludi inſtitutio, atque inde nomen *Altalena*, ex Latino *Tolleno*, *Tollenonis* (quod & Menagius recte antea animadvertit) præpoſito fortaſſis articulo *Al* Arabum more, nempe *Al-Tolleno*, ſenſim corruptum, & converſum in *Altalena*. Quæ animadverſio dubitationem ingerere poterit, an articulos noſtros ex Arabica Lingua majores noſtri fuerint mutuati. Qui etiam nunc nobis eſt *Il*, apud veteres non raro *El* fuit, quo *El* Arabes uſos, nuper nos docuit Matthæus Silvaticus. Sunt qui putant (atque inter eos Bouhourſius in Entretien II. d'Ariſte) Articulos nullos fuiſſe Gallicæ Linguæ uſque ad finem Sæculi IX. An certa ſit illius ſententia, ex inopia monumentorum veterum Gallicæ Linguæ, nemo facile decernat; uti neque nos innuere poſſumus tempus, quo in noſtram Linguam Articuli iidem invecti fuerint. Quod etiam ad nomina indefinita indicanda nos uſurpamus dicentes *Un Cavallo*, *una Cima*, ex Germanorum Lingua accepimus, cui eſt idem Articulus unitatis, nempe *Ein*, *Eine*, *Uno*, *Una*, ad reliquorum fere Occidentalium Linguas propagatus. Articulos autem, ac Signa caſuum non immerito cenſebat amicus olim meus Hubertus Benvoglientus, ex neceſſitate quapiam in Linguam noſtram invecta; ea quippe declinationibus caret, ac diverſitate caſuum, ita ut niſi particulæ iſtæ accederent, non levis in ſermone confuſio conſequeretur. Id quod, ut ille ait, jamdiu animadverterat *Bartholomæus Benvoglientus*, qui ſub Pio II. Pontifice Præpoſiti munere functus eſt in Cathedrali Senenſi, in Libello *de Analogia*, qui ſine Auctoris nomine luci traditus poſtea fuit. Hæc autem Signa caſuum, hoc eſt *A*. *Di*. *De*. *Da*, mutuata eſt Lingua noſtra a Latino *Ad*, *Ab*, *De*, & partim etiam ex ipſa Germanorum Lingua. Idque eſt antiquiſſimum. In Charta Lucenſi archetypa ſcripta *Regnante D. N. Carolo Francorum Rege & Langobardorum*, *Anno Regni ejus in Dei nomine quod Langobardiam cepit*, *Quarto*, *Kal. Julias*, *Indict. Quinta decima*, ideſt Anno 777. *Ideo ego Magnari filius Magnoni habitator in Paterno offero atque trado a Deo omnipotenti*, *& ad Eccleſia Monaſterii Beati Sancti Regulis Martyris Chriſti*, *ubi Corpus ejus requieſcit in loco qui dicitur* Waldo &c. Nunc in Cathedrali Baſilica Sancti Martini corpus illius Martyris honoratur. Vidiſti *offero a Deo omnipotenti*, *& ad Eccleſia* &c. Italiciſſimum ſenſus, *Offero a Dio onnipotente*, *e alla Chieſa* &c. Ita *Ad* ſæpiſſime occurrit in aliis antiquis membranis. Quod & de aliis Latinis præpoſitionibus & vocibus factum. *Cum* quoque evaſit *Con*. In antiquiſſima Inſcriptione Romana apud Turrigium Par. II. pag 457. *delle Grotte Vaticane* hæc verba ſunt: LOCUS SERINI SUBD REGI (ideſt Subdiaconi Regionarii) QUEM COMPARAVIT AB ISPECIOSA ABBA (hoc eſt a Specioſa Abbatiſſa) CON TUTA CONGREGATIONE SUA. Animadverte jam tum immutatum Latinum *Cum* in Italicum *Con*, & Latinum *Tota* in *Tuta*, unde Italicum *Tutto*. Ita Latinæ voces ſenſim aliter inflexæ, pronuntiatæ, translatæ ac diſtortæ, in novas veluti voces novæ Linguæ evaſerunt. Cujus rei alterum exemplum dabo. In Legibus Alamannicis Cap. 45. Tom. I. pag. 69. Capitular. Baluzii occurrit *pauſare arma ſua juſum*. Nunc dicimus *poſar giù le ſue armi*. Antiquum Latinorum vocabulum eſt *pauſare* pro *quieſcere*, quod poſtea vulgus tranſitivum fecit. Præterea Voſſius Lib. 2. Cap. 27. de vitiis ſerm. & Du Cangius animadverterunt, vocem *juſum*, ſeu *juſum* (unde poſtea exiit noſtrum *giuſo*, *giù*, & Lombardice *Zò*) a Sancto Auguſtino, a Notkero, ab Ignoto Caſinenſe, atque ab aliis uſurpatum fuiſſe. Menagius verò cenſet effluxiſſe illam a Latino *deorſum*: quod neſcio an certum ſit. Pergebant nihilominus Itali veteres Linguam ſuam appellare *Latinam*. De Bulgaris in Beneventanam regionem translatis, regnante Grimoaldo Langobardorum Rege, hæc habet Paullus Diaconus Lib V. Cap. 29. de geſt. Langob. *Qui uſque hodie quamquam & Latine loquantur*, *Linguæ tamen propriæ uſum minime amiſerunt*. Appellat *Latinam*, quæ a Populis Apuliæ tunc uſurpabatur: quod & longe ſerius fecit Otto Friſingenſis Lib. II. Cap. XIII. Mediolanenſibus *Latini ſermonis elegantiam* tribuens; immo fecere ſuis etiam temporibus, hoc eſt poſtremis pæne Sæculis, Dantes, Petrarcha, & Boccacius, qui Italicam Linguam, *Latinam* appellarunt. Ita & Græci recentiores maternam Linguam adhuc vocant *Græcam*; & Franci diu *Romanam* vocarunt Linguam Gallicam, quæ nunc in uſu eſt, ut infra animadvertam.

Itaque non immerito opinemur, præcipue ſub Langobardorum regno Latinum ſermonem, antea in barbariem multam prolapſum, gravius corruptum atque immutatum fuiſſe, ita ut faciem

A ciem novæ Linguæ Lingua Italici populi tunc præferre cœperit. Nam quod nonnulli ſenſiſſe videntur, eam ipſam Italicam Linguam, qua nunc utimur, a Latina ſeu Romana adeo diverſam, vel florente Romani Imperii fortunâ, viguiſſe, ſomnium eſt nulla confutatione dignum. Immo ipſis quoque Langobardis regnantibus multum aberat immutata majorum noſtrorum Lingua ab ea facie, venuſtate, atque ſtabilitate, quam Sæculo XIII. in ejus monumentis incipimus intueri. Siquidem vocibus Latinis paſſim, & cruditate undique adhuc ſcatebat; & nondum in eam penetrarant quamplurimæ aliæ voces a Francis, ac Germanis Italiâ potitis, tum a Normannis, Provincialibus, aliiſque populis ſubinde in illam intruſæ. B Quod tantum ſuſpicari non injuriâ poſſumus, temporibus Langobardorum & Francorum in Italia regnantium, ita immutata, diſſimiliſque ab antiquo Latinorum ſermone evaſerat Italicorum Lingua, ut vulgus Latinam difficilè jam tum intelligeret, multumque diverſa a Latina appareret familiaris illorum Lingua. Huc, ni fallor, referenda ſunt Sexti Pompeji Feſti verba, qui in Lib. de Verb. ſignific. hæc refert: *Latine loqui a Latio dictum eſt: quæ locutio adeo eſt verſa, ut vix ulla ejus pars maneat in notitia.* Incerta & ambigua eſt ætas Feſti; ſunt tamen quæ indicant eum floruiſſe ante Macrobium, & ſtante adhuc Latinâ Linguâ. Proinde ad eum referre hujuſmodi verba C nequaquam auderem, ſed quidem ad Paullum Diaconum celebrem virum, qui poſt exciſum Langobardorum Regnum diu etiam vixit ſub Carolo Magno. Is enim Libros Feſti in Epitomen contraxit, & multa de ſuo addidit. Ita ille revera ſcribere potuit, quum ſuo jam tempore Latinorum Lingua peſſum iiſſet. Hæc tamen verba a Merula, Lipſio, Morhofio, ac aliis laudata, in editis Feſti Libris oculos meos effugere. Quod verò Latinæ Linguæ in Italia accidit, idem in Gallia ac Hiſpania temporibus iiſdem factum animadvertere poſſumus. Ante Francos & Gothos, earum regionum vulgus minime puram Latinorum Linguam uſurpabat; ſed illam pronuntiatione corrumpens, ei pro- D pria ſua vocabula immiſcebat. Quare Gothi, qui Hiſpaniam, & Franci, qui Galliam invaſere, populi & ipſi e Germania egreſſi, quum antea vitiatam, ac non leviter immutatam reperiſſent Linguam Latinam earum gentium, Gallicis etiam & Hiſpanicis antiquis vocabulis infectam, ſenſibilius in dies & ipſi ita corruperunt, ut inde novæ duæ Linguæ exſurrexerint. Atamen & Franci Vulgarem illam ſuam *Romanam* appellare non deſierunt, quod a Romana originem traxerit, uti multis exemplis oſtendit Du-Cangius in Gloſs. Latino, & conſtat ex celebri juramento Ludovici Germaniæ Regis relato a Nithardo Lib. III. Hiſt. apud Du Cheſnium Tom. II. Hiſt. Franc. Proderit E illud heic repetere; conceptum quippe fuit Anno Ch. 842. *Romanâ Linguâ*, ideſt Vulgari, quæ tunc apud Franco-Gallos erat in uſu, ubi multa occurrunt Italicæ noſtræ ſimilia. Carolus autem Calvus *Teudiſcâ Linguâ* ſuum protulit ſacramentum. In minus eruditorum commodum en ejus juramenti verba. *Pro Deo amur, & pro Chriſtian poblo, & noſtro comun ſalvamento diſt di in avant, in quant Deus ſavir & podir me dunat, ſi ſalvareio ciſt meon fradre Karlo, & in adiudha, & in cadhuna coſa, ſi cum om per dreit ſon fradre ſalvar diſt, in o, quid il mi altre ſi fazet. Et ab Ludher nul plaid numquam prindrai, qui meon vol meon fradre Karle in damno ſit.* Hæc ita Latine reddidit Du Cangius cap. 36. Præfat. Gloſs. Lat. *Pro Dei amore, & pro Chriſtia populo, & noſtro communi ſalvamento in antea* (ego potius redderem *ab hac die in antea*) *in quantum Deus ſapere & poſſe mihi dederit, ſalvabo* (addendum puto *ita ſalvabo*) *hunc iſtum meum fratrem Karolum, & in auxilio ero, & in unaquaque cauſa* (ideſt *re*, Gallis *choſe*, & Italis *coſa*) *ſicut homo per drictum* (ſeu *jus & rectum*) *ſuum fratrem ſalvare debet, in eo quod ille mihi alter faceret* (legit Du-Cangius *in o, qui id un' altre ſi faret*) *& cum Lothario nullum placitum umquam capiam, quod mea voluntate huic iſti meo fratri Karolo in damno ſit.* En qualis tunc fuerit *Romana*, ideſt Vulgaris Franco-Gallorum Lingua, multo propior quam nunc Italicæ noſtræ. Anno quoque 860. pertractata eſt pax inter duos hoſce Reges apud Confluentes, cujus acta adfert Baluzius Tom. II. pag. 144. Capitul. Reg. Franc. ubi legas: *Hæc eadem Domnus Karolus Romana Lingua adnuntiavit, & ex maxima parte Linguâ Theodiſca recapitulavit.* Et infra: *Tunc Domnus Karolus iterum Linguâ Romanâ de pace commonuit.* Atque hinc habes, jam ipſo Sæculo Ch. Nono adeo immutatam fuiſſe in Galliis veterem Latinorum Linguam, ut jam in alteram plane diverſam pertranſiiſſe dignoſceretur. Neque aliam temporibus iiſdem fuiſſe opinor apud Italos ejuſdem Linguæ fortunam; hoc eſt jam invaluiſſe ſuſpicor eam corruptionem, ob quam nova Lingua, Vulgaris nempe, nimium a Latina diſſimilis foret. Quod de Galliis dixi, alter teſtis confirmatum veniat. Floruit eodem Sæculo IX. celebris apud Gallos, tum apud Germanos S. Adelardus Corbejenſis Abbas. Ille verò, uti ſcribit S. Gerardus Abbas in ejus Vita Cap. VIII. in Act. Sanct. Bollandi ad diem II. Januarii: *Si Vulgari, ideſt Romanâ Linguâ, loqueretur omnium aliarum putaretur inſcius. Si verò Theutonicâ enitebat perfectius; ſi Latinâ, in nullâ omnino abſolutius. Teſtantur hoc quamplures ejus Epiſtolæ.* Luculentiſſime autem idem confirmatum videas a Concilio Turonenſi III. quod celebratum fuit Anno 813. vivente adhuc Carolo Magno, apud Labbeum Tom. VII Concil. pag. 1263. Ibi monetur quilibet Epiſcopus Can. 17. *ut habeat Homilias continentes neceſſarias admonitiones, quibus ſubjecti erudiantur* &c. Additur infra: *Et ut eaſdem Homilias quiſque aperte transferre ſtudeat in Ruſticam Romanam Linguam, aut Theotiſcam, quo facilius cuncti poſſint intelligere quæ dicuntur.* Idem repetitum videas Can. 2. Concilii Moguntini Anno 847. habiti Tom. VIII. pag. 42. Concil. En quo in loco Latinorum Lingua foret apud Gallos ſive Francos Sæculo *Chriſtianæ Æræ* IX. Ut populus Homilias intelligeret, quas nunc appellamus *le Prediche*, opportunum, immo neceſſarium cenſuere Patres, eas a Latina transferri aut in Germanicam, aut *in Ruſticam Romanam Linguam*: quo nomine nemo non videt deſignari Vulgarem Linguam, quæ jam tum in Gallia a populo in quotidiano ſermone uſurpabatur. Nondum extincta penitus erat Latina Lingua, ſed eam *difficile* rude vulgus intelligebat, atque eo pervenerat, ut *transferre* neceſſe eſſet ejus ſenſa in Linguam vulgo notam. *Ruſticam* autem appellabant Galli Vulgarem ſuam Linguam, ex Latinâ corruptâ enatam. Idem quoque de Italica factum indi-

eſt genere Bobienſis Monachus, qui Miracula Sancti Columbani Abbatis circiter Annum 930. ſcriptis mandabat, edita a Clariſs. Mabillonio in Act. Sanct. Benedictin. Sæc. 2. pag. 41. Montem Bobio proximum ille deſcribit his verbis: *Mons enim, qui eſt ad lævam, nuncupatur Ruſtica Lingua Groppoaltum*. Italicam vocem habes in *Groppo alto*. Idem Cap. 27. *ferramentum* nominat, *quod vulgo Manuarium vocant*, hoc eſt ſecurim, ſive bipennem. Reſtat adhuc vox *Mannaja* apud Tuſcos, apud nos Lombardos *Manara*. Sed fortaſſe nil aliud Scriptor ille ſignificat, niſi Linguam a ruſticis uſurpatam, quæ eadem fortaſſe fuerit, atque ab Urbanis ac Nobilibus uſurpata, ſed rudis præ illa. Attamen non prætermittam, me animadvertiſſe, vel a Græcis inferioris ævi adhibitam fuiſſe vocem *Manara*. Nicetas Choniates, qui circa Annum Ch. 1200. florebat, eam *μανάρας* in Andronico commemorat. Quod idcirco adnotatum volui, ut qui Græca Gloſſaria tanti faciunt, ac ſæpe nobis obtrudunt, intelligant, multas ibi voces eſſe, non origine Græcas, ſed ex Italico, Siculo in primis, mutuo acceptas; ac proinde facile falli, qui e Gloſſariis Græcis Etymon tot Italicarum vocum deſumunt, uti in Diſſert. ſequenti prodam. Ad nos redeo. Quod ſupra vidimus conſtitutum pro Epiſcopis in Turonenſi Concilio, pro Presbyteris inculcatum nunc audi Lib. VI. Cap. 185. Capitularium Regum Francorum editionis Baluzianæ. *Nullus ſit Presbyter* (idest Parochus) *qui in Eccleſia publice non doceat Lingua, quam auditores intelligant, fidem omnipotentis Dei in unitate & trinitate ſimpliciter credere*. Scilicet tunc populi Regibus Francis ſubjecti, aut Teutonicâ Linguâ utebantur, aut Vulgari, quam Galli *Romanam*, & *Romance* poſtea appellarunt. Fontaninius Archiep. Ancyranus in Præfat. ad Lib. de Eloqu. Ital. noviſſimæ editionis cenſuit, vulgares Linguas Hiſpanicam, Gallicam, atque Italicam æque appellatas fuiſſe *Romanas*, quod a Linguâ Romanâ vitiatâ ſingulæ deſcenderent. Et ſane Hiſpani *Romance* ſuam Linguam appellarunt. Gallicam quidem ejuſmodi appellatio olim apud Italos deſignare conſuevit. An verò & Italicam, non adeo certum. Quæ in hanc rem exempla adducuntur, Gallicam tantummodo indicant. Alioquin gravi ambiguitate laboraſſent, uti quum Theſaurus Brunetti Latini translatus dicitur *de Latin en Romans*; ambiguum enim fuiſſet, num in Italicam, an in Gallicam aut Hiſpanicam Linguam liber converſus fuiſſet. Idem de ceteris exemplis dicendum eſt. Brunettus ipſe in Cap. I. interrogantem inducit, cur ipſe, quum Italus ſit, in *Romana ſeu Francica Lingua* ſcripſerit: quibus ex verbis intelligis, nihil aliud nobis *Romanam* Linguam fuiſſe, quàm Gallicam.

Appoſite contra ad hoc ipſum argumentum attulit idem Clariſs. Fontaninius Epitaphium Gregorii V. Papæ, ubi is dicitur:

Uſus Francigena, Vulgari, & voce Latina,
Inſtituit populos eloquio triplici.

Tum addit, fuiſſe qui pro *Francigena*, ſed perperam, legerunt *Franciſca*; iiſque temporibus vocabulo *Francigena* deſignatos *Teudiſcos*, ſeu Germanos, Teutonicoſve. Sed miror ego, cur doctiſſimus vir tam confidenter affirmet, illic legi *Francigena*, atque eâ de cauſſa cenſoriam virgam ſibi in alios arripiendam cenſuerit. Is utique pro ſua ſententiâ Cardinalem Baronium adſciſcere potuit. Verùm *Franciſca* habet Du-Cangius in Gloſſ. ad vocem *Franciſci*, Epitaphium hoc laudans. Leibnitius quoque Tom. I. pag. 576. Script. Brunſvic. ex antiquo Compilatore Hamerſlebienſe idem Epitaphium referens exhibet nobis *uſus Franciſca, Vulgari, & voce Latina*. Quid? quod Petrus Manlius, ſive Mallius, qui ſub Alexandro III. floruit, & monumenta Baſilicæ Vaticanæ collegit, edita a Clariſſimis PP. Soc. Jeſu Anturpienſibus in Act. Sanct. Tom. VII. pag. 37. non aliter ſcribit, eamdem epigraphen producens, quàm *uſus Franciſcâ*. Neque aliter eamdem epigraphen legit Onuphrius Panvinius, qui primus in Notis ad Vitas Romanorum Pontificum a Platina ſcriptas Venetiis Anno 1562. evulgatis, protulit *uſus Franciſca*. Paria habet Torrigius in Lib. *delle ſacre Grotte Vaticane*. Hic autem præ ceteris fide dignus videtur, quum delectus fuerit ad collocandas in ſacris Cryptis decenti loco tabulas marmoreas inſcriptas ex antiqua Baſilica Vaticana erutas. Sed quid ultra Lectorem moror? Oculatum teſtem habeo amicum meum, qui inſpecto marmore ipſo ad me ſcripſit, illic legi *Franciſca*, non verò *Francigena*. Quo vocabulo veri videtur ſimile ſignificari eo in loco Germanicam potius, quàm Gallicam Linguam; hic enim Pontifex ſupra appellatur *Lingua Teutonicus*. Innumeris autem exemplis oſtendit Hadrianus Valeſius in Notitia Galliarum ad vocem *Francia*, tam Galliam, quàm Germaniam Tranſrhenanam *Franciæ* appellatione olim fuiſſe donatas, quum illa *Francia Occidentalis*, hæc *Orientalis* appellarentur. Certe Gregorio V. pater fuit Otto Dux natione Saxonicus, vel Franconicus, qui diu in Italia verſatus eſt, quo tempore Marchiæ *Veronenſi* præerat, uti fidem faciunt Ditmarus, Annales Hildeshemenſes, & Chronographus Saxo. Mihi de ipſo erit ſermo in Diſſert. XLI. *de Nominib.* Quo tamen in loco natus, innutritusve fuerit Gregorius V. adhuc fortaſſis ignotum eſt. Ad nos quod attinet, *Franciſca* olim appellata fuit non minus Gallica, quam Teutonica Lingua, uti etiam animadverti ad Ermoldi Nigelli Lib. I. Par. II. Tomi II. Rer. Italic. Du-Cangius *Franciſcos* tantum appellatos fuiſſe Gallos arbitratur. Sed Ermoldi verſus omnino perſuadent, Germanos quoque eâdem voce olim deſignatos, quum idem fuerit *Franciſcus*, & *Francus*. Quod autem contendit prælaudatus Fontaninius, ſub *Francigenæ* nomine Germanos dumtaxat veniſſe, id ille ſane mihi non perſuadebit. Quum Donizo in Vita Mathildis Lib. II. Cap. XVIII. Tom. V. Rer. Ital. ſcripſerit:

Francigenam ſtratam tenuit Rex, pace peractâ,

memini, me ad eum locum cenſere, illic deſignari *viam Æmiliam, quam nos Claudiam appellamus*. Dubitare nunc ſubit, an eo nomine potius ſignificetur Via, per quam e Lombardia Pontremulum itur, atque inde Florentiam, Senam, & denique Romam. Utcumque ſit, nihil aliud *Francigena Via* fuit, niſi quæ ex Italia in Gallias ducit. In Chartis etiam Senenſibus Sæculi XIII. occurrit *Strata Francigena*, quæ Florentiâ Senam tendit. Ad hæc Willelmus Brito in Libris Philipp. *Francigenas noſtros* appellat, qui nunc nobis ſunt *i Franzeſi*. In Chronico Parmenſi Tom. IX. Rer. Italicar. Galli appellantur *Francigeni*, & *Franciſci*. In

parte

parte inedita Chronici Mediolanenſis, cujus alteram partem dedi in Tom. XVI. Rer. Italic. Cap. CXXX. hæc leguntur: *Sciendum eſt quod ultra montes fuit duplex Francia . Una dicitur Francia Orientalis , ubi eſt Magancia caput Regni , unde & dicitur Francia Magancia . Et hinc natus eſt Carolus Magnus cum tota ſua poſteritate . Alia dicitur Francia Occidentalis , ubi eſt Pariſius , quæ quondam dicta fuit Provincia Gaudiana , & poſtea dicta eſt Francigena, a Franchis ſuperata* . Sed rurſus Donizonem audi , ita de Mathilde Comitiſſa ſcribentem in Præf. ad Lib. II. de ejus Vita .

Hæc apices dictat, ſcit Teutonicam bene Linguam.
Hæc loquitur lætam quin Francigenamq; loquelam.

Vide , quo ſenſu olim acciperetur vox *Francigena* . Bobienſis quoque Monachus ſupra mihi memoratus Cap. IV. narrat , *Francigenam* orationis cauſſa veniſſe Bobium , & reverſum poſtea *in Franciam* . Heic etiam Galliam deſignari facile intelligas . Sed quod litem dirimere poteſt , Epitaphium adfero poſitum Silveſtro II. hoc eſt ipſius Gregorii V. Succeſſori, quod Cardinalis Baronius ad Annum 1003. evulgavit . Ibi legitur :

Primum Gerbertus meruit Francigena Sede
Rhemenſis populi Metropolim patriæ .

Remenſis Civitas profecto ſita eſt in Gallia ; illa verò diſertis verbis *Francigena Sedes* appellatur . Ipſe quoque Gallus natione fuit .

Nunc in ſemitam regredior , ac repeto ex Epigraphe ſepulcrali Gregorii V. Papæ verſus illos

Uſus Franciſca, Vulgari, & voce Latina,
Inſtituit populos eloquio triplici .

Ergo tres Linguas Gregorius didicerat, atque inter eas *Vulgarem*, hoc eſt *Italicam*, quum nempe ejus pater Otto Dux Veronenſem , ſive Tarviſinam Marchiam regeret . Ex quibus patet , temporibus Gregorii V. qui Anno 999. finem vivendi fecit , jam ita receſſiſſe Italicorum ſermonem a Latino , ut alius ab eo haberetur, & Linguam diverſam conſtitueret apud *Vulgus*, unde nomen ſumſit, ideſt apud populum, qui nullam aliam niſi maternam Linguam addiſcere conſuevit . Nobilibus , & aliquâ Literarum tincturâ reſperſis præter Vulgarem fuiſſe videtur etiam aliquis uſus atque intelligentia Linguæ Latinæ , quam cum Vulgari facile confundebant, quum aliquid conſignandum erat: quod præcipue a Notariis factum . Qualis verò ea fuerit Sæculo VIII. IX. & X. hoc quidem libens fateor me adhuc ignorare. Profecto quum olim eruditionis gratiâ Italicas Civitates peragrarem , & complura Archiva inviſerem, nihil mihi enixius erat in votis, quàm aliquod fragmentum Vulgaris Linguæ noſtræ reperire inter veterum Chartas . Exploratum eſt, Chriſtianæ plebis Paſtores, aut Epiſcopos, aut Parochos numquam, ſaltem poſt renovatum in Francis Auguſtis Romanum Imperium , in tantam prolapſos ignorantiam atque ignaviam, ut prorſus a publicis concionibus ſive Homiliis abſtinerent . Has autem , ſi Latine tantùm ad populum fuiſſent habitæ Sæculo IX. X. & XI. quis ex vulgo intellexiſſet ? Mercatoribus etiam, aliiſque Latini ſermonis imperitis , ſi quando accidebat, ut epiſtolas ad amicos darent : num

A excogitare poſſumus , eos numquam vernaculâ Linguâ uſos , quando Latinâ carebant , ad illas conſcribendas ? Itaque ſperandum erat, aliquas Linguæ hujus reliquias aliquando iri detectum . Verùm fruſtra ego perquiſivi ; fruſtra, ut vereor , perquirent & alii . Quod ſolùm proferre poſſum , vide *Compoſitiones* quaſdam ad Muſiva tingenda, aliaque ejuſmodi Artium fragmenta, Sæculo VIII. ſcripta, atque a me edita in Diſſertat. XXIV. *de Artibus* , ubi Vulgarem Italicam Linguam non leviter Latinæ intermixtam agnoſces . Sed ne ea quidem Vulgaris Lingua fuit . Ad hæc quædam illius veſtigia in aliis monumentis eorum temporum occurrunt , ex quibus pauca delibare in præ-
B ſentia juvat . In Notis ad Legem CCCXIV. Rotharis Regis Par. II. Tomi I. Rer. Italicar., quum expenderem vocem *tornaverit*, poſt alios memoravi & ego, quæ Auctor Miſcellæ refert Tom. I. pag 114. Adverſus Chaganum Hunnorum Regem Commentiolus Chriſtiani exercitus ductor in inſidiis poſitus egregium facinus editurus erat . Sed ex improviſo, clamante quodam e Chriſtianis *patria voce* : *Torna , torna , frater* ; ſive ut melius dicam *torna , torna , fratre*; Græcus enim Theophanis textus habet τορνα, τόρνα, φράτρε, aut *retorna* , ut habet Theophylactus Simocatta Lib. I. Cap. XV. Hiſt. Ideſt *volta , volta , frate* : Chriſtianus exercitus ambiguâ voce, ſubitoque metu
C perculſus , in fugam eſt verſus . Si Theophanis Chronologiam ſequimur , acta hæc fuere Anno Chriſtianæ Æræ 579. Et quamquam aperte non appareat , ejuſmodi verba ex hominis Italici ore erupiſſe , attamen quum earum ſonus Italicam Linguam omnino referat , multi verò Italici in exercitu Græcorum Cæſarum militarent , non injuria opinari poſſumus , ad Linguam noſtram pertinere : quod & Lipſius ſine dubitatione ſenſit atque affirmavit . Hanc vocem *Tornare* Carolus Dati Florentinus , & Menagius a Latino *Tornare* deducunt , quod nos Itali *Torniare* & *Tornire* appellamus . Addendum iis fuit , Græcos quoque eâdem voce uſos fuiſſe . Neque contemnenda eorum con-
D jectura . Certa tamen an ſit , dubitari poteſt. Animadvertendum quippe eſt , an actio Turni ſatis reſpondeat ſignificationi Italicæ vocis *Tornare* . Deinde quærendum , an *Ritornare* , & *Tornare* Italicum , pro *Reverti* , ex Germanorum veterum propriâ voce deſcendiſſe potuerit: quod vocabulum in Italiam Gothi aut Langobardi advexerint ; Saxones in Britanniam , ubi *Turn Return* in uſu eſt ; Franci in Galliam , ubi *Tourner Retourner* adhuc perdurat ; & Gothi in Hiſpaniam ubi *Tornar* æque ac apud nos uſurpatur . Jam vidimus , ipſius Rotharis Langobardorum Regis ævo , ideſt circiter Annum 643. *Tornare* idem quod nunc ſignificaſſe . Hickeſius quoque in Grammatica
E Franco-Theotiſca auctor eſt , Scardicis & Iſlandicis populis *at Turna* eſſe *Convertere* , *Circumagere* , & inde natum Italicum *Torneamento* , & Gallicum *Tour* pro *Gyro* , & *Tourner* . In Charta Vulturnenſis Chronici Part. II. Tom. I. Rer. Ital. ſcripta Anno Ch. 855. legitur: *Si nos per quodlibet ingenium Returnare quæſierimus* . Hinc habes apud Italos antiquitatem vocis .

Quod ſi Chartas , temporibus Regum Langobardorum , ac Cæſarum Francorum , ſcriptas , percurrimus , eadem veſtigia Linguæ noſtræ offendimus . Certe non alius ſermo quam Latinus adhibitus tunc fuit , quum literis conſignan-

ſignanda erant Acta publica, & privatæ generis quorumlibet. Neque aliam uſurpare licuit. Notarii quoque Legibus eruditi eſſe jubebantur, ut ſcribitur in Lege Langob. 94. Lotharii I. Auguſti. At propterea Linguæ aliquam dare operam cogebantur, ut ſaltem Leges Latine ſcriptas ſatis ſapere poſſent, ſimulque ſcribere Latino ſermone ſuas Chartas. Adhuc autem in earum ſcriptis Barbariſmi & Solœciſmi innumeri. Quare nego potuiſſe, eum iis temporibus populus loqueretur, uti Notarii ſcribebant. Inter tot tenebras antiquitatis, mihi certum, immo certiſſimum videtur, jam tum a Notariorum ſermone longe diverſam fuiſſe vulgi Linguam in Italia. Quod in Gallia factum videmus ex jurejurando Ludovici Regis Anno 842. idem quoque in Italia contigiſſe par eſt credere. Et ſicuti in Gallia, Germania, Anglia Tabelliones non Vulgari, ſed Latinâ utebantur in conſcribendis Chartis, parem quoque in Italia morem ſervatum fuiſſe merito credendum eſt, quando & ipſum continuatum per plura deinde Secula intuemur, quibus nemo dubitat quin jam Lingua Italica in populo vigeret. Grammatica verò, & Liberales Artes nimium exciderant; & quamquam ſapientiſſime Carolus M. in Gallia potiſſimum, atque etiam in Langobardico Regno, eas reſtituendas curarit; quamvis etiam Lotharius Primus idem conatus fuerit, ut in Additam. ad ejus Leges Par. II. Tomi I. Rer. Ital. pag. 152. oſtendi: attamen longe lateque regnare ignorantia perrexit in Italica gente, ſi paucos excipias Monachos & Clericos, qui aliquanto impenſiore cura literis addiſcendis vacabant. Proinde mos fuit Notariis eam ſibi levem Latinæ Linguæ parare notitiam, quæ ſatis eſſet ad mandandos chartæ contractus: quod facile erat, quum tunc longe plures quam nunc ſupereſſent Latini ſermonis reliquiæ tam voces, quam formæ dicendi, & imperitis inſuper præſto eſſent *Formulæ*, a Marculfo aliiſque Tabellionibus in uſum aliorum conſcriptæ. Quum verò Grammaticæ expertes ac inerudití Notarii forent, nil mirum, ſi a materna Lingua identidem mutuabantur verba ac modos dicendi, quoties nempe meliora nequaquam ſuppeditabat exigua in iis Latini ſermonis ſupellex. Quare ſparſam in eorum Chartis nos noſtram Linguam introſpicere poſſumus, & inde aliqua ex parte agnoſcere, qualis apud ipſum vulgus eſſet materna eorum Lingua. Complures ejuſmodi membranas ego hactenus dedi; plures etiam producturus ſum, prout argumenta ferent. Sed in præſentem rem juvat aliquot adhuc exemplis idem confirmare, ne aliunde petendum Lectori ſit, quod heic materies expoſcit. Itaque tres Chartas profero, quas olim deſcripſi ex inſigni Tabulario Archiepiſcopii Lucenſis, ubi earum authentica adſervantur.

Gregorius Mauricii filius ſe ac ſua omnia offert Eccleſiæ Sancti Donati, a ſe ædificatæ in loco Aſulari Lucenſis agri, ſervato ſibi jure patronatus, & uſufructu bonorum, Anno 759.

IN Dei nomine. Regnante Domno noſtro Deſiderio & Adelchis Regibus Anno Regni eorum Tertio, & Primo, Quarto Calendas Januarii per Indictione Tertia decima feliciter. Manifeſtum eſt mihi Gregorio filio quondam Maurici, quia pro remedium anime mee in proprio territorio . . . . Eccleſiam conſtruere viſus ſum in honore & vocabulo Sancti Donati in loco qui dicitur Aſulari; & per hanc paginam dotalium offero Deo & tibi predicta Eccleſia Sancti Donati memet ipſum una cum omnibus rebus meis tam caſa habitationis meæ cum fundamento, curte, orto, vel alia tecta &c. & tibi ſuprascripta Eccleſia, quem mihi in omnibus rebus meis heredem conſtituo, excepto duas petiole de terra mea, una petia &c. Iſte predicte petiole in mea reſervo poteſtate; nam alias res meas in integrum ſit in poteſtate ſupraſcripte Eccleſie, ſic tamen ut dum advivere meruero, in mea ſit poteſtate in ipſa Eccleſia Sacerdotem ordinandum, & uſumfructuandum ſupraſcriptas res & regendum una cum ipſo Presbitero, quem inivi ordinavero, & pro anima mea de ipſo uſufructu vel res mobile poteſtatem habeam eleemoſinam faciendum recto moderamine. Et ille Presbiter, qui in ipſa Eccleſia a me in vita mea fuerit ordinatus, & ſuper me vixerit, in ipſam Eccleſiam vel in ſupraſcriptas res dominus & rector die vite ſue & gubernator eſſe inveniatur. Sic tamen abſque ulla femina ividem habitare debeat, & per ſingola ebdomada quattuor peregrini omni tempore die uno paſcere debeat, poſt vero ejus deceſſu volo atque inſtituo, ut prefata Eccleſia cum res ividem pertinente ſit in poteſtate Eccleſie Sancti Martini, ubi eſt domo Epiſcoporum, vel Pontifici, qui ividem fuerit ordinatus, ordinando, & defendendo, ſicut Deo placitum eſt. Et qualiter tractaverit vel ordinaverit, in preſentia Dei mecum exinde judicium habeat, ita ut ſupra dixi, non ut ividem femina quilibet habitare debeat, & qui Presbiter ividem fuerit ordinatus, ut jam ſuperius dixi, per ſingola ſeptimanio die uno quattuor peregrinos ividem paſcere debeat. Et hoc volo ut Aculo puero, qui a me liver & abſolutus a ſervitio factus eſt, ſi caſte tonſo capite Deo ſervire voluerit, habeat licentia introiendi in ipſo Monaſterio, & lavorare, & ſervire ividem ſub poteſtate de Presbitero, qui ividem fuerit ordinatus. Et hec omnia qualiter a me ſtatum vel offertum eſt, omni tempore inviolabiliter debeat permanere, & neque ad me, neque ab heredibus meis, neque ad nullo homine poſſe diſrumpi; ſet qualiter nunc preſentia a me decretum eſt nullatenus aliter poſſum inſtituere, & preſens pagina dotalium, & alia ſimilis iſte emiſſa in Eccleſia Sancti Martini Oſprandum Diaconum ſcrivere rogavi. Actum Luca.

Signum manus Gregori, qui hanc pagina dotalium fiendam eligit &c.

Ego Oſprandus Diaconus poſtradita complevi & dedi.

Charta Rixſolfi Presbyteri, per quam Eccleſiæ Sanctæ Mariæ & Sancti Donati a Regnolfo Abbate ejus patre in agro Lucenſi ædificatæ, donat omnia ſua, ut ex reditibus pauperes alantur, ſervato ſibi ac ſororibus ſuis jure patronatus, Anno 765.

A

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Regnante Domno noſtro Deſiderio, & Adelchis Regibus Anno regni eorum nono, & ſeptimo, menſe Decembrio .... ſolfus indignus Presbiter previdi Dei timore, & remedium anime mee, & evangelica precepta ſe ...... adimplere, quod res, ſecundum Deum, filio ſuo imperaverit ad...... pater meus, ut omnia ſubſtantia noſtra offerumus Domino, & Eccleſie beate ſancte Marie ſemperque Virginis, & beati ſancti Donati Epiſcopi Co........ nos in proprio territurio noſtro a fundamenta fabricis conſtruximus, ego ſupraſcriptus Rixſolfus unus de minoribus Presbitero

B

.... conſentiente mihi Domno pater meus Regnolfus Abbas offero tibi Domino, & ſupraſcripte Eccleſie Sancte Marie, & Sancti Donati, quem ...... ter meus edificabet, omnem ſubſtantia noſtra in qualibet loco quecumque habere viſis ſumus Caſis, terris, vineis, olivetis, ſilvis, caſtanietis, pratis, paſcuis, culto, vel inculto, ſerbi, & ancille, cavallis, bovis, mobilia, vel immobilia, & ſe moventibus, ut dixi, omnia, & in omnibus ad nos pertenentes in integrum offerre videor; in tali enim tenore, ... pater meo ſic conſentientem mihi, ut

C

dum ego Rixſolfus Presbitero in hoc ſeculo vivere meruero ec........ dilectiſſime, & res ſororis mee Chriſtina, Regnipincta, Plaita vivere meruerimus, in noſtra ſerbamus poteſtatem ipſe jam dicte Dei Eccleſie ſtudendum, & res ipſorum ad uſufructuandum, & ſecundum Deum, ad ipſe ſancte loca caſte, & juſte ſerbiendum, & vivendum, nam non vindendum, vel naufragandum, aut alibi trahendum. Similiter in mea poteſtate ſerbo CL. ſoledis pro anima patris mei, dando de res noſtras & C. ſoledis pro anima matris mee, dando duodecim hominis pro anima noſtra ad liberandum. Ego

D

ſupraſcripto Rixſolfus Presbitero in mea poteſtatem reſerbo in vita mea conſtituere rectorem & gubernatorem, qui poſt deceſſo matris mee, & tibi ſororis mee ipſe .... meminere dibeas, ſet gubernare. Oblico me, adque manus mea facio matris mee, & ſororibus .... vivere ſecundum Dei preceptum, & ipſe Eccleſie regere & gubernare in bona cura .... & ſi me Dominus de hoc ſeculo antea vocare juſſere, quàm ego rectorem & gubernatorem poſt deceſſo in ipſe ſancte loca conſtituam, conſentientem mihi pater meus, volo, & decerno, ut poſt mortem matris mee Luciperge, & ſororis mee Chriſtine, Regnipincte, Plaite, Epiſcopus Civitatis noſtre Lucenſe poteſtatem habeas in jam dicte Eccleſie Sancte Marie, & Sancti Donati, quem nos a fundamenta fabricis conſtruximus, in ambas Presbitero uno ordinare, qui ſecundum Dei preceptum vivat, & per omnem ſeptimanam tres diebus XXIIII. paupero prandere dibeas. Prandium eorum tali ſit per omne ſeptimana Scaphilo grano pane cocto, & duo congia vino, & duo congia de pulmentario faba & panico mixto, bene ſpiſſo & condicto de uncto, aut de oleo. Et nullus de heredis noſtris contra hanc decretionis mee pagina aliquando aliquid agere preſumas. Et ſi preſumperit, Dei omnipotentis anathema ſit ſuper illos, & inſuper ſit componiturus ſoledis mile Epiſcopi, qui tunc fuerit; & hanc mea decretionem inviolavelis maneat firmitatem nunc temporibus & futuris; & nulli liceat nolle quod ego ſemel voluit, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium ejus, qui cum Deo Patre vivit, & regnat, in ſecula ſeculorum. Amen.

Ego Rixſolfus Presbitero hanc decretionis me paginam dotalium, conſentientem pater meus Regnolfus, propria manus mea eſcripſi. Actum Lucam Regnum, & Indictio ſupraſcripta feliciter.

Signum manus mea Rixſolfi Presbitero, qui hanc paginam decrebit, teſtem.

Regnolfus Abbas in ante preſentia teſtium, per quem hanc paginam ſcriberad eſſe videntis .... dedit hanc paginam fili mei me conſentientem ſcribere, quia ego pre egritudine mea non potuit ſcribere.

Signum manus Regnolfi conſentienti filiis ſuis teſtem.

Ego Martinus Presbiter, rogatus a Rignolfus Abas, & Rexulfu Presbiter, in hanc pagina dotalium, me teſte ſcripſi.

Ego Magnipert Presbiter, rogatus a Rignolfu Abbas, & Rexulfu Presbiter, in hanc pagina dotalium, me teſtis ſubſcripſi.

Ego Rachipertus Clericus, rogatus ad Rignolfu Abbas, & Rexolfu Presbiter, in hanc pagina dotalium, me teſte ſubſcripſi.

Ego Aunualdus Clericus, rogatus a Regnolfu Abba, & Rexolfu Presbiter, in hanc pagina dotalium, me teſtem ſubſcripſi.

Ego Rixolfu Presbitero hanc paginam dotalium, poſt teſtibus rovoratam deplebis, & obtulit Altiſſimo.

Oblatio

Oblatio omnium ſuorum bonorum, facta ab Aliperto, & ejus filio Rotperto Presbytero Eccleſiæ Sancti Fridiani, a ſe ædificatæ in pago Septiniana agro Lucenſi, Anno 768.

IN Dei nomine, regnante Domno noſtro Deſiderio Rege, Anno Regni ejus Duodecimo, & filio ejus item Domno noſtro Adelchis Rege, Anno Regni ejus Nono in ipſe Kalend. Auguſti, per Indictionem Sextam. Manifeſtum eſt mihi Aliperto filio quondam Aifridi, habitatore in Vico Septimiana, quia ante os annos, una cum filio meo Rotperto Presbitero a fundamentis in proprio noſtro conſtruximus Eccleſiam in honorem Dei, & Sancti Fridiani in ipſo loco ubi, & in ipſa ſacravimus Deum in preſentia venerabili Andreati Epiſcopi, & de Sacerdotibus ejus, & cuncti Congregatione populi offeruerimus nos medipſos, cum omnibus rebus noſtris mobilia & immobilia, ſeu ſemoventibus in ipſa Dei Eccleſia in prefinito, qui & ipſe Epiſcopus per abſolutionem Domni venerabilis Peredei in Dei nomine Epiſcopi, cujus Dioceſe eſſe videtur ipſam Eccleſiam, ſacravit; modo vero (ſic) per hanc Cartulam nos qui ſupra Alipertus, & Rotperto Presbitero offerrimus Deo, & tibi Eccleſia Dei, & beati ſancti Martini, ubi eſt Domus Epiſcoporum in Civitate Lucenſe, prefata Eccleſia noſtra Sancti Fridiani, cum omnibus rebus noſtris mobilia & immobilia, ſeu ſemoventibus omnia quidquid nobis pertenuit, & preſenti pertinet, ut ſupra diximus, ſicut antea in ipſa Eccleſia nos ipſos cum rebus noſtris offeruimus, omnia in integrum ſit in poteſtate Eccleſie Sancti Martini, & de ejus Pontificibus, in tali vero tenore, ut dum unus ex nobis advivere meruerimus in noſtra reſervamus poteſtatem in caſa ipſius Eccleſie habitando, regendo, & uſumfructuando omnia ſupraſcripta res, & per ſingulo anno, ex ipſis rebus reddere debeamus in Eccleſiam Sancti Martini uno ſolido valentem oleo. Et ſi Teupertulo Clerico nepote noſtro ſuper nos vixerit, caſe, & ſervi, ſeu voluerit eidem Eccleſie, & ad honorem Presbiteris pertingere potuerit cum voluntate Pontifici ſupraſcripte Eccleſie, ſic licentiam habeat habitare in caſa ipſius Eccleſie ſerviendo in omnibus officiis bonis, nam poſt predictorum offertores deceſſu, omnia quiquid habere & poſſidere videmur, ſit in poteſtate jam dicte Eccleſie Sancti Martini in prefinito, niſi tamen modo de rebus mobilibus, & de uſumfructum in noſtra ſit poteſtate pro anime noſtre remedium diſpenſando; nam de aliis rebus noſtris & Eccleſia, ut ſupra ſtatuimus, omnia in integrum a preſenti die in ſupraſcripto tenore, ſit in poteſtatem Eccleſie Sancti Martini, & de Rectoribus ejus, & neque nobis, neque ab heredibus noſtris, neque a nullo homine preſens Cartulam poſſe diſrumpi, ſet omni in tempore ſtabilem permaneat, & pro confirmatione Oſprandum Diaconum ſcrivere rogavi. Actum in Vico Valerians ad Eccleſiam Sancti Fridiani.

Signum manus Aliperti offertori, & Conſervatori.

Ego Rodpert Presbitero in hanc Cartula a nobis facta, ſicut ſupra legitur, manu mea ſubſcripſi.

Ego Deusduns Presbitero, rogatus ad Alipert, & Rotpert Presbitero, in hanc Cartula me teſti ſubſcripſi.

Ego Stabilis Presbiter, rogatus &c.

Ego Saxo indignus Presbiter, rogatus &c.

Ego Deusdedit Subdiaconus, rogatus &c.

Ego Agiprandus Diaconus, rogatus &c.

Ego Oſprandus Diaconus poſt tradita complevi, & dedi.

Qui intento oculo haſce Chartas expendet, multam barbaræ loquutionis ſegetem inveniet, & Priſcianum ſæpe vapulantem. Sed præ ceteris animadvertiſſe potuerit in prima illas voces: *Eccleſie Sancti Martini, ubi eſt domo Epiſcoporum*. Hinc autem ad nos fortaſſe venit vocabulum *Duomo*. Et infra *habeat licentia introiendi in ipſq Monaſterio, & lavorare, & ſervire ividem ſub poteſtate de Presbitero &c.* Hæc omnia vulgarem Linguam redolent, ac præſertim poſtrema, quæ ſonant *ſotto la Podeſtà del Prete*. In tertia Charta quis, & cujus Urbis fuerit *Andreatus* ille, ſive *Andreas Epiſcopus, qui per abſolutionem Domni Peredei Epiſcopi* eam Eccleſiam ſacravit, aliis inquirendum relinquo. Atque ita apud Tuſcos Chartæ ſcribebantur. Perſpiciat nunc Lector, quam emendato ſermone Notarii apud Inſubres iiſdem temporibus uterentur. En Chartam, quam authenticam vidi, & deſcripſi e nobiliſſimo Tabulario Monachorum Ciſtercienſium Sancti Ambroſii Majoris Mediolani.

Totonis

Totonis de Vico Campilionis Teſtamentum, quo Xenodochium inſtituit, atque illud relinquit Mediolanenſi Baſilicæ S. Ambroſii, & Thomæ Archiepicopo, conſtituendo diſtributiones varias ibi faciendas Anno 777.

IN Chriſti nomine. Domno Excellentiſſimo Karolo Rege in Italia, Chriſto propitio, Anno Tercio, Octavo die menſis Magi, Indictione Quintadecima, Eccleſia beatiſſimi Chriſti Confeſſoris Ambroſii, in qua ejus ſanctum Corpus requieſcit, in qua ſanctiſſimus Domnus Thomas Archiepiſcopus Mediolanenſis Eccleſiæ. *Ego in Dei nomine Toto filius bone memorie Aretis de locos, qui vocatur Campilionis finis Sceprienſis, preſens preſ... ibus dixit. Dum homo in hoc ſecolo fuerit conſtitutum ſic diebus pro anime ſue remedium conſiderare, ut cum venerit Redemtor noſter ad judicandum, paratum eum inveniat de ſuo bono diſpoſitum; nunc autem ego jam dicto Toto, ſpontanea voluntate mea inſtituo, & decerno a preſenti die ovitus mei eſſe diebus domum habitationis mee in noſtro loco Campelionis, Chriſto propicio, Xenodochium confirmante me inibi, omnibuſque rebus mei tam domo coltiles, olivetis, maſſariis, Aldiones, movilibus, & inmovilibus . . . . ubicumque meo jure quidquid pertenuiſſe noſcuntur, in integrum habeat bona poſt meum diceſſum, cuncta que judecatum erant, deveniant in poteſtate dominacionis ejuſdem Eccleſie beati Ambroſii, & etiam prefati Domni Thome Archiepiſcopi ordinandi, & defenſandi, & pro anima mea, & parentorum noſtrorum remedium per ipſius Pontificis ordinationis, vel per quem ab eo inibi ordinatus fuerit Præpoſitus, paſcantur inibi omni tempore pauperes omnibus diebus Veneris, quod erit per ſingolas eodemata die uno nomina duodecim inſimul, & Quadrageſime tempus ſimiliter die Veneris, & die Mercoris ipſi pauperes inibi reficiantur, unde nobis manet gaudium ſempiternum. Iterum confirmo, ut debeat qui tunc in ipſo Xenodochium ordinatus fuerit Præpoſitus, dare per ſingolis annis oleum per luminaria ex ipſis rebus meis in noſtra Baſilica Sancti Ambroſii oleum libras viginti, ſeo & in Oratorio Sancti Zenoni in loco Campillionis oleum libras duocenti, & paſcantur inibi ipſe Præpoſitus Xenodochii Sacerdotes, & pauperes qui per feſtivitatis ipſius oracoli inibi convenerint, & inluminentur ibi que ex ipſo oleum per cotidianas noctes candelas quatuor, & omnibus diebus & candelo uno ad ipſe Dei oracolum ab ipſa luminaria non minuetur, & in feſtivitate ejuſdem oracoli plenius omnibus quattuor candelis ejus alumenentur pro dilectione ipſius almifici loci, & pro animarum noſtrarum Salutis, & ſtatuo ut detur omnibus annibus . . . . . ipſe Præpoſitus in Baſelica Sancti Nazarii noſtre Civitatis Mediolanenſis in qua ejus Sanctum requieſcit corpus oleum libras decem & in Baſelica Sancti Victoris a corpus ſimiliter libras decem in quam nunc Deuſdedit dicitur Cuſtus eſſe videtur, ſimulque & in Baſelica Sancti Laurentii foris Porta qui Ticinenſis vogatur libras decem; Et confirmo ut omnes ſervos, & ancellas meas ſint aldiones, & pertinentes mundium eorum ad ipſo Xenodochium habentes per caput unuſquis maſcolis & femine ſolidus ſingolus, & ita volo ut illi homines meis qui conſaeti ſunt cum ſuas anonas operas mibi faciendi inſtituo, ut quando que opera fuerint faciendi, ut cum anona ejuſdem Xenedochii operas ipſas perficiant, & confirmo ut noſtras Oratorio Sancti Zenoni poteſtati Beati Ambroſii atque Domni Thome Archiepiſcopi vel ejus Succeſſoribus ſubjaceat, qualiter mibi pertinuit cum omni pertinentia ſua in integrum juxta ſuas que providencia ordinandi, & defenſandi cum reliquis cunctiſque rebus meis quam eidem Domno Thome Archiepiſcopi & per ipſum ſancte ejus Mediolanenſis Eccleſie ſubdedi, nam dum me quem ſupra Totoni Dominus omnipotens in hac vita ſervare juſſerit, cuncta vero ſuperius conprehenſa quas de rebus meis ſtatui in mea manet poteſtate ſicut uſque modo faciendi quiquid voluero, ſi aliter non ordinavero vel diſtribuero de rebus meis ſint qualiter ſuperius a me confirmatum vel inſtidutum erat taliter omni tempore preſens judicatum meum deveat permanere omni mea parentum repedicionem ceſſantem. Quam igitur judicatum meum Thoma deſcrivere rogavi ſubter propria mano confirmo teſtibuſque a me rogadis obtuli ruorandum. Actum Mediolani ſub die & regnum, & indictione ſupraſcripta quintadecimam.*

Ego Toto in hunc Judigatum a me facto relegi, & ſubſcripſi, & a teſtes obtoli rovoranda.

Ego Oto . . . . . . in hunc judicato rogatus a Totone teſtes ſubſcripſi.

Ego Marinus in Dei nomine Vicedominus in hunc judicato rogatus ad Totone &c.

Ego In . . . . Scavinus in hunc Judicato rogatus fuerat Odone, & ſubſcripſi.

Ego Odelpertus Subdiaconus Sanctæ Mediolanenſis Eccleſie in hunc Judicatum rogatus a Totone teſtes ſubſcripſi.

Signum ✠ manus Garibaldi filio quondam Placito da Porta Argenta teſtis.

Ego Thomas ſupraſcriptus hujus paginam Judicati rogatus a Totone poſt tradita complevi & dedi.

Unum heic tantummodo adnotatum volo, nempe ex vernacula Lingua deſcendere ſubſcriptionem teſtis illius, qui ſigno Crucis rem ſuam confecit, Notario adnotante hæc verba; *Signum manus Garibaldi filio quondam Placito da Porta Argenta.* Is autem in Vulgari ſermone, ut facile patet, appellabatur *Garibaldo figlio del quondam Placito da Porta Argenta.* Ita & alibi reperimus *da pars*, & in deſignandis agrorum finibus *da uno lato*, *uno capu*, *da mane*, *da ſera da duabus partibus*, & hujuſmodi. Et in Bullar. Caſin. Tom. II. in Diplomate Deſiderii Regis Anno 772. *in carpeno groſſo*, *in rovere arſa*, *uſque in alia rovere verde pertuſata* &c. In Memoratorio conſcripto ante Annum 884 a Berthario Abbate Caſinenſi, uti auctor eſt Leo Oſtienſis Lib. I. Cap. XLV. Chron. Caſin. occurrit *Foſſatum de la vite.* Et in Charta Lucenſi Anni 753. occurrit *una Torre de auro fabrita.* Et Charta Anni 1034. edita infra in Differt. *de Monaſt. Erect.* ſcripta dici-

A dicitur in loco ubi Bodegarda dicitur. Sed de multis huic ætati hujuſmodi fragmentis, quæ ex ipſis Chartis in hoc Opere a me productis colligere poſſim, ſatius duxi adtexere in hanc eandem rem adnotata a Cl. V. D. Virginio Valſecchio, Priore Benedictino, & ſacrarum Litterarum in Piſano Gymnaſio Profeſſore eximio. Is ergo per epiſtolam hæc ſibi animadverſa fuiſſe ſignificavit. *In Charta*, inquit, *Anno XVIII. Liutprandi Regis Indict. XIII. ſcripta, hoc eſt Anno 730. ubi de finibus agitur, hæc lego*: Uno capite tenente in terra Chilloni, & alium capite tenente in terra Caulloni, de uno latere corre via publica, & de alium latere eſt terrula Pulmuli plus minus modiorum duo, & ſtafilo. *Ubi purum putum Italicum* corre via publica *habes*. „ *In altera exarata Anno 803. hoc eſt III. Imperii Caroli M. hæc alia occurrunt*: tenentes uno capo . . . . . lato uno tenet . . . . . alio capite . . . . . alio lato . . . lato uno . . . . . petia que dicitur a Longagnolo. *Aliam Chartam vidi ſcriptam Anno 816. hoc eſt III. Imperii Ludovici Pii Indict. IX. in qua hæc leguntur*: Avent in longo perticas quattordice in tranſverſo, de uno capo pedes dece, de alio nove in traverſo . . . . . de uno capo duas pedes, cinque de alio capo. *In Charta Anni 1015. ideſt Secundo Henrici I. Imp. Indict. XIII. hæc animadverti*: In loco & finibus Porto Piſano prope Rivo majore, ubi dicitur Orciano . . . . . . qui uno capo tenet in predicto Rivo majore, alio capo tenet in terra Chomitorum . . . . . . quod eſt Plebe Baptiſmalis ſito ſupraſcripto Porto Piſano prope Livorna. *In altera Anni 1084. ſtilo Piſano legitur*: De rebus meis illis, que videntur eſſe in e la Plebe di Radicata, & in loco & finibus Ripalbella. *Vulgus hodie quoque dicit* in nella *v. g.* piazza. *Nota articulum* La, *& ſignum caſus* Di. *Charta Anni 1098. ſcripta hæc præfert*: Petia de terra, quod eſt orto . . . . . . latus uno habet in terra Comitore. *Supra eſt* Chomitorem, *ideſt* Comitum. „ Ita eruditiſſimus Valſecchius, qui & addidit Epiſtolam ad ſe ſcriptam ab amantiſſimo utriuſque D. Guidone Grandio Abbate Camaldulenſe, ac in eadem Academia Piſana Matheſis Profeſſore, quem & Mathematica, & erudita Opera celeberrimum ubique faciunt. Inquiſivit ille quoque in hoc idem argumentum, & ecce quæ ad amicum Valſecchium is ſcripſerit, lubenter, ut ſpero, legenda.

Hac de re, inquit, in meis Annalibus Monaſticis ad annum 24. S. Romualdi fuſius diſputo, uſus Auctore Anonymo Vitæ B. Petri Urſeoli Diſcipuli S. Romualdi apud Cl. Mabillonium Sæc. V. Benedict. qui num. 15. eundem Petrum nativo idiomate loquentem inducens ſic habet: Ait Abbati lingua proprie nationis: o Abba fruſta me: hoc eſt virgis cæde me: credule mihi (*ideſt* crede mihi) meritò debeo verberari, quia non reſtiti dæmonum tentationibus. *Quæ verba Latinam ſyntaxim plane ſervant, nonniſi duobus barbaris vocabulis inquinatam. Nihilominus, quemadmodum fieri nequit, ut repentina mutatione Latina illa corrupta Lingua in Italicam degeneraret, ſed invaluiſſe paulatim oportuit hunc noſtrum loquendi modum, nec unius forte Sæculi curſum tam generali idiomatum apud Italos omnes converſioni ſuffeciſſe: ita negari non poteſt, quamplurima Linguæ hujus adhuc veluti balbutientis veſtigia ex antiquis monumentis peti poſſe, ut in Præfatione ad Lectorem in ſecunda editione Epiſtolæ noſtræ de Pandectis, obſervavi. Conſtantinus Porphyrogenitus Imperator Orientis de adminiſtr. Imper. cap. 28. narrat, Langobardos ad Beneventi acquiſitionem procedentes, ut cives illos ſibi conciliarent, & ad optatam deditionem faciliores redderent, Arcem ædificaſſe, quam vulgari nomine appellarunt* Città nova. *Pervetuſtum ſane Italicæ linguæ exordium, ſi ad Langobardorum tempora referri debeat. In Archivo Camaldulenſi apud Cœnobium Fontis Boni adeſt Donatio facta a Willhelmo Epiſcopo Aretino Anno 1013. menſe Junio Indict. XI. Monaſterio S. Mariæ de Prataglia cujuſdam Domus & Vineæ* in avocabulo Prato ſicut ex antea recto & tenuta fuit per Dominico Preſbiter &c. *ac pœnam ſibi imponit Epiſcopus, ſi ejuſmodi donationem* interrumpere, tentare, aut disfacere preſumſerimus; *ac demum ſubdit*: Azzono ſcrivere rogavi. Actum Arizio feliciter. *In Teſtium ſuoſcriptionibus habetur*. Singno manibus Farolſo filio quondam Teudelaſi, qui Teuzo fuit clamatus, *ex Italico nimirum vocabulo* Chiamato; *& in fine habetur*: pro ſe ſuſcrivere rogaverunt. *Inibi verò hujus Cœnobii Archivo extat Charta ejuſdem venditionis facta*, Regnante Domino noſtro Henrigo, gratia Dei Imperatore Auguſto, Anno Imperii ejus in Italia quinto, quinto Idus Martii, Indictione prima, *atque alia Anno 1018. a Sindruda Muliere Joannis &c. cum notitia* de duos propinquiores parentes mei, *ideſt Conſanguineorum, Italice* Parenti, *de quibuſdam terris, quarum fines recenſentur hac phraſi*: que uno capo tenet in terra &c., & allo capo tenet in terra &c. lato uno &c., & alio lato &c. *ſubſcribunt inter alios Teutus, & Bonitius* propinquiores parentes ſupraſcripte Sindrade. *In eodem meo Archivo alia venditio habetur*, Rengnante Domino noſtro Enricus, gratia Dei Imperator Auguſto, Anno Imperii ejus in Italia ſeptimo, Idus Julii, Indictione tertia, *adeo ut Anno 1020. facta ab Ugone Vicecomite*, filio b. m. Gherardi, qui fuit Vicecomes, *ubi ſimiliter confinia prædii venditi vocabulis* uno capo, *&* alio capo, uno lato, *&* alio lato *deſcribuntur (prout paſſim uſurpatur in aliis etiam Chartis annorum 1024. 1029. 1031. 1033. 1041. 1046. 1047. 1050. 1057. 1058. 1064. 1065. 1067. 1070. 1072. 1073. 1074, & innumeris poſterioribus, quas, ne nimius ſim, recenſere ſuperſedeo) ubi & habetur* in terra, & padule meo: *quod pariter verbum aliis Chartis inſertum legitur. Rurſus in Charta anni 1029.* regnante Domino noſtro Chumradus, gratia Dei Imperatore Auguſto, Anno Imperii ejus in Italia ſecundo, quinto Idus Martii, Indictione duodecima, *habetur venditio facta a Ghiſla Muliere Balduini de quibuſdam terris* in loco, & finibus, ubi dicitur Civitate vetera prope Eccleſia, & Monaſterio Sancti Zenonis prope loco, qui dicitur a le Grotte. *In donatione quadam Anno 1031. (ſtylo Piſano)* regnante Domino noſtro Chumradus, gratia Dei Imperator Auguſto, Anno Imperii ejus in Italia quarto, nonodecimo Kal. Septembris, Indictione tertiadecima, *facta B. Bono Abbati hujus Monaſterii, memoratur terra poſita* foras Civitate Piſa, ubi dicitur Civitate vetera prope loco, qui nominatur ad la Rivolta; *quæ rurſus in alia Charta Anni 1040. dicitur* alla Rivolta, *uti & in aliis Chartis Annorum 1090. 1096., & deinceps in aliis pluribus Documentis. In Charta Anni 1037.* Regnante Domino noſtro Conrado, gratia Dei Imperatore Auguſto, Anno Imperii ejus in Italia decimo octavo

octavo, Idus *cujuſdam* ,Indictione quinta , *habetur menſura* Genuarii *terræ* , *juxta pedem Liutprandi Regis* , per longitudo de uno lato pedes viginti , & de altero lato per longitudo pedes ſimiliter viginti , & per traverſo de uno capo pedes nove , & de alio verò capo per traverſo pedes ſimiliter nove , & tenet uno capo in via &c. *Simili phraſi in Charta Anni* 1046. , *qua B. Bonus Abbas in emphiteuſim accipit ab Eritio* filio Enrighi *quamdam terram* , *illius menſura enuntiatur* a legitimo pede, qui dicitur Liutprandi, per lognituto d uno lato pedes octoaginta & octo ; de alio verò lato,per lognitudo pedes ſimiliter octuaginta& octo ; & per traverſo de uno capo pedes duodecim&dimidio pede ; & de alio capo per traverſo pedes duodecim. *In alia rurſus Charta Anni* 1047. *extat donatio eidem B. Bono Abbati* , *facta de quadam terra* in loco & finibus Selva longa , cum via andandi & regrediendi cum capras & boves , & aliis beſtiis carcatis & incarcatis , vos & omnibus veſtris hominibus ad amdandum ad ipſa terra uſque ad viam publica &c. Actum in loco & finibus Selva longa prope Eccleſia Sancti Bartholomei Apoſtoli . *Inſuper in Charta prælaudati Archivi Camaldulenſis Fontis-boni de Anno* 1054. tempore Erigi , gratia Dei magnus Imperator Auguſto, Imperii ejus ſettimo, menſe Aprilis, Indictione ſettima , *habetur* Guido Comes filio quondam Alberti Comitis , *qui* lege vivente Rubuaria , cum calamario quaſonem terre & ramum arboris , & fiſtugum nodatum , *de terra levans* , *offert Monaſterio S. Mariæ Agnani* , *ejuſque Abbati Rainerio quamdam terræ portionem* ſicut recta & tenuta fuit per Urſo Maſſaio &c. Actum in loco Caſentino Judiciaria Florentina & Feſulana .

Redeo ad Archivum mei Cœnobii , *in quo ad Annum* 1064. *ſtylo Piſano, Gerardus & Opitho germani filii Cunitii* , *Chartam conventionis celebrant cum Ildebrando filio b. m. Balduini de quadam* terra laboratoria , que eſt in loco Ponticello, qui uno capo tenet &c. *ubi & hoc continetur* , quod ipſa foſſa debet eſſe per traverſo pedes duo a juſto pedes , qui dicitur Liutprandi Regi ; *& in Charta Anni* 1065. *pariter Piſano ſtylo quidam* Morecto Notarius Domni Imperatoris filio b. m. Lamberti , *offert Monaſterio S. Michaëlis* , *& Ruſtico ejus Abbati quaſdam terras* in loco & finibus ad la Leuna , *qui locus in aliis Chartis Annorum* 1073. *&* 1118. *expreſſius dicitur* alla Leona . *Rurſus Anno* 1074. *item Piſano more* Vualdrada relicta, que fuit quondam Boniti Judex, *offert* Hoſpitio pauperum & peregrinorum edificato infra Civitate Piſa prope Eccleſia Sancti Martini & Frigiani *portionem ſuam* de terris & caſis murata una , & aliis non muratis . *Anno* 1078. *Piſano, Leo Abbas hujus Monaſterii in emphyteuſim concedit quaſdam terras* in loco & finibus Sciano, ubi dicitur Campo de Pero &c. tenentes ambas capitas cum uno lato in terra Vuallandi &c. , & in aliquamto de ipſo lato tenet in terra de filii quondam Villani , & de ſuorum conſortibus: *cum pacto cenſum reddendi* a ſupraſcripta Eccleſia e Monaſterio Sancti Michaëlis , vel infra ejus cloſtra &c. *conſtitutâ pœnâ* , *ſi in ſolutione deficeret* , arientum optimum libras vimti . *Eodem Anno conventio habetur Leonis filii Urſi* , *ac Giſlæ jugalium* , *cum Manfredo filio Vuillelmi de quibuſdam terris* in loco & finibus Colingnola , ubi dicitur Campo del Arno . *Anno* 1080. Ugo filius b. m. item Ughi , *offert Monaſterio Sancti Michaëlis*, ubi nunc Domnus Leone Abbas preeſſe videtur , *quaſdam terras poſitas* in loco & finibus Mezzana &c. , latus uno tenet in Via Carraricia &c. , *& eſt pro menſura* ad juſta ſeminatura ſtariorum &c. , *quæ eadem vocabula paſſim & in aliis Chartis Anni* 1081. , *& ſubſequentium temporum occurrunt* . *Item Anno* 1083. *Leo Abbas poſſeſſionem* , *& inveſtituram accipit quarumdam terrarum* in loco & finibus Ghetiano , quas detinet Bonaccio Maſſario ad manum ſua ad laborandum , & de una alia lentia (*dicimus enim Italice* una lenza di terra) ibi poſita .

In Archivo Monialium noſtrarum S. Petri de Luco in agro Mucellano duæ Chartæ habentur donationis & venditionis Anni 1085. *Gotidii Comitis* , *& Cunizæ Uxoris filiæ Comitis Origani* , *factæ Tagido Comiti filio Pagani Comitis cum finali clauſula* : Actum in loco , qui dicitur Fonte buona . *In meo rurſus Archivo ad Annum* 1086. *donatio occurrit* in loco & finibus Colugnola , ubi dicitur Caſato , *& alia rurſus* in loco & finibus Faſiano cum terra , que eſt Caſalino. *Item alia donatio Anni* 1096. *exhibet quædam bona cum* Claſſatello comunale &c. *Ad Annum verò* 1097. *Piſanum contractus habetur cum mentione terrarum* in loco Sambra , ubi dicitur Corticelle , *nec non* in loco & finibus Pecore , *itemque* in loco & finibus Faſano , *cui inter teſtes ſubſcriptus* Ugo quondam item Ughi Codicone . *Alia donatio Anni* 1098. *Piſani exprimit terras* in loco Colongnola, ubi dicitur Caſtagno, & ubi dicitur all Orto , & in loco Macajo , ubi dicitur Capo Arduconi . *In quodam Brevi teſtamentario Anni Piſani* 1100. *facto a Bernardo quondam Gerardi memoratur* Caſſina , que tenet lo Blanco , & mea pars de abituro meo de Travalda &c. , *& quæ habet* a Blentina & a Palaja , & a Fontana . *In prælaudato Archivo S. Petri de Luco habetur contractus venditionis factæ a Bernardo* , *& Theodorico filiis Ugonis Comitis* , *ac Gemma Bernardi uxore* , *filia quondam Ubaldi Comitis* , *Anno* 1102. , *cujus pretium ſe recepiſſe fatentur* a Petro de Caſa vecchia vice prelibate Eccleſie & Monaſterii . *In præfato rurſus Archivo meo Piſano in Chartis Annorum* 1104. *&* 1105. *idem Monaſterium poſitum* fore porta *dicitur* ; *& in contractu donationis Anni* 1112. *inter teſtes habetur* Teudericus quondam Martini Bocca dura .

Sed deſino ulteriorum temporum monumenta perſequi : hæc enim abunde ſufficere arbitror ad Viri Clariſſimi propoſitum illuſtrandum , *cui per Te obſequii mei ſignificationem referri velim* . *Vale* .

Dabam ex Muſcolo noſtro IV. Kal. Januarii MDCCXXVII.

Hactenus Clariſs. Grandius , quæ Sæculum XI. reſpiciunt . Sed ne inſalutatum abeat Sæculum X. , atque ut conſtet , eamdem barbariem , ſive mixturam Latinæ & Vulgaris Linguæ eo quoque Sæculo in Chartis viguiſſe : unum tantummodo ſpecimen ſtili , & dictionis Tabellionum temporis illius proferam . En ergo Chartam , ex Archivo præclariſſimi Monaſterii Cavenſis petitam .

Donatio facta a Johanne & Guaimario Principibus Salernitanis Monaſterio Sancti Magni, Anno 994.

NOs Johannes & Guaimarius Viri glorioſiſſimi, divina largiente clementia Longobardorum Gentis Principes, conceſſimus tibi Andreæ venerabili Abbati Monaſterium veſtrum Sancti Magni, quod conſtructum eſt in loco Turano ubi Lucaniæ pertinentiæ Principatus noſtri Salerni, cum Caſis, & Cellis, & Ortuis, & pannis, & animalibus, totum pertinentem jam dicti Monaſterii, ſeu & vineis, & terris Bacile, & ſilbis, & caſtanietis, totum pertinentem jam dicti Monaſterii, & cum Eccleſiis videlicet ſibi ſubjectis Sancto Primo de Cannicie, & Sancto Fortunato, & Sanctæ Mariæ de Campo Rubeo, & Sanctæ Mariæ da li Pluppi per eis fines. A parte Orientis incipiente ab ipſa Serra de ipſa via de Cilento, & deſcendit ab ipſo Flubio, qui deſcendit in fines Sancti Viti, & pro ipſo Flubio de ipſa Molina, & badit in Flubio de Jultra; & rebolbente in partem Septentrionis, & ſaliente per ipſo Flubio de Jultra, & badit in ipſo Flumicello, qui deſcendit de Sancto Flaviano, uſque in fine Sancti Flaviani; & ſalientem per ipſa fine Sancti Flaviani per ipſo baſſone; & ſalit in ipſo colle Montis, & badit in ipſa via, que badit a Cilento; & deſcendit in fine de Battolli, & pergit per ipſi Terminis per ipſa fine de Battelli; & badit in ipſa via, que benit de Bucella, & rebolbente in pars Occidentis pro ipſo vaſſone, juxta ipſa via; & deſcendit in ipſo Flumicellum, & ſalientem in ipſo Caſtelletum Battulani; & pergit rectum per ipſo ſerrunicello uſque in via, que pergit ad Sanctum Archangelum, & rebolvente per ipſa via uſque in ipſo baſſone, unde acqua decurrit; & rebolbentem in partem Meridiei, & ſalientem in via bad ipſa Fontana, & pergit per ipſa via uſque in ipſo plano de Caſtello Miliſſa, & aſcendit per ipſa via de ipſa ſerra uſque in ipſæ petræ priori fines. Pariterque conceſſimus tibi jamdicto Andreæ Abbati molina, quæ pertinent eidem Monaſterio, & conſtructi ſunt in ipſis Flubiis, cum tranſitu & exitu ad ipſa molina. Hæc namque omnia ſupraſcripta tibi, qui ſupra Andreæ Abbati conceſſimus ad ſecuriter, & firmiter illud ad abendum, dominandum, poſſidendum, atque frugiandum, tu & Succeſſores tui omni tempore, & de ipſo frugio omnia faciatis, quodcumque bolueritis, & de terris, & ſylbis eidem Monaſterio pertinentibus. Et etiam de vineis licentiam abeatis exinde dare ad laborandum, & frugiandum, & dominandum pro parte eidem Monaſterio, & neque ad noſtris Judicibus, Comitibus, Caſtaldeis, vel Miniſtris abeatis exinde aliquam requiſitionem, ſed omni tempore ſecuro nomine illud abeatis, & poſſideatis, atque dominetis, ſeu fruatis in jamdicta ratione abſque omnibus publicis requiſitionibus, aut cuiquam ominibus. De Anno Decimo Principatus Domni Joannis Glorioſi Principis, & Sexto Anno Principatus Domni Guaimarii ejus Filio Glorioſo Principibus, menſe Junio, VII. Indictione.

Præter alia animadverte heic *Sancta Maria da li Pluppi*, quo nomine arbores populi deſignantur. Nimirum quum certa locorum quorumdam nomina, aut cognomina, ſive agnomina, memoranda olim erant, interdum

A vernaculæ Linguæ voces ad evitandas ambiguitates uſurpabantur. Idque diligenter velim animadvertas, uti ſolenne indicium Linguæ a Latina diverſæ. Ita Ingo Epiſcopus Mutinenſis apud Sillingardum in Catal. Epiſcop. Mutin. multa donans Cœnobio Benedictinorum Sancti Petri, Anno 1029. inter cetera largitur *jugera duo in Mutina in loco, qui dicitur a la Crux*. Simili ratione, ut animadverti Cap. 24. pag. 236 Part. I. Antiq. Eſten. in Charta Guidonis Marchionis Anno 1052. ſcripta, occurrit *in Cingnano uſque al Fichario fine al capo del Monte*. Ibi verò pag. 243. intuere eamdem appellationem in alia Charta Anni

B 1058. Latine redditam ab altero Notario his verbis: *& Cingnano uſque al Fizano, & uſque ad caput de Monte*. Idem habes in Charta ſubſequentis Anni 1059. In Mutinenſi Charta Anni 757. memorantur *Sortes in loco ubi nuncupatur Rio Torto Terreturio Feronianenſi*, nunc *Ritorto* in Provincia *del Frignano*. In Lucenſi Anni 793. occurrit *Monaſteriolum Sancti Quirici in loco La Ferraria*. In teſtamento Almerici Marchionis ſpectante ad Annum 948. occurrit fundus, *qui vocatur due Rovere*, deinde fundus, *qui vocatur Campo de Albaro*, tum *fundus de Termine de Petra*. Ibidem quoque eſt mentio *Corrigii, qui vocitatur de Rovere*.

C In altero autem illius Teſtamento legitur *cum toto Corrigio Rovereti*, ita ut videas illud Italice, hoc autem Latine pronuntiatum. Quæ evidenter oſtendunt, aliam tunc fuiſſe Linguam populo communem, & cum lacte hauſtam, a Latina, qua Tabelliones, prout melius poterant, in conſcribendis publicis contractibus utebantur. Rurſus Agnomina, ſive *Supranomina* veterum conſideranda ſunt, quæ indicare & ipſa poſſunt, qualis eorum temporum Lingua foret. In Charta Audiberti Abbatis Veronenſis Anni 845., quam in Diſſert. XXXI. *de Placitis & Miſſis* evulgavi, memoratur *Lupo, Suplainpunio nominatus*. In hoc Agnomine

D elucere videmus Vulgarem eorum temporum Linguam; is enim, ut conjicio, appellabatur vulgo *Soppia-in-pugno*. Ita in Charta Mutinenſi Anno 918. ſcripta occurrit *Lampertus filius quondam Lemarli, qui ſupranominatur Cavinſacco*, ideſt, ut opinor, *Caput in Sacco*. Ita in Charta Lucenſi Anni 941. habetur *Johannes Clericus, qui Rabia vocatur*. In altera Anni 1073. nominatur *Toca-coſcia*. Uti & ad Annum 905. occurrit in alia Charta *Johannes, qui alio nomine Bracca curta vocitabatur*. Ad Annum 1025 *Johannes Cunza-caſa* in Charta Mutinenſi. Ita alibi *Robatcza*, ideſt *expilans Fœnile*, & *Petrus dictus Cavazocchi*,

E ideſt *effodiens ſubterraneos arborum ſtipites*. Innocentius III. Lib. III. Epiſt. 45. commemorat *truncos arborum, quos ipſi Zoccos, vel Capitones appellant*. Vide & Chartam Anno 1019. ſcriptam, quam edidi in Diſſert XV. *de Manumiſſ.* ibi occurrit *Cacatoſſico filio b. m. Petri Maſſario*. Eadem intelligas ex aliis ejuſmodi Agnominibus. Quod ergo major aut minor barbaricarum vocum & ſolœciſmorum copia deprehendatur in quibuſdam Latinis veterum Chartis, inde factum tantummodo videtur, quod majorem minoremve ejus Linguæ peritiam

tiam ſibi comparaſſent Notarii, non verò quod Vulgarem Linguam adhiberent ad contractus ſcribendos. Sed quo quiſque minus Latini ſermonis tenebat, eo propius ad Vulgarem in ſcribendo accedebat. Quod in Charta Cremonenſi intueri poſſumus, ſcripta Anno 1097. & a me edita Cap. 25. pag. 151. Part. I. Antiqu. Eſtenſ. ubi imperitus Notarius hæc in ſubſcriptionibus addit: *Marchio Alberto filio Opicio de alio Filolo Opicio, & ala* (ideſt *alia*) *mulere Labilia, det pro ſuo avere contrafato de ſuo avere omnia buſco, & Caſtella, & terra, & aqua, & omnia, que erant inter Poyono, & omnes ſervi & franci & omnia que abebat*. Heic habes Tabellionem omnino rudem, qui quamquam hoſpes in ſermone Latii, nihilo tamen ſecius illo utitur, ut aliquo pacto ſua ſenſa exprimat, dilabens propterea in voces ac formulas Linguæ Vulgaris. Neque a me quiſquam expectet, ut prodam, an Sæculo VIII IX. & ſubſequentibus Vulgaris hæc Lingua eadem, exempli cauſâ, fuerit Florentiæ ac Senæ, quæ poſtea illic Sæculo XIII. fuiſſe deprehenditur; & num Neapoli, Romæ, Venetiis, ac Mediolani eamdem homines loquerentur Linguam, quæ ab aliquot Sæculis in iis Urbibus viget. Heic enim quum me monumenta veterum deficiant, obmuteſcere cogor. Petrus quidem Damiani in Opuſc. XLV. Cap. VII. de docto quodam viro Gallo Romæ degente hæc ſcribit: *Scholaſtice* (ideſt, ut opinor, *Latine*) *diſputans, quaſi deſcripta Libri verba percurrit* (neque enim niſi Latine ſcribebantur Libri). *Vulgariter loquens, Romanæ urbanitatis regulam non offendit*. Ergo urbanus & elegans Sæculo IX. videbatur Romanorum ſermo Vulgaris; Sed qualis-ne tunc iſte fuit? Num idem, ac noſtri temporis? Minime credo. Naturam enim ac genium Linguarum conſiderans, quæ ſenſim mutationem patiuntur, veri ſimile reor, Italici Populi Linguam, quo propius acceſſit ad fontes, ſive ad Sæcula Latinitatis, eo minus tum verbis, tum modis dicendi, a Latina matre potiſſimum ſua, diſſenſiſſe; quo verò longius ab ipſa diſceſſit, eo etiam evidentius diſſimilem ſe prodidiſſe, non ſolum quod plurimas voces ab exteris populis manantes amplexa fuerit, ſed etiam quod novum colorem, novas terminationes, novaſque dicendi formulas acceperit. In eum tamdem ſtatum Lingua iſta devenit, quem Sæculo XIII. intuemur, ſed quem longe antea eadem conſequuta fuiſſe videtur, quamquam monumenta deſiderentur præcedentium Sæculorum. Nulla quippe Lingua, niſi per gradus diverſos, animati corporis ad inſtar, ſtatum ſuum attingit, a quo etiam in alium ſubinde perquam facile deflectere poteſt, ſive meliorem, ſive deteriorem, prout eruditorum ſtudia, aut gentis barbaricæ ac rudis commercia, ad eam expoliendam, aut inficiendam conveniunt. Eruditos Germanicæ nationis viros audivi affirmantes, ita ſuam Linguam ab antiqua Sæculi VIII. & IX. diſceſſiſſe, ut vel ipſi Literarum gnari in vetuſtæ illius fragmentis intelligendis aquam ſibi nimium hærere fateantur. In Concilio Liptinenſi habito in Gallia Anno 743. habentur formulæ quædam Teutonicâ Linguâ ſcriptæ. Habetur & Otfridi Evangeliorum Paraphraſis, ut & alia vetuſtiſſima Opera Germanice ſcripta, atque a Schiltero edita, a quibus nimium diſtare videas Germanicam noſtri temporis Linguam.

Et profectò conſideranti mihi naturam ipſam Linguarum, duo obſervanda videntur, quæ certum me faciunt, ipſis Langobardis ac Francis rerum in Italia potitis, aliam a Latina, aut ſaltem plurimum diſcordem ab ea fuiſſe Italicæ gentis Linguam. Uti ſupra animadvertimus, cujuſque Linguæ viventis eſt id proprium, ut in Dialectos varias ſcindatur, nullumque ſit Regnum, immo neque Provincia, in queis etiamſi communem Linguam omnes intelligant, eam quoque ſinguli populi uniformi conſenſu atque ratione loquantur. Mirum, quantum a Calabra Dialecto ac Neapolitana diſſideant Florentinorum, Genuenſium, Mediolanenſium, Taurinenſium. Bononienſium, Venetorum Dialecti. Idem in Gallia, in Germania, in Hiſpania, in magna Britannia, aliiſque regionibus accidere exploratum habemus. Quod nunc manu tangimus, præteritis quoque Sæculis contigerit oportet. In Hebræorum quoque Lingua non eadem omnibus erat Dialectus, ut a ſacris Libris edocemur, & potiſſimum Matth. XXVI. Quum ergo, exempli cauſâ, intuemur Latinam Linguam Sæculo VIII. & IX. adhibitam in publicis Chartis, in Libris, in Concionibus, minime inde excogitandum eſt, eam fuiſſe populi Linguam, ſeu Linguam a populo Italico in communi commercio uſurpatam. Expende eorum temporum Chartas, ſcriptas tam in Campania, quàm in Etruria, Liguria, Venetia, Æmilia &c. Unam audis Linguam Latinam, Solœciſmis ſaturam; neque ulla inſignis diverſitas occurrit inter Linguam Latinam Tabellionum Neapolitanorum, Lucenſium, Mutinenſium, Veronenſium &c. quæ tamen Urbes, uti Linguarum natura nos docet, tunc etiam diverſâ inter ſe Dialecto utebantur. Conſequens igitur eſt, Latinam illam Linguam non ab infantia, magiſtrâ matre aut nutrice, fuiſſe acceptam, ſed a ſtudio aliquo, aut uſu hominum non prorſus illiteratorum poſtea acceſſiſſe. Et quum certo certius ſit, Germaniam quoque, Galliam, Angliam, & alias gentes tunc eâdem Latinâ Linguâ, barbariſmis ac ſolœciſmis multis immixtâ, non ſecus ac Italia, publica conſignaſſe Acta, quamvis populis iis alia plane a Latina foret vernacula Lingua: ita ex quo intuemur omnia Italicorum ſcripta iis Sæculis non alio quam Latino, ac fere pari ubique ſermone expreſſa, continuo cogitandum nobis eſt, aliam a Latina fuiſſe tunc revera vernaculam Italicæ gentis Linguam. Nam ſi Vulgari Lingua uſi fuiſſent, miram diverſitatem loquelæ ſentiremus in Chartis variarum Civitatum ac Nationum, ex varietate videlicet Dialectorum. Itaque ſtatuendum eſt, populum in communi uſu Linguam propriam, propriamque Dialectum ab aliis diverſam habuiſſe, eodemque tempore Notarios, alioſque literarum aliquantulum gnaros Latinam pæne uniformem adhibuiſſe in publicis actis.

Alteram animadverſionem addo. Quæcumque ſit cujuſque populi Lingua, ſive Dialectus elegans aut aſpera, illud experientiâ conſtat, naturalem quamdam Grammaticam ſingulis populis ineſſe ad ſuas cogitationes rite exponendas; ita ut vel rude Vulgus ac Ruſtici indocti, quum loquuntur, minime errent in concordantiis Nominum, Verborum, Temporum &c. Neque enim, dicis cauſâ, femineum adjectivum cum maſculino nomine conjungunt; non plurale verbum aut epithetum cum ſingulari connectunt; non unum tempus pro longe diverſo uſurpant. Atqui in Chartis, etiam Langobardorum Regno vigente ſcriptis, nulla Grammaticæ ratio habetur aut naturalis aut ar-

tifi-

ablativis; numeros diſtinos, omnia inter ſe perturbant. Dum aliquo pacto ſenſa ſua exponant Sermone, qui videatur Latinus, nil praeſtat ut vel ſolidiſſime illaque in Grammaticas regulas peccent, & pejori nonnumquam diſſimetione, quam qui poſtremis hiſce Saeculis ludendi gratia Macharonico ſtilo Poëmata compoſuerunt. Finge tibi aliquem ex vulgo noſtro, literarum penitus expertem, qui tamen Latina verba ſaepe a ſacris Oratoribus, aliiſque literatis viris audivit, conſilium capere loquendi Latine. Loquetur ſane; ſed Soloeciſmis ac Barbariſmis orationem implebit, & Vulgarem Linguam eumdem in modum in Latinam contorquebit, nulli caſuum, numerorum, verborum, nominumque rationi ſervata. Idem ferme actum ab antiquis iis Notariis, quos tamen aliquam Latinis literis operam dediſſe par eſt credere. Scribebant enim, exempli cauſa, *Domno Lothario &c. & Domno Ludovico filio ejus* A *Regem in Italia*, ut ex Charta in hoc Opere mihi edenda conſtabit. In vivente Lingua exſurgeret tanta deformitas nequit. Idem animadvertas in altera hac formula Anno 819. adhibita, ut in Diſſert. XIII. *de Homin. liber.* oſtendi: *Poſt pena compoſita, hec libelli convenientie in ſua permaneat firmitate.* Non abſimilis haec ſubſcriptio in Charta evulgata in Diſſert. XXI. *de Ital. ſtatu. Ego Radeberto Presbitero rogatus ad Aliberto Presbiter mano mea ſubſcripſi.* Huic additam volo Inſcriptionem Veronenſem, quam corrupte Panvinius B & Moſcardus in Hiſt. Veron. tum Ughellius jamdiu evulgarunt, ſed emendatam ad fidem archetypi rurſus protulere Clariſſimi viri Franciſcus Blanchinius, tum Fontaninus in Comment. de Diſco votivo, & demum Marchio Maffejus in Verona illuſtrata. Circiter Annum Chriſti 725. eadem marmore inſcripta fuit.

✠ IN N̄ ΔN̄I IHV̄ XP̄I DE DONIS
SCI JUHANNES
BAPTESTE EDI
FICATUS EST HANC
CIVORIUS SUB TEMPORE
DOMNO NOSTRO
LIOPRANDO REGE
ET V̄B̄ PATERNŌ
DOMNICO EPESCOPO
ET COSTODES EJUS
V̄V̄ VIDALIANO ET
TANCOL PRBRIS
ET REFOL GASTALDIO
GONDELME
INDIGNUS DIACONNUS SCRIPSI

In altera parte lapidis

✠ URSUS MAGESTER
CUM DISCEPOLIS
SUIS JUVINTINO
ET JUVIANO EDI
FICAVET HANC
CIVORIUM
VERGONDUS
TEODOAL
FOSCARI

Fieri non poteſt, ut vulgus, ſi Latinam Linguam tunc retinebat in uſu, in tam enormes ſermonis diſcordias erumperet, qualis ſane ſpectatur in iis verbis: *edificatus eſt hanc Civorium*. Ita in Diſſert. XIV. *de Servis* notas Chronologicas retuli complurium Chartarum Lucenſi in Urbe ſcriptarum ab An. Chr. 736. uſque ad Annum 742. Ibi, ut alia omittam, lege: *Regnante juſſimi Domno noſtro Liutprand & Hilprand vir excellentiſſimis Regibus* &c. In altera *Regnante Domnos noſtros Liutprand & Helprand viri Rex excellentiſſimis Re-* C *gibus* &c. Si haec vernacula Lingua fuiſſet, numquam uno tempore, ac una in urbe tam diſcordes iidem Notarii fuiſſent; ſed quod nunc in corruptioribus Italicae Linguae Dialectis uſu venit, omnes eumdem dictionum ordinem & ſtructuram ſervaſſent. Atque heic binos integros contractus hactenus editis adjungendos accipe, quos ante annos ferme mille in membranis authenticis ſcriptos ac adſervatos vidi in eximio Archivo ſupra laudati Archiepiſcopii Lucenſis.

Oblatio aliquot fundorum facta a Sichimundo Archipresbytero Eccleſiæ Lucenſi Sancti Petri, Anno Ch. 740.

IN Dei nomine regnante Domnos noſtro Liutprand, & Helprand Deo juvante regibus Anno Regni eorum Deo propitiantem XXXIII. *& Quinto Menſis Februarii per Indictione Octava feliciter. Sichimundus venerabilis Arcipresbyter tibi Eccleſia Dei adque Beato Sancto Petro patrono meo p. p. ſal. di. Dum enim vel ſi indignum Sichimund ex infantia devotus deſiderans Domino Jeſu Chriſto vel ejuſque liminibus prumtis queam modo deſerbire unacum ejus clementia tractavi ut de parvis rebus ſubſtantiola mea vel adquiſitulo me quamvis in modico meo ante tribunal eterni Judicis ſalvare poſſim. Odie in Dei nomine ego qui ſupra Sichimund Arcipresbiter per hanc dotis titulo offero Deo adque Beatiſſimi Sancti Petri, ubi ego quamvis indignus ex infantia deſerbire viſus fui, ideſt parte meam de Caſa hic prope Silice ubi cummanire videor, cum ſolamento vel cum omnia adjacentia ſua, cum movile vel immovile, ſeeo ſemoventibus, omnia uſitilia alia, ſcherpa meam tam pannis, eramen, vel auricalco, codicis, vel omnia quidquid in meo dominio eſſe videtur, tam horto, fenile, Caſas maſſaricias cum omnia* A *ad ſe pertinentem, cum familias ſuas, cum territuriis cultis & incultis, quod a me ubique pertinere videtur, ſimol & terra vaccua hic prope Civitate, meam vinea, cum ſilvis vergariis, caſtanetis cultis & incultis movilia vel inmovilia, ſerbis, vel ancillas, omnia & in omnibus que ex . . . . . . parenti advinet, ſeo quem per qualivet . . . . . . cunquire potui. Similiter & res illas qui fuet quondam Find . . . . . . advinet per conjuge mea Auria tam Caſes, terra, vinea, oliveta cultis & incultis, omnia & in omnibus jam dixi &c. Et poſt tranſito vero meo ſi quod ſuperius in eodem tenure poſſedeat ipſa* B *ſancta . . . . . . & Sacerdus qui ividem deſerbieret pro me Dominum exorare diveat, & luminaria Sanctorum Dei faciat, & Miſſarum &c. & Gaudentius quamvis indignus Presbyter ſcrivere rogavi, & ſubter ſigna ſancte croci feci &c. Actum Luca, Regnum, & Indictione ſupraſcripta feliciter.*

Ego Sichimund venerabilis Arcipresbiter in hac facta Domino & Sancto Petro ſicut ſuperius legitur propria manus mea ſubſcripſi & firmavi.

Charta venditionis factæ Tanualdo Presbytero a Cauſulo honorabili viro Lucenſi, Anno Ch. 746.

IN nomine Domini Dei noſtri Jeſu Chriſti regnante Domno noſtro Ratchis Rege Anno feliciſſimi Regni pietati ejus Tertio, in medio Menſe Decembrium, per Indictione Quintadecima feliciter: Conſtat me Cauſulu v. h. filius quondam Radualdi hac die vendediſſet, & vendedi, tradediſſet, & tradedi ſecutis in preſentia teſtibus qui ſupter preſente chartula ſuvſcruturi ſunt propriis manibus meis contradedi tibi Tanualde venerabili Presbitero de beato ſancto Regulu ter parti in Teutpaſcu, qui vocatur Terſuarius---Caſa, Terra, Vineis, cultu, vel incultu, Silvis, & paſcuis, quo dixi, que ad me, vel duis germanis meis pertinet, exceptu quarta parte quen tenu filiis quondam Radiperti; nam alia res omnia tibi vendere viſus ſum ipſe tres parti que ad me pertene tibi in integro vende viſus ſum unde ſuſcepi ego pro ipſe tres partis auris ſolidas nomero dexem & octo in fenitum & deliveratum capitulu, ita ut de meo exivet dominio in tua trado eſſe poteſtate vendedi derelinquendi quiquid de ipſas res agere, facere, vel judicare volueris in tua ſet poteſtate, & neque ego heredi meus aliqua tibi generaret moleſtias, & quod fieri non credo, nec fiat ſi ipſa res ego aut meus heredis tibi in antea ficero, aut de qualivet homine non defenſavero, iſpondeo ego qui ſupra Cauſulu v. h. vel meus heredis componiturus tibi Tanualde venerabili Preſbitero vel ad ſuſceſſoris tuo in duplum, ipſa ſupraſcripta res de quod agitur meliorata. Quam venditionis chartula Aldipert amico meo iſcrivere rogavi. Actum Luca finibus Maſſa, Regnum & Indictione ſupraſcripta feliciter.

Signum ✠ manus Cauſulu v. h. vendituri, & tradituri.

Signum ✠ manus Ratpert u. D. Soceru ejus teſtis.

Signum ✠ manus Tuirepert u. D. filius quondam Arichis teſtis.

C *Signum ✠ manus Elprandi u. D. teſtis.*

Signum ✠ manus Rechuli u. D. filius quondam Vitaliani teſtis.

Signum ✠ manus Bonari u. D. filius quondam Auſadi homo Piſanus teſtis.

Ego Aldipert u. D. iſcripſi & poſt tradita complevi & dedi.

Ne propera, quæſo; ſed ſigillatim verba, conſtructionem, concordantias, & reliquam faciem Latini hujus ſermonis perpende. Ego ex hoc corruptiſſimo ſtilo nullam dicendi formulam vitiatam repetere volo, ſat ratus, quemque ſuopte ingenio agniturum quod ſupra in- D nuebam. Videlicet fieri non potuiſſe, ut ejuſmodi Lingua in uſu populi foret, quum nihil Grammaticæ præferat, qua tamen carere nullam viventem Linguam antea ſtatuimus; atque adeo reliquum eſſe, ut opinemur, Notarios coactos ſecundùm morem Latinis literis, quarum imperiti erant, contractus ejuſmodi ſcribere, prout potuere, hoc eſt tot Solœciſmis ac Barbariſmis uſos, & confuſâ fœdiſſime Vulgari Linguâ cum Latinâ, munere tamdem ſuo, ſed perquam infeliciter, functos fuiſſe. Atque ita rem ſe habuiſſe, & Linguam adeo corruptam familiarem populo, uſitatamque minime E tunc fuiſſe, evidentius intelliges, ubi multas ex his antiquiſſimis Chartis ſimul componas. Quoties hæc in iis materna Lingua fuiſſet, ipſiſſimæ dicendi formæ, eademque plane ſtructura, hoc eſt iidem errores in ſingulis iis Chartis occurrerent; neque enim, exempli cauſsâ, viginti Mediolanenſes Notarii contractum unum vulgari ſuâ Dialecto ſcribentes, inter ſe nunc diſſentirent, quod eſt ad naturalem Mediolanenſis Linguæ Grammaticam atque ſyntaxim. Verum in vetuſtiſſimis Chartis cujuſcumque Civitatis Notarii nulla lege Grammaticæ utuntur; nulla inter eos ſtata dicendi

&

& conſtruendi forma ſubſecuti, exceptis ex Loquutione delendis, quæ plerèque communia erant. Atque adeo unuſquiſque monſtra verborum, peculiaremque ſtructuram deformem ex accipiens ſuo more procudebat, imperitiamque prodens Latini ſermonis, quam identidem ſupplebat, verba, phraſes, & ſyntaxim a Vulgari mutuatus. Hæc ſunt, quæ tandem arbitrari me cogunt, jam ante mille annos aliam in Italia fuiſſe vulgi Linguam a Latina. Et fortaſſe hæc ipſa conſideratio ſupervacanea non ſit in earumdem examine Linguarum, ſi vetuſtiora etiam Sæcula reſpicias.

Dein non temerè, varias fuiſſe vel antiquis Sæculis Dialectos in Italia, in quas adhuc paſſim incurrimus, ita ut vix ulla Civitas ſit, quæ aut pronunciatione, ſonitu accentuum, vocum terminatione, vocabuliſque peculiaribus ab altera non diſtinguatur. Dialectus quoque unius Provinciæ ab alterius ſenſibiliori modo diverſa eſt, atque interdum diſſimilitudo tanta eſt, ut ſint quædam in Italia Dialecti, quas vel ipſi Itali aliarum Provinciarum, quamquam communi Linguâ utentes, nedum exteri, qui huic Linguæ operam dedere, difficile intelligant. Hoc potiſſimum in Genuenſium, aliorumque Ligurum ſermone experientia docet. An idem contingat in variis Germaniæ Provinciis, & Galliæ, & Hiſpaniæ, in quibus certe non minus quam in Italia Dialecti abundant, norunt ii, qui propius rem perpendere potuerunt & poſſunt. Quod novi, tanta minime fuit in Græcorum Dialectis diverſitas. Sed quales forent, florente Romanorum Republica in Italia Dialecti, & quo tempore, & quomodo tam varii unius Linguæ modi apud Italos invaluerint, & quæ cauſſæ tantam pepererint ſermonis varietatem, inveſtigare quidem cuicumque licet, decernere autem rite nemo poſſit. Ingenioſa tamen mihi viſa eſt ſententia ſupra laudati Marchionis Maffeji in inſigni Opere Veronæ illuſtratæ, qui, ut oſtendat, Gallis Cœnomanis, Brixiæ ante Romanos dominantibus, nil juris ac ditionis fuiſſe in Veronenſes, Henetorum ſive Venetorum ſobolem, animadvertit, Dialectum Veronenſem, Vicentinæ & Patavinæ perſimilem, a Brixiana adhuc nimium differre: id quippe indicium eſt, diverſos populos antiquitus in iis regionibus conſediſſe, *certa coſa eſſendo*, ut is inquit, *che i noſtri e diverſi Dialetti non altronde ſi formarono, che dal diverſo modo di pronunziare ne gli antichi tempi, e di parlar popolarmente il Latino*. Sternit utique animadverſio hæc viam ad intelligendum, cur populi Italici ab Alpibus Grajis & Penninis uſque ad Brixianorum fines, & demiſsâ Veronâ, per Regium, Mutinam, Ferrariam, & Bononiam pæne uſque ad Ariminum in ſua quiſque Dialecto vocabula pleraque brevient; & quæ Tuſci, ceterique ferme populi uſque ad fines Italiæ vocali concludunt, ipſi per conſonans terminare conſueverint. Etenim Galli ante Romanos dominationem ſuam uſque ad Ariminum protendebant; ac propterea uti etiam nunc Galli *Noſtre*, *Autre*, atque horum ſimilia, ſuppreſſo E. finali pronuntiant, ita Mutinenſes, Bononienſes, aliique hujuſce tractus populi pronuntiant *Noſtr*, *Altr* &c. & Mediolanenſes *Olter*, Gallicum AU. in O. convertentes. Hæc tamen difficultatibus non paucis obſita mihi creduntur. Quæri quippe poſſet, cur Etruſci, qui olim ante Gallos late dominati ſunt cis Apenninum, ita ut Felſina, nunc Bononia, Etruriæ caput haberetur, non eum in hiſce regionibus impreſſerint pronuntiandi modum, quem ultra Apenninum retinent; hunc autem ſi impreſſere, quem novi hoſpites Galli ſuſtulerint; neque poſtea Romanis rerum dominis poſt Gallos obtigerit Gallorum pronuntiationem delere, uti antea Galli de Etruſcis fecerant; & præcipue quum tot Romanorum Coloniæ in Urbes Galliæ Ciſalpinæ deductæ fuerint. Deinde exploratum eſt, per univerſam Italiam, Galliam, & Hiſpaniam propagatum ita fuiſſe Latinæ Linguæ uſum, ut non docti tantum viri, ſed & plebs, & ruſtici denique omnes eamdem uſurparint. Si ſtatuimus, vel primis Sæculis Romanæ dominationis, Dialectos pro more Gallorum veterum heic invaluiſſe, & vocum compendia, ac terminationes jam tum auditas, quales nunc habemus: Vulgarem noſtram Linguam vel ipſis iis Sæculis aliquo pacto admittere cogeremur: quod ſane excogitare & credere nemo velit aut poſſit. Si verò Latinam Linguam jam per populos Ciſalpinæ Galliæ propagatam, & olim florentem, admittimus ſenſim corruptam ab indocta & ruſtica plebe: conſequens eſt, non ex primævis regionum iſtarum habitatoribus ſed aliis ex cauſſis proceſſiſſe varietatem Dialectorum, quæ nunc vigent. Verum heic prorſus cæcutire me lubenter fateor; & quamquam certum putem, Lombardicarum Urbium Dialectos ad morem Gallorum & Septentrionalium populorum fuiſſe compoſitas: incertum tamen arbitror, num Langobardis, & ſubſequutis Francis, & Germanis heic olim dominantibus, an antiquorum Gallorum poſteris tribuenda ſit tanta Latinæ Linguæ in hiſce partibus corruptio ſive mutatio. Idem quoque dicendum de Veronenſium Dialecto. Fortaſſe quod iis longe frequentius quam Brixianis commercium foret cum inclyta Venetiarum Urbe tum propter Atheſis uſum, tum ob majorem vicinitatem, & præſertim poſtquam in Sereniſs. illius Reipublicæ ditionem tranſiere, eadem quæ Venetiis forma loquendi adhæſit. Venetus verò populus, quod numquam Italici Regni pars fuerit, neque Langobardis, Francis, & Germanis umquam paruerit, dulciorem & cultiorem loquelam, quàm apud Lombardos, Latinæ tamen filiam, ad noſtra uſque tempora ſervavit. Verùm repeto, quum nos heic veterum monumenta omnino deficiant, inter tot tenebras hariolari nos facile poſſe, certam contingere veritatem difficillimum fore.

Porro, ut unde digreſſus ſum, revertar, animadvertas etiam velim, Chartas ante annos nongentos & mille ſcriptas pluribus ſcatere plerumque erroribus, quam ſcriptæ poſt Sæculum X. quum tamen credere cogamur, Vulgarem Linguam exempli cauſsâ Anno 1050. longius a Latina receſſiſſe, quam Anno 740. Eccur quæſo? Niſi quia poſt Annum Chriſti 800. Scholis reſtitutis major cura Latini ſermonis fuit, non quod Notarii in Chartis tunc adhiberent Linguam vulgi. Atque heic quæſo accipe, quanta Latinæ Linguæ peritia foret in aliquot Lucenſibus Epiſcopis Sæculo Chriſtianæ Salutis Octavo. Vetuſtiſſimam pergamenam vidi in ejus Eccleſiæ Tabulario hiſce verbis ornatam: *Regnante D. N. Liudprand viro Excellentiſſimo Rege, Anno Regni ejus ſeptimo, menſe Decembrio, per Indictione Secunda* (videlicet Anno Ch. 718. verbis ex Formulario acceptis) *feliciter*. *Urb* (ideſt, ut opinor, *Venerabilis*) *Taleſperianus gratia Dei Epiſcopus Maurino Urb Acolatus famulo & ſervienti ſuo perpetuam*

petuam ſalutem . Quoniam bene ſervientium opſequia dignum ſemper remunerationem ſublevare deveator , & mercidis mea vacua eſſet , non dives &c. confirmamus in ti Baſilica Beati Sancti Proſperi Martheris ſita in loco , qui dicitur Interaccole &c., ſicut jam antea a bone memorie quondam Marino Genituri tuo ceſſeramus &c.

Ego Taleſperianus umilis Epiſcopus ubic Cartule donationis facta in famulo meo . . . . propria manus mea ſumſcripſi .

Ego Walprand in Dei nomine Epiſcopus in hanc Cartula donationis facta in Maurino a Domno Taleſperiano anteceſſori meo , poſteas mihi relecta eſt , cum conſenſo de Sacerdotis , provria manus meas ſuſcribſi & confirmavi .

Ego Oſprandus Diaconus ex autentico exemplavi , nec pluraddedi , nec menime ſcribſi .

Ego Peredeo in Dei nomine Epiſcopus qualiter . . . . Maurino Pbro Cartula donationis de Eccleſia Sancti Proſperi , quem facta fuerat a quondam Domno Taleſperiano , & ipſa Cartula fecimus relegere & exemplare &c. Anno Domni Deſiderj . . . . Kal. Januaria , Indict. Undecima. Fortaſſe miraris inſcitiam Epiſcoporum ævi illius . Sed mirari deſine . Una cum Lingua Magiſtri quoque optimi Linguæ Latinæ perierant . Satis tunc fuit tincturam ejus aliquam poſſidere . Cogita feminas Lombardas noſtri temporis, quæ aliquam ſcribendo operam dederint , nullam vero aut exiguam puræ & communi Italicorum Linguæ. Scribunt quidem , & Italice quantum poſſunt ſcribunt , ſed in Grammaticam , Ortographiam , ipſamque Linguam paſſim peccant . Neque ipſa Roma temporibus iiſdem immunis abiit calamitate ejuſmodi . Vide Paſchalis I. Papæ literas pro Eccleſia Ravennate ad Petronacem Archiepiſcopum , editas Par. I. Tomi II. Rer. Ital. ac datas Anno 819. (ſi tamen pro certo ejus temporis monumento excipiendæ ſunt ; mihi enim ſuſpicionem creat illa ipſa tanta barbaries , & Annus Lotharii nondum a Pontifice coronati) unde haurias , quæ Latinæ Linguæ vel apud Literatos , ac in ipſo Latinitatis ſacrario , conditio foret . Ipſam quoque rubiginem deprehendimus in Epiſtolis Codicis Carolini , aliiſque eorum Sæculorum literis ; plura tamen deprehenſuri , ſi autographa ſub oculis adhuc haberemus , neque antiqui Librarii , aut noviſſimi , qui typis æneis veterum monumenta deſcripſere , nimiâ licentiâ , non qualia erant , ſed qualia ipſi emandanda cenſuerunt , nobis ea dediſſent . Surius præcipue heic eruditorum calculo damnatus eſt in Sanctorum Actis edendis , a cujus imitatione ſapienter abſtinuerunt ac abſtinent doctiſſimi Patres Soc. Jeſu Antverpienſes in inſigni ſua eorumdem Actorum collectione . Celeberrimum autem eſt Romæ Triclinium , *in Patriarchio Lateranenſi*, ut Anaſtaſius ſcribit, conſtructum a Leone III. Papa circiter Annum Ch. 798. Ejus picturam , ſive Muſivum habemus apud Alemannum in Diſſertat. de Lateran. Parietin. Cap. 12. , & apud Pagium in Crit. Baron. ad An. 796. Ibi imago Sancti Petri , ad cujus pedes genubus flexis ſpectantur Leo Pontifex , & Carolus M. Francorum Rex , nondum Auguſtus . Si Alemannum audimus, Inſcriptio hæc ibi legitur : BEATE PETRE DONA VITĀ LEONI PP. Ē BICTORIAM CARULO REGI DONA . At Vir Clariſs. Johannes Ciampinius, Par. II. Cap. 21. Veter. Monum. accuratiſſime pro more Muſivum illud delineatum nobis exhibens , ita Inſcriptionem illam exhibet :

A *Beate Petrus dona vita Leoni PP. e Bictoria Carulo Regi dona .* Si hæc ita illic ſe habent , Italicam , ſive Vulgarem Linguam ſentis . *Dona vita , e dona victoria.*

Itaque ſenſim Italicæ gentis Lingua olim immutabatur , eoque longius in dies a Latina recedebat ; & quamvis in decentem ſtatum denique deducta per populi ora decurreret , pergebant nihilominus Literati ac Notarii omnes Latino ſermone uti , ſive Hiſtorias , ſive Acta publica , & Civium contractus , ſive Artium, Scientiarum , ac Religionis monumenta literis mandarent . Veneratio hæc debita credebatur Linguæ nobiliſſimæ, quam Eccleſia Romana , immo & univerſa Occidentalis , in divinis My-
B ſteriis retinens quodammodo ſacraſſe videbatur . Accedebat & altera magni ponderis prærogativa , qua adhuc etiam eadem Lingua fruitur, nempe familiarem fuiſſe & communem reliquis Europæ cultioribus populis , ita ut qui Latine ſcriberet , ſua ſenſa non tantum ceteris Literatis Italiæ , ſed etiam gentium exterarum Latini nominis intelligenda efficeret: quod nulli Vulgarium Linguarum contingebat , & porro neque noſtris temporibus contingit. Si quando vero Epiſcopi ſermonem in Eccleſia habebant , Latine adhuc ſuo munere fungi conſuevere , niſi quod apud aliquos mos invaluit ſubinde explicandi populo Latinam orationem per vernaculam Linguam . In Antiqu. Eſten. Par. 1.
C Cap. 36 pag. 356. evulgavi ego conſecrationem Eccleſiæ Monaſterii Eſtenſis de Carceribus , factam Anno 1189. Tunc ad populum Homiliam habuit, & quidem Latinam , Godefridus Patriarcha Aquilejenſis, quam e veſtigio Patavinus Epiſcopus Gerardus maternâ Lingua adſtanti populo expoſuit . *Cum prædictus Patriarcha* (ita in Actis iis legitur) *Litteraliter ſapienter prædicaſſet , & per eum* (ideſt pro eo) *prædictus Gherardus Paduanus Epiſcopus Maternaliter ejus prædicationem explanaſſet , & populum ibi ſtantem amonuiſſet &c.* Atque ita Latini ſermonis honor illæſus adhuc nimiâ fortaſſe religione ſervabatur . Interea hinc exſurgere videtur , quid cogitandum ſit
D nobis , quoties in ſacros Sermones , aut Epiſtolas ſcriptas poſt Annum Milleſimum incidimus . Ea Latine ſcripta ſunt . Quei populus illorum ſenſum aſſequebatur, ſi in Latio hoſpes erat ? Quei , exempli cauſsâ , Petrus Damiani Epiſtolas Latinas ſcribit *ad Sororem ſuam* , ad quaſdam Virgines ſacras , aliaſque Feminas , niſi & iſtæ Latinum ſermonem noviſſent ? Sed reponendum eſt , Sermones ad Populum aut habitos maternâ Linguâ ; aut ſi Latinâ , explicatos continuo fuiſſe Vulgari . Epiſtolas vero Latinas ad eos tantum datas , qui Latii Linguam callerent , eique muliebrem quoque ſexum olim operam dediſſe . Habemus etiam Sermones Latinos Sanctorum Franciſci , An-
E tonii , Bernardini , ac aliorum , tunc certe recitatos , quum unam Vulgarem Linguam populus intelligeret , eâque uteretur . Habemus & Literas Petrarchæ, aliorumque Latinas ad ea ipſa tempora ſpectantes . Harum ſenſum qui Latine docti erant , intelligebant ; qui minime , interpretem quærebant . Verum tanta religio in adhibendo ſermone jam antiquato , & compedes , quas tamdiu ſibi imponi paſſæ fuerant Occidentis nationes , tamdem fracti fuerunt , ſive quod ignorantia Latini ſermonis homines ad uſurpandam quoque in ſcriptis Vulgarem impulerit , ſive potius , ut puto , quod intellexerint homines , hanc etiam

ſpecioſam eſſe, & commendationem, atque utilitatem, tum commendationem cogitationem, & ingenio vires, ut liberalem ſtudiorum. Johannes Marius Creſcimbenius, qui originem, & progreſſionem Italicæ Poëſeos Commentariis ſuis illuſtravit, in eam ſententiam inclinavit, Italicam Linguam, vel ſub Friderico I Auguſto, hoc eſt Sæculo XII. cœptam uſurpari in ſcriptis. Sed nullum certum teſtem hujuſce opinionis affert. Afferam ego quatuor verſus, qui in Muſivo Tribunæ veteris Cathedralis Ferrarienſis ad noſtra uſque tempora legebantur. Eos autem, antequam Templum illud novam formam acciperet, collegit, & publici etiam juris fecit Cl. V. Hieronymus Baruffaldius nunc Centi Archipresbyter in Præfat. ad Poëtas Ferrarienſes; atque in Tom. VI Opuſculor. P. Calogeranii eoſdem legas.

Li Mile cento trenta cinque nato
Fo queſto Templo a Zorzi conſecrato
Fo Nicolao ſcolptore
E Glielmo fo lo autore.

Si eodem Anno inſcripti fuere hi verſus (quod præſtare ego nolim) habes antiquum Vulgaris Linguæ fragmentum. Ad hæc negari certe nequit, quin ſpectet ad Annum 1122. Charta, quam Ughellius protulit Tom. IX. Ital. Sac. in Archiep. Roſſanen. Ibi fines quorumdam Caſalium hiſce verbis decernuntur, quamquam non ſatis accurate e membrana deſcriptis: *In primis de li Fenudi, & recte vadit per Serram Sancti Viti; & la Serra ad hirta eſce per dicta Serra Gramino; e li fonti aqua trondente traverſo Terilliana; e eſce per dicte fonte a lo Vallone de Urſara; e lo Vallone Apendimo cala a lo fiume, & per dicta flumaria ad hirto* (Scribendum puto *a dhirito*, *a dritto*) *ferit a lo Vallone de li Canteli; & predicto Vallone ad hirto eſce ſupra la Serra de li Palumbe a la Criſta cuſta; & deinde vadit a lo vado dritto da Thomente; & dicta Eccleſia Sancto Andrea abe ortare unum, & non aliud. Et dicta Serra Apendimo cala a lo Vallone de Donna Leo; & lo Vallone Apendimo ferit a la via, che vene ad Santo Jorio, & volta ſupra l'ara de li Meranini, & ferit a la Gomara de li Latini &c.* Quid? quod Commentarios ſuos in Dantis Comœdiam adhuc MSos concinnabat Benvenutus de Imola circiter Annum 1385. At is ſcribit, *ante ducentos Annos*, hoc eſt circiter Annum 1185. cœptam eſſe adhiberi in Rhythmis, hoc eſt a Poetis, Italicam Linguam. Saltem extra controverſiam eſt, invectum fuiſſe Vulgaris Linguæ uſum Sæculo XIII. ſubſequenti, quo ſe nobis objiciunt complura monumenta literis Italicis conſignata. Senenſis olim Urbis decus Hubertus Benvoglientus omnium antiquiſſimam proſam orationem Linguæ Italicæ, quam ipſe viderit, indicavit mihi, Epiſtolam ſcilicet An. Ch. 1253. ſcriptam, quæ in Senenſis Civitatis Chartophylacio adſervatur. Hanc producere juvat, orthographiâ, qualis ibi eſt, nihil immutatâ. Inter cetera vide, quam parum ſolicitus eſſet Scriptor de geminandis literis.

Epiſtola Tuti Henrici Accattapane ad Rugerium de Bagnolo pro Conrado Romanorum ac Siciliæ Rege Capitaneum populi Senenſis, Anno 1253.

A Voi Miſere Rugiero di Bagnuolo per la grazia di Dio e di Domino Re Currado Capitano del Comune di Siena Tuto Arrigo Accattapane vi ſie va racomandando. Contio vi ſia, che io ſono in Peroſcia e giunſivi giovedi due die entrare ottobre con una grande quantitade di Cavaieri della Valle di Spuleto e delle Contrade di Loruſcio e quando giunſi in Peroſcia ſi vi trovai Aldibrandino Guinizelino, unde ſapiate che io me ne voleva venire coi detti Cavaieri per chello che io volea eſſere in Siena colloro innanzi voi per vedervi e perche voi intendeſſte i pati che ſono di me e dalloro anzi ch ellino vi ſerviſſero, i quali pati apaiono per carta a mano di Notaio; unde io facio contio che i pati ſono cotali ch ellino vi deano ſervire a voſtra volontà di die di notte con buoni cavalli boni di trenta 8 e di più e bene armati come Cavaieri & anno impromeſſo ſelli verra neuno che non piacia che li vi deano ſatisfare e di cheſto avemo di catauno buone ricolte e rendere c. dinari colla pena del dopio impero io facio contio che io me ne ſarei volentieri venuto colloro Mildebrandino Guinizellino ſi mi diſſe da voſtra parte ch io non mi partiſſe di Peroſcia anzi vi rimaneſſe per fermare i Cavaieri delle Contrade, e diſemi che allui conveniva andare a Cortona per fare la ſicurtà a i Cavaieri di Cortona; und io volendo obedire lo ci ſono rimaſo e ſtando me in Peroſcia il detto Giovedì a ſera ſi ci gionſero Abaſciadori di Radicaſano cadauno a Domino Papa a caſcione de la preda che tolta l'avete, incontanete ſi fece un Meſo e mandandolo la note a Bonifazio ad Aſiſi, e mandalili dicendo perchelli ne fuſe più ſavio, e averevi penſato che da fare ne fuſe anziche gl Abaſciadori giogneſero innanzi Domino Papa. Cheſti di ſoto ſono i nomi de Cavaieri, che vi mando.

Subſequuntur Equitum nomina, quæ omittenda cenſui. Superſunt & alia ejuſmodi monumenta. Sed & ex iis pleraque etiam periere. Galvaneus quoque Flamma Ord. Præd. in Manipulo Florum, quem evulgavi Tom. XI. Rer. Ital. meminit ad Annum Chriſti 1288. *Bonviſini de Ripa Fratris Tertii Ordinis, qui Chronicam de magnalibus Civitatis Mediolani compoſuit*. Eumdem quoque commemorat in Chronico Majori nondum edito. At iſte *multa Vulgaria compoſuit*, uti fidem facit ejus Epitaphium, quod Mediolani in Cœnobio Fratrum Minorum Conventualium Sancti Franciſci olim ego legebam. En ejus verba:

HIC

HIC JACET FRATER BONVICINUS DE RIPA
DE ORDINE TERTIO HUMILIATORUM
DOCTOR IN GRAMMATICA,
QUI CONSTRUXIT HOSPITALE DE LEGNIANO,
QUI COMPOSUIT MULTA VULGARIA,
QUI PRIMO FECIT PULSARI CAMPANAS
AD AVE MARIA MEDIOLANI ET IN COMITATU.
DICATUR AVE MARIA PRO ANIMA EJUS.

Sed primo Rhythmis, ſive verſibus, nunc *Rime*, Italica Lingua uſurpari cœpta eſt, ac ſenſim deinde & proſâ oratione. Anno 1260. Hiſtoriam ſuam Patavinam literis conſignabat Rolandinus, quam habes Tom. VIII. Rer. Italic. In Prologo animadverte hæc illius verba, qualia ſuppeditavit mihi Codex MStus Bibliothecæ Eſtenſis. *Forte non erit inutile, vel delectabile minus aliquibus, & præcipue Literatis id, quod de modernorum injuriis, & laboribus ſcriptum per Latinum invenient, quam quod de geſtis Nobilium antiquorum audiunt per Vulgare, quod Dirimatum vulgò dicimus, & Romanum.* Heic ſermo *Dirimatus* idem eſt atque *Rhythmicus* vulgaris, *di Rime compoſto*. *Romanus* vero, qui nunc *Romanzo* appellatur. Fabuloſæ enim Hiſtoriæ a Francis conſtructæ affluebant, in quibus *geſta Nobilium*, ſive *de' Paladini, e dell' antica Cavalleria*, narrabantur. Potiſſimum vero ad uſurpandum in ſcriptis Italicum idioma gentem noſtram fuiſſe adductam puto finitimarum exemplo, hoc eſt *Provincialium*, *Corſorum*, atque *Sardorum*.

Ad primos quod attinet, exploratum eſt, Poëtas Provinciales, quorum Vitas Noſtradamus edidit, & ſupra laudatus Creſcimbenius Italico cælo donavit, vernaculâ ſuâ Linguâ uſos in conficiendis verſibus plerumque Amatoriis. Per hos autem multam ſibi peperere ingenii famam, ita ut per ipſam Italiam ingenti celebritate nominis eorum Poëmata ferrentur. Porro, ut arbitror, intra Annum 1100. & 1254. floruere præcipui ex iis Poëtis; adſervat enim Bibliotheca Eſtenſis membranaceum Codicem, magni ſane æſtimandum, in quo copioſiſſima ſylloge Provincialium Cantilenarum habetur. Et ſcripti quidem Codicis tempus ex epigraphe præfixâ, ac minio exaratâ, colligitur: *In Jeſu Chriſti nomine. Anno ejuſdem Nativitatis Milleſimo duceteſimo quinquageſimo quarto, Indictione duodecima, die Mercurii duodecimo intrante Auguſto. Hæc ſunt nomina omnium repertarum Cantionum iſtius Libri*. Tum adferuntur priores verſus cujuſque Poëmatis ſub ſuo Auctore. En priorum Poëtarum nomina *Peire d'Alvergne*, *Peire Rogier*, *Zirald de Borneill*, *Azemar*, *Bernard de Ventador*, *Peire Vidal*, *Ganſelm Faidiz*, *Arnald de Marvoill*, *Folchet de Marſella*, *Arnaut Daniel*, *Bertrans de Born*, & ceteri, quorum nomina ad 113. aſcendunt. Subſequitur alter Catalogus hiſce verbis: *Hæc ſunt inceptiones Cantionum de Libro, qui fuit Domini Alberici, & nomina repertarum earumdem Cantionum*. Occurrunt heic præter ſupra memoratos alii non pauci Poëtæ. Deinde additur tertius Catalogus cum hoc titulo: *Iſte ſunt Cantiones Francigene*, hoc eſt, ut ſupra diſſeruimus, Gallico ſermone contextæ. Inter Italicos autem primi Siculi Vulgarem noſtram Linguam Poëmatis ornare cœperunt: quæ felix audacia reliquos Italiæ Poëtas, ac præcipue Etruſcos, ad idem præſtandum brevi induxit. Uti jampridem ego animadverteram Lib. I. Cap III. de Perf. Poëſi Ital. teſtatur Franciſcus Petrarcha, Siculos in ejuſmodi ſtudio præceſſiſſe reliquis Italis, & dubium relinquit, num ii a Provincialibus, an Provinciales ab ipſis mutuati fuerint uſum Linguæ, ac Poëſeos Vulgaris. Sunt qui illum in ejuſmodi opinione deceptum putant, aut aliud ſonare illius verſus. Ego rem in medio relinquo. Eruperunt ergo per varias Italiæ Urbes Poëtarum examina Sæculo XIII. quorum fœtus Leo Allatius, atque ante eum Junctæ Typographi typis tradidere, e quibus nonnulli invitâ Minervâ Parnaſſum intravere, alii vero egregiis coloribus Poëſim expreſſerunt, donec Florentinorum præſertim Poëtarum curâ, Italica Poëſis ad inſigne decus aſſurrexit, quod Ingenia Italicorum augere in dies pergunt.

Sardorum quoque, & *Corſorum* exemplum memoravi, Vulgari ſua Lingua utentium, utpote qui Italis præiviſſe in hoc eodem ſtudio videntur. Anno 1164. a Friderico I. Auguſto Baraſo Arboreæ in Sardiniam Judex Regium titulum eſt conſequutus, teſte Morenâ, Chronico Piſano, atque aliis: unde ſubſequuta ſunt gravia bella inter Genuenſes, & Piſanos, uti Continuatores Caffari in Annal. Genuen. Tom. VI. Rer. Ital. fuſe ſcribunt. Eo autem regnante, Archiepiſcopus Turritanus privilegium Caſinatibus Monachis eſt elargitus, quod ex Archivo celeberrimi Caſinenſis Cœnobii accepi.

Alberti Archiepiſcopi in Sardinia Turritani Charta vernaculo ſermone conſcripta, qua Monaſterium Montis Caſini eximit ab onere quorumdam cenſuum, Anno 1170.

AVvaliente Domino noſtro Jeſu Chriſto, & intercedente pro nobis Beata Virgine Dei Genitrice Maria, & Beato Sancto Petro Apoſtolo, & Beato Sancto Gavino, Protho, & Januario Martyribus Chriſti, ſub quorum protectione & defenſione gubernatos nos credimus eſſe ſalvatos. Anno Domini Milleſimo Centeſimo Septuageſimo: Ego Albertu Monachu Archiepiſcopo de Turres ki gla fhato cuſta Carta pro ca mi pregait ſu Abbate de Monte Caſinu Donno Raynaldu pro indulgere li ſus cenſu, ki daven ſos Priores de Nurr ki ac Sanctu Gavinu pro Sancte Jorgi de Baraggie, & pro Sancta Maria de Fenor una libra de argentu, & viginti ſolidos de dinares, Kandonke bennist ſu Miſſu deſſu Papa, & levarende deſſu ki aviat Sanctu Benedictu in Sardinia. Et ego Puſco Tor ſive Namina in Sardinia petuli boluntate aſſu Donnu meu a Judike Barruſone de Laccon, & a Donnu Joanne Sarga Epiſcopo de Sorra, & a Donnu Coſtantine de Lella Epiſcopo de Plovake, & a Donnu Attu Epiſcopo de Caſtra, & a Donnu Zaccaria Epiſcopo de Otha, & a Donnu Joanne Thella Epiſcopo de Griſarda, & a Donnu Goffredu Epiſcopo de Boſa, & a Donnu Agoſtine Arkupreste de Sancto Gavino, & a totu ſos Calonicos, & ad iſſos par vitilis bene ſuar carente reſtauramentu Sancto Gavinu, & indulgere ego cuſtu cenſu, & iſſu Priore de Nurki Domni Raynaldum de Ficarola de Ramm de quinque homines integros ad orgatori farre ſu de Criſa &c. Et Ego cum boluntate de Deus, & d'eſſu Donnu meo Judice Paraſone de Laccon, e d'eſſa Mulere Donna Pretioſa de Orrubu Regina, e d'eſſu Fiiu Donnu Goſtantine Rege, & cun boluntate d'eſſos Epiſcopos ſopraſcriptos, e d'eſſu Arkiprete, e d'eſſo Calonicos in Tulgoli cuſtu Cenſu a Sancto Benedictu, ki ſiat nullu Archiepiſcopo pus me, neque nullu homine Kindali fathat kertu baytée kinde apat pro de uſque in ſempiternum &c.

A *Et ego Panis Calidus Domini mei Regis Paraſonis Scriptor ſcripſi, & complevi iſtam Cartam &c.*

Adeſt Sigillum plumbeum.

Hæc adſero, non tantum ut prodam, conſueviſſe Sardos Acta publica conſignare vernaculo ſermone, decurrente ipſo Sæculo XII. (atque antea fortaſſis apud eos mos idem invaluerat) ſed etiam ut Lectores intelligant, quantum adhuc Latinæ Linguæ retineret Sardorum Lingua, ſimulque quantum ad Italicam noſtram accederet. Quod luculentius etiam appareret, ſi diligentiori curâ deſcripta fuiſſent ejus Chartæ verba. Heic enim plura ſunt,
B quæ omnino ad noſtram Linguam pertinent; & ex ipſis vocibus, quas a noſtris alienas diceres, nonnullæ revera in cenſum Italici ſermonis ſunt referendæ. *Ki gla fhato cuſta Carta*, eſt *che ha fatto queſta Carta*. Subſequitur *pro ca mi pregait ſu Abbate*, ideſt *perchè*, aut *per cui mi pregò il ſuo Abbate*. Reliqua etiam, ſi accuratius deſcripta fuiſſent, nullo negotio deprehenderentur Linguæ noſtræ, cum Hiſpanica tamen mixtæ, conformia. Atque hæc in mentem mihi revocant, quæ Antonius Maria del Chiaro Florentinus in Hiſtoria Valachiæ Anno 1718. adnotavit de Valacorum Lingua, quæ multa retinet ex Latinis vocabulis, illuc olim importatis a Romanorum Coloniis, immo
C & ad Linguæ Italicæ modos ſeſe non raro componit. Ajunt enim. Ce ai ſcris? ideſt *che coſa hai ſcritto? N'ai facuto bine*, hoc eſt *non hai fatto bene*. *Adam Parinte al noſtro a peccatuit*, videlicet *Adamo Padre noſtro ha peccato*. *Criſtos a paſſit pentru peccatele noaſtre*, ideſt *Chriſto ha patito per gli peccati noſtri*. Quod Valachi, aliique populi fecere, pro ſuo quiſque modulo Latinam Linguam corrumpentes, ita & Sardi præſtiterunt. Nunc alteram ſimilem Chartam accipe ex eodem Caſinenſi Tabulario depromtam.

Gunnarii Turritani in Sardinia Judicis Charta pro Monaſterio Montis Caſini, ſcripta ejus vernaculâ Linguâ Anno 1153.

AUxiliante Domino noſtro Jeſu Chriſto, & intercedente pro nobis Beata & glorioſa ſemper Virgine Dei Genitrice Maria, & Beato Petro Principe Apoſtolorum, & Beato Sancto Gavino, Protho, & Januario Martyribus Chriſti, ſub quorum protectione gubernatos nos credimus eſſe ſalvandos. Ego Judice Gunnari di Laccon ki faco cuſta carta cum boluntate de Deu, & de fuius meus Barraſone Rege, & de ſa Muiere Pretioſa de Florrubu Regina ad Sancta Maria de Tergu, cum boluntate Deum; & pro remiſſione d'eſſos peccatos meos, & de Parentes meos, & pro ſervitu bonu Kiſpi in Monte Caſino, cando andai ad Sanctu Sepulcru ad ultra mare, Kaime feliciter, Abbate Raynaldo ki fuit Abbate de Monte Caſinu, & Cardinale de Roma, & pro ſa Sanctitate revidi in cuſſa Sancta Congregatione, & procamiglole ſcrun ſi anima mia, & de Parentes mios in ſuo ufficio, & in ipſas orationes cantu ſait facter in cuſſo locu, & in totu ſos atteros locos is ſero, Kencitimos l'Abbate & totu ſos Monachos. Anno Domini Milleſimo Centeſimo Quinquageſimo tertio.

Niſi me amanuenſis fefellit, Charta hæc ſcripta fuit Anno 1153. Sed quid hoc rei eſt, quod Gunnarius filium ſuum appellat *Barraſonem Regem*, quum tamen, ut ſupra innuimus, is Anno tantum 1164. Regiâ coronâ ac titulo donatus a Friderico Ænobarbo fuerit? Num heic error cubat? Ne puta. Ego diverſos homines cenſeo. Nam qui Sardiniæ *Judices* olim appellabantur, & præcipue antequam Piſanis aut Genuenſibus in eam Inſulam jus ac dominatio foret, *Judicum* quidem titulum ſibi ſumebant in quatuor, ut appellabant, Judicatibus Sar- A diniæ, ſed *Regis* etiam nomen uſurpavere, & tamquam Reges, ſeu Reguli, revera a ſubjecto populo colebantur, quod ſcilicet ſui juris Principes eſſent, & a nullius Imperatoris aut Principis ſupremi ditione penderent. Vide quæ jam attuli in calce Differt. V. *de Ducib. Italiæ*. Ita ſuos Principes ſeu Reges olim Hiſpani *Judicum* titulo donavere, Luca Tudenſi teſte Æra 961. Quare apud Sardos idem erat *Judicem* eſſe ac *Regem*. Leo Marſicanus Epiſcopus Oſtienſis Lib. III. Cap. 23. Chron. Caſin. tradit, *Legatos ex parte Bareſonis Regis Sardiniæ* ad Cœnobium Caſinenſe miſſos, atque optima pallia *ab eodem Rege* illic oblata, precibus additis, ut ad ſe Fratres mitterentur ad B Monaſterium conſtituendum. Pollicebatur ille, *maximum in Regno ſuo noſtris utilitatibus honorem*. Tum Cap. ſubſequenti narrat, ab ipſo *Sardorum Rege* traditam Benedictinis Monachis fuiſſe in Sardinia Eccleſiam B. Mariæ in Bubalis. Denique ſubdit: *Hunc æmulatus ad bonum alter Rex ejusdem Sardiniæ nomine Torchytorius, fecit & ipſe Chartulam oblationis de Sancto Vincentio de Taberna* &c. Acta hæc fuere circiter Annum vulgaris Epochæ 1064. atque adeo centum annos, antequam alter Baraſo a Friderico I. Imperatore Regiam coronam conſequeretur. Et quoniam *Torchytorii* C hujus in Sardinia Reguli facta eſt mentio, liceat mihi producere Chartam, cujus exemplum ad me dum in vivis erat, miſit humaniſſimus vir Octavius Angelus de Abramo, Patricius Piſanus, atque in ejuſdem Urbis Primatiali Canonicus. Veri videtur ſimile, agi illic de hoc ipſo Principe:

Donatio facta Eccleſiæ Piſanæ a Torgotóre Judice Calaritano. Circiter Annum 1070.

IN nomine Dei Patris & Filii & Spiritus Sancti. Ego Judigi Torgotori de Gunali cum filiu meu Donnu Goſtantinu Fucte dictus Poteſtas de Terra Kalareſe, & cum mulieri mia Donna Precioſa de Lacon, facio hanc Karta ad Sancta Maria de Piſas; quod ego donnicalia de Palma propter Deum, & pro anima mea, & pro animabus parentum meorum do illi a Georgium Coctum cum muliere ſua, & cum filiis ſuis, & unum fratrem ſuum cum filiis ſuis, & Jacob cum muliere ſua, & filiis ſuis, & Antiochum cum muliere ſua, & cum filiis ſuis, & Johanni Macha cum muliere ſua, & filiis ſuis, & Albacu Mengone cum muliere ſua, & filiis ſuis, & Paſchaſium cum filiis ſuis, & Gitimilum cum filiis ſuis, & Minkinionem cum filiis ſuis, & Johannem Pupuſarum, & duos nepotes ſuos, & virum Bridium cum filiis ſuis, & Johannem Pera, & Petru Maca porcarium cum muliere ſua, & filiis ſuis, & Cecilia de Arzzocu Coctu, & Janiam cum filiis ſuis. Et ſemitam Severgii nomine aquá demtá, & manſionem Guzzonis. Et ferit ad Vadum Judicis, & eſſit ad Ruum de Cu- D *binu ad Vium Campi de Barca, & eſſit ad Vadum Falſum, & vadit circa Vadum illud uſque ad Cornum de Mardra, & eſſit Abrucum de Teula, & areeto Tetili de Baccari. Et eſſit a Planum de Ganna. Et ſemitam Diligi Sedrui de Grutere, de Vanarta. Et tenet per rectum via ad Campum de Sidrui. Et inde ad Funtanam Deonna, & a Funtana Cucuzzada; & ferit inde ad Campum de Urgui, & vertit inde via ad Jacam de Baſili, & Anural de Iſcu. Et ferit inde ad Montem Meanum. Et aliam ſemitam Durru, intrant illi Moriinas. Et dedit illi unam pra . . . . . durum; & de-* E *dit illi Sancte Marie Saltum de Sulammi, & Aquam de Miza de Sulammi. Integram illam dedi . . . . quam feci ad caſtigata. Et do illi domeſticam de Cunnetum, quam habeo cum Donnicello Comita. Et vertit ad Vadum Dareſſa. Et hanc Inſulam de Milliaria, de flumen in flumine. Et domeſtica terra apud domeſticam de Muntones de Ajena, quam partior cum Donnicello Comita. Et domeſticam de Palude de longo in Cerra de Kamurra in unum cubile, & domeſticam manſionem majori, & dome-*

domeſtica de ...... ; Et ... de Bauba... . Et de illi Furrum Muscu cum muliere ſua, & filiis ſuis . Et de illis domnicalias de Abba, Arsocubu, Muscu cum muliere ſua, & filiis ſuis, & ſua ... ſua ; Jorgi Muscu, & muliere ſua, & filiis ſuis ; Muscu, & filiis ſuis ; Mariani Muscu cum muliere ſua, & filiis ſuis ; Goſtantini Muscu cum muliere ſua, & filiis ſuis ; Cipari Muscu cum muliere ſua, & filiis ſuis ; Goſtantinu Pulla cum muliere ſua, & filiis ſuis ; Petru Malau cum muliere ſua, & filiis ſuis ; Cipari Malau cum muliere ſua, & filiis ſuis ; & Pulla cum muliere ſua, & filiis ſuis, & Cipari fratri ſuo ; Stefani Muscu cum filiis ſuis, & Cipari fratri ſuo, & filiis ſuis ; Petru de Sipit cum filiis ſuis ; & Iura Colzu, & filiis ſuis ; Nicola Colzu, & filiis ſuis ; Arzoccu De Pau, & filiis ſuis ; Mariani fratri ſuo cum muliere ſua, & filiis ſuis ; Arsicubu cum filiis ſuis ; Arco de Pajeſe cum muliere ſua, & filiis ſuis ; Jorgi Pedagi cum filiis ſuis ; Petru Cucu cum muliere ſua, & filiis ſuis . Goſtantini Falla cum muliere ſua, & filiis ſuis ; Gavini de Leu, & filiis ſuis ; Arzoccu de Antula cum muliere ſua, & filiis ſuis ; Goſtantine Arve cum muliere ſua, & filiis ſuis, & Cognatu . Saltu de Sali Simmizzat, Mucuna de Pruna, & Cabattudu Serra, a deretu a Cucuru de Maſoni ..., & Ajenna de Maſoni Doliſadru ... a ...... Dettalle, & bennit deretu a Petra Derraſas, & ut patet Ajenna de Fontana ſa frigada ...... a deretu a Cucuru Majori, & ...... Ajenna de Prunas. Saltu de Conca. Rui Annunzat da Variola de Pellari, & Callari, & Maſoni ...... deretu a Giba de Gavallaris. Et tenet tu dui Baccu Majori, & a deretu ad flumen, & benit tu dui flumen deretu Abbau de Valbiſa, & tornat a ſebe de Tennere Boi, & a deretu a Giba de Tiuskulai, & a deretu ajenna de Rugi. Et tenet a Cucuru de Petra Pluma da de Ariola de Pellari da un di la Nurri. Et Saltu de Petra de Kavallat, Kiappu Aſſulus .... Kiappu cum a finis cum ..ſtu eſt Saltu de Puſtiaſtia. Et linia de Karigu. Et de illi domnicalia de Fanari Arzoccu cum mulieri ſua, & filiis ſuis ; Johanne Cheta cum muliere ſua, & filiis ſuis ; Johanne de Ora, & filiis ſuis ; Pellari Cordula cum muliere ſua, & filiis ſuis ...... Cordula & cum filiis ſuis ; Cittu de Jeſa cum muliere ſua, & filiis ſuis ; Lura de Balari cum filiis ſuis ; Jorgi Polloni & cum muliere ſua, & filiis ſuis ; Cittu de Jeſa cum muliere ſua, & filiis ſuis ; Pellari Pipia, & filiis ſuis . Et ſemita de Sucriu de Froia annunzzat da Varſabia de Bau .... nunis de sù Serra de Sancti Gregorii, & tornat Annigizi . Et ſemita de Monte Majori de Sucriu de .... Anigiſe de Malukis ſi annunzzat ad ariolas de Sabileſſi, & tenet deretu ajenna de Pauli. Et alia ſemita diligi dantas de Campiu de Zellaria . Et domeſtica de Maſone de Porcos . Et domeſtica de Serra Deurcu . Et domeſtica de Pelas ; & binea de Piſcina de Kalbuza. Et de illi ad Villa de Muntonis, & a Jorgi Plantas cum mulieri ſua & filiis ſuis ; Petru Sinna cum muliere ſua & filiis ſuis ; Francu Gatane cum filiis ſuis ; Gilla cum mulieri ſua & filiis ſuis ; Arzoccu de Kavallo cum muliere ſua & filiis ſuis . Et ſemita de Sebollu, & alia ſemita de Sucriu de aquas, & ſemita de arena de i Ligi, & domeſtica de Paulis, & domeſtica de Spini Chriſti, & domeſtica de Via de Strada, & domeſtica de Arrazza. Et ferit ad bau de Oliaſtru. Et domeſtica de Bau de Garra, & binea de Majani de Soza, & le a de Sancto Arcangelo . Et non appit Zerga de Turbari Gimilsioni ſi non unu acrenu ſerviat ad Sancta Maria propter Deum & anima mea & vivent cum ſervos de pauperum . Et ſunt deſtimoni Donnicellu Comita, & Donnicellu Gunnari, & Donnicellu Zerkis, & Donnicellu Arzzoccu, logu Salbatori . Et ki illa devertere appat anathema Jeſu Chriſti daba duodecim Apoſtolos, quatuor Evangeliſtas, ſedecim Prophetas, vigintiquatuor Seniores, trecentum decem & octo Sanctos Patres, & .... inferno inferiori .

Nulla heic *Regis* aut *Regni* mentio. *Torchytorius* tantum *Judex* appellatur. At hoc ipſum factum videas a *Turbino Judice Karalitano* in altera Charta; quam ad me miſit idem Canonicus de Abramo . Exero & iſtam .

Donatio Tolonei facta Populo Piſano a Turbino Judice Calaritano Anno 1103.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, Amen . Ego Turbini, omnipotentis Dei gratia Judex Karalitanus, dono, concedo, & in perpetuum trado Piſanis cariſſimis amicis noſtris Toloneum de yberno & de eſtate, & de Sale, ut habeant benediſtiom a Deo, & a nobis. Ita tamen ut Populus Piſanus ſit amicus mihi, & Regno meo, & non offendant ſtudioſe neque me, neque Regnum meum . Hujus noſtre donationis in primis teſtis eſt Deus, deinde Gonnari Donnicellus, & Petrus, & Marianus Donnicellis, & Torchitore ſimiliter, & Arzoccor de Curcaſe, Curcuere de Ciutta, & Cunitta de Gonnale, & Zerchis de Rovo, & Orzocor de Rovo, & Conſtantino de Rovo . Et cum bona voluntate aliorum parentum noſtrorum, & totius Populi mei hoc feci . His etiam interfuerunt de Piſanis, Petrus filius Albizzi, & Ughicione filius Uberti, & Leo de Babilonia, & Wido Cantarello, & Tebaldinus, & Gerardus filius Petri, & Alcherius, & Gerardus Pandulfi, & Rodulfinus, & alii plures . Anno Dominice Incarnationis Milleſimo Centeſimo quarto, in Menſe Majo, Indictione XI.

„ ✠ Ego Turbini, Dei gratia Judex in hac „ carta ſubſcripſi .

En ut iſte Turbinus *Judicem Karalitanum* ſeſe tantum inſcribit . Verum lege, quæ ſequuntur, nempe : *ut Populus Piſanus ſit amicus mihi, & Regno meo, & non offendant ſtudioſe neque me, neque Regnum meum* . Doctiſſimus olim vir inter amicos meos, die I. Anni 1736. e vivis ereptus, D. Gaſpar Berettus Monachus Benedectinus in Diſſert. Chorogr. præpoſita Tomo X. Collectionis meæ Rer. Italic. memorata nuper Leonis Oſtienſis verba perpendens, ſuſpicabatur interpolata fuiſſe, & a poſteris temere addita, quum primus, qui Regio titulo Sardiniæ præfuerit, idem ille *Baraſo* fuerit, quem Fridericus Anno 1164. corona-

orna-

ornavit . Sed nulla mihi de loci hujus veritate ſuſpicio . Immo certum futurum eſt nobis , Anno 1064. floruiſſe alterum *Baraſonem* in Sardinia Regulum , alium ab eo , qui centum poſt annos ibidem floruit. Fortaſſe Proavus ille fuerit alterius , quum conſtet , non olim minus , quam noſtris temporibus , renovata fuiſſe in Nepotibus Avorum nomina . Petrus quoque Diaconus Lib. IV. Cap. LXVII. Chron. Caſin. hæc memoriæ prodidit . *Sub jam dicto Abbate Gyrardo Gunnarius Sardorum nobiliſſimus , parentum ſuorum Bareſonis & Torchytorii Regum veſtigia ſequens , cum licentia Archiepiſcopi ſui , obtulit Beato Benedicto Eccleſiam Sancti Petri in Murhei* &c. *Helena* appellatur illius uxor . Circiter Annum 1112. a *Gunnario* Sardiniæ Judice , ſeu Rege , facta fuit ejuſmodi donatio . Atque ex his confirmatum vides , præceſſiſſe alterum *Baraſonem Regem* . Is autem Gunnarius non idem fuiſſe videtur cum Gunnario , cujus Chartas nuper dedi . Itaque Oſtienſis verba ſupra allata difficultate carent , eaque aperte innuunt , Sardiniæ Judices Regio titulo vel ipſo Sæculo Ch. XI. uſos , & non unum ibi fuiſſe eodem tempore Regem . Idem quoque animadvertas in Charta , quam nuper dedi , ubi *Rex Baraſo* etiam ante coronationem a Friderico factam nobis occurrit , niſi tamen duo diverſi Baraſones tunc fuere , alter *Turritanus* , alter *Arboreæ Judex* . Fac tamen unus homo fuerint , & proinde petas : ſi Regio titulo Baraſo iſte jam inſignitus erat , cur eumdem a Friderico rurſus ſibi conquiſivit? Adi Chronica Piſana Tom. VI. pag. 176. Rer. Ital. Inde elucet , *Paraſonem Judicem Arboreæ* a Judicibus *Turritano* & *Calaritano* gravi bello impetitum , fugam arripuiſſe , & ad Genuenſes , atque ad Imperatorem confugiſſe . Scilicet ab iis vires , *ut totâ Sardineâ* potiretur ; ab Imperatore verò titulum Regium petebat , ſperans , ſub nomine Imperii integram ſibi Inſulam ſubjicendam. Caffari Continuator in Annal. Genuen. Lib. 2. pag. 293. ejuſdem Tomi VI. Rer. Ital. auctor eſt , petiiſſe B raſonem , *ut Imperator daret ei totam Sardiniam , & eſſet Solus Rex , & teneret Inſulam Sardiniæ pro eo* . En quo tenderent Baraſonis conatus , & impetrata a Cæſare coronatio . Quod ſi *Solus Rex* eſſe cupiebat : ergo erant alii in Sardinia Reges . Hoc eſt erant alii Judices , nempe Calaritanus , Turritanus , Galluritanus , qui & ipſi pro Regibus habebantur . Immo idem Baraſon a Friderico jam coronatus , *Judex* adhuc appellatur in Charta Archiepiſcopi Turritani , quam nuper eduxi . Quod reliquum eſt , minime vacillare, quæ de Baraſone Oſtienſis ſcripſit, neque adjectam illius Chronico laciniam ejuſmodi , ſuperſtes Charta evincet , ex Caſinenſis Monaſterii Archivo deprompta , atque utinam accuratius deſcripta . Ibi mentio eſt *Deſiderii Abbatis*, qui poſtea ad Romanum Pontificatum evectus , Victor III. appellatus eſt .

Donatio duarum Eccleſiarum facta Caſinenſi Cœnobio a Baraſone Sardiniæ Regulo circiter Annum 1064.

IN nomine Dei , & æterni Miſcracos , & Parente Donno Barruſono , & Nepote ejus Donno Marianus in Renno , quo dictus ore, deinde Donicello Mariano , & Donicello Petro, & Donicello Comita , ſimul cum omnibus Fratres & Parentes eorum , conſiderabimus & memorabimus nobis de omnibus peccatis noſtris, & pro mercede & redemptione animæ noſtræ tradimus atque concedimus Baſilica Sanctæ Mariæ Dei Genitricis Domini de loco , quod dicitur Gubalis , deinde Sancto Elias de Monte Sancto cum omnibus , quæ modo habent , & antea , jubente Deo , dare illis potuerimus cum charitate perfecta , ſic tradimus illas Monaſterios nos hos a Baſilica & Monaſterio Sanctu Benedictus , qui dicitur Caſtro Caſino , & da Donno Deſiderio gratia Domini Abbas , *ad habendum , tenendum , atque poſſidendum , & faciendum , & de illis neceſſaria in iſos Monaſterios* .

Latinum ſermonem , quamquam corruptum, præfert hæc donatio . Vulgarem vero adhibitum videas in altera , quam ſubjicio , hauſtam ex ipſius ſupra laudati Caſinenſis Cœnobii Tabulario . Spectat illa ad Baraſonem , cui Fridericus I. coronam contulit .

Bara-

Baraſonis in Sardinia Regis Privilegium conceſſum Eccleſiæ & Monaſterio S. Nicolai de Vrgen Linguâ ejus vernaculâ circiter Annum 1182.

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. In gratia de Deus & de Sancta Maria, & de Sancta Petru Principe Apoſtolorum, & de Sancta Nigola Confeſſore, & de omnes Sanctos & Sanctas Dei. Ego Judice Baraſone poſſidendo totu Logu d'Arborea ſimul cum mugere mia Donna Algaborga Regina de Logu, & Archiepiſcopu Comita de Lacon, & d'iſſos Piſcobos meos, Donnu Mariu Piſcobu d'Uſellos, & Donnu Ugo Piſcobu de Sancta Justa, & Donnu Mariani Piſcobu de Terralba, & totu fideles meos, & Clerigos, & Laigos de Logu d'Arborea, cum Curia conſilio, & cum mia bolundade fago queſta Carta a Sanctu Nigola de Urgen, chi eſt poſta in Ficuſinara de chi fabricarat Judice Goſtantine Au meu, & Judice Comida Patre meus, reſſit illa a manu ſua, & ego pro anima ipſoros, & pro iſa mia & de dominu parente meu offertolla a Domino & a Sanctu Benedictu de Monte Caſinu pro eſſer Monaſteriu ordinandu d'Abbade bonu, & de Monachos bonos, & ponio ello cum omnia Cortes ſue, & ad aver dare cum innanti, & ivi, & ateras Cortes ſuas ſiat libera. Et non apat auſu, non Judice catter de puſtme, non Archiepiſcopu, & non Piſcopu, & non Priore de Monte Caſinu, non Monachu, non Comberſu, nec nulla homine mortale a levar ende d'eſſa cauſa de Santo Nigola, non de ſpirituale, ninque de temporale, nin dintro de domu, nin de foras domu Kerta voluntate dess Abbade, & dess ſos Monachos cantesser in Santu Nigola, & iſſa domo de Sanctu Nigola cum omnia cantu, & ad aver dare como innanti, & ivi, & ateras Cortes ſuas ſiat libera. Et non apat auſu nulla homine mortale a impirunpende nin d'eſſa cauſa pegniare de Sanctu Nigola, nin de ſos ſervos, nin de cauſa iſſoro, & ſin de l'enant d'eſſa cauſa de Sanctu Nigola da ve Giliboia ſiat Corte ſua au a ſura, au a larga, accu inde aut . . . . pro cauſa de Regnu innepergent ſas domos, & iſas domeſtigas, & ipſas binias, & iſſos ſaltos, & iſſas ſemidas & pratus de Cavallos ca cauſa de Regnu las caſtigent. In Mare de Sancta Justa, & in Mare de Ponte cherant piſcare pro Judice piſchent, & una barca in miſtras, & piſchi nulla homine mortale non dellat levat, & d'eſſa piſcadura d'iſſus a Rius de Kirras au Ponte de Sinniſcadi, como au cat aver dane, como innanti nemo non dellat levet nin anbilla, nin piſchi, & ſali nullu levent, ne in Ponte de Funtani, nec in Piſcobu, nec in Ponte de Sinnis cubi ſiat bolet [illegible], au dare d'eſſa cauſa ſua a Sanctum Nigola au ſervu, au liberu, au malaridu, au ſanu fazat illu in benedictione de Deus. Et bolundade mia eſt. Et ſunt teſtes ipſus Deus, & Sancta Maria, & Santo Nigolao, & ego Judice Barruſone de Laccon, & Archiepiſcopu Comita de Lacon, & Epiſcopo Mauro, & Epiſcopo Ugo de Sancta Justa, & Epiſcopo Marianus de Terralba, & de Curadores, & de homines bones ſanctos d'eſſa terras mea Donnigella Itochor, & Itichor de Lacon, & Gunnari Doru Curadore Bonurzoli Goſantine de la Curadore d'Uſellas, Petra de Serra Curadore de Frebrimi de Bonachiſios, Terricu de Campu, & Gollemes ſuos.

Ego Judice Barruſone laudo & confirmo.

Ego Archiepiſcopus Comita laudo & confirmo.

Diſertis verbis Baraſo heic ſe appellat *Judicem Arboreæ*, non autem *Regem*. Tum conjugem ſuam nuncupat *Algaborgam Reginam*, ut intelligas, promiſcua apud Sardos fuiſſe nomina *Judicis*, & *Regis*. Quod ſolum hæſitare me cogit, in Charta ſupra evulgata Anni 1170. *Baraſonis Judicis de Laccon* uxor appellatur *Donna Pretioſa de Orrubu Regina*, uti & in altera Charta Anni 1153. Heic autem illius uxori *Algaburga* eſt nomen. Fortaſſe Pretioſâ e vivis ſublatâ, alteram ille duxerat. Baraſonis vero filius in eadem Charta Anni 1170. memoratur *Goſtantinus Rex*. Atque idem ille eſt, qui in duabus pergamenis Vulgari pariter Lingua ſcriptis, atque a Troncio pag. 137. Annalium Piſan. (parum tamen accurate) evulgatis, ita inſcribitur: *Ego Judike Goſtantine de Laccon Rex* &c. Filius illius ita ſe ſubſcribit: *Ego Judike Baruſone de Gallur, ki la renovo cuſta Carta, ki fekit patre meu Judike Goſantine* &c. Ex quibus Chartis rurſus apparet, Sardiniæ Principes appellationem *Judicis* & *Regis* olim pro uno habuiſſe. Lucem heic augebunt, quæ Clariſs. Mabillonius adfert in Itiner. Ital pag. 182. ex Archivo Camaldulenſium Fontis boni. *Exſtat in multis*, ait ille, *una Charta barbaro ſermone* (hoc eſt non abſimili a nuper evulgatis) *de donatione Eccleſiæ ſancti Nicolai in Regno Sardiniæ, Guidoni Priori inſcripta, conſentiente Domno Conſtantino Judice, ſeu Rege, cognomine de Laccon, & Donna Marcuſa Regina, Anno MCXIII. Sigillum ex plumbo appenſum, ex una parte caput Regis inconcinne præfert, ex alia* GOSTANTINE REGE. Alterius vero Conſtantini Regis, ejuſque patris, antiquiora monumenta evulgarunt doctiſſimi Monachi e Congreg. Sancti Mauri Martene & Durand Tom. I. Veter. Script. pag. 523. hoc eſt fundationem Monaſterii S. Georgii in Sardinia, quam Anno 1089. fecit *Arzo Rex* (ſi tamen vitio caret illud nomen) *& Judex Karalitanus cum uxore ſua Domna Vera, & cum Conſtantino filio ſuo*. Subſcribunt *Conſtantinus Rex & Judex*, & *Marianus Rex & Judex filius ſupraſcripti Conſtantini*. Subſequitur fundatio alterius Monaſterii Anno eodem 1089. ab eodem *Conſtantino Rege & Judice* facta, cui ſubſcribunt *Jorgia Regina*, & *Marianus Judex & Rex filius ſupraſcripti Conſtantini*. Ibidem quoque habes Bullam Hugonis Karalitani Archiepiſcopi, ſcriptam An. Chr. 1090. in qua Monaſterio Sancti Victoris Maſſilienſis confirmat bona quædam, *ſicut Conſtantinus Rex & Judex Karalitanus præfato Monaſterio conceſſit*. In eodem Tom. I. Veter. Script. pag. 628. pariter habetur Diploma *Mariani Judicis ſeu Regis Caralitani*, exaratum Anno 1112. Sed & Laurentius Vernenſis, ſive Veronenſis, in Poëmate, hoc eſt Lib. I. de reb. geſt. Piſan. Tom. VI. Rer. Ital. auctor eſt, Piſanam claſſem Anno Chr. 1114. in Sardiniam advectam,

- - - - *ubi*

- - - - - - - - - - - - *ubi Conſtantinus habebat Sedes, Rex clarus, multum celebratus ab omni Sardorum populo &c.*

Infra memoratur *Conſtantino Saltarus Judice* natus. Vide etiam, quæ de iiſdem Sardiniæ Regulis dixi in Diſſert. V. de *Ducib. Ital.* Neque iſta congeſſiſſe me pœnitet, quæ Sardorum Hiſtoriæ a nimiis tenebris preſſæ aliquid lucis

A miniſtrare poſſunt. Immo juvabit & alteram Chartam addere ex laudati Caſinenſis Cœnobii Archivo itidem excerptam, ex qua non ſolum evidentius conſtabit, etiam ante Baraſonem a Friderico I. Auguſto coronatum, alios in Sardinia Regium titulum geſſiſſe, ſed & illuſtrabitur Genealogia Gunnarii Judicis & Regis Turritani, qui primus nobis occurrit in hiſce inveſtigandis.

Gunnarius Rex Turritanus in Sardinia Monaſterio Caſinenſi, ejuſque Abbati Raynaldo S. R. E. Cardinali confirmat omnia bona a ſuis Majoribus eidem Cœnobio donata Anno 1147.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, Anno ab Incarnatione ejus Milleſimo Centeſimo Quadrageſimo Septimo, Indictione Decima, octavo Kalendas Julii. Si injuſta & vana poſtulantibus nullus omnino juſtus & firmus eſt tribuendus effectus, juſte & religioſe poſtulationi & maxime Dei cultorum & locorum venerabilium manus eſt aperienda charitatis & pietatis. Quapropter ego Gonnarius divina diſpenſatione Turritanorum Rex & Dominus, *Vigeſimo Anno Regni noſtri Jeroſolimam pergens ad loca Sancta viſenda, ad limina Sanctiſſimi Patris Benedicti declinare decrevimus, atque petitionibus Reverendiſſimi* Donni Raynaldi Dei gratia Cardinalis & Caſinenſis Abbatis, *& Fratrum, quos illic congregatos reperimus, quorum converſatio nobis placuit, aſſenſum præbuimus, quibus etiam vinculo ſocietatis, amore & reverentia Beati Patris Benedicti, & ipſius loci, quam perſpeximus religione nos aſtrinximus, & ea quæ a Prædeceſſoribus noſtris & conſanguineis, vel a quibuſcumque in Inſula Sardinea ſub Regno noſtro Turritano, Caſinenſi Cœnobio quoquomodo data ſeu danda ſunt, quantum in nobis eſt, in perpetuum tenenda & poſſidenda confirmamus, ſcilicet Sanctæ Mariæ de Thergo Eccleſiam Sancti Petri de Gulſubi, Sancti Nicolai de Solio, Sancti Petri de Murchi, Sancti Michaëlis de Fernugio cum omnibus pertinentiis eorum, & Eccleſiis eis conceſſis, con ſervis & ancillis, terris & vineis, cultis & incultis, ſilvis & piſcuis, planictis, monctibus, & vallibus, molendinis, acquis, acquarumque decurſibus; quidquid præterea glorioſæ memoriæ Atavus meus Baraſo Rex, & Marianus Avus noſter, Conſtantinus etiam Genitor noſter, & Marchuſa Regina Uxor ejus, & conſanguinei noſtri cum filiis & filiabus, & Comita cum uxore ſua Muſcundola, & Marianus cum uxore ſua Juſta, Pera filia Gonnarii, Conſtantinus de Carvia cum uxore ſua Jorgia, Foratus de Gentile cum uxore ſua Suſanna, nec non & alii quique fideles, qui in eodem Caſinenſi Cœnobio dederunt, abſque omni moleſtatione, dilaceratione, & conditione firma & illibata perpetuo manere volumus: Amen, Amen, Amen: Fiat, fiat, fiat: Et quis iſta Carta deſtruere aut exterminare eam voluerit, is . . . . & Deus nomen ſuum de libro vitæ, & carnes ſuas dirumpat volatilibus cæli & beſtiis terræ, & mittat in illis Dominus mortem Papellæ, & deleantur de iſto ſeculo citius, & habeat maledictionem de Deo Patre omnipotente & de ſancta Maria Matre Domini noſtri Jeſu Chriſti, & de Beato Michaëli Archangelo, & quatuor Evangeliſtas Marcus, Matthæus, Lucas, & Johannes, & de duodecim Apoſtolis, & de ſexdecim*

B *Prophetis, & viginti quatuor Seniores, & de trecentos & octo Patres Sanctos, qui Canones diſpoſuerunt in Nicea Civitate, & de novem Ordinis Angelorum, & omnes Sanctos & Sanctas Dei: amen, amen, amen: fiat, fiat, fiat. Et ſi quis iſta Carta audire voluerit, & noſtras ordinationes placuerit, & dixerit, quia bene eſt, habeat benedictionem de Deo Patre omnipotente, & de Sancta Maria Matre Domini noſtri Jeſu Chriſti, & de Beato Michaëli Arcangelo, & de quatuor Evangeliſtas Marcus, Matthæus, Lucas, & Johannes, & de duodecim Apoſtolis, & de ſexdecim* Prophetis, *& de viginti quatuor Seniores, & de trecentos & octo* C *Patres Sanctos, qui Canones conſtituerunt in Nicæa Civitate, & de novem Ordines Angelorum, & de omnes Sanctos & Sanctas Dei: amen, amen, amen: fiat, fiat, fiat. Et ſunt Deus omnipotens teſtes primus: deinde Ego* Judice Gunnari, *qui hanc Cartam fieri præcepi; & Domnus* Johannes Sorrentinus Epiſcopus: *& Domnus Robertus ejuſdem Regis Curiæ Magiſter; & Sigiſmundus filius Bulli, & Comita de Tori nepos ejuſdem; & Torchetori de Sera. Hoc totum confirmatum eſt in ſupradicta Eccleſia Caſinenſi, præſente & præcipiente prædicto* Domino Rege Gonnario, *&* Domno Johanne Epiſcopo Sorrentino, *& Magiſtro Roberto, &* D *aliis ſupra dictis in præſentia* Domni Raynaldi Caſinenſis Abbatis & Cardinalis, *& ante præſentiam Domni Mazzullini præfatæ Eccleſiæ Advocati.*

Quod ego Johannes Diaconus & Curiæ Notarius ex præcepto ſupradicti Domini Gunnarii Turritani Regis *ſcripſi, præſentibus his ad hoc vocatis teſtibus, ſcilicet Bernardo de Sancta Rufina, Murino de Arpino, Ruberto filio de Albaneto . . . . . . majore, Raynaldo filio Johannis de Majo. Scriptum in Menſe & Indictione ſuperſcripta.*

✠ *Ego* Gonnarus Judex Turritanus *in domu Beati Benedicti libenter ſubſcripſi.*

E ✠ *Ego qui ſupra* Johannes Surrentinus Epiſcopus *ſignum Crucis feci, & interfui.*

✠ *Signum manu ſupranominati Magiſtri Roberti Turrenenſis ſubſcriptum.*

✠ *Ego Comita de Thori manu mea ſubſcripſi.*

✠ *Ego Torquetore de Serra hoc decens ſignum manu mea feci.*

✠ *Ego Sigiſmundino filio Bollo ſubſcripſi.*

Sed jam dimiſſâ *Sardiniâ*, cujus hiſtoria antiqua parum perſpecta, mihi ſaltem, eſt, in *Corſicam* navigatio vertatur. Ante aliquot annos Cl. Vir ſupra memoratus D. Guido Grandius, Camaldulenſis Abbas, & in Piſano Gymnaſio publicus Mathematicæ profeſſor, quaſdam ad me Chartas miſit, e vetuſtis exemplis de-

deſcripſit, quæ in Tabulario Piſani Camaldulenſis Cœnobii Sancti Michaelis adſervantur. Ad Corſicam pertinent, atque ad Monaſterium Sancti Mamiliani ſit in Inſula Montis Chriſti. Hic nunc exponere placet, quales a præclariſſimo Amico accepi. Sed profeſſione maturè præmiſſa, me hoc plane carere, quum mihi nulla Corſicæ Hiſtoria præſto ſit, unde lumen colligere poſſit ejuſdem Inſulæ antiquitatibus. Etenim quamquam mihi ad manus fuerit Corſorum Hiſtoria a Petro Cyrneo ſcripta, & ex Codice MSto Regiæ Pariſienſis Bibliothecæ deprompta, quam in Rer. Italicar. Collectione Tom. XXIV. jam edidi: attamen illic, quod eſt ad antiqua tempora, nihil occurrit, unde proficiſſe potuerim. Diu autem dubius, quid primo proferrem, tandem exordium ex Charta Simonis Regis cepi.

Venditio aliquot prædiorum facta ab Henrico quodam, Mathildæ Comitiſſæ uxori Guilielmi Comitis in Corſica. Anno, ſi quidem verum ſit, 936.

IN nomine Domini amen. Nongenteſimo Trigeſimo .... *Indictione Nona* ...... *regnante Domino noſtro* Re Simone. *Manifeſtum ſit omnibus audientibus & legentibus, qualiter venerunt Domino Henrico & de alia parte Domina Matelda filia de quondam Domino Neri, Dei gratia Comitiſſa & uxor de Domino Guglielmo, lo quale habitabat ad locum, ubi dicitur* a Cocovello di lo Plebato di Ampognano. *Et ibi ſupradicti vendiderunt ſuas poſſeſſiones in* Piagia *retinente in loco qui dicitur* Pontigio *juxta Pedigium, quæ ſunt terris cultis & incultis, boſchis & ſilvis, ideſt totum Pontigium cum ſuis con* ...... *ſuraſcriptis de fin* ...... *& ripatico, qui in ſe remanſerunt & retinuerunt & dixerunt. Item vendimus iſtas poſſeſſiones ad vos Domina Comitiſſa Matelda per nos pro omnibus heredibus noſtris, & pro heredibus veſtris in perpetuum. Et vos promittimus per nos & heredibus noſtris non moleſtare ipſam venditam, ut ipſam habeatis & teneatis & poſſideatis, & quidquid facere volueritis faciatis ab ante hodierna die. Et in merito recipimus de vobis Domina Matelda Libras LX. & tres boves boni & optimi & duo Napi argentei, & unum Copertorium de lecto valoris Librarum VII. Sic quippe inter nos bene convenimus, & amorem & talem cartam rogaverunt in manu mei Notarii.*

Actum ad Sanctam Luciam de la Bacharada, *teſtibus Domino Riccobono Epiſcopo Acienſi, Vivanello de Floriano, Guanduccio, Domino Landolfo de Corba, Presbiter Griffo de Sancta Lucia & alii plures ibi fuerunt.*

Ego Manuellus ſacri Imperii Notarius ſcripſit.

Ignotus nobis Corſicæ Rex *Simon* heic erumpit. Quo tempore is floruerit, ſi notis Chronologicis fidem habere velimus, in Annum 936. ejus ætas caderet, quo decurrebat *Indictio IX*. Alteram ſimilem Chartam adtexo.

Index Legatorum ab eadem Mathilda Comitiſſa relictorum variis Sardiniæ Eccleſiis Anno 951.

IN nomine Domini amen. Nongenteſimo Quinquageſimo Primo, Indictione VIIII. Manifeſtum ſit omnibus; memoriam recordationis facimus ut pro nullo tempore perjurium non incurrat. Qualiter videlicet Domina Matelda uxor Domini quondam Guilielmi, qui habitabat ad locum Cucuvelli, quando venit ad obitum mortis ſuæ, dixit coram me Notario: Ego judico corpus meum apud Eccleſiam Sanctæ Mariæ de Canovaria, & judico ibi meum lectum & meum mantellum & meam centuram de argento dictæ Abbatiæ. Item judico Eccleſiæ Sanctæ ...... Libras XV. pro uno Calice. Item judico Eccleſiæ Sancti Nicolai de Campilli Libras VII pro uno paramento. Item judico omnes terras & poſſeſſiones, quas habeo in Piagia in loco qui dicitur in Pontigio, Abbatiæ Sancti Mamiliani Inſulæ Montis Chriſti. Item judico meas tunicas & meas maſſimicias & viginti cappas ad Marianam ſervitialem meam, quæ ſervivit mihi annis ſeptem. Et iſta eſt mea ultima voluntas.

Actum in domo dictæ Dominæ in loco Cucuvelli. Teſtes Presbiter Raynuccius de Monte d'Olmo, Presbiter Nigellus de Scata, Johanello Sambuchello, Roſanello dal Querceto, & alii plures ibi fuerunt.

Et Manuellus ſacri Imperii Notarius ſcripſit.

Ego Presbyter Lanfrancus de Comitatu Mediolanenſi, Imperiali auctoritate Notarius has cartulas exemplavi de uno Libro Sancti Mamiliani Inſulæ Montis Chriſti, & ſcriptas manu Domini Manuelis ſacri Imperii Notarii, & exemplavi Anno Domini MCCCLXI. Indictione XIIII. die VIII. Aprilis.

Congruit *Indictio IX*. Anno 951. Ad eadem quoque tempora ſpectat altera Charta, ubi mentio fit Berlingerii Corſicæ & Sardiniæ Regis. Italici enim veteres ita Berengarii nomen in Lingua noſtra uſurparunt, finitimos populos imitati.

Berengarius Corſicæ & Sardiniæ Rex antiquas oblationes a ſe factas Monaſterio Sanctorum Benedicti & Zenobii de Ilaria confirmat, & novas addit. Anno, ut Charta præfert, 900.

IN nomine Domini amen. Anno Nativitatis Domini Nonocenteſimo . . . . . Indictione Quinta, XII. die Martii .. Ego Dominus Berlingerius Rex, Dei gratiâ Dominus de Corſica & de Sardinia dedi, quando fuit ædificata Abbatia Sancti Benedicti & Sancti Zenobii de Ilaria in loco, ubi dicitur lo Cavo, tutto lo ſuo circulo, *quomodo eſt terminato & circumdato* da ogni parte *de noſtro proprio allodio de pater meus, & de mater mea. Et damus ad dictam Abbatiam noſtram poſſeſſionem, terras agreſtes & domeſticas, buſchis & ſilvis, caſtagnetis & nocetis, ſicut ſunt terminatæ* de piede in Ficatella in Buſſo, & mette alle Saline, & mette a Sancta Junta, & mette a Verde, & mette allo Livelli, & mette in via publica *fuit Fonſtaglione*, & mette in Montalto, & falla per lo Rigone, & mette in Buſſo & mette alle Ficarelle. *Et iſtas poſſeſſiones damus vobis pro Deo de noſtro proprio, ut abeatis & doneatis uſque in perpetuum, in tali vero tenore, ut non poſſitis vendere nec alienare iſtas poſſeſſiones damus dictæ Abbatiæ pro anima mea & pater meus & mater mea & prædictorum germanorum meorum, damus cum licentia Domini Papæ Alexandri.*

Actum in Eccleſia Sanctæ Mariæ de Marana. Domino Bruno Archipresbiter Januenſis Legatus in Corſica & Sardinia, & Domino Lunergio Epiſcopus Marranenſis, & Domino Nicolao Epiſcopus Accienſis, & alii plures teſtes ibi fuerunt vocati.

Ego Johannes quondam Matthæi, ſacri Imperii Notarius rogatus fui, ſcripſi, firmavi, & dedi.

Ego Buccaccius olim quondam Branchatii de Pirello Plebis Aliſani Corſicæ Diœceſis Alerienſis publicus Notarius Imperiali auctoritate coplavi ea quæ ſic vidi quæ intellexi nec jungens nec carens aliquid res quod variat ſenſum vel intellectum, licèt fortaſſis propter malam orthographiam, ſub Anno Domini MCCCCLIII. die XII. Auguſti.

Qui continuo monumentis hiſce acquieſceret, ad Annum 900. aut ad alium aliquem Annum Sæculi X. ſtatueret Berengarium Corſicæ & Sardiniæ Regem; & Catalogo Epiſcoporum Accienſium, *Riccobonum*, & *Nicolaum* adderet in Charta hac memoratos, uti & *Lunergium* in Marranenſium Antiſtitum album inferret, Epiſcopos Ughellio ignotos: quod reapſe factum eſt in Italiæ ſacræ editione noviſſima Tom. IV. quum neſcio quis editori Nicolao Coleto, viro de literis bene merito, notitiam hanc miniſtrarit, nullis aliis tabulis fretus, quam nunc a me evulgatis. Verum ego quid plane ſentiendum ſit de hujuſmodi Chartis, decernere vix audeo. Confictas non facile credam; quotieſcumque enim de apographis agitur, amanuenſes imperiti errores creaſſe potuerunt, quos in ipſis authenticis minime deprehendas. Et fortaſſe *Buccaccius quondam Brancatii de Pirello plebis Aliſani Corſicæ Diœceſis Alerienſis Notarius*, qui Anno 1453. Chartam hanc exſcripſit, & *malam orthographiam* ibi ſe reperiſſe fatetur, eâ caruit peritiâ, qua ad intelligendam veterem ſcripturam eſt opus. Et præcipue deceptum reor in Chronologicis notis deſcribendis. Profecto ad Annum 900. nequaquam ſpectat hæc Charta, ſed quidem ad Sæculum XI. aut etiam XII. Verba illa animadverte: *iſtas poſſeſſiones damus cum licentia Domini Papæ Alexandri*. Ergo Charta ſcripta fuerit aut Alexandro II. in Romana Cathedra ſedente, Anno 1067., aut ſub Alexandro III. Anno 1172. Et mihi poſtremum hoc magis arridet, quum Johannes Notarius ſe inſcripſerit *ſacri Imperii Notarium*. Præcedentibus Sæculis Tabellionum mos erat ſe appellare *Notarios ſacri Palatii*, & a multis etiam Sæculo XIII. uſurpata eſt ejuſmodi ſubſcriptio. Formula autem *ſacri Imperii* non ante Fridericum I. invecta videtur. Hoc idem animadvertas velim in cunctis ſubſequentibus Chartis. Quamobrem præcedentes quoque duæ Chartæ, quæ Anno 936. & 951. ſcriptæ in Corſica dicuntur, ad poſteriora tempora ſunt trahendæ. Sed quis iſte *Berlingerius Rex, Dominus de Corſica & de Sardinia*, Sæculo XII. recurrente? Quis ille *Simon Rex* in eâdem Corſica regnans? Numquid omnino ficta hæc nomina? Accommodare hæc ad Hiſtoriam Sardorum & Corſorum, ut ut de ea parum conſtet, atque ad tempora Alexandri III. Papæ difficile poſſumus; niſi forte, quamquam tabulis deſtituti, opinemur, *Berengarium* aliquem, e Barcinonenſium Comitum ſobole, ab Alexandro III. Regnis Sardiniæ & Corſicæ fuiſſe præfectum, ut ita eluderentur conſilia Friderici Ænobarbi, qui in ea Regna auctoritatem ſibi tribuens, jura lædebat Romanæ Eccleſiæ. Dubius, & nihil affirmans, hæc profero. Interim adjungam Chartam alteram a præcedenti minime disjungendam, quam Notarius Anno 1354. ſe deſcripſiſſe fatetur, hiſce præmiſſis: *Sia manifeſto a tutte perſone, che leggeranno, o che oderanno queſto ſcripto, che lo Venerabile homo Meſſere Frate Blaſio Veſcovo Alerienſe ae requeſto a me Notario infraſcripto, che eo, ſicome publica, doveſſi trarre exemplo della Carta dello Circolo della Badia di Santo Stefano di Venaco, e d'altre Carte, che ſeguono appreſſo, che appartenono alla ragione della detta Abbatia. Et eo così ſcripſi de parola in parola, come ſi contiene qui appreſſo.*

Donatio prædiorum quorumdam facta Silverio Abbati Inſulæ Montis Chriſti ab Ottone Comite in Corſica. Anno....

AD honorem Dei & Beatæ Mariæ & Beati Stefani & Beato Benedetto, Anno Domini a Nativitate Quadragenteſimo ſettimo, regnando Meſſere Berlinghiere Re & Giudice. Sia manifeſto a tutte perſone che leggeranno & che udiranno queſta Carta. Quando venne Meſſer Otto, e Meſſer Domenico, e Meſſer Guidone de' Conti dell'Iſola di Corſica, & queſti vennono in preſentia di Meſſer l'Abate Silverio Abate di Santo Mamiliano dell'Inſula di Monte Criſto. E queſti ſopradetti Signori li dedono ſua poſſeſſione, ch'elli avevano in Venaco in l'Iſola di Corſica, che ſono caſe, caſamenti, terre, vigne, boſchi, e ſelve agreſti & domeſtiche, le quali ſono terminate & per termini ſopra lo fiume chiamato lo Velice, e mette allo fiume di Riſſonica, & mette in Tavignano, & mette allo Poio dello Palazzo, & mette allo Vado dello Carcere, & mette allo Poio delle Tavole, & mette a Tuiſano, & mette allo Vado delle Romitini, con due parte dello Gualdo delle Lentigini. Et queſta poſſeſſione diamo per noi e per noſtri heredi in perpetuum. Et queſti Signori ſopradetti fatta la ſopradetta donatione vennono con Meſſer lo Abate in preſentia di Meſſer Sinibaldo da Ravenna Arciveſcovo e Legato in Corſica, con ſua licentia, e con volontà di Meſſer Angelo Conte e Signore di Corſica, e di Madonna Gilia madre ſua; & queſti feceno Monaſterio & Abadia Sancti Petri & Sancti Stefani de Venaco; & dedono e ſummiſonſi ea allo Monaſterio di Sancto Mamiliano dell'Inſula di Monte Criſto con tutti li ſua beni; in tali vero tenore, che quando l'Abate, overo li Frati, o li Preti non potaſſino ſtare, che la dicta Chieſa colli ſua beni deggia tornare alli ſopradetti Signori, overo alli ſua heredi & inrede. In tali vero tenore, che ogni anno debbino rendere un cavallo infrenato & inſellato che vaglia Libre Sette. E quando l'Abate velit, overo li Preti voleſſino tornare, deggiano havere la dicta Abatia con tutti li ſua beni ſenza piato vel moleſtia & non peggiorati, ſotto pena della dicta poſſeſſione. Et queſti ſopradetti Signori overo li ſua heredi deggiano eſſere Patroni & Gubernatori & Defenditori contra ogni homo. Et queſti patroni deggiano havere vitto e veſtito, nella dicta Badia, vel in altre Chieſe di Monte Criſto.

Actum in Marrana inanzi la Chieſa di Sancta Maria in preſentia di me Notario inſopraſcripto, & di Meſſer Sinibaldo Legato. Teſtes Prete Griſogano, Prete Antonio, & Miſſer Bonaparte, & Meſſer Manfredo di Samma, & altri più che ivi erano.

Ego Philippus quondam Arriccii Notarius ſacri Imperii hanc Chartam rogatus fui & ſcripſi, firmavi & dedi.

Chronologicæ notæ depravatæ prorſus deprehenduntur. Et quum heic mentio fiat *Berlingerii*, ſive *Berengarii Regis & Judicis*, pertinere Chartam videas ad tempora, quibus præcedens ſcripta fuit. *Sinibaldus* ille *Ravennas*, qui etiam appellatur *Archiepiſcopus & Legatus* (ſcilicet Apoſtolicæ Sedis) quinam fuerit, divinare nequeo. Archiepiſcopum nullum hujus nominis agnoſcunt monumenta Ravennatis Eccleſiæ. Attamen ſignificavit mihi P. D. Petrus Paulus Ginannius Prior Benedictinus, Ravennæ repertas fuiſſe ante paucos annos Chartas quaſdam, e quibus nonnulli Archiepiſcopi, ignoti antea Rubeo & Ughellio, erupere, atque inter alios *Petrus*, & *Bernardus* Sæculo Ch. Undecimo. Num & *Sinibaldus* inter eos? Quando etiam ſtatuamus, referendam eſſe Chartam hanc ad tempora Alexandri III. inquirendum ſupereſt, num Notarius primus Italico prorſus ſermone ſit uſus, an eam Anno 1354. deſcribens alter Notarius, Italicum fecerit, quod antea Latine ſcriptum fuerat. Hic ſane teſtatur, ſe Chartam exhibere in antigrapho, qualem in ſchedulis invenerat. Ibi vero mentio fit *Angeli Comitis, domini Corſicæ, & Giliæ matris ejus*. Quapropter res monet, ut alteram Chartam, ubi is itidem occurrit, e tenebris educam.

Dona-

Donatio terrarum facta ab Angelo Comite Domino Corſicæ Johanni Abbati Sancti Stephani Venacenſis Anno...

AL nome de Dio, Amen. Recordatione facimo che all' Anno de Meſſer Domene Dio Sexto centeſimo, Indictione XI. manifeſto ſia a tutte perſone, quando venne Meſſere Angelo Conte e Madonna Gilia Conteſſa, & Madre ſua in preſentia di me Notaro infraſcripto, & fecero offertione e donatione in mano di Meſſer l'Abate Joanni Abate di Sancto Stefano di Venaco, delle ſue poſſeſſioni acquiſite, terre culte & inculte, domeſtiche & agreſte, che ſono in la Iſola di Corſica, in loco dicto Venaco, in loco chiamato Campo di Boxio, & lo Piano dello Salice, & lo Piano chiamato Tengaio, che ſono terminate per termini, judichiamo & offeriamo a queſto ſopradicto Abate per lo ſopradicto Monaſterio, che non debba giamai a noi tornare non poſſa lo detto judicato. Lo quale judicato e terre prenominate meo & di mio padre & di mia madre.

Actum alla Caſa dello Conte. Teſtimonii Salvaticcio de Sommenuccio di Valderuſtica, A *Prete Filippo Piovano di Venaco, & Bonteſſuruccio de Andrea, Gregorio quondam Benvenuticcello, & Angelo de Rulandi de Nebbia, queſti & altri più che furono preſenti.*

Ego Albertus Notarius ſacri Imperii hanc Cartam rogatus fui, & ſcripſi, firmavi, & dedi.

Habemus in hiſce Actis (qualiacumque ſint, me evulgare non pudet) *Angelum Comitem*, qui in ſuperiore quoque Charta appellatur *Dominus Corſicæ*. Veri videtur ſimile, eos ipſos, qui olim in Corſica Inſula dominati ſunt, *Comitis* titulo fuiſſe quidem ornatos, ſed B Regium etiam prætuliſſe nomen, Sardorum Judicum ad inſtar, quos æque Reges vidimus appellatos. *Simon* ille *Rex*, cujus memoria nobis primo loco occurrit, ita me Deus amet, non alius fuiſſe videtur ab eo, qui in Charta nunc adjicienda inſcribitur *Simon Comes*, *Dei gratiâ*, *Dominus Corſicæ*. Iſtam ergo Chartam perpendamus.

Teſtamentum Simonis Comitis Corſicæ, per quod multa bona confert Monaſterio Sancti Mamiliani Inſulæ Montis Chriſti Anno.....

IN nomine Domini amen: Hoc eſt exemplum de quadam Cartula, cujus tenor talis eſt.

A Nativitate Domini noſtri Jeſu Chriſti æterni Dei, Anno Octavo Centeſimo Trigeſimo Sexto, Indictione V. Ex hoc publico inſtrumento notum ſit omnibus audientibus & legentibus, quod Simon Comes, Dei gratiâ, Dominus de Corſica, ſanus mente, & infirmus corpore . . . . Volo facere judicium de meis bonis acquiſitis, & pater meus & mater mea in preſentia Domnus Abbas Sancti Mamiliani Inſulæ Montis Chriſti, & Silverii Abbas Sancti Benedicti & Sancti Zenobii de Ilaria, ubi dicitur, & in preſentia a me Notario Marco. Item judico corpus meum apud Eccleſiam Sancti Benedicti & Sancti Zenobii de Ilaria, Ordinis Montis Chriſti. Item judico meas poſſeſſiones, quas ego habeo de mio proprio allodio, & denuo acquiſito in Verde in loco, ubi dicitur a Brevone, qualiter ſunt terminate de Sedſtatii, & mette a Radone, & alle Saline, & alle Piaggine, & mette in fiume Luppiano, dicto Barchaio, & mette ad Eccleſiam Sancte Marie, excepto CCX. mezzinate, que ſunt Sancta Maria de Barchaia. Item aliam poſſeſſionem, ubi dicitur Solcacomodo, terminata da Via Vallella all' altra Vallella, & caput Sancti Martini. Item aliam poſſeſſionem, ubi dicitur Filetta lo Poggo alla Chiuſa, & alla Silvella, & lo piano dell' acqua, & lo Peeaſtro, e li Magnuzzoli, & alle Fiche le Lorete, & Acqua Viva. Et iſtas poſſeſſiones cum caſis, & caſamentis, hortis, olivis, vineis, caſtagnetis, & nocetis, melis, & peris, arboribus fructiferis, & non C *fructiferis, terris cultis, & non cultis, domeſticis, & agreſtis, ſervis, & ancillis. Item aliam poſſeſſionem in Alixiano, ubi dicitur alla Preſa allo Novale, qualiter eſt terminata ab uno latere la Valletta, ubi dicitur lo Caſile, ab alio latere la Vallella, que dicitur de lo Pino allo Martone, da capo la Via pubblica, & a piede fiume del Riſſo. In tali vero tenore uxor mea Domina Pregha Comitiſſa debeat habere fructum in vita ſua, & poſt vitam ſuam debet redire ad dictam Abbatiam Montis Chriſti. Et iſta mea ultima voluntas.*

Actum in Canavarile in domo dicti Comitis. D *Teſtes Ubertino Judex de Corſica, Presbiter Blanco Plebano de Alixano, Presbiter Anſandino de Sancto Stefano, & Pietro Caſtaldo, & Cogello de Monte Vajano, & Lodovico de Canavarile, & alii plures teſtes vocati fuerunt.*

Ego Marcus quondam Philippi, Notarius ſacri Imperii rogatus fui, ſcripſi, complevi, firmavi, & dedi.

Et heic vitiatas ac infidas omnino videas Chronologicas Notas. Memoratur autem in hac etiam Charta *Silverius Abbas SS. Benedicti & Zenobii de Ilaria*, atque is fuiſſe videtur, qui in Charta *Ottonis Comitis* ſub *Berlingerio* E *Rege* nominatur *Abate di Santo Mamiliano dell' Iſola di Monte Criſto*. Quod ubi verum ſit, parum diſtarent Simonis Comitis tempora a Berlingerii ævo. Ii tam *Comites*, quam *Reges Corſicæ* appellati fuere. Et alia quidem documenta produnt, fuiſſe olim in Corſica *Comites*, univerſæ Inſulæ Principes: ex quibus unum ſubſequens Charta nobis exhibet.

Querimonia Julii Abbatis Inſulæ Montis Chriſti coram Rolando Comite, totius Inſulæ Corſicæ Domino, de variis uſurpatoribus jurium ſui Cœnobii. Anno, ut Charta præſert, 719.

A*Nno Dominicæ Nativitatis Septem Centeſimo Decimo Nono, Indictione II. Manifeſto ſia a tutte perſone, che leggeranno & udiranno queſta Carta. Quando venne Meſſer l'Abate Giulio Abate dell' Iſola di Monte Criſto, & Meſſer Placito Abate di Sancto Stefano, & Sancto Benedicto di Venaco dell' Ordine di Monte Criſto, con li ſua Frati, innanzi a Meſſer Rolando Conte, per la gratia di Dio, & Signore di tutta l'Iſola di Corſica, & innanzi a Meſſer Giulio Giudice, & innanzi a Meſſer Joanni Legato in Corſica, & altri boni homini, che ivi erano. Et lamentandoſi de ſua poſſeſſione, ch' elli avevano in Venaco, le quali ſono terminate, & per termini, che indicano li nobili Signori Alberto, e Meſſer Domenico Fratelli carnali, e figliuoli quondam Meſſer Guidone delli Signori de' Corſi. Et lamentaronſi di Martinello del Lunatogio, di Ruſticuccio della Selva, & de Vollelo della Boſa, e de Sonello delle Muſtoline, di Vintello di Valove, & di Velanduccio d'Oſteia, d'Andreuccio dello Merzeno, di Salvuccio dello Moieno, de Salvuccio dello Maſoleo, & de Vivolo dello Quarceto, de Bertuccolo dello Vignale, & de Zaviccio dello Zoto. Et queſti huomini diceano, che non doveano dar ſalvo decima alla Badia de Sancto Stefano de Venaco. Et queſti detti Abati diceano, che tutta la poſſeſſione era propria della Abadia. Et queſti Abati appreſentaro ſua Carta dinanzi a Meſſer Rolando, & a Meſſer lo Judice, & a Meſſer lo Legato. Et per queſto che videro & odiro, ſententiaro e ſtregolaro quella Poſſeſſione alli ſopradicti Abati. Et fecero comandamento, che*

A *queſti ſopradicti homini deggiano pagare Libre cento de peni Danari. Et fecero comandamento che infra tre meſi deggiano uſcire fora de queſta poſſeſſione ſotto pena di CCC. Fiorini d'oro, & da parte di Meſſer lo Legato ſotto pena de Excommunica, che infra tre meſi ne deggiano andare con tutti li ſua beni, & più non vi deggiano entrare, ſalvo ad voluntate delli dicti Abati di Monte Criſto, cum qua eſt la dicta Abadia di Venaco. Et diſeno, che queſti nobili Signori de Corſi & ſue heredi deggiano eſſere ſoi diſenſori, che ſono Padroni della decta Badia.*

B *Actum a Fogata, ubi dicitur Marcorio, preſente me Notario. Teſtes Giorgius de Campo Merli, Vivaldino de Corſi, Albertinello de Corſi, Ficone de Boſi, Urſaciolo de Petra juxta, & altri più aſſai.*

Et ego Nicolaus quondam Arrico Notarius Sacri Imperii hanc Chartam rogatus fui, & ſcripſi, firmavi, & dedi.

Et ego Leonardus quondam Laurentii Notarius Domini Legati, Sacri Imperii ibi fui, & vidi, & ſignum meum conſuetum appoſui.

C Chronologicæ Notæ bene heic ſe habent; Anno quippe 719. decurrebat *Indictio II.* Verum quis credat Chartam tot ante Sæcula Vulgari Idiomate ſcriptam? Tot alias ex hiſce Chartis vidimus ſeram antiquitatem præ ſe ferentes, & nihilo minus corruptas, & ad poſteriora tempora ſpectantes. Quod unum exſculpere hinc juvat, *Rolandus* iſte Comes, *univerſæ Inſulæ Corſicæ Dominus* dicitur. Alterum Comitem ab altera Charta accipiamus.

Donatio multorum bonorum facta Monaſterio Sancti Mamiliani Inſulæ Montis Chriſti a Guilielmo Marchione, Domino in Corſica, Judice Calaritano. Anno, ut Charta præſert, 1019.

I*N nomine Domini amen: Anno Dominicæ Incarnationis MXVIIII. Indictione Nona, VI. Kalendas Martii. Ex hoc publico inſtrumento ſit omnibus manifeſtum audientibus & legentibus, quia ego Dominus Gulielmus Marchio, & Dominus in Corſica, Judex Calaritanus, per hanc Chartulam inrevocabiliter do & trado omnipotenti Deo & Eccleſiæ Sancti Mamiliani Inſulæ Montis Chriſti, omnes meas poſſeſſiones, quæ habeo de meo acquiſito allodio, & Pater meus, & Mater mea, vel prædictorum germanorum meorum in Curia de Ampognani Corſicæ in confinibus de Ampogniano in loco, ubi dicitur* Caſſa d'Acqua; *Scilicet* Nepeta, & Liperi, & *l'*Ibbataccia, & la Silvella, & lo Poggio, *prope ipſius Silvellæ*, & lo Leccio, & Fiumale, & *le* Merete. *Et poſſeſſionem meam cum confinibus & terminata. Et iſtas poſſeſſiones damus vobis cum caſis, & caſamentis, caſalinis, hortis, vineis, caſtagnetis, terris cultis & non cultis, agreſtis & domeſticis, ſilvis, ſive boſchis, & maſſaritiis. Item damus vobis aliam poſſeſſionem in loco, ubi*

D *dicitur* Monte d'Olmo *cum XV. domos, & cum aliis ſuis pertinentiis cum ſuo circulo, domos meas, hortos, vineis, caſtagnetis, terris cultis & non cultis, agreſticis & domeſticis. Item damus vobis aliam poſſeſſionem, ubi dicitur* Lumiſta, *cum omnibus domos, caſamentum, vineas, caſtagnetis, hortis, ſilvis, boſchis. Item damus vobis aliam poſſeſſionem, ubi dicitur* Quarcelo, *cum omnibus ſuis pertinentiis, & eam poſſeſſionem cum aquis, mola, & molana ſua. Omnipotenti Deo & prædictæ Eccleſiæ pro anima mea & patris mei & prædictorum germanorum meorum, do, cedo, & trado, & offero.*

E *Et ſit Domno Johanni venerabili Abati Montis Chriſti, & Monaſterio Sancti Mamiliani, &c. Alii Chartula ex parte illius Monaſterii Montis Chriſti appropriando & inveſtio. Quam meam donationem & offertionem habeatis & teneatis ſine moleſtia per vos & veſtris heredibus, &c. Nullus non habeat poteſtatem contradicere, neque moleſtare, & numquam intentionare Monaſterium Montis Chriſti, & poſſeſſionem prædictam intrare. Præcipio talem Chartam ſcribere & rogare. Ego*

Ego Mariano Judice & Imperatoris Notarius.

Actum in Sala in Palatio dicto Domino Marchio, præſenti *Landolphinus filius Guglielmo, Stephanus filius Jacobi, Falcone quondam Barſochii, & Muccio quondam Guidonis, & plures boni homines.*

Indictio IX. quæ heic legitur, aliena eſt ab Anno MXIX. Quidquid ſit, tenemus heic *Guilielmum Marchionem, Dominum in Corſica, & Judicem Calaritanum.* Et dum verax A Charta ſit, fortaſſis ille unus ex iis Marchionibus fuit, de quibus multa ego attuli in Antiquit. Eſten. Certiorem quoque me fecit doctiſſimus Vir Joſeph Marchio Malaſpina, Conſiliarius Cæſareus, & Sancti Marciani Derthonenſis Abbas Commendatarius, Marchionibus Malaſpinis quibuſdam contigiſſe dominari in Corſica; atque hoc ab ipſo confirmatum iri ſpero, ſi quando Hiſtoriam nobiliſſimæ Familiæ ſuæ is luce donabit. Sed jam erumpat alter Corſicæ Dominus in ſubſequenti Charta.

Hugo Marchio, Dominus Corſicæ, & Judex Calaritanus, multa donat Eccleſiæ Sanctæ Mariæ de Canovaria, & Simoni Abbati Inſulæ Montis Chriſti, Anno, ut Charta habet, 1021.

IN nomine Domini. Amen. Anno Domini MXXI. Indictione III. Martii VI. Ex hac publica ſcriptura ſit omnibus manifeſtum audientibus & legentibns, quod ego Ugonus Marchio, & Domino de Corſica, Judex Calaritanus, quia per hanc Chartulam do & trado & offero omnipotenti Deo & Eccleſiæ Sanctæ Mariæ de Canovaria omnes meas poſſeſſiones, quas habeo allodio ſive eſſequtione patris mei, vel predictorum germanorum meorum legentia meo acquiſita in loco, ubi dicitur alla Cappanna, domos, caſamentis, caſalinis, hortis, vineis, caſtagnetis, arboribus fructiferis, & non fructiferis, agreſticis, & domeſticis, cum omnibus ſuis pertinentiis. Item damus vobis aliam poſſeſſionem in loco ubi dicitur Rabagium, cum pertinentiis ſuis, caſis & caſamentis, & omnia, quæ ad ipſum caſamentum pertinent. Item dedit tibi aliam poſſeſſionem in loco, ubi dicitur alla Verdeſe, domos, caſamentis, & caſalinis, hortis, vineis, caſtagnetis, olivis, & nocetis, terris cultis, & non cultis, agreſtis, & domeſticis de plano & monte, cum omnibus ſuis pertinentiis. Item damus vobis aliam poſſeſſionem in loco, ubi dicitur Caſanova, cum domos, & caſamentis, & caſalinis, hortis, olivis, vineis, caſtagnetis, terris cultis, & non cultis, agreſtis, & domeſticis de plano in monte, cum omnibus ſuis pertinentiis de Gargalo a Gargalo in omnibus ubi inverire poſſunt. Item damus vobis alias poſſeſſiones cum domos, & cum omnibus ſuis poſſeſſionibus in loco, ubi dicitur Erbaia. Aliam poſſeſſionem la Croce, & lo Sancto, cum domos, & caſamentis, vineis, hortis, nocetis, caſtagnetis, terris cultis, & non cultis, maſſaritiis, ſervis, & ancillis, & iſtarum, ſive olivetis, cum earum pertinentiis, cum aquis Acchiola molaria ſua. Omnipotenti Deo, & præ- B *dictæ Eccleſiæ Sanctæ Mariæ de Canovaria pro anima mea, patris, & famulorum germanorum meorum, do & trado & offero inrevocabiliter, & licite Domno Simoni venerabili Abbati Monaſterii Sancti Mamiliani Montis Chriſti, & Rector Abbatiæ Sanctæ Mariæ de Canovaria per hanc Chartulam, in ipſa Abbatia recipienti. Et de proprietate veſtio tali jure & pacto & conditione, ut vos, & veſtris ſucceſſoribus pro Eccleſia & Abbatia omnia habeatis, & teneatis cum poteſtate, & proprietate noſtra. Tamen non habeatis in aliquo modo vendendo ea, nec alienando ab aliquo modo, vel ſucceſſo-* C *res veſtri, ſed ſemper omni ſucceſſores ſint propriæ dicti Monaſterii, & Eccleſiæ utilitatis, eam habeatis, & teneatis uſque in perpetuum. Et trado, & offero prædicta omnia prædictarum intratarum ex parte Eccleſiaſtica. Talem Chartam omnia ſcribere rogavi pro me Ruberto Judice Notario Domini Imperatoris.*

Actum in domo Pandolfini, præſentibus Alberto filius Ugolino de Mariano, & Falcone quondam Lamberti de Campolori, Gratiano quondam Ugonis de Monte, & Bernardo de Bonfigli de Ampugnano, & alii plures teſtes inde rogati.

D *Ego Rubertus Judex Imperiali Notario rogatus fui, firmavi, & dedi.*

Anno 1021. decurrebat *Indictio III.*, & niſi velimus adnotatam fuiſſe in authentico *Indictionem IV.* amanuenſem vero pro *IV.* (quod facile fieri poteſt) legiſſe *III.* heic pariter vitiatas Chronologicas notas fateri neceſſe eſt. In altera Charta, quam evulgare ſuperfluum puto, is appellatur *Dominus Ugonus, Dei gratia, Marchio Maſſæ, Domino de Corſica, & Judex Calaritanus.* Hiſce addo duas alias Chartas ad *Rogerium totius Corſicæ Dominum* ſpectantes.

Oblatio multarum terrarum facta Mauro Abbati Inſulæ Montis Chriſti a Rogerio Comite Domino Corſicæ. Anno, ut in Charta legitur, 981.

IN nomine Domini amen. Anno a Nativitate Domini Nongenteſimo Octuageſimo Primo, Indictione IX. die VII. Martii. Ex hoc publico Inſtrumento ſit omnibus manifeſtum audientibus & legentibus, quod ego Dominus Rogerius, Dei gratia, Dominus de tota Corſica, quia per hanc Chartulam irrevocabiliter inter vivos do, & trado, & offero ſimul cum uxore mea [illegible], *omnipotenti Deo, & Eccleſiæ Sancti Mamiliani Inſulæ Montis Chriſti, ſolum hoc pro remedio animarum noſtrarum, & anteceſſorum, in manu Domini Mauri Abbatis Monaſterii Sancti Mamiliani Inſulæ Montis Chriſti, omnes meas poſſeſſiones, quas habeo in loco, ubi dicitur lo Reggentem in flumine de Solo, qualiter eſt terminata per terminis* da piede lo Ponte della Leccia, *& da capite* lo Caſtellazzo, *ex latere* la Strada & lo Molino & lo Gargalo de Caſa Luna. *Quæ ſunt caſis, & caſamentis, molendinis, terris cultis, & non cultis, vineis, pratis, & molis, cum omnibus arboribus fructiferis, & non fructiferis, & ſilvis, arreſtis, & domeſticis. Item damus vobis* lo Piano dello Cerchio, *quomodo circumdatum eſt per ſuos confines. Et hanc meam donationem, & offertionem habeatis, & teneatis ſine moleſtiis per vos, & per veſtros ſucceſſores. Quod nullus non habeat poteſtatem contradicere, neque moleſtare, & numquam intentionare Monaſterium Montis Chriſti, & poſſeſſionem ſupradictam intrare contendere. Et ſupradictus Abbas poſſit facere de ſupradictis poſſeſſionibus tamquam de propriis dicti Monaſterii Montis Chriſti. Dictus Dominus Rogerius rogavit me Landulfus Imperiali auctoritate Notarius rogatus fui, & rogavi.*

Actum in Eccleſia S. Salvatoris de l'Aquaio. Teſtes Ambroſius Epiſcopus Alerienſis, & Dominus Andreas quondam Ruberti de Coſtis, & Johannes quondam Baſilii de Muſileo Canſinche, & Alberto quondam Petri de Amandaſchis, & alios plures bonos homines rogatos.

Ego Fregolinus de Pero Plebibus Tavaniæ, Notarius ſacri Imperii hanc Chartulam copulavi & ſcripſi, & traſſi de una Charta membrana ſcripta de mano del ſupradicto Notaio. *Landulfus.* Come trovai così *ſcripſi neque jungens, neque carens. Cum bona fide feci,* ſalvo ſe fuſſe ſillaba o parola. E queſto abbio fatto alli preghi di Don Paulo Abate di Santo Mamiliano *Inſulæ Montis Chriſti, præſentibus teſtibus* Franceſco da Saja, & Jacopo, & Mariano, tutti di Filetta. Et queſto fu nell' Anno del Signore MCCCLVI. *die VIII. Auguſti* nel Caſtellazzo di Caſincha. *Signum meum appoſui conjuctum.*

Altera donatio, eidem Monaſterio Inſulæ Montis Chriſti facta ab eodem Rogerio Comite. Anno, ut in Charta habetur, 1039.

IN nomine Domini amen: Anno Dominicæ Incarnationis MXXXIX. die X. Auguſti. Per infraſcriptum publicum ſtrumentum ſit omnibus audientibus & legentibus, quomodo & qualiter venit Domino Ruggeri Comes in præſentia me Notario infraſcripto, & teſtibus infraſcriptis, ſanus mentis & corporis ſui, pro remedio & ſalute animæ ſuæ, & parentum ſuorum, dono & concedo allo dicto Monaſterio *Sancti Mamiliani Inſulæ Montis Chriſti, terræ, quæ ſunt prope Allodio, & dovitie de ſupraſcripto Domino Comes Rogerii. Hoc eſt* Arnoſa, col Poccio arenoſo, *& Plano Brincecoli, &* lo Podio delle Mortelle; *quomodo ſunt terminati* da via publica, & mette alli Bertolaccia, & deſcende *per Somme uſque in* Petra roſſa, & mette in Gargalo Cocciapanio, *& Drimetro Sancti Marcelli, &* mette in mare. *Et* l'altri *latere Savigene, &* mette alla Ficareſe, *&* mette in mare, *ſalvo riſervato* infra detto Circolo *&* Dovico *Sancti Laurentii, & lo* Dovico *de Sancto Vito de Gergono,* come *determinati ſunt, & manifeſti ſunt in conceſſione facta per dicto Domino Comes a dicto Monaſterio. Dedit & conceſſit dictas poſſeſſiones cum terris cultis, & non cultis, buſchis, ſilvis, in revocando pro ſe, & ſuis heredibus omnem rationem, quod habere potuiſſent in dictis poſſeſſionibus; facit plenam ratificationem pro ſe & ſuis heredibus uſque in perpetuum donec &c. teſtibus infraſcriptis. Et dictus Dominus Comes juravit ad ſancta Dei Evangelia per ſe & ſuos heredes de non venire con charta, ſine charta, vel cum ingenio contra ſcripturam ſupraſcripte poſſeſſiones. Et facit plenam refutationem in manu dicti Abbatis Montis Chriſti. Dictus Abbas poteſt facere de ſupraſcripte poſſeſſiones tamquam de propriis dicti Monaſterii Montis Chriſti. Domino Ruggeri Comes rogavi me Presbiter Landolfus Imperiali auctoritate Notarius rogatus fui & rogavi.*

Actum in Eccleſia Sanctæ Mariæ de Canovaria. Teſtes Johannes & Marinus Boſus, Ambroſius Aſimucello, & alii plures homines rogati.

In prima ex hiſce Chartis congruit *Indictio IX* Anno 981. ſed quum ſubſequens Charta, quæ ſcripta dicitur Anno 1039. ad eumdem *Rogerium Comitem* ſpectet, ac præcipue quum utramque exaraſſe deprehedantur *Landulfus Imperiali auctoritate Notarius*: tantum temporis interceſſiſſe non potuit inter unam & alteram; atque adeo in alterutra ex his corruptas eſſe Chronologicas Notas ſuſpicari cogor, niſi ſtatuamus, Rogerium primum ab altero diverſum fuiſſe.

Sed quæ mea tamdem opinio ſit de hiſce Chartis, fortaſſe percontetur Lector. Jam ſupra monui, nullam mihi ad manus eſſe Hiſtoriam Sardiniæ & Corſicæ ab erudito quopiam Scriptore concinnatam, quæ res antiquas earum Inſularum tabulis & monumentis vetuſtis egregie, ut opus eſſet, perſequatur. Certe vel antiquis temporibus excogitari poſſunt Principes in utraque Inſula dominati. Ut enim ex Annalibus Francorum conſtat, Anno 828. Bonifacius Tuſciæ Comes, *cui tutela Corſicæ Inſulæ tunc erat commiſſa, aſſumto ſecum fratre* Bere-

Beretbario, *& aliis quibuſdam Comitibus de Tuſcia*, *Corſicam atque Sardiniam parvâ claſſe circumventus*, *quum nullum in mari piratam inveniſſet*, *in Africam trajecit* &c. Ergo tunc Sardinia & Corſica jugum Sarracenorum nondum ſubierant. Circiter Annum 852. complures Corſorum turmæ ad Leonem IV. Papam confugere, quod Sarracenorum incurſiones diutius ferre non poſſent. Novas illis ſedes Pontifex miſericordiâ motus, Anaſtaſio teſte, aſſignavit. Sed ne tunc quidem Barbaris ea Regna ceſſere; neque cum Eminentiſs. Baronio in Annal. ad eumdem Annum 852. cenſendum eſt, Sardos Inſulam ſuam omnino deſerere coactos, quòd circiter ea tempora *Vicus Sardorum* Romæ fuiſſe deprehendatur. Erat & ibi *Vicus Saxonum*: & quid inde, amabo, inferas? Dubitationem quoque omnem amovet idem Anaſtaſius Bibliothecarius ſcribens in Vita Nicolai I. *de Inſula Sardiniæ* circiter Annum 865. relationem veniſſe, *quod Judices ipſius Inſulæ cum populo gubernationibus ſuis ſubjecto, cum proximis ac ſanguinis ſui propinquis inceſtas & illicitas contraherent nuptias*. Quare illuc Legatos Pontifex miſit, ut hujuſmodi morbo medicinam afferrent. Quæ verba evincunt, vel tunc in Sardinia Principes populi, eoſque Chriſtianos, floruiſſe, & eâdem *Judicum* appellatione diſtinctos, quam in ſubſequentibus Sæculis conſervatam ſupra vidimus. Sæculo poſtea XI. Mugetus, ſive Muzaitus, Sarracenorum Rex utramque Inſulam invaſit, & gravem Chriſtiano populo tribulationem intulit. At eum inde brevi Piſanorum & Genuenſium vires exturbarunt, ut habemus in Chron. Piſan. & in Annal. Caffari Tom. VI. Rer. Italic. Ac proinde Gregorius VII. Papa Lib. V. Epiſt. IV. Anno 1077. ſcripſit ad Epiſcopos & viros nobiles *in Inſula Corſica* conſiſtentes, dolens, eos, qui illam hactenus tenuerant, nihil ſervitii, nihil fidelitatis beato Petro exhibuiſſe. Idem Pontifex Epiſt. 10. Lib. 8. dedit ad *Orzochum Judicem Calaritanum* in Sardinia, quod Archiepiſcopum radere barbam coëgiſſet. Quare locus etiam ſuſpicandi foret, Chartas hactenus evulgatas ad remota Sæcula pertinere potuiſſe. Attamen veri mihi videtur ſimilius, ſi non omnes, fal-

A tem pleraſque, referendas eſſe ad Sæculum XII. immo & ad XIII. Neque aliud ſuadet Notarii ſubſcriptio, ſupra adnotata, & *Dominos* frequenter appellari illuſtres viros, & cognomina nominibus addita. Ad hæc ſunt mihi & aliæ duæ Chartæ (eas, ne nimius ſim, non exero) quarum altera, ſcripta, ut ibi legitur, Anno 1209. donationem continet factam Monaſterio Montis Chriſti ab *Amaldo Comite de confinibus Corſicæ*. Altera vero exarata dicitur *Anno MCCLX. Indictione Quincta* (& heic in Chronologiam peccatur) in qua *Domino Rinaldo Marcheſe quondam Ugonis*, *qui fuit ſimiliter*
B *Marchio*, *dedit & conceſſit* eidem Monaſterio *tota la Villa della Veſolaccia* &c. Non alius fuiſſe videtur *Hugo* iſte *Marchio*, quam qui ſupra nobis occurrit, quum tamen is Anno 1021. floruiſſe dicatur, ejus vero filius Anno 1260. Imperitis amanuenſibus tribuendum eſt, quod in hiſce Chartis (eas autem ab impoſtoribus profectas fuiſſe perſuadere mihi neutiquam poſſum) pro germana veri facie multiplex confuſio appareat. Erunt hæc fortaſſis uſui alicui, ſi quando Sardiniæ & Corſicæ Hiſtoriam aliquis illuſtrandam ſibi ſumſerit.

Ceterum, ut eo denique regrediamur, unde
C diſceſſimus, qualeſcumque ſint hujuſmodi Chartæ, & Notariis ſubſequentibus tribui poſſit quidquid ibi eſt Italicæ Linguæ, attamen poſſunt & ipſæ indicio eſſe, Corſicam & Sardiniam, ante reliquas Italiæ Provincias, uſas Vulgari Lingua fuiſſe in publicis Actis conſcribendis, aut ſaltem Latino ſermoni multas interſeruiſſe Italicæ Linguæ voces & formas dicendi. Proinde finitimorum exemplo Vulgaris Lingua noſtra, quæ uſque ad Sæculum XIII. in ore tantum hominum verſabatur, vivere etiam cœpit illo ipſo Sæculo in Libris & ſcriptis. Ea verò Florentinorum potiſſimum ſtu-
D dio deinde expolita, ſummum honoris locum in Europa conſequuta eſt atque retinet. Manent tamen & hanc ſua fata; Sæcula quippe venient, quibus ipſa quoque in ſenium verget, & excidet. Quid enim ſtabile, quid diuturnum in fluxis hominum rebus, & præcipue in vocibus? Latinæ & Græcæ Linguæ funera intuemur: temere meliora ſperemus de nobis.

DE ORIGINE,

SIVE

ETYMOLOGIA ITALICARUM VOCUM.

DISSERTATIO TRIGESIMATERTIA.

DISSERTATIO TRIGESIMATERTIA.

IN præcedenti Diſſertatione de *Origine* A *Italicæ* florentis *Linguæ* latiori quodam excurſu egi; nunc mihi preſſius aliquid addendum de *Origine Italicarum Vocum*. *Etymologiarum* ſtudium & cura vulgo indocto prope inanis labor videri ſolet , quaſi exiguus Eruditionis fructus inde conſequatur. Sed aliud eſt Sapientum judicium; nam ut in mores antiquorum univerſos fertur Eruditionis amator , ita etiam amat dignoſcere , unde ſermonis ſui copioſa ſupellex originem traxerit . Laudati ſunt ea de cauſſâ multi ex antiquis , iique inſignes Scriptores . Quinctiliano etiam teſte Lib I. Cap. 6. *Continet in ſe Etymologia multam Eruditionem* . Quapropter ad hocce ſtudium ſe contulere , & non mediocrem ex eo voluptatem retulerunt ac laudem , B ambo Scaligeri, Lipſius , Salmaſius, Meurſius, Martinius , Johannes Gerardus Voſſius , Du-Cangius , viri magni , Guillielmus Somnerus , & Hic-Keſius , ut Beccanum hominem ſomniis deditum , Covaruviam , Caninium , Nicotium, alioſque præteream . Poſtremis etiam hiſce temporibus , poſt Leibnitium , & Schilterum viros Clariſſimos , & de Germanica Lingua optime meritos , in Etymologiis Linguarum vulgarium famam ſibi comparavit Johannes Georgius Eccardus inter Germanos vir ſpectatæ eruditionis . Ad Linguam vero Italicam quod ſpectat , ejus originem , atque Etymologias vocum, multi illuſtrandas ſuſcepere, nempe Caſtelvetrus , & Taſſonius Mutinenſes, C Cardinalis Bembus , Accariſius , Monoſinius, Celſus Cittadinius , Carolus Datus , Franciſcus Redius, Antonius Salvinius,& præcipue Octavius Ferrarius, atque Ægidius Menagius, quorum poſtremus , etſi gente Gallus , noſtram tamen Linguam illuſtravit , edito Opere , cui titulus *Le Origini della Lingua Italiana* , Anno 1685. Verùm liceat mihi dicere , multa deſiderantur in iis , qui hactenus vocabulorum noſtrorum originem ſunt perſequuti . Nimis enim facile ſibi perſuaſere docti viri , vix ullam vocem ſe nobis offerre , quæ aut ex Græciæ , aut ex Latii fontibus non ſit arceſſenda . Hercle falluntur . Sunt & aliæ gentes , apud D quas expiſcandum eſt , & unde certo colligitur non exigua meſſis vocum nunc in Italia uſurpatarum. Neque meliorem viam iniere alii , quibus viſa eſt Lingua noſtra multum mutuata ex Provinciali Dialecto,aut ex Hebraica.Ex Aramæa quoque Lingua ſomniavit Giambullarius effluxiſſe vocabula multa Linguæ noſtræ. Verum longe minus quam credimus , ex Græcis accepimus ; pauca e Judæis; & quæ pauca ex Gallia Narbonenſi rectâ ad nos venere, in Scriptorum potius, quam Populi, uſu ſervantur . Itaque mea ſententia eſt, ſolertius quam hactenus factum ſit, inveſtigandas eſſe Septentrionalium Populorum, immo & ipſorum Arabum Linguas , ut complurium E vocum noſtrarum fontes detegamus. Nimirum & iſti Populi , aut quod ſedem diu in Italia tenuerint , aut quod commercio & mercaturâ ſeſe majoribus noſtris ſæpe conjunxerint , non exiguam ſuarum vocum manum in Linguam noſtram intulere . Pudeat fortaſſis aliquos petere e Barbaris gentibus ejuſmodi ſubſidium , non ſecus atque nonnullos pudet ſuæ gentis exordia agnoſcere a populis Borealibus : quaſi decus tantummodo ſit e Trojanis , Græcis , ac Romanis ſanguinem ſuum duxiſſe : quæ vetus inſania eſt . Sed nos ultra æquum delicatuli inanibus phantaſmatis paſcimur , & veritate neglectâ, aut etiam contemtâ, umbras illius interdum imprudenti ſtudio conſectamur . Nobis contra agendum eſt , ut non quod placet , ſplendidiuſque videtur , ſed quod verum eſt aſſequamur . Quamquam & magno in honore olim Arabes fuere ; Germanica vero natio non nunc ſolum, ſed & antiquiſſimis temporibus nobiliſſima fuit . Addo etiam , quamvis ex abjectiſſimis populis eduxiſſet Lingua noſtra varias voces , quid hoc quæſo ejus gloriæ obeſſet ? Ex quo vocabula illa ad nos immigraſſent, noſtraque evaſiſſent, cum nobili Lingua commixta nobilitatem accepiſſe dicenda forent . Plato quoque in Cratylo ſuos Græcos jamdiu monitos voluit , *quoties Græcorum nominum origo apud ipſos Græcos non invenitur , a Barbaris petendam , a quibus Græci vocabula multa ſumſerunt* . Antiquiſſimum nempe eſt inter ſe Linguarum commercium ; migrationes vero vocum, non ſecus ac populorum , dum intenti ſimus , facile deprehendemus .

Ergo operoſius inquirendum, quibus ex fontibus Vulgaris noſtræ Linguæ voces manarint. Nonnullas profecto nobis contribuerunt Hebræi & Græci : quam in rem quia multi , & latius etiam , atque confidentius quam par eſſet, inquiſierunt, propterea miſſum hoc facio. Nullus autem ambigendi locus eſt, quin præcipua Italicarum vocum maſſa educta fuerit e Latinorum Lingua ; ac proinde noſtram Linguam Latinæ filiam non ſolum jure poſſumus , ſed opus eſt appellare . Retinuimus innumeras voces, phraſes , & dictionis ordinem in pleriſque , ita ut vel populus indoctus in humili ſermone Latino & verba & ſenſus quandoque intelligat . Animadverte tamen , etſi Vocabularium Florentinum tot voces collegerit ex Latio ad nos profectas , multas tamen eſſe , quæ neque verba Populi Italici, neque Etruſci, dicenda ſunt . Nimirum docti viri pro ſuo arbitrio , aut pro neceſſitate explicandi ſuam doctrinam , ſubtileſque cogitationes, aut ad Eloquentiæ pompam, nova verba, novaſque phraſes procuderunt atque procudunt , aut potius ea ex notiore Latinorum Lingua , finitimiſve etiam ex Linguis mutuati ſunt. Hiſce vero additamentis raro aut numquam utitur Populus reliquus; immo ne illa quidem ut partem propriæ Linguæ agnoſcit . Ad hæc facile nequaquam ſtatuas , Linguam alicujus gentis præcellere alteri copiâ ac ubertate vocum . Extollunt nonnulli hac de cauſſâ Græcam , Arabicam , Germanicam &c. Equidem mihi videre videor , quemlibet cujuſque Urbis Populum ad uſum loquelæ ſuæ fere ſemper habere veluti definitam quamdam vocabulorum maſſam, Synonimis etiam multis redundantem . Is Vocum & loquutionum uſitatarum cumulus uno tempore ſermonem populi cujuslibet conſtituit . Eruditi dumtaxat , ingenio non vulgari præditi, & qui præcipue Linguas eſteras novere , com-

plu-

A plures alias ultra numerum illum efformant ac uſurpant. Quod ergo ingens Vocabulorum copia genti uni tribuatur, non inde ſequitur, quamlibet ejuſdem gentis Urbem tantâ ſegete in uſu ſermonis ſui etiam fuiſſe; ſed quidem ex univerſæ Gentis illius, & tam ex indoctorum, quam doctorum loquelâ confectum fuiſſe tam opulentum verborum promtuarium. Cuicumque enim Civitati fuit ſemper, ac erit ſua peculiaris Dialectus, & Vocum aliquot, ſive paucarum, ſive plurium uſus, quo ceteræ Urbes caruere, aliis ſuis & ipſæ propriiſque vocibus inſtructæ. Itaque quo latius ſeſe protendit Natio aliqua, ejuſque Lingua, majorem quoque deprehendas in ea Vocum abun-
B dantiam: quæ dici quidem poſſint Voces Gentis illius, ſed non omnes ſunt ſingularum Urbium Gentis ejuſdem Voces. Ego in Mutinenſium Dialecto incredibilem copiam deprehendi ejuſmodi vocum, quas Florentini penitus ignorant. Parem fortaſſis & alii in ſuis Urbibus aut Provinciis animadvertent. Profecto qui Vocabularia Græca ſibi contexenda ſumſere, non unis Athenis uſurpata Vocabula, neque unius Sæculi collegerunt; ſed etiam congeſſere ex pluribus Sæculis, atque e Scriptoribus univerſarum Urbium, quæ olim Græce loquebantur. Ideſt non tantum ex Græcia & Macedonia, & Inſulis Ægæi maris, ſed & ex Urbibus compluribus Aſiæ, & Ægypti, quarum
C ſingulis peculiaris Dialectus, voceſque peculiares fuere. Ita opulentum penus Græcæ Linguæ docti viri inſtruxere. Quod etiam de Arabica dicendum, quæ olim latiſſime dominata eſt. Ad Italicam Linguam redeo, filiam profecto Latinæ, atque ex iſtius quidem corruptione natam, ſed nihilo ſecius nobiliſſimam atque formoſam. Minime vero excogitandum, Linguæ noſtræ voces ex eo fere ſemper fonte petendas. Ne ipſi quidem Romani, dum rerum domini eſſent, obſiſtere poterant, ne in ſuam Linguam peregrinæ & barbaræ voces irreperent: quanto ergo facilius in noſtram illapſæ fuerint poſt tot Sæculorum curſum, & ex quo gentes ipſæ Barbaræ ſuos lares huc confertiſſi-
D me tranſtulere, & ex quo diuturnum commercium fuit inter Italiæ populos, ceteroſque ei finitimos, immo & longinquos mercaturæ cauſsâ nobis familiares & notos? Proinde nulla eſt Italiæ Civitas, cui præter Voces communes univerſæ Linguæ noſtræ non ſint & aliæ peculiares (uti etiam propria Dialectus eſt) aut ex Latino, aut ex conterminis gentibus deductæ, quas in aliis Urbibus fruſtra quæras. Sunt & aliæ Voces uni ex Italicis Provinciis communes, quibus Provinciæ reliquæ carent; neque enim Tuſcorum aut Neapolitanorum voces quaslibet populi Lombardiæ uſurpant, uti neque noſtras illi. Ex his autem tum communibus, tum peculiaribus Vocabulis nos ma-
E jorem partem a Latina olim florente Linguâ accepimus; nonnullas majores noſtri procudérunt; reliquas alii Populi occaſione aliqua interveniente in haſce terras invexere. Immane Vocabularium contexeret, qui univerſas Italicarum Urbium & Populorum voces in unum cogeret.

Et primo opinari poſſe mihi videor, adhuc in Italica Lingua, ejuſque variis Dialectis, multas contineri voces, quibus ante Latinorum, ſive Romanorum dominationem uſi ſunt antiquiſſimi felicis hujus telluris incolæ. Hi enim ante Romanos dominati ſunt vetuſtiſſimi quidam populi, Indigenæ, Phœnices, Etruſci, Heneti, Ligures, Galli, aliæque gentes, de quibus egit Cluverius in Italia ſua. Incertum, quantum a Latina Lingua diſſideret Sabina, ſeu Etruſca, aliæque in antiquorum Libris memoratæ. Aliarum Linguarum certe diverſarum a Latina, populos non paucos vetuſtiſſimis iis Sæculis Italia nutrivit, quorum vocabula omnia exulaſſe, ac defeciſſe, poſtquam Romanorum imperio tota Italia adjecta eſt, difficile ad credendum adducar, uti in præcedenti Diſſertatione jam innui. Ex iis vocabulis cur quæſo aliquot, aut etiam multa non ſuperſint adhuc in communi Italica Lingua, aut ſaltem in illius variis Dialectis? Montium præſertim incolæ ex his nonnulla ſervarint, ac præcipue nomina quædam Artium neceſſaria, & fluminum & locorum. Exempli cauſsâ fluviorum Rex Eridanus nunc nobis appellatur *il Pò*. *Padum* Latini quoque dixere. Atqui nomen iſtud a Gallis, aut Liguribus ante Romanos in hac ipſa regione regnantibus, impoſitum fuiſſe, veteres etiam arbitrati ſunt. Plinium audi Lib. III. Cap. 16. *Metrodorus Scepſius dicit, quoniam circa fontem arbor multa ſit picea, quæ Pades Gallice vocetur, Padum hoc nomen accepiſſe. Ligurum quidem Linguâ amnem hunc Bodincum vocari.* In voce *Bodincus*, ſi B. preſſius in prima ſyllaba pronunties, habes *Po*: reliqua fortaſſe exciderint. In Gloſſario antiquarum vocum Celticarum Boxhornii occurrit *Boddi*, ſignificans *Mergere*. Et Germanis *Boden* eſt *Fundus*. Sed quum penitus evanuerint vel ipſa veſtigia antiquiſſimarum ejuſmodi Linguarum, ſpes etiam ſublata eſt dignoſcendi, quæ voces inde ad nos uſque profectæ fuerint. Verum quoties inveſtigatur origo vocabuli alicujus, ſive a communi Linguâ Italicâ, ſive ab aliqua Civitatum Dialecto uſurpati, neque ratio ulla adeſt illud deducendi ex Latio, Græcia, Arabia, Germania, Gallia, aut ab aliis Linguis, cum quibus affinitatem aliquam Itali olim habuerint, juſta ſuſpicio oboriri poteſt, ejuſmodi vocem inter illas referendam, quæ priſcis Italiæ habitatoribus in uſu fuere. Suſpicionem tantummodo dixi; neque enim, quod originem Vocis alicujus attingere non poſſimus, continuo illa referenda eſt ad tam remotos fontes. Erunt alii poſt nos feliciores, qui acie meliori utentes propius invenient, quod nos alibi fruſtra quæſivimus. Ita Gallorum, Britannorum, & Hiſpanorum Linguæ ſervant adhuc complura, ſive pauca, aliquot tamen ex antiquiſſimis priſcæ ſuæ gentis vocibus, quamquam ea diſtinguere a ceteris arduum, immo deſperatum negotium ſit. Nimirum non ita invaluit in Italiæ Provinciis victoris Populi Romani Lingua, ut omnes penitus aboleverit Linguarum præcedentium Voces; ſed aliquæ ex iis in uno populo ſervatæ ſunt, & adhuc perdurant, aliæ vero in aliis Urbibus & Populis. Exempli cauſsâ, ſi quæras, unde ad nos venerit *Mallo*; quo nomine tunicam ſignificamus viridem ac mollem, qua cortex nucum & amygdalarum ab arbore pendentium circumdatur (*Malla* Mutinenſes appellant, & *Andare in Malla*, quum nucum cortex ab ea tunica ſponte ſeparatur). Octavius quidem Ferrarius reſpondebit, ex *Mollis*; Menagius verò ex Græco Μαλλὸς ſignificante *Vellus*, *Lanam*, hanc vocem prodiiſſe. Verum nimis lata eſt ſignificatio *Mollis*, ac literæ etiam diſcrepant; & omnino abſona eſt derivatio e Græco, quum nihil aliud Μαλλὸς ſit, quam

globu-

globulus, ſive *Cirrus Lanæ*, inter quem & tunicam viridem nucum nihil ſimilitudinis intercedit. Atque heic obiter animadverte, Mutinenſes hac voce, Tuſcis ignotâ, adhuc uti, quum dicunt *un Mallone di Lana, di Capelli, di Canape*, ideſt *Globum Lanæ &c.* Anaſtaſius quoque Bibliothecarius, ſeu quiſquis eſt Auctor Vitæ Benedicti II. Papæ ſcribit: *Hic una cum Clero & exercitu ſuſcepit Mallones capillorum Domni Juſtiniani, & Heraclei filiorum clementiſſimi Principis.* Quare latior, quam putarit Du-Cangius, eſt ſignificatio hujus vocis; neque proprie ſignificat *Crinem*, ſed quidem *Globum* alicujus rei, quæ e filis, aut pilis, aliiſve fluxis rebus conſtet. Dicunt etiam Mutinenſes un *Mallocco di cera, di neve, &c* ut *Globulum* ſignificent. Quum ergo nulla ſatis concinna origo vocis *Mallo*, ſive *Malla* in nucibus occurrat, legitima ſuſpicio oboriri poteſt, donec certior fons inveniatur, eam Vocem ad nos manaſſe ex antiquiſſimis Italiæ incolis. Neque aliunde ad nos veniſſe opinor ego nomina nonnulla, quæ in Agricultura apud Ruſticos, atque in aliis Artibus perdurant, neque a Latii Lingua rite derivari poſſunt. Si petas originem vocis *Vanga* (*Bipalium* Latini dixere) hoc eſt ferrei illius inſtrumenti, quo terra foditur, pede innitente in ferreum ſuppedaneum. Menagius a *Pango*, aut ab ipſo *Bipalio*, ſed adversâ plane Minervâ, deducendam ſuſpicabatur. Somnerus etiam Anglicus Scriptor vocem hanc fruſtra a Saxonico *Fangan, quod eſt manu prehendere*, ipſam traxit. Rectius nobis perſuadebimus, eſſe hanc unum ex vetuſtiſſimis Italiæ vocabulis, quum Palladius de Re Ruſtica *Vangas*, & Sanctus Gregorius Magnus circiter An. Ch. 594. Lib. III. Dialog. commemoret *ferramenta, quæ uſitato nos nomine Vangas vocamus*, ſubdens, quoſdam fures mutata mente apprehendiſſe *Vangas*, quibus *cuncta horti illius ſpatia, quæ inculta fuerant, coluerunt*. Idem in Vita Sancti Felicis Presbyteri ad diem XIV. Januarii in Actis Bolland. videas, uti jam Voſſius animadvertit, qui tamen *Vangam* non ſatis erudite *Ligonem* putavit. Foſſorii autem inſtrumenti hujus figuram habemus inſculptam titulo ſepulcrali eruto ex Cœmeterio Calliſti, cujuſdam Leonis Chriſtiani ruſtici primis Eccleſiæ Sæculis, apud Fabrettum Cap. VIII. pag. 574. Inſcript. antiqu. Quæri etiam poſſet, unde ad nos venerit nomen *Gramola*, quo ligneum inſtrumentum deſignamus, uſurpatum ad conterendum & mundandum Linum atque Cannabem, & ad ſubigendam farinam, ſive ut nos dicimus, *la Paſta*. In Diſſertat. XXIV. *de Artib. Ital.* invenies *Linum Gramulatum*, ſeu *Grammulatum*. Nullum hujus vocis veſtigium apud Græcos, Latinos, Gallos, aut Septentrionis incolas. Num ſuſpicabimur a fera antiquitate profectam ad nos illam fuiſſe? Certe quod Menagius ait: *Forſe viene a Terere Latino*, riſum tantummodo moveat. Et movebit ſane, ſi ſcalam ab eo excogitatam commemorabo, videlicet: *Tero, Terimo, Terimum, Terimulum, Rimulum, Ramulum, Ramula, Ramola, Gramola.* Sed vetuſta Sæcula uti inventum illud, ita & ejus vocem ignoraſſe videntur. Plinius enim Lib. XIX. alia ratione Linum contuſum ſcribit, inquiens: *Virgæ arefactæ in ſaxo tunduntur ſtupario malleo.* Fortaſſis inter veterum Borealium veterum Linguarum rudera aliquam vocis hujus originem Eruditi inveniant. Carolus M. Auguſtus in Capitulari de Villis, Tom. I. pag. 337. edit. Baluzianæ enumerans *Utenſilia* (quam vocem pro rebus ad eſum, & potum pertinentibus male explicat Gloſſa in l. *eos, qui Utenſili.* ff. de Decurionibus, & Budæus in l. 2. de Nundinis, quum ſignificet inſtrumenta, quibus ruſtici, artifices, ceterique hominum ad ſua opera utuntur) *Utenſilia*, inquam, ruſticalia Villarum ſuarum enumerans, inter alia commemorat *Andedos, catenas, Cramaculos, ſecures, terebras, &c. Gramacula* quoque legitur in Breviario rerum Fiſcalium, edito per Eccardum. Accedit *Cramacula* ad nomen *Gramulæ*. Verum Du-Cangius deſignari hoc nomine putat *Cremaſteres focarios* (Mutinenſes *la Catena del fuoco*) cui idem Eccardus ſubſcribit. In Gloſſis vetuſtiſſimis Florentinis ab Eccardo ipſo juris publici factis occurrunt *Cramacula*, & Theutonice redduntur *Habala*. Ita in Gloſſis Fuldenſibus *Cramaillas Habla*. Recte de vi vocis *Gramacula* judicabit, qui Theutonicum *Habala* mihi explicet.

Curioſitate quoque eruditorum digna eſt origo vocum *Cavolo*, & *Verza*. Primam uſurpant Romani, Tuſci, Neapolitani ad deſignandam Latinorum *Braſſicam*, atque ipſum nomen ex Latio venit. Nam quamvis *Caulis* generaliter quorumcumque olerum, & herbarum *Thyrſum* (unde Italicum *Torſo*) ſeu *Scapum*: peculiari tamen ſignificatione *Braſſicam* deſignavit. Exempla proſtant apud Plinium, Horatium, & Martialem. Hinc ergo *Cavolo* Italicum, & Germanicum *Khol*, & Gallicum *Chou*. Sed unde *Cavolo*, ſeu *Caolo Capuccio*? Mutinenſes ejuſmodi Braſſicarum genus tantummodo appellant *Capucci*. Putarunt nonnulli, olus iſtud hoc nomen accepiſſe ex *Braſſica Capitata*, quod ipſa capitis humani ſpeciem præferat. Verum Braſſica iſta *Capitata* a Matthiolo dumtaxat aliiſque recentioribus hoc nomen accepit, qui Latine exprimere voluerunt *Capuccio*. Haſce Braſſicas capitatas Mediolanenſes appellant *Gambuſi*, Galli *Cabus*. Quænam ergo ex iſtis primitiva vox ſit, & num nos a Gallis, an Galli a nobis vocem acceperint, incertum eſt. Si hoc olus Italicæ originis eſt, veri videatur ſimilius, primo efformatum *Gambuſo*; quam vocem Galli in *Cabus* converterint, ac Tuſci in *Capuccio*. Unde autem *Gambuſo*? Num e *Crambe*, quod vulgus immutarit in *Crambus*, & denique detracto R. in *Cambus*. Plinio utique teſte Lib. XX. Cap. 9. *Crambe* appellata fuit *Braſſica* a Latinis. Animadvertendum quoque, Latinum *Caulem*, hoc eſt *Thyrſum*, a Tuſcis reddi per vocem *Gambo*, & a Mutinenſibus per vocem *Gamba* & *Gambone*, quaſi ſit Crus olerum & florum. Quare ſive *Crambem*, ſive *Caulem* ſpectes, inde *Gambuſo* manaſſe potuit. Hoc autem Gallica Lingua in *Cabus*, & Tuſca Dialectus in *Capuccio* poſtea convertiſſe videtur. Mutinenſes pronuntiant *Capuzz*, quod parum diſtat a Gallico *Cabus*. Progredior. Quod olus *Cavolo* dumtaxat appellatur ab Etruſcis, nomen *Verza* apud nos & reliquos Lombardos retinet. *Berza* quoque Hiſpanis eſt eadem ſignificatione. Illi ne a nobis, an nos ab illis acceperimus, nemo decernat. Sed unde *Verza*? Dantes Can. XVIII. Inf. ſcribit:

Ahi come facean lor levar le Berze.

Hanc vocem Scriprores Vocabularii Florentini interpretantur *le Gambe*. Verum minime certa eſt

eſt interpretatio iſta, quam Benevenutus de Imola, longe vetuſtior Auctor, utpote Petrarchæ & Boccacii amicus, explicat *le Berze*, idest Caulem. A Germanis *Kerſe* appellatur *Crambe*. Putem autem probabili conjecturâ Berzam traheban a *Braſſica Berza* & *Verza*. Aut ergo ex antiquiſſimis Linguis derivanda eſt vox iſta, aut amplectenda Menagii opinio, qui *Verſa* ab *Viridia* natam ſuſpicatur *Verza*, cui ab illa Octavius Ferrarius alienum ſe prodit. Italicæ certe Linguæ eſt *Verzicre*, efformatum ex *Viridarium*, *Virdarium*, *Verdarium*, *Verzarium*. *Berzarium* quoque dixere veteres. Et *Viridicarium* occurrit in Formulis Lindenbrogii Cap. 77. Italica quoque Lingua habet *Verzicare* pro *Verdicare*; & *Verzume* pro *Verdume*; & *Verzura* pro *Viretum*. Ignus a vero non abhorret, Braſſicas, quæ pomœrium loco, ubi conſeruntur, Viriditatem tribuunt, *Verzæ* fuiſſe appellatas. Quod ſi cui non hæc quidem ſententia probatur, liceat ei nomen *Verza* ſuſpicari ſuperſites ex antiquiſſimis Italiæ Linguis; aut ad nos a populis Septentrionalibus delatam. Nam in vetuſtis Gloſſis Theotiſcis ab Eccardo editis, Tom I. Hiſt. Franc. Oriental. occurrit mihi *Braſſica*, quod nomen Germanice redditur Wirz.

His autem delibatis, ſublucebit, quam conſtantes interdum fuerint populi in retinendis antiquorum vocibus, ad Artes ſuas neceſſariis. Idque etiam in aliis ruſticorum noſtrorum vocabulis animadverti, ac præcipue dum dicunt: *E' tempo di ſolvere, andiamo a ſolvere*, ideſt tempus eſt edendi, tempus *jentaculi*, *prandii*, *&c.* Scilicet ſignificant, quod antiqui Latini dixere (populus autem Civitatis noſtræ id numquam uſurpat) *ſolvere jejunium*. Ita *Dejejunare*, ideſt *jejunium ſolvere*, veteres dicebant, unde natum Gallicum *Dejuner*, *far coleziene*, & noſtrum *Diſinare* pro *Prandere*. Florentini quoque ruſtici *Jentaculum* appellant *Sciolvere*, *Aſciolvere*, quod ex eâdem Latina phraſi manavit. Pariter ruſtici iidem noſtri *Dugaro* appellant canalem, aquas pluvias recipientem in agris, ſive a Græco *δοχὴ*, *Receptaculum* ſignificante, ſive a Latino *Duco*, ut eſſet canalis *Ducarius*, Italice *Condotto*. *Ducarii* eo ſenſu eſt apud Ughellium Tom. 3. Ital. Sac. in Archiep. Piſan. In poſtrema Operum Gregorii Turonenſis editione a Cl. Ruinarto procurata Lib. I. Cap. 25. de Gloria Martyr. legitur: *Ne forte togis* (alii *locis* habent) *occultis lymphæ deducerentur in fontes*. Legendum ibi *Dogis*. Ita apud nos, aliolque populos perdurat vox *Biroccio*, carpentum binis rotis vectum, ſignificans. Veteres quippe dixiſſe credendi ſunt *Birotium*, ſeu *Birotium Carpentum*, ut eſt in Lib. Miracul. Sancti Waldeberti Abbatis Luxovienſis, & in Actis antiquis Sanctorum Nerei, & Achillei ad diem XII. Maji apud Bollandiſtas. Præterea Mutinenſibus eſt adhuc *Arſenzare*, quod ex *Recentare* Latino ad nos deductum mihi creditur. Hiſpanica quoque Lingua retinet *Recentar*, nobis *Rinfreſcare*, *Rinovare*. In Mimicis Matii Poëtæ vetuſtiſſimi legitur:

Jam jam albicaſſit Phœbus, & Recentatur.

Mutinenſis Dialectus *Ar* pro *Re* pronuntiat, ut *Arſtituire* pro *Reſtituire*; *Arcomandare* pro *Raccomandare*. Quod tamen interdum facit & Florentina. Ipſi enim eſt *Arnione*, quod Mutinenſes appellant *Rognone*, & Galli *Roignon*, ex *Ren Renis*. Ad hæc animadvertebam, quod Tuſci *Avverſario* dicunt, ex Latino eſt *Adverſarius*, a Mutinenſibus dici *Arverſario*, E tacite pronuntiato more Gallicæ Linguæ. Adnotavit autem V. Cl. Matthæus Ægyptius, vivens Neapolitanæ Urbis decus, in elegantiſſima *Explicatione Senatuſconſulti de Bacchanalibus*, ſive vetuſtiſſimæ illius æneæ tabulæ, quæ nunc in Muſeo Auguſtiſſimi Rom. Imperatoris CAROLI VI. adſervatur, veteres Latinos R. pro D. uſurpaſſe in aliquot vocibus. Nempe ajebant *Arfuiſſe* pro *Adfuiſſe*; *Arvorſum* pro *Advorſum*; *Arverſarius* pro *Adverſarius*. An Mutinenſes ſuum *Arverſario* a tam remotis Sæculis acceptum ad noſtra uſque tempora deduxerint, alii videant: ego decernere non auſim. Hoc tantummodo novi, adhiberi hanc vocem a Mutinenſi vulgo, ut *Diabolum* ſignificent, qui & in Divinis Literis *Adverſarius* appellatur. Hæc autem notio præſto mihi fuit, ut doctiſſimo viro Antonio Mariæ Salvinio, Patricio Florentino, inquirenti quid rei eſſet, ac unde defluxiſſet *la Verſiera*, vox apud populum ſuæ Urbis uſitata, originem illius indicarem. Neque enim aliud eſt, niſi Latinorum *Adverſarius*, quod Tuſca gens ita deformavit. Frater Jacoponus Tudertinus, qui circiter Annum 1298. complures Rhythmos compoſuit Lib. III. Ode 25. ait:

Il Nemico ingannatore,
Averſiero del Signore.

Fortaſſis ex Gallico *Adverſaire* rectâ venit *Averſiero*, *&* *la Verſiera*. Præterea Mutinenſibus dicitur *Adracato* de ſenibus pro *Adarcato*. Uti & *Frabbo* ab eis appellatur, qui Latinis eſt *Faber*, & Italicæ Linguæ *Fabbro*. At hoc etiam fortaſſis ab ipſo Latinorum ævo ad nos venit. Johannes Vignolius in Append. ad Diſſert. de Columna Anton pag. 202. Inſcriptionem refert a ſe deſcriptam, & poſitam *M Julio Attico Præfetto Frabum* pro *Præfecto Fabrum*, ſive *Fabrorum*. *Freve* quoque pro *Febre* legas in Rhythmis prælaudati Fratris Jacoponi. Ita in duabus Chartis Alamannicis a Goldaſto editis, & a Du-Cangio memoratis in Gloſs. Lat. legitur *Fruniſcat con gratia Dei & Sancti Petri*. Nihil aliud eſt *Fruniſcat*, niſi *Fruatur cum gratia Dei*: quæ antiquiſſima Latinorum vox eſt, repudiata a Romanis elegantioribus, ſed ſervata a vulgo in Provinciis; *Fruniſcor & Frunitum dixit Cato*, verba ſunt Feſti Pompeji, videlicet pro *Frui*. In Inſcriptione apud Fabrettum Cap. III. pag. 237. Inſcript. Antiqu. de duobus filiis immaturo fato ſublatis legitur: ETATE SVA NON SVNT FRVNITI. Neque aliter in Inſcriptione Romana apud Gruterum pag. 1049. n. 6. poſita Aprionianæ puellæ Chriſtianæ. Ibi legas:

IN SOMNVM PACIS FEMINA APRONIA

NATA IIII. ANNORVM QVÆ NIHIL FRVNITA.

Ibi inſculpta *Palma*, Martyrem tamen minime indicans, ut verba ſonant: qua de re agam infra in Diſſert. LVIII. *de Chriſtian. venerat.*

Vidiſti, ut puto, quomodo vel ipſis vetuſtiſſimis Sæculis Latinæ voces contra germanæ Grammaticæ regulas flecterentur, & corrumperentur. Id factum in ipſa Urbe; quanto facilius id in Provinciis contigiſſe credendum? Barba-

Barbarica deinde ſucceſſere Sæcula, quibus ſenſim permultæ voces deformatæ fuerunt, aliamque faciem accepere eo ſucceſſu, ut complures non deſint voces, Latinæ profecto originis, ſed abſtruſæ, quum difficile indicari nunc poſſit ratio, qua formam adeo a priore diverſam in ore populi Italici induerint. Quæreb t Ægidius Menagius vir doctiſſimus inter Gallos, de quo jam fuit mihi, & plurimus infra erit ſermo, dum Italicæ Linguæ Origines adornabat, unde noſtrum *Bruciare* & *Abbruciare* prodierit. En ejus ſententiam. A *Pruna Prunacius*, *Prucius*, *Brucius*, *Brucia*, *Bruciare*. Nemo credat. Neque felicior Octavius Ferrarius, qui *Amburere* fontem noſtri *Bruciare* cenſuit. Vix falli me putem, deducendo hanc vocem e Latino *Peruro*. Nempe verbum iſtud in præterito dat *Peruſſi*. Fortaſſis etiam pro *Peruſtus* in uſu populi fuit *Peruſſus*; nam & alia Supina ac Participia corrupta fuiſſe tunc novimus. A *Peruſſi* efformatum *Peruſſare* & *Peruſſiare*, tum *Pruſſare* & *Pruſſiare*, & denique leniter pronuntiato P, atque in B converſo (ut factum in *Brina* e *Pruina*, in *Obbrobrio* ex *Opprobrium*, in *Pruno*, ſeu *Prunio* fructu a nobis Lombardis immutato in *Brugna* &c.) *Bruſare*, *Bruſciare*, & *Bruciare* prodiit. Eâdem ratione, uti infra oſtendam, enatum mihi creditur ex Latino *Peramare* Italicum *Bramare*. Nos Lombardi adhuc retinemus *Bruſare*, alii populi uſurpant *Bruſciare*; Tuſci vero *Bruciare*. Attamen *Bruſare* etiam uſurpavit Johannes Villanius Lib. VII. Cap.73. Neque Lombardis eſt verbum *Abbruciare*. Hoc ab ipſis tantummodo Tuſcis uſurpatur. Hæc mihi propior vero, ne dicam certa, origo vocis iſtius. Ita Galli a *Peruſſulare* (Latini veteres *Peruſtulare* dixerunt) ſenſim efformarunt *Peruſſuler*, *Bruſſuler*, ac tandem *Brusler*. Conſiderandum nunc aliis relinquo, an ex ipſo Lombardico *Bruſare* arceſſenda ſit origo vocis *Braſe*, Latine *Pruna*. Tuſci ea appellant *Brace*, *Bracia*, *Bragia*. Si hic fons revera, mirandum eſt, quei V in A immutatum fuerit; neque enim audeo huc trahere *Per* & *Aſſare*. Apud Gallos *Braiſe* idem ſignificat, & inde *Embraſer*, & Hiſpanicum *Abraſar*, a quibus veriſimiliter *Braſa*, *Brage* &c. accepimus. Falluntur enim, qui *Bruciare* & *Bruſare* Italicum, atque *Embraſer* Gallicum, deducunt ex Græco Βράζω, ſignificante *Ebullire*, *Agitari*. Sonus quidem literarum ſimilis, ſed diverſa eſt ſignificatio. Longe quoque a vero abiit Du-Cangius in Gloſſario, quum ſcripſit *Bruſcare* adhibitum fuiſſe pro *Incendere* ſeu *Amburere*: quam in rem unum Sanutum Italicum Scriptorem laudat. *Bruſciare*, non *Bruſcare*, ſcripſerit Sanutus; nullus enim ex Italicis *Bruſcare* umquam pro *Comburere* uſurpavit. Videant autem Galli, an ſuum *Braſſer la Biere* effluxiſſe potuerit ex *Per-* & *Aſſare*; aſſatur enim hordeum ad conficiendam cerviſiam. Perpendendum etiam, an ſcopum attigerit idem Du-Cangius, quum putavit Gallicum *Brouſſailles*, aut *Broſſailles*, enatum ex *Bruſcia* & *Brozia*. Mutinenſibus la *Bruſaglia* appellatur, quidquid ex arboribus & nemoribus deciditur ad comburendum, voce deductâ e *Bruſare*. Quare vocem hanc a Lombardis mutuati videntur Galli. Appellamus etiam *Brocchi* & *Brocche*, ramos arborum & virgultorum. Si Gallico more pronunties *Broches*, idem nomen habes; atque inde etiam efformari potuit *Brochailles*, ac deinde *Broſſailles*. Retinent etiam ruſtici noſtri Latinum nomen *Stiva*, *aratri manicam* deſignans. *Segolo*, & *Meſſora*, quibus inſtrumentis ad metendum utuntur. Primum a *Secando* venit; alterum a *Meſſoria* falce, cujus mentionem habes apud Ulpianum. *Perſello* appellant perticam ſuperpoſitam fœno adducto in curribus. *Preſſellum* videlicet a *premendo*. Dicimus etiam un *Regoletto di perſone*; ut ſignificemus manum hominum collectorum, & inter ſe colloquentium, a Latino *Recollectus*. Itidem retinemus ex Latino *Ruſpari Ruſpare*: quo verbo Florentini carent; & illud quidem diverſum eſt a *Raſpare*, de qua voce infra in Etymologiis ſermo erit. Utuntur etiam Mutinenſes, aliique Lombardiæ populi voce *Gerla*, ſive *Zerla*, ad ſignificandam corbem, in qua panem coctum piſtores portant. A *Gerulis* in ipſam corbem nomen pertranſiit. Neque nos fugiat velim *Chirotheca* adhibita manibus ad arcendum frigus hyemali tempore, quam Tuſci *Manicotto* appellant; Mutinenſes, aliique Lombardiæ populi, *Manizzo* ſeu *Manizza*. Manavit vox ex Latino *Manicia*, quæ occurrit apud Plinium juniorem Lib. 3. Epiſt. 5. In Vita Sancti Filiberti Abbatis Gemeticenſis a Mabillonio editâ legitur: *Manicia*, *quæ nos peregrinâ Lingua* (ideſt Germanicâ) *Wantos vocamus*. Scilicet hoc nomine manuum operimenta, quæ nos *Guanti* appellamus, veteres ſignificabant. Vide in Diſſert. IX. *de Miſſis* Chartam Anni 820. ubi *Maniciæ* occurrunt. Mutinenſes autem non ſolum cum reliquis Italis *Pruinam* appellant *Brina*, ſed etiam Pruinam vehementem, in arborum ramis ſpectabilem, & congelatam dicunt *Galaverna*. Fierine potuit, ut hæc vox partim Græca, partim Latina fuerit? Quippe Γάλα, ſeu *Gala* Græcis eſt *Lac*. Iſta etſi neutrius generis, in femininum contorta, atque addito *Hiberna* (quod poſtea in *Verna* evadere potuit, uti ex *Hibernum* efformavimus *Verno*) fortaſſis originem dedit vocabulo *Galaverna*, quaſi ſignificare per metaphoram voluerint *Lac Hibernum*. Habent etiam Mutinenſes *Ancona*, vocem nempe corruptam e Græco Εἰκὼν, quod *Icona* in accuſativo reddit. Habent & vocem *Zemena*, qua exprimunt ambas manus junctas & concavas ad apprehendendam rem aliquam diſſolutam, ut ſunt nummi, triticum, milium &c. Eo quoque menſuram rerum ipſis manibus apprehenſarum ſignificamus. Vox iſta e *Gemina* prodiit, nempe *geminâ manu cavatâ* aliquid comprehendere. *Utrâque manu cavatâ* legitur apud Ammianum Marcellinum Lib. 16. Cap. V. Ita *Poleſini* penultimâ longâ nobis appellantur *Pulli gallinarum*. Lampridius in Alexandro Severo *Pullicenos* eâdem ſignificatione commemorat. *Concædem* Cæſar, Tacitus, & Marcellinus appellarunt ſepimentum ex arboribus conciſis factum. Sepes vero in Mutinenſium pagis quibuſdam adhuc appellantur *Cede*. Et in Statutis Bononienſis Populi Lib. VI. eſt Rubrica *de Cedis non frangendis*. An vero a Tuſcis uſurpetur vox *Cógoma*, ignotum eſt mihi. Mentionem illius in Vocabulario *della Cruſca* fruſtra quæſivi. At iſtam Mutinenſes, aliique, ut reor, populi ſervant, atque eſt Latinorum veterum *Cucuma*, vas nempe ad aquam calefaciendam, præcipue Barbitonſoribus in uſu. Ita nobis eſt *Olla* Latinorum, Tuſcis minime. Habemus etiam *Pavera*, E producto. Ita vero appellamus Calamos, ſive proceras herbas, quæ in lacunis aut paludibus tenui aqua imbutis naſcuntur. E Græco *Papyrus*,

eat, a Latinis quoque uſurpato, vox venit. Sed cum Papyri in paluſtribus Ægypti locis naſcebantur, & adhuc naſcantur. Nos Lombardi ſæpe P. in medio vocum per V. conſonans efferimus, ut *Ripa*, *Riva*; *Papero*, *Pavaro*; *Sapone*, *Savone* &c. Ex *Papyrus Papiro*, *Pavero*, *Pavera*. Liſciviam Florentini appellant *Ranno*. Unde traxerint, ignoro. Mutinenſes Latinam vocem retinent, converſam in *Liſcia*, ſeu *Leſcia*. Fuit & Latinis *Lixivia*. Præterea nobis in uſu eſt *Prillare*, ſignificans *Ducere in gyrum*, ſeu *Aggirare*. Mihi ſuborta ſuſpicio eſt, potuiſſe vocem hanc ad nos venire e Græco *Prylis*, quo Callimachus utitur in Hymno I. ad ſignificandam *Saltationem*, ſeu *Choream armatorum*. Pleræque enim ſaltationes Gyris peraguntur. Latinorum *Situlla*, vas ad hauriendam aquam, apud Mediolanenſes perdurat; quippe inde efformatum fuit *Sitellinum*, nunc *Sidelino*. Bononienſium *Calcedro* idem ſignificans, e Græco Χαλκεῖον ſignificante Vas æreum ad aquam hauriendam, deſcendit. Neque mihi prætermittendæ ſunt Muti-

A nenſium *Burniſe*, qua voce indicant exiguas Prunas ignitas. Ab ipſis *Prunis* in diminutivum converſis *Pruniſie*, *Bruniſia*, *Burniſia* enatum videtur, niſi quod apud Britannos, fortaſſis ab Anglo Saxonibus acceptum, in uſu eſt verbum *to Burn*, *Comburere*, *Ardere*, unde multa compoſita. Sed videndum, an & illi a *Prunis* traxerint. Ita vix ullus eſt Italiæ populus, qui ſingularem aliquam ex antiquis vocibus apud ſe non ſervarit, quæ jamdiu apud alios populos inſueta ſive antiquata fruſtra conquiritur. Quum ergo Italicarum vocum originem quærimus, non paucæ occurrunt, quarum occulta, aut ſaltem incerta ac dubia ſunt primordia; neque enim ſufficiens & commoda
B ratio ſe offert deducendi illas e vocibus Latinis, aut Græcis, aut finitimarum gentium. Atque ex iſtis nonnullas recenſere heic juvat, ut perſpicacioribus ingeniis, ſi lubeat, aut felicioribus, campus pateat ſeſe exercendi in ejuſmodi ſtudio. Atque ex his fortaſſis erit aliqua, cujus originem ad vetuſtiſſimas Linguas referendam eſſe non temere quiſquam ſuſpicetur.

CATALOGUS

Aliquot vocum Italicarum, quarum origo aut ignota, aut dubia adhuc eſt.

Accivire. Vox antiquata.

Accoccare.

Addare pro *Avvederſi*, *Accorgerſi*: quæ vox Florentinis, & præcipue Mutinenſibus a Mediolanenſibus familiaris eſt. Fortaſſis ex *Avvederſi*, *Avvedarſi* ac tamdem *Addarſi* corruptum erupit.

Aguzzino. Ab Hiſpanico *Alguazil* hanc deducit Taſſonius V. Cl. Mutinenſis in Notis MStis ad Vocabul Cruſc.

Aguzzetta, vox obſoleta.

Albagia. Arabicum nomen videtur ob *Al* ejus gentis articulum; ſed nullum veſtigium adhuc reperi. Mutinenſes dicunt *Albaſia*.

Alla rinfuſa. Ab *Reinfuſus*. Sed quomodo vim vocis *Confuſus* ſuſcepit?

Aloco. Multa de hoc nomine habet Menagius, ſed plura Uliſſes Aldrovandus. Attamen obſcura adhuc videtur vocis origo.

Ambaſcia. *Animi angor*, *deliquium*.

Ambaſciata, Ambaſciatore. Niſi ſit ex Arabico, ex Germanico erit. In Lege Salica occurrit *Ambaſcia Dominica*. *Abbaſciatum Remedii Epiſcopi* legitur in Epiſt. Pauli I. Papæ in Codice Carol. circ. Annum Ch. 758. Hicheſius animadvertit, *Legationem* a Mœſo Gothis appellari *Ambyth*.

Anfanare.

Appalto, Appaltare. *Pacthen* Germanis eſt aſfittare. Efformatum inde fuiſſet *Appatto*, *Appattare*, *Appaltare*.

Appiattarſi.

Arcolaio.

Ardiglione. Mutin. & Mediol. *Ardione*.

Arnia. *Alvearium*.

Arrancare, & Voga Arrancata.

Arrogere. Ideſt *Addere*. Florentinorum verbum, atque illud obſoletum.

Arzigogolo.

Attignere. E Latino *Attingere*. Sed qua ratione nunc ſignificat *Haurire*?

Attutare. Receſſit ab uſu.

Avvenente. Quare ab *Adveniens*?

C Babbuino. Simiæ genus. Fortaſſis ab Arabico.

Baco da Seta.

Badalucco.

Bagaglie. Gall. *Bagage*. Hiſpan. *Bagaye*.

Bagordo. Vide Du-Cangium ad v. *Bohordicum*.

Baleno, Balenare.

Balordo, Sbalordire.

Balzano.

Baratto, Barattare.

Barbuta. Latine *Galea*.

Bardotto.

Baruffa.

Baſire pro *Spiritum exhalare*. Mutinenſes *Sbaſire* uſurpant tranſitive pro *Occidere*.

Baſto. *Clitellæ*. Adhuc obſcura videtur vo-
D cis origo.

Bazzicare.

Beccajo. Lanius. Quare Itali & Galli ab *Hircis* Lanios, & *Beccheria* ab *Hircorum Laniena* dixerint (ſi tamen hæc vocis origo) nondum liquet.

Belletta.

Berettino.

Bertuccia. *Simia*.

Biacca.

Biaſciare. Apud Vitruvium *Calx in lacu macerata aſcietur*. Num ergo ex *Bis*, aut *Vi* immutato in *Bi*, atque *Aſciare*, natum hoc verbum?

Bica. Acervus alicujus rei. Vox Florentino-
E rum.

Bigio.

Birba, Birbone, Birbante.

Birro, Sbirro.

Boja.

Bolſo.

Boria. Num a *Boreas*?

Borzacchino. Hiſpan. *Borzegui*.

Botta, ideſt *Roſpo*. Florentinorum vox.

Bozzima. Mutin. *Boſma*. Neſcio cur Menagius *Boſima* ſumſerit pro *Sterco di Bue*. Id novum in Italica Lingua. Vide Diſſert. XLII. *de Cognominibus*, ubi *Imboſmato* Agnomen in Charta Anni 973. Bret-

Bretto . *Sterilis* . Obſoleta vox .
Brillare . Fort. a *Beryllus* . Niſi ſit antiquiſſima Germanicæ Linguæ vox, qua Franci adhuc utuntur .
Broccolo .
Bronco .
Bruſco .
Buccia . .
Buganza . Mutin. *Buſanca* .
Bugigattolo . Mutin. *Buſigatt* .
Bugno . *Alvear* . Vox Florentinorum .
Bullino . Gall. *Buren* .
Burattino .
Burbero , Burbanza .
Burchio , Burchiello .
Buſto .

Caſſo . *Impar* .
Calamita . Aliquid ſimilitudinis intercedit inter hanc vocem , & *petram Calibitam* .
Camuffare .
Cangiare . Gall. *Changer* .
Cantina .
Capriccio . Gall. *Caprice* . Phantaſticum conſilium , & ſubitus horror membrorum . Inde *Raccapricciare* .
Carcaſſo . *Pharetra* . Vox a Florentinis minime uſurpata .
Carcioſſo .
Carota . Gall. *Carotte* . Angl. *Carrot* .
Carpone .
Caſacca . Vox e Gallia ad nos delata potius , quam ex Hiſpania .
Caſcare .
Catafalco .
Catapecchia .
Caviale .
Cazzuola da Muratore , *Trulla* .
Cencio .
Chiacchiera , Chiacchierare .
Chiavica .
Cigolare . Videtur a ſono . Mutinenſes habent *Zigare* , idem ac *Gridare* .
Cinguettare . Picam Mediolanenſes appellant *Ciguetta* . Quomodo Picæ loquantur, notum eſt . Fortaſſis inde verbum ; ſed hoc verbo non utuntur Mediolanenſes .
Ciottolo .
Cionco.
Civanza . *Lucrum*. Vox obſoleta . Sed adhuc in uſu Venetiis, & Patavii .
Ciurma , Ciurmare .
Cocca . *Screna* . Coccare .
Cocchio . Gall. *Coche* . Angl. *Coach*
Così . Ex *Sic* ſine dubio : at quomodo additum *Co* ? Idem dicas de *Cotanto* & *Cotale*.
Corrotto . *Luctus in funere* .
Coreggia . *Crepitus ventris* . In Lib. Revelationum compoſito ab Anonymo , qui circiter Annum 1100. vixiſſe creditur , Cap. VI. hæc leguntur : *Quo perveniens , audivi mox ſonitum Corrigiunculæ poſt me factum a fratre illo* &c. Du-Cangius interpretatur *de Nola , ſeu Campanula , quæ percutitur in Monaſteriis, quum diſciplinæ dari debent* . Neſcio , an dubitare de interpretatione poſſit .
Covone *Manipulus* . Mutin. *Covo* dicitur congeries manipulorum ſimul ligatorum . Num a *Cubus* ? an a *Cubare* ?
Crociuolo . Mutin. *Criſol* , ſeu *Griſol* , uti & Hiſpanis . *Chryſos* , *Aurum* ſignificans , in hac voce ſentitur . An quia *cruciatur* ibi aurum ?
Cruna dell' ago .

A Cucuzza .
Cugino .
Cupo .

Deſtro . *Latrina*. Florentinum Vocabulum.
Dilimare .
Diporto .
Doga .
Domandare , Dimandare . A *Demando* , uti videtur . Sed quomodo in ſignificationem petendi & interrogandi *Demando* tranſierit , fortaſſis adhuc obſcurum eſt .

Facchino .
Fandonia . Num a *Fando* ?
B Fardello . Gall. *Fardeau* . Hiſp. *Fardel.* Num a Gallico *Hardes* , *Panni da doſſo* , efformatum fuit *Fardeau* ?
Farletto .
Fatta . *Species* , *Genus* .
Fattezze .
Ferrajolo .
Filaſtrocca .
Fiutare .
Fogna . *Cloaca* . Vox Florentinorum .
Foja . *Libido* . Num a *Voja* Lombardico pro *Voglia* ?
Forziere . Fortaſſis ab *Arca Fortiore* .
Frappa , Frappare , Frappatore .
Fraſca .
C Fratta .
Fregata . *Species navis* .
Froſone . *Avis ſpecies* . Mutin. & Mediol. *Friſone.*
Frottola .
Fruſco , Fruſculo . Dubito adhuc , an e *Fruſtum* , *Fruſtulum* .
Fuſcello .

Gabinetto . Galli *Cabinet* . E *Capanna* efformatum , ægre ad credendum feror .
Gala , Galante . Hiſpanicas voces puto . Vide tamen , an ex *Elegans Elegantis* prodiiſſe potuerit , variato literarum ordine *Galante* .
Galleria . Gall. *Galerie* .
D Garretto . Gall. *Jaret* .
Gavazzare . *Strepere præ lætitia* .
Gavetta . *Mataxa* .
Gergo . Gall. *Jargon* . Menagius , ſuis admirandis ſcalis unice uſus , a *Barbaricus* natam hanc vocem eſt arbitratus , & præ gaudio clamavit εὕρηκα εὕρηκα . Habeat ille ſibi ſuum Etymon . Ego adhuc abditum reor .
Ghermire , Gremire .
Gherminella .
Ghezzo. *Niger* , ut creditur . Vox jamdiu ex hominum commercio proſcripta .
Ghiado. *Morto a Ghiado* veteres Tuſci dixere. Evanuit vox iſta .
E Ghiribizzo .
Gioja . *Gaudium* .
Giornea . *Chlamys* .
Gnocco .
Gogna, idem ac *Berlina* . Florentina vox.
Gora . *Canalis* , *Euripus* . Mediolanenſes *Guttur* , ſeu *Gulam* , appellant *Gora* , ſed O. preſſe pronuntiato .
Gota , *Gena*. Mutin. *Golta* .
Graſcia . *Annona* .
Grezzo , ſeu Greggio .
Gretto . *Parcus* .
Grigio .
Grimadello . Mutin. *Grimaldello* .
Groppa . Gall. *Croupe* .

Guaime. Mutin. *Guarume*. Fœnum ſecundarum. Herba poſt primam eædem renaſcens.
Gualdrappa.
Gualercio.
Guarire. *Sanare*.
Guidaleſco. Ulcus in dorſo jumentorum.
Guitto. Mutin. *Ghitto*.

Imbandire. *Tavole ben' imbandite*, dixit Paſſavantus vetuſtus Linguæ Italicæ Scriptor.
Indarno. Veteris Germanicæ Linguæ vox creditur.
Inferigno. De pane dicitur, cui immixtum furfur.

Leggiadro.
Lercio.
Leſina. Hiſpan. *Aleſna*.
Lezzo. *Fœtor*. Quomodo ex *Oleo*, quod tantummodo ſignificat *Odorem emittere*?
Lizza.
Liſta. Vox vetuſtiſſima, ab Anaſtaſio Bibliothecario, a Johanne Diacono, & aliis uſurpata. Communis etiam Gallis, Germanis, & Anglis.
Locco. Dicitur etiam *Lolla* a Florentinis.
Loffa.

Macca. Ideſt *Abbondanza*.
Macco. Ideſt *Cibo groſſo*. Mutinenſes adhuc retinent *il Macco de' Capponi, de' polli*.
Maciulla. Florentinorum vocabulum. Idem ac *Gramola*.
Malandrino. Fortaſſis a *Malandria* Ægyptiorum morbo, ſpecie lepræ, uti Du-Cangius ſuſpicatur.
Manigoldo. Germani videant, an ſua Lingua vocem hanc nobis dederit, quæ ex duabus compoſita videtur.
Mantice. E Græco Μανδαξ, imperterrite Menagius. Tu accuratius perpende.
Marangone. *Carpentarius*. Vox Mutinenſium, Parmenſium &c.
Mariuolo.
Marmaglia.
Martello. Vox perantiqua apud Gallos.
Maſcalzone. Num ve *Malo-Scalzone*? Dicimus etiam: *Tu ſe' un Mal' uomo*, *Mal' addobbato*, *Malavventuroſo* &c.
Melangolo.
Mezzo, E. aſpero. *Vietus*.
Miccia, funiculus lineus, quo ad accendendum ignem in tormentis bellicis utimur.
Miccio. *Aſinus*. Florentinorum vox.
Moſtaccio.
Mozzo da ſtalla. Ex Hiſpanico. Sed unde illud?
Muſo.

Nanſa. *Aqua odorifera*.

Orza.

Padire. *Digerere*, *Concoquere cibum*. Lombardorum vocabulum. Sed & Frater Jacoponus Tudertinus circ. Ann. 1298. Lib.II. Cant. 23. ajebat:

> *Il tuo ſtomaco ſi muore*,
> *S'egli non ha che Padire*.

Paggio.
Paiuolo. *Vaſo di rame*. Mutin. *Paruolo*.

A Palandrana. A *Balandrana*.
Palco. *Turbo*. Mutin. *la Prilla*.
Paliſchermo.
Palmento. *Calcatorium uvarum*. Dicitur & de Molendinis.
Pantano.
Papero. *Anſerculus*. Mutin. *Pavaro*.
Paragone. *Lapis Lydius*. Mutin. *Parangone*.
Patina.
Pattume.
Pentola.
Perno.
Perucca. Parucca.
Pialla. *Runcina*. Mutin. *Piola*.
Picciolo, Piccolo, Piccino.
B Piloto. Vox etiam a Gallis, Germanis, & Hiſpanis uſurpata.
Pilottare.
Pinzocchero. Bizocco.
Pivolo.
Pizzicagnolo.
Preſciutto, Proſciutto. Mutin. *Perſutto*. In quo principium vocis *Perna* ſentitur, quo nomine Latini ſunt uſi. *Sutto* nobis eſt *Aſciutto*.
Prugnuolo. *Fungorum ſpecies*.

Quaglia. *Avium ſpecies*.

Rabbuffare. Rabuffo.
C Racchetta. Gall. *Raquette*. Florentini hanc vocem in *Lacchetta* converterunt.
Ramarro.
Ranno.
Rappatumare. *Pacificare*.
Raviuolo. Alicubi vidi ſcriptum *Raffiuolo*.
Razza. Galli quoque habent *Race*. An utraque vox a *Radix* prodierit, juſta adhuc dubitandi cauſſa eſt.
Riſchio, Riſico. Galli habent *Riſquer*, Angli *Risk*, Hiſpani *Rieſgo*, & *Arrieſgo*.
Ronzare. Videtur a ſono.
Rovaio. *Ventus*.
Ruffiano.
Ruga, Rua. Galli *Ruë*. Antiquis vox nota.
D Du-Cangius & Menagius ex Græco Ῥύμη eam traxere. Sed adhuc dubito. In Charta Pariſienſi Anni 780. apud Baluzium occurrit *Rua Sancti Germani*.
Ruſſare. *Laſcivire*, *Luſitare*.

Sbiavare, Sbiadato. A *Blavus*. At unde *Blavus*?
Scappucciare. *Impingere*. Num quod *Capuccium* e capite impingentium decideret?
Scarabocchiare.
Scarmigliare. Num ab *Excarminare*? Ita ſuſpicatur egregius juvenis Senenſis Joſeph Peccius.
Schiappare. Germanis eſt *Clap*, ſignificans
E *Ictum*.
Schiccherare.
Schidone.
Schiena. Galli *Eſchine*. Angl. *Chine*. Fortaſſis acceperunt a nobis.
Scimunito. Veſtigium vocis *Scemo* heic habes.
Sciocco. *Zocco* a *Soccus* fruſtum ligni præduri appellatur a Mutinenſibus. Hominem quoque inertis ingenii hoc nomine donant.
Scoglio. A *Scopulus*, ſed quomodo?
Scorruccio. Item atque *Corrotto*.
Scozzonare, Cozzone.
Sdrucire.
Sdrucciolo, Sdrucciolare.

Se-

Semola. Idem atque *Cruſca*. Lat. *Furfur*.
Seſta. *Circinus*.
Sezzo. *Poſtremus*. Ab uſu receſſit.
Smagare. Verbum obſoletum.
Smargiaſſo.
Smarrire. Non eſt certa origo a *Marritio*.
Sornacchiare.
Sovente. Dubito, an a *Subinde*. Gall. *Souvent*.
Spago.
Spalto.
Stantío.
Starna.
Strabiliare.
Stroppa.
Stropiciare.
Stuccio. Gall. *Eſtui*. Hiſp. *Eſtuche*.
Stucco, Riſtucco.
Succhio. *Terebra*. Mutin. *Trivello*.
Svenire. Pro *Svenimento*; veteres Florentini dixerunt etiam *Sfinimento*.

Taccola, Taccolare.
Talento. *Deſiderium*.
Tanghero.
Tarchiato.
Tartaruga.
Tartaſſare.
Tartufo. *Fungorum ſpecies*.
Tazza.
Teſtè.
Tinello.
Tirare. Si a *Traho* venit, peregrina ſane metamorphoſis eſt. Et præcipue quod contraria etiam ſignificatione adhibeatur, hoc eſt pro *Conjicio*, *Projicio*. Arabica Lingua habet *Tharaba* ſignificans *Conjicere*, *longius Abjicere* &c. Sed ne hinc quidem ſat lucis.
Traccia. Gall. *Trace*.
Trafelare. Pro *Languere*, ſeu *Deficere*: obſoleta vox.
Tramoggia.
Traſecolare. Quaſi extra *Sæculum*, ſeu *Mundum*, ferri præ ſtupore. Ingenioſi juvenis Joſephi Peccii Senenſis conjectura eſt.
Trippa. Hanc etiam vocem uſurpant Galli, Britanni, Hiſpani, Belgæ.
Tronſio.
Truffa, Truffare.
Turcaſſo.

Vanni. *Alæ volucrum*.
Ubbía. *Malum omen*.
Ubino. Species equorum.
Verone.
Vezzo. Ideſt *Carezza*; & *Vezzo di perle*.
Viſpo.
Vivagno.
Vizzo. Lat. *Mollis*, *Flaccidus*.
Voto. *Vacuus*. Votare. *Vacuare*. Mutinenſes aliique Lombardi dicunt *Vodar*. Galli *Vuider*. Anglis quoque *Void* eſt quod *Voto*.

Zacchera. Nihil ſimile mihi occurrit in Arabica Lingua, ut alii putant.
Zaino.
Zampillare.
Zanzara. Mutin. & Mediol. *Senzala*, quaſi *ſine alis* volitet.
Zolla.
Zucca.

A Poſt Linguas priorum Italiæ incolarum ſucceſſit *Latina*, quæ ita dominationem arripuit, ut non aliam deinde uſurparint Italiæ populi, quamquam non eadem una ubique foret, ſed pro variis Urbibus ac regionibus variæ Dialecti audirentur: qua de re ſermo mihi fuit in antecedenti Diſſertatione. Senſim vero immutari & corrumpi hæc eadem Lingua viſa eſt; ac tum maxime aliam faciem aſſumere cœpit, quum Septentrionales gentes non ſolum in regionem iſtam irrupere, ſed heic etiam victrices ſedem ſuam fixere, ac diu tenuere. Loquor de Herulis, qui ſub Odoacre Italiâ potiti ſunt; & de Gothis, qui Theoderico duce Regnum ſuum heic ſtatuerunt; tum de Lango-
B bardis; deinde de Francis, & denique de Germanis, qui nobis dederunt Reges & Imperatores permultos. Propterea ſenſim in deſuetudinem abiere complures ex Latinis vocibus ac phraſibus, & pro iis invaluere Germanicæ Linguæ voces non paucæ. Liceat enim mihi unam diverſis iis gentibus Linguam tribuere Germanicam, ſive Teutonicam, quamquam non ignorem, multum diſcriminis interceſſiſſe inter eorum Linguas, uti & nunc deprehenditur inter populos ſuperioris & inferioris Germaniæ, & Daniæ, Scandiæ, aliarumque gentium Arctico polo propiorum, unde priores Barbarorum tranſmigrationes Italia accepit. Ad hæc ipſa Germanorum Lingua temporibus noſtris a ve-
C tuſtiſſima ſuâ valde diſſimilis eſt, ſive quod Dialectis & ipſa quamplurimis ac variis affluat, inter quas una reliquis prævaluit, ſive quod hoc tulerit Linguarum natura ſemper inconſtans, & in ſurdam mutationem prona. Nihil autem mirum, Septentrionalium gentium voces non paucas in Italicum ſermonem irrepſiſſe. Nam qui primo ad Italiam ſubigendam confluxere Barbari, centena millia fuere, præter eorum uxores & liberos, ita ut ingenti hominum exterorum multitudine in ſinu Italiæ degente ac dominante, novis etiam quotidie ſe eis adjungentibus ad prædæ ac felicitatis communionem, vix fieri potuerit, quin majorem rubiginem ex eorum barbarico ſermone con-
D traheret Italicorum Lingua. Heruli, Turingi, & Rugi ſub Odoacre, ut habet Miſcellæ Auctor Lib. XV. Tom. I. Rer. Ital. pag. 99. *multas Civitates Italiæ parantes reſiſtere, extinctis habitatoribus, ad ſolum uſque dejecere*. Supervenere deinde Gothi ſub Theodorico, & ipſi incredibilis hominum turba, quæ Herulos ſuſtulit; quippe, teſte eodem Auctore, *cum omni Oſtrogothorum multitudine* Theodoricus Italiam ingreſſus eſt. Procopius quoque ſcribit, eos huc fuiſſe illapſos, *parvulis, feminiſque in plauſtra impoſitis cum ſupellectili, quantacumque deferri potuit*. Ex hiſce populis, etiam poſtquam a Juſtiniani Auguſti copiis profligati fuere, complures, & præſertim pueri
E ac mulieres, in Italia perſeveraſſe credendi ſunt. Succeſſere demum Langobardi in imperium Italiæ, ipſique pariter innumerabiles, quum gens univerſa Pannoniam, cui antea dominabatur, deſeruerit, ac Hunnis amicis incolendam tradiderit; eiſque ſeſe junxerint aliæ Germanicæ gentes, ſcribente Paullo Diacono Lib. II. Cap. XXVI. *Certum eſt, tunc Alboin multos ſecum ex diverſis, quas vel alii Reges, vel ipſe ceperat, gentibus ad Italiam adduxiſſe, unde uſque hodie eorum, in quibus habitant, vicos, Gepidos, Bulgares, Sarmatas, Pannonios, Suavos, Noricos, ſive aliis hujuſmodi nominibus appellamus*. Sed & ante Langobardorum irru-

Langobardorum irruptione peſſumdata Italicas Urbes, præcipue per Ciſalpinam Galliam, latiſſime Cædibus fœdarant. Fames quoque nimia ingruens UNIVERSAM ITALIAM devaſtarat, uti idem Paullus teſtatur. Sublato deinde e vivis Alboino, Clephis ejus ſucceſſor multos Romanorum viros potentes, alios gladio extinxit, alios ab Italia extruſit. Ita poſt Clephonem per Langobardorum Duces multi nobilium Romanorum, idest veterum Italiæ incolarum, interfecti ſunt, & ſpoliatis Eccleſiis, Sacerdotibus interfectis, Civitatibus ſubrutis, Populiſque, qui more ſegetum excreverant, extinctis, exceptis his regionibus, quas Alboin ceperat, Italia ex maxima parte capta, & a Langobardis ſubjugata eſt. Hæc idem Paullus Lib. II. Cap. 31. & 32. qui & antea alias clades Italiæ illatas ab iiſdem populis commemorarat. Hiſce adde, quæ Sanctus Gregorius M. habet Dialog. Lib. III. Cap. 38. Mox, inquit, effera Langobardorum gens de vagina ſuæ habitationis educta, in noſtram cervicem graſſata eſt; atque Humanum Genus, quod in hac terra præ nimia multitudine quaſi ſpiſſæ ſegetis more ſurrexerat, SUCCISUM ARUIT. Nam depopulatæ Urbes, everſa Caſtra; concrematæ Eccleſiæ; deſtructa ſunt Monaſteria virorum ac feminarum; deſolata ab hominibus prædia, atque ab omni cultore deſtituta; in ſolitudine vacat terra; nullus hanc poſſeſſor inhabitat; occupaverunt beſtiæ loca, quæ prius multitudo hominum tenebat. Sed & iidem Langobardi, continuato per annos complures bello in Romanos, cladibus primo illatis majores identidem addidere. Teſtatur etiam idem ſanctiſſimus Pontifex in eod. Lib. III. Cap. VIII. ita Cunctos Aquinenſis Civitatis habitatores & Barbarorum gladiis, & peſtilentiæ immanitate vaſtatos, ut poſt mortem Jovini nec quis Epiſcopus fieret inveniri potuerit.

His igitur ærumnis cernimus hinc attritos valde fuiſſe antiquos Italiæ habitatores Linguâ Latinâ utentes, inde ſuccreviſſe mirum in modum ſobolem barbaricæ gentis heic regnantis, & Germanice loquentis. Quum tamen longe plures ſemper abundarint in Italicis Urbibus & agris incolæ Latini, propterea primas retinuit ubique Latinorum Lingua, ſed ſimul impedire nequiit, quin ex tanta colluvione Septentrionalium populorum patentius in dies corrumperetur, & antiquas voces adulteraret, aut iis voces gentis dominatricis immiſceret: præſertim quod Officia fere omnia, & publica munera tum ſacra tum profana Langobardis dominantibus conferrentur, & Nobilium Familiæ pleræque ex ea gente honores conſequerentur. Immo & in Veronenſibus, Vicentinis, & Tridentinis montibus adhuc vici quidam ſuperſunt, in quibus antiqua Saxonum Lingua perdurat, atque hoc ipſo ineunte Sæculo Danorum Rex, regnantis pater, in Italiam profectus, eorumque locorum incolas alloquutus, plurima ibi oſtendit Danici Sermonis veſtigia. Ejuſmodi populos Clariſs. Marchio Scipio Maffejus in Veron. Illuſtr. cenſet *Cimbrorum* reliquias.

Sed antequam progrediar, graviſſimum objicem, in via poſitum oſtendens, diſſimulare religioni mihi ducerem. Scilicet poſtquam ego hæc ſcripſeram, *Veronam ſuam illuſtratam*, egregium videlicet opus, ſolida ac varia eruditione contextum, & quod quiſque cum voluptate atque utilitate legat, ad me miſit jure laudatus Clariſs. Marchio Scipio Maffejus. Is autem Lib. XI. pag. 304. ſibi confutandos ſumit, qui a Septentrionalibus populis cenſent, *pleroſque noſtri temporis Italos deſcendere*, quam ille opinionem omnino falſam decernit. Deinde quibus potest rationibus Barbarorum numerum in Italiam invectorum extenuare conatur. Sed fortaſſe nimis multa primi voluere, Maffejus nimis pauca. Certum mihi quoque eſt, veteres Italiæ habitatores ſemper longe præſtitiſſe numero Gentibus ex Septentrione in hoc Regnum dilapſis. Attamen ſimul reor, longe plures, quam viſum fuerit doctiſſimo viro, ſupereſſe in Italia familias, quæ Borealibus Nationibus ſuum ſanguinem debeant. Ex Gothis a Juſtiniano devictis neminem in Italia relictum ſcribit ille; bellum quippe ea conditione finem accepit, Procopio teſte Lib. IV. Cap. XXXV. *ut qui ſupererant Barbari cum rebus ſuis omni Italia confeſtim excederent*. Acta hæc fuere, ſi Pagium ſequimur, Anno Chr. 552. Sed minime animadvertit vir alioquin oculatiſſimus, reſpicere Procopii verba eos tantum Gothos, qui prœlio, in quo Teïas poſtremus eorum Rex cecidit, ſuperfuere. Et revera, uti Agathias Lib. I. ſcribit, *Gothorum ſuperſtites, inſtantium perpetuò Romanorum fatigati incurſibus, pepigere cum Narſete, ut ſuis ſibi terras habitare tutum eſſet, Romano Imperatori parituris in poſterum*. Id eis Narſes indulſit. Propterea *Gothi poſt illa conventa diverſi iverant, quibus citra Padum ſedes fuerant, in Tuſciam, Liguriamque, aut alio quo vellent, atque ibi vivere aſſueverant. Ceteri in Caſtella Oppidaque circa Venetiam, quibus ſe multo ante tenere erant ſoliti*. Quid plura? Bellum rurſus Gothi ipſi, potenti Francorum exercitu in Italiam accito, Græcis intulerunt Anno 553. At eos iterum non deſidioſus Narſes oppreſſit, & quos armatos contra ſe reperit, *ne iterum rebellarent, omnes ad Imperatorem Byzantium miſit*. Reliquos vero Gothos, qui in fide ſteterant, eorumque familias in Italia conſtitutas, nuſquam legimus exturbatas ex hiſce regionibus. Quod & ipſe Maffejus, ſua ipſa ſcrutatus, didiciſſe potuerat. Vide Chartam Reatinam, ab eodem publici juris factam pag. 161. Hiſt. Diplomat. Scripta ea fuit Anno Ch. 557. Reate, hoc eſt tribus annis poſt Gothici belli finem. Ibi *Gundihil induſtris femina* tutorem petit filiis ſuis pupillis *Leudarit*, & *Landarit* in cauſſis, in quibus *Guduhuls vir induſtris* pupillorum pater, *ante dies iſtos* vitâ functus *ab Adiud induſtri viro, vel a Roſemund cognominato Taff ne, necnon a Gunderit pulſatus fuerat*. En poſt deletum Gothorum Regnum Gothos adhuc, & quidem Nobiles, Reatinâ in Urbe. Ad Langobardos quod attinet, animadvertit Maffejus, *ſingularem* olim ejus gentis *proprietatem* fuiſſe, paucos eſſe; ſunt enim Taciti verba: *Langobardos paucitas nobilitat*. Verum a Taciti ætate ad Annum Chr. 568. quo Langobardi in Italiam irruerunt, adeo populus ille creverat, ut Pannoniam, & Norici partem, immo & Sueviam ipſam, ſi fides Paullo, ſuo ſubdiderint imperio. Quum vero ex Pannonia in Italiam digreſſa fuerit gens illa univerſa, ejuſque potiori parte potita fuerit, aliaſque etiam Germanicas gentes ad pinguem prædam pertraxerit: jure exiſtimare poſſumus, ingentem exterorum copiam ſedes heic ſibi quæſiiſſe. Difficile vero mihi perſuadeatur, Italiam temporibus iis, quamquam bellis ac peſtilentiis exhauſtam, plures tamen quam nunc habitatores aluiſſe. Vide, quæ in Diſſert. XXI. *de antiquo Ital. ſtatu* ſupra diſſerui.

Ne-

Neque certe temporibus iis Roma ipſa oſtentabat tot illa decies centena hominum millia, quæ Sæculis anteactis numerata ibi fuere. Adde nunc Gothis & Langobardis, Francorum, Germanorum, & Normannorum familias in Italiam ſubinde invectas, quorum ſinguli pro more gentis, & propter commoda, quibus dominantes abundabant, ſtirpem ſuam propagare conſueverunt. Denique adde Sarmatas, & Alamannos, de quibus infra ſermo erit: & majorem quam putet aliquis Septentrionalium gentium copiam intelliges in Italia lares fixiſſe, & poſteros reliquiſſe. Sed nemo rectius de hiſce judicare poteſt, quam qui veteres Archivorum Chartas verſavit. Mihi ſane in iis occurrit immanis eorum numerus, qui aut *Langobardicæ*, aut *Salicæ*, interdum & *Bavaricæ* gentis ſobolem ſeſe profitebantur. In quibuſdam Civitatibus plures videas ad gentes illas ſuam originem referre, quam ad Romanam. Senenſi in Urbe teſtabatur amicus meus Benvoglientus, ſupra ceteros invaluiſſe profeſſores *Salicæ* Legis. In aliis præſtat *Romani* populi numerus.

Satis interea ex jam dictis nobis eſt, ut intelligamus, cur facile Germanicæ Linguæ voces, ac loquendi formas Lingua noſtra olim adoptaſſe potuerit. Proinde non hac tantum luce, ſed experientiâ quoque præeunte didici, ex Germania petendam eſſe complurium vocum noſtrarum originem. Et longe etiam plures ibi reperiremus natas voces, quibus Italica Lingua nunc utitur, ſi prope teneremus Scandiæ, Daniæ, Gothiæ, aliarumque gentium Borealium Linguas; neque tantummodo quæ nunc uſurpantur, ſed quæ etiam ante mille & plures annos uſurpabantur. Tunc agnoſceremus, quanta verborum ſeges inde ad nos delata fuerit, quum non levem ego ſim oſtenſurus, etiamſi curtâ ſupellectile in ejuſmodi eruditione inſtructus. Quod ſi nuper memoratus Marchio Scipio Maffejus Lib. XI. Veronæ Illuſtr. ſcribit: *Che rileva, ſe forſe una ventina di vocaboli uſiamo originati dal Tedeſco? che monta ciò nel corpo e nell' impaſto d'una Lingua? Aſſai più ne abbiamo dal Greco, e aſſai più ne abbiamo dal Provenzale*: meminiſſe tamen is debet, ſe minime negare, quin ex Barbarorum in Italiam adventu immutata fuerit Latinorum apud nos Lingua. Nemo certe non agnoſcat, nihil eſſe vocabula ab exteris Linguis ad nos profecta præ comparatione illorum, quæ a Latio accepimus. At num viginti tantum vocibus ex Germania petitis nos utamur, infra ego oſtendam. Minus autem, quam ille putat, nos in Vulgari Lingua noſtra habere Provincialium Vocum jam ſupra monui. Primi quidem Italicæ Linguæ Poëtæ ex Provincia complures voces mutuati ſunt; ſed illæ neutiquam in populi noſtri commercium tranſierunt, & Salviato ipſo fatente exſulare ſenſim coactæ fuerunt. Et profecto ſi unamquamque ſingularium Italiæ ac in primis Lombardicarum Civitatum Dialectos ſcrutaremur, præter adhibitas in Lingua Communi noſtra Voces, alias nanciſceremur ex eodem Germanico fonte derivatas. Mira proinde mihi narrare videtur nuper laudatus Marchio Maffejus Lib. eodem XI. Veron. Illuſtr. dum ſcribit, nullum in Veronenſi Dialecto vocabulum haberi, quod ad Germanicam Linguam referatur. Si ipſa Communis Italorum Lingua tot Vocibus utitur ex Germania profectis: quei nullam Veronenſes agnoſcunt? Alia eſt aliarum Urbium fortuna. Exempli cauſsâ Mutinenſibus *Bioſs* eſt *Spoliatus*, *Merus*, *Nudus*. Mediolanenſibus *Biott* idem ſignificat. Vox iſta e Germanico *Bloſs*, *Nudus*, *Simplex*, *omni ornatu deſtitutus*, unde & *Bloſſen*, *Nudare*, emanavit. Mutinenſes *Entino* appellant Surculum, quo fructiferæ arbores inſeruntur. Ea quidem vox a Gallico *Ente* rectâ ad nos proceſſiſſe potuit; ſed tam Gallica, quam Italica vox e Germanico *Einthun* ad nos venere, ſignificante *Mettere dentro*: quod Latine reddas *Immittere*, *Inſerere*. Pro *Entino* Tuſci dicunt *Marza*: quam vocem a Martio menſe inepte, ut mihi quidem videtur, nonnulli derivant. Habent & *Inneſto* iidem Tuſci. De iſta Ægidius Menagius in Origin. Linguæ Italicæ ſcribit: *Anneſtare*, *Inneſtare da Inſerere Latino*. *Inſero*, *Inſitus*, *Inſtus*, *Enſtus*, *Enſto*, *Nenſto*, *Neſto*. Hæc ſane parum attente. Certum quippe eſt, *Inneſtare* ex Latino *Innecto* enatum fuiſſe, cujus participium *Innexus* in *Innextus* barbare loquentes immutarunt, & inde *Inneſto*, niſi quiſquam velit & hanc vocem ex Germanica Linguâ trahere: quaſi flectendo Germanorum *Hineinthun*, ſignificans *Immittere*, ad Italicum morem exſurgat *Inentare*, & N. mutato in S. *Ineſtare*. Huic tamen derivationi difficile conſentiam ego. Ita Mutinenſes *Scabiem* appellant non ſolum *Rogna*, ſed etiam *Grinta*. Poſtrema vox eſt purum putum Germanicum *Grind*, idem ſignificans. Ad ipſam vocem *Rogna*, quod attinet, ſententia Ferrarii & Menagii eſt, arceſſendam ejus originem a *Rubigo*, nobis *la Ruggine*. Eos & heic deceptos puto; nos enim ipſum *Rubigo Rubiginis* in *Ruggine* convertimus, non in *Rogna*. Et præterquamquod *Rubigo* & *Rogna* multum inter ſe differunt literarum ſtructurâ, ne *Rubigini* quidem ſat ſimilitudinis eſt cum *Scabie*. At undenam tu deducis? percontantem audio. Ego potius ad credendum feror, vocem *Rogna* e Gallico *Ronger*, Latinis *Rodere* enatam fuiſſe. Primo *Rongia*, tum *Rogna* dixerint Itali, olim Francis ſubjecti, eâ ſcilicet ratione, qua *Menſonge* Gallicum nobis eſt *Menzogna*. Uti vero Germani a *Kratzen* nobis *Grattare*, efformarunt *Kratze*, *Rogna*: ita ex *Rodere* (effectu Scabiei, quod Gallis eſt *Ronger*) noſtri, aut ipſi Galli, hauſere *Rogna*. Utitur enim & Gallica Lingua voce *Rogne*, immo & *Rogner* pro *Rodere*: quod verbum pæne certam facit originem vocis *Rogna* a *Ronger*, ſive a *Rodendo*. Præterea Mutinenſes ex Germanico *Stoſs* ſuum deduxere *Stuſs*, & *Stuſſare*, ideſt *Percutere*, quo etiam ſonus percuſſionis ſignificatur. Uti & *Schinchi*, ideſt crura, ex Germanico *Schincke* veniunt. Inde *Stinco* efformatum a Tuſcis. Præterea appellamus *Ranfo* nervorum improviſum rigorem in digitis, aut cruribus, a Germanico *Krampff*. Habemus etiam *Striccare* pro *Stringere*, quod eſt ipſum Germanicæ Linguæ *Stricken*. Scaffa quoque dicimus, quod eſt *Scaffale* Etruſcis, ex Germanico *Schiff* ſignificante *un' Armadio*, *un Ripoſtiglio*. Nobis itidem eſt *Sliſciare* pro *Sdrucciolare*, quæ vox enata videtur e Germanico *Glitſchen* idem ſignificante, niſi potius eam velis ex *Liſcio*, quam vocem infra videbis. Mediolanenſes pariter *Scoſs Gremium* appellant, & *Scoſſale* (quod Tuſci *Grembiule*, Mutinenſes *Grembiale* dicunt) a Germanico *Schos*, *Gremium* ſignificante. *Ratt* quoque *Murem* nuncupant, a Germanica aut Gallica Lingua advectum. Nobis *il Trebbo della Scala* eſt locus interruptus

ſcalæ,

Italiæ, ubi occultatur. A *Tropffe* Germanico ſignificante *Guttam*, ſive *Stillicidium*, vox fortaſſe deducta. Ita anhelum *Odorem* dicimus *Tanfo*; & Germanis *Dampf* idem ſignificat. Appellamus etiam *Vaſca*, magnum Labrum aquam continens. A Germanico *Waſchen Lavare* (quaſi ſit Vas Lavatorium, ſive ad Lavacrum) ego facile opinarer deſcendere hanc vocem, niſi mihi occurreret ſimilis vox in Papyro An. Ch. 650 ſcripta, ac publici juris facta a prælaudato Cl. V. Marchione Scipione Maffejo pag. 172 Diplomat. Ibi legitur *Vaſcas ferreas, majores, & rota*. Fortaſſis etiam ſuſpicari aliquis poterit, e *Vas Vaſculum*, & *Vaſcula*, efformatum fuiſſe *Vaſca*. Præterea uſitata eſt apud Mediolanenſes & conterminos populos vox *Rogia* ad ſignificandum rivum ſive canalem aquæ ad agros irrigandos. A Latino *Rigare* ſi quiſquam eam deducat, non obſiſtam. In Chartis Caſaurienſis Monaſterii ſæpe occurrit *Rogia* pro *Rivo*. Quod novi, antiquiſſimum vocabulum videtur, ſi *Rogium de fluvio Piſcaria* memoratum in Charta Grimbaldi Epiſcopi Pinnenſis Anno 871. ſcripta (quam addidi Chronico Caſaurienſi Par. II. Tomi II Rerum Italic. pag. 936.) idem ſignificat, ac Mediolanenſium *Rogia*. Videndum etiam, an e Græco *Ροα* ſignificante *Rivum*, ſive *Canalem* deſcendiſſe potuerit *Rogia*. Teſte antiquo Grammatico Feſto, *Benna* appellata eſt a Gallica gente ſpecies quædam vehiculi. Vocem hanc Mutinenſes adhuc retinent, atque apud Germanos uſitatam intelligo. Romæ quoque *Valca* appellatur *Fullonica*, ſive officina Fullonum. Florentiæ *Gualchiera* dicitur. At illud vocabulum ex Germania illuc translatum fuit, quum Germanis *Walcke* idem ſignificet. Germanicum W. in GV. apud Italos tranſit. *Purgo* etiam appellant Florentini. Immo non Mutinenſibus tantum familiare verbum eſt *Gualcire*, ſive *Sgualcire* pro *Peſtare*, *Calcare*, quod præcipue de uvis dicitur, ut inde muſtum educatur; ſed & Senenſibus eſt *Gualcare*, *Gualcire*, idem ſignificans. Purum putum verbum Teutonicæ Linguæ agnoſcito, nempe *Walchen*, *Fullare*, *Denſare*, *Calcare*: quod de pannis proprie dicitur. Vide in Vocabulario Cruſcano *Gualcire*, *Gualcito*, ubi non proprius ſenſus verbi ponitur; neque enim *Gualcire* eſt *Contrectare*. A *Calx*, *Calcis*, *Calcire* fruſtra hoc verbum trahit Menagius. Germanica ſine dubitatione eſt illius origo. Nonnullis autem in locis tum hujus, tum aliarum Italiæ regionum perdurat vox *Lama*, qua etiam utitur Dantes Can. XX. Purgatorii, ſuis Interpretibus minime intellectus. *Piſcinam*, *Paludem*, *Lacunam*, locum *piſcoſum* ſignificat, atque eſt originis Langobardicæ, ſi fides Paullo Diacono Lib. I. Cap. 15. ubi ait: *Et quia de Piſcina, quæ eorum Lingua Lama dicitur, abſtulit*. Non audiendus Beatus Rhenanus, qui in loco *Qualmum* legendum putat. Apud nos nomen ſuperſtes lectionem vulgatam confirmat. Fallitur tamen Paullus; Latinum quippe vocabulum purum putum eſt *Lama*, atque illud occurrit apud Horatium Lib. I. Epiſt. XIII. Sed & avium *Ventriculus*, quem Tuſci *Ventriglio* appellant, apud Mutinenſes dicitur *Mizone*. Theotiſca vox eſt, & quidem antiquiſſima; nam in Gloſſis Fuldenſibus ab Eccardo editis Tom. I. Hiſt. Franc. Orient. *Stomachus* Germanice redditur *Mizo*. Nunc apud Germanos *Ventriculus* dicitur *Magen*. Eſt quoque Mutinenſibus in uſu *Aver della Piva con qualcuno*. Germanica vox eſt *Pick*, *Pik*, ſignificans *Rancore*, *Odio*, *Nimicitia*, *Mal animo*. Ita nobis eſt *Streppa* ſignificans *Virgultum*, *Vimen*, a Theutonico *Strepf*. Bononienſibus quoque eſt *Treſta* ſignificans *Velum ſericum*, fortaſſis ex Germanico *Taffet* corrupto, ſive ex Gallico *Taffetas*. Ad hæc Mutinenſes *Mummiare* appellant *Mandere ſine dentibus*: quod in ſenibus plerumque contingit. Videtur ab Ægyptiorum *Mummiis*; ſed ne in ipſis quidem *Mummiis* dentes deſiderantur. Quare veri ſimilius eſt, ex Germanico *Mummelen* idem ſignificante ad nos veniſſe hoc verbum. Appellamus etiam *Luchina* narrationem falſam a Germanico *Lugine*, *Mendacium*; *Lughna*, *Luginari*, *Mendax*; quarum vocum in Gloſſario Theutonico vetuſtiſſima exempla protulit Johannes Schilterus. Dicimus un *Caſpo di pomi*, *di noci* &c. ideſt *Complexum*, *Nodum pomorum* &c. Fortaſſis ab antiquiſſimo Germaniæ vocabulo *Kiſpin* ſignificante *Ligatorium*. Auditur etiam apud nos phraſis, *Andare in fregola*, dictum de homine libidinis flammis ſuccenſo. Chriſtophorus Arnoldus in Epiſtola edita a Schiltero in Gloſſario Teutonico pag. 604. multis oſtendit, Gothorum Deam, cui nomen *Friga*, Venerem fuiſſe; atque inde enatum Germanorum vocabulum *Frech*, *Libidinoſus*; *Frechett*, *Libido*. Itaque fœda hæc phraſis inde ad nos veniſſe videtur. Septentrionalium quoque Linguarum eſt *Braiare* pro *Clamare*. Nos illud fortaſſe retinemus converſum in *Sbraire*. Sunt & alia ejuſmodi; neque dubito, quin ſi ſingulas Italicarum Urbium, præſertim Lombardarum, Dialectos excuteremus, alias Germanicas voces heic & illic vigentes deprehenderemus.

Neque ſolum inquirenti origines Italicarum vocum, Lingua vetuſta, ſi fieri poſſet, Gothorum & Langobardorum eſſet conſulenda, ſed & Francorum (qui & ipſi natione Germani fuere) tum Saxonum, ſive reliquorum Germanorum, qui poſt illos pariter in Italia ſunt dominati, atque heic diu interdum conſtitere, non militibus ſolum, ſed & integris familiis huc ad habitandum translatis. Nobis quippe ſunt vocabula, quæ in Gallia quoque uſurpantur, fierique poteſt, ut ſicuti Galli recentiores multas e noſtris voces adoptarunt, ita ex veterum Francorum populo tunc apud nos conſidente & nos didicerimus varias voces, præter illas, quas dum Romani Pontifices Avenione ſedem tenuere, Itali inde reportarunt, aut Carolus I. gente Gallus, ejuſque Succeſſores in Siciliam, Regnumque Neapolitanum invexere. Antea quoque Nortmanni, populus & ipſe e Boreali Germania progreſſus, Linguæ tamen Gallicæ majorem partem adſuetus, utrâque Siciliâ potiti, nonnullas ex ſuis vocibus regioni illi dediſſe non immerito cenſendi ſunt. Attamen ne heic quidem conſiſtendum eſt. Ad inquiſitionem complurium vocum in Italia adhibitarum conducere etiam poterit tum Lingua Hiſpanica, tum Anglica. Eccur? inquies; neque enim Italiæ cum Britannica gente fuit umquam commercium, ſi mercatores excipias, & Societatem Anglorum, qui Sæculo Chriſti XIV. Italicas Urbes infeſtarunt. Verum Mercaturæ ac Militiæ multa nomina debemus aliunde ad nos delata, nomina videlicet ad earum officium ſpectantia. Alia tamen potior cauſſa ſe offert perſcrutandi Hiſpanicam quoque, & Anglicam Linguam. Nimirum Hiſpaniam Gothi, Germanica gens; Britanniam Dani, Saxones, & Nortmanni, Germanæ itidem nationes, olim ſibi

ſub-

ſubdidere, diuque illic ſunt dominati, innumeris ex ſanguine ſuo poſteris ibi relictis. Quare ſi voces non paucas a nobis uſurpatas, in Hiſpania quoque & Britannia offendimus, exiguâ tantum mutatione inter illas & noſtras: non id factum, quod ab iis populis eaſdem rectâ acceperimus, ſed quod a Germaniæ populis olim dominantibus in ſingulis hiſce Regnis tam illi, quam nos, ipſas didicimus.

Atque ut luculentius intelligas, quanta populorum, & conſequenter Linguarum commixtio olim facta fuerit, paucula hæc addere liceat. Sarmatarum ſervi circiter Annum Chr. 334. converſis in ſuos dominos armis, eos e patriis ſedibus exturbarunt, Ammiano Marcellino teſte Lib. 17. Cap. 13. Confugerunt iſti ad Conſtantinum Magnum, qui ut auctor eſt Anonymus Valeſianus, *pulſos libenter accepit, & amplius trecenta millia hominum miſtæ ætatis & ſexus per Thraciam, Scythiam, Macedoniam, Italiamque diviſit*. Tradit idem Ammianus Lib. 28. Cap. 6. Theodoſium Magiſtrum militum, Theodoſii Auguſti patrem, Anno Ch. 370. *quoſcumque cepit ex Alamannis, ad Italiam juſſu Principis miſiſſe, ubi fertilibus Pagis acceptis jam tributarii circumcolunt Padum*. Pagorum nomine veteres non Vicum, ſed multorum Vicorum unionem, latumque agri tractum deſignarunt. Rurſus Valens Auguſtus Anno Ch. 377. uti ſcribit idem Ammianus, ingentem Gothorum copiam, quos vivos reliquerat, *circa Mutinam, Regiumque, & Parmam Italica Oppida, rura culturos exterminavit*. Si in Mutinenſi agro, aliiſque conterminis ſupereſſent adhuc voces aliquæ, a populis olim ibi locatis importatæ, atque in poſteros diffuſæ, nil mirum foret. Novit Gallica gens, quanta antiquæ Britannicæ Linguæ merces perduret in parte illa Galliæ Celticæ, ſive Armoricæ, quam Sæculo Chriſtianæ Æræ Quincto incolendam ſuſcepere Britanni a Saxonibus pulſi e ſedibus propriis: unde *Britanniæ minoris* nomen regioni illi inditum fuit. Nulla dubitatio eſt, quin populi in Italiam, uti nuper vidimus, tranſlati, ſenſim ſeſe compoſuerint ad Linguam in Italia tunc dominantem. At ſimul excogitare licet, irrepſiſſe aliquam ex eorum vocibus in indigenarum ſermonem, quam internoſcere nunc minime liceat. Ad hæc Commercium, ut dixi, Populi unius cum altero, vocabula de una in alteram regionem tranſvehit; ac propterea nos ab Hiſpanis, Galliſque recentioribus nonnulla mutuati ſumus. Atque illi viciſſim, quemadmodum & Germani, & Britanni, ex Italica Lingua multas hauſere voces, ex quibus nonnullæ aperte produnt originem Italicam; aliæ vero non facile agnoſcitur, cui regioni ſuam nativitatem debeant. Sed ubi in Germanica quoque Lingua vocem offendimus, quæ nobis, Gallis, aut Anglis communis eſt, plerumque ſcopum attingemus, illam opinantes Germanicæ potius, quam alterius originis. Apud Menagium dicis cauſsâ longam quæſtionem habes, unde *Maſtino*, ideſt *Moloſſus* canis, prodierit. Petrus Lieſina a Græco μαστεύειν, *Indagare*, *Inveſtigare* hanc vocem, reclamante ratione, deducebat. Non enim peculiare ejuſmodi canum eſt munus *Inveſtigare* feras; & ſi quidem in aliquibus Libris veterum Scriptorum *Maſtivus* occurrit, id factum ad normam Gallicæ & Anglicæ Linguæ, quibus eſt *Maſtiſe* & *Meſtif*. Neque fortaſſis antiqua vox apud Græcos μαστεύειν noſtram peperit, quum tantummodo apud Heſy-

A chium eadem occurrat, & alii legant μαστεύειν. Parum quoque felici acumine Covaruvias a Latino *Mixtus* eliciebat *Maſtinus*. Omnium vero ineptiſſimam Etymologiam Menagius excogitavit, vocem iſtam aut ex *Maſſata* derivans, aut a *Moloſſus*, hac ſcilicet ſcala lepide uſus: *Moloſſus*, *Molottus*, *Molottinus*, *Molottino*, *Malattino*, *Matino*, *Maſtino*. Nihil eſt quod ego in hiſce confutandis tempus teram. Quæ mea opinio ſit accipe, quam tamen certam præſtare nolo, ſed ſaltem reliquis veri ſimiliorem. Habent Itali *Maſtino*, habent & Galli *Maſtin*. Incertum, uter populus ab altero nomen iſtud acceperit. Sed uterque ex Germanica Lingua accepiſſe videtur. Germanis nempe B *Maſt* tam *Graſſo*, quam *Groſſo* ſignificat. Ii ergo *Maſt-Hund* appellarunt *un Can Groſſo*; nobis autem idem eſt *un Maſtino*, & *un Can Groſſo*. Deinde nos, & Galli, aut *Maſthund* abjecto D. & U. in I. mutato, aut *Maſt* tantùm retento, ac in diminutivum inflexo, *Maſtino* efformavimus. Ita Angli appellant *Maſty Dog un Groſſo Cane di Villa*. Germani quoque, Galli, & Angli *Maſt* dicunt *l'Albero Groſſo della nave*. Primo enim apud Anglos *Maſt-Baum* appellatus fuit major navigii Malus; tum reticendo *Baum* dixere *Maſt* ſubintelligendo *Baum*, *Arborem* ſignificans. Ita quum dicimus *Maſtino*, ideſt *Groſſo*, o *Groſſolano*, ſubintelligimus *Cane*.

C Sunt & quædam, quæ nos rectâ a Latino accepiſſe videmur, & fortaſſis ad nos ex Germania venere. Exempli gratiâ nos nondum certo novimus, unde petenda ſit origo verbi *Tagliare*, & an ex eodem fonte prodierit *Taglia*, tributum pecuniæ populo indictum. Equidem laudandam puto opinionem Voſſii, Martinii, Nicotii, Ferrarii, Menagii, atque aliorum arbitrantium, ex Latino *Talea*, ſignificante *Surculum* ex planta reciſum, produiſſe *Taliare* pro *Cædere*, *Scindere*. Appoſite Varro de Re Ruſt. Lib. I. *Nunc Ruſtica voce Intertaleare dicitur Dividere, vel excidere ramum ex utraque parte æquabiliter præciſum, quas alii Clabulas, alii Taleas appellant*. Attamen D mihi potius creditur ex Septentrione ad nos, uti & ad Gallos, ac Hiſpanos migraſſe communis hæc trium populorum vox. Quippe *Talare* occurrit in antiquiſſima Lege Alamannorum Tit. 34. uti & in Ripuaria Tit. 64. ibique Eccardo ſignificare creditur *ſcindendo vel putando devaſtare*. Hoc ſenſu Hiſpani adhuc adhibent *Talar* pro *depopulari cædendo*. In Charta Garciæ Fernandi Comitis æræ 1010. ſive Anni Ch. 972. apud Yepez legitur: *licentiam habeant Fratres ubi voluerint ligna Talare, aut herbare* &c. Eoque magis in eam opinionem feror, ubi originem vocis *Taglia* confidero. Hæc Tributum viritim perſolvendum ſignificat. Eo inclinat Voſſius, ut ſuſpicetur, ex ipſa Latina E voce *Talea* derivatum fuiſſe *Taglia*: *quando ut ſurculus ille, quem Taleam dicimus, reciditur a planta: ſic tributum reciditur de bonis civium*. At iſtud Etymon nimis longe conquiſitum, atque ingenioſum potius, quam verum videtur. Eſt Germanicæ Linguæ *Theilen* ſignificans *Partiri*, *Dividere* in partes, *Diſtribuere*, ſuam cuique portionem *Aſſignare*, a *Theil*, *Deil*, ideſt *Pars*, *Portio*. Atque vox iſta apud Germanos primitiva ac indigena eſt, uti adducta a Schiltero exempla confirmant. Inde igitur noſtrum *Taglia* (Gallis quoque familiare) profectum puto, quum in ejuſmodi tributis imponendis ſua cuique portio pecuniæ pendendæ pro viri-

bus adjungeretur. Ad hæc ſi quis contendat, ex Latino *Oculus* efformatum fuiſſe Italicum *Occhio*, non contradicam ego. Ex *Oculus*, *Oclus*, *Oclo*, & *Occhio* efformari potuit. Attamen conſiderandum, an potius vocem hanc ad nos Germani detulerint. Eis *Aug* eſt *Oculus*, & *Augen Oculi*, vox primitiva, quæ ab iis uſitata videtur, antequam Germania Latinum agnoſceret. Si *Au* legas per O, quod & Latini veteres etiam fecere, & Galli adhuc faciunt, habebis *Og*, quod nos Mutinenſes *Occ* pronunciamus eo ſono, quo Hiſpani *Noche*, tacito tamen E. Hinc ergo & ipſi Tuſci *Occhio* dicere potuerunt, niſi velis ipſum *Aug* formatum fuiſſe ex eodem Latino *Oculus*. Ita certum mihi eſt, nos addidiſſe nonnullis vocibus noſtris Germanicum *Mis*, *Male* ſignificans, uti *Misleale*, *Miſcredente*, *Misfatto* &c. Sed ſunt, quorum nullum eſt veſtigium in Germanica Lingua, eæque contra deprehenduntur uſitatiſſima apud Gallos & Hiſpanos; minus vero apud nos. Tunc juſta ſe offert cauſſa arbitrandi, Gallicam aut Hiſpanicam eſſe earum vocum originem. Digna noſtro examine ſunt, quæ ad vocem *Latino* habent Vocabularii Florentini Auctores. Hanc enim ſcribunt, ſignificare etiam *Largo*, *Agiato*, *Latino*, *Latus*. Exemplum proferunt ex Libro Aſtrologico: *E ſia la rubatadura d'ambo li capi in modo, che'l ſia movimento ſia ben latino*. Vim vocis doctiſſimi viri aſſequuti minime fuiſſe mihi videntur. *Ladino* Lombardica vox eſt, & ſignificat *rem, quæ facile moveat ſe, aut ab aliquo moveatur*. Dicimus *un catenaccio ladino*, *un' albero ladino*, *un' uomo ladino di mano*, *di lingua*, *di gambe* &c. Hæc autem vox aut ex Italica in Hiſpanicam, aut ad nos ab Hiſpania veniſſe mihi creditur; habet enim Hiſpanica Lingua *Ladino* eidem ſignificatione. Covarruvias *Ladino* dictum putat quaſi *Latino*. Quæ ratio ab eo adſertur, difficile fidem obtineat. Porro Tuſci *Latino* pro *Ladino* ſcribunt. Johannes Villanius Lib. XI. Cap. XX. de Johanne XXII. Papa ait: *E aſſai era Latino di dare audienza*. Ideſt *facilis*. In Tract. de Equor. cura legitur: *E allora vedi e ragguarda, ſe ſpronandolo ſi va arreſtando la coda, o s'egli ſcrivezza, e s'egli è bene Latino o nò, a volgerſi a ogni mano*. Animadverte heic, appellari *Cavallo Latino*, ideſt *Ladino*, qui in omne latus facile movetur, quaſi a *Lado* ſignificante *Latus Lateris*. Itaque iſta vox originis Hiſpanicæ videri poſſit; ſed minime certum eſt, quin Hiſpani ipſi a nobis eam fuerint olim mutuati. Contra vero ſi apud nos antiquiora ac uſitatiora videantur vocabula, opinari licebit, ex Italia in alias regiones eadem immigraſſe. Ita Fureterius ex Italico *Ciera*, ſeu *Cera* efformatum putat Gallicum *Chere*, atque adeo Britannicum *Chear*. Et revera ſunt hujus vocis antiquiſſima exempla in Italicorum Lingua. Menagius tamen putat, nos eam ex Gallico *Chere* derivaſſe, quod efformatum ait e *Cara* ſignificante *Faciem*. Contra Gallicum *Sapper*, *Fodere fundamenta alicujus muri*, ex Italico *Zappare* deductum cenſeo. Apud Fureterium ex *Sapa* Menagius ſuum *Sapper* traxit. Sed quid aliud barbaricum *Sapa*, ſeu ut melius dicam, *Sappa*, eſt, niſi Italicum *Zappa*, quo nomine caret Gallica Lingua, ad ſignificandum *Lignamen* ruſticorum? Nam quod idem Menagius cenſet in Orig. Linguæ Ital. *Zappa* e Græco Σκαφὶ deſcendiſſe, quod Τζάπιον dixere recentiores, nihil me movet. Recentiores Græci Italicam vocem in τζάπιον convertiſſe potuerunt: quod & de aliis bene multis fecere. Niſi melior Etymologia excitatur, ſuſpicari fas erit, hanc eſſe ex iis vocibus, quæ antequam Latina Lingua adoleſceret, in Italia uſurpabantur. Pag. 455. Chronici Vulturnenſis Par. II. Tomi I. Rer. Italic. legitur in Charta Anni 980. *ipſas arbores ramare, & cultare, & vitare.*, *& zappare juxta rationem*. Idem in altera Charta pag. 478. occurrit. In Gloſſario Romano-Theotiſco Fuldenſi, quod Eccardus edidit in Append. ad Tom. I. Hiſt. Franc. Orient. legimus Romanum *Sappa*, Germanice *Hawa*. Noſtrum *Zappa* adhuc a Teutonibus *Have* appellatur. Quare vides antiquitatem vocis

Neque diſſimilis origo vocis *Imbroglio*, *Imbrogliare*, ideſt *Confuſio*, *Confundere*. Octavius Ferrarius e *Brolium* ſignificante *Nemus*, *Sylvam* deducebat hanc vocem, eique ſententiæ olim adhæſit Menagius; ſed poſtea in aliam opinionem concedens, ſcripſit *Brogliare* e *Turba* Latino efſluxiſſe. E *Turba*, tu admirans petis? Ita ſane Menagio viſum eſt. En viam tantæ Metamorphoſis ab eo excogitatam. *Turba*, *Turbula*, *Turbulum*, *Turbulum*, *Bulium*, *Brulium*, *Broglio*, *Brogliare*. Uti in Diſſert. XXI. *de ſtatu Italiæ* animadverti, *Brolium*, nunc Mutinenſibus *Brolo*, nihil aliud fuit, niſi locus clauſus, arboribus conſitus, aut ad feras continendas, aut ad arbores pomiferas. Nihil rei ejuſmodi loco videtur cum *Imbroglio*: nam ſola literarum ſimilitudo minime conſideranda eſt; alioquin in Anglica Lingua *Women* interpretaremur *Viros*, quum tamen ſignificet *Feminas*; *to Stretch* crederemus *Stringere*, quum ſit eis *Laxare*; *Cold* pro *Calido* acciperemus, quum *Frigus* & *Frigidum* ſit apud eos, uti & apud veteres Germanos fuit. *Black* etiam putaremus *Candidum*, quod tamen ſignificat *Nigrum*. Numquam vero ex *Turba* derives *Brogliare*, nimium quippe diſcrimen eſt inter haſce voces. At undenam *Imbroglio*, *Imbrogliare*? Num e Gallico *Embrouiller*, quod compoſitum ex *Em*, & *Brouiller*? At noſtris quoque Majoribus in uſu fuit *Brogliare*, uti multis exemplis docent Auctores Vocabularii Florentini. Inde etiam Britannicum *Broil*. Unde vero *Brouiller* Gallicum, & *Brogliare* Italicum deſcenderit, fruſtra fortaſſis inquiras. Ex antiquiſſima voce ſignificante *Confuſionem* emerſiſſe videtur; nam & *Brouillard Nebulam* Gallis ſignificat, & *Bruit Sonum confuſum*. Fuit & Græca vox *Embolium*, ſignificans *Rete*, quod ad captandas Feras injicitur. Eâ uſus eſt Cicero in Literis ad Atticum, & pro Sextio, ad indicandas technas & artes, quibus præcipue mulieres implicabant viros. Num ex *Embolium Imbroglio*; ex *Emboliare Imbrogliare*? Sed nos temere vocum omnium originem detegendam ſperamus. Equidem fateri potius amo incompertum mihi, unde in Lombardicam Linguam *Barba* pro *Patruus* immigrarit, quam cum Menagio eam vocem deducere e *Barba Latino*; *perche per lo più ſono barbati i zii*. Leviſſima ratio; neque enim barbâ carent tot alii conſanguinei ſive affines. Antiquiſſima autem apud nos eadem vox eſt, quum *Barbanus*, ideſt *Patruus*, occurrat in Legibus Rotharis & Liutprandi Regum Langobardorum. *Barba* habetur in aliis Codicibus. *Barbas* pro *Barba* vidi in autographa Charta apud Canonicos Regulares Monaſterii Piſtorienſis Sancti Bartholomæi, ſcripta *Quinto Kalendas*, *Regnante Domnis noſtris Carulo & Pippino filio ejus Regibus Francorum*

corum & Langobardorum , *ac Patricio Romanorum in Italia*, *que ille Papia Civitate ingreſſus eſt Anno Octavo & Secundo per Indictione Quincta feliciter* . Hoc eſt An. Ch. 782. Sequitur in Charta: *Teuperto* , *& Feudeam quondam Clerici*, *barbas & nepos filii quondam Blancani* , *& Teudeado qui fuit Presbyter* . *Manifeſti ſumus nos* , *eo quod ante os plurimos annos ego Teuperto* &c. Offert deinde Abbati Sancti Bartholomæi *Oratorium Beatæ ſemperque Virginis Mariæ in locus qui dicitur Cruci* . *Actum Piſtoria ad caſa avitationis noſtræ in predicto loco Croci* . In pergamena Mutinenſi ſcripta *Anno IV. Bernardi Regis Ind. Nona* , ideſt Anno Ch. 816. occurrit mihi *Dominicus Barba veſter* . Tuſci pueruli *Babbo* appellant *Patrem* . Id ex natura locutionis infantium videtur factum ; nam ut tenera illa ætas linguam in voces ſolvere incipit, primo Vocales tantum pronuntiat , tum facilem aliquam Syllabam , quam repetit , ut *Pà-Pà* , *Ma-Ma* , *No-No* , ideſt *Pater* , *Mater* , *Avus* : quas voces puelli noſtri adhuc uſurpant . Tuſci vero lenius pronuntiantes, pro *Pa-Pa* videntur dixiſſe *Ba-Ba*, unde efformatum *Babbo* . Παππος dixere etiam Græci, at iis *Avum* ſignificabat. Robertus Stephanus , aliique Lexicographi, in quorum etiam ſententiam ivere nuper Clariſſimi Viri Johannes Vignolius, & Antonius Franciſcus Gorius, arbitrati ſunt , apud veteres Latinos *Patrem* appellatum fuiſſe *Ta-Ta* , *Matrem* vero *Mam-Ma* : quod poſtremum adhuc retinemus eâdem ſignificatione . Notus eſt Martialis verſus Lib. I.Epigr. 101. *Mammas atque Tatas habet Afra* . Idem Vignolius in Append. ad Diſſert. de Columna Antonina pag. 304. Inſcriptionem Romanam adfert , in qua leguntur FORTVNATVS TATA ET HERENIA RHODINE MAMMA. Id nempe a pueris uſurpatum , ſed & ab ipſo populo voce , ut ita dicam , blanditioſâ *per vezzo* . Auctor Nonius eſt ad vocem *Buas* , Romanorum filios *cibum ac potionem Buas ac Papas* , *& Matrem Mammam* , *Patrem Tatam* , dixiſſe . Noſtri adhuc infantuli cibum appellant *Pappa* . Verum Fabrettus vir exquiſitæ eruditionis Cap. III. Inſcript. Antiqu. pag. 142. nomine *Tatæ* ſignificatum potius cenſuit *Nutritorem* , ſive *Nutricium* puerorum . Nos *Ajo* , ſeu *Balio* dicimus. Ego vero , quod *Mammam* ſeu mamillam peterent infantes tam a Matribus , quam a Nutricibus , factum ſuſpicor , ut tam Nutrices , quam Matres appellationem *Mammæ* ſortitæ fuerint. Refert idem Fabrettus pag. 187. Inſcriptionem poſitam a *Creſcente* filio *Matri piæ & Nutrici dulciſſimæ Liciniæ Proceſſæ* . Dabo & ego alias in novo Theſauro Inſcriptionum , quæ *Tata* pro *Nutricio* uſurpatum indicant . Vide apud eumdem Fabrettum Inſcriptionem pag. 337. Sed hæc nomina obſcura adhuc ſunt in antiquis Monumentis . Nam Bononiæ viſitur apud PP. Prædicatores in Cœnobio S. Dominici lapis Româ advectus , in quo hæc legas .

D . M
CN. ARRIO AGAPETO
ARRIA AGAPETE MATER
ET BOSTRYCHVS PATER
ET HELPIS MAMMA ET
FIEIE NVTRIX FILIO
PIENTISSIMO B. M. F
VIXIT. A. III. DIEBVS XXXXV.

Habes heic præter *Matrem* , *Patrem* , & *Nutricem* Agapeti iſtius , etiam illius *Mammam* , ab aliis diverſam . Quei ergo certo ſtatuas ſignificationem vocis *Mamma*? Ad hæc e Græcis veniſſe ad nos potuere ejuſmodi nomina . Illis enim *Papa* , ſeu *Papas* , *Patrem* ac *Nutritorem* ſignificabat. *Amma* vero apud Palladium & Heſychium eſt *Mater* . E *Mea Amma* contracto fortaſſe compoſitum *Mamma* . In Gloſſis Teutonicis ex Bibliotheca Medicea deſcriptis, atque ab Eccardo editis *Nutrix* appellatur *Amma* . Sunt qui & Aviam hac voce deſignari putant . Sic *Tetta* pro *Mamilla* , non e Græco Τιτθὴ deſumtum continuo credendum eſt , quod in Heſychii Gloſſario legatur. Illuc fortaſſe a recentioribus inlatum fuit . Ego antiquam noſtram vocem puto .

Mercatura quoque , & Militia , uti ſupra innuebam , vehiculum eſſe conſueverunt multis vocibus ,ad ipſas præcipue Artes pertinentibus , ut per varias Nationes propagarentur . Auctor Gallici Libri Anno 1673. editi ſub titulo *De la connoiſſance des bons Livres* Cap. IV. ſignificat , non parum additamenti Gallicæ Linguæ factum ex Italicæ ſpoliis . *Ex quo* , ait , *Itali in Gallia excepti fuere ſub Regibus Carolo VIII. Ludovico XII. Franciſco I. & Henrico II. ii cauſſa fuere* , *ut Gallica Lingua ultra tertiam partem fuerit immutata* . Immo longe antea , hoc eſt Anno 1583. Henricus Stephanus , vir celebris inter Eruditos, occultato nomine ſuo, Librum evulgavit , cui titulus : *Deux Dialogues du nouveaux Langage François Italianizè*, *ou autrement deguisè entre les Courtiſans du temps* . Contendit ibi vir gente Gallus , totam ferme Gallicam Linguam efformatam fuiſſe ex Italica , non ſolum ob voces inde hauſtas , ſed etiam ob concinnitatem phraſium , & novam pronuntiationem . Quod memoriâ ſemper eſt recolendum , quoties quæritur , utrum voces Linguæ utrique communes, ſint ex una potius, quam ab altera derivandæ . Præterea memoranda mihi eſt Arabica Lingua , quum ex ea Itali complures voces mutuati olim fuerint . Scilicet Arabes , qui & Saraceni , uti infra in Diſſertatione XLIV. *de Literar. fortuna* animadverti , Sæculo Chriſti VIII. Hiſpaniâ potiti ferme universâ, ſuo quoque addidere imperio Siciliam, & aliquot Calabriæ Urbes Sæculo IX. quas diu tenuere . Ii vero ob Literarum culturam eodem Sæculo IX. reliquis populis , etiam Chriſtianis , præcellere credebantur ; ac præterea Mercaturæ addicti in maritimis præcipue Civitatibus Chriſtianorum frequentes verſabantur . Quamobrem nullo negotio majores noſtri ex eorum Lingua olim celeberrima multas deſumſere voces, quæ adhuc ſuperſunt in uſu . Nonnullas heic recenſebo, quas docti viri, jamdiu originis Arabicæ agnovere , videlicet *Alchimia*, *Alcova*, *Alfiere*, *Almanacco*, *Ambra* (ideſt *Succinum* , quæ vox tamen Skinnero & Eccardo creditur Germanicæ originis , quorum rationes erunt qui minime amplectantur , uti & *Ambroſiam* ex *Ambra griſea* appellatam fuiſſe .) *Avania* , *Azzurro*, *Canfora*, *Caraffa* , *Carato*, *Caravana* , *Cremeſi*, *Cremeſino*, *Eliſſire*, *Fanfarone* , *Gelſomino*, *Giraffa*, *Giubba* (Germanica tamen Lingua & ipſa habet *Joppe*, *Juppe* idem ſignificans) *Giulebbo* , *Lacca* , *Lambicco* , *Limone* , *Liuto* (niſi ſit Germanicum), *Magazzino* , *Maſchera* , *Muſchio*, *Ribeba*, *Ricamo* (Hebraica tamen Lingua hanc vocem dediſſe videtur) *Sommacco*, *Tamburo*, *Turcimanno*, *Zafferano* , *Zaga-*

Zampogna, *Zibetto*, *Zibibbo*. Vide & alias in Diſſert. XXVI. de *Militia*. Fortaſſis etiam ex Arabica arceſſendæ ſunt voces *Alabarda*, *Ambaſciata*, *Baracane*, *Capanna*, *Cifra*, *Ragghiare* & *Scarlatto* (niſi potius ſit e Germanica voce), *Tombolo*, & aliæ, de quibus tamen diſputatio ſupereſſe poteſt. Originis quoque Arabicæ credebatur mihi *Giulla*; ſed judicium ſuſpendere me cogit auctoritas Leibnitii V. Cl. qui ex Teutonica Lingua vocem hanc ad nos veniſſe opinatur. Nefandi quoque criminis nomen unde & Itali & Galli traxere: quod Menagius minime animadvertit, alibi quærens, quod in Arabum vocabulario quærendum erat. Præterea voces alias infra indicabo, quæ ex eodem fonte manaſſe mihi creduntur. Neque dubito, quin uti complura ex eiſdem Arabicis vocabulis in Hiſpanica Lingua ſervantur, ita & aliquot perdurent in quibuſdam Italicarum Urbium Dialectis, præcipue in Sicilia ac Regno Neapolitano. Immo interdum perpendebam, an fieri potuerit, ut & nos Mutinenſes inde olim acceperimus *Abbracciare un meſtiere*, ideſt artem exercere imperite, aut aliquid tractare, ſive facere imperfecte præ feſtinatione. Vide infra ad vocem *Bagattella*. Dicimus etiam *Sguazzare*, ideſt vinum, aquam, aliumve liquorem in vaſe agitare. Arabica vox *Sfazaſſa* ſignificat *Conturbavit*, *Miſcuit*. Si Præteritum illud in noſtrum Infinitivum vertis, habes *Sgazaſſare*. Nobis præterea eſt *Inſamararſi*, ideſt *Ira vehementi accendi*. Arabibus eſt *Zambara*, *Rubuit præ ira oculus*. *Zambaron*, *Iratus*, *Iracundus*. Præpoſitâ Characteriſticâ *In*, *Septimæ* Conjugationis, fit *Inzambara*, *Indignatione efferbuit*, vel *vehementer præ ira intumuit*. Eſt etiam nobis *Zangiare*, ſignificans projicere & abjicere aliquid cum impetu. Arabica Lingua nobis exhibet *Zagiara*, ſignificans *Depellere*, *Abigere*. Fueritne hic Mutinenſium iſtarum vocum fons, nihil ego decernam.

At quum primùm ſe mihi obtulit ſupra memorati Ægidii Menagii Liber *de Origin. Linguæ Ital.* omnia pacato animo excepi tamquam oracula e tripode ſapientiæ ac eruditionis profecta. Nimirum nulla mihi dubitatio erat, quin vir doctiſſimus poſt Octavium Ferrarium Linguæ noſtræ fontes ſummo ſtudio perſcrutatus, nihil niſi ſolide excogitatum protuliſſet. Sed ſenſim unam, tum alteram ejuſdem ſententiam ſub incudem revocans, multas ex iis vitreas atque æreas ſenſim deprehendere cœpi, ita ut jam videar mihi pronuntiare poſſe, magna cum circumſpectione fidendum hominis judicio, dum Italicæ Linguæ Origines venatur. Plurima ſane apud illum recte excogitata fateor; ſed non pauca etiam ſuperſunt, quæ nullo rectæ rationis fundamento nituntur.

A Porro illum duplici ratione deceptum puto. Altera eſt, ipſum non ea, qua par erat, curâ Germanicæ Linguæ operam dediſſe, quum ſibi perſuaſiſſet, ex Latino potius, aut ex Græcia, quam ex aliis exteris regionibus, derivandas eſſe pleraſque Italici ſermonis voces, quæ Latinam Linguam parentem non habent. Altera eſt, cum non raro finxiſſe ſibi ſcalas, quas quiſque ne dicam ridendas, ſaltem a vero abſimiles deprehendet: quæ ratio expiſcandi Etymologias ſi laudanda aut toleranda foret, jam quidquid in mentem venit, aut a Latino, aut e Græco trahere nullo negotio poſſemus. Exempla jam aliquot vidimus. Accipe & iſta. *Menzogna* Italicum, ſignificans *Mendacium*, Gallis

B eſt *Menſonge*. Menagius ex ipſa Latina voce *Mendacium*, Italicam & Gallicam deducit hoc pacto: *Mendacium*, *Mendaciolum*, *Mendaciolium*, *Mendacionium*, *Mendacionia*, *Mencionia*, *Menſogna*. Ingenioſam revera ſcalam! Non a *Mendacium*, ſed a *Mentior* deſcendit *Menzogna*. Hinc enim vulgus efformavit *Mentio*, *Mentionis*, tum *Mentionia*, quæ in *Menzogna* evaſit. In Gloſſis Græco-Latinis, uti animadvertit Du Cangius, habetur *Mentio*, Ψεῦσμα, ideſt *Bugia*, *Mendacium*. Eâdem quoque voce *Mentio* pro *Mendacio* uſus eſt Auctor Regulæ Magiſtri. Ita in Lege Alamannorum Tit. 41. de Judice, *Mentioſus* occurrit pro *Mendax*. Et apud Anaſtaſium Bibliothecarium in Latina

C verſione Hiſt. Eccleſ. in Leone Iſauro *Mentionarius* legitur, quod idem eſt ac noſtrum *Menzognero*. Et ſane ante tot Sæcula animadvertit A. Gellius Lib. XI. Cap. XI. multum diſcriminis intercedere inter *Mendacium dicere*, & *Mentiri*. Sed levia hæc ſunt. Rurſus cuinam quæſo in mentem caderet, Italicum *Fraſca*, ſignificans *Frondem* cum ſuis foliis, ex Latino *Ramus* fuiſſe derivatum? Id tamen nos docuit Menagius, qui & prodidit gradus mutationis iſtius, inquiens: *Ramus*, *Rami*, *Ramiſcus*, *Framiſcus*, *Framiſca*, *Framſca*, *Fraſca*. Perperam hæc fuiſſe excogitata, meraque eſſe ſomnia, Lector bene vigilans vel me tacente dignoſcet. Neque felicius Ferrario ſucceſſit,

D deducenti hanc vocem e *Virideſco*, *Viridaſco*, *Vraſca*, *Fraſca*. Et iſtud Etymon in ſomniorum regione procuſum fuit. Malo ego fateri incompertam mihi vocis hujus originem, quam adeo inanibus ac arbitrariis Etymologiis detinere Lectorem. Id ſolum novi, in Charta Anni 871. occurrere *Fraſcarium ad virgas faciendum*, uti & in aliis Chartis: quo nomine locus ſignificabatur, unde colligebantur *Virgæ*. Chartam ipſam exerere juvit ex Tabulario Canonicorum Mutinenſium, ubi autographum adſervatur.

Char-

Charta convenientiæ inter Leodoinum Mutinenſem Epiſcopum, & Urſum Vitaliani filium. Anno 871.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, imperante Domno noſtro Ludovvicus magnus Imperator Auguſtus a Deo coronatus, Anno pietatis imperii ejus Deo protegente hic in Italia XXII. die Septimo de menſe Auguſti Indictione IV. Placuit atque convenit inter Domnus Leudoinus gratia Dei Epiſcopus Sancte Eccleſie Motinenſis, *nec non ex alia parte inter Urſo filio quondam Vitaliani livero homine, ut in Dei nomine tu qui ſupra Urſo vel tuis heredes reſedere & laborare debeatis in terra vel caſa ſeo res Sanctæ Eccleſiæ Motinenſis locis ubi dicitur Ulmita & Granariolo, quod pertinet de Curte noſtra Saviniano juris Eccleſie Motinenſis, ideſt in omnes res illas & caſis in integrum, quas uſque nunc tu qui ſupra Urſo per ſingulas & deſignatas peciolas, & quod tibi in anteriore libello adjunctam fuit omnia in integrum, qualiter in ipſo anteriori libello, quam vel ad tuas detenuiſtis manus cum finibus & lateribus, atque coherencia & adjacencia ſua, cum caſis, terris, vineis, campis, pratis, virgaris, ſtallariis, uſum putei, aquis, ſeque moventibus, omnia & ex omnibus qualiter uſque nunc ad tuas detenuiſtis manus, reſedere & laborare debeas tu qui ſupra Urſo vel tuis heredes livellario & maſſaricio nomine ad laborandum, colendum caſas, canalibus edificandum, vitis ponendum, paſtenandum, propaginandum, & excolendum, fineſque defenſandum, & ſuper reſedendum atque inibidem edificias faciendum, & in omnibus ſupraſcriptis rebus & caſis meliorentur & non pejorentur uſque advenientibus continuo annis XXIX. iſti proximi advenientibus. Nec non & adjungimus vobis in Farnieto prope Prato domnica terrola cum* Fraſcario *ſuper ſe abente ad virgas faciendum jugis tres, quod eſt inter adfinis ad ſingulis lateribus, da tres lateribus terrola prativa &* Fraſcario *donico abeat in integrum. Et exinde de ipſe ſupraſcripte res qualiter ſuperius legitur, annue temporibus redditum atque tributum perſolvere debeatis pro unoquoque annos, ideſt ex omni genere* grano groſſo, *quod Dominus de ipſe ſupraſcripte res dare dignatus fuerit,* modio quarto, minuto *autem* modio quinto, lino manna quinta, vino *medietatem,* exennia *vero per annos dare debeatis in Domini Natale* pullos duos, ovas decem, *& in Paſca Domini pro* Fraſcario *dare debeatis in argento* Denarios quinque, pullos duos, ovas decem, operas *vero per annos facere debeatis dies XXIV. medietatem cum boves, & medietatem manualis cum domnica annona. Antepoſito terrola inter Curte & orto faciendum modio uno, unde non reddatis. Et ipſo ſupraſcripto grano vel vino redditum, quamque exenia & operas qualiter ſuperius legitur, ſtudere, & triturare atque evegere, facere, dare, & cunſignare debeatis ad Curte noſtra Saviniano nobis cui ſupra Leudoino Epiſcopo, meiſque ſucceſſores, quam vel ad Miſſis noſtris cum veſtro diſpendio, ſine omnem neglectum vel fraudem. Et per tempore meſſis, ſimulque vindemie, Miſſo Domnico habere debeatis, & ei ſuſceptum facere, & in judicio Patroni ſtare debeatis ad recta juſticia faciendum; & ſi nolue-* A *ritis per poteſtatem vobis pignerare debeamus ſine publica auctoritate. Penas vero inter nos poſuimus, ut ſi exire aut minare, aut aliqua ſuppoſitam fecerit, fraudem aut neclectum feceritis & non permanſerimus ambas partis, tam nos ſupraſcricti, quamque ſucceſſoribus, aut heredibus noſtris, & probatum fuerit, tunc promittimus componere unus alteri, cui culpa inventa fuerit, pena nomine in argento ſoldis viginti, & poſt pena compoſita hos libelli conveniencie, ſicut ſuperius legitur, in ſua permaneat firmitatem uſque ad expletis XXIX. annis. Unde duo libelli convenientie pari tinore conſcripte.*

Acto ad Curtem noſtram Saviniano, die Re- B *gni, & Indictionis ſupraſcripte feliciter.*

Ego Leudoinus Epiſcopus ſubſcripſi.

Signa ✠✠✠ manuum Illareni, & Ermenperii de Caſegio, ſeo & Dominici de Bazano ut ſupra legitur rogatos teſtes.

✠ Scripto libello qualiter ſuperius legitur per manum Hodelberti Presbytero & Notario Sancte Motinenſis Eccleſie complevi & dedi.

Occurrit etiam in Chartis antiquis Chronici Vulturnenſis, ac præcipue in Charta Anni 948. *Nullus præſumat in præmemorata Silvá introire, aut & lignum exinde incidere, vel fraſcas, vel perticas* &c. Præſtat etiam ignotum adhuc appellare fontem vocis *Fratta*, quam Vocabularii della Cruſca Auctores *Borroncello* ſignifi- C care, ſed fortaſſe non accurate ſatis, ſcripſerunt. Nam *Borroncello* nihil aliud eſt, niſi *præruptus ac profundus* locus, de quo mihi infra ſermo erit, quum *Fratta* ſit *Dumetum*, *Vepretum*. *Macchia* quoque parum diſſimili ſignificatione nobis eſt *Vepretum*, *Dumetum*. *Macchione* etiam uſurpamus ad ſignificandum *una Macchia grande*. Neque tantum in ſermone Italico, ſed & in antiquis Chartis *Macla* & *Maccla* eodem ſenſu occurrit. At unde vox iſta? *Pochi ſanno donde venga*, inquit Menagius. Procul dubio ipſe noverit. Et reapſe pergit ille dicere: *Viene*, *ſicuro* (vide hominis confidentiam) *da Dumus in queſta guiſa*. Intenti quæſo oraculum audiamus. *Dumus*, D ait ille, *Dumum*, *Duma*, *Dumachus*, *Dumaculum*, *Dumacula*, *Macula*, *Macchia*. Heus, bone Menagi: non eſt hoc Etymologias proferre, ſed nugas meras ad mercatum adferre. Equidem non diffiteor, me heic cæcutire. Quod ſi ariolum agere liceret, Lectori auctor eſſem, ut perpenderet, an forte Latinum *Macula*, quod purum putum nobis eſt *Macchia*, per translationem ad ſignificandum *Vepretum* adhibitum fuerit. Dumeta quippe ſponte naſcentia, & ſparſa per prata aut arva, intuentibus apparent veluti Maculæ in ore & veſtibus hominum. Porro eadem vox propagata ſenſim fuit in agro Romano, atque in finitimis locis, ad Nemora & Sylvas integras deſignandas, E quas *Macchie* appellant. Nullus in aliis Italiæ locis eſt uſus vocis hujus ſignificatione tam amplâ.

Sunt autem apud Menagium & Ferrarium non paucæ ejuſmodi origines vocum Italicarum, ex quibus nonnullæ omnino explodendæ, aliæ

alia fabrum dedere. Quare quum aliquot ex iis vocibus deprehenderim, innata mihi ſuſpicio eſt, Menagium felicem quidem in multis Etymologiarum venatorem, at nimium quandoque ſibi fidentem, aliis excogitaſſe. Suſpicionem juſtam effectus comprobavit; quippe multas quidem propoſitas ab eo Etymologias commendandas duco, ſed & in compluribus alia ab illius judicio recedere ſum coactus, ut infra patebit. Male autem ſucceſſit homini, quamquam extra eruditione fulto, quod in Oriente potius, quam in Septentrione & Occidente poſuerit, uberem Italicarum vocum eſſe fodinam. Profecto in perſcrutanda Germanicâ Linguâ cura major illi adhibenda erat, quando Wolfgango Lazio in Lib. de Tranſmigr. Gent. & Voſſio de Vitiis Serm. præeuntibus agnoverat & ipſe, ex Germania ad nos veniſſe nonpaucas voces, quarum catalogum appono, non omnia tamen ab aliis atque ab ipſo adnotata recenſens. Sunt ergo Germanicæ originis *Alabarda*, *Albergo*, *Alto* (vox militaris *far Alto*) *Arnese*, *Arringo*, *Arneſe*, *Arpa*, *Aſpo*, *Naſpo*, *Inaſpare*, *Azza* (Securis, unde & Gallicum *Hache*) *Balco*, *Baluardo*, *Bando*, *Bara* (idest *Cataletto*), *Barone*, *Baſtardo*, *Becco* (*Roſtrum* videlicet) *Biada* (ſed minime certum eſt) *Biadetto* (color, Gall. *Bleu*), *Birra*, *Bolzone* (*Sagitta*) *Bordo*, *Borgo*, *Boſco*, *Bottino*, *Bravo*, *Briglia*, *Bruno*, *Daga*, *Drudo*, *Elmo*, *Falbo*, *Falda*, *Fello* & *Fellone*, *Feltro*, *Fiaſco*, (alii e Græco arceſſunt) *Fodero*, *Fodero della Spada*, *Foraggio*, *Foreſta*, veriſimiliter & *Freccia*, *Giardino*, *Gonfalone*, *Gramo*, *Granfo* (idest *Granchio* Florent.) *Greppo*, *Graſpo*, *Raſpo*, dal Tedeſco *Trappe* (de quo dubito) *Guanto*, *Guardare*, *Guattire*. (Mutinenſes habent *Squittarare*, de avibus præcipue dictum, quæ ſe in aqua proluunt) *Guarnire*, *Guerra*, *Guiderdone*, *Guindolo*, *Indarno*, *Inveſtire* (di un Feudo) fortaſſe *Lampreda*, *Milza*, *Naſtro*, *Pantoffola* (Gallis *Pantoufle*), forſitan & *Predella*, *Piffero*, *Piſciare*, *Piva*, *Ratto* (Mediolanenſibus, Tuſcis *Sorcio*) *Recare*, *Arrecare*, *Ricco*, *Roba*, *Rubare*, *Rocchetto*, *Roncino*, *Rozza* pro Equo, *Rubare*, *Sala*, *Scalco*, *Scherno*, *Schernire*, *Scherma*, *Schermire*, *Scherzare*, *Schifo* (navicula), *Schinco* (idem quod *Stinco*) *Smaltire*, *Snello*, *Sega*, *Spanna*, *Sparviere*, *Spiedo*, *Staffa*, *Stampare*, *Stanga*, *Stecco*, *Stendardo*, *Stivale*, *Stocco*, *Stoffa*, *Talco*, *Taſca*, *Trappola*, *Tregua*, *Tuffare*, *Valigia*, *Usbergo*, *Zuppa*, *Suppa*. Sunt & alia a doctis viris adnotata, quæ uti non tam certa prætereo. Succedunt nunc alia mihi adnotata in examine Originum Italicæ Linguæ Menagii. Ante tamen Lectorem monendum reor, alia multa ſupereſſe in ejus Libris, quæ cenſuræ locum reliquiſſe videntur. Nam doctus ille vir, ſed ſimul confidentiſſimus, pro ſuo arbitrio, ſuæque intemperantis Phantaſiæ ductu, aliarum vocum originem nimiâ licentiâ ſtatuit, quam fortaſſis alii poſt me improbabunt, verioribus fontibus indicatis. Vide potiſſimum, quæ is habet ad vocem *Prugnuolo*, quo nomine donata eſt ſpecies quædam exigui Fungi. Ab ipſo *Fungus* ſuſpicatur ille efformatum fuiſſe *Prugnuolo*. Miraris? Accipe ſcalam a Menagio excogitatam. *Fungus*, *Frungus*, *Frungi*, *Frungiatus*, *Frangiulus*, *Frugnulus*, *Frugnulus*, *Prugnulus*, *Prugnolus*, *Prugnuolo*. Hæc vereor ne riſu excipias. Tolerabilius ſuſpicari potuiſſet, ex ſimilitudine *Pruni* exigui, Fungum iſtum, dum prodit, nomen accepiſſe. Vide etiam, quæ is tradit ad vocem *Garzone*, quam e *Verna* Latino, nobis ſtupentibus, & reclamantibus cunctis Etymologiæ legibus, deducit. Neque felicius heic Ferrarius, a Latino *Agaſo* illam accerſens. Gallicum, aut Francicum feræ antiquitatis vocabulum ego illud puto, ſignificans hominem liberum, alicui honeſtâ conditione famulantem. Parmæ adhuc habetur Charta fundationis, ſeu dotationis Monaſterii Sanctimonialium Sancti Alexandri, a Cunicundâ, olim Bernardi Regis Italiæ conjuge, ædificati. Scripta fuit in Civitate Parmenſi Anno Chriſti 835. atque a Mabillonio in Appendicem Tomi II. Annal. Benedict. inlata. Subſcribunt *Lantbertus* Parmenſis, & *Nordpertus* Regienſis, Epiſcopi, quorum Chronologia apud Ughellium ſupplenda; *Adalghiſus Comes*, *Hucbertus Archidiaconus*, *Jacob Gartio ex genere Francorum*, *Herchenbertus Gartio ex genere Francorum*, *Fulbertus Gartio ex genere Francorum*, *Wiſgerius Gartio ex genere Francorum*; tum alii teſtes ex eodem genere. Ergo *Gartiones* tunc honeſti nominis, ac potius nobili loco nati, cenſendi ſunt; neque enim Servi, aut viles homines adhibiti fuiſſent teſtes. Eoque minus Chartæ ſubſcripſiſſent *Cunicundæ* olim *Reginæ*, neque ſimul cum duobus Epiſcopis, & uno Comite. *Vernæ* ſervilis; *Agaſones* plebejæ omnino conditionis fuere. Præcipue vero inditum *Gartionis*, ſeu *Garcionis* nomen videatur Adoleſcentibus, quum hæc eadem ſignificatio apud Gallos & Italos perduret. Sed ut *Pueri* appellati ſunt a Latinis, & *Ragazzi* ab Italis, quilibet *Famuli*; ita olim quoque *Gartionis* nomine ſenſim donatos quoſcumque Famulos arbitror. Et reapſe *Garzone* apud nos etiam *Famulum* ſignificat, uti fidem faciunt exempla in egregio Florentinorum Vocabulario *della Cruſca* omnibus expoſita. Altero quoque ab exemplo diſcas, quantam ſibi fiduciam tribueret Menagius in ſtatuendis Etymologiis, quas per ſcalas quaſdam, quas potius aërea caſtella appelles, mirâ is facilitate deducebat. Octavius Ferrarius hæc ſcripſit: *Roſcio di pecore Inſubres appellant gregem ovium.* Quid ad hæc Menagius? Continuo e pera ſua educit originem vocis *Roſcio*, inquiens: *Grex*, *Gregio*, *Groſcio*, *Roſcio*. Mirandum Etymon hoc ſane dicas. Mediolanenſium *Roſce*, pronuntiatum ſine E. idem eſt ac Mutinenſibus *Rozz*, *Rozzo*, preſsè pronuntiatum, ut *Tozzo*. *Plures uvarum racemos conſtipatos* (quod & Ferrarius ait) nos appellamus *un Rozzo*, Mediolanenſes *un Roſcio d'uva*. Ita *un Rozzo di panni lini*, *un Rozzo di fazzoletti*, *&c.* dicunt Mutinenſes, quum multæ ex his rebus conjunctæ ab uno filo pendent Rotæ ad inſtar. Proinde fortaſſe prodiit hæc vox e *Rotium* idem ſignificante ac *Rotulus*. Primum in *Rozzo* convertimus, quo more etiam *Birotium* corrupte mutatum a Mutinenſibus fuit in *Barrozzo*. Alterum, nempe *Rotulus*, apud nos eſt *Ruzzolo*. Neapolitanis *Rotolo* ſignificat nexum aliquarum rerum, ut *Rotolo di pane &c. Ruolo*, *Arrolare ex Rotulus* quoque venit; ſed nos illud rectâ accepiſſe videmur ex Gallico *Rôle*.

Aggredior nunc recenſere, quæ mihi hactenus ſeſe obtulerunt in inveſtigandis fontibus complurium vocum Italicæ Linguæ, iis videlicet, qui aut obſcuri, aut ignoti mihi viſi ſunt; neque enim vocabula ex Latinorum penu aper-

aperte depromta , uti neque cetera , quorum originem docti viri jampridem indicarunt, mihi repetenda heic ſum arbitratus . Ceterum , antequam iter inſtituam , velim meminerit Lector , quot periculis obnoxius ſit , qui abditiſſimas non raro Vocabulorum origines perſequitur , ſuumque ingenium torquet , ut oppoſitas tenebras acumine mentis , aut ope eruditionis exſuperet . *Nam* (ut ait Johannes Albertus Fabricius V. Cl. Volum. X. Biblioth. Græcæ pag. 20.) *quis neſcit , omnibus in Linguis quantum hac in parte ſibi omni ætate indulſerunt ingenia ; quam multa pſeudetyma in Platone ipſo & Varrone notant eruditi ; quam facile falſa ſpecies pro vera notatione alludit & abblanditur etiam acutiſſimis & peritiſſimis ?* A Proinde non injuriâ opinor , Etymologiarum ſtudium appellari quodammodo poſſe *Artem conjectandi* . Conſequens propterea eſt , minime expetendam eſſe ubique certam rerum notionem ; ſed ubi lux deeſt , umbrâ luminis , ut ita dicam , contentos eſſe nos decet . Iniquus proinde ſit , qui Conjecturam , Suſpicionem , Dubitationem a Sententia non diſtinguat ; atque Etymologiam certam , aut propiorem vero nactus , præcedentes aliorum Conjecturas , dum temeritate careant , rideat , atque ſugillet . Erga Menagium lenis interdum ego non videar ; ſed ibi dumtaxat , ubi is ingenio , imaginationi , ac arbitrio ſuo nimium habenas laxat , atque imperterritus ſomnia ſua veluti pſephiſmata nobis obtrudit .

CATA-

CATALOGUS
COMPLURIUM VOCUM ITALICARUM, QUARUM ORIGO INVESTIGATUR.

A

ABbagliare. Latine *Perſtringere oculos*. De origine vocis hujus multa eſt contentio inter Octavium Ferrarium, & Ægidium Menagium. Ille ab *Adpalpebrare* commentito verbo; hic a *Baluca*, ſive *Balux*, ſignificante *granulum auri*, deduxerunt *Abbagliare*. Tempus non teram in ejuſmodi ſententiis improbandis. Num hæc vox Celtica, ſive Germanica vetus? Apud Britannos *Aball*, *Defectus* perdurat. Suſpicio quoque ſuboriri poſſet, num ex Arabica Lingua ad nos proficiſci potuerit. Gollio teſte, Arabum Populo *Balagia* ſignificat *Fulſit*, *Nituit*, *Splenduit*. Ii enim, uti & Hebræi, Præteritum indicem totius verbi primarium uſurpant. Si verbo huic præponatur *Elif*, quartæ Conjugationis characteriſticum, inde exſurget *Abalagia*, *Splendore* offuſcavit. Itali pro *Abalagiare*, fortaſſe dixerint *Abbagliare*. Nobilis Vir Joſeph Peccius Senenſis ab *Abballiare* vocem hanc ingenioſe derivat. Conjecturæ huic plaudendum. Verùm ſi, quæ mea reapſe ſententia ſit, perconteris, ſincere ajo, ignotam adhuc mihi videri originem vocis hujus. Neque enim primitivum vocabulum puto *Abbagliare*, ſed quidem *Abbarbagliare*, quo & nos Lombardi, non ſecus atque Tuſci, utimur. Sane *abbagliare* in Dialecto Lombardorum locum non habet. Ex *Abbarbagliare* Tuſci brevitatis causâ efformaſſe mihi creduntur *Abbagliare*. Atqui dignoſcere, undenam emerſerit *Abbarbagliare*, arduum opus arbitror. Animadverto dumtaxat analogas quaſdam voces, confuſionem ſignificantes, *Bar* ſyllabam præferre, uti *Barlume*, *Barbottare*, *Barbugliare*, *Barbagio*. Nos Mutinenſes deliquium animi improviſum, quod oculorum uſum eripiat, appellamus *un Barbaione*. Apud veteres Tuſcos *Bagliore* ſignificabat ſubitaneum & improviſum *Splendorem*, qui oculos perſtringebat. Cum illa voce conferendum eſt *Abbagliare*.

Abbandonare. *Deſerere*; *alterius arbitrio aliquid dimittere*. Non hujus verbi mentionem facio, ut meliora pollicear, quàm qui præceſſerunt in ejus Etymo expiſcando, ſed ut Eruditos excitem ad accuratius adhuc illius originem inquirendam. Du-Cangius a *Bandum*, ſive *Bannum*, vocem deduxit. Ita & Menagius ait: *Da Bando, che val pubblicazione con ſuono di tromba da Miniſtro pubblico. Coſa Abbandonata è coſa data al pubblico, e della quale non ſi prende cura*. Verùm *Bandi*, ſeu *Panni* notio vereor, ut concinne exprimat vim verbi *Abbandonare*, & *Mettere*, ſive *Laſciare in Abbandono*: quas phraſes Lombardiæ Populi in uſu habent. Habent & Galli. Nam *Bannum* denotat actionem Magiſtratus capientis alienam rem, cujus etiam poſſeſſionem arripit, & curam habet. Senſus verò verbi *Abbandonare* reſpicit tantummodo poſſeſſorem rei, atque illius actionem, deſerentis aut per vim aut ſponte quæ poſſidebat aut curabat. Deinde cur A. additum cernimus? *Bannire*, *Bandire* ſatis fuiſſet. Contra Ferrarius cenſebat, idem fuiſſe *Abbandonare*, atque a *Bando diſcedere*, ideſt a *Vexillo*. Verùm (ut infra dicam) *Sbandare* nos inde efformavimus, non *Abbandonare*. Præterea Italica Lingua retinere minime conſuevit præpoſitionem *A.* in iſtiuſmodi caſibus. Neque dicendo *Abbandonare* quiſquam ſignificavit umquam *Vexillum* deſerere. Perpende nunc accurate exempla vocis *Abandum*, & *Abandonum*, a Du-Cangio producta: obſcura invenies, & *Bandum* ibi fruſtra requires. Immo fatetur ipſe, *Bandon ut plurimum ſumi pro Arbitrio*. Quæ omnia tenebras augent. Itaque novæ adhuc inquiſitioni ſupereſt locus. Eruditos autem Germanos, qui antiquas Linguæ ſuæ voces & vires perſpectas habent, rogatos velim, ut ſedulo conſiderent, num fieri potuerit, ut e ſuo vetuſtiſſimo *Abbandeln* emerſerit fortaſſe *Abandum* & *Abandonum*. Verbum enim illud varios Contractus reſpicit, in quibus & nos nunc utimur verbo *Abbandonare*, ſignificante *Dimittere rem* aliquam alicui. Tunc ſane eluceret, cur *A.* indiviſibile ſit ab ejuſmodi voce.

Abbatacchiare. *Perticâ poma dejicere*. Mutinenſibus eſt etiam *Bacchio*, *Batacchio*, Latine *Baculus*. A Senenſibus quoque dicitur *il Batacchio della Campana*: a Mutinenſibus *il Batocchio*. Menagii conjecturam laudo, trahentis *Abbatacchiare* ab antiqua voce Latina *Batuere*, e qua efformatum fuerit *Battaculum*, *Battacchiare*, & *Abbatacchiare*. Nam veteres dixerunt *Abbacchiare* eodem ſenſu ex *Bacchio*. Dumtaxat addo, Arabicæ Linguæ eſſe *Bataka*, ſignificans *Secuit*, *Amputavit*, *Perticâ ramos vulneravit*, aut *Percuſſit*, *Poma dejecit*. Gollium & Giggæum vide. Apud nos, alioſque Lombardos in uſu quoque eſt *Dar delle Patacche*, ideſt *Dar delle Buſſe*, *delle Percoſſe*. Græcorum verbum Πατάσσω, *Percutio*, neſcio an huc trahendum ſit. Germanica etiam Lingua habet *Patſch*, *ſuono delle sferzate*: & *Patſchen*, *Dar delle sferzate*, *Percuotere palma con palma*. Videtur tamen Germanica vox & ipſa ex Latino *Batuere*, *Batere* profecta.

Abbattere; *Proſternere*. Vide Diſſertationem XXVI. *de Militia* &c.

Abborracciare. Florentini Vocabularii Auctores putant, idem eſſe ac *Acciabattare*, ideſt *negligenter aut imperite aliquod opus confi-*

conficere. Quibus exemplis id confirment, non video. Mihi *Abborracciare* non aliud creditur niſi *Inebriare*, a *Borraccia*, hoc eſt a vaſe vinario, quo præcipue utuntur ſeu abutuntur peregrini. *Va ſodamente nel fidarti, e non t'abborracciare*: ita *Cron. Morelli* ab eiſdem Auctoribus laudatum; ideſt, *cave ne te inebries*. Rurſus Matth. Franz. Rim. burl. *Abborracciarſi ſenza altro bicchiere*, hoc eſt *Inebriari*. Ad nos vox iſta proceſſit ex Hiſpanico *Emborrachar*, Inebriari. Vide Covarruviam. Menagius illam ex *Borra* deducens, neminem, ut puto, ſententiæ ſuæ ſubſcribentem reperiet. *Borracha* ab Hiſpanis appellatur amphora vinaria e corio. Ejuſmodi vaſe utuntur adhuc, oſtiatim vinum quærentes, Religioſi Fratres vulgo Cappuccini, aliique e Sancti Franciſci familia ſtrictioris obſervantiæ Alumni: quod quidem nos Mutinenſes, ac alii Lombardiæ Populi, *Borracchia*, ſolemus nuncupare.

Abbozzare. *Lineamenta prima cuipiam operi dare*. Obſcura ſane vocis origo, quam neutiquam deprehendiſſe mihi videtur Menagius, quum a *Bozza*, nobis ſignificante *Tumorem*, eam deduxit. Nihil enim rei eſt *Tumori* cum opere adumbrato. Longius etiam a ſcopo abiiſſe mihi creditur Octavius Ferrarius, qui a *Bozze*, *fructus putridos* (neſcio apud quos Populos) ſignificante, invitâ plane Minervâ, traxit Italicum *Bozzo*, & *Abbozzare*. Hiſce Scriptoribus fortaſſe non ego felicior. Moneo dumtaxat, inquirendum ſupereſſe, an e Gallico *Esbaucher*, *Abbozzare* Italicum prodierit: nam apud nos in uſu etiam eſt *Sbozzare*, quod idem eſt atque Gallicum *Esbaucher*. Deinde ſcrutandum, num Gallica vox iſta ex *Boſco*, Germanicæ originis vocabulo, efformari potuerit, hoc eſt ab *Exboſcare*, quod ex conſueta ſcribendi ratione *AV*. pro *O*. evaſerit *Esbaucher*. Prima culturæ forma, terris deſertis ac ſylveſcentibus danda, ſita fuit in iis *Runcandis*, ſive *Exbuſcandis*. Inde manaſſe potuit *Esbaucher*, adhibitum primo ab Agricultura, inferente prima & craſſiora lineamenta agris excolendis: deinde propagatum ad Sculpturam, Picturam, aliaſque Artes, quum rudi formâ opus ſibi propoſitum primo adumbrant. Donec propiora vero alii adferant, hæc dixiſſe mihi licuerit.

Abbruſtolare. *Suburere*. Statim heic ſe offert *Uſtulare* Latinum, idem ſignificans. Sed quia *BR*. intruſum videmus, addendum eſt, nihil aliud hanc vocem eſſe, niſi *Adperuſtulare*, ſive *Abreuſtulare*. Neque a *Brace*, aut *Brutius*, deſcendit *Abbruſtiare*, ut Menagius putat, ſed aut ab *Uſtulare*, aut ab *Uſtum*, *Reuſtum*, & addito ab *Abreuſtum*, *Abreuſtiare*.

Abbruzzo. *Aprutium*, Regni Neapolitani Provincia ad Mare Superum, contermina ditioni Romanæ Eccleſiæ. Andreas Alciatus Nomen hoc (Romanis certe ignotum) acceſſiſſe regioni putat, *quia Urbicium Picenum tamquam Romæ ſuburbanum diceretur, & ſub diſpoſitione Vicarii Urbis eſſet*. Sibi quidem de hoc invento gratuletur Alciatus. Addit etiam Menagius: *Io ſono coll' Alciato*. Verùm hujuſce Etymi aërea omnino fundamenta ſunt. *Picenum Suburbicarium* novere Romani, numquam verò *Urbicium*. Vix autem fallatur, qui ab Urbe *Aprutio*, Sæculis barbaricis notâ, nomen inditum regioni fuiſſe opinetur, quod Caput aliquando Provinciæ fuerit. Nam uti ex Civitate *Fori-Julii* nobilis Provincia nunc *Friuli* Italice appellata, nomen accepit: ita ex Aprutinâ Civitate ſubjecta ei Provincia *Aprutium*, *Abbruzzo* appellari cœpta eſt. *Aprutii*, & Epiſcopi ibi conſtituendi, mentio eſt in Epiſtol. 12. Lib. 12. Sancti Gregorii Magni Papæ, ut alia omittam. Nunc idem locus fuiſſe creditur, atque *Interamna* veterum, *Teramo* noſtrorum temporum.

Accontarſi. *Nanciſci*, *Congredi*. Vox jam antiquata. Utebantur & Galli; ſed & apud eos evanuit. *Da Conto, che vale Intrinſeco e Confidente, che viene da Cognitus, Adcognitus, Acconto, Accontare*, inquit Menagius. Fallitur. Nulla eſt affinitas inter *Cognitus*, & *Accontarſi*. Efformatum videtur hoc verbum ex *Adcomitari*. Nunc dicimus *Accompagnarſi*. Detracto I. evaſit *Adcomtari*, ac tamdem *Accontare* & *Accontarſi*. Addo apud nos *Conto* minime ſignificare hominem *neceſſarium*, ſive *familiarem*, ſed quidem rem *notam*. An a *Cognitus* deſcenderit eâ ſignificatione *Conto*, incertum puto.

Accorgerſi. Vide infra *Scorgere*.

Accozzare, *Raccozzare*. Vide infra *Coccio*.

Accudire. *Diligentem operam dare alicui rei*. Hiſpanicæ originis verbum eſt. Unde verò illi deduxerint, ignotum mihi.

Acquiſtare. *Acquirere*. Menagius ab *Adquæſitare* deduxit. Poterat brevius dicere, enatum fuiſſe Italicum *Acquiſtare* a Latino *Acquirere*. Nempe ab *Acquiſitum*, *Acquiſtum*, *Acquiſto*, *Acquiſtare*. Sunt & alia complura verba Italicæ Linguæ, quæ originem ſuam debent Participiis aut Supinis Latinorum. Exempla accipies infra. Sed & ipſi Latini ex eodem fonte derivabant interdum verba ſua frequentativa.

Adeſſo. *Nunc*. Erithræus in Indice Vergiliano, & deinde Menagius natum cenſuerunt adverbium hoc Italicum ex *Ad* & *Ipſum*, ſubintelligendo *Tempus*, aut *Momentum*. Aſentiri nequeo. *Ad ipſum tempus*, vel *momentum*, nulla ex parte exprimit *Nunc*: quippe non præſenti dumtaxat tempori, ſed præterito, ac futuro tribui poteſt. *Ad hoc ipſum tempus* neceſſe eſſet dicere, ad ſignificandum *Nunc*. Adde, *Eſſo* a nobis pronuntiari E. clauſo: & contra *Adeſſo*, E. aperto. Quare dum melior Etymologia emergat, Eruditi perpendant, num Teutonum lingua nobis dediſſe potuerit adverbium iſtud. Eſt enim iis *Jetz*, *Itz*, *Itzo*, ſignificans *Nunc*. Præmiſſo *Ad*, fortaſſe potuit inde ſenſim efformari *Adeſſo*, ſive *Adeſs*, uti Lombardi complures pronuntiant.

Adizzare, *Attizzare*, *Aizzare*, *Izzare*. *Incitare canem ad mordendum*. Ferrarius a ſono vocis natam vocem ſcripſit. Menagio tamen id minime perſuaſit, qui propterea ab *A*. & *Titio Titionis* illius originem educendam cenſuit, aut ab *Adirritare*. Ferrarii ſententia mihi veriſimilior. Mutinenſes pueri, quum canes alterum in alterum ir-

aviſſent, adhuc apud ... Uzz, Uzz, & Italis nobis *Uzzare il cane*. Pro Cuz Florentini dicere ſunt, unde ... videatur *Aizzare Aizzare* &c. Ita Florentinis erat Izza, ſignificans *Iram*, *Contentionem*, *Provocationem*. Attamen animadvertendum, Germanicam Linguam habere *Hetzen*, ſignificans *Aizzare*, quod Italice converſum in *Hezzare*; & *Anhetzen*, quod ex *An*, idest *A* & *Hetzen* compoſitum eſt, atque ad Italicæ Linguæ formam converſum dat *Aizzare*. Quare videas, aut nos ab iis accepiſſe hanc vocem, quæ poſtea in *Aizzare* &c. tranſiit; aut utramque gentem ab eodem ſono vocis ſuum vocabulum traxiſſe. Ad irritandum ignem, homines &c. translata deinde vox fuit. Fortaſſis etiam inde natum *Stuzzicare*. Veri quoque ſimile eſt, Gallos ſuum *Attiſer*, & Hiſpanos ſuum *Atizar* ab Italis (quod & illi conſuere) aut ab ipſis Germaniæ Populis, illuc ad dominandum profectis, didiciſſe. Italicum autem *Stizzare*, *Stizzire* &c. num ex hoc ipſo fonte, an potius (quod Menagius putavit) e *Titio* manarint, alii decernant.

Addobbare. *Ornare*, *Militiæ cingulo inſignire*. Vide Diſſertationem LIII. *de Inſtitut. Milit.*

Affanno. *Angor*, *Moleſtia*, *Anxietas animi*. Ab *Anhelare* perperam traxit hanc vocem poſt Ferrarium Du Cangius. Monoſinius ab *Afs* voce Hebraica, quæ tamen tantummodo ſignificat *Coquere*. Menagius ab *Afa* Italico, ſignificante *Angorem*, e nimio æſtu aut gravedine aeris partum. Sed perpendendum, num elicienda ſit vox iſta ex Arabum Lingua, cui eſt *Affa*, *Toedebit*, ſicuti & *Uffan*, interjectio *Faſtidientis* atque *Mærentis*. Hinc etiam prodiiſſe potuit Gallicum *Ahan*, quod Menagius ex Italico *Affanno* derivavit, alii ab *Anhelitu*, ſed prorſus adverſante Etymologiarum lege. Hiſpani & ipſi, qui plures Arabum voces retinent, *Afan* dicunt; atque apud eos *Faſtidium* & *Mærorem* ſignificat. Quare ſimul vides, originem Italicæ vocis *Afa* non procul abire ab Arabica Lingua.

Affare. *Negotium*. *Ab Adfacere*, inquit Menagius. Sed ab ipſo Italico *Fare* nata vox, quum diceretur *Aver molto a fare*: Aut Gallicum *Affaire* noſtrum fecimus, quod ab *Affarium* Du-Cangius derivat. Vox iſta ſignificabat prædium, aut integras hominis fortunas. Et ſane adhuc dicimus: *Un' uomo di baſſo, di alto Affare*.

Affatto. *Prorſus*, *Omnino*. Latinum *Affatim* in hanc vocem immutatum videtur: penultima tamen in *Affatim* brevis huic Etymo repugnat. Præterea *Affatim* ſignificat *Abundanter*, non vero *Prorſus*. Gallica Lingua habet *Tout á fait*, quod idem ſignificat. Ab utro ex his fontibus petenda ſit vocis origo, decernant alii. Mihi poſtrema veri videtur ſimilior.

Affronto. *Injuria*, *Dedecus alicui inlatum*. Gallis quoque & Britannis eſt *Affront*: iique fitentur, vocem ex Italia proxime præterito Sæculo illuc immigraſſe. Attamen hoc ſenſu ne nosquidem uſitatam apud Veteres reperimus. Hiſpanis eſt *Afrenta*. Illi-ne a nobis, an nos ab iis acceperimus, quis certos nos faciat? Inde natam vocem Covarruvias putat, quod verecundia ad vultum ac præcipue ad Frontem læſi aſcendat. Ad veritatem fortaſſe propius accedemus opinando, injuriæ ac probro Nobiles & Majores ſibi duxiſſe, quum quiſquam ignobilis ac minor eos *adfrontabat*, idest *veniva*, *o voleva ſtar loro a fronte*, neque cedebat. Ita habemus *venire in Confronto*; quum nempe aliquis coram altero ſiſtitur, ut veritas cujuſpiam rei ex eorum congreſſu exquiratur.

A fuſone. *Abundanter*. Adverbium hoc purum putum Gallicum eſt *a Foiſon*, & ſemel irrepſit in Hiſtoriam Johannis Villanii, dum is incaute in Librum ſuum invehebat quidquid ferebant Ephemerides, ſeu *le Gazzette* Florentinorum, tunc in Gallia mercaturæ operam dantium. Ceterum adulterina merces eſt, & a regionibus Italicis diu exploſa. Contendit Menagius, *Foiſon* dictum fuiſſe a *Fuſio*, *Fuſionis*. Sed rectius antea monuerat Taſſonius V. Cl. Mutinenſis in Notis MStis ad Vocabularium Cruſcanum, *A fuſone* eſſe corruptam vocem pro *Ad effuſionem*.

Aggavignare. *Manu comprehendere*, *Manu conſtringere*. Florentinorum vox eſt, omnibus ferme Italicis reliquis, ut ſuſpicor, ignota. A *tonſillis*, parte videlicet colli, quas *Gavigne* Florentini appellant, ſuſpicati ſunt Auctores Vocabularii Cruſcani, vocem hanc emerſiſſe. Fortaſſe quod manibus collum adverſarii arripere mos eſſet. Menagius contra ludere mihi videtur, quum ex *Capus*, *Capulus* (nobis *Manico*) per audaces ſcalas ſuas derivare hoc verbum contendit. Sed heic ne mihi quidem aliquid tolerandum occurrit. Video tamen, Germanicæ Linguæ eſſe *Gefangen*, ſignificans *Capere*, *Prehendere*. Num addito *Ad* potuit inde efformari *Aggafingare*, *Aggafignare*, *Aggavignare*?

Aggiuſtare. *Ad juſtam menſuram*, *ſive ad juſtum ordinem quidpiam redigere*. Nemo non videt, efformatum fuiſſe e Latino per *Latino*-barbaros. Sed minime heic laudandi Etruſci Vocabularii Auctores, quod in cenſum Italicarum phraſium intulerint. *Aggiuſtar fede*, pro *Dar fede*, hoc eſt *Credere*. Merus Gallieiſmus ille eſt, fœdiſſime corruptus, ideoque nobis omnino ejurandus. *Adjouſter foy* eo ſenſu dicunt Galli: ſed illa vox ab *Adjuxtare*, hoc eſt ab *Ad* & *Juxta* efformata fuit, atque adhibita pro *Addere fidem*: ac proinde Hircocervus Italis eſſet illud *Aggiuſtar fede*. Neque enim nobis *Aggiuſtare* eſt *Addere*.

Aggradire. *Probare*, *Placere*. Primitivum *Gradire*. A *Gratus* hæc omnia efformata fuere, uti & *Avere a Grado*, atque Gallorum, *Aggréer*, & *Gré*.

Aggrapparſi. *Adrepere*. Vide Diſſertationem XXVI. *de Militia*.

Agio. *Commodum*. A Latino *Otium*, ſi Menagio fides, vocabulum deſcendit. Ab *Adaptare* noſtrum *Adagiare* trahit Ferrarius. Uterque mirum in modum hariolum agit. Ignotam mihi originem ego fateri malo. Quod ſolùm conſtat, Gallis pariter eſt *Aiſe*, idemque apud eos ſignificat. Utrum illi a nobis, an Itali ab illis vocem acceperint, incertum. Profectò ſuum *Eaſe* Angli e Gallia deduxiſſe videntur.

tur . Schiltero videtur *Aſe* , *Facile* , Celtica vox , quod ruſticis Alſatiæ adhuc ea in uſu ſit . Sed fortaſſis illi a vicinis Gallis eam accepere . Corbinellius Italicus Scriptor opinatus fuit , pro *Aſiaticus* dictum fuiſſe *Agiato* . Neque contemnenda conjectura : an vera tamen ignoro. Certe *Agiato* opulentum hominem ſignificat , commodiſque ac deliciis affluentem , quales olim Aſiaticæ gentes erant , uti multorum auctoritate oſtendi poſſet . *Aſiatica* & *Aſiana luxuria* , ideſt luxus & opulentia memoratur Sancto Auguſtino Lib. 3. Cap. 21. de Civitate Dei : atque hæc in proverbium tranſiit . Præcipue Tullium vide pro Quincto Ligario , & Livium Lib. 9. Decad. 4. Hujus verba ſunt : *Aſia amœnitate, copiâ rerum omnium, mollitiâ, & regiis opibus , ditiores , quàm fortiores exercitus faciebat* . Teſtis quoque Plinius eſt , ex Aſia devicta Luxuriam primùm invectam fuiſſe in Italiam . Mutinenſes adhuc dicunt *Ad-aſi* pro *Ad-agio* ; *Aſiato* pro commodo , ſive facili . Pro *Aſiato* , ſive *Agiato* poſtea Tuſci dixerint *Agio* , *Agevole* , *Agiare* , *Adagiare* , *&c.*

Agonia . *Anxietas* . Ad nos venit e Græco Α'γὼν , ſignificante *Certamen* , *Moleſtiam* , *Periculum* . Inde *Agonia di morte* de iis dicimus , qui animam agunt . Senenſes , Mutinenſes , aliique Populi pro *Agonia* dicunt *Angonia* , quaſi a Græco Α'γχόνη , aut a Latino *Ango* . *Angonia* quoque legitur in Carminibus Fratris Jacoponi Tudertini , & dicitur a Mediolanenſibus.

Aguato. *Inſidiæ*. Ita explicat hanc vocem Vocabularii Florentini Auctores . Addendum erat: *Occulta Speculatio*. De ejus origine actum eſt in Diſſertatione XIX. *de Tributis*, quam , ſi lubet , conſule .

Allagare . *Inundare* . Efformarunt illud Majores noſtri a *Lacu* , quum nempe flumina ex aggere erumpentia , aut pluviæ nimiæ agros obruunt , & veluti Lacum efformant .

Allettare . *Allicere* , *Leniter invitare* . Non erat adnotandum Menagio hoc verbum : eſt enim purum putum Latinum . Neque nos quærimus , quæ apertiſſime e Latio habet Lingua noſtra : habet autem innumera vocabula . Exempla verbi *Allectare* proſtant apud Tullium , Columellam , & alios. At , inquit Menagius , *Allettare* venit a *Lacio* , *Laxi* , *&c.* Mihi brevius dicendum videbatur , *Allectare* frequentativum eſſe verbum , efformatum ex *Allicio* , *Allectum* , *Allectare* , *Allettare* .

Allodiali . *Bona propria* , a Feudalibus ac Libellariis diſtincta . Vide Diſſertationem XI. *de Allodiis* .

Ammaccare , *Maccare* . *Contundere* , *Confringere* , ſeu *aliquid durum* , *ſed flexibile comprimere ita ut cedat* . Menagius inſalutatam vocem dimiſit . Ferrarius a *Machina* infeliciter deduxit . Videndum , an ex Arabica Lingua ſit derivanda . Hæc habet *Al-makko* , *Profligatio* , *Abolitio* , *Imminutio* , a verbo *Makka* , quod teſtantibus Giggeo & Gollio , ſignificat *Diminuere* , *Perdere* , *Mancum reddere* . Certe & literarum & ſignificationis affinitas inter iſta occurrit . Hebraica quoque Lingua habet *Machà* & *Machatà* , ſignificans *Deletio* , *Pl... ...ktus* , *Percuſſio* ,

Tom. II.

Ammainare . *Contrahere* , *Demittere vela* . E Gallica Lingua accepiſſe videmur hoc verbum . Ei quippe eſt *Amener les voiles*: & fortaſſis olim a Provincialibus ſcribebatur ac pronuntiabatur *Amainer* . Furetcrius e Celtica voce *Amena* profectum putat *Amener* . Num potius ex *A.* & *Minare* , apud antiquum vulgus Latinorum uſitato , & ſignificante *Menar via* ?

Ammannare . *Præparare*. Menagium audi: *Da Manna*. Ineptiſſimum Etymon : *Ovvero da Mano* . Hæc vera & unica verbi origo . Mutinenſium Dialectus ad eam propius accedit . Dicimus enim *Ammanuare* . Hoc eſt *Habere ad manum* , *promtum ac paratum* aliquid . Itaque natum verbum ex *Ad manum* , ſubintelligendo *Habere* . Ita *Ammanire* dicunt Parmenſes , & alii . Florentini literas nunc ſæpe duplicant : quod Majores noſtri non tam facile faciebant .

Ammutinarſi . *Seditionem contra dominum conflare* . Vocabularii Florentini Auctores vocem hanc minime agnoſcunt . E Gallico *Mutin* , ſeu *Mutiner* ad nos venit . Cenſet autem Menagius apud Fureterium, a *Moveo* efformatum fuiſſe , *Motinus* , & inde *Mutin* . Sed nimis lata eſt ſignificatio verbi *Moveo* , neque *Seditionis* faciem nobis exhibet . Perpendendum, an potius e Germanica Lingua noſtrum , ſeu Gallicum *Mutin* & *Ammutinarſi* derivandum ſit . Quippe Germanis eſt *Meuten* , *Ammutinarſi* . Fortaſſis e *Muth* ſignificante *Cor* , *Audaciam* . Ipſis quoque eſt *Muthig* , *Audax* . Aut a Septemtrionalium Linguarum *Mot*, Saxonice *Mot* & *Gemot*, ſignificante *Concurſum* , ut opinatur Hicheſius : Aut e veteri Gothico *Moti* , cujus ſignificatio eſt *Contra* , *Adversùm* , Addita præpoſitione *Ad* inde *Ammutinare* efformari potuit .

Anca . *Latus* , idem ac *Fianco* Italice . Vide infra *Fianco* .

Anche , *Anco* , *Ancora* . *Etiam* , *Et* . Menagius *Ancora* pro *Anche ora* dictum cenſuit . Recte . At unde *Anche* ? Is tacens prætergreditur . Ferrarius ita enatas voces iſtas ſibi fingit : *Hoc quoque* , *hocque* , *Anche* , *Ancho* , *Ancora* . Aut *Ad quæ* , *Anche* , *&c.* Menagius, neque immeritò , Etymon iſtud hiſce excipit : *E' derivazione inveriſimile aſſai* . Caſtelvetrus verò noſter ad Lib. 3. Bembi de Lingua Vulgari pag. 117. noviſs. edition. Neapolitan. in Additamentis , quæ antea inedita ego ſuppeditavi , opinatus eſt, noſtrum *Anche* efformatum ex Α'ν & Κὶ , Græcæ Linguæ particulis , reiterationem atque unionem ſignificantibus . Sed qui Græce norunt , vereor , ut aſſentiri velint . Nam ne ipſi quidem Græci jungebant haſce particulas ; neque illas in principio orationis adhibere conſueverunt : & κὶ Poëticum additamentum fuit , a Populo minime uſurpatum . Quare potius Eruditos Lectores , præcipue Germanos , rogo , ut perpendant , num fieri potuerit , ut Germanicum *Auch* , ſignificans *Etiam* , *Quoque* , Itali convertiſſe potuerint in *Anche*, *Anco* , ſcilicet *V*. in *N*. immutato . Hæc propior eſſet vocis iſtius origo , ſi ſimilis mutationis exemplum aliquod haberemus .

Andare . *Ire* , *Ambulare* . Occurrunt heic plu-

plures quam alibi digladiationes inter Etymologorum venatores, certantibus ſingulis tum Italici *Andare*, tum Gallici *Aller*, aliud aliam nobis explicare originem. Eam a Græco Ἀνύω, *Operor*, Caſtelvetrius: Ferrarius ab *Ante ire*; Cajetanus ab *Anteire*; Menagius ab *Aditato*, idest a ſe efformato, Græcorum verbo Ἄω, Italicam hanc vocem natam cenſent. Nulla ex hiſce Etymologiis, ſi res accurate perpendatur, fidem facile impetrare poſſit. Donec certior origo inducatur, liceat & mihi meas proferre in medium conjecturas. Eſt Arabum Linguæ non diſpar verbum, ſcilicet *Anada*, *Receſſit*, *Declinavit*, *Diſceſſit*. Si hanc vocem ad Italicorum Linguam deflectas, habes *Anadare*, ac demum *Andare*, idest *Andarſene via*. Tantum fuit olim Italis commercium cum Arabibus, ut minime a vero abhorreat, potuiſſe ad nos inde tranſire vocabulum iſtud. Idque confirmare videtur ipſa Hiſpanorum Lingua, in quam tot Arabum vocabula penetrarunt. Nam & Hiſpanis eſt verbum *Andar*, illudque defectivum, non ſecus, atque apud Italos. Accipe & alteram conjecturam. Effluxiſſe potuit Italicum & Hiſpanicum *Andare* a Latino *Annare*, ideſt *natando adire* aliquem locum. Animum adverte: a navigantibus, atque ad oras maris habitantibus, ejuſmodi alia verba accepimus, uti *Arrivare*, compoſitum ab iis, qui ad ripam appellunt. Idem ſignificat *Approdare*, deductum a *Prora* navis, quæ tellurem ad litus veniendo contingit. Eadem ratione enatum Gallicum *Aborder*. Siculi ergo & Apuli pro *Adnare*, primò dixiſſe potuerint *Annare*, uti adhuc loquuntur, *Andare* ſignificantes. Reliqui verò Itali *Andare*. Ad conjecturam hanc confirmandam accedit auctoritas Caſtelvetri, qui animadvertit, antiquitus ab Italis pronuntiatum fuiſſe *Anante* & *Anare* pro *Andante*, & *Andare*. Tibi minime arridet Etymologia iſta? Alteram accipe. Habet Germanica Lingua *Wanderen*, ſignificans *Camminare*, *Viaggiare*, *Paſſeggiare*, hoc eſt idem quod *Andare*. Si abjecto W. Germanicum illud verbum Italice reddas, inde purum putum *Andare* exurgit. Græcia quoque habet Ἀναδύν, *Recede*, cujus ſignificatio & ſonus a noſtro *Andare* non abhorrent. Denique vetuſtis etiam temporibus *Anditus* vox, *Viam*, ſeu Italice *Sentiero* ſignificans, in uſu fuit. In Charta Cœnobii Vulturnenſis, ſcripta Anno Chriſti DCCC. pag. 355. Chronici Vulturnenſis a me editi, & in altera Charta pag. 452. legitur *cum viis & aquis* & *Anditis ſuis*. Latinum *Aditus* converſum in *Anditus* videtur: ex *Anditus* efformatum fortaſſe fuerit *Andare*. In eodem Chronico Vulturnenſi pag. 434. & 480. Chartæ ſcriptæ Anno DCCCCLXXII. & DCCCCLXXXV. vocem hanc præferunt, ideſt: *Et liceat porcos & peculia eorum Andare & paſcere infra jam dictos fines*. Paginâ 462. pro *Andare* legitur *Ambulare*, & *paſcere*. Rurſus in Chronico Beneventani Monaſterii Tom. VIII. Ital. Sacr. in Charta Pandolfi & Landolfi Principum habes *Traſendam claudere*, ideſt, ut conjicio, *Tranſitum*. Nempe e *Tranſeo* efformatum *Tranſenda*, *Traſenda*, & inde *Transandare*. Quare & ab *Anditus* emergere potuerit *Andare*. Plures conjecturas attuli. An ulla ſcopum attigerit, Eruditi judicabunt. Meliora interim ab iis exſpecto.

A poſta. *Deditâ operâ*, *Conſulto*. E Latino *Apposite* deduximus. Dicimus nempe: *Una coſa fatta appoſito, o a pennello, per ſervire a quel fine*. Latini dixiſſent: *Appoſite ad eum finem*. Sed & nos idem exprimimus dicendo: *Una coſa fatta A poſta per quel fine*. Propagata deinde vox fuit ad alia ſignificanda per analogiam.

Apparare. Vide infra *Imparare*.

Appiattarſi: *Abſcondere ſe*, *Celare ſe*. Caſtelvetrus e *Platea*; Ferrarius ab *Adplicitare* fruſtra hoc verbum arceſſunt. Vocabularii Cruſcani Auctores hæſitando proponunt, num ex Adjectivo *Piatto*, ſignificante *Piano*, emerſiſſe potuerit, *perchè chi ſi naſconde, chinandoſi s' Appiana il più ch' egli può*. Ingenioſa eſt conjectura. Non tamen veram puto. Nam qui ſe celant, ſæpe etiam ſtant aut ſedent; quoties ſeſe inclinant, *ſi rannicchiano*, *non s'appianano*. Itaque adhuc inquirendum puto. Exempli gratia num ex *Patinis*, quas *Piatti* appellamus, quum Patina ſuperimpoſita alteri Patinæ, abſconderet edulia, & ſæpe hiſce Patinis coopertis joci cauſsâ convivantes fallerentur. Eſt etiam nobis adverbium *di Soppiatto*, *Clam* ſignificans: quod idem eſt atque *Sotto Piatto*. Ego heic nil certi habeo.

Appiccare. *Suſpendere*, *Jungere ſimul*. Natam vocem a Latino *Affigitare* cenſuit Ferrarius. Negat, & merito negat Menagius; qui ab *Appingere*, *Appiclus*, *Appiclare*, *Appiccare*, eam deinde arceſſit. Sed ne illi quidem adquieſcas. Nam, ut prætercam, *Appingere* (ſive a *Pingo*, ſive a *Pangere* compoſitum ſit) neutiquam ſignificatione congruere cum Italico *Appiccare*: neceſſe eſt heic effingere toti antiquitati ignotum verbum *Appictare*. Idque etiamſi veteres uſurpaſſent, Italica Lingua non in *Appiccare*, ſed in *Apittare* commutaſſet. Triplex mihi conjectura occurrit ad hanc vocem, quæ idem ſignificat, atque *Attaccare*, de qua infra. Aut ergo *Applicare* Latinorum converſum fuit a Barbaro-Latinis in *Appiccare*. Vide in Theſauro Stephani ſignificationes illius verbi non diſcordes a noſtro. Secundo a *Pice* efformatum fortaſſe fuit verbum *Appiccare*, ad ſignificandum *Conjungere aliquid Pice*: quo ſenſu etiam veteres *Picare* dixerunt. Neque enim obſtat duplex C. quum non raro Florentini literas duplicent, ubi unam Latini uſurparunt, aliique Italiæ Populi adhuc uſurpant.

Poi s'appiccar, come di calda cera
Foſſero ſtati.

Ita Dantes Infern. XXV. ideſt, tenaciſſime conjuncti ſunt ſimul, adhæſit alter alteri. Hiſpani quoque a *Pice* efformarunt *Pegar*, quod eſt *Attaccare*, *Appiccare*. Et apud Fratrem Jacoponum Tudertinum, Dantis æqualem, habemus *Apicciare* pro *Attaccare*. *Apizzar' il fuoco*, Mutinenſis Dialecti, idem ſignificat atque *Attaccare*.

Po-

Potuit vox iſta transferri ad alias ſignificationes, uti eſt *Suſpendere*, quod & *Impiccare* dicimus. Quum enim dicimus *Appiccare*, *Impiccare*, ſubintelligimus *per la gola, pe' piedi alla forca*. Ita in Latino *Suſpendere* ſubintelligitur aliquid. Germanis *Anpichen* eſt *Attaccare*, *Impegolare*, a *Pech*, *Pice*. Atque hinc fortaſſe natum *Impiccio*, ſeu *Impaccio* Italicum, uti & Gallicum *Empecher*, non autem ab *Impedire*, ut Spelmannus ſibi pervaſit. Anglica quoque Lingua habet *Pitch* pro *Pice*, & *to Pitch*, *Pice illinire*. At & ipſi etiam dicunt *to Pitch a Tent*, *or Camp*, pro *Figere tentoria*. Fallitur autem Menagius, quum *Impiccare* a *Pila*, *Pilus*, *Pili* &c. eruere nititur, quaſi eſſet *Palo affigere*. Hæc omnino abſona. Eadem origo verborum *Impiccare* & *Appiccare*. Tertiam conjecturam exero. Anglica Lingua habet *to Peg*, *Attaccar con chiodi*, *Affigere*, a *Peg*, quod clavum parvum ſignificat. Anglo-Saxones *Piic* ajunt. Potuerint Arctoæ gentes in Italiam invehere hanc vocem, & inde noſtri Majores conficere *Appiccare* & *Impiccare*, uti fortaſſe factum de *Attaccare*, quod infra animadvertam. Addere demum liceat, in Arabica Lingua reperiri aliquid affine, ſcilicet *Abiqua*, *Adhæſit*, *Affixus fuit*, uti Gollius & Giggeus ſcripſere. *B.* in *P.* & *Q.* in *C.* facile mutantur; ita ut ſuboriri dubitatio poſſit, an ex Arabum conſuetudine Itali didicerint *Apiquare*, *Appiccare*. Sed quum hujus vocabuli plures apud nos ſint ſignificationes, plures etiam origines illius eſſe potuerunt.

Appreſſo: *Preſſo*: *Apud*. Ferrarius, cui etiam ſubſcribit Menagius, hanc originem nobis exhibet: *Proxime*: *Proxe*: *Preſſe*: *Preſſo*. Mihi incredibilis videtur metamorphoſis iſta. Proinde perpendendum, an potius præpoſitionem hanc nos acceperimus ex Gallica Lingua, cui eſt *Auprés*, & *Prés*, idem ſignificans. Sed unde *Auprés*? Ne ipſi quidem Eruditi Galli originem vocis hactenus nos certo docuerunt. Meam ſuſpicionem, qualiſcumque ſit, accipito. Scilicet, numquid e *Premo* efformari potuit *Appreſſo*, *Preſſo*? *Premo* ſupinum habet *Preſſum*. Qui fugientem premit, proxime, prope inſtat: & quo propior ſit, acrius premit. E *Preſſum* efformatum fuit *Preſſare*, ſignificans *Incalzare*, ſcilicet *Premere*, ſeu *Prope urgere*. Num ergo e *Preſsè* profectum *Preſſo*, *Appreſſo*, *Appreſſare*? Atque heic animadvertendum, Gallicæ Linguæ præter *Auprés*, eſſe etiam alterius ſignificationis præpoſitionem, ſcilicet *Aprés*, ſignificans *Poſt* & *Poſtea*. At nos hoc etiam in *Appreſſo* convertimus. Exempla vide in Vocabulario Cruſcano.

Approcciare. *Appropinquare*. Vocem hanc Caſtelvetrus noſter ab *Approximare* traxerat. *S'inganna*, inquit Menagius. Tum addit, originem ejus eſſe ab *Appropiare*, quod uſurpatum fuit Exodi III 4. & Lucæ X. 34. Menagium laudo, quod ſuam & ipſe conjecturam proferat. Quod verò tam confidenter alteram damnet, non probo. Immo evidens mihi videtur, heic ipſum errare Menagium. Certum quippe eſt, Dantem, & paucos alios veteres, qui verbo *Approcciare* uſi fuerunt, & quo nemo nunc utitur, reddidiſſe Italice Gallicum *Approcher*. At ſonus ipſe literarum in hoc verbo prodit, ipſum non ex *Appropiare* deſcendere, ſed ex *Approximare*, quod compendii gratiâ in *Approcher* Galli converterunt. Quod verò dubitationem omnem eliminat, Gallica ipſa Lingua *Proximum* appellat *Proche* & *Prochain*.

Arcigno. *Fare il viſo Arcigno*. *Torvo vultu aſpicere*. Tuſcis tantummodo in uſu eſt. Vocabularii Florentini Auctores opinantur dictum *quaſi Arricigno da Arricciare*. E ſcopo deflexiſſe mihi creduntur. Ferrarius ab *Arcu* traxit: *quod vultus veluti in arcum contrahatur*. Nemo ſane aſſequatur, quomodo in arcum vultus contrahatur. Me quoque in re abſtruſa audire ne te pigeat. Mutinenſibus eſt *Arghignarſi*, idem atque Gallicum *Rechigner*. Utrumque verbum idem ſignificat, atque *fare il viſo Arcigno*. Eſt aliquid analogiæ inter Lombardicum *Arghignarſi*, & Florentinum *Arcigno*, reliquis Italiæ Populis ignotum. Fortaſſe Galli ſuum *Rechigner* a nobis accepere. Sed unde *Rechigner*? Menagius e *Rixa*, *Rixare*, *Rixinare* traxit. Tum ab *Adrixinus*, *Arxinus*, *Arxino*, Italicum *Arcigno* deduxit. Facile hæc ſomnia videantur, quum aliud *Rixa* ſit, aliud *Rechigner*. Itaque potius perpendendum eſt, num verbum hoc efformatum fuerit e Latinorum *Ringere*, ſive *Ringi*, immutato in *Ringinare*. Eſt autem *Ringere*, ut omnes norunt, *Os torquere*; & inde *Rictus* eſt, *minax habitus oris*: quæ omnia vim exprimunt verbi *Rechigner*. Neque te remoretur *Ringinare*, ſeu *Ringinari* a me propoſitum. Nam & veteres *Natinare* a *Natare*, *Farcinare* a *Farcire*, *Lucinari* a *Lurcari*, & ſimilia efformarunt.

Ardire. *Audacia*; Aut *Audere* Latinum, aut Saxonicum *Hard*, ideſt *Cuore*, *Coraggio*, voci huic originem dedit. Ita Menagius. Ad *Audere* quod attinet, Etymologiæ leges repugnant. Ab *Hard*, *Coraggio*, potius arceſſenda videtur vox. Verùm non *Hard*, ſed *Heort* veteres Saxones *Cor* appellarunt. Germanica Lingua *Hertz* habet. Anglo-Saxonum filii Britanni *Heart* ipſi quoque *Cor* dicunt. In Lege Friſionum Tit. 22. §. 28. *Si præcordia*, ideſt *Hertamon gladio tetigerit*. Hæc non tam facile trahas ad verbum *Ardire*. Quare videndum, an potius a Germanico *Hart*, quod *Durum*, *Difficile*, *Forte*, *Arduum* ſignificat, advocandum hoc eſſet. Vide Schilterum ad hanc vocem. *Hirtire* nos in *Ardire* facile convertimus. In antiquis Formulis ſive Gloſſis ad Leges Langobardicas Ottonis II. Auguſti, quas edidi Part. II. Tomi I. Rer. Italicar. pag. 170. non ſemel occurrit vox *Ardire*, quum ſingulare certamen offertur. *Vis ei ardire? Volo. Vadiate pugnam*. Infra: *Vis ardire? Volo. Et tu vis te defendere? Volo. Vadiate pugnam*. Infra: *Si adverſarius reſponderit per pugnam, interrogetur: Vis ei adardire, ut illa Charta ſit falſa? Volo. Et tu vis eam defendere? Volo. Vadiate pugnam*. Guilielmus etiam, cui *Teſtardita fuit cognomen*, memoratur a Leone Marſicano Sæculo Chriſti Undecimo, ideſt *Teſta-Ardita*. Antiquitatem vocis vides.

vides. Utra ex allatis originibus præferenda ſit, dicere non audeo. Nam ſi ab Hardi, Cor eum potes dicendam, quaſi vicerent: Vuoi tu moſtrare il tuo coraggio nella pugna? alii ad Hart reſpicientes, & ad Harten Teutonicum, & ad Hardin Anglicum, pariter ſignificantia, *Durum facere*, hæc interpretabuntur, quaſi dicerent: *Viſne ad Hard ire?* Hoc eſt *Viſne arduum certamen inire? Vuoi tu ſarla da Duro ed pugnare?* Ego rem in medio relinquo. Hickeſius Cimbricum & Gothicum *Hard Durum*, cenſet per Metaphoram ſonaſſe *Audax*, *Fortis*, & inde progenatum *Hardi* Gallicum.

A

Argano. *Machina ad extollenda, ſeu elevanda pondera*. Covaruvias ab *Arcu*; Ferrarius ab *Ergatum* Vitruviano vocabulo; Menagius ab *Organum*, vocem hanc elicere conati ſunt. Nemini ſubſcribo. Ab Arabum Lingua nos eam accepiſſe opinor. Animadvertit enim Giggeus in eorum Lingua *Al-Argano* ſignificare *Il-Conato*, *Lo Sforzo*, ideſt *Conatum*. Quum ergo ii nomen ipſum purum habeant, & quidem ſignificatione affini, idem ad Machinam translatum credere fas eſt. Hiſpani quoque, quibus æque ac nobis in uſu eſt vox *Argano*, ab Arabum gente, late olim in Hiſpania dominante, didiciſſe illam videntur.

B

Aringa. *Piſcis, cui apud Latinos nomen fuiſſe Halec, ſeu Halex nonnulli arbitrantur*. Ex hac ipſa voce *Halec* noſtrum *Aringa* per ſuas ſæpe ſomniatas ſcalas certò produſſe cenſet Menagius. Nemo credat. Nos (quod plus eſt) neque certò novimus, Latinorum *Halecem* fuiſſe Piſcem *Harengum*; immo Aldrovandus, Jonſtonus, & alii, id omnino dubium eſſe ac ignotum tradidere. Et ſunt, qui *Harengum* noſtrum fuiſſe ſcribant *Thryſſam*, aut *Phryſſa* Latinorum. Quare intelligas, quàm aëreis fundamentis nitatur ſententia Menagii. Itaque ab errandi periculo abſit, qui credat, a Septemtrionalium Populorum Linguâ, apud quos *Harengi* naſcuntur & capiuntur, profectum eſſe Italicum *Aringa*. Eum piſcem *Hering* Germani, *Herring* Angli, *Hareng* Galli appellant. Ridendus autem Bellonius apud Fureterium, dum ſcribit, ejuſmodi Piſcibus illud nomen inditum, *à cauſe qu'on les Arrange dans des tonnes*, quòd in doliis ſale conditi per ordinem collocentur.

C

D

Arredo. *Supellex*. Menagii verba accipe: *Arroy dicono i Franceſi nell' iſteſſo ſentimento: ed Arreo gli Spagnuoli*. *Credo, ſia voce Tedeſca, come quella di Arneſe*. Nihil dubitandum, quin e Teutonico *Harniſch* nos acceperimus *Arneſe*, uti & Angli ſuum *Harneſs*, & Galli ſuum *Harnois*. At unde *Arredo*? Id ſupereſt inquirendum. *Arraiatus*, & *Arrayamentum* pro *Ornatus*, *Inſtructus*, *Ornamentum* occurrit apud veteres Anglicos Scriptores, ab *Arroy*, ut videtur, antiquata voce Gallorum. An autem *Arroy* Gallicum, & Italicum *Arredo* idem ſint, eamdemque originem habuerint, non eſt mihi certum. Atque heic ſe mihi offert Arabica Lingua, cui eſt *Aardon*, *Supellex*, Gollio teſte, & *Aardo*, quod Giggeo ſonat *Supellex*, *& quælibet res præter nummos*. Hinc autem nullus dubito, quin derivanda ſit Gallica vox *Hardes*, idem ſignificans, potius quam ex *Hare*, aut *Hard*, nihil ſimile ſignificante, quod poſtremum Borellus eſt opinatus. Sed uti Galli ſuum *Hardes* ex Arabico *Aardo* efformarunt, neſcio an ita & majores noſtri *Arredo* efformaſſe potuerint.

E

Arreſtare. *Liberum, aut euntem hominem retinere, capere*. *Arreſtarſi*. *Conſiſtere*, ſive *Retinere ſe*. Decernent Eruditi, num a Latino-barbaro *Reſtare*, addito *Ad*, vox iſta effluxerit, an a veteri Septentrionali atque Saxonico *Reſtan*, quod *Quieſcere*, teſte Hickeſio, ſignificabat. Notum eſt, & Gallis eſſe idem verbum, nempe *Arreſter*.

Arroſto. *Aſſum*; *Arroſtire*. *Torrere ad ignem*. Ne heic quidem probare poſſum Menagii ſententiam, qui *Arroſtire* a *Torrere* Latino deducit, metamorphoſi in uno Ovidio ferendâ. *Toſtum*, *Toſti*, *Toſtire*, *Roſtire*, *Adroſtire*, *Arroſtire*, inquit: *ovvero da Uſtum*, *Oſto*, *Roſto*, *Roſtire*, *Arroſtire*. Tolerabilius idem Auctor, ſed ſui oblitus, alibi *Roſto* appellatum opinatur, quaſi *Reuſtum*. Contra ineptiſſime Borellus a *Ruſticus* traxit, quod uti Sol faciem ruſticorum denigrat, ita ignis carnem. Verùm arceſſenda eſt hæc vox e Septemtrione, unde in Italiam, Britanniam, & Galliam invecta fuit, poſt gentium illarum transmigrationem. Germanis quibuſdam *Roſten* idem eſt, ac noſtrum *Arroſtire*. Angli eodem ſenſu uſurpant *to Roſt*, & *Roſt-meat*, *l'Arroſto*: uti & Galli *Roſtir*, *Roſt*, *Roſti*. Vox primitiva Germanicæ Linguæ eſt *Roſt*, que *Craticulam*, nobis la *Gradella* ſonat. Ad *Roſt* coquere carnem; caro cocta *ad Roſt*, ajebant. Hinc natum *Carne Arroſto*, *& Arroſtire*. Ideſt *Carne cotta nella Gradella*.

Arruffare. *Barbam, aut capillos perturbare*. Hanc vocem a *Rufare* Latino deſumſit Menagius. Me conſentientem minime habebit. Plinium is profert, ſcribentem: *Cortice eorum rufatur capillus*; ideſt (non quidem perturbatur), ſed *tingitur* capillus colore ſubrubro. Nos *Lionato*, aut *Biondo* appellamus Latinorum *Rufum* & *Rufatum*. Subdit Menagius: *Ora chi bagna i capelli, per farli biondi, gli diſordina*. Hercle heic dormitat Menagius. Aliud eſt Tinctura crinium; aliud horrentes aut incompoſiti crines. Si & flavo, aut alio colore comam tingas, eam quoque perturbes. Si quid video, & iſtam vocem a Germanis accepimus, quorum Lingua habet *Raufen*, unde *Zerrauffen*, aliaque compoſita, noſtrum *Arruffare* ſignificantia. Inde fortaſſe Britanni quoque interpoſito L. ſuum *to Ruffle*, quod idem ſignificat, hauſere. *Ruyffellen* Belgæ dicunt. Simili ratione ab antiquo *Tauffen* Germanico, quod *Immergere* ſignificabat, & *Baptizare*, prodiit Italicum *Tuffare*, ut ipſe Menagius animadvertit. Videndum etiam, an ab ipſo *Rauffen* manaſſe potuerit noſtrum *Baruffa*, ideſt *confuſa contentio, & pugna hominum*. Fortaſſis e Confuſione Capillorum tranſlata vox fuit ad hominum contentiones.

Arſenale. *Navale*. Vide Diſſertationem XXVI. *de Militia &c.*

Ar-

Artiglio . *Unguis animalium rapacium* . Recte ab *Articulus* hanc vocem traxit Menagius; nam ſecundùm Etymologiæ leges ex *Articuli* prodiit *Articli* , *Artigli* . Ita e *Periculum Periglio* manavit . Hoc autem in eum tantummodo finem innui , ut quærat Lector , an veteres Grammatici meritò cenſuerint , ab *Artus* , ſcilicet *Membra* , efformatum fuiſſe *Articulus*, quaſi *parvum membrum* . Si vim vocis *Artiglio* perpendis, patebit, ab *Artare*, hoc eſt *Conſtringere*, illam deſcendiſſe , quaſi ſit *Artile* , quia rapaces ac feræ ſuis unguibus prædam *Artant* , ſive *Stringunt* . Galli ratione ſimili pro *Artigli* dicunt *les Serres d'un Faucon* , *d'une Aigle* . Non *Arctare* , ſed *Artare* veteres Latini ſcripſere . Hiſpani dicunt *las Preſas* .

Aſcarezza , *Aſcaro* , Mutinenſium , Bononienſium , Senenſium , aliorumque Populorum vox eſt , ſignificans *intimum deſiderium perſonæ alicujus* , *quæ a nobis receſſit* , *aut a qua receſſimus* . Atque hinc *Inaſcarito* , *Inaſcarirſi* , *Aver' Aſcaro* . Angli habent *Ask* , & Saxones *Aſcian* , pro *quærere* , *petere* : ſed nihil rei cum voce iſta . Sunt Populi , qui voce *Aſcaro* & *Scarore* , *pruritum* ſignificant. Anno MDLXXIX. Medicus quidam Ferrarienſis ſcribebat : *Avendo queſta notte Sua Altezza ſcritto un pezzo nel letto* , *ſtando ſcoperto il braccio ſempre* , *gli venne gran Scarore al detto braccio* , ideſt vehemens pruritus . Adhibita deinde videtur etiam vox *Aſcaro* per translationem ad ſignificandam urentem intus cupiditatem perſonæ abſentis . Græcis Ἀσκαρὶς , ſive *Aſcaris* genus vermium eſt , vehementem pruritum in pueris maxime, gignens. Inde fortaſſis Italica vox . Lucenſes *Aſcara* dicunt . Hac voce Florentinos carere ſuſpicor .

Aſciugare . *Siccare* , *Humorem detrahere* . Ferrarius ab *Exſiccare* traxit : & certe congruit ſignificatio utriuſque verbi . Sed qua ratione *V.* ſe ſe interpoſuerit , quod in *Aſciugare* ſentis , non facile intelligas. Quare Menagius hanc Etymologiam improbans , contendit , a particula *Ad* & *Exſugo* prodiiſſe *Aſciugare* . Tum hanc ſententiam oblitus , alibi *Sciugare* ab *Exſudicare* deducit . Et perperam ſane , quum *Sciugare* & *Aſciugare* unum idemque ſint verbum . Eſt autem animadvertendum , diverſa verba, diverſaſque actiones eſſe Italicæ Linguæ *Sciugare* , & *Succiare* . Primum revera *Siccare* ſignificat . Alterum ſignificat *Sugere* ; efformatum nempe ab *Exſugo* , e cujus Infinitivo vitiato *Exſugiare* emerſit *Succiare* . Itaque videndum , num noſtrum *Sciugare* efformatum fuerit ab *Exſuccare* , ſignificante *Succum detrahere* , potius quàm ab *Exſugere* . Fuit *Exſuccus* Latinis . Quinctilianus Lib. 12. Cap. 10. *Nunc quoque aridi* , *Exſucci* , *& exſangues* . At inquies : *Exſugo* nihil aliud eſt niſi *Exſucco* . Negare poſſem ; non tamen repugno ; ſed ſimul veri ſimilius arbitror , ab *Exſugo* profectum fuiſſe *Succiare* ; ab *Exſucco* autem *Sciugare* .

Aſſaggiare . *Delibare* , *Deguſtare* . *Experimentum capere* . Et hinc diſce , quàm caute fidendum ſit ſcalis , quas non rarò confingit ſibi Menagius in veſtigandis Italicarum vocum originibus . Si eum audimus , *Aſſaggiare* emanavit e particula *Ad* & nomine *Sapor* . En qua ratione *Sapor* , *Sapos* , *Sapus* , *Sapa* , *Sapagium* , *Sapagiare* , *Sapgiare* , *Sagiare* , *Adſagiare* . Fallitur vir doctus , & potiſſimùm dum addit , eſſe adhuc nobis *Aſſaporare* , idem ſignificans : *il che ſtabiliſce affatto la noſtra derivazione* . Immo quum Itali e *Sapor traxerint Aſſaporare* , inde potius colligendum erat , non eos alterum omnino diverſum verbum inde hauſiſſe . Uti in Diſſertatione XXVII. *de Moneta* oſtendi , e Latinorum *Exigere* efformatum fuit *Exagium* , & inde noſtrum *Saggio* , *Specimen* , *Experimentum* ſignificans . Addito *Ad* invaluit verbum *Aſſaggiare*, idem atque *fare il Saggio* . Et de vino præſertim *Aſſaggiare* dicitur , quum olim familiari in uſu eſſet delibare antea vinum ad menſas Principum & Magnatum , ut experimentum caperetur de innocentia potionis , & fides fieret non mixti veneni . Hæc certa origo verbi . Eſt etiam Gallicæ Linguæ *Eſſayer* , idem ſignificans , uti & *Eſſay* , ideſt *Saggio* . Menagius ex noſtro *Aſſaggiare* natum arbitratur Gallicum verbum *Eſſayer* . Contra Nicotius opinatus eſt , noſtrum ex Gallico emerſiſſe . Fureterius verò ab *Examinare* Latinorum deduxit ſuum *Eſſayer* . Nulla dubitatio ſupereſſe jam poteſt , quin Galli , uti & nos , ab *Exagium* & *Exagiare* pro *Exigere* derivarint *Eſſay* & *Eſſayer* ; *Saggio* & *Aſſaggiare*.

Aſſembrare , *Colligere*, *Congregare* . Vide infra *Inſieme* .

Aſſettare. *Aptare*, *Accommodare*. Non aliunde natum puto hoc verbum , quàm ab *Aſſeſtare* corrupto , quo etiam verbo utitur Italica Lingua, atque eadem ſignificatione . Sicuti animadverterunt Florentini Vocabularii Auctores , *Aſſeſtare* deductum fuit metaphorice e *Seſta* , ſcilicet e *Circino* adhibito ad rectam rebus menſuram adferendam. Et ſane perantiqua apud nos vox iſta eſt . Nam in Charta , quam produxi ſupra in Diſſertatione VIII. *de Comitibus* , Anno Chriſti MCXI. ſcriptâ , occurrit *Bulgarellus Malaſſettatus*. Agnomen illud potius quàm a Siti , ſumptum puto ab *Aſſettare* , quamquam unico *T.* ſcriptum . Alibi ſimile agnomen vidimus , nempe *Maladdobato* .

Aſſo . *Unum* , *Unitas* in ludis alearum & taxillorum . Carolus Dati , eruditus vir inter Florentinos , originem vocis accerſivit ex *Aſſe* Latinorum , quod pro *Uno* uſurpatum Salmaſius , Gronovius , aliique viri docti cenſuerunt . Mihi nondum dubitatio omnis hac in re ſublata eſt . Vocis tamen hujus ob eam tantummodo cauſſam memini , quod Italicæ genti in uſu fuerit , ac adhuc eſſe pergat phraſis proverbialis *Laſciare in Aſſo* , *Reſtare in Aſſo* , ideſt *Abbandonato* , *e Solo* . Alii putant natum Adagium ex *Aſſe* ſignificante *Unum* , hoc eſt numerum ſolitarium . Conjiciunt alii, dicendum eſſe *Laſciare in Naſſo* , alludendo ad Ariadnem , quam Theſeus ſolam reliquit in Inſula Naxo : atque in hanc opinionem conceſſit etiam Taſſonius noſter in Notis ad Petrarchæ Rhythmos . Poſtrema hæc opinio ingenio-

feſtivè fortaſſe quàm vera videatur. Neque enim barbaricis temporibus, quibus natum eſt proverbium, Populo noſtro tanta erat eruditio, ut ex Ariadne, & Naxo aliud effingeret. Præterea communis uſus etiam apud Mutinenſes habet *Reſtare in Aſſo*, non verò *in Naſſo*. Longius eſt progreſſus Menagius, dum inquit, *Credo aſſolutamente, che ſia detto dal Latino Naſſam in cambio di Naſſa*. Hoc autem eſt retis genus *e viminibus contextum ad capiendos piſces*, uti Iſidorus ſcripſit. Ineptum plane Etymon. Italicæ Linguæ adhuc in uſu eſt *Naſſa*, ac dicimus: *Reſtar nella Naſſa*, ideſt retibus conſtringi, *Entrar nella Naſſa*, &c. At aliud eſt e ſono literarum & ſignificatione *Reſtar' in Aſſo*, & *Reſtar nella Naſſa*. Primum nihil aliud ſignificat, niſi ab omnibus derelinqui ac deſeri, ſed libertate minime ademtâ. Alterum ſonat *Decipi*, *Capi*, *Libertate ſpoliari*. Itaque redeundum eſt ad duas priores interpretationes, quibus mihi tertiam, qualiſcumque ſit, jungere liceat. *Aſſus* Sæculis barbaricis appellabatur ager incultus & deſertus. Exempla multa congeſſit Du-Cangius in Gloſſario. Occurrunt & in hoc ipſo Opere nonnulla. Videndum ergo, num veteres fortè dixerint: *Relinquere in Aſſo*, *in Aſſo*, uti nunc dicimus *Laſciare in abbandono*, ut ſignificarent, relinquere aliquem in agro deſerto ſolum. Eligat Lector quod propius vero videatur.

Aſtio. *Invidia*, *Odium*, *Malevolentia*. Multis verbis in hujus vocis originem inquirit Menagius, & *Aſchio*, non *Aſtio* olim dictum putat. *Aſchio* autem a *Faſtidium* derivat. Gerræ germanæ, liceat dicere. Plautus in Pœnulo Act. V. Scen. 4 verſ. 8. inquit *ſine aſto animo*, ideſt ſine doloſo, ſive malevolo animo. Dixit etiam *aſtu pellacis* in Truculent., non adjectivum novum *Aſtus*, ut Robertus Stephanus ſuſpicatur, ſed familiare Latinæ Linguæ adhibens. Porro iſtam hanc retinuiſſe Juriſconſultos Romanos, Calvinus in Lexico Juris docuit, & Leges quaſdam veluti e Digeſtis ſumtas laudat, quas pariter e Calvino deſcripſit Du-Cangius. Sed utrumque Præceps decepit. Non ex Romana Juriſprudentia petitæ Leges illæ, ſed ex Langobardica: certumque eſt, in Langobardorum Legibus ſæpe occurrere *aſto animo*, atque eadem ſignificatione. Hinc *Aſtio* profectum opinari licet. Præterea Britannis *to Hate* ſignificat *odio habere*, *averſum ab aliquo animum gerere*. Vox fortaſſe nata ex antiquo Saxonico *Hatian*. *Atia* quoque ab iis appellatur *malus erga quempiam animus*: de qua voce videndus Du-Cangius. *Haſs* Germanis *Odium* eſt. An inter haſce voces, & Italicum *Aſtio* intercedat affinitas, aliis diſputandum relinquam. Hiſpanis *Haſtio* ſignificat *Averſionem a cibo*, *Faſtidium*. Poteſt & hæc eſſe nativa vocis ſignificatio, quam nos tranſtulerimus ad ſignificandam *Averſionem animi ab hominibus*.

Attaccare. *Aptare*, *Suſpendere*, *Conjungere*. Ferrarius ab *Affictare*, repugnante prorſus Etymologia, deduxit. Neque felicior Menagius, qui *Adaptare* in hanc vocem converſum fuiſſe contendit, hac ratione: *Adaptare*, *Addattare*, *Attaccare*. Quis credat? Latinum *Aptare* rem plane diverſam ab *Attaccare* ſignificat. Præſtaret, ignotam originem fateri, quàm adeò enormiter contorquere veterum Linguas. Gallis etiam eſt *Attacher*. Origo vocis potius videtur e Septemtrionalibus Linguis petenda. Adhuc enim *Tack* Angli appellant parvos clavos, quibus ad configendum aliquid utuntur. Simulque iis eſt *to Tack*, quod nobis *Attaccare*; & *Tacked*, quod Italis *Attaccato*. Addo, conſiderandum eſſe, an fortè a Populo Arabum deducenda foret hæc ipſa vox *Attaka*, præteritum apud eos, idem eſt ac infinitivum *Adhærere*, uti Gollius tradit: eodemque verbo Arabes utuntur ad ſignificandum, quod Itali, quum dicunt: *Attaccar battaglia*. Compoſita ſunt *Staccare*, *Diſtaccare*, &c. Denique Icheſius ex *Ad* & *Tacan* Septemtrionali voce, ſignificante *Capere*, *Tollere*, *Auferre*, derivatum putat *Attaccare*. Sed alia nobis eſt hujus verbi ſignificatio. Addit ille, *Mæſo-Gothice Diſtaican* ſignificare *Scindere*, *Rumpere*, quod noſtrum *Diſtaccare* ſono literarum reddit; ſed adhuc ſignificatione diverſum videtur.

Attizzare. Vide ſupra *Addizzare*.

Avello. *Locus*, *ubi mortui ſepeliuntur*, *Sepultura*: ita vocem interpretantur Auctores Vocabularii *della Cruſca*. Rectius dixiſſent, *Arcam Sepulcralem* vocabulo iſto ſignificari. Illius originem ita deducit Menagius: *Da Alvus*, *Alveolus*, *Avellus*, *Avello*. *Ovvero da Cavum*, *Cavellum*, *Chavellum*, *Havellum*, *Avelo*. *Più m'aggrada la prima derivazione*. Neutrum ſatisfacit, quamquam prima origo minime a vero abhorreat. Mutinenſes *l'Albio de' porci* appellant ligneum, aut marmoreum vas, in quo ſues aquam eſculentam bibunt. A Latino *Alveo*, ut opinor. In Charta plenariæ ſecuritatis Anno Chriſti DLXIV. ſcriptâ, atque editâ a Briſſonio & Mabillonio, legitur *Albio* & *Albido ligneo*. Attamen non aliunde *Avello* proceſſiſſe puto, quàm a Latino *Labrum*, cujus diminutivuum eſt *Labellum*: quibus nominibus donabantur vaſa lapidea ad continendam aquam, oleum, alioſque liquores. *Lavellum* poſteriora Sæcula appellarunt, familiari uſu mutandi B. in V. conſonans. *Labellum*, ubi aqua benedicta adſervatur in Templis, occurrit in Charta edita a Puricellio in Monumentis Baſilicæ Ambroſianæ. Mutinæ adhuc nuncupamus *il Lavello*, marmoreum vas, in quo culinaria vaſa purgantur. Tranſlata vox fuit ad Arcas ſepulcrales, quod & iſtæ forent lapideæ, neque diſſimilis formæ: & ſubtracto L. pro *Lavello* pronuntiari cœptum eſt a Tuſcis *Avello*. In Vita Sancti Anſelmi Nonantulani Abbatis, ſcriptâ Sæculo Chriſti, ut videtur, Nono, quam dedi Part. II. Tomi I. Rer. Italicar. Sanctus ille Abbas conditus dicitur *in marmoreo Lavello*. Miracula ad interceſſionem Sanctæ Zitæ Lucenſis, Anno MCCLXXII. defunctæ habemus a Bollandiſtis edita ad diem 2. Aprilis. Ibi pag. 510. Cheſina puella ſtans *ante Corpus & Lavellum Sanctæ Virginis*, effecta eſt ſana. At Gualvaneus de la Flamma Mediolanenſis Scriptor, qui Anno Chr. MCCC-

A XXX. florebat, aliter hanc vocem exprimit. Nam Cap. 286. Chronici Majoris MSti ait: *Cujus Corpus juſſit Imperator ſepeliri in Eccleſia Sancti Ambroſii in loco &c. Et in illo Navello fecit ſculpi imaginem iſtius Comitis*. Ita Auctor Chronici MSti, cui titulus *Flos Florum: Et fuit ſepultus in Navello Comitum Angleriæ*. Ubi vides *Navellum* dici, quod aliis eſt *Lavellum*, quaſi Sepulcra ad inſtar Naviculæ forent. At germanum nomen mihi creditur *Lavellum*, a quo detracto L. initiali, exſurgit *Avello*. Ita in Chronico Bergom. pag. 925. Tomo XVI. Rer. Italicar. Caſtellus de Caſtello ſcribit, *apertum fuiſſe unum Lavellum exiſtens in* B *Eccleſia Sancti Andreæ ſub Altare magno dictæ Eccleſiæ; in quo Lavello reperta fuerunt tria Corpora Martyrum &c.* Exemplum *Albelli* habes in Gloſſario Du-Cangii. Videtur & ibi pro *Labello*.

Avvantaggio. *Vantaggio*. *Melior conditio*. Gallicæ Linguæ vocem *Avantage* puto ad nos profectam. Sunt Gallis multæ voces deſinentes in *age*, ac propterea potius nos ab iis, quàm ii a nobis, accepiſſe hanc vocem videmur. Hiſpani quoque ajunt *Ventaja*. Olim arbitrabar derivatum vocabulum *Avantage* ab *Avant* & *Age*, ſive *Aage*, ut deſignaretur potior conditio & prærogativa Primogenitorum præ poſte- C rioribus natu. Verùm ab uno *Avant* veriſimilius efformatum fuit vocabulum iſtud. Hiſpanis *Aventajado* eſt *Præcellens*, *Aventajarſe*, *Præire aliis*. Ita *Oltraggio* ab *Ultra* manavit; eſt enim *Ultragium* id quod *Ultra* limites excedit.

Avvezzare. *Aſſuefacere*. Vide infra *Svezzare*.

Avviſare. *Admonere*, *Significare*, *Certiorem facere*, &c. Ferrarius ab *Advertere*; Menagius ab *Alviſare* Latino (quod tamen Latio plane ignotum fuit) vocabulum iſtud trahunt. Apud Germanos, non apud Latinos, quærenda erat vocis D origo. Illis nempe eſt *Wiſſen*, ſeu *Wiſen*, & *Aus-Weiſen*, ideſt *Monſtrare* & *Docere*. Apud alios Germanos ſignificat etiam, quod Italis eſt *Sapere*, *Aver notizia*. Ab Italis converſa eſt vox in *Viſſare* pro conſuetudine noſtræ Linguæ, & addito *Ad*, ſive *A*. efformatum eſt *Avviſſare*, *Avviſare*. Et ſicuti Germani addito *Zu*, quæ eſt præpoſitio par Italico *A*. effecere *Zu-Wiſſen*, *far ſapere ad alcuno*: ita noſtrum *Avviſare* idem ſignificavit, & adhuc ſignificat. Hickeſius quoque in Grammatica Franco-Theotiſca nos docuit, veteres Septemtrionales uſurpaſſe *Wiſan* pro *Monſtrare*, *Inſtruere*, *Monere quemquam*, *ut* E *advertat*. Ex eodem fonte manarunt Gallicum *Advis* & *Adviſer*, & Hiſpanicum *Aviſar*: quæ voces apud eos, uti & apud Italos, ad varias ſignificationes ſenſim ſunt detortæ. Inde etiam *Diviſare*, *Eſſere d'Avviſo*, &c. Gallice *Eſtre d'Advis*. Mutinenſes dicunt: *Mi è d'avviſo*, ideſt *mihi videtur*: qua phraſi utuntur & Galli.

B

B*abbione*. *Stolidus*, *Bardus*. Vox etiam Mutinenſibus familiaris. Supervacaneum fortaſſe non erit adnotare, Latinis quoque fuiſſe parum abſimile nomen. Audi Tullium in Philippic. III. *Tuæ conjugis Bambalio quidam pater homo nullo numero: nihil in illo contemtius, qui propter hæſitantiam linguæ, ſtuporemque cordis, cognomen ex contumelia traxit*. Si Boxhornio fides, vox antiqua Celtica fuit *Baban*, ſignificans *Pupum*, *Puellulum*. Ea voce Mutinenſes adhuc utuntur, ut ſignificent hominem ineptum, cui facile imponitur, quales Pueri eſſe conſueverunt. Fortaſſis e *Baban* emerſit *Babbione*. Mutinenſibus quoque in uſu eſt *Baban*, ut hominem Simplicem ſignificent.

Baccello. Significat apud Florentinos *Fabarum ſiliquam*; & ad reliquas leguminum ſiliquas propagatum eſt. Lombardis vox ignota. Menagius intrepide: *Da Bacca Latino, che vale Coccola*. Felix *Bacca*, quæ nunc *Baccello* parit, auctore Menagio; mox autem auctore eodem pariet & *Bagattella*. Quantum hallucinatus is fuerit, facile norunt Phyſicæ operam dantes. *Bacca* apud Latinos nihil aliud umquam ſignificavit, niſi fructus minores ac rotundos arborum, ut ſunt lauri, olivæ, hæderæ, &c., quos propterea a Pomis diſtinguebant. Quid ergo rei eſt *Baccis* cum *Siliquis Fabarum*, aliorumve leguminum? Certum mihi eſt, *Bacello* Arabicam eſſe vocem. In Codice MSto Bibliothecæ Eſtenſis habentur *Expoſitiones ſimplicium medicinarum Elbani*, ſive *Elbavi*. Ibi hæc legas: *Faba Arabice appellatur Bakilla. Et eſt quoddam granum de ſpecie leguminum, & notum eſt*. Matthæus quoque Silvaticus, qui Anno Chriſti MCCCXVII. Pandectas Medicinæ, non ſemel editas, conſcripſit, idem confirmat, inquiens: *Bachile*, *Arabice*, *Faba*. *Bachali Stephano*. Et infra: *Bakilla eſt Faba*. Tamdem Gollius in Lexico Arabico teſtis eſt, *Fabam* apud Arabes appellari *Bakillan* & *Bakilaon*.

Bacino. *Pelvis*, *Labrum*, Vas, in quo aliquid lavatur. Ferrarius ab *Abacus* derivatione prorſus aliena hanc vocem trahit. Menagius aut a *Vas*, *Vaſinum*, *Bacinum*, aut a Germanico *Back*, *Vas* ſignificante. Etymologiam primam quiſnam amplectatur? *Back* Germanicum mihi minime occurrit pro *Vaſe*; attamen iis eſt *Becken*, ſignificans *Bacile*, ſeu *Bacino*. Ac propterea veri videtur ſimile, ex eorum Lingua ad nos migraſſe vocabulum iſtud. Et præcipue quod Gregorius Turonenſis tot ante Sæcula Lib. 9. Cap. 28. Hiſtor. Franc. ſcripſerit: *Cum duabus pateris ligneis, quas vulgo Bacchinon vocant*, uti Borellus animadvertit. Viden antiquitatem vocis in Francorum gente? Inde Gallicum *Baſſin*. Hiſpanis pariter eſt *Bacia* & *Bazin*. In Arabum quoque Lingua aliquid affine invenio. Sed quando, ſi non certam, ſaltem veriſimilem habemus originem ex Germania, reliquis parcere juvat.

Baco. *Bombix*. Vide infra *Bigatto*.

Badare. *Moram facere*. Rejecit Menagius Caſtelvetri ſententiam, putantis, a *Vadare* Latino hanc vocem fuiſſe productam, atque ipſe a Latino *Badare* trahit: nam in Iſidori Gloſſis habetur: *Hiſcitare*, *Oſcitare*, *Badare*. Sed corruptum hunc locum Ferrarius contendit, & ſcribendum *abbadare*. Ego Arabicam vocem olim putavi. Uti Gollius nos docet, *Abada* ſignificat *Moratus*, *Cunctatus fuit facere*. Hinc profectum arbitrabar noſtrum *tenere a Bada*, *ſtare a Bada*, & poſtea efformatum *Badare*. Audi & Giggeium explicantem hæc verba: *Ma Abadani afaala*, *Non moratus eſt facere*. Heic *Abada* conjunctum eſt cum affixo. Italicum verò *Badare* pro *Animum advertere* ad rem quampiam, inde natum mihi videbatur, quod animus moram facit in alicujus rei conſideratione. *Bada alla tal coſa*, idem eſt atque *Fermati a conſiderarla*; *Contine vacantem animum, ut hoc conſideres*. Hæc, inquam, olim mihi opinio inſederat. Verùm in aliam deſcendi, quam vide infra ad vocem *Sbadigliare*.

Bagaſcia. *Inoneſta femina*. *Bagaſcione*. *Inhoneſtus puer*. Nil certi adferunt Ferrarius & Menagius. Ne ego quidem adferam. Tantummodo monere juvat, Arabum Populo *Bagh zan* ſignificare *Improbitati deditum*, *Impudicum*, *Obſcœnum*. Num inde efformari potuit *Bagaſcione*, & ex illo *Bagaſcia*? Iidem videndum, an ex altera voce Arabica *Bardaſc*, ſeu *Bardaſon* ſignificante *Sceleſtum*, *Improbum*, *Superbum hominem*, ad nos profectum fuerit *Bardaſſa*. Mutinenſes etiam, aliique Lombardi appellant *Bardaſſone* puerum, aut adoleſcentem nequam. Hiſpani quoque *Bagaſa* Impudicam mulierem dicunt, quam vocem Covaruvias, aut ab Hebraico *Bagad*, *Prævaricari*, *Fallere*, *Mentiri*, deducit, aut ab Arabico vocabulo *Bagax*, ſignificante *Dolum*.

Bagattella. *Res levis pretii ac momenti*, *Nugæ*. Ex cathedra Menagius pronuntiat: *E' un diminutivo di Bacca Latino, che vale Perla*. Tum Salmaſium laudat ejuſdem opinionis auctorem in Notis ad Solinum, cujus ſunt verba: *E Baccatum mundo Bagatellas dicimus Nugas & Jocularia*. *Latini quoque Nugas dixere res omnes muliebris mundi*. Hoc mihi merum eſt ſomnium. Primo apud Latinum Populum non aliud in uſu fuiſſe arbitror nomen, quam *Margaritæ* & *Unionis* ad deſignandos pretioſos concharum fœtus. Vide Plinium Lib. 9. Cap. 35. *Baccas* uni Poëtæ per translationem appellarunt Margaritas; ita ut a veri ſimilitudine abſit, *Baccarum* nomen a Populo conſervatum fuiſſe, & penetraſſe ad ſera uſque tempora. Neque Gallicum *Bague* a *Bacca* deſcendit, uti idem Menagius contendebat. Secundò Nonius ad vocem *Nugivendos* a Plauto uſurpatam, ſcribit: *Plautus dici voluit omnes eos, qui aliquid mulieribus vendant. Nam omnia, quibus Matronæ utuntur, Nugas voluit appellari*. Quod Plautus Poëta ornamenta mulierum *Nugas* appellarit, quis umquam rite inde deducat, Latinos ſub *Nugarum* nomine etiam deſignaſſe Gemmas? Nemo umquam inter Nugas recenſuit *Margaritas*, *Torques*, *Armillas*, *Annulos*, *Gemmas*, ita ut a veri ſimilitudine abhorreat, Majores noſtros, ſcilicet Italos (nam hinc ad Gallos *Bagatellæ* nomen migravit) aut ab inſueto *Bacca*, aut a Gallico *Bague*, ſignificantibus *Unionem*, aut *Annulum*, *Torquem*, & ſimilia, efformaſſe *Bagatellas*; quum e communi omnium æſtimatione illa ſemper fuerint, & adhuc ſint, res pretioſæ, immo contrarium *Bagatellæ* ſignificent. Tertio, cur potius e *Bacca* aut [illegible] deducta fuit *Bagatella* ad ſignificandas *Nugas*, quum tot alia eſſent mundi muliebris inania verè & levia ornamenta, in quæ *Nugarum* nomen longe æquius conveniret? At tu (jam percontantem audire mihi videor) tu quid ſentis? Nihil certi adferre poſſum. Veniâ tamen a Lectoribus ante petitâ, conjecturam proferre mihi liceat. Nulla inter Linguas, olim Italis notas, offert mihi verbum, quod voci, de qua agimus, ſono literarum propius ſit, quàm Arabica. Illis quippe eſt *Bakatta*, quod Italice redditum evadit *Bacattare*, *Bagattare*. Ab iis accepiſſe Mutinenſes videntur hoc verbum, quum ajunt *Bagattare* & *Abbagattare* rem aliquam, ideſt eam ſine ſtudio, ac inepte præ feſtinatione conficere: pro quo *Acciabattare* Florentini dicunt. Dicimus etiam *Bagatta-meſtiere*. Significat autem Arabicum *Bakatta*, Gollio teſte, *Feſtinare in ſermone*, *vel in inceſſu*. *Corripere*, *Monere verbis*. *Rem diſgregare*, *eandemque colligere*. Eſt Arabum Populo & alterum ſimile verbum, unico *T.* ſcriptum, ideſt *Bagata*, ſignificans *Miſcere*, *Confundere*, *negotium*, *cibum*, *ſermonem ſuum*. Fieri potuit, ut olim Itali, qui ex Arabum gente dominante in Sicilia & Calabria, & ob mercaturam ac literarum ſtudia, apud eos familiari, tot alias voces accepere, *Bagattare* quoque didicerint, eoque uterentur ad ſignificandam Joculatorum, Agyrtarum, & Scurrarum artem, qui fabulis, ludis, ac rebus puerilibus, & nullius pretii, ſpectatores detinebant. Illos propterea *Bagattare* dixerint, eorumque ludos *Bagattellas*, diminutivo nomine efformato e *Bagattare*, nuncupare cœperint. Paullus Scordilla Ravennatis Eccleſiæ Præpoſitus, qui circiter Annum Chriſti MCCCXCVIII. ſeſe contulit ad ſcribendas quorumdam Archiepiſcoporum Ravennatum Vitas, a me editas Tomi II. Part. I. Rer. Italicar., dum Johannis Meliorati Archiepiſcopi Nonageſimi Quincti Vitam ſcribit, pag. 214. hæc habet: *Cujus zizaniæ ſeminator fuit Servideus, primo Cantor hujus Eccleſiæ, nunc verò Abbas Monaſterii Sanctæ Mariæ in Coſmedim, cognomine vocatus el Bagatella, propter ejus cavillationes umbratiles & pueriles, vel quòd illam artem noverit Bagattandi*. Frater Jacoponus Tudertinus, qui circiter Annum Chriſti MCCXCVIII. floruit, in Satyr. I. ſcripſit:

Laſſovi la fortuna fella
Travagliar qual Bagatella.

Nomen autem *Bagattinorum* inditum videtur quibuſdam Venetorum denariolis, quod

quod infimi æris , ac pretii forent .

Baja . *Irriſio* . Huc atque illuc excurrit Menagius , ut originem vocis hujus abditiſſimam detegat. A *Verbalia*, & *Verbagium*, a *Varius* etiam ſuſpicatur enatam . Nihil horum nobis probetur ; multoque minus Ferrarii opinio , a *Bagiana* , aut a *Badare* , aut a *Baccali olearum* , illam deducentis . Mediolanenſibus utique *Bagiana* eſt *Faba* ; atque uti alii dicunt *Piantare , o Ficcar Carotte , Dar Panzane , &c.* , ut ſignificent *Fabulas* , ſeu *Commenta propinare alicui* , ita e *Bagiana* efformatum eſt *Bagianata* , quibus quidem vocabulis tum Mediolanenſes, tum Mutinenſes, aliique Lombardi uti ſolent ad ſignificandum *ridendum & inconcinnum commentum , atque inſulſum effatum* , aut *quodpiam imprudenter ac ſtulte peractum opus* . Verùm *Baja* numquam id exprimit . Liceat ergo & mihi meras ſuſpiciones adjungere . Num enata vox *Baja* ex imperativo verbi *Andare* , ideſt a *Va* ? Quum quemquam inepte loquentem , aut abſurda narrantem audimus , irridendi cauſsâ dicimus *Va* , *Va* . Pro *Vada* Hiſpani dicunt *Vaya* , ipſiſque Hiſpanis *Baya* & *Vaya* æque appellatur , quod nos *Baja* & *Burla* dicimus . *Vaya voſtè* ajunt ipſi , quum quis rem fide minime dignam narrat . Neapolitani autem & Siculi pro *Va* pronuntiant *Ba* . Uti verò e *No* orta videtur *Noja* (quod infra dicam) ita e *Ba* fortaſſis emerſerit *Baja* , niſi rectâ hoc nomen ab Hiſpanis accepimus . Italicas phraſes opinioni huic conformes ànimadverte . *Voler la Baja : Dar la Baja : Far le Baje* . Pari modo dicimus *Dare il ben venuto* . Aut etiam deſcendere potuit a *Bajare* , *Abbajare* , ideſt *Latrare* , ſive *adversùs aliquem ſtrepitu , aut ululatu vocis inſurgere* . In Vocabulario Florentino exemplum habes : *Gli detton la maggiore Bajata del Mondo* . Videlicet more canum latrantium , ſed non mordentium .

Bajocco . Vilis æreæ monetæ genus, cujus nomen potiſſimùm in uſu eſt apud Romanos & Bononienſes. A colore *Bajo* nomen hoc enatum opinatur Menagius . Difficile id mihi perſuadeat, non quod olim defuerint *Turonenſes* & *Pariſienſes nigri* ; ſed quod *Bajo* numquam ad diſtinguendum colorem & ſpeciem Nummorum adhibitum fuit, & additamentum *Occo* aliam *Bajocchi* originem indicat . Videndum potius , an Civitas *Bajocaſſium* , nunc *Bayeux* , in Gallia ejuſmodi infimi metalli Nummis conferre nomen potuerit . Hæc enim olim appellata *Bajocæ* & *Bajoca* . Hadrianum Valeſium virum doctiſſimum habeo ſcribentem in Notitia Galliarum pag. 74. *In quibuſdam nummis Bajocas* (hoc eſt nuper memorata Civitas) *legitur in quarto caſu, aut certe nomine indeclinabili* . In Corſica quoqùe nummos *Bajocas* appellatos invenio apud Petrum Cyrneum in Hiſt. Corſic. ſcripta circiter Annum Chr. MCCCCXC.

Balauſtri . Ita appellantur *Columnellæ* , ſive *Columellæ* ſuppoſitæ epiſtyliis , quarum ſeries in ædibus ac templis , aut ornamenti , aut aditus præcludendi cauſsâ, uſurpatur . Sæculis barbaricis *Balineum* , ſive *Balneum*, appellatum fuit *Baluſtrum*, *Baluſtrium*, *Ballaſtrum*, uti Du-Cangius animadvertit . Clariſſimus vir Scipio Maffejus Marchio in Diſſertatione de Verſibus Rhythmicis ſcribit : *Di quà venne alla noſtra Lingua la voce Balauſtri : perchè intorno alle celle de' Bagni rigiravan portici con piccole Colonnette* . Illi præiverant in ejuſmodi conjectura Du Cangius prælaudatus , ac Fureterius . Sed ubi petatur a doctiſſimis viris hujus Etymologiæ ratio , nil aliud, reor, reponent, niſi quia ſimilitudinem nominis inter iſta ſenſere : quæ ſane ratio Etymologiſtam fallit , niſi ſimul & rerum ſimilitudo concurrat. Hanc autem nemo mihi indicet . Erant & tot alia in Balneis , quæ tamen *Balauſtri* nomen inde non retulere . Erant & extra Balnea Columellæ ejuſmodi , ut puto. Ad hæc peti poſſet, cur Columellæ ejuſmodi , *Balnea* ſeu *Bagni* (quod idem eſt , nam *Bagno* & *Bagnare* e *Balneum* & *Balneare* venit) non fuerint potiùs quàm *Baluſtrum* appellatæ, quum frequentius eſſet in ore hominum nomen *Balneum* & *Bagno* ? Proinde mihi veri videtur ſimilius , *Balauſtro* e Latinorum , ſive Græcorum *Balauſtrum* deſcendiſſe , quod occurrit apud Plinium , Galenum , & Dioſcoridem , & ſignificavit *Florem mali Punici*. Scilicet formam ejuſdem Floris referebant ejuſmodi Columellæ , ac propterea *Balauſtri* appellatæ fuerunt . Non ut meum vendito Etymon iſtud . Jamdiu illud tradidere doctiſſimi Auctores Vocabularii Florentini , qui ſententiæ ſuæ rationes , ſi opus fuiſſet , pro ſua eruditione adferre potuiſſent . Idem quoque Etymon Fureterius indicavit .

Balcone. A *Palus*, *Palicus*, *Palco*, *Balco*, *Balcone* , vocabulum hoc efformatum ſtatuit Menagius . Nimium diſtant *Palo* & *Balcone* , tum ſignificatione , tum literarum ſtructurâ . Fortaſſis illius origo eſt e Germanico *Balck* , ſeu *Balcken* , ſignificante *Trabem* . *Il Balcone* Academicis *della Cruſca* in Vocabulario nihil aliud eſt , niſi *Feneſtra* . Sed vereor , ut veram vocis ſignificationem ſint aſſequuti . Mihi *Balcone* ſignificat *Mœnianum* . Quod verò e *Trabibus* connexis ſive tabulatis conficerentur Mœniana , ſive Prophora, hoc eſt *le Ringhiere* , *i Poggiuoli* , *le Loggette*, *gli Sporti* , quæ extra parietes domorum prominere cernimus , appellata inquam fuere *Balconi* . Hoc fere ſenſu vox *Balcon* eſt Gallis atque Hiſpanis, & *Balcony* Anglis. Quæ exempla e veterum Italicorum libris afferuntur, eamdem interpretationem admittunt . Quod ſi adhuc ſuſtinere pergas, *Feneſtram* eo nomine deſignari , exſpectabo , ut exempla clariora proferas . Itidem a *Palus* Italicum nomen *Palco* arceſſebat Menagius . Sed & hoc Germanico *Balck* ſuam originem debet . Neque diſſimulabo, Angelum a Sancto Joſeph , Gazopylac. pag. V. ſcripſiſſe, vocem Arabicam & Perſicam *Balachanech* ſignificare *Feneſtram clathratam*. Atque is deinde ſubdit: *Hanc vocem Lingua Gallica a Perſis accepit , & Itali dicunt etiam Balcone* . Mihi is minime perſuaſit . A Romanis adhuc *Mignani* appellantur, quæ Latinis fuere *Mœniana* , nobis *Ringhiere*, *Poggiuoli* &c. Denique lucem his dabunt Piſtorienſis Urbis Statuta, quæ in hoc Opere evulgabo . Ibi §. 46. decernitur : *Ut Poteſtas faciat deſtrui om-*

[illegible] *Balnea*, [illegible] *Confeſsio* [illegible] *deſigna-* A
tur, & [illegible], *aut* [illegible], [illegible] Certum eſt, *Balnea* idem hîc eſſe atque Italicum *Balconi*. Ac proinde non *Feneſtræ* eo nomine ſignificantur, quarum nulla ratio eas deſtruendi occurrat. Simul etiam patere poteſt, e Germanico *Balck* effluxiſſe *Balcone*. Germanicum verò *Balck*, preſſe pronuntiatum, nobis dedit *Palco*, *Palchetto*, idem olim apud Piſtorienſes ſignificans, atque *Balcone* apud Florentinos.

Balia. *Auctoritas*, *Poteſtas*. Rectè Menagius a Latino *Bajulus* animadvertit efformatam Italicam vocem *Balia*, *Nutrix* ſive *Gerula* & *Geratrix* puerorum. *Balia* quoque, B
ſive *Bajulus*, barbaricis temporibus ex eodem fonte appellatus eſt *Tutor*. Libens etiam amplector Du-Cangii, ipſiuſque Menagii ſententiam, arbitrantium ex ipſo *Bajulo* deſcendiſſe Italicum Balia, hoc eſt *Auctoritas*, *Poteſtas*: unde *Ballivi*, *Bajuli*, aliæque voces ejuſdem virtutis. Addere tamen liceat, *Valere* barbaricis Sæculis uſurpatum pro *Poſſe* fuiſſe. Eo ſenſu Hiſpanis quoque eſt *Valia*, ſignificans *Forza*, *Poſſanza*, *Autorità*. Nos *Valia* in *Balia* commutaſſe potuimus. Niſi mihi ſatis firma videretur prior Etymologia, his ego inſiſterem. Addo etiam, in Charta Senenſi, quam ex Archivo Noſocomii Scalenſis depromtam ad me miſit amicus olim meus Hubertus Benvoglientus, atque ego dignam, quæ heic edatur, cenſui, occurrere hæc verba: *Poſtquam inquiſiti fuerint per triginta dies per Epiſcopum, vel per Conſules, aut per Balitores, ſeu Rectores jam dicte Civitatis*. En *Balitor*, vox rara, ſignificans habentem *Baliam*, ſive regimen Civitatis, idemque ſonat, atque *Prætor*, ſive *Poteſtas*: quo nomine ac officio uſæ deinde ſunt Civitates liberæ. Chartam ipſam accipe.

Ugolinus Comes Rainerio Epiſcopo Senenſi omnia ſua Caſtella & jura a Flumine Ombrone uſque ad Montem Groſſoli ſub nonnullis conditionibus oppignorat, Anno 1151.

C
ANno Incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti Milleſimo Centeſimo Quinquageſimo Primo, menſe Madii, Indictione Quartadecima. Manifeſtus ſum ego Ugolinus *Comes filius* Ranuci Comitis, *qualiter per hanc Cartam conventione inter nos habita dare & tradere nomine pigneris previdi tibi* Rainerio *venerabili* Epiſcopo Sanctæ Mariæ Senenſis Eccleſiæ, *omnes terras illas & vineas & ſilvas & caſas & Caſtella & Villas & Burgos, que ego habeo & teneo, vel alius per me aliquo jure vel titulo, videlicet a Flumine Ombrone uſque ad Montem Groſſoli, & a Flumine Merſe uſque ad Elſa, excepto Campriano, & ejus Curte. Quam autem terram & vineam & ſilvam & caſas & Caſtella & Villas & Burgos ſic denomi-* D
natas, ut predixi, in te Rainerium Epiſcopum, nomine jam dicte Eccleſie, Succeſſoreſque tuos, in integrum do & trado & concedo ad habendum, tenendum, regendum, colendum, fruendum; faciendum exinde jure proprietatis quicquid volueris tu, Succeſſoreſque tui tranſacto termino. Et hec promitto ego Ugolinus Comes, una cum meis heredibus tibi Rainerio Epiſcopo, tuiſque Succeſſoribus, predictum pignus ab omni homine defendere. Quod ſi eum ab omnibus hominibus non defenſaverimus, vel nos ipſi prefatum pignus vobis tollere vel contendere vel ſubtrahere quæſiverimus ingenio qualicumque, tunc in duplum prefatum pignus vobis reſtituamus, quoniam taliter nobis placuit. E

Prenominatus Ugolinus Comes, qui hanc Cartam pigneris, ut ſuperius legitur, ſcribere rogavi, ante Eccleſiam Sancte Marie in preſentia Senenſi Epiſcopi.

Arnolfinus de Caſtellione, & Ritondo, & Ugolinus filius Berni, & Stantiolus filius Ugizionis, & Pecunellus filius Transmondi, & Ranuccinus filius Pacci, & Burſa filius Truccie, & Guido filius Arnolfini, & Martinellus filius Mauri, & Lodo, & Bernardinus de Veſcona, & Jubellus de Campriano, & Rolandinus Teſta, & Joſep, & Jacop filii Ildibrandini, & Malavolta filius Filippi, & Baroncellus filius Panti, *& Mariſcotto filius Guidonis, & Ildebrandinus filius Martinuccini, & Ildobrandinus filius Guatzi, & Orius filius Marchiſelli, & Burnettus filius Ugolini, & Rolandinus filius Beneptoli, & Jordanus filius Lamandini, & Gilius filius Mardolini, & Bernardinus Arnuri, rogati ſunt teſtes.*

In tali verò tenore rogavi ego jam dictus Comes Ugolinus ſcribi hanc Cartam, & poſui tibi Rainerio Epiſcopo in pingnus jam dictas res, quod ego ab hac ora in perpetuo ſalvabo & defendam in Civitate Sene & in ejus Burgis & bona eorum, qui cum eis erunt ſub fiducia eorum, ubicumque potero per me & per meos filios vel heredes, qui retinuerint & poſſidebunt bona mea, que ſunt in Comitatu Senenſi. Quando autem filii mei venerint ad legitimam etatem, faciant illud idem ſacramentum, quod inferius legitur. Quod ſi facere noluerint, poſtquam inquiſiti fuerint infra triginta dies per Epiſcopum, vel per Conſules, aut per Balitores, ſeu Rectores jam dicte Civitatis, *tunc proprietas predictarum rerum penitus deveniat in poteſtatem prefati Epiſcopi nomine jam dicte Eccleſie, & ejus Succeſſoribus, ſine aliquo impedimento legis. Item tam ego jam dictus Comes Ugolinus, quàm filii vel heredes mei adjuvabimus per noſtros bonos homines Senenſem Populum de litibus, quas modo habet, vel in antea habebit, per bonam fidem contra omnes homines*, excepto contra Imperatorem, & Markionem, *deprecando & non contrariando. Et ſi aliquod dampnum datum fuerit, excepto de* Vitalia, *a me, vel a meis filiis vel heredibus, infra triginta dies emendabimus vel emendare faciemus per bonam fidem ſine fraude, niſi pacto remittatur. Et ego jam dictus Comes vel filii, vel heredes mei habitabimus in jam dicta Civitate Sena ſingulis annis tempore pacis vel guerre per duos menſes, niſi impediti fuerimus aliquo manifeſto impedimento, & poſt impedimentum ſupplebimus. Quod ſi hec omnia, ut ſupra legitur, ego vel filii, vel heredes mei non obſervaverimus, & firmum & ratum non tenuerimus ſine fraude & malo ingenio, tunc proprietas libere deveniat in prefata Eccleſia, ut dictum eſt*

Hec

A

Hec omnia , ſicut ſupra legitur juravit jam dictus Comes Ugolinus ſuper ſancta Evangelia , in præſentia totius Senenſis Populi , & Domini Suda-colli , qui tunc regebat Senenſem Civitatem : juravit , dico , tenere & obſervare in perpetuum ſine fraude & malo ingenio .

Actum eſt tempore Suda-colli Domino Senenſis Civitatis .

Ego Guitto Tabellio Domini Imperatoris Federigi *hoc Inſtrumentum , ut ſupra ſcriptum eſt , ut melius potui , exemplavi , & complevi , & dedi .*

Balzo . *Saltus pilæ* . Multa heic nobis edifferit Menagius . *Palla* , inquit , Heſychio teſte in Gloſſis eſt nomen Græcum , idem

B

ſignificans , quod Latinum *Pila* . Sed mihi nulla certa auctoritas præbetur e Libris Heſychio tributis, quum Gloſſariis vetuſtiſſimis multa de ſuo identidem recentiores adjecerint . Pergamus tamen . *E Palla* , ſubdit ille , *Balla* , *Ballum* , *Balli*, *Ballitium*, *Baltium* , *Balzo* , quaſi diceretur *repercuſſus pilæ*. Quid ego ſentiam , accipe . Quum & Germanicæ Linguæ ſit *Ball* antiqua vox, idem ſignificans atque Italicum *Palla* : fortaſſis e Germania , non autem e Græcia petenda hujus vocis origo . At inquit Menagius , Latini quoque *Palla* dixere . Quis , quæſo ?

C

Godefridus Viterbienſis in fine Panthei :

Aureus ille globus , pomum vel Palla vocatur .

Verùm Godefridus , homo Italus , qui circiter Annum Chriſti MCXC. ſcripſit , non Latinam , ſed Italicam vocem , ſive Germanicam uſurpavit, ac expreſſit. Gretſerus & Du-Cangius ajunt , Globum Italis *Palla* , Germanis eſſe *Ballen* . Videant Teutonici , num potius in ſua Lingua ſit *Ballen* , quod Italis eſt *Balla* , ſive *Collo di Roba* , aut *Involto groſſo di Mercatanzia* : *Ball* verò *Pila* ſit . Et ad *Balzo* , quod attinet, inficias non ierim , quin ab ipſa voce Germanica *Ball* , ſeu Italica

D

Balla , ut Lombardi loquuntur , aut *Palla* , ut Florentini , prodiiſſe potuerit *Ballizare* & *Balzo* . Attamen addo , veriſimilius e Græco verbo Βαλλίζειν , ideſt *Saltare* manaſſe Italicum *Ballizare* , *Balzare* , unde poſtea nomen *Balzo* ; hoc enim *il Salto della Palla* ſignificat . Ceterum ultra omnes metas excedit Menagius, quum Italicum *Balza* , *Rupem* ſignificans, e *Ripa* mirabili ac nimio circuitu ac torturâ arceſſere conatur . Ego ignotam mihi vocis originem appellare malo, quàm inanibus hiſce Etymologiis diſtinere Lectorem . Quod nobis modò obſcurum eſt

E

alter aliquando fortaſſe illuſtrabit . Mutinenſes etiam appellant *Balze da cavallo* pedicas equorum , unde *Imbalzare* : de cujus vocis origine vide infra *Paſtoja* . Animadvertas , etiam *Cavallo Balzano* ab Italis appellari , qui talum colore albo ſignatum gerit . Hujus etiam vocis origo mihi incomperta .

Bambino . *Infans* , *Infantulus* . Jamdiu Monoſinius & Vocabu'arii Cruſcani Auctores cenſuerunt , vocem hanc efformatam fuiſſe ex Græcorum verbo Βαμβαίνω , ſignificante *Loqui inarticulate* , nobis *Baloettare* Contendit Menagius , eſſe illam diminutivum nominis *Bambo* , manantis ex Syriaco Βάβιον . *Babus* quoque eſt Arabicæ Linguæ ſecundùm Bochartum , & in Britannicam Linguam penetraſſe creditur . Multa heic habet Menagius de Græcorum Βάω . Sit ei ſua eruditio . Mihi nedum veri ſimilis , ſed certa videtur Monoſinii opinio cenſentis, Italicum *Bambino* deſcendere ex Græcorum participio Βαμβαίνων , nobis *Balbettante* , Latinis *Balbutiens* . Ita puellulus appellatus eſt *Infans* , quod minime fatur , & *Lactens* , quia Lac ſugit .

Banca , *Banco* , *Panca* , *Panco* . *Subſellium* . Voſſio & Menagio *Abacus* Latina vox Italicæ originem dediſſe viſa eſt. Diſtat multum *Abacus* a *Banco* literarum ordine , fortaſſis & ſignificatione . Mihi contra profluxiſſe videretur vox iſta e Germanico *Banck* , quod in ea Lingua antiquiſſimum eſt , uti Johannes Schilterus animadvertit; atque inde etiam Gallicum *Banc* , & Anglicum *Banck* ; niſi me retineret Latinum *Planca*. Audi Feſtum : *Plancæ dicebantur tabulæ planæ , ob quam cauſſam & Planci appellantur , qui ſupra modum pedibus plani ſunt* . Plinius quoque Lib. 8. Cap. 43. *Nec pontes aſini tranſeant, per raritatem plancarum tranſlucentibus fluviis* . Ita ſcriptum ibi creditur . Ergo L. detracto , facile *Planca* (nos etiam *Aſſe* , aut *Aſſa* dicimus) in *Panca* evaſit , & apud alios molliori pronuntiatione *Banca* . Verique ſimile eſt , Germanicum quoque *Banck* inde effluxiſſe . Ita e Latino *Glomus* , in diminutivum converſo , & L. præciſo , Florentini deduxerunt *Gomitolo* , & Mutinenſes *Gomiſſello* . Vide Diſſertationem XIX. *de Tributis* , ubi *Plancæ* in Mercatibus expoſitæ occurrunt . Gallis adhuc eſt *Planche* eadem ſignificatione , Latinæ procul dubio originis . *Tavola* pro *Menſa* nobis etiam dicitur , quamquam *Tabula* proprie ſignificet *Aſſem* , ſive *Aſſerem* , ſive *Plancam* .

Banchetto . *Convivium* . E Germanico *Pancket* effluxit , quod idem ſignificat . Si tamen antiqua eſt vox Linguæ illius .

Banda . *Pars dextera , ſiniſtrave, Latus, &c.* Portenta audi . A *Sponda lecti* Ferrarius deduxit , neque diſſenſit Menagius . Et *Spondam* ſane Latini exteriorem partem lecti appellarunt , interiorem *Pluteum* . Sed aliud *Sponda* , aliud eſt *Banda* ; & præterea nimium literæ differunt . Si quid de abſtruſa vocis origine conjicere licet , fortaſſis ex militari more ad uſum , quem nunc habet , tranſlata vox fuit . Scilicet quum quis militum ex una in alteram Turmam procedere jubebatur , tunc is dicebatur *paſſare all' altra Banda* : nam Turmæ a *Bando* , *Vexillo* appellatæ ſunt *Bandæ* apud Italos , Gallos , & Anglos . *Aller de Bande en Bande*, adhuc Galli dicunt de ducibus exercitum luſtrantibus , Hoc poſtea a nobis uſurpatum videtur , quum quis ex uno loco in alterum , ſive ex una in alteram partem ſecedit .

Baracca . *Militare Tentorium* . Obſcura eſt vocis hujus origo . A *Barra* deduxit illam Ferrarius, ſignificante *Clathrum*, ſive, ut nunc dicimus *una Sbarra* . Fortaſſis ita militum tabernacula fuere appellata , quod ex telâ *barratâ* , hoc eſt variegatâ, ſive *Liſtatâ* conficerentur . Et quid ſi pan-

pannos *Barracanos* inde nomen ſumſerit, aut contrarium *debeat*? In Vita Paſchalis II. Papæ, a Pandulfo Piſano conſcriptâ, atque a me editâ Tomo III. Rer. Italicar. pag. 356. hæc leguntur: *Cœlum Papilionis, in modum tecti* .... *rubeiſque a ſuperiori ad inferius inſignitum apparuit, atque iris totum fere id comprehendit*. Hæc ſatis oſtendunt, Tentoria militum ex telâ, *Barras* varii coloris præferente, confecta fuiſſe. Quod ſolùm animadvertendum eſt, dubitationi locus ſupereſt, num tentoria e telâ appellata fuerint *Baracche*. Quippe vereor, ne hoc nomine ea donarentur, quæ ex arborum ramis, foliiſque, aſſeribus, & palis conſtruerentur.

Baratta pro *Contentione*, & *Pugna* uſurpavit Dantes. Animadvertit Hickeſius, in Scandia & Iſlandia eadem voce *Barrata* ſignificari *Prælium*, ſeu Contentionem.

Barda. *Pannus*, quo equi operiuntur in ſolemni pompa, in funeribus, aliiſque ſpectaculis. Hinc *Cavallo Bardato*, *Bardella*, &c. A *Bardus*, *Bardaicus* Latino, unde *Bardocucullus*, eam vocem hauſit Menagius. Sed inter *Barda* & *Bardocucullus* nimium eſt diſcrimen. Quamobrem addo, eſſe Arabicæ Linguæ *Bardaaton*, ſignificans id, *quod ex panno aut ſagmate dorſo jumenti inſternitur*. Et *Bardaton*, *Veſtis nigræ & quadratæ genus*, *Arabibus uſitatum* eſſe. Vide Giggeum & Gollium. Hanc originem etiam perſuadet Hiſpanica Lingua, Arabicis vocibus abundans, quæ habet *Albarda*, *Albardar*, &c. eâdem ſignificatione. *Notoriamente es Arabigo*, inquit Covaruvias.

Bargagnare. Verbum jamdiu obſoletum, *Tractare*, ajunt Academici Cruſcani. *Bargagno*, *Tractatio*. Gallice *Barguigner*. Certum eſt, ut Du-Cangius & Menagius animadverterunt, verbum hoc deſcendere e Latino-barbaro vetuſto *Barcaniare*, *Barganniare*. Sed unde hoc? Eumdem Du-Cangium conſule. Præter illius conjecturas, uti & Scaligeri & Sirmondi, velim Eruditi Germani perpendant, num ex *Bar* & *Gign*, emerſiſſe potuerit *Bargagnare*, quaſi fuerit *Guadagnar molto, o più del dovere*: cui ſtudent nimis avidi atque avari mercatores. Nam revera id verbum olim ſignificabat *Tricari*, *Tergiverſari*, *Stiracchiare*, cauſsâ majoris lucri captandi in contractibus. Vide infra *Guadagno*.

Bargello. *Satellitum*, ſive *Apparitorum dux*. Sirmondus, Spelmannus, & Menagius a barbarico *Barigildus* hanc vocem deducunt. Doctiſſimus olim amicus meus Hubertus Benvoglientus a *Baroncellus* trahebat. Et ſane in Statutis Mutinæ, & quarumdam aliarum Civitatum, il *Bargello* appellatur *Baroncellus*; atque id muneris in prima inſtitutione ſua nobilibus viris collatum fuit. Attamen nulli ex hiſce ſententiis acquieſco. *Barigildus* nimis antiqua vox eſt, ut huc trahatur, ejuſque ſignificatio aliena eſt a Satellitum duce. Sæculo Chriſti Quartodecimo tantùm, aut ſummum Tertiodecimo nomen *Bargello*, ejuſque munus in Italia auditum eſt. Apud Tuſcos *Bargello* & *Baroncello*, diverſæ ſignificationis ſunt, & utrumque nomen in uſu fuit. Cur in ipſa muneris inſtitutione *Bargelli*, & non *Baroncelli*, ſtatim ſunt appellati? At *Bariſelli* a Mutinenſibus, ceteriſque Lombardiæ Populis Præfectus Apparitoribus dicitur. *Bariſellos Satellites Bononienſium*, circiter Annum Chriſti MCCCLII. commemorabat Anonymus ſynchronus Tom. XVI. Rer. Italicar. pag. 282. Hoc nomen in Tuſciam penetraſſe puto, & pro more Dialecti illius converſum in *Bargello*. Tum Statutorum conditores Latinum verbum *Baroncellus* pro *Bariſelli*, ſeu *Bargello* excogitaſſe mihi videntur, ſed nullo certe indicio, germanam hanc eſſe originem vocis *Bargello*. Quare adhuc animi pendeo. *Barrachel* ab Hiſpanis appellatur il *Bargello*.

Barlume. Vocem hanc ita Auctores Vocabularii Florentini Latine reddunt: *Obſcurum dies*, *confinium lucis & umbræ*. Ego idem atque *Crepuſculum* puto. Et quoniam ipſi addidere, per illam ſignificari quaſi *vario lume*, *tra lume e bujo*, arripuit hæc verba Menagius, ſtatuitque tamquam certum hoc Etymon, ut nimirum *Barlume* ex *Varium Lumen* prodierit. Mihi adhuc de origine vocis dubitandum videtur. Aliud enim eſt *Varium Lumen*, aliud *dubium*, ſive *confuſum*, aut *exiguum*. Prima vox numquam deſignet, quod nos per *Barlume* intelligimus. Et quum Italica prorſus ſit hæc vox, ad Gallicum *Barlong* fruſtra a Menagio: quæ vox ſignificat rem ex uno latere longiorem, quàm ex altero. Aut ergo Ferrarii Etymologia eſt præferenda cenſentis, ex *Parum Luminis* enatam vocem *Barlume*; aut quod idem eſt, ex *Parum Lumen* derivatam opinari licet. Neque enim audeo arceſſere illam ex *Pare* & *Lume*, quaſi appareat, non verò ſit adhuc Lumen, quamquam revera *Barlume* eam ſignificationem patiatur. Facile verò P. in *B*. mutari potuit, uti factum in *Bramo* Italico, in *Bruciare*, ex Latinis *Peramo* & *Peruſſare*, ac in aliis vocibus de quibus infra. Erunt etiam, qui ex *Bara* ſignificante *Impedimentum*, *Obſtaculum*, & *Lumen*, ſuſpicari poterunt enatum *Barlume*. Aut e *Baro*, nobis ſignificante *Ingannatore*, quaſi ſit *Lumen non verum*. Sed adhuc in obſcuro res mihi eſt.

Baro. *Qui fraudat*. *Barare* dicimus pro *Decipere*, præſertim in Ludo, atque in Contractibus. Habet aliquid affine Lingua Arabica, nempe *Bara*, ſignificans *Perdidit*, *Exitio dedit*, *Periit*, *Perditus* & *Corruptus fuit*. Inde *Bovuro*, *Homo perditus & nequam*. Et *Bara*, *A fide quiſpiam deſcivit*, uti Giggeus animadvertit. A *Barare* deſcendunt *Baratto* & *Baratteria*, quæ *fraudem* ſignificant; uti & *Barattiere Fraudator*, *Deceptor*. Quæ nomina etiam Galli, Hiſpani, & Britanni uſurpant. Illi-ne a nobis, an nos ab illis acceperimus, adhuc mihi incertum eſt. Mercaturæ vocabula ſunt, & facile propterea propagata. Ex eodem quoque fonte manaſſe a nonnullis creditur *Baratto Permutatio*, & *Barattare Permutare*: immo & hoc dicendum eſſe nomen primitivum arbitrantur. Iſtarum vocum origo adhuc in tenebris concluſa eſt. Porro certum videtur, e *Baro Deceptor*, efformatum apud

apud nos fuiſſe *Barone*, quum hoc nomine improbum quempiam & nebulonem deſignare volumus, ſignificaturi ea voce *un gran Baro*. A

Barracano. Panni ſpecies. Neſcio, cur Menagius Julium Scaligerum nobis ſcribentem exhibeat, apud Turcas e molliore villo hircorum *pretioſos contexi pannos, quos Zarcacan vocant*. Longe diſtare *Zarcacan* a *Barracano* nemo non ſentit. Veri mihi videtur ſimile (viſum eſt antea & Du-Cangio) a *Barris varii coloris* (nunc *Liſte*, *Striſcie*) olim inditum fuiſſe nomen ejuſmodi pannis. *Diſcolor Barracanus* memoratur Sancto Bernardo de Vita & Moribus Religioſ. Cap. 9. Aut Arabicæ originis eſt vox: habent enim & Arabes *Baracan*. Vide Gollium & Giggeum. B

Baſſo. *Humilis*, *Depreſſus*. Gallis quoque eſt *Bas*, & ab eis Angli accepere *Baſe*, translate ſignificans *Vilis*. Inepte Nicotius e *Baſis* Latino, ſive Græco deduxit. Menagius & Fureterius a *Baſſus* Latino derivarunt. Sed ne iſti quidem ſcopum attigere, quum Barbaro-Latinis, Iſidoro teſte, *Baſſus* ſignificarit *Hominem Craſſum*, *Pinguem*, *Obeſum*. Papias, & Johannes de Janua, quibus *Baſſus* eſt etiam *Curtus*, *Humilis*, *Non Altus*, recentes Scriptores ſunt, iique Italicam vocem Latine expreſſerunt. Suſpicor ego enatam vocem ex Arabica Lingua, quæ uti fidem faciunt Giggeus & Gollius, habet *Baaſſa*, *Proſtravit*, *Humi ſtravit*. Inde *Baaſſato*, *Illum imprudenter Proſtravit*. Si Arabicum verbum Italice reddis, habes *Baſſare*, & addito *Ad*, *Abbaſſare*, *Proſtrare*, *Dejicere*, uti & *Baſſo*, *Abbaſſato*, *Proſtratus*, *Dejectus*. Aut dicenda eſt vox Celtica: occurrit enim eo ſenſu *Bas* in Gloſſario Celtico Boxhornii, & in Cimbrico Davieſii. Vide & Schilterum ad vocem *Baz*. C

Baſta. *Sufficit*, *Satis eſt*. Multum heic hariolantur Ferrarius & Menagius. Hic a *Vaco*, aut Covaruvia præeunte, a *Bene Stat*: ille a gerulorum vocabulo *Baſta*, originem vocis trahunt. Attamen conſiderandum adhuc eſt, an fortè vox iſta ab Orientalibus Populis ad nos veniſſe potuerit, & inde ſenſu efformatum fuerit verbum *Baſtare*. Perſicæ profectò Linguæ, uti Angelus a Sancto Joſeph teſtatur in Gazophylacio Perſico eſt *Bas*, *Sufficientia*, & *Bas-aſta*, *Sufficit*. Multum commercii, poſt receptam Sæculo Chriſti Undecimo Hieroſolymam, Italicæ genti fuit cum Perſis. Hiſpanica quoque Lingua habet *Baſta* pro *Sufficit*, uti & *Abaſtar* pro *Satis eſſe*. Neque omittendum, Hiſpanos ipſos etiam dicere *Abaſto* pro *Abundantia*, & *Abaſtecido*, quod nos dicimus Italice *Ben fornito*, *Ben provveduto*. Conſenſum aliquem inter has voces ſentire mihi videor. D E

Baſtia. Arcis, ſeu Munitionis genus. Vide Diſſertationem XXVI. *de Militia*.

Batello. *Navicula*. Certum puto, vocem hanc ad nos veniſſe ex Franco-Theotiſco *Bat*, idem ſignificante. E *Bat* efformavimus *Batello* diminutivum. Invenias etiam *Batti* naves apud Johannem Villanium. Et inde fluxit Gallicum *Bateau*, & Anglorum *Boat*, ſive *Bot*. A *Baſtum* ſignificante *Baculum* aut *Perticam* apud Latinos, ſive apud Græcos ſuſpicatus eſt Menagius derivatum fuiſſe *Batello*. Sed illi nemo ſubſcribat.

Bava. *Saliva*, ex ore præſertim infantium prodiens. Eſt & Gallicæ Linguæ *Bave* eâdem ſignificatione. Hiſpanis verò *Baba*, *Bavear*, *Bavoſo* &c. *Forſe dall' inuſitato Babus*, *ſignificante Bambino*, *ſendo per lo più bavoſi i Bambini*, inquit Menagius. Sed fortaſſe *Babus* numquam novere Itali pro *Bambino*. *Babbo* potiùs *Patrem* appellant pueri Tuſci. Quod certum puto, non tam propria infantium eſt *Bava*, ut ab eorum nomine ſit deducenda. Et riſu dignus fuiſſet olim, qui ſalivam puerulorum ideo *Babam* aut *Bavam* appellaſſet, quia illi *Babi* vocitarentur: uti nunc foret, qui *Bambina* ipſam nuncuparet a vocabulo *Bambino*. Itaque Eruditi conſiderent, an fieri potuerit, ut ex Arabica Lingua Majores noſtri acceperint vocem *Bava*. Eſt enim Arabum Populo *Lababi*, ſignificans, Gollio teſte, *Salivam ex ore emittere*, *ſicut infans*. Num ergo inde prodiit *la Bava* Italicorum? Et ſane, uti Covaruvias animadvertit, *los Arabigos dizen*, *que Bava es propria voz ſuya*. Mutinenſes per ſimilitudinem dicunt *Bava* filamenta exteriora in folliculis Bombycum; & *Bavella* appellant filamenta eadem a carminatoribus ad nendi uſum concinnata.

Becco. *Roſtrum avium*. In Diſſertatione XXXIII. *de Orig. Vocum* attuli Suetonii locum pervulgatum, de Antonio Toloſæ nato, cui *Cognomen in pueritia Becco fuerat*. *Id valet Gallinacei roſtrum*. Proinde recte Menagius & alii Celticam vocem *Becco* appellarunt. Galli *Bec*, & *Becquer* adhuc dicunt. Angli *to Peek*, *Beccare*: *Pecken* Belgæ: *Pichen* aut *Picken* Germani: Hiſpani *Pico*, quibus hæc vox eadem eſt ac nobis *Becco*. Vocabulum illud fruſtra ab Hebraica Lingua profectum cenſuit Covaruvias. Celtis debemus. A Latinis quoque avis *Picus* appellata, quæ *Roſtro* arbores perforat. Atque hinc ortum habuiſſe etiam videtur Italicum *Picante*, de Vino, aliiſque liquoribus aut dapibus dictum, quoties palatum aliquantiſper pungunt. A *Pix Picis* Ferrarius immeritò hanc vocem traxit. A *Picare*, ſomniato verbo Latino, ideſt *Pungere*, Menagius deduxit. Sed veriſimilius eſt, a Germanico *Picken* deſcendiſſe. De Vino tantiſper palatum pungente Mutinenſes mei ſolent dicere: *Vino che dà di Becco alle ſtelle*. A *Pico*, ideſt *Becco*, efformatum fuit *Picar* Hiſpanicum, idem cum *Peck*, *Picken* &c. Et per translationem ad alia ſignificanda adhiberi vox cœpta eſt, quum nempe aliquid more Roſtri avium pungit. Inde etiam *Piquer* Gallicum, quod Turnebus a *Spicare*, alii ab *Apiculare* natum cenſuerunt.

Beffare. *Irridere*. *Beffa*. *Irriſio*. Expatiatur heic Menagius poſt Salmaſium, Voſſium, & alios, ut a *Bucca*, *Buffa*, *Buffari*, *Beffare* enatum nobis perſuadeat. Mihi facile non perſuadebunt. *Buffa* quidem pro *Beffa* uſurpatum: verùm a *Buffa Beffa* ortum habuiſſe, literarum diverſitas negare videtur. Accipiant Lectores, ut ut velint, conjecturam meam, quam, quan-

quando meliora nequeo, proferre religio-ni mihi non ducam. Num ergo a *Bene Factum*, aut *Bene Fallere*, aut *Bene Fecit* deturpata in *Beffa*, ſufflammando & Ironice pronunciato, *Beffe*, *Beffa*, & *Beffare* prodiit? Lingua Italica contrahere *Bene* conſuevit. *Bembè* pro *Bene Bene* eâdem ratione Ironice adhuc pronuntiatur. *Ombè* etiam dicunt Florentini pro *Or Bene*, & *Me'* pro *Meglio*; & *Pro*, ideſt *utilitas*, efformatum fuit, ut e *Prodeſt* aut *Profit*. Vetuſtiſſima autem eſt hæc phraſis. In Evangelio Marci Cap. 7. verſ. 37. *Admirabantur*, *dicentes*: *Bene omnia fecit*. Ibi ſeriò & veritatis gratiâ loquebantur. Potuere poſteri ad Ironiam transferre ejuſmodi formulam dicendi. *Beffa* quoque Hiſpanis eſt: fortaſſis a nobis. Vide infra *Oibò*. Italicum autem *Buffa* aut a *Buffone* emerſit, aut illi originem dedit. Unde verò *Buffone* & *Buffa*, multi quæſierunt. Sed fortaſſis adhuc illius incerta eſt origo.

Belletto. *Fucus*, ſeu *Color Puniceus*, quo ſe inficiunt feminæ, ut formoſæ appareant. Menagius quærens, unde profecta fuerit vox *Belletta*; qua ſignificatur *la poſatura*, *che fa l'acqua torbida*, hanc originem imperterrite nobis offert. *Viene da Limus indubitatamente*. Quei id factum? *Limus*, *Limellus*, *Limellettus*, *Mellettus*, *Bellettus*, *Belletta*. Ego contra ſomnia hæc eſſe *fine heſitatione* pronuntio. Addit: *A Belletta Imbellettare*. *Lo diciamo del liſciarſi delle femine*. En alterum ſomnium: nimis quippe diverſa ſignificantur a *Belletta* & *Belletto*. Nihil mihi ſuccurrit, unde *Belletta* fluxiſſe potuerit. Verùm quod eſt ad *Belletto fucus*, ſuſpicari liceat enatum ex *Bello*. Nempe aut *Color Bellulus*, *Colore Belletto* dictus eſt puniceus ille ſeu purpureus, quo fucantur feminæ; aut ita appellatus, quia inſervit *a far Bello il volto*. Inde *Imbellettare*, *Fuco vultum inficere*.

Benda. *Vitta*, *Faſcia*, *Tænia*. E Perſico *Bend*, ſignificante *Faſciam*, Salmaſius traxit Græcum & Latinum *Bandum*: atque ex hoc ipſo fonte Menagius deducit *Benda* Italicum, quod unum eſſe cenſet cum *Binda* voce itidem Italica, ſignificante *Faſciolam*. Non improbo Etymon. Attamen tutius puto, præeunte Du-Cangio, arceſſere *Benda* e Germanorum Lingua, apud quos primitiva & antiquiſſima vox eſt *Binde*, ſignificans *Faſciam*. *Bintan* pro *Vincire* occurrit apud antiquiſſimum Germanicæ Linguæ Scriptorem Otfridum. Mutinenſe vulgus adhuc *Binda* dicit; ac *Binda* in *Benda* evaſit a pronuntiantibus *In* Gallorum more, hoc eſt *Ein*. Præterea Teutones habent *Binden*, ſignificans *Religare* aliquid. Hinc nobis *Bendare gli occhi*, ideſt *Faſciâ illigatâ uſum oculorum alicui eripere*. Ex *Binda* ſeu *Benda*, diminutivum *Bindello* efformarunt Mutinenſes aliique Lombardi, ad ſignificandam parvulam vittam ſeu faſciolam ſiricam, laneam, lineamve quorumlibet colorum. Ceterum in Vita Beatæ Humilianæ de Cerchis Florentinæ, Anno MCCXLVI. defunctæ, apud Bollandiſtas ad diem IX. Maji, piiſſima illa mulier dicitur diſtribuiſſe pauperibus *Bindas omnes*: quæ vox ibidem repetitur alibi, ut videas, Florentinos quoque olim *Binda* pronuntiaſſe.

Berricuocolo. *Prunum*, ſeu *Malum Armeniacum*. Menagius a Latino *Præcoquum* (rectius tamen dixiſſet *Præcocia*) hanc vocem derivat. At mecum animadvertas velim, Græcos medii ævi uſurpaſſe vocabulum Βερικόκκιον, ideſt *Bericoccum*, ut multis exemplis oſtendit Du-Cangius in Gloſſario Græc. Arabes quoque *Barkokon* dixere, teſtibus Gollio & Giggeo. Mutinenſes utrumque nomen retinent corruptum, ſcilicet *Baricoccolo*, & *Moniaca* ab *Armeniacum*. Senenſes quoque *Barcoche* & *Moniache* dicunt. Florentini longius diſceſſere, hunc fructum nunc *Meliache* nuncupantes.

Berlina. Græcis Κλοιὸς, Latinis *Numella*. Collare, ſeu inſtrumentum, quo cincti rei ad plebis riſum exponebantur. Nemo ſubſcribat Menagio derivanti hanc vocem ab ipſo *Numella* per gradationem iſtam. *Numellina*, *Mellina*, *Merlina*, *Berlina*. Quod mirere, ſubdit ille: *E' derivazione indubitata*. Si hoc licet, undecumque velimus, noſtras voces derivabimus. Ferrarius vocabulum *Verrone*, ideſt *Podiolum*, *Mænianum* exponens, auctor eſt, appellari *la Vera del Pozzo*, quæ a Mutinenſibus *la Delta del Pozzo* nuncupatur, quia puteorum ſeptum ſupra terram ad imitationem Delta Græci olim efformabatur. Itaque ait Ferrarius, a *Vera*, *Verula*, *Verulina*, *Berlina* emerſit. Ne hoc quidem probes. Neque enim certum eſt, *Berlina* ſignificare locum, in quo improbi puniendi exponebantur. Et ſiquidem locus origini huic futurus eſt, contendere & nos poſſemus a *Vera*, ſive *Verra*, quæ Mutinenſibus *Circulum ferreum*, ſeu alterius metalli ſignificat, veriſimilius deſcendere *Verlina*, *Berlina*. Sed mihi res adhuc in obſcuro. Franci & Angli ejuſmodi pœnam appellant *Pilorì*, ſeu *Pillorìs*. Num a *Pilorina*, *Pirlina Berlina* derivari potuit? *B*. preſſius pronuntiatum Germanis evadit *P*.

Berlingaccio. Ita poſtremum Bacchanaliorum diem appellabant Florentini. A *Berlingare* traxit hoc nomen Varchius, cujus ſignificatio eſt eadem atque *Cianciare*, *Ciarlare*. Menagius verò deduxit *Berlingare* a *Varie linguare*, hoc eſt, ſomnium in una mente ſua natum nobis enarravit. Mihi veri videtur ſimile profectum fuiſſe diei illius agnomen ex eduliorum ſpecie, quæ *Burlenghi*, & *Burlingozzi* a Lombardorum vulgo adhuc appellantur; nempe ex farina per aquam dilutâ, quæ in ſolo, ut ajunt, æreo prunis impoſita, ſubtiliter diſtributa, ac ſubtus & ſupra bene peruncta, teſtu ſuperpoſito excoquitur, ac pæne torretur, & inde ſervens comeditur, atque interdum herbarum, ovorum, caſeique commixtione ſpeciem quamdam pulmenti continet. Subtiles haſce placentas nuncupatas ſuſpicor *Burlenghi*, quaſi *Brulenghi* e Gallico *Brûler*. Florentini eas *Berlingozzi* dixere. Et quia præſertim recurrente quinctâ Feriâ poſtremæ hebdomadæ Bacchanaliorum Popellus maxime indulgebat hiſce eduliis (quod & diebus meis alicubi obſervatum vidi), diei illi inditum fuit a Florentino vulgo nomen *Berlingaccio*. Inde verò enatum opinor & ver-

verbum *Berlingare*, ad deſignandum tumultum vocum, qui eo hilaritatis die audiebatur in ædibus. Sed nihil erat, cur heic immorarer, quando tempus alios mores, aliaque vocabula invexit. A

Bettola. *Vilis Caupona*, quam bibendi cauſsâ vulgus petit. Ex Germanica Lingua proceſſiſſe mihi creditur. Quippe Germanis *Betteln* eſt *Mendicare*, & *Bettler Pauper*. *Bettel-hauſs*, ut opinor, olim appellata hujuſmodi *Caupona*, ideſt *Mendicorum Taberna*. Tum compendii gratiâ evaſit apud Italos *Bettela*, quam Mutinenſes dicunt la *Bettla*, Tuſci vero la *Bettola*. Apud Hebræos *Beth Domum* ſignificat.

Bianco. *Albus*. Neſcio, cur in mentem venerit Julio Cæſari Scaligero, deducendam eſſe hanc vocem e Græco βλὰξ, quum nihil aliud eſt βλὰξ quàm *Iners, Socors, Ignavus*. Ab *Albus* per conſuetas ſuas ſomniatas ſcalas Menagius poſt Gujetum illam traxit. Atqui hanc Etymologiam nimia literarum diverſitas damnat. Quænam ergo ejus origo? Germanicum *Blanck* ſine controverſia, quod *Album* ſignificat. Ex eo nos efformavimus *Bianco*, Hiſpani *Blanco*, Galli *Blanc*, & Angli *Blanch*. Germanicum verò *Blanck*, ſi quid video, e *Blincken*, ſeu *Blenchen*, quod *ſplendere*, *lucem reflectere* ſonat, enatum eſt. Prima enim ſignificatio vocis *Blanck* fuit *Lucidum*: adhuc autem Germani & *Album* deſignant & *Lucidum*, eâdem voce utentes. Quum nihil melius lucem reflectat, quàm *Album*, propterea corpus *Album* ii appellare cœperunt *Blanck*. Recte Fureterius Gallicam vocem *Blanc* ita definit: *Ce qui reflechit la lumiere en toutes ſes parties*. Covaruvias quoque hoc vidit: ſunt enim ejus verba: *Blanco es Nombre Godo* (ideſt Gothicum Nomen) *Septentrional*, *Blanch*. B C

Biaſimare. *Vituperare*. Concordes fere omnes Etymologiſtas reperio in deducenda hac voce a *Blaſphemare*. Et ſane Du-Cangius multa affert veterum loca, e quibus conſtare poteſt, Latinum *Blaſphemare* adhibitum pro *Damnare*, *Culpare*, *Infamare*, *Vituperare*. Eorum ſententiam & ego amplector. Addere tamen liceat, fieri potuiſſe, ut verbum hoc Latinum eo ſenſu uſurpatum fuerit, & nihilo ſecius aliam originem habuerit Italica vox *Biaſimare*. Noſtra enim Lingua ab antiquis Sæculis præter *Biaſimare* habet etiam *Beſtemiare*, & *Biaſtemare*, quod revera eſt Latinum *Blaſphemare*, ſeu ut melius loquar, Græcum βλασφημεῖν diverſum a *Biaſimare*. Ita & Gallis duæ diverſæ voces ſunt *Blaſphemer* & *Blaſmer*. Diſcrimen hoc innuere videtur, a diverſis fontibus emanaſſe gemina hæc verba. Quod ſi Majores noſtri *Blaſphemare* pro *Culpare* & *Vituperare* dixerunt, id jure factum, quum verbum ipſum βλασφημεῖν ſignificet *Calumniari*, *Maledictis & Contumeliis inceſſere*, *Famam exiſtimationemque alicujus lædere*. Quare ſuperfluum non puto, rogare Septentrionalium Linguarum peritos, ut perpendant, an fortè ex aliqua Teutonum voce potius, quàm e Græco, ſeu Latino *Blaſphemare*, prodiiſſe potuerit noſtrum *Biaſimare*, & Gallicum *Blaſmer*. Exempli cauſsâ Linguæ Teutonicæ eſt *Blaſs*, *Pallidus*, *Decoloratus*. Num per Metaphoram efformatum inde fuit *Blaſſimare*, vel *Blaſmare*, *Biaſmare*, *Biaſimare*, pro *decolorare*, *denigrare famam aut opera alicujus*? Galli ipſi vocem *Bleſme* habent, ſignificantem *Pallido*, *Scolorito*: & *Bleſmir Impallidirſi per vergogna o dolore*. Gallicæ hæ voces a *Blaſs* Germanico profectæ videntur, niſi vetuſtiſſimi Gallorum aut Francorum ſermonis propriæ ſint. Anglicæ quoque Linguæ eſt *Blemiſh*, *Defectum*, *Probrum*, *Culpam* ſignificans, & *to Blemish Vituperare*, *Carpere* &c. Lombarda gens *Biaſmare* dicit, quam vocem Tuſci in *Biaſimare* converterunt. Sed & Frater Jacoponus Tudertinus Lib. 4. Cant. 39. habet: D E

Ogni mio fatto blaſmando.

Bica. *Acervus ſpicarum*, *fœni*, *paleæ*. Vocabulum Tuſcorum, reliquis ignotum. *Apex*, *Apicis*, *Apicus*, *Apica*, *Bica*, viſa eſt Ferrario vocis origo. Eam exploſit Menagius, neque injuriâ. Aliud enim eſt *la Cima*, ſeu cujuſcumque rei *Summitas*, & aliud *Congeries*, ſive *Acervus minutarum rerum*. Quid verò ipſe Menagius? Ab *Acervus*, inquit, *Acervi*, *Acervicus*, *Acerbicus*, *Bicus*, *Bica*. Etymon hoc in uno hominis cerebro natum facile condonarem, niſi id adderet: *Queſta derivazione benchè poco veriſimile, è Veriſſima*. Plura non exigas, ut Scriptoris hujus confidentiam ſentias. Interea nemo a me meliora exſpectet. Quod unum velim, perpendant eruditi viri, num adverbium πυκα, ab Homero uſurpatum, ſignificans *Denſe*, *Spiſſe*, ſi Euſtachio credimus, originem dediſſe potuerit Italicæ huic voci. Græcis quoque eſt πυκάζω *Denſo*, *Stipo*: & πυκινὸς *Condenſatus*, *Denſus*: quæ vocabula tum ſono, tum ſignificatione accedunt ad *Bica*, quæ exſurgit, quum *ſi ammucchia il fieno*, *la paglia* &c.

Bicchiere. *Calix*. Ab inuſitato Latino *Bicarium*, ideſt a voce, quæ apud veteres in rerum natura numquam fuit, Menagius hanc arceſſit. A *Pocillo* durius eam traxit Ferrarius. Noſtrum *Bicchiere* nihil aliud eſt, niſi antiquiſſimum Germanicum *Becher*, quod nunc *Pecher* appellari audis, calicem ad bibendum vinum ſignificans. Inde etiam *Picher* Gallicum. *Bicarium* nihil aliud eſt niſi *Becher* Teutonicum Latine expreſſum, & converſum in *Bicarium*. Nicolaus Specialis Lib. 6. Cap 14. Hiſtoriæ Siculæ (vide Tomum X. Rer. Italicarum) hæc habet: *Ii crateres magnos bacchatos gemmis ſtatuunt, ii Becheria, cuppas, aliaque vaſa Regalibus apta in numerum congerunt*.

Bietta. *Cuneus*. Perpende, num a *Vis*, quam infert, an a *Via*, quam aperit, manaſſe vox iſta potuerit. Germani appellant *Weck*.

Bigatto, ***Bigattolo***. *Vermis* cujuſcumque ſpeciei. *Viene da Bombyx*, inquit Menagius, *in queſto modo: Bombyx*, *Bombycus*, *Bicus*, *Bica*, *Bicatus*, *Bicattus*, *Bicattulus*. Ille etiam contendit, ex *Bombax*, *Bombacus*, & inde *enatum Baco*: quo nomine Tuſci deſignant *i Vermi da ſeta*. Quod eſt ad *Baco*, niſi is meliora adferat, ignotam adhuc credere pergo illius vocis originem.

Verum quod ad *Bigattolo* attinet, quamquam prima aſpectu adhibita a Menagio ſit, nihil comprobaretur : nihilo tamen ſecius fieri potuiſſe mihi viſum eſt, ut *Bigattolo* deſcenderit e *Bombyx*, ſed alia ratione. Nempe e *Bombyx Bombycis* efformatum fortaſſe fuit *Bombyceus*, *Bombice*; tum diminutivum *Bombicatto*, ut *Uomo*, *Uomicciatto*; atque inde alterum diminutivum *Bombicattolo*, uti *Uomicciattolo*. Exciderit poſtea brevitatis gratiâ *Bom*, & ſuperfuerit *Bicattolo*, uti factum in *Auſter*, *Auſterulus*, ex quo *Scirocco*. Vide infra *Scirocco*. Ego certe meliora adferre non poſſum. Additum volo etiam, a Mutinenſibus *Bombyces* appellari *Bigattini*; quoſcumque vero Vermes *Bigatti*, & *Vermi*, & *Begbi*. Præterea agricolæ Mutinenſes appellant *Api le Beghe*; ut puto ſecundùm Hiſpanorum morem, quibus *Apes* ſunt *Abejas*, idest nobis *Abecche*. Hoc autem, atque ac *Pecchia* Tuſcorum, ex *Apicula* Latino efformatum fuit.

Biondo. *Flavus*, *Flaveſcens*. Aſſentiatur, qui velit, Menagio putanti, aut ab *Albus*, *Albidus*, *Blidus* &c. aut a *Blandus* profectum fuiſſe *Biondo*. In hiſce veri ſimilitudo prorſus deſideratur, uti & in opinione Ferrarii, qui ab *Apluda*, purgamento milii & panici, hunc vocem derivat. Ex Germanica Lingua petenda eſt vocabuli hujus origo. Habet enim illa *Blond* & *Blonde*. Saxonibus *Blonden* appellatur *Tinctus*, *Infictus*, quod olim capillos tingerent, ut in flavum colorem converterent. Inde etiam Gallicum *Blond*. Hanc Etymologiam antea viderunt & probarunt doctiſſimi viri Du-Cangius, & Hickeſius.

Bircio. *Qui tranſverſis oculis conſpicit*; *Strabo* Latinis. Menagius putat derivatum e *Varius*, *Varicius*, *Vercius*, *Vircius*, *Vircius*. Sed hæc nullius pretii. Mihi ignota vocis origo. Iſta tamen mihi in mentem revocat Vergilii verſum Eclog. III.

Novimus & qui te, tranſverſa tuentibus hircis.

Ubi pro *Hircis* nonnulli legendum putant *Hirquis*, Servio ipſo teſtante, ex auctoritate Suetonii Tranquilli, *Hirquos eſſe oculorum angulos*. Strabones tranſverſa tuentur. Num ergo *Bircio* ex *Hirquus*?

Birracchio. *Vitulus* a primo anno uſque ad ſecundum. Appoſite ad hunc locum verba Feſti adferre videtur Menagius : *Burrum dicebant antiqui, quod nunc dicimus Rufum. Unde Ruſtici Burrum appellant buculum, quæ roſtrum habet rufum*. Ego non Feſti, ſed Paulli Diaconi verba hæc puto, cujus additamenta ad Feſti Libros interdum video a doctis viris laudari ſub nomine Feſti. Sed heic conſiſto, ac libenter peterem a Paullo, cur non potius Vituli ante annum completum *Burri* fuerint nuncupati? tunc enim pluſquam alio tempore rufum colorem præferunt, & annum primum ſupergreſſi, alium induere ſolent. Deinde cur *Buculas* tantummodo, *roſtrum rufum* habentes, *Burras* appellatas ait? Quod certum puto, a Lombardis didicere Tuſci nomen *Birracchio*, nobis familiare, dum Vitulos ejuſmodi compluresa Lombardis emunt. Veri autem ſimile eſt, olim ruſticos ex *Rufo* colore, qui Πυῤῥίχαν, idest *Pyrrichus*, ſeu *Purrichus*, *Burrichus*, a Græcis dicitur, nomen dediſſe Vitulis adultis. Salmaſius quoque ad Carum & Carinum Vopiſci opinatus eſt, Equos breviores ab eodem colore nomen *Burrichi* retuliſſe. Neque regeres, *Birracchio*, non *Birricho*, ſeu *Birrichio*, appellari Vitulum bimum; nam & apud Græcos in uſu fuit Πυῤῥάκης pro Πυῤῥίχος. Et Πυῤῥάκης dicitur David, idest *Rufus*, Lib. I Cap. 16. verſ. 12 Regum. Deinde a Πυῤῥὸς diminutivum *Byrrhaculus*, hoc eſt *Birracchio*, Sæculis barbaricis efformari potuit.

Bisbetico. *Phantaſticus*. Vox Menagio inſalutata. Fortaſſe compoſita vox e Latino *Bis* & *Beſtia*. Nobis appellatur *Uomo Beſtiale*, qui ferociâ quadam inconſideratâ agit. Ita qui in iram ſine ratione erumpit, *Bis Beſtia* appellatus videtur, ac deinde *Bisbeticus Bisbetico* evaſerit. Ita retinemus *Bigoncia*, vas ligneum ſine operculo ad ferendam uvam aut vinum e *Bis Congio* Latinorum.

Biſcazza. *Ludus publicus alearum*. Hoc nomen in Legibus Municipalibus variarum Urbium uſurpatum vidi; & adhuc a Mutinenſibus eâdem ſignificatione adhibetur, uti etiam *Biſca*. Tuſcis quoque olim in uſu fuere hæc nomina. Nil certi habeo de eorum origine. Sanſovinus in explicatione rerum abſtruſarum Dantis auctor eſt, *Biſcazza* eſſe vocabulum Dialecti Forojulienſis. Sed fallitur: nam & aliis Populis familiare fuit. Is autem putat dictum *Biſcazza*, quaſi *Sguazza*, *Butta-via*, *Conſuma*. Nemo probet. Mihi aliqua ſuſpicio eſt, e Germanico *Beſcheiſſen* ſignificante *Fallere*, *Decipere*, *Fraudare*, potuiſſe olim efformari *Biſcazzare*: quo verbo etiam uſi ſunt Majores noſtri, & *Biſcazza*, quum ejuſmodi Ludi officina ſit *Fraudum* ac *Deceptionum*, ita ut per metaphoram Ludus ille publicus appellatus olim fuerit Locus Fraudum. *Biſcazaria* dicitur in Statutis antiquis Populi Bononienſis; & *Ludus Biſcazariæ*, quicumque is ſit, ibi interdicitur, uti & *mutuare ad ludum*, *ſeu occaſione Ludi Biſcazariæ*. Fortaſſis etiam e Germanico antiquo *Beſchiſs* apud Schilterum, ſignificante *Fraudem*, enatum eſt *Biſchizzo*, jocus in verbis e ſimilitudine vocum.

Biſcia. *Serpens*. Audi Menagium. *Viene da Beſtia : ſicuro*. Tum addit, e Græco Ὄφις poſſe deduci vocis hujus Etymon. Eruditum hominem cautum dedecet illud *ſicuro*. Octavius Ferrarius, & ante eum Landinus, a *Sibilo*, aut ab *Anguicula* hanc vocem enatam ſomniarunt. Miror, homines doctiſſimos ſuis imaginationibus delectatos, ita iis inſtitiſſe, ut extra Latinorum pomœria excurrere, ibique expiſcari vocem iſtam neglexerunt. Vix falli me putem, inquiens, ex Germanico *Biſs*, *Morſo*, *Morſicatura*, & *Beiſſen*, quod eſt *mordere*, *pungere*, efformatum fuiſſe vocabulum *Biſcia*. Preſſius Teutonicam vocem retinent Mutinenſes, & Mediol., quibus familiare eſt *Biſiare*, ſeu *Biſſiare* pro *Pungere*, quum de apibus, ſcorpionibus, veſpis agitur. Dicunt etiam *Biſſa* pro *Biſcia*.

Biſogno. *Indigentia*, *Egeſtas*, *Defectus*. Tenebras

A nebras non leves offendis in origine vocis hujus. Nondum eas depulere docti viri; an ego, doctorum hominum judicium eſto. Si Menagium audimus, qui multus eſt, ut hoc nobis perſuadeat, *Forſe da Bis Senium* emerſit *Biſogno*. Sed nemini perſuadebit. *Bis Senex* potius ſignificaret hominem, qui ætatis cauſsâ repueraſceret. Neque *Senectutis* nomen uſurpatum umquam fuit pro *Indigentia*, *Egeſtate*. Minus autem audiendus Ferrarius, qui ab *Uſio uſionis*, antiquatâ voce Catonis, & ſignificante *Uſum*, *Biſogno* per vim derivavit. Itaque conſiderandum potius puto, num e *Sonnis* ſive *Sunnis*, voce Francica aut Germanica (quod idem eſt) effluxiſſe B potuerit Italicum *Biſogno*. De hac voce multa habent Voſſius, Bignonius, Du-Cangius, atque alii Eruditi. In Pacto Legis Salicæ Tit. 19. num. 6. hæc leguntur: *Si in Mallum vocatus fuerit, & is, qui vocatus eſt, non venit, ſi eum aut infirmitas, aut Ambaſcia Dominica* (ideſt Regia Legatio) *detinuerit, vel fortè aliquem de proximis mortuum intra domum ſuam habuerit: per iſtas Sunnis ſe poterit homo excuſare: aliàs de vita componat*. Ita Tit. Prim. Num. Primo, ejuſdem Salicæ Legis: *Si quis ad Mallum mannitus fuerit, & non venerit, ſi eum Sunnis non detinuerit* &c. Ubi vides; quæ ſignificatio olim C fuerit vocabuli *Sunnis*, ſcilicet *Impedimentum*, ſive quædam quaſi *Neceſſitas*, *Indigentia*. Hoc idem ſignificat *Biſogno*: & etiamnum diceremus: *Se qualche Biſogno nol riteneſſe*. Voci *Sunnis* additum poſtea fuit *Be*, unde Gallicum *Beſoin*: quod minime *Bis* eſt, ſed *Be* particula intendendi, ſive præpoſitio familiaris Germanicæ Linguæ, atque adjecta tot aliis vocibus. Nos pro *Beſoin* diximus *Biſogno* & *Biſogna*, quod ejuſdem originis eſt. Atque olim *Beſogno* erat in uſu:

Era Beſogno, che'l lume accendeſſe.

D Ita legitur in Satyr. 2. Fratris Jacoponi Tudertini, qui circiter Annum MCCXCVIII. Rhythmos ſcribebat. Denique apud Marculfum occurrit *Sunnia*, idem ac *Sunnis*. Itaque genericum nomen olim fuit *Sunnis*, ſignificans tam adverſas res, quales erant morbi & paupertas, quàm legitimas occupationes, quibus obnoxia eſt hominum vita. Inde nobis *Biſogna* pro *Faccenda, occupazione*. Eodem ſenſu & Galli dicunt *Beſogne*, vocem fortaſſe a nobis mutuati. Inde etiam *Biſogno*, quo nomine nunc omnis generis *Indigentiam* deſignamus. Unde verò prodierit *Sunnis* ſeu *Sonnis*, eruditis Gallis & Germanis E diſputandum relinquo.

Bizzarro. *Iracundus*, *Ferox* Florentinis. Significat etiam apud Mutinenſes aliquid propter novitatem a communi more recedens, neque tamen ingratum. A *Bis Varius* deducebat hanc vocem Menagius, cui minime aſſentior. Nam quei *Z*, & duplex *R*. locum heic invenere? præterquamquod qui *Varium* ſignificare vult, nihil opus eſt ei, ut *Bis* addat. Mihi ignota eſt primitiva illius vocis origo. Certum tamen duco, ex uno fonte manaſſe Gallicum *Bigarrè*, ſignificans *rem gemini coloris*, & Hiſpanicum *Abigarrado*, ac noſtrum *Bizzarro*. Præcedentibus Sæculis in uſu fuit veſtimentorum genus, quod nos adhuc *Bizzarro* appellaremus. Scilicet pars dextera unius, ſiniſtra alterius coloris fuit. Picturas vidi referentes ejuſmodi varietatem in tibialibus præcipue, interdum & in reliquo corporis indumento. Mediolani adhuc veſtigia rei perdurant in Oſtiariis Conſilii Generalis, uti & Lucæ, ubi crurum tegumenta conſtituunt *le Livree* famulorum. Sed & nonnumquam a *Quartieri* diviſi erant gemini iſti colores. Georgius Stella in Chronico Genuenſ. Tom. XVII. Rerum Italicarum ad Annum MCCCVIII. ſcribit: *Illi de Auria, & Grimaldi pro ipſorum majori colligatione inſimul ſe induerunt ſimile veſtimentum, duorum ſcilicet pannorum coloris diverſi, ex quibus quilibet veſtimentum unum habens, gerebat pro dimidia colorem, & pro reliqua colorem alterum*. Rurſus ad Annum MCCCXI. hæc habet: *Pro ſui adventus* (ideſt Henrici VII. Auguſti) *celebritate majori, multi valde Januenſes novis ſe munierunt veſtibus. Erat ex veſtibus illis ſingula, ex parte una Rubei coloris, & ex alia coloris Citrini*. Ejuſmodi veſtes *Bigarrées* appellabantur. Nos a Gallico *Bigarré* traxiſſe videmur *Bizzarro*: illi a nobis ſuum *Bizarre*, & *Bizzarrerie*.

Bloccare. Militare verbum Gallicæ Linguæ, quod & nos Itali ab iis didicimus, ſignificans inſtituere obſidionem Arcis, Urbiſve alicujus a longe. Borellus ex antiqua, & forſitan ſomniatâ voce Gallica *Blocal*, idem ſignificante, ac *Barricade*, deduxit ſuum *Bloquer*. Alii a *Buculare*, altera voce peregrina. Hicheſius verò opinatus eſt, eam fuiſſe efformatam e veteri Theotiſco verbo *Belocan*, quod ex *Be* & *Loc*, *Serâ & Clauſurâ* componitur. Diſputent illi de ſuis. Ego ad noſtra regredior.

Boccia. *Calyx* in floribus, flos nondum apertus. Tuſcorum vox eſt. Apud Lombardos in uſu tantùm eſt *Bottone*, quo etiam Tuſci utuntur. Menagius ſuſpicatur a *Valvus*, aut ab ipſo *Bottone* efformatum *Boccia*. Fortaſſe emerſit vox iſta ex Germanico *Butz*, ſignificante idem, quod *Bottone*. Inde nobis *Buza*, *Bozza*. Tuſci Lombardicum *ZA* in *CCIA* convertere ſolent, ac proinde efformare potuerunt *Boccia*. Ipſum verò Germanicum *Butz* num prodierit ex *Pultare* Latinorum, & an ſit primitivum illius Linguæ, decernant alii. Mutinenſibus *Butlire* dicitur, quod Latinis eſt *Pultare*. Fortaſſis etiam ex antiquiſſimo vocabulo *Butis* emerſit *Bottone*, & *Boccia*, metaphorice vocibus hiſce adhibitis ad ſignificandam rem Tumidam. Vide infra *Bozza*.

Bolcione. *Bolzone*. Bellicum inſtrumentum ad confringenda mœnia. Telorum quoque ſpecies ita appellata. Menagius & Ferrarius a Græco Βολος, ſignificante *actum jaculandi*, nomen hoc deducendum eſſe ſuſpicati ſunt. At iſtud nihil ad primam ſignificationem facit. Itaque conſiderandum potius videtur, num a *Pultare*, ſeu *Pulſare* (quod idem eſt) emerſiſſe potuerit *Pultione*, quod poſtea lenius pronuntiatum dederit *Bolzone*. Nam ad Telum,

lem. Cæterum Sagittam quod attinet, vix fallamur, deducentes illud e Germanico *Bolz*, idem ſignificante, niſi & illud e *Pultare* productum fuerit. Mutinenſes etiam appellant *Bolzone* ferrum ſtabile prominens in operculis arcarum, in quod ope clavis includitur clathrum ferreum mobile ad arcam occludendam. Quare huic ei nomen impoſitum, ignoro.

Bordone. Vide infra *Brullo*.

Boſſolo. *Pyxis*. *A Buxus*, arbore videlicet, e cujus præcipue ligno vaſcula conficiuntur, profecta vox creditur Menagio atque Ferrario. *Boſſo* & *Boſſolo* eadem arbor a Tuſcis appellatur. Veri omnino ſimilis, atque laudanda hujuſmodi Etymologia. Et præcipue quum *Pyxidem* Latini ipſi a Græco Πύξις acceperint. Πύξις verò e Πύξος, ſignificante *Buxum*, deſcendiſſe agnoſcitur, uti antea monuerat Voſſius. Hujus Etymi idcirco mentionem feci, quia Leibnitius, vir de ſtudio Etymologico bene meritus, in Adnotationib. ad Franco-Gallicum Ottii, cenſuit probabilius, e Germanico *Buchs*, ſeu *Buchſe*, ſignificante *Pyxidem*, efformatum fuiſſe Tuſcorum *Boſſolo*, ſeu *Boſſolo*; & *Buſſola*, quemadmodum nos Lombardi dicimus. Et revera aſpectu primo probanda videtur ejuſmodi Etymologia, quum e *Buchs* rite diminutivum *Buchſola*, *Buſſola* exſurgat. Verùm quum tantæ antiquitatis ſit & Græcum & Latinum *Pyxis* & *Buxus*, credendum potius eſt, & ipſos Germanos inde derivaſſe ſuum *Buchs*. Itaque reſtat, Lombardicum *Buſſola*, aut a *Pyxis*, & diminutivo *Puxola* (nam *Y*. per *V*. fere ſemper redditum fuit) aut e *Buxus*, *Buxula* efformatum fuiſſe.

Botarga. *Ova piſcium ſalsa*. Florentini *Buttagra* appellant. Scaliger Senior contra Cardanum opinatus eſt, Græcam vocem hanc eſſe, videlicet Ὠὰ Ταριχὰ, *Ova Salita*. Sed quî ſe ſe ingeſſit *B*. in hanc vocem? Suſpicatus eſt etiam Menagius, eam proceſſiſſe a *Botus*, *Botulus*. Inepte ſane, quum *Botulus* ſit farciminis genus e carne, cui nihil rei cum *Botarga*, ut prætercam nimis diſtortum nomen, ut inde *Botarga* efformetur. Gollio teſte, Arabicæ Linguæ eſt *Boutarga*, idem ſignificans: Si hæc vox Arabibus antiqua ac primitiva eſt, ab iis nos mutuati fuerimus.

Botta, *o* aperte pronuntiato. *Ictus*, *Percuſſio*. Cur hanc vocem inſalutatam dimiſerit Menagius, ignoro. Obſcura ſane vocabuli origo. Attamen veniam poſco, ſi eam e Latino *Pultare* ſuſpicabor deductam. *Pultare fores*, *Pultare oſtium*, *Battere la porta* non ſemel occurrit apud Plautum ac Terentium. Quinctilianus quoque nos docet, *Pultare* in uſu fuiſſe pro *Pulſare*. Itaque e *Pultare* natum *Pultus*, idem ſignificans ac *Pulſus*, *Percuſſio*, *Ictus*. E *Pultus*, *Polto*, ac tamdem immutato *P*. in *B*. ut ſæpe fit *Bolto*, atque *L*. converſo in *T*., evaſiſſe potuit *Botto*, ideſt *Ictus*, *Percuſſio*. Uſurpamus adhuc *Botto*, quum dicimus *un Botto della Campana*, *ſonare la Campana a Botti*. Utique a *Pultus* Femininam etiam terminationem accepit, ac proinde dicimus: *Dar delle Botte* pro *Verberare*, *Percutere*: *Una botta di Spada*; quod etiam appellamus *Un Colpo di Spada* a barbarico *Colpus*. Hinc metaphoricæ phraſes: *Andar di Botto*, ideſt *Raptim*, *Subitò*, *in un Colpo*. Dicimus quoque: *Ogni Botta non vuol riſpoſta*: hoc eſt; *cuilibet verbo nos ferientis non eſt danda reſponſio*. Ad hæc *Dire una bella Botta*, nempe *dicere aliquid quod ingenioſe percutiat*, *aut pungat alterum*. Ceterum quum durum videri poſſit, in voce *Pultus L*. excidere, ſeu mutari in *T*. exempla accipe. Veriſimiliter e *Pulſare* deſcendit Italicum *Buſſare*. Neapolitani quoque pro *Volta* dicunt *Otta*: quod exemplum in rem præſentem ſufficere poteſt. Cur verò Florentina Dialectus *Bufonem* appellet *Botta*, nondum quiſquam reperit. Nos *Roſpo* appellamus, cujus etiam adhuc ignota origo, atque in eam fruſtra Menagius inquiſivit.

Botte, *o* preſſe pronuntiato. *Dolium*. Cujacius & Menagius ex Græco Βοῦττις Italicam vocem trahunt, Gloſſaria Græco-Latina ſequuti. Sed minime animadverterunt, a recentioribus Græcis multa Italicorum vocabula fuiſſe adoptata, inter quæ eſt etiam recenſendum *Botte*. Hæc ergo vox aut antiqui Latini Populi fuit, aut a Gothis & Septemtrionalibus ad nos advecta. Germanis *Botte* & *Butte* adhuc ſignificat *Maſtello*, *Tinaccio*, *Brenta*, *Bigoncia*. Anglis a *Butt* eſt *Dolium*; & Hicheſio teſte Cimbris *Bytta* idem ſignificat. In Charta plenariæ ſecuritatis Ravennæ ſcripta ſub Juſtiniano Auguſto Anno DLXV. atque a Briſſonio & Mabillonio edita, legitur *Butte de cito*, *Butte minore*. Niſi eam Latinæ originis velimus, in Urbem illam Gothi antea invexerint, uti & in Hiſpaniam, ubi *Bota* & *Bote* adhuc eſt in uſu ad ſignificandam lagenam, aliaque vaſa minora. Hinc *Buticularii* munus in Palatio veterum Regum Francorum. In Septemtrione felicius quàm in Oriente multarum vocum noſtrarum fodinam reperies.

Bottega. *Officina*. Rectiſſime Du-Cangius, Caninius, & Menagius *Apotheca* Latinum cenſuerunt immutatum in Italicum *Botega*, quod duplici *T*. nunc Tuſci pronuntiant. Salmaſius fruſtra *Zotheca* prætulit. Demto *A* ex *Apothecá*, ſtatim exſurgit *Potheca*, quod mollius pronuntiatum dat *Bottega*. Francis eſt *Boutique*, & Hiſpanis *Buttiga*. Occurrit etiam *Potheca* pro *Apotheca* in antiquis Chartis apud Ughellium.

Bottone. Vide ſubſequens *Bozza*.

Bozza. *Tumor*. A *Bauca*, ſignificante neſcio quod vas, Ferrarius originem vocis hujus arceſſit. Menagius a Græco Φυσάω, ideſt *Sufflo*. Menagianum etymon minùs mihi quàm alterum, veri videtur ſimile. Ego Eruditos rogo, ut perpendant, an potius ex antiquiſſima voce *Buttis*, nobis nunc *Botte*, de qua ſupra egimus, emerſiſſe potuerit *Bozza*. Mutinenſes appellant *Bozzola* vas vitreum, cujus venter tumeſcit. *Boccia* apud Tuſcos idem ſignificat. Utrumque nomen e *Buttis* deſcendiſſe mihi creditur per diminutivum. Hoc eſt e *Buttis Buttia*, *Buttiola*, & *Buttula*, *Boccia*, *Bozza*, *Bozzola*. Metaphorice deinde appellatus a Tuſcis fuerit *Bozza*

qui-

quilibet *Tumor*, ad ſimilitudinem *Doliorum* tumeſcentium. Gallicam vocem *Boſſe* ejuſdem originis ſuſpicari non incongruum reor. Anglica Lingua habet *Bottle*, ſignificans *Bozzola* Mutinenſium, quod propius *Buttim* & *Buttulam* nobis exhibet. Calycem quoque Florum, *Bottone* appellamus, & *Bottoni* globulos, quibus veſtes conſtringuntur. Num & iſtæ voces potius e *Butti* deducendæ ſunt, quàm e *Pultare* Latinorum? Nam & in his Tumorem conſpicimus. Vide ſupra *Boccia*. Certe Tuſci æque *Boccia* nuncupant Calycem Florum, atque Vas vitreum tumidi ventris.

Bozzo. Vide ſupra *Abbozzare*.

Bracia, ***Bragia***. Vide in hac ipſa Diſſertatione, ubi originem verbi *Bruciare* ſupra inquiſivi.

Braghiere, ſeu *Brachiere*. *Cingulum inguinale*, quo utuntur laborantes herniâ. Conjectandi locus eſt, profectam fuiſſe vocem iſtam ex Teutonico *Brak*, ſignificante *Rupturam*: ita ut *Rupturæ vinculum* appellatum videatur *Bracker*. Germanis quoque eſt *Brachen Rumpere*. Mutinenſes adhuc retinent *Sbragare*, ſignificans violenter aliquid ſcindere per medium. Forſitan etiam vox venit ab *Imbragare*, ſignificante apud nos *Braccam appingere* ex ferro, ligno, telâ, ne aliquid ruat. Faſcias haſce plerumque ferreas Paulus Sarpius Venetus vir famoſus, excogitaſſe primus traditur ineunte Sæculo Chriſti Decimo Septimo. Mihi certum eſt, eaſdem longe antea in uſu fuiſſe. Unum exemplum accipe e Miraculis Beati Gerlandi Equitis Hieroſolymitani a P. Papebrochio editis ad diem 18 Junii, & collectis Anno MCCCXXVII. Reddita fuit *incolumitas Riccardo de Claromonte, qui ab utero matris ſuæ crepuit. De qua infirmitate conſtitit per jusjurandum Ventorini de Claromonte, qui ob ipſam infirmitatem eidem Nicolao in femore & teſtibus Bracale impoſuit*. Fortaſſe faſcias haſce Sarpius commodiores ac utiliores aliquo additamento effecerit.

Bramare. *Vehementer Cupere*. Monoſinius & Nicotius a Βρέμω, ideſt *Fremo*, *Reſono*: Ferrarius ab Hiſpano *Hambre*, ſignificante *Famem*, hoc verbum arceſſunt. Menagio præter morem heic hæret vox. Meam opinionem accipito. *Amare* pro *Cupere* uſurparunt Majores noſtri. *Peramare* pro *Vehementer Amare*, ſeu *ardentiſſime Cupere*. Pro *Peramare Pramare*, ac tandem pronuntiato leniter P. *Bramare* invaluit. Ita e *Peruſſare* videbimus infra efformatum *Bruſare*, *Bruciare*: & ab *Experulare Sbrollare* ad vocem *Brullo* emerſiſſe patebit. At heic intercedit Scipio Maffejus Marchio Vir Clariſs., qui Lib. XI. pag. 313 Veronæ Illuſtratæ, nos docet, propriam fuiſſe vocem plebis Latinæ *Bramoſus*, quo tempore cultiores *Cupidus* dicebant. Atque in hanc rem laudat Sermonem Octavum de Exodo, & Sermonem in Pſalm. 49. a Sancto Zenone conſcriptos, qui Sæculo Chriſti Quarto floruit. Quippe ibi *Bramoſus* occurrit. Sed minime doctiſſimus Vir animadvertit, quod tamen antea animadverterat Du-Cangius in Gloſſar. Latinitat. ſcilicet vitiatam ibi vocem eſſe *Bramoſus*, & ſcribendum *Brumoſus*, vel *Bromoſus*: quo quidem vocabulo uſus quoque fuit iiſdem temporibus Ruffinus Lib. 3. de Vitis Patrum; Hoc autem ſignificabat *Fœtidum*, *Immundum*, e Græco Βρώμος, ideſt *Graveolentia*, *Fœtor*, uti jam Turnebus monuerat. Certe *Bramoſum convivium*, & *Bramoſæ pecudes* apud Sanctum Zenonem pro *Cupidus*, nullum juſtum ſenſum reddunt. La-Cerda quoque Cap. 124. Adverſarior. idem animadverterat.

Branche. *Ferarum pedes unguibus armati*. Multus eſt Menagius in expiſcanda vocis hujus origine, quam & ego fateor abſtruſam. Salmaſius in Solinum a *Brachium* deduxit, non inveriſimili conjectura. Attamen pedibus, ſive manibus, & unguibus, non verò Brachiis congruit ſignificatio vocabuli *Branca*. Præterea nos e *Brachium* Latino efformavimus Italicum *Braccio*, non *Branca*. Menagius, qui e Latino *Ramus* per vim traxit *Fraſca*, *Tralcio*, & quidquid ſibi placuit, hinc etiam *Branca* hauſit, ſuumque incongruum ſane Etymon Salmaſiano prætulit. *Ramus*, inquit, *Rami*, *Ramicus*, *Ramica*, *Ranca*, *Branca*. Equidem Galli *Branche* Ramum arboris appellant. Sed quid rei eſt *Ramo* cum Italico *Branca* ſignificante manum, ſeu potius pedem ferarum? Mihi aut Latinæ originis eſt *Branca*; nam inter Scriptores rei Agrariæ apud Goëſium Latinus Togatus *Brancam Lupi*, & *Brancam Urſi* recenſet. Aut ſi Scriptorem hunc non Latina, ſed Barbarica Sæcula tulere, veniam peto conjecturæ, quæ mihi in mentem venit. Scilicet e *Perango* ſenſim efformatum fuit *Brancare*. Certum eſt; *Ango* Latinum verbum ſignificaſſe *Stringere*. Inde *Anguſtus*, *Angiportus*, & *Angina* morbus, quod guttur perſtringat, ſeu fauces. Vergilius:

Et faucibus angit inhærens.

A Græco Ἄγχω ſignificante *Conſtringere*, *Premere*, Latinum *Ango* manavit. *Perango* compoſitum, hoc eſt *vehementer Stringo*. Veteres ergo, ut ex aliis exemplis infra patebit, quandoque Infinitivos modos tertiæ conjugationis efferebant, ac ſi primæ eſſent, uti *Minuare* pro *Minuere*, atque uti Mutinenſes *Stergiare* ab *Extergere*, *Arraparſi* ab *Adrepere*: quod & ab ipſis Latinis factum animadvertit Salmaſius. Vide infra *Chiappare*. Igitur pro *Perangere* Majores noſtri dixiſſe videntur *Perangare*, deinde *Prancare*, poſtmodum denique *Brancare*, quemadmodum e *Peramare* nuper dixi enatum *Pramare* & *Bramare*. Inde & *Abbrancare*, & *Branca* manus, ſive rectius pes ferarum, & *Brancata* pro *Pugillo*. Ita ab *Artando* derivatum *Artiglio*, ſupra animadvertimus. Conjecturæ huic vim addere poteſt vox *Spranga*, Latine *Subſcus*, *Subſcudis*, ſignificans ligneum aut ferreum clathrum, ſive retinaculum, quo tabulæ, ac ſedilia inter ſe vinciuntur, uniuntur, & conſtringuntur. A *Perangare*, ut dixi, uſurpato pro *Perangere*, *Pranga* non immutato G. prodiit, cui additum fuit S. in principio, pro more multarum vocum Itali-

Italicæ Linguæ. Cur verò dicamus *Bran-na di porco*, *di fiera*, &c., & an alio quam *Branca*, *Manus*, translate tamen, appellentur, vel quod pendeant, aviumve animal velut complexum forma ſignificent, aliis inveſtigandum relinquo. A

Brando. *Enſis*. Aut a *Brano*, aut ab antiquo Gallico *Brand*, Menagius traxit hanc vocem. Ferrarius a *Vibrare*. Hicheſius e *Brandr*, Skaldica ſeu Cimbrica voce, ſignificante *Titionem*, *Tædam*, quaſi *Enſis commotus ſpeciem & igneum ſplendorem* referat. Et certe Germanis adhuc eſſe video *Brand*, *Incendium*, *Titio*. A vero minime abhorret, per metaphoram tranſlatum fuiſſe nomen iſtud ad *Gladium*. B Quærebat Gerardus Mejerus Bremenſis, quodnam genus armorum fuerit *Glævia*, Gallice *Glaive*. Alii *Lanceam*, alii *Gladium*, alii *Telum* putant. Sunt & qui hoc nomine deſignata arbitrantur quælibet arma cædentia. Is autem e Germanico *Glanz*, *Splendor*, enatam vocem opinatur. An recte, alii viderint. Addo, ſecundum Vocabularii Florentini Auctores *Brandire* nihil aliud eſſe, niſi *Vibrare*, exempli cauſa Enſem, Lanceam. Sed cur alii Italiæ Populi *Imbrandire* dicant, ſignificaturi *Arripere manu* Haſtam, Gladium, *lo Stocco* &c. nondum aſſequutus ſum. C

Brano. *Fruſtulum* rei alicujus, ac præſertim carnis, & panni. *Sbranare*, *Dilaniare*, *in fruſta Diſcerpere*. Menagius: *Viene forſe dal verbo Latino Laniare* &c. Quis credat? *O più toſto da Membrum*, *Membranum* &c. Verùm *Membrana*, quod membra tegat, dicta creditur. Huic quid rei eſt cum *Brano*? Cenſeo ego, e *Brandeum* antiquiſſima voce, cujus etiam meminit Sanctus Gregorius Magnus, ſignificante *Faſciam*, ſeu *Velum ſubtile*, ac raræ, ut puto, texturæ, enatum fuiſſe *Sbranare*; quaſi *Exbrandeare*, converſum poſtea in *Sbranare*, ſignificarit *Brandeum* diſcerpere, atque in plures particulas diſſecare. Animadvertendum quippe eſt, D ejuſmodi Vela, ſive Faſcias, *Brandea* appellata (de quibus multa habet Johannes Ferrandus e Societate Jeſu in Diſquiſitione Reliquiarum, & Du-Cangius in Gloſſario, ut alios omittam) particulas fuiſſe oblongas ex ampliore tela diſciſſas, aut Vittas ſeu Faſcias. Haſce novimus, poſtquam contigerant Sanctorum Sepulcra (& quod pluris fiebat, eorum Reliquias) Reliquiarum loco habitas, & fortaſſis in fruſta fuiſſe diviſas. Ut enim omnium devotioni fieret ſatis, ſacri viri *Brandea* in multas particulas peregrinis diſtribuendas conſcindebant; aut peregrini ipſi domum reverſi, eadem dividebant, conſulturi affinium & amicorum piis deſideriis. E *Exbrandeare* verò in *Exbranare* converſum fuit pro Neapolitanorum more, qui pro *Exbrandare* ſeu *Exbrandeare* dixerint *Exbrannare*, quemadmodum etiam *Bandum* & *Bannum* in uſu fuit. Tum *Exbrannare* evaſerit pro more Italicæ Linguæ in *Sbrannare*, quod Tuſci detracto uno *N.* dicunt *Sbranare*, ideſt *in fruſta diſcerpere*, *concidere*. Inde poſtea *Brano*, *Fruſtum carnis*, *panni*, aut alterius rei, ex integro antea corpore avulſæ. Et quia feræ in fruſta diſcerpunt corpora animalium, tranſlatum eſt & ad ipſas idem verbum. Animadverte etiam, Tuſcis eſſe diminutivum *Brandello*, ſignificans *Fruſtulum*, & *Brandellone* ingens *Fruſtum*: ita ut agnoſcere poſſis *Sbranare* & *Brano* in origine ſua e *Brandeum* emerſiſſe, ac *D.* poſtea excidiſſe. Ejuſdem quoque originis eſt *Sbrandellare*, quod nobis Mutinenſibus ſignificat *Mandare in pezzi*, ac dicitur de veſtibus.

Bravo. *Audax*, *Strenuus*, *Ferox*. Ex Græco Βραβεῖον, aut ex Latino *Pravus*, aut ex *Rabie* Caſeneus, Nicotius, aliique fruſtra deduxere. Multum heic exſpatiatur Menagius, a *Probus* denique, ſed minime felicius, originem vocis derivans. Hi utuntur Germani, Galli, Hiſpani, & Angli. In Italica Lingua multæ antiquitatis nequaquam videtur, quum apud neminem ex primis Scriptoribus occurrat. Malim ego illam credere propriam alicujus ex prælaudatis populis ultramontanis, ac inde in finitimos propagatam. Mathias Cramerus *Brav* ſeu *Braf*, uti primitivam Linguæ Germanicæ vocem recenſet. Schilterus quoque Celticam putat. Si id verum, ad hunc fontem reliqui biberint. Et quum ſit militaris appellatio, facile propterea de una in alteram gentem migraſſe potuerit. In Statutis Veronenſis Populi, Anno Chriſti MCCXXVIII. conditis, atque ab erudito amico meo Campagnola evulgatis Cap. 126. memoratos videas *Camphiones bravos & magiſtratos*, ideſt *Campioni bravi e ammaeſtrati*. Acta quoque publica Mutinenſis Reipublicæ ſcripta vidi Anno Ch. 1178. *Boſcheto*, *Lucio*, *& Bravo Conſulibus*. Ubi nomen proprium *Bravus* eſt.

Breccia. *Fractura murorum*. Recens apud nos militare vocabulum, & a Gallico *Breche* deſumtum. Ejuſdem originis tum *Breccia*, tum *Bricia*, ſeu *Briciolo*, quod nobis eſt *Mica*, ſeu *Fragmentum panis*, Menagius eſſe cenſuit. An verum ſit, experiamur. Extra controverſiam futurum eſt, effluxiſſe *Breccia* noſtrum, & *Breche* Gallicum a Germanico *Brechen*, ſignificante *Frangere*, *Diſrumpere*: quod Menagius minime advertit. Ex ipſo *Brechen* Teutonico Britanni *to Breach* accepere, aut ſaltem e Gallico *Breche*. *Bricia* verò Italicum, ideſt *Mica*, æque mihi certum eſt deſcendere e Gallico *Bris*, unde efformatum *Briſer*, *Frangere*; & *Debris*, *Res fracta*. Mutinenſes, & nonnulli Italiæ Populi *le Briſe del pane* appellant *Fragmenta* ſeu *Micas panis*, quas Germani dicunt *Broſen*. Pro *Briſa* Tuſci dicunt *Bricia*, cujus diminutivum *Briciolo*. Falſum autem puto, Gallicum *Briſer* e Græco Βρίζω manaſſe, quod nonnulli cenſuerunt. Nimis diſcrepat Græci verbi ſignificatio. Neque heic omittendum, ex ipſo Germanico *Brechen* *Frangere* enatum videri Italicum *Brocco*, ſignificans *Ramum fractum*. Mutinæ dicimus *un Brocco d'albero*, & *una Brocca* pro *fragmento Rami*. A *Brechen* deduxere & ipſi Germani *Brock & Brocken*, *Fragmentum* alicujus rei. Quare ultra limites excurrit confidentia Menagii, mirabili gradatione *Brocco*, & *Broccare* partu-

turientis : *Veru* , *Verucum* , *Berucum* , *Brucum* , *Brochum* . Plaudat qui poteſt . Rideat qui plaudere nequit . A *Brocco* & *Broccare* efformarunt Mutinenſes *Sbroccare* , ideſt *ramos avellere* ; quod ſane dicunt de pecoribus , jumentiſve , ac ceteris animalibus, qui frondes ramuſculoſque ex arboribus depaſcendo avellunt ; aut etiam translate dicunt de homine , qui panem aut edulia expedite ac celeriter comedit . A

Briccone . Contumelioſa vox, ad deſignandum hominem fœdis ac inhoneſtis moribus deformatum . De ejus origine nihil Menagio ſuccurrit . *Brica* pro *Briga*, inquit Du-Cangius in Gloſſario . *Hinc fortè noſtris Bricon* , & *Italis Briccone* pro *Impudente, & qui facile rixatur* . *Quaſi Briacone* , Udinus eſt opinatus , ideſt ebrietati deditum . Hæc omnia explodenda . En tibi certam vocis originem . Vocabulum *Bricco* Mutinenſibus , aliiſque Lombardiæ Populis in familiari uſu eſt ad ſignificandum *Arietem* , Tuſcis *Montone* . Inde *Briccone* , uti & alia ejuſmodi convicia , puta *Caprone* , *Pecorone* , *Civettone*, *Becco* , *Barbagianni*, *Oca*, *Aſino*, *Alocco*, *Porco* , *Merlotto* , *Cicalone* , atque alia id genus . Inde etiam *Bricconeria* . Unde verò nos *Bricco* acceperimus quis novit ? Non certe e Latino *Buricus* , ſignificante *equum puſillum* . Num a *Bicornis* , corrupte pronuntiato ? MACTET RENETENS AVRATA FRONTE BICORNIS , legitur in Inſcriptione apud Gruterum pag. 27. num. 4 E Linguis , quæ ante Latinam heic uſurpatæ ſunt , fortaſſis ad nos uſque venit , niſi quis recentiorem originem mihi oſtendat . Arabum Lingua habet *Baracon* , ſignificans *Arietem* . Sed vocabulum hoc vix in *Bricco* evaſiſſe potuerit . B C

Briga . *Contentio* , *Moleſtia* . Inde *Brigante* . A Latino-barbaro *Briga* , inquit Menagius , qui deinde ſubdit : *Non ſo d'onde venga il Latino-barbaro Briga* . Ita ille , & quidem cautius quàm Achariſius , qui ex *Trica* vocem hanc deduxit ; & Ferrarius , qui a *Preces* , *Preca* , *Briga* , reclamantibus quibuſque Etymologiæ legibus , ipſam traxit . Sincere fateor & ego , me irrito conatu in ejus originem hactenus inquiſiſſe . Attamen donec meliora adferant alii , leviſſimam quamdam conjecturam cur non innuam? Nata vox iſta videtur poſt Sæculum a Chriſto nato Decimum aut Undecimum . Neque enim antiquiora occurrunt exempla . Itaque perpendant Eruditi Lectores , num ex antiquo Germanico *Brichen* , ſignificante *Scindere* , an e *Barra* , ſignificante nunc nobis *Sbarra* , *Repagulum* , *Impedimentum* , effor mari potuerit *Briga* , hoc nimirum modo . Primo *Barricare* dixerint , tum *Bricare* , ac tamdem *Brigare* , unde *Briga* . In Charta Anni MCCVI. a Clariſs. P. Grandio in Epiſtola de Pandectis editâ habemus *Imbrigaſſe ſepe & foveâ viam* , *qua itur ad Leccios* . Sunt & alia apud Du-Cangium . Ita *Disbrigare* in Chartis Sæculi XII. & XIII. invenimus , quod & adhuc perdurat, nempe *Sbrigare* , in uſu Linguæ noſtræ . Hæc ſonant *Impedimentum Ponere* , ejuſque contrarium *Tollere* . Itaque *Briga* primo *Impedimentum* ſignificavit , ac deinde ad alias ſignificationes transferri potuit per Metaphoram . Certe *Embarras* Gallicum & *Embarraſſer* , & *Barricader* , ex *Barra* venerunt . An verò *Barricare* converti potuerit in *Bricare*, unde poſtea fluxerit *Brica* & *Briga* , id fateor incertum . Quod etiam tenebras auget , Tuſci veteres uſurparunt *Brigare* pro *Curare* , *Conari* , quod aliam originem indicare videtur . Sed fortaſſis *Brigare* dixerunt pro *Sbrigarſi* . D E

Briglia . *Frenum equorum* . Hariolantur heic mirum in modum Etymologiarum venatores , Latinorum , Græcorumque arcas ſtudioſe ſcrutantes , ut inde trahant hujus vocis primordia . Ferrarius aut a *Retinaculum* , aut ab *Habena* , aut a *Frenum* , ipſam prodiiſſe eſt opinatus . Mirum , quei in hominis docti mentem venerit, ex tam diſſimilibus , iiſque tribus, nominibus deduci potuiſſe iſtud . Menagius e Græco Ῥύω , ſignificante *Traho* , per familiares ſuas arbitrarias Metamorphoſes invitam vocem detorſit . Ego Germanicæ Linguæ filiam puto . *Brydle* fuit in uſu apud veteres Saxones . *Brittil* occurrit in antiquiſſima Pſalmorum verſione Notkeri . Franci in Galliam importarunt *Bride* ; & Anglo-Saxones in Britanniam *a Bridle* . A Germanis aut a Gallis Lombardi , ac præcipue Mutinenſes , accepere ſuum *Bria* pro *Brida* , quod Tuſci pro more noſtrum *IA* immutantes in *GLIA* , dixere *Briglia* .

Brio . *Animus* , *Fortitudo* , *Vivacitas* , *Vigor*. In officina Menagiana originem vocabuli nullo negotio reperias . Scilicet , is ait , a *Vis* , *Viris* , *Vires* , *Virium* , *Birium*, *Birio* , *Brio* manavit . Stupenda is narrat . Ad nos vox iſta veniſſe ex Hiſpania videtur . Et laudanda quidem mihi eſt conjectura Covaruviæ , illam deducentis e Græco Βριάω , *Robuſtum Reddo* , *Robore Polleo* . Unde etiam Βριαρὸς *Robuſtus* , *Validus* . Sed quum apud ipſos Græcos parùm uſitatum fuerit hoc verbum (exemplum enim dumtaxat e Carminibus Heſiodi adfertur) difficile credas , Hiſpanorum Populum ab iis hauſiſſe hanc vocem . Itaque adhuc quærendum eſt , num Arabes , aut Gothi eam invexiſſe potuerint . Cambrica gens , teſte Davieſio in Lexico Cambrico , *Animum* appellat *Bryd* .

Brocchiere . Scuti genus . Vide Diſſertationem XXVI. *de Militia* .

Broceo . Vide ſupra *Breccia* .

Brodo . *Jus carnium elixarum* . A Latino *Brodium* , cujus mentio eſt in Sermon. de Paſchate Sancti Gaudentii Sæculo Chriſti Quarto , inquit Menagius , Italicum *Brodo* deſcendit . Latinum verò *Brodium* e Græco Βλύδιον , cujus meminit Heſychius in Lexico . Mihi quidquid ex Heſychii Opere adfertur , ceteris antiquis Scriptoribus ignotum , recentis originis ſuſpicionem ingerit ; recentiores enim vetuſtis Lexicis multa addidiſſe perſuaſum habeo . Jam in ſuperiori Diſſertatione XXXII. Clariſſimi Galleardi conjecturam probavi, cenſentis, numquam Sancto Gaudentio excidiſſe Barbaricum illud *Brodo* , ſed alicujus Gloſſema irrepſiſſe in textum . Quam-

Quamobrem ne puta Latinæ originis *Brodium*. Sed quidem Gothicæ, ſive Septentrionalis. Et ſane Angli adhuc appellant *Broth* Jus Carnium. Hickeſius vero non monuit, hanc eſſe unam e Gothicis vocibus. Gallicum *Brout*, aut *Brouet* ex Italicorum diminutivo *Brodetto* deſumtum mihi creditur.

A

Brolo. Locus clauſus, arboribus conſitus. Vide Diſſertationem XXI *de Italiæ ſtatu*.

Bronzo. *Æs* (nobis *Rame*) *cum ſtanno mixtum*. Menagius duas nobis exhibet Etymologias, dum hanc vocem e *Cyprium Æs*, aut e *Venere*, per ſomniatas ſuas ſcalas educit. Ferrarius e Germanico *Ertz*, *quaſi æritium*, *ſive æritium*, aut *a colore prunorum*, *quaſi Prunitium*, trahebat. Verum nimis diſtat *Ertz* a *Bronzo*; neque color *Prunorum* quidquam ſimile habet, ut mihi videtur, cum *Bronzo*, *Ære*. Quare videndum, num potius e colore *Nigricanti*, quem *Bruno* e Germanica voce nos appellamus, inditum fuerit nomen illi Æris ſpeciei, quum revera colorem iſtum præferat. *Bruniæ* olim nuncupatæ Loricæ eâdem de cauſsâ. *Æs Brunitium* diminutivum pro *Æs Subnigricans* invaluiſſe videtur, deinde *Æs Bruntium*, & denique *Bronzo*. Mutinenſes per tranſlationem dicunt *Abronzito*, aut *ciera o faccia Bronzina*, vultum hominis ſignificantes ſubnigricantis coloris.

B

C

Brucare. *Frondes amputare*. Ita verbum hoc, nunc obſoletum, interpretantur Academici Cruſcani. Sed vereor, ut hæc ſit germana illius ſignificatio. Et ſane ſenſu diverſo adhibitum fuiſſe, exempla ibi congeſta oſtendunt. Nihil arduum Menagio. E *Lucare* (quod verbum ipſe, ut puto, e *Lucus*, auctoritate ſua confinxit) *Blucare*, *Brucare* traxit. Ferenda hæc minime ſunt. Quando revera *Brucare* ſignificarit *Frondare*, ex Lombardico *Sbroccare* veri ſimilius Florentini effeciſſent *Brucare*, uti e *Sbrollare* traxerunt *Brollo*, quam vocem infra vide. Nobis *Brocche* appellantur *Frondes ſeu Rami ex arbore excisi*. Inde *Sbroccare*, ſignificans, ut ſupra monui, *Ramos amputare* ſive abſtrahere ex arbore. Vide ſupra ad vocem *Broccia*, ubi de hoc ipſo verbo ſermo fuit.

D

Brughiera. *Terra inculta*, *ſentibus*, *ac humilibus plantis infrugiferis horrida*. Ex Gallia in Lombardiam nomen migravit; & plura ejuſmodi loca in Mediolanenſi agro vidi, quæ incolis appellantur *Brughere*. Non a *Bruchis*, ſed a Gallico nomine *Bryere*, quæ eſt *Erica*, frutex ſylveſtris, nomen proceſſit, quum crebrius ibi hæc planta creſcat quàm reliquæ. Fureterius tamen enatam vocem cenſuit ab antiqua Gallica voce *Bruir*, ſive *Brouir*, quæ comburere ſignificabat, quia *le Brughiere*, ut ad culturam componantur, antea ſuccenduntur. *Bruera* & *Bruarium* eodem ſenſu occurrit in antiquis Anglorum monumentis.

E

Brullo. *Spoliatus*. Benevenuto etiam Imolenſi teſte in Commentariis MStis ad Comœdiam Dantis, ſignificat *Pauperatum*, *Nudatum*. Originem vocis ſe minime aſſequutum fatetur Menagius. Dubitantis tantùm ſpecie ait: *Forſe per Brulato*. Sed alia eſt ſignificatio vocis *Brullo*. Conjecturam accipe meam, ſeu potius certam vocis hujus originem. Mutinenſes non *Brullo* ajunt, ſed *Sbrello*, & *Sbrellare*, pro *Nudare ſubſtantiis*, *veſtibus* &c. Hæc autem Mutinenſium vox mihi creditur non aliunde nata, niſi e *Perula*, ſive *Pera* peregrinantium. Fortaſſe miraris. At celebris olim ritus fuit ſacras peregrinationes ineuntium, *Peram* aſſumere (nunc *Biſaccia*, *Taſca*, *Saccoccia*, *Scarſella*) & *Baculum*, poſtea appellatum *il Bordone*, non quod loco *Burdonis*, ſive jumenti, peregrinantibus eſſet, ſed a Germanico *Bort*, ſignificante *Suſtentaculum*, *Fulcrum*. Mutinenſes adhuc vocabulum retinent *Bordonale*, quo denotant *Trabes*, quibus domorum tecta tum ſuperiora tum interiora ſuſtentantur. E *Bort* efformatum *Bortone*, quod mollius pronuntiatum evaſit *Bordone*, & inde *Bordonale*. Aſſumebatur autem *Pera* ex ſacro Altari per manus Sacerdotis, atque ab ipſo benedicta. Paſſavantus, vetuſtus Italicæ Linguæ Scriptor, in Speculo Pœnitentiali ait: *Preſono il Bordone, e la Scarſella, come è uſanza, dal proprio Prete*. Vide apud Martene Tom. 3. Lib. 2. Cap. 23. de Antiq. Eccleſ. Ritib. *Ordinem ad benedicendum Baculum & Peram peregrinorum*. Reges ipſi peregrinationem ſacram inituri, *Peram* & *Baculum* ſolenni eâ ratione ſuſcipiebant, uti oſtendit Du-Cangius ad Joinvillam Diſſertation. XV. Teſte Monacho Engoliſmenſi in Vita Caroli Magni Auguſti Cap. 24. compoſitum fuit inclyti Principis cadaver, *& ſuper veſtimentis Imperialibus Pera Peregrinalis poſita eſt*, *quam Romæ portare ſolitus erat*. Pariterque Leo IX Papa Romam profectus eſt, *aſſumtâ Perâ ſicut peregrinus*. Nempe in *Pera* deferebatur pecunia, atque interdum eſca, viatori neceſſaria. Antiquitatis ejuſmodi uſum habes in Evangelio, ubi Chriſtus Diſcipulos monet, ut ſine *Baculo*, & ſine *Perâ* ſe viæ committant. Itaque, ſi quando Peregrini incidebant in latrones (idque non raro contingebat) non Baculo, ſed *Perâ* ſive *Perulâ* ſpoliabantur, ad quam ii potiſſimùm inhiabant. Hinc *Experulare*, *Spoliare*, quod poſtea pro more *Exprulare* dictum, in *Sbrollare* demum evaſit, uti factum vidimus in *Bramire* ex *Peramare*, in *Bruſire* ex *Peruſſare*, in *Brancare* e *Peraingare*. Inde *Sbrollo Spoliatus*, *Nudatus*. Florentini *Sbrollo* in *Brullo* immutarunt.

Bruſco, *Bruſcolo*. Vox Florentinorum *Fragmentum* leviſſimum ligni, aut paleæ. *Può derivare da Fruſtum*, *Fruſtulum*, aut a *Boſco*, inquit Menagius. Ac tamdem ait: *Ma credo*, *derivi da Feſtuca*, *Fiſtuca*, *Fuſtuca*, *Fuſca*, *Vuſca*, *Buſca*, *Buſcum*, *Bruſcum*, *Bruſco*. Poſtremam hanc derivationem vereor, ne quiſquam concoquat. Nihil ego habeo heic animadvertendum, niſi appellari a Mutinenſibus *Fruſcole* fruſtula illa, quæ fabri lignarii in expoliendo ligno educunt dolabrâ ſive runcinâ, quam Florentini *Pialla*, nos verò *Piolla* appellamus. Tranſlata vox fuit ad reliqua ligni minuta ſegmenta. An verò *Fruſcola* noſtrum e *Fruſtulum* deſcenderit, & an Tuſci *Fruſcola* in *Bruſcolo* converterint, quiſnam, rogo, rite decernat?

Brut-

Brutto . *Deformis* . Recte nos docet Menagius e *Bruttare* , ſignificante *Inquinare* , *Inficere* , enatum eſſe *Brutto* . Tum is *Bruttare* deducit e *Brutia* : ita nempe teſte Plinio appellata *Pix*, quod in inferiori Calabria omnium optima colligatur . Videlicet *Brutiare* fuerit *Inquinare tamquam Pice Brutia* , atque inde natum *Bruttare* . Nemo credat . Numquam enim ſolo *Brutiæ* nomine deſignata fuit *Pix* . Erat *Pix Brutia* ſpecies Picis, neque indefinite quiſquam dicebat *Brutia*, ſed *Pix* addebatur. Achariſius , Caninius , & alii , a *Brutus* : Corbinellius ab *Imbrattare* : Ferrarius ab *Impurus* & *Impuritare* hanc vocem traxerunt. Somniis hiſce cur & meum adjungere non liceat ? E *Peramare Bramare* , ex *Peruſſare Bruſare* , *Bruciare* , nata vidimus. Num ergo ex *Perunctus* ſenſim efformatum *Brutto* ? Voce videlicet deſumtâ e popularibus Mimis ſive Hiſtrionibus , qui , uti Horatius monet ,

Peruncti fæcibus ora ,

Popellum cantilenis, geſtibuſque ſuis oblectabant ? Inde *Perunctare* , ac ſublato N. *Bruttare* tamdem evaſiſſet , pro *Conſpurcare* , *Fœdare* , *Inquinare* . Sed fortaſſe ne una quidem ex hiſce conjecturis rem hactenus attigit . Apud Schilterum inter veteres Germaniæ voces eſt *Brutten*, *Conturbare* : & *Vuintes Bruti* apud Otfridum antiquiſſimum Germaniæ Poëtam , ideſt *Venti terribiles* , *turbinoſi* .

Buca . Vide infra *Bugio* .

Bucato . *Purgamentum pannorum* lineorum per lixivium . Primo videtur dictum , *Mettere i panni in Bucato* , ideſt *nel Vaſo Bucato* , qualia ſane ſunt vaſa ad id negotii uſurpata , atque a ceteris diverſa. Deinde ipſi panni appellati fuere *il Bucato* , & *panni di Bucato* . Etymon hoc indicavit noſter Alexander Taſſonius , celebris Mutinenſium Scriptor. Attamen animadvertas velim, Mathiâ Cramero teſte, Germanicæ Linguæ eſſe *Bauchen* , ſignificans *fare il Bucato* . Inde confectum videtur *Bocato* , *Bucato* . Ita & apud Schilterum antiqui Germani dixere *Buchen* pro *Lavare*, quod in Linguam Italicam inflexum dat *Bucare*, & inde *Bucato* .

Bucinare . *Clam & caute rumores ſpargere* . *Suſſurrare* . Interdum quoque *Buzzicare* Florentini dixerunt . Sed prior vox uſitatior , pro qua Mutinenſes dicunt *Buſinare*. A *Buccinum* Menagius traxit , aut a *Vox*, *Vocis*, *Vocare* , *Vocicare* , *Bocicare* , *Buzzicare* . Tum his verbis orationem claudit : *Viene ſicuro da Buccinum* . Mihi ignota vox eſt *Buccinum* . Novi quidem *Buccinam* & *Buccinare* Latinorum , ſignificans *Sonare la Tromba* : at hoc contrarium eſt ſignificationi Italici verbi *Bucinare* & Mutinenſis *Buſinare*. Itaque verbum hoc natum opinor aut e *Bocchina*, aut potius e *Vocina* , diminutivis vocabulorum *Bocca* & *Voce* . Nam qui alteri in aurem inſuſurrat rumores, ſubmiſsâ ac tenui voce utitur , neque patulo , ſed anguſto ore loquitur . Mutinenſium *Buſinare* crederet aliquis e *Buſino* profectum , quo nomine nos ſignificamus un *Buco picciolo* , quaſi ſuſurrones per *Foramen exiguum* ſuas cogitationes aliis inſufflent . At mihi potius videtur, Tuſcorum *Bucinare* a nobis immutatum in *Buſinare* . Apud eoſdem Tuſcos in uſu eſt etiam *Vocina*, & *Boce* pro *Voce*.

Buffare . *Inſufflare* , *Flare* , *Inflare*. Si fidem habere Menagio volumus, Latinum *Bucca* in *Buffa* converſum fuit ; atque inde enatum *Buffare* ; immo & *Beffa* , ac inſuper *Buffetto*, ſignificans ut ipſe putat *Armario, o Credenza* ; propotereaque *Pan Buffetto* : *Buffone* : *Buffera* ; & quid non ? At ubi primam metamorphoſim neges , omnia corruunt . Videndum potius , an a figura aut ſono oris , quum inſufflamus , oriri potuerit *Buff* , quod adhuc uſurpamus (Anglica & Germanica Lingua *Puff* pronuntiant) & inde poſtea *Buffare* , & *Bufera* ventus . Ejuſmodi eſt & apud Latinos *Sibilare* , *Mugire* , *Rugire* , aliaque permulta a ſono . Nos quoque habemus *Abbajare* , *Aizzare* , *Bisbigliare* , *Frullare* , *Tartagliare* , *Cricch* , *Ciocch* , aliaſque voces e ſono enatas . Vide infra *Fiſchiare* .

Bugia . *Mendacium* . Caninius a *Budia* Syriaco ; Ferrarius a *Futilis* Latino deduxere . Ambo ſane infeliciter . Menagius fatetur ſibi fruſtra quæſitam vocis originem . Si non certa, veri ſaltem ſimillima opinio mihi inſedit , Germanicum vocabulum *Boſs* fontem eſſe , unde Italicum *Bugia* manarit . Scilicet *Boſs* Germanis eſt *Burla* , *Scherzo* , *Baja* , *Facezia* , & horum ſimilia, quæ *Jocum* ſignificant. Nunc *Boſſen* ii dicunt , ſed vox primitiva *Boſs* eſt , uti Cramerus animadvertit . *Joco loqui* , ſive ut Germani dicunt *Reden zum Boſs* , aut *Boſſen* , idem eſt ac *Parlare da burla, dire una favola*. *Non loqui verum*. Et ſane pleraque Jocorum Mendacii genus quoddam in hominum commercio continent , a quo Mendacii genere culpa abeſſe poteſt , quemadmodum Sanctus Auguſtinus in Libro de Mendacio oſtendit . Itali ergo Mendacium jocoſum *Boſs* appellare cœperunt , ac deinde ad quodlibet Mendacium tranſtulere vocabulum, efformata voce *Boſia* & *Buſia* , quam Lombardi adhuc retinent . Propius etiam ad originem illius vocis accedunt Neapolitani, dicendo *Boſsia* . Tuſci pro more ſuo in *Bugia* convertunt . Eſt & *Bos* eiſdem Germanis , ſignificans *Malus* , *Improbus* , *Perverſus* , *Fraudulentus* : inter quod vocabulum & Lombardicum *Boſia* vel *Buſia* , quantum affinitatis intercedat , nemo non ſentit , ita ut hinc etiam Italica vox prodiiſſe potuerit . Et olim quidem *Bos* ſignificaſſe videtur un *Bugiardo* , *un Mentitore*. Ratherius Sæculo Chriſti Decimo, Veronenſis Epiſcopus in Opuſcul. Qualit. Conject. inquit : *Non habeo fidum* , *cui hoc committam miniſterium* ; *ſiquidem illum* , *cui unam libram argenti pro trabibus emendis commiſeram anno præterito* ; *immaniter inde mihi Bauſiaſſe percepi*. Et in altero Opuſculo de Contemtu Can. Part. I. ait : *Fraudulentus adeo eſt* , *ut Bauſiator vulgo* dicatur . Nihil aliud eſt *Bauſiator* , & *Bauſiare* , hoc eſt *Boſiare* & *Boſiator* , ut alii ajebant , niſi qui *Mentitur* , *& Fraudem facit* , *Bugiardo*, *e che dice Bugie* .

Bugio . *Perforatus* , *Vacuus* . Menagius vo-

culum *Buis*, ſignificans *Scrobem*, *Foveam* e Latino *Buca* deduxit, atque inde prodiiſſe putat *Bugio*, & *Buco*, *Foramen*. Habent illic ſuum Etymon. Nos *Buca* pro *Bucca* retinemus. Neque *Buſa* exprimat, quod per *Buſo* nos ſignificamus. Mihi adhuc ignota eſt vocis origo, niſi quod obverſatur menti meæ dubitatio aliqua, num e Germanico *Bus* vel *Buſs*, unde *Bugio* enatum mihi viſum fuit, uti in præcedenti voce dixi, emerſiſſe potuerit *Buſa*, *Buſo*, *Bugio*. Animadvertendum quippe eſt, in Lombardia noſtra dialecto pronuntiari *una Buſa*, *un Buſo*, *un legno Buſo*. Ad vocem *Burlare* infra videbimus, antiquorum morem fuiſſe, paratis Foveis, quas *Buſe* nuncupamus, decipere feras, immo & ipſos homines. Atqui *Bauſiator*, idem atque *Beſiator*, *Buſiator*, *Fraudulentum* ſonabat olim, ut mox ante innui. Ac proinde *fare una Buſa ad alcuno*, fortaſſe dictum fuerit, pro *alicui Fraudem facere*. Et inde poſtea invaluerit *Buſo* pro *loco Vacuo*. Longe petitum video hoc Etymon; ſed meliora proferant eruditi Germani, quibus eorum Lingua vetus perſpectior quam mihi. Facile enim mihi accidat in Germanicis vocibus, quod Germanis interdum accidere video in pertractandis Italicis. Celeberrimus Leibnitius in Epiſtola ad Majerum originem vocis *Archibugio* quærebat. *Archebuſſe* Germani appellant, nomen ab Italis mutuati. Nulla dubitatio eſt, quin prima pars nominis ſit ab *Arcubus*, quorum loco ſucceſſere *Archibugi*. *Buſſe vero*, inquit Leibnitius, *eſt nomen generaliſſimum, notans quodlibet Vaſculum, quamlibet Pixidem, quia formatur ex Buskbomholt*. Indicare vult Leibnitius Italicam vocem *Boſſolo*, Mutinenſibus *Buſſolo*, *Buſſola*. Sed nihil rei eſt *Buxo*, *Vaſculis*, & *Pixidi*, cum Italico *Bugio*, ſeu Lombardico *Buſo*. Hoc ſignificat nobis aliquid *perforatum*, atque *intus vacuum*, qualia ſunt *Archibugi*, videlicet cannæ ferreæ intus vacuæ, ſive evacuatæ, quæ propterea ex *Arco* & *Bugio*, ſive *Buſo*, nomen accepere.

Buio. *Obſcurus*, *Tenebroſus*. Hujus vocis adhuc incerta origo eſt. Fruſtra Caſtelvetrus noſter *Pullus* immutatum cenſet in *Buio*. Ridendus Pergaminus, qui ex Hebraico *Bohu* illam derivat. Neque a *Furvus*, ut Gujetus eſt opinatus, quiſquam eam deducat. Caninius verò, & Monoſinius a *Burrus*, ſeu a Græco Πυῤῥὸς ipſam traxere: iiſque ſubſcribens intrepide Menagius ait: *Ne viene ſicuro*. At apud veteres *Byrrus*, ſeu *Burrus*, ſignificavit non nigrum, ſed *Rufum*, ſeu *Ruſſum colorem*, Feſto & Iſidoro teſtibus. Et in Regula Templariorum Cap. XX legimus: *Veſtimenta unius coloris eſſe jubemus, verbi gratiâ, Alba, Nigra, vel etiam Burella*. Neque deſcendit *Buio* a Græca voce Φαιὸς, ut Ferrarius ſuſpicabatur; nam is etiam eſt color inter Album & Nigrum. Illud certum mihi videtur, non *Buio*, ſed *Buro* fuiſſe primitivam vocis hujus pronuntiationem. Adhuc Bononienſes, Mutinenſes, aliique Populi *Buro* pronuntiant. Immo & ipſi Florentini *Buro* olim dixere, uti apud eumdem Menagium exempla a Redio congeſta docent. Sed ii converterunt *Buro* in *Buio*, quo more etiam tot alias voces in *Aio* efferunt, dum apud reliquos Italiæ Populos in *Aro* deſinunt, puta *Gennaro*, *Febraro*, *Macellaro &c.* Tuſcis *Gennaio*, *Febbraio*, *Macellaio &c.* Itaque perpendendum, num *Buro* deſcendiſſe potuerit ex Hebraico *Bor*, aut e Græco Βόθρος, ſignificantibus locum *concavum*, *obſcurum*, *tenebroſum &c.* de quo infra ad vocem *Burrone*, & *Burlare*.

Bulo, idem quod *Smargiaſſo*, & *Sgherro*. *Thraſo*, *Satelles*. Lombardica vox eſt. Ejus origo Germanica mihi creditur, hoc eſt e *Bul*, *Buhl*, & *Buhler*, ſignificante *Drudo*, *Amante*, *Bertone*. Ita primo appellati meretricum Amaſii, ſeu Satellites: tum quicumque *Thraſonem* agunt, ſive *fanno il Bravo*. Anglis quoque *Bully* ſignificat *un falſo Bravo*.

Buraſca, ſeu *Burraſca*. *Tempeſtas*, *Procella maris*. Hanc vocem a *Buffa*, *Buſera*, *Buſeraſca*, *Buraſca* enatam putavit Menagius. Ferrarius a *Borra*, ſive a *Boreas*, ſive a *Bullitione maris*. Neutri adhærendum cenſeo. Nimis enim diſtat literarum ſtructura in *Buffa* a *Burraſca*, & *Bullitio*. Neque tantùm *Boreas*, ſed & alii venti mare conturbant, ac procellas in æquore excitant. Non aliunde profecta mihi creditur *Buraſca*, niſi a *Buro*, quo nomine nos Lombardi appellamus *tempus tenebroſum* ac *nubilum*, ſive locum quempiam *obſcurum*, Tuſci verò dicunt *Buio*. Procelloſum mare fere ſemper ſub obſcuro cælo furit, ipſaque ejus ſuperficies veluti nigreſcit. Vide ſupra *Buio*.

Burella. Si Auctoribus Vocabularii *della Cruſca* credimus, eſt *una ſpecie di prigione*, *e forſe quella*, *che oggi diciam ſegreta*. Per translationem ita appellatus eſt carcer aliquis profundus & tenebricoſus. Ceterum *Burella* ſignificat proprie *Foveam*. Vide ſubſequens verbum *Burlare*, & infra vocem *Burrone*.

Burlare. *Fallere*, *Deludere*. A *Burra*, *nel ſignificato di Quiſquiliæ, cioè coſe da niente*, opinatur Menagius deducendam vocem *Burla*. A *Pila* Ferrarius. Neutrum probes. Certam vocis originem detexiſſe mihi videor. Nimirum a *Burrella*, ſive *Borrella*, ſignificante nobis Lombardis *Foveam*, ſive *locum in terra cavatum*, vox deſumta fuit, ut eſſet primo *Burrellare*, tum *Burlare*. Vulpes, Lupos, aliave animalia rapacia capturi homines, *Foveam* humi cavabant, & levi ſuperinducto tegmine, aut mobili tabulâ ſuperimpoſita, in eam impellebant feras. *Foveæ quibus feras venamur*, Plinio memorantur Lib. X. Cap. 38. Eſt & apud Plautum in Pœnulo Act. I. Scen. 2. *Depicere Foveá*. Hinc *Burrellare*, pro *Decipere*, translatum ad alias ſignificationes affines. Ita dicimus *Ucellare altrui*, *Trappolare altrui*. Neque tantùm feris, ſed & hominibus olim decipulæ ejuſmodi poſitæ. Habemus in Pſalmo LVI. verſ. 5. *Laqueum paraverunt pedibus meis. Foderunt Foveam ante faciem meam, & inciderunt in eam*. Vide & Iſaïæ Cap. XXIV. verſ. 17. & in aliis Scripturarum lociseamdem phraſim. Porro confirmatur origo vocis *Burlare* a

Bur-

A *Burrella*. Nam & nos Mutinenſes dicimus *Sburlare gli occhi*, pro *Exburrellare*, hoc eſt, e *Burrella*, ſeu cavitate oculos fere educere, ut intentiſſime aliquid ſpectemus. Ita Mediolanenſes habent *Burlar giò*, pro incaute *Cadere*, ad inſtar eorum, qui in foveam decepti cadunt. Gallis *Trape* idem eſt ac *Burrella*, & *Atraper* eſt capere feram in fovea, quam mobilis tabula inſidioſe tegit. *Attrappolar* nos Mutinenſes dicimus. Vide Diſſertationem XXVI. *de Militia*, & infra vide vocabulum *Trappola*. Hiſce adde & Paullum Diaconum Lib. 4. Cap. 46. de Geſtis Langobardorum, hæc de Sclavis Beneventanam regionem affligentibus ſcribentem: B *Qui occultas Foveas circa ſua caſtra facientes, quum Ajo Beneventi Dux ſuper eos veniſſet, eoſque debellare vellet, equus ejus in unam de eisdem Foveis cecidit, atque irruentibus ſuper eum Sclavis, extinctus eſt*. Ita in Lege 310. Rotharis Langobardorum Regis, *ſi quis foſſatum occulte cooperuit*, unde alieno equo aut pecori damnum contingat, illi pœna indicitur, *qui occulte fecit*. Conſtat etiam ex Paralipomenis Anonymi Salernitani Cap. 57. Part. II. Tomi II. Rer. Italicarum, Chriſtianorum plurimos captos & necatos fuiſſe *occultis in Foveis*, quas Saraceni paraverant. Cadaloo quoque Antipapæ *Foveam in* C *Strata Motinenſi* ſtruxit Beatrix Duciſſa Tuſciæ, Donizone teſte in Vita Mathildis. Ejuſmodi Fovearum in obſidione Cremæ Anno MCLIX. mentio eſt apud Radevicum Lib. 2. Cap. 57. de Geſtis Friderici I. Vide & eis callide uſum Rogerium de Lauria Anno MCCLXXXV. adversùs Gallos in Catalonia, teſte Nicolao Speciali Lib. 2. Cap. 4. Hiſtor. Sicul. Tomo X. Rer. Italicarum. Hæc germana mihi videtur origo verbi Italici *Burlare*. Unde verò *Burella*, *Burrella*, ſeu *Borrella* deſcenderit, vide infra in vocabulo *Burrone*. Ceterum nedum Mutinenſium pueris, ſed & Regienſium, Parmenſium, D Bononienſium, aliorumque Populorum adoleſcentibus adhuc in uſu eſt infantilis Ludus *Burellæ*, ſeu il *Giuoco della Borrella*, ſic appellatus ab exiguâ foveâ, hoc eſt *Borrella*, in ſolo cavatâ, in quam quidem ſolatii, jocique cauſsâ, interpoſito quorumdam paſſuum ſpatio, manibus immittere & jactare ſolent nuces, nucleoſque pomorum Perſicorum.

Burro. Ita a Florentinis appellatur *Butyrum*. Quantum ii a prima voce receſſerint, animadverte. Nempe, ut opinor *Butyrum* converterunt in *Butrum*, *Butro*, *Burro*, aut a Gallis accepere *Beurre*. Nos Lombardi adhuc dicimus *Butiro*, & *Butero*, E & *Botero*. Germani quoque & Angli, *Butter* retinent.

Burrone. *Locus aſper & profundus* ſub rupibus. Ita Academici Cruſcani in Vocabulario. Etiam *Borro*, teſtibus ipſis *locum præruptum* ſignificat, per quem defluit aqua. Menagius originis diverſæ arbitratur *Borro*, & *Burrone*. Hoc a *Burrus* Latino vocabulo (quod tamen ille ſibi finxit) ſignificante *Cirratus*, *Criſpatus*, *Hiſpidus*, derivat. At *Borro* e Græco Βίρος deducit, ſignificante *Rivus in prælo*. Ego & hanc vocem eâ ſignificatione adhibitam ſuſpicor confictam, aut ſaltem dubiam. Nullum proinde ex hiſce Etymis probandum videtur. Mutinenſium Dialectum audi. Nobis appellatur *Budrione* quæcumque vorago, cavitas, ſeu fovea profunda tam in planitie quam in montibus, immo & inter ipſas domos. Et nullus dubito, quin idem ſit atque Tuſcorum *Burrone*, quam vocem potuiſſent illi accuratius definire. Atqui Mutinenſes *Budrione* procul dubio a Græcis accepere, apud quos Βόθρειον ſignificat *Foveam*, *Scrobem*, *Cavitatem*. Græcis quoque eſt Βόθρος, itidem ſignificans *Foveam*, *Scrobem*, *Cavitatem profundiorem in terra aut lapide*. Inde *Borro* enatum credo: neque enim ut *Borro* appelletur, neceſſe eſt, ut per illud aqua defluat. Nuper vidimus, *Burlare* efformatum e *Burrella* ſeu *Borrella*, ideſt *Fovea*. Nunc habes originem vocis ipſius *Burrella*: diminutivum nempe eſt, deſcendens e *Borro*, & ſignificans *parvam Scrobem*. Neque tantùm Græcia heic nobis ſuppeditat Βόθρος, & Βόθρειον, *Foveam* ſignificantia; ſed & Hebraica Lingua *Bor* habet, idem ſignificans; ita ut recte etiam ex hoc fonte deduci poſſit *Borro*, *Burrone*, *Burrella*. Præterea Italicæ Linguæ eſt *Burrana*, quo nomine deſignamus locum infimum, in quem defluunt aquæ. Celebre eſt ejuſmodi vocabuli receptaculum in Ferrarienſi agro, quo confluunt aquæ e Mantuano, Mutinenſi, ac Regienſi. Boccaccius in Fabula Secunda Diei Octavi ait: *Corre l'Acqua alla Borrana*. Vereor, ut Auctores Florentini Vocabularii recte interpretati heic fuerint vocem *Borrana*, quam putarunt herbam *Borraggine*. In textu Boccaccii non continuo ſequitur: *E fa tremar la foglia*, ut ii ſcribunt. Quare arbitrandi locus eſt, *Borrana* ibi quoque locum deſignare concavum, quo ſeſe recipiunt aquæ.

Buſſe. *Verbera*. Menagius a *Pulſare* natum *Buſſare*, ac inde *Buſſe* putavit. Non repugno. Additum tamen volo, antiquiſſimam vocem Germanicæ Linguæ eſſe *Buſſe*, qua ſignificatur *Pænitentia*, *Mulcta*, *Pœna*: & *Buſſen*, *Pœnitentiam agere*, *dare Pœnas*, quod præcipue a Pœnitentibus fiebat aut Pſalmorum recitatione, aut Flagellorum uſu. Hinc Germanis *Buſſ-tag*, *Pœnitentiæ dies*: *Buſſ-kleid*, *Cilicium*: *Buſſ-Pſalmen*, *Pœnitentiæ Pſalmis peracta*, ac alia multa. Quare ſuſpicio ſuboriri poſſet, illinc ad nos deſcendiſſe *Buſſe* & *Buſſare*, ſignificans nunc tantummodo *Pulſare* & *Verberare*.

C

Cacciare. *Venari*. *Caccia*. *Venatio*. Aſſentiri non poſſum Menagio, vocem hanc a Latino *Capto*, aut *Capio* derivanti. Non eſt hæc prima ac germana illius ſignificatio. Nihil aliud primo fuit *Cacciare* niſi *Perſequi*, *Expellere*, *Depellere*, *Fugare*: eoque ſenſu adhibetur ab Italis. Nos *Scacciare*, *Diſcacciare*, *Cacciare* dicimus, & nobis *Dar la Caccia*, idem eſt atque *in Fugam Agere*. Ita Galli ſuum *Chaſſer*, & *Donner la Chaſſe*, uti & Angli *to Chaſe* uſurpant. Ad Venatores deinde tranſlata vox *Cacciare*, ſubintelligendo *feras*, pro *Fugare*, *Educere de latebris*, *Perſequi feras*.

rer. In Vita Sanctæ Gudilæ ad diem VIII Januarii apud Bollandum Cap. 8. *Rex* [illegible] *Regia more* [illegible] *per* [illegible] *ſerat e ſuis ſaltibus*. En germanam vocis *Caviare* ſignificationem. Non igitur a *Capio* aut *Capto* *Caviare* manavit, ſed illud aut ex aliqua Septentrionalium Linguarum, aut ex vetuſtiſſima Gallorum Lingua, vox ſuperſtes dicenda eſt. *Caviare porcos & feramina* legitur in Capitulari Caroli Calvi Regis Franciæ, Sæculo Chriſti Nono. Ex *Caviare* efformavimus per tranſlationem *Procacciare*.

Cagionevole. *Valetudinarius*, idest *Valetudine parum firma utens*. *Cauſarios* id hominum genus appellarunt Latini. Quare uti Lingua Tuſcorum *Cagione* dicit pro *Cauſa* (quamquam *Cagione* ab *Occaſione* prodierit) ita pro *Cauſarius* efformavit *Cagionevole*. At vox iſta in uſu tantummodo Scriptorum eſt, non autem Vulgi.

Cagliare. *Labaſcere*; ita interpretantur Academici Cruſcani. A Græco, Χαλᾶν, ſignificante *Dimittere*, *Relaxare*, deducit hanc vocem Menagius. Atqui nos *Calare* inde traximus: quei ergo & *Cagliare*? Carolus Datus a *Coagulare*, unde *Quagliare*, *Cagliare*, derivavit, metaphorâ a lacte deductâ, quod fluere deſinit: ſed audax tranſlatio videatur. Mihi potius creditur, rectà ab nos veniſſe hoc verbum ex Hiſpanico *Callar*, quod *Obmuteſcere* ſignificat. Nam inter litigantes, aut jurgiis contendentes, qui primus obmuteſcit, cedit. An verò *Callar* Hiſpanicum e Græco Χαλᾶν deſcenderit, incertum puto. Nemo ex antiquis Linguæ noſtræ Scriptoribus verbum hoc uſurpavit. In ore Italicorum ipſum invaluit, poſtquam Hiſpani dominari heic cœperunt.

Calafatare. *Pice illinere Naves*. Vox inſalutata Menagio. Gallis *Calfeutrer* & *Calfater*, Hiſpanis *Calafatear*. Ejus Origo aut Græca, aut Arabica. Linguæ enim Arabicæ eſt *Qalafa*, ſive *Calafa*, quod verbum Gollius & Giggeus ita explicant: *Fibris palmæ, vel muſci comâ tabularum commiſſuras infarciendo, & obducendo picem, ſtipare Navim*. Græcis medii ævi eadem vox fuit, nempe Καλαφατεῖν. Vide Du-Cangium in Gloſſario Græco. Falli puto Covaruviam & Fureterium, qui ex Hebraico *Cephar* efformatum *Calafatare* cenſuerunt.

Calare. Varias ſignificationes habet. Pro *Demittere*, *Laxare*, omnino veriſimilis eſt Monoſinii, aliorumque ſententia, deducentium hanc vocem a Græco Χαλάω, quod idem ſignificat. At quum *Decreſcere*, *Imminui* ſignificet, Arabicæ originis fortaſſis eſt: nam a Populo illo dicitur *Kalla* pro *Defecit*, *Caruit*, *Deſtituit*, Gollio teſte. Itemque *Challa*, *Diminutum*, *Extenuatum fuit*. In commercio cum Arabibus, quum de pondere auri, aliarumve mercium ageretur, ſæpe ex Arabum ore exaudita fuerit vox *Challa*, eamque Itali arripuiſſe potuerunt. An verò & ii a Græcis hanc vocem fuerint mutuati, latet.

Caleſſe. Vehiculi genus. Vocem accepimus aut a Germanis, quibus eſt *Kaleſch*, aut a Gallis, quibus *Caleche*. Ita e Germania ad nos venit *una Sedia Rollante*.

Calibro. Menſuræ ſpecies apud tormentorum bellicorum Artifices. Fortaſſis ab *Æquilibrium* derivata vox fuit. Herbelotius tamen eam ab Arabico deſcendiſſe opinatus eſt.

Calma. *Tranquillitas Maris*. E Græco Μαλακία vocabulum hoc traxit Menagius, hacce via: *Malacia*, *Calamia*, *Calmia*, *Calma*. Pæne incredibilem quiſque agnoſcet metamorphoſin. Mihi veri videtur ſimilius, ne dicam certum, e Græco Καῦμα, ſignificante *Æſtum*, & *Calorem* nimium, efformatum ab Italis fuiſſe *Calma*. Nam *AU*. Majores noſtri interdum efferebant per *AL*. ut infra ad vocem *Scaltrito* oſtendam. Ita Græcorum Σαγμα *Sagma* Latino-Barbari converterunt in *Sauma*, & noſtri inde efformarunt *Salma*, nunc *Soma*. Cur Græcorum Καῦμα, *Cauma*, ab Italis adhibitum fuerit ad ſignificandam *Malaciam*, ea cauſſa fuit, quod qui mare, velis præcipue utentes, peragrant, ſi nullo flante vento nullus eſt in pelago motus, Æſtu perquam moleſto tunc divexantur. Atque inde Mutinenſium aliorumque Lombardorum, *Scalmana* proceſſit: quo nomine donatur aëris, aut corporis intolerandus Æſtus. Senenſibus quoque & Florentinis eſt *Scalmare* ſignificans *gravi laborare Æſtu ac ſiti*. Verbo huic ita originem ope ſui cerebri Menagius fabricavit: *Calor*, *Calos*, *Calus*, *Calimus*, *Calimare*, *Excalimare*, *Excalmare*, *Scalmare*. Nugæ. Et iſtud e *Cauma* immutato in *Calma*, enatum eſt. *Scalmire* quoque Mutinenſes dicunt, quum panni madefacti & complicati, neque ad aërem expoſiti, e fermentatione Æſtus atque humoris contrahunt ingratum quemdam odorem, & marcidam qualitatem, prætereaque colorem, ſi in eis eſt, corrumpunt. Denique in Vocabulario della Cruſca *Scalmati* dicuntur equi, ob nimium calorem contractum in maciem inclinantes. Quare primo *Calma* ſignificavit *nimium Æſtum*, quo quum laborent navigantes, quoties Malacia in mari ſentitur, propterea ipſam *Malaciam* *Calma* appellarunt. Eamque vocem ſubinde uſurparunt Galli, Hiſpani, Britanni, ac Germani. Et quoniam Malacia ipſa nihil aliud eſt niſi *Tranquillitas Maris*, hinc ortum habuit verbum *Calmare*, ſignificans *Tranquillare*.

Camminare. *Ambulare*. *Iter facere*. Ferrarius & Menagius a *Campa*, quod eſt *Crus* ſive *Gamba*, *Campinare*, *Camminare*, profectum putant. *Campare* inde futurum fuiſſet, non *Campinare*. At, inquiunt, diminutivum eſt. Verùm Itali pro diminutivo a *Gamba*, *Gambettare*, *Sgambettare*, efformarunt. Et *Caminare* unico *N.* ſcribebatur olim, quamquam nunc Florentini, ut popularem ſuam pronuntiationem exprimant, duplex *N.* voci dederint. Ita *Chemin* & *Cheminer* Gallicum, ita Hiſpanicum *Caminar* & *Camino*. Potius ergo nata vox a *Caminus*, *Via*, *Iter*, quo vocabulo uſus eſt apud Hiſpanos Viſigothorum Rex Wamba Sæculo Chriſti Septimo, aliique apud Du-Cangium legendi. Aut videndum, an a *Komen* Teutonico, quod *Venire*, *Pervenire* ſignificat, effluxiſſe potuerit. Ab eadem Germanica voce *Komen*, ſuum *Come* (quod *Came* evadit in

in præterito) Britanni accepere . Certe Bergerus , Schilterus , & alii *Chemin* cenſuere Celticam vocem . A

Camo . Panni ſpecies . Vide Diſſertationem XXV. *de Textrina* .

Canto , *Cantone* . *Angulus* . Si Menagio fides, Latinorum *Canthus*, ſeu Græcorum Κανθὸς, ideſt *oculi angulus* , originem huic vocabulo dedit . In ea opinione præceſſerunt Henricus Stephanus , Martinius , ac alii . Non facile conſentiam ego, quum *Canthus* Latinis *Ferrum* tantummodo ſignificarit , quo rotæ extremitates vinciuntur . *Angulos oculorum* , non *Canthos* , Plinius eam corporis partem appellavit . Sed proprio , inquies , nomine eos Angulos Græci dixerunt *Canthos* . Ita ſane . Verùm cur ignotam vocem , neque a Latinis adhibitam , Itali & Galli concordi ſtudio accepere , non ut *Oculorum Angulos* , ſed ut quemcumque *Angulum* deſignarent ? Mihi veri videtur ſimilius , Italicum *Canto* e Germanico *Kant* , idem ſignificante , proceſſiſſe, ſi verum eſt, quod Mathias Cramerus tradit , haberi in Germanica Lingua vocem iſtam , eamque antiquiſſimam . Neque *Canto* proprie *Angulum* ſignificat, ſed quidem *Latus* , ſeu *Partem* , ſive ut nos dicimus , *Banda* , ſeu *Diſparte*. Remotiorem autem ſive abditiorem partem Majores noſtri appellavere *Cantone* . B

Capanna . *Tugurium Paſtorum* . Antiquiſſima vox. *Tugurium* , inquit Iſidorus Lib. XV. Cap. 12. *parvula caſa eſt* . *Ruſtici Capannam vocant, quod tantùm unum capiat*. Ineptum Etymon , neque immerito , iſtud appellat Menagius . Tum is poſt Monoſinium contendit , ex Græco Κάπη deſcendiſſe *Capanna* . Immo idem Monoſinius Καπάνην eâdem ſignificatione reperit apud Græcos , eique plaudit Menagius . Verùm Καπάνη Græcis nihil aliud fuit niſi *Veiculum* , aut *Præſepe* , Italice *la Mangiatoja*: Κάπη , *Præſepium* . Quid rei ergo eſt vocibus Græcis cum Italico *Capanna* ? Habent & Hiſpani *Cabanna* , Galli *Cabane* . E Septemtrionalibus Populis ad hoſce Populos fortaſſe vox migravit: nam & Cambro-Britanni , Davieſio teſte , vocem vetuſtiſſimam *Caban* ſervant . In Charta Anni Chriſti MLV. quam habes in Notis Benvoglienti ad Statuta Piſtorienſia in hoc Opere edenda , legitur : *Et Pojo , qui vocatur Capana murata* . C

Capitare . Vide infra vocabulum *Incappare* .

Cappare . *Eligere* , *Seligere* . Primo *Capare* natum puto , quod preſſe pronuntiatum , duplex P. admiſit . A *Capitibus* rerum ſeligendis efformata vox videtur . Antiqui multis in vocibus literas non duplicabant, quod nunc Florentini faciunt . D

Cappio. *Nodus laxus*. Vide infra *Gibbare* .

Carnaſciale , *Carnovale* . Vide Diſſertationem LXXII. *de Cauſſis imminutæ* &c.

Carrozza . *Rheda* nobilium , ab equis vecta. A *Carrum* deducit Menagius . Rectâ venit ex Latino-barbaro *Carrocium* , de quo in Diſſertatione XXVI. *de Militia* egi .

Caſſare . *Delere* , *Abolere* . A *Caſſare* Latino, quod pro *Quaſſare* veteres uſurparunt , derivandum eſt , ſi Menagio credimus . Utique a *Caſſare* proceſſit . Minime verò *Caſſare* a *Quaſſare* deſcendit , cujus plane diverſa eſt ſignificatio , ſed a Latino *Caſſus* , ideſt *Inanis* . In Lege XIV. *Dudum* , Cod. *de contrahenda emtione* ; quæ promulgata fuit Anno Chriſti CCCXCI. habemus : *Lex Caſſata* , ideſt *Abolita* , *Abrogata* . In antiquis etiam Chartis non raro occurrit formula hæc : *Caſſam & irritam fecit* . E

Caſſaro . *Arx* . Ita Senenſes . Florentini verò *Caſſero* dicunt . Occurrit vox iſta apud antiquos Italicarum Rerum Scriptores , tum Latinâ , tum Vulgari Linguâ uſos . Italicæ originis vocabulum Du-Cangius putavit . Errat . Sed gravius fallitur Menagius , qui a Latino *Capſa* emerſiſſe *Caſſero* aut *Caſſaro* cenſet . Nulla dubitatio futura eſt , quin Arabes eam intulerint in Italiam . Habet ea Lingua *Chaſſiron* & *Choſſaron* , ſignificans Gollio teſte , *Sepimentum* , *Munimentum* , *Caſtellum* , uti & *Chaſſara* , *Arcte obſedit* . In Charta Hiſpanica Anni MCLXXXII. producta ab Antonio de Yepes , memorantur *tres Caſſares* , *videlicet Villa-nova* &c. Du-Cangius pro *Caſales* ſcriptum putat ; ſed heic nullus emendationi aut interpretationi locus eſt , quum *Caſſara* , hoc eſt *Caſtella* , illic deſignari certiſſimum ſit .

Cataletto . *Feretrum* . Monoſinius , & ex eo Academici *della Cruſca* , nomen hoc ex Græcia ad nos advectum cenſuerunt , efformatum videlicet ex Κατακλέχομαι , *Cubo* , *Dormio* . Menagius a *Caſtrum Lecti* , aut potius ex Κατὰ & *Lectus* , ut ſit Κατακλίκτος . Ferrarius verò (minime ſane heic audiendus) e *Capulus* , traxerunt hanc vocem . Mea opinio eſt, vix falli nos poſſe , deducendo vocabulum *Cataletto* e Græca Lingua , ſive hoc ſit ex Κατακλέχομαι , ſive ex Κατακλίγομαι , ſive etiam ex Κατὰ & Λίκτρον , quam poſtremam vocem in *Lectus* Latini immutarunt . Nobilium enim cadavera non in nudo *Feretro* (nunc *Bara* Italice) olim ad tumulum deferebantur , ſed in *Lecto* : quem morem , a Romanis uſurpatum , ſervatum adhuc videas in efferendis Epiſcoporum , aliorumque inſignium Procerum corporibus . In Chronico Alexandrino , ſeu Paſchali (uti etiam animadvertit Du-Cangius) occurrunt Κατακλίκτα , ſcilicet *Strata* , *Mattæ* , *Stragula* , nobis *Materaſſi* . Itaque *Cataletto* idem eſt ac *Lectus emortualis* . Aulicus Ticinenſis Cap. 13 de Laudibus Papiæ , Tomo XI. Rer. Italicar. funerum formam deſcribens Anno MCCCXXX. hæc habet : *Sequitur funus* (ideſt cadaver) *in Lecto cum culcitra & linteaminibus & opertorio , ſub quo poſitum eſt indutum veſtibus ſui ſtatus vel ordinis , ut ab omnibus videatur* . Atque heic animadverte , quantâ conſtantiâ Majores noſtri hac in re veterum mores tenuerint . Sunt hi verſus Perſii :

- - - - - - - - - - tamdemque beatulus alto
Compoſitus Lecto, craſſiſque lutatus amomis ,
In portam rigidos calces extendit . - - - - - -

En ut Romanorum quoque temporibus in more fuit , collocare in Lecto Defunctorum cadavera , eaque in atrio domus ſtatuere , pedibus in portam verſis : quod & nunc facimus . Immo idem ritus antiquiſſimis

A

dem Græcis fuit, uti ex Homero Iliad. 18. ex Luciano Libro de Luctu, ex Platone Lib. 12. de Legibus, aliiſque Auctoribus oſtendere poſſem.

Cataſta. *Servi ſtatuendi.* Si Menagium audimus, *Cataſta*, Iſidoro teſte, fuit *Lectus ferreus.* Tum ſuſpicatur, efformatam fuiſſe vocem a Κατάστασις, aut a *Caſa* & *Taſſus*, nos monens, ut vocabulum Gallicum *Tas* in ejus Originib. Gallic. adeamus. Deficit heic Menagium ſua eruditio. Neque Du-Cangius rem ipſam ſatis pro ſua ſolertia animadvertit. *Cataſta* nomen non Italicum eſt, ſed mere Latinum, aut ſi mavis Græcum. De eo complures eruditi viri egerunt, ſed præcipue magnus Cardinalis Baronius in Notis ad Martyrologium, ad diem XVI. Martii, & la Cerda in Adverſariis, Cap. 71., ut pudeat his immorari. Attamen in gratiam minus peritorum dicam, *Cataſtam* nihil aliud fuiſſe niſi Tabulatum, ſive Suggeſtum ligneum, in quo tum Servi venales exponebantur, tum expoſiti ad ignominiam, atque etiam cruciati fuere non pauci e Sanctis Martyribus. Vocem hanc adhibuere Tibullus, Plinius ſenior, Perſius, Statius, Sanctus Cyprianus, Prudentius, & alii. Eamque retinuere Itali, nunc eâ utentes ad ſignificandum cumulum elevatum lignorum, & per

C

tranſlationem etiam aliarum rerum.

Cataſto. *Tributum Decimarum*, bonis Civium, Anno Chriſti MCCCCXXVII. a Republica Florentina impoſitum. Ab *Accataſtare* derivarunt hoc nomen poſt Machiavellum Academici Cruſcani in Vocabulario. Erraſſe illos diſerte ſcribit Menagius: nam *Cataſto*, ſi ei fides, appellatum fuit a *Capitaſtrum*. Atqui, reponebat Octavius Ferrarius, tributum illud non capitibus, ſed bonis indictum fuit. Nihil refert, Menagius ſubdit: *Non hanno riſguardo a queſte diſtinzioni gli Etimologiſti.* Lepidum ſane reſponſum, ut ſomniare quid-

D

quid lubet, Menagiis liceat. Alii ab *Adquaſtare Cataſto* traxerunt. Ferrarius a Græco Καθίστημι, Gothofredus Lib. XIII. Codicis Theodoſiani. Tit. 10. l. 8. a Κατάστιχον deduxerunt: quaſi temporibus iis uſque ex Græcia petendum fuerit id nomen. At nobis gravior heic futura eſt ipſorum Florentinorum auctoritas de ſuis rebus ſcribentium. *Accataſtare* ſignificabat *Ammaſſare*, *Ammontare*, *Fare una maſſa*, *un' unione*. Latine diceres *Congerere*, *Coadunare*. Ex *Cataſta*, de qua nuper egi, verbum illud efformatum. Itaque e bonis Civium deſcriptis in Regiſtris publicis maſsâ conflatâ, apparebat, quod ſinguli pendere de-

E

berent, & quid Reſpublica inde perciperet. *Quella gravezza*, ait Admiratus ſenior Lib. 19. Hiſtor. Florentinæ, *dal mettere inſieme i beni, che con altra voce Accataſtare ſi ſuol dire, Cataſto fu chiamata.* Ad eam quoque ſimilitudinem appellantur Romæ & alibi *i Monti della Pietà*, *i Monti de' Debiti*, *e Crediti &c.*

Cavolo. *Braſſica capitata.* Vide ſupra in Diſſertatione præſenti.

Cedola. *Syngrapha.* Ex Latino, vel Græco *Schedula* venit. *Scedula*, denique *Cedola* evaſit. *Zettel* Germani dicunt, atque a

nobis vocem accepiſſe mihi creduntur.

Ceffo. Anterior pars capitis, præcipue brutorum animantium. Difficile mihi perſuadeat Menagius, Latinam vocem *Caput* immutatam fuiſſe in *Ceffo*. Noſtrum *Ceffo* idem eſſe cum Gallico *Chef* puto. Utraque autem Lingua hoc recte traxiſſe e Græcia videtur, ubi Κεφαλὴ *Caput* ſignificat.

Cenno. *Nutus.* Menagius rem brevibus decernit, inquiens: *Signum*, *Segno*, *Seno*, *Senno*, *Cenno*. Ego ab amplectendo hocce Etymo deterreor, quod ex *Signum* Lingua noſtra efformaverit *Segno*; nullaque ratio excogitandi ſit, hoc in *Cenno* fuiſſe converſum. Proinde aliam originem veſtigare minime prohibemur. Gloſſæ MStæ in Gloſſario Du-Cangii habent: *Nicto, quod Ruſtice dicitur Cenno.* Ruſtica Lingua, quæ olim fuerit appellata, dixi in præcedenti Diſſertatione. Videndum quoque, num e Græcorum Κινέω, ſeu Κινῶ, ſignificante *Movere*, antiqui deduxiſſe potuerint *Cenno*, *Cennare*. Profectò *Nutus* nihil aliud eſt, niſi Motus oculorum, digitorum, aliorumve membrorum, aliquid ſine voce indicans. Veteri etiam Germanicæ Linguæ, uti Schilterus monuit, fuit *Kennen*, *Noſcere*: & *Cenninga*, *Notitia*, *Notificatio*. Inde quoque *Cenno* ad nos perveniſſe potuit. Sed fortaſſe diligentiores certiorem nobis fontem oſtendent.

Cerna. Vocabularii Florentini Auctores per Latinum *Purgamen*, & *Purgamentum* reddidere hanc vocem. Minus recte ſane. E Latino *Cernere*, interdum adhibito pro *Secernere* ejus derivativo, prodiit *Cernere* Tuſcorum, & *Cernire* Mutinenſium, ſignificans *Separare*, *Secernere utile ab inutili*, ut fit in cribranda farina. Æque verò dicimus *Cernere* bonos a malis, quàm malos a bonis, uti unam ſpeciem, aut rem ab altera. Hoc potiſſimum nomine uſi ſunt veteres ad deſignandas turmas Artificum & Ruſticorum minime adſuetas militiæ, quas ubi neceſſitas urgebat, ad bellum ducebant. Quum ex maſsâ tot hominum tantummodo aptiores ad arma ſeligerentur, reliquis ineptis dimiſſis, propterea cohortes ejuſmodi *Cern* appellabantur, & adhuc a Mutinenſibus nuncupantur *Cernide.* Quare *Cerna* pro *Scelta* uſurpatum. Rurſus quandoquidem id genus milites extemporanei comparati cum veteranis ac ſtipendiariis, in arte militiæ induratis, parum roboris in prœliis afferre ſolebant, & modica in iis ſpes collocabatur, quoties conferendæ erant manus: idcirco in exercitibus *Cernæ* iſtæ parvi fiebant, non quod eſſent *ſpezie di ſoldati*, *divenuti per li rei loro portamenti infami nella milizia*, ut iidem Florentini Academici cenſuere, ſed quod experientiâ deſtituerentur in bellicis rebus, & facile converterentur in fugam.

Ceſoie. *Forbices.* A *Cædendo*, ſive *Incidendo*, *Cæſoriæ* forſices primo appellatæ fuerint. Mutinenſes adhuc eas nuncupant *le Ceſore.* Sed & Anglica Lingua *Cizers* illas appellat.

Che. Varias ſignificationes in Lingua noſtra habet, uti & apud Gallos & Hiſpanos *Que.* Ferrarius nihil cunctatus, a Latino

no *Quæ* deducit , *Che coſa ? quæ cauſa ?* A Menagius plaudit . Sed fortaſſis adhuc obſcura eſt integra vocis hujus origo . Non enim de femininis tantùm dicitur *Che* , ſed & de maſculino , & neutro , immo & plurali numero . Inſuper conjunctio eſt , Infinitivum regens : *Credo* , *che non ſia facile* . *Penſo* , *che tu mi aſcolti* . Heic nullus certe locus Latino *Quæ* . Ad hæc pro *Quam* , & pro *Quid*, *Cur Quia*, uſurpatur , ut alia omittam . Tot diverſis viis principium unum aſſignandum vix credam . Quare veri ſimilius eſt , etiam *Quod* , & *Quia* converſa fuiſſe in *Che*. Perſica quoque Lingua , teſte Angelo a Sancto Joſeph , in uſu habet *Ke* pro *Quod* B Latino-barbaro , ſive pro *Que* Gallico . Alia quidem a Perſis accepiſſe potuimus . Verùm hanc vocem inde profectam nemo arbitretur .

Chiappare , *Acchiappare* . *Fugientem Capere* . A *Capio Capulare* Menagius ſibi finxit , & inde efformatum tradidit *Chiappare*. Mihi veri videtur ſimilius , rudem Populum breviori viâ efformaſſe e *Capio Capiare* , & poſtea perturbato , ut in multis aliis verbis , literarum ordine dixiſſe *Ciapare* , quo Mutinenſes adhuc utuntur . Ita verò accidere potuiſſe , fortaſſis indicabit origo vocis *Ficcare* . Hæc enim non a *Fictare* derivata eſt , uti Menagius eſt opinatus , C inde namque emerſiſſet *Fittare* ; ſed quidem ex *Figo* , ad formam primæ Conjugationis Verborum inflexo , hoc eſt *Figo* , *Figas* , *Figare* , quod poſtea evaſit in *Ficcare* . Ita e *Puteo* , *Putêre* antiquis Latinis fuit . At vulgus *Putio* & *Putiare* ſibi efformavit , quod ſecundùm conſuetudinem Linguæ noſtræ in *Puzzare* converſum eſt . Eodem quoque more pro *Educere* apud Tertullianum offendimus *Educare* , & pro *Deglubere* occurrit *Deglubare* : & in Gloſſis antiquis legitur *Compeſcare* pro *Compeſcere*, *Sculpare* pro *Sculpere* , ut alia prætercam . Inter hujus generis verba Mutinenſibus eſt *Azzacarſi* , D ſignificans *Sternere ſe humi* . Non aliunde natum puto , niſi ab *Adjacere* , quod in *Adjacare ſe* , ac tandem tranſitive in *Azaccare ſe* mutatum fuit .

Chiaſſo . *Angiportus* , Via anguſta , quæ interdum exitu caret . Miror ego , cur in mentem Menagio venerit , hanc vocem e *Capſa* , *Capſus* , *Capſo* , *Caſſo* , *Chiaſſo* , eſſe derivandam . Nihil ſimile heic, immo omnia extra normam . Occurrit quidem mihi Græcum Κλάζω , quod *Claudere* ſignificat : occurrit Latinorum *Clauſum* , & Germanorum *Gaſſe* , ſignificans *Strada*, *Piazza* , *Calle* . At hæc tenebris abundant . Mutinenſes hac voce tantummodo E utuntur ad ſignificandum *ſuſurrum* , ac *ſtrepitum* puerorum inter ſe ludentium , aut mulierum *murmur* , cum viris multâ licentiâ agentium . *Fare del chiaſſo* æque dicunt , ac *Fare del bordello inſieme* . An iſta notio uſui alicui eſſe poſſit ad detegendam vocabuli *Chiaſſo* originem , conſiderandum nunc eſt . Mutinenſis vox e Germanico *Klatch*, ſignificante *Rumorem* , *Loquacitatem* , videri alicui poſſit profecta . Mihi creditur enata e *Claſſicum* : quo nomine medii ævi Scriptores *omnium campanarum pulſationem* deſignarunt , uti multis exemplis oſtendit Du-Cangius : *Claſſus* etiam ſtrepitus ille appellabatur , & a Francis *Glas* . Sed cur & *Angiportus* a Tuſcis *Chiaſſo* nuncupatus fuerit , nondum agnovi , niſi ſtatuas , ea loca ex meretricum ſtrepitu nomen accepiſſe . Et ſane , uti Cruſcani Vocabularii Auctores animadverterunt , *Baccano* eadem ratione uſurpatum fuit pro *Strepitu* ſimul , & pro *Lupanari* . Pari modo apud Mutinenſes *Bordello* in uſu eſt pro *inoneſto ſtrepitu* , & *Proſtibulo* .

Chiedere . *Petere* , *Poſtulare* . Vox intacta Menagio . Is tamen deducit *Richieſta* ex *Requirere* , ideoque uti *Richiedere* a *Requiro* , ita *Chiedere* erit a *Quæro* , quod & Corbinellius cenſuit . Durum Etymon; ac propterea inquirendum adhuc, an emanaſſe potuerit a *Cedo* Latinorum , ſignificante *Dic* vel *Da* . Antiqui dixere : *Cedo aquam* , *Cedo tabulas* . *Cedo* , *dic mihi* , Terentii eſt , ita ut ipſum *Peto* , aut *Poſco* referre videatur. Liutprandus quoque Ticinenſis Lib. 4. Cap. 4. Hiſtor. Sæculo Chriſti Decimo , feminam percontantem inducit : *Quod* , *Cedo* , *crudelius mulieribus bellum inferre poteſtis ?* Heic *Cedo* idem ſignificat , ac Tuſcorum *Chiedo* : neque enim Lombardorum Lingua popularis hac voce utitur . Vide alterum ſimilem Liutprandi locum Lib. 4. Cap. 13.

Ciabatta . *Calceus vilis* . Vide Diſſertationem XXV. *de Textrina* .

Cianciare . *Nugas loqui* . Menagius a *Nugax* trahere hanc vocem conatus eſt . Ferrarius a *Cantionare* deduxit . Uterque (dicere liceat) nugas in forum attulit . *Chance* Gallica vox eſt : eſt & Anglica . Utrique genti ſignificat *Caſum fortuitum* , & *quæ accidunt inter homines* . Nos appellamus *Avventure* , *Nuove* , *Novelle* , *Novità* . Uti ex *Novelle* natum *Novellare* , ita ex *Chance* , ſeu *Ciance* prodiit *Cianciare* . Nihil enim aliud primo fuit *Cianciare* , niſi quæ contingebant in Urbe, aut in Orbe , enarrare . Eadem ratione ex *Fabulari* ſive *Fabellare* , hoc eſt *Fabulas narrare* (Italice *Novellare*) Majores noſtri confecerunt *Favellare* , quod idem ſignificat ac *Loqui* , *Parlare* . Idem eſt *Confabulari* , ac *Cianciare* . De Hadriano Spartianus : *Uno tempore ſcripſit* , *dictavit* , *audivit* , *& cum amicis fabulatus eſt* . Et antiquiſſimus vulgatus Interpres Evangelii Sancti Lucæ Cap. 24. verſ. 15. hæc verba ἐν τῷ Ὁμιλεῖν , ideſt *dum colloquerentur* , de rebus videlicet ſeriis & ſanctis , vertit , *dum Fabularentur* . In Vita Beatæ Michelinæ Piſaurenſis apud Bollandiſtas in Actis Sanctor. ad diem 19. Junii legitur : *Omnia iſta videntur Tuffæ & Cianciæ* , *& a perſonis deſperatis & rudibus* . Recte legendum heic *Truffæ* cenſuit Clariſs. P. Papebrochius . Subdit ille : *Ciancia quid ſit* , *nondum comperi* , *niſi fortè a Canto ſit* , *idemque valeat* , *quod nænia* . At nihil aliud heic ſunt *Cianciæ* , niſi Italicum *Ciance* , hoc eſt *Nugæ*, de quibus actum ſatis eſt . Adde, ita efformatum fuiſſe e *Parabolare Parlare* , nempe e *Parabolâ* , quod converſum fuit in *Parola* . Et inde *Parabolano*, *Ciancione* , *Ciarlone* .

Ciarlare . *Inania loqui* . Vide Diſſertationem XXIX. *de Spectaculis* . Ci-

Cimento. *Periculum*, *Experimentum*. *Cimentare*. *Experiri*, *Periculum facere*. Menagius ſuam heic facit, ſimulque laudat Octavii Ferrarii ſententiam, confuſis, natum *Cimento* e *Sperimento*, *Sperimentum*, *Cimentum*, *Cimento*. Uterque fallitur. *Specimen* (quod nobis eſt *Moſtra*, *Saggio*) diverſæ plane ſignificationis eſt a *Cimento*. Itaque ex Arte Chemicâ, ſeu Metallicâ vocem hanc accepimus: ipſa verò ex Latino *Cæmentum* efformavit *Cimento*. Vide Pyrotechniam Vannoccii Biringuccii Senenſis, Anno MDXL. editam, hoc eſt Librum in Re Metallica eximium, ſed quem nos Itali (quod & in aliis multis facimus) negligimus, aut longe infra meritum æſtimamus. Ibi Lib. 4. Cap. 7. traditur *il modo di Cimentar l'oro, e di condurlo all' ultima ſua finezza*: quod fit in vaſe *Cæmentato*, cui ignis ſupponitur. Quod *la Coppella* præſtat in argento, *il Cimento* præſtat in auro. Ejuſmodi experimento purgatur aurum a quacumque ſorde; & quidquid argenti commixtum erat, inde ſeparatur. Poſtremis hiſce Seculis Italici Scriptores per tranſlationem uti cœperunt verbo *Cimentare*, & nomine *Cimento*, ad ſignificandum arduum aliquod experimentum fortitudinis, aut probitatis hominum. Habes germanam hujus vocis originem.

Cimurro, ſeu *Cimorro*. *Pituita*, ſeu *Rheumatis* ſpecies, quo e naribus defluente interdum equi laborant. Menagium audi: *Non ſo l'origine di queſta voce. Chi me la inſegnerà, erit mihi magnus Apollo*. Idem & ego repeto. Addo tamen: vel Arabicæ originis eſſe hanc vocem, quum Lingua etiam Hiſpanica, quam Arabica multum locupletavit, habeat *Cimorra*, eadem ſignificatione, Covaruvia teſte. Vel ex Populorum Septemtrionalium Linguis ad Italos & Hiſpanos iſta migravit. Certe Anglis *Murr* eſt *Catarro*, *Freddore*. Tum *Chill* eſt *Freddo*, ita ut ſuſpicari liceat compoſitum *Chil-murr* (Italice *Cilmurro*, ideſt *Freddo Catarro*) a Populis iis olim appellatum fuiſſe morbum iſtum equorum: quæ vox poſtea in *Cimurro* tranſierit apud Italos.

Ciò. *Hoc*, *Iſtud*. *Dal Latino Hocce*, *Ceoc*, *Cio*, *Co*: verba ſunt Menagii, intrepide decernentis, ac ſi audiſſet ſuiſmet auribus Italos olim pronuntiantes illud ſuum *Ceoc*, converſum poſtea in *Co*, *Ciò*. Unum ego novi, videlicet Gallicæ Linguæ eſſe *Ce*, pronomen, latiùs etiam quàm noſtrum *Ciò* adhibitum. Veteres verò Franci, uti animadvertit Hickeſius in Grammatica Anglo Saxonica pro *Ce* uſurparunt *Cio*, ideſt *Hoc*. Propterea ab ipſis Francis, olim in Italia dominantibus vocem hanc Tuſci accepiſſe videntur: nam nos Lombardi eâ in Dialectis noſtris non utimur. Unde vero Francicum *Ce*, *Cet*, *Cette*, & proprium-ne ſit illius indigenæ Linguæ, ab aliis edoceri cupio.

Ciuffo. *Frontis capillitium*. Menagius a *Tupha* traxit, qua voce uſus eſt Vegetius Lib. 3. Cap. 5. veterum Vexilla deſcribens. *Criſtam e plumis* fuiſſe, Eruditi ſentiunt. Vexilli quoque ſpeciem hoc nomine deſignatam, a Beda intelligimus, qui Lib. 2. Hiſtor. Cap. 16. ſcribit: *Illud Vexilli genus, quod Romani Tufam, Angli appellant Tuuf, ante eum ferri ſolebat*. Sed ſive *Criſtæ e plumis*, ſive *Vexilli* genus fuerint *Tufæ*, nemo certe hac voce uſus fuit, ad deſignandos capillos fronti ſupereminentes. Præterea vix *Tufa* converſum numquam fuerit in *Ciuffo*. Mihi longe veriſimilius eſt, manaſſe hanc vocem e Germanico *Zopff*, ſignificante *Cirrum capillorum*, ſive *apicem*, *faſtigium*, *culmen crinis*. Hinc *Zuff*, quod Mutinenſes & Mediol. adhuc retinent, Tuſci verò pro more ſuo in *Ciuffo* converterunt. Quod potiſſimùm ea voce deſignarentur Cirri imminentes Fronti, propterea *Frons* ipſa per eam vocem quandoque deſignata eſt. Dicimus nos adhuc: *Far ſudare il Zuffo ad alcuno*, ideſt *Frontem*, ut ſignificemus, grave negotium alicui faceſſere. Hinc etiam *Fare il Zuffo ad alcuno*, ideſt corrugata *Fronte* quempiam contueri. Neque aliunde natum *Azzuffarſi*, ideſt conſerere manus, ſeu *Frontem Fronti* in certamine opponere. Qua ratione etiam dicimus *Affrontare*, & *Affrontarſi*; & denique *Zuffa*, *Certamen* inde evaſit.

Civetta. *Noctua*. Putat Menagius, ſe ſatisfeciſſe ſibi ac aliis, quum a Græco Κικκαβὴ *Noctuam* ſignificante, & ab uno Ariſtophanis Scholiaſte uſurpato, Italicum *Civetta* per ſuas ſcalas conſuetas deducit. An res ei ſucceſſerit, aliorum judicium eſto. Illud ſolùm adnotabo, Perſicæ Linguæ eſſe (uti teſtatur Angelus a Sancto Joſeph) vocem *Chiſet*, quæ *Noctuam* ſignificat. Mihi tamen difficile perſuadeatur, Italos ab Orientalibus accepiſſe nomen volucris indigenæ, neque peregrinæ. Quare origo vocis propius petenda videtur. Scilicet avem non abſimilem nos Mutinenſes a ſono vocis nuncupamus *Ciù*; e quo ſubinde efformatum fuiſſe puto *Civetta*, quod demum evaſit apud nos in *Civetta*: quaſi *Civetta* femina fuit, *Ciù* vero mas, quum tamen diverſæ ſint ſpeciei. *Ciovetta* eam appellat Francus Sacchettus Tuſcus in Tabulis. Mediolanenſes *Ciguetta* appellant.

Coccio. Fragmentum vitrei, figlini, aut alicujus ſimilis operis fragilis. Multa habet Menagius ad vocem *Coccare*, quam a *Conca*, *Cocha*, *Coca* trahit: addens inde etiam venire *Coccio*. Nil ſolidi adfert, ſi quidquam video. Ne ego quidem quidquam certi habeo de vocabuli iſtius origine. Eruditos tamen moneo, ut perpendant, an fortè emerſiſſe illa potuerit ab *Excutio* Latino, atque an heic audiendi ſint potius Lombardi. Nos Mutinenſes *Scozzare* dicimus *Confringere* aliquid integrum, uti ovum, amphoram, ollam, calicem, tegulam, nucem, ita ut in fragmenta abeat. Nata videtur vox ab *Excutio*, ſcilicet ex ejus Infinitivo, ad inſtar aliorum non paucorum corrupto (ut ſupra monui ad vocem *Chiappare*) hoc eſt ab *Excutiare* pro *Excutere*, quod poſtea evaſerit in *Scozzare*. Nam primo ad normam Latinæ Linguæ dixere, *Excutere nucleum ex nuce*, *avellana*, *oſtreo*, aliiſque ejuſmodi rebus: tum *Excutiare nucem*, *avellanam*, *oſtreum*, *&c.* ideſt frangere, ut quod intus eſt, educatur. Denique confringere quodcumque vas, ap-

pellarunt *Scozzare*, eorumque fragmenta *Scozzi*. Romani verò ac Tuſci dicunt *Cocci*. Originem propoſitam confirmare videntur verba *Accozzare*, *Raccozzare*, quæ nihil aliud proprie ſignificant, niſi *Conjungere* iterum *Fragmina* alicujus vaſis vel rei confractæ, ſignificatione poſtea propagatâ ad quamcumque unionem rerum antea ſejunctarum aut diſſipatarum. Ubi vides, non *Cocci*, ſed *Cozzi*, intervenire. Erunt fortaſſe, qui e *Cocleâ*, ſignificante *teſtam Limacum*, ſuſpicentur prodiiſſe vocem iſtam, hoc eſt; efformatum ab *Excochleare Scozzare*, quum nempe *Cochlea* conteritur, ut inde Limax extrahatur. Mihi veri videtur ſimilius, ac legibus Etymologiæ propinquius Etymon antea propoſitum. A B

Cocha. *Navis Species*. Vide Diſſertationem XXVI. *de Militia*.

Codardo. Vide eamdem Diſſertationem XXVI.

Cogolaria. *Genus retis*, Sacculum jacentem imitantis, in ore ampli, & ſenſim decreſcentis, appoſitis interdum valvis reclinatis, per quas tum piſcibus, tum avibus facilis ſit ingreſſus, difficilis verò regreſſus. A *Cucullus*, *Cucula*, *Cucularius* &c. deducebat Menagius. At *Cuculus* nihil aliud eſt, & fuit, niſi volucris, quam adhuc Tuſci *Cuculo* appellant, Mutinenſes *Cucco*. Dic ergo, a *Cucullus*, ad cujus ſimilitudinem efformata fuere ejuſmodi retia. C Latinis *Cucullus* fuit, quod nunc *Cartoccio da Speziale*. Appellatum quoque ob ſimilitudinem fuit *Cucullus* id, quod nunc dicimus *Cappuccio*, unde Minores *Cappuccini*. Certam vocis originem prodit Mutinenſium, aliorumque Populorum Dialectus. A nobis enim Rete hujuſmodi appellatur *il Cogollo*, Latino *Cucullus* omnino reſpondens.

Collare. *Fune torquere*. Vide Diſſertationem XXIII. *De Moribus Italicorum*.

Colmo Subſtantivum. *Vertex alicujus rei*. A *Cumulus* hoc vocabulum Menagius traxit, atque ab eo minime diſſentio. Habemus enim *Colmare di benefizi*, atque hoc certe D a *Cumulare* deſcendit. Attamen omittendum non erat, Latinum nobis eſſe *Culmen*, quod propius exprimit & literarum ſono & ſignificatione Italicum *Colmo*. Dicimus: *ſua fortuna era giunta al Colmo*. Heic potius *Culmen*, *Faſtigium*, deſignari videas, quàm *Cumulum*. Sed & *Culmus*, ſive *Colmus* vox fuit apud Latinos meliores, ſignificans tritici calamum, paleam, ſeu ſtramen, quo tecta domorum cooperiebantur. Ammianus Marcellinus Lib. 31. Cap. 2. loquens ait: *Nec templum apud eos viſitur, aut delubrum; ne tugurium quidem Culmo tectum cerni uſquam poteſt*. E Guilielmus Apulus Lib. 2. de Normann. ait:

Ad Ducis hoſpitium, quod Culmo texerat ipſe,
Frondibus & ſepſit.

Sed & Vergilius longe antea Æneid. VIII. verſ. 654. ſcripſerat:

Romuleoque recens horrebat Regio Culmo.

Ideſt tecta cooperta ſtramentis. Ita & Apollinaris Sidonius Lib. 7. Epiſt. 17.

Et caſa, cui Culmo Culmina preſſa forent.

Suſpicari quiſquam poſſit, hinc etiam deſcendiſſe Italicum *Colmo* pro *Vertice*, *Faſtigio*. Ita *Cima*, ſeu *Cyma*, olim ſignificans *ſummitatem olearum vel arborum*, Iſidoro teſte, translata ad res alias, nunc *ſummitatem* rerum apud Italos deſignat. Meliores tamen Latini alio ſenſu *Cymas* uſurparunt. At ego *Culmen* retineo tamquam veri ſimiliorem vocis iſtius originem.

Coloro. *Illi*. Menagii ſententia eſt, veteres *Eccum illorum* dixiſſe, & inde efformatum *Coloro*. Mihi non perſuadebit. Suſpicor ego, enatum potius cognomen iſtud ex *Qui illorum*, quod facile uſurparunt Barbaro-Latini, quaſi dicerent *Qui ex illis*. In antiqua Vita Felicis, quam Eſtenſis Bibliotheca MStam ſervat, legi: *Imperochè luy aiuta & conforta quellori, che in lui ſe confidano*. Mutinenſium quoque Dialectus pronuntiat *Quellor* pro *Coloro*, E. ſuppreſſo more Gallico.

Colpo. *Ictus*, *Percuſſio*. Antiquiſſima vox eſt Francicæ ac Teutonicæ Linguæ, atque illius exempla occurrunt in Lege Salica, apud Marculſum, & alios. Si Menagium audimus, nos æque ac Germani ex *Colaphus* efformavimus *Kolp*, nunc nobis *Colpo*, & Gallis *Coup*. Mihi veri videtur ſimilius, originis prorſus Germanicæ eſſe *Kolp*, genericum nomen cujuſcumque Ictus. Uti dura nimis translatio nunc foret, *Dare uno ſchiaffo*, (ideſt *un Colpo*) *colla ſpada*, *col baſtone*, ita olim fuiſſet, *Aliquem tundere Colapho gladii*, *baculi*, *ſaxi* &c.

Cominciare, *Incipere*. Recte Menagius a *Cum* & *Initiare* arceſſit. Sed Covaruviam commemorare poterat, qui ante eum Etymon iſtud indicarat.

Compagno. *Socius*. Multis vox iſta hariolandi cauſſam dedit. Sunt qui a *Combenno*, de quo Feſtus mentionem fecit, illam derivant. Alii a *Combino*, aut a *Compaganus*, ſive *Compagus*. Alii denique a *Panis*, quaſi qui eodem Pane veſcitur. Poſtremæ huic ſententiæ adhæſit Menagius, in eamque noviſſime conceſſit etiam Eccardus in Notis ad Legem Salicam Tit. 66. ubi legitur: *Si quis hominem ingenuum in hoſte in companio de companiei ſuorum occiderit* &c. hoc eſt, *de Sociis ſuis*. Verùm addere liceat; verba hæc *in companio de companiei ſuorum* Gloſſema videri adjectum, ac intermixtum textui Salicæ Legis. Neque enim ea habentur in editione elimatâ Baluzii, neque occurrunt in vetuſtiſſimo Codice MSto Cathedralis Mutinenſis. Utcumque ſit, omnino mihi a veri ſimilitudine abhorrere videtur, *Cum* & *Pane*, originem dediſſe Italico vocabulo *Compagno*, Gallico *Compagnon*, Hiſpanico *Compannero*, & Anglico *Companion*. Quid enim, amabo, analogiæ inter *Socium*, & *Cum Pane*? Propterea quod in ea voce *Panis* mentio ſeu ſonus occurrat, leve eſt inde ſtatim elicere velle originem ex *Pane*. Suſpicabar olim vocem iſtam enatam ex Latino *Compaginare*, ſcilicet *Unire* & *Jungere* (quod verbum uſurpavit Sanctus Auguſtinus). Inde enim facili mutatione Italicum exſurgit *Compagnare*, *Accompagnare*, hoc eſt, *Jungere ſe alicui*, unde poſtea *Compagno* emanarit. Non ob-

abſtinebo tamen, ſi malis, eſſe originis Germanicæ hanc vocem: quod Hickeſius docuit. Scandianum enim vocabulum eſt *Kompan* ejuſdem ſignificationis, & *Kompanſkap* idem ſonat atque *Societatem*, *Conſortium*. Fatetur ipſe Eccardus, apud Saxonicum vulgus in uſu eſſe *Kumpan* & *Kumpe* pro *Socio*. Mathias quoque Cramerus inter primitivas Germanicæ Linguæ voces recenſet *Kumpan* ſignificans *Socium*.

Congedo. *Abeundi facultas*, *Commeatus*. Ab ipſa voce *Commeatus*, ſignificante veniam militibus datam diſcedendi, Menagius traxit *Congedo*. Nemo non videt, e *Commeatu* deduci quidem Italicum *Commiato*, nunquam verò efformari potuiſſe nimium diſtantem vocem *Congedo*. Neque a *Concedo* enatum *Congedo*, ut viſus eſt ſuſpicari Carolus Dati. Undenam ergo? Perpende, num a præpoſitione *Cum* & *Gehen* Teutonico, ſignificante *Ire* & *Proficiſci*. Voce hac ſignificatur *Facultas Abſcedendi* (nos *Licenziare* dicimus) unde adhuc Germanis a verbo *Scheiden*, *Abſcheiden*, *Partiri*, in uſu eſt *Abſchied*, *Congedo*. Latinam vocem *Commeatus* fortaſſis expreſſere Latino-Barbari per ſimilem ex Germanica Lingua petitam. Quid enim eſt *Commeatus*, niſi *Cum* & *Meare*, ideſt *Ire ſimul*? Atqui *Cum*, & *Gehen* Teutonicum, conjuncta idem ſignificant, hoc eſt *Simul Ire*. Proinde hinc natum videtur Gallicum & Anglicum *Congè*, & *Congeare*, *Dimittere*, uſurpatum ab antiquis Latino Barbaris, cujus rei exempla profert Du Cangius. *Congeare* profectò indicare videtur *Con-gehen* Germanicum, Latinâ terminatione uſurpatum.

Congegnare. *Compaginare*, *Copulare*. Nata vox videtur e verbo barbarice efformato *Cum-ingeniare*.

Coniare. *Cudere pecuniam*. Monoſinius, atque ex eo Academici Cruſcani, a Græco εἰκονίζειν derivatum hoc verbum putarunt. Quid Menagius? *Da Cuneus*, *ſicuro*. *Cuneus*, *Cunius*, *Conius*, *Conio*, *Coniare*. Atqui *Cuneus*, Italice *Bietta*, quid quæſo rei habet cum Numinis in Moneta percuſſis? Certum cenſeo, ex Græcia ad nos verbum veniſſe; & quidem ab *Icona* ſeu *Iconia* barbarica voce, qua a multis Sæculis uſi ſunt Scriptores ad deſignandam *Effigiem*, *Imaginem*. Scilicet *Iconiare* dictum fuit imprimere in Nummis Imaginem Principis Vide Du-Cangium ad hanc vocem in Gloſſario Latino. Dixerunt etiam *Effigiare*.

Conquidere. *Male habere*, *Affligere*, *Proſternere*. Si Menagio fides, *Conquidere* ex *Conqueſtare* Latino-Barbaro prodiit. Is enim idem putat *Conquidere* & *Conquiſtare*. Baſilice fallitur vir doctus. Diverſa omnino & origine & ſignificatione ſunt hæc duo verba. In errorem raptus fuit, quod confuderit, Italicum *Conquiſo* nihil aliud eſſe, niſi Gallicum *Conquis*, Participium ſcilicet verbi *Conquerir*, quum tamen Italico *Conquiſo* nihil rei ſit cum Gallico *Conquis*. Atque in hunc eumdem errorem antea prolapſus fuerat Bembus Lib. Primo Proſar. quem Caſtelvetrus noſter in Additament. emendavit, ſcribens: *Conquiſo è voce Italiana, ed è intera Latina, cioè Conciſus. Nè ſignifica quello, che fa Conquiſtato, in guiſa che l'una ſi poſſa uſar per l'altra. Percioccbè Conquiſo ſignifica Tagliato, e in minute parti diviſo: ma Conquiſtato, Guadagnato, Procacciato.* Animum ad hæc non advertit Menagius. Ceterum non facile ſubſcriberem Caſtelvetro, deducenti ex *Conciſo* *Conquidere*. Neque enim *Conquiſo* revera ſignificat, minutatim aliquid concidere. Et cur *CI.* evaſit in *QUI*?

Conquiſtare. *Adipiſci*, *Comparare ſibi*. Ac præcipue de illis hoc dicimus, qui vi armorum potiuntur Regnis, Urbibus, aut Caſtris. Verbum hoc, ſi Menagium audimus, a Latino-Barbaro *Conqueſtare* venit. At unde ipſum *Conqueſtare*? Rectius ille dixiſſet, Italicum *Conquiſtare* prodiiſſe a Participio ſive Supino Latini verbi *Conquiro*, quod pro *Acquiro* majores noſtri uſurparunt. Nempe *Conquiſitum* evaſit *Conquiſtum*, & inde *Conquiſtare*.

Contado. Vide Diſſertationem VIII. *de Comitibus*.

Contare. *Narrare*. Vide infra verbum *Raccontare*.

Contrada. *Via*, *Regio*, *Vicinia*. Taſſonio noſtro viſa fuit vox nata e *Contraho*, *Contractus*, ut ſit *Contracta Regio*. In ejus ſententiam ivit Menagius, addens hinc emerſiſſe *Tractus*, ut *Tractus Ligeris*, *Tractus Rheni*. Sed nullum apud veteres exemplum reperies *Contractus*, ejuſmodi ſignificatione uſurpati; & ubi Italicam majores noſtri feciſſent hanc vocem, *Contratta*, & non *Contrata* dixiſſent. Quare mihi præferenda creditur Henſchenii V. Cl. e Societate Jeſu opinio, non ignota ipſi Menagio, dum cenſuit *Contrata* efformatum e *Conterrata*. Notum eſt, *Conterraneus* in uſu fuiſſe melioribus Latinis ad ſignificandum *un' uomo dello ſteſſo paeſe*. Pro *Conterraneus* barbarica Sæcula dixere *Conterratus*; & inde *Conterrata*, ideſt *Regio*, *Plaga*, *Vicinia*: quæ vox ad vias etiam Civitatum tranſlata eſt, in quibus habitantes appellabant ſe ejuſdem *Conterratæ*. In Anonymi Barenſis parvo Chronico, quod ſupra in Diſſertatione I. *de exteris gentibus*, evulgavi, legitur ad Annum MXL. *Occiſus eſt Michael Catt* (forte *Catapanus*) *ſub Caſtello Mutulæ ab ipſis Conterratis*. Infra quoque *& omnes Conterrati diſperſi ſunt*: ideſt Cives ejuſdem Terræ.

Coperchio. A *cooperculum* efformatum fuit.

Coppa. *Occiput*. Ab ipſo *Occiput* Ferrarius nomen hoc derivavit incredibili hac metamorphoſi: *Occiput*, *Occipa*, *Coppa*. Menagius a Germanico *Kopff*, ſignificante *Caput*. Sed ne hoc quidem ſatisfacit. Nos enim ut *Caput* deſignemus, utimur vocibus *Capo* & *Teſta*; & vocabulo *Coppa*, non *Caput*, ſed *Occiput* nuncupamus. Itaque veri ſimilius videatur, *Coppa* efformatum fuiſſe ex Latino-barbara voce *Cupus*, ſignificante *Concavum*, *Curvatum*, quaſi *Occiput* ſit pars *Cupa* Capitis. Fortaſſis inde eſt & *Coppo*, *Tegulam* ſignificans, uti & *Coppa Patera*, quod *Concavæ ſint*.

Coppia. *Par* hominum aliarumve rerum. Paucis Menagius: *E Copula*. Vereor, ut nimis feſtine ſententiam protulerit. Nihil aliud eſt *Copula*, niſi *Nexus*, *Conjunctio* rerum, quæ ſignificatio plurium eſſe poteſt,

ac

ac præterea diſtat a vi Italici *Coppia*, duo A
tantum ſignificantis. Itaque videndum,
num potius illius origo petenda ſit e Germanico *Kuppel*, *Kuppe*, *Koppel*, ſignificante *un Pajo*, hoc eſt *Coppia*. Hinc etiam Gallicum *Couple*. Quod ſi quis Germanicam vocem ex *Copula* & *Copulare* prognatam fuiſſe opinetur: contendent alii, hanc eſſe antiquiſſimam ſuæ Linguæ dictionem, & *Copulam* Latinorum, non reſpondere noſtro *Coppia*.

Coppo. *Tegula*. Vide Diſſertationem XXI. *de ſtatu Italiæ*.

Corredo. *Ornatus*, *Convivium*. Vide Diſſertationem LIII. *de Inſtitut. Milit.*

Corribo. *Levis*, qui facile ab aliis decipitur. B
Forſe da Correre, inquit Menagius. Immo ſine dubitatione. Nam *Corrivo* (uti nos Lombardi pronuntiamus) ſignificat hominem, qui facile ad credendum currit.

Coſcino, *Cuſcino*, Latine *Pulvinus*. *Cuſſino* Mutinenſibus. *A Coxis*, inquit Ferrarius, *quod mulieres illum, quum acu operantur, coxis complectantur*. Parum concinne. Germanicum *Kuſſen*, ſeu *Kuſſin* putat Menagius pertranſiſſe in Galliam, ubi eſt *Couſſin*, idem ſignificans, ac noſtrum *Cuſcino*. In Gloſſis Theotiſcis ab Eccardo editis legitur *Cervical*, *Pulvillus*, (Germanice) *Cuſſin*. Hæc veri ſimilior vocis origo
videatur, quàm quæ a Du-Cangio produ- C
cta eſt, ſcribente in Gloſſario ad vocem *Cuſſinus*: *Videtur autem vox hæc Gallica Couſſin efficta, quaſi Coeſſin, derivarique a Coite, Culcita*. Porro vox iſta apud Scriptores Gallos & Germanos occurrit ante Annum a Chriſto nato Milleſimum. Perpendendum igitur eſſet, num aliqua affinitas ſit inter ipſam & Gallicum *Couche*, & *Coucher*. Nimirum *Pulvillus* inſtar lectuli eſt, ſuper quem componitur caput quietis cauſsâ.

Coſtui. *Iſte*. Ferrarius immutatum cenſuit *Cujus Iſtius* in *Coſtui*. Menagius ex *Ecco Iſtius* efformatum credidit *Coſtui*. Suſpi-
cor ego, prodiiſſe primò *Coteſto*, de quo D
infra dicam ad vocem *Quello*. Tum e *Coteſto* & *Huic* emerſiſſe *Coteſtui*: quæ vox apud veteres Tuſcos interdum occurrit. Denique *Coteſtui* brevitatis cauſsâ converſum fuiſſe in *Coſtui*.

Cotone. *Goſſipium*. Ludit aut ludere videtur Menagius, quum a *Cydoniis malis*, nobis *Pomi Cotogni*, quia lanuginem præferunt, hanc vocem efformatam cenſet. Manifeſtum eſt (quod & Caninius præſenſit) illam ex Arabum Lingua deſcendiſſe. Iis enim *Qotonon* ſeu *Cotonon*, & *Qotnon* eſt, quod Latinis fuit *Goſſipium*, Tuſcis, Italiſque *Cotone*, ac Lombardis *Bambagia*,
Bambaſo. E

Covelle. *Aliquid*. Tum Tuſcorum, qui & *Cavelle* dixerunt, tum Mutinenſium atque aliorum Italicorum vox eſt. Menagius eam deducit a Κόκκυ, vocabulo apud Heſychium reperto, ac ſignificante Ἐλάχιστον, hoc eſt, *Minimum*. Abeat, quæſo, Heſychianum illud Κόκκυ, quod fortaſſe nihil aliud ſignificavit, quàm *Granulum*: neque enim niſi per vim exprimas inde *Covelle*, ideſt arte Menagianâ ita progrediendo, *Coccu*, *Coccubum*, *Coccubellum*, *Coccuvellum*, *Covellum*, *Covella*, *Covelle*, *ideſt res nihili*, Χρῦ. Immo *Covelle Aliquid* ſignificat. Nos Mutinenſes dicimus *Dammi* aut *Dimmi Covelle*, ideſt *Aliquid*, ſive cibus ad edendum, ſive eleemoſyna, ſive inſtrumentum, ſive narratio, ſive alia res indeterminata petatur. Videtur ergo *Covelle* Latinum *Quod velis*, vel *Quod velles* converſum tamdem in *Covelle*. Ideſt *da mihi*, ſeu *dic mihi quod velis*, dum *aliquid* dicas, deſ-ve, neceſſitati, quæ me nunc urget, conſonum. *Far Covelle* Mutinenſibus eſt *Facere Aliquid*: & hanc vocem pronuntiamus, uti Gallicus homo pronuntiaret *Quevelle*, quaſi *quæ velles*.

Cozzare. *Cornu ferire*. Ita vim vocis explicant Scriptores Vocabularii *della Cruſca*. Latior mihi videtur vocabuli ſignificatio. Porro certum eſt, minime illam fuiſſe efformatam ex *Cocium* ſignificante (uti opinatur ſive ſomniat Menagius) *Caput*. Alterum Etymon ab eodem Menagio propoſitum, propius accedit ad verum. A *Quatio*, *Quaſſo*, *Cuaſſo*, *Cuſſo*, *Coſſo*, *Cozzo*, *Cozzare*. Nihil tamen opus erat tantâ metamorphoſeon copiâ. Neque enim aliunde venit *Cozzare*, niſi e *Cutio*, ſive ex *Percutio*, ſublato *Per* antea addito. E *Cutio*, *Cutiare*, *Cozzare*. Nam *Cozzare* eſt *cornu ferire*, ſeu *fronte Percutere* & *Repellere* adverſarium contra venientem: quod præſertim arietes, tauri, ac boves faciunt, dum alter in alterum cornibus & fronte nititur.

Crollare. *Succutere*, *Commovere*, *E loco Movere*. A Græco Κρούειν, ſignificante *Pulſare*, Nicotius & Monoſinius cenſuerunt deducendam hanc vocem. Sed longe alia eſt ſignificatio verbi *Crollare*. Eoque minus e *Succutere* ipſum trahas: quod opinatus eſt Ferrarius, hanc ſcalam adhibens: *Succutere*, *Succuſſare*, *Scoſſare*, *Scrollare*. Mutinenſibus, præponentibus *S.* multis vocibus, eſt etiam *Scoſſare* & *Squaſſare*: Sed venit a *Quaſſare* Latino, non verò a *Succutere*. Eſt & nobis *Scrollare*, duo videlicet diverſæ originis verba. Menagio heic hæret aqua. Mihi verò nil melius ſuccurrit. Fabulandi tantùm cauſsâ petere liceat, num e *Curro* efformari potuerit *Currulo*, ideſt *aliquantulum Curro*. Ad ſignificandum: *queſta coſa non iſtà ferma*, fortaſſis dixere barbaro Latini veteres: *iſtud Currulat*. E *Currulare* poſtea venerit *Curlare*, *Crullare*, *Crollare*, intranſitive primo uſurpatum. Dantes Purgator. V.

Sta come Torre ferma, che non Crolla.

Senſim poſtea adhibitum fuerit *Crollare* tranſitive & active pro *Commovere*. Frater Jacoponus Tudertinus Lib. 4. Cant. 10.

Scrulla la danza, e fa portadura.

In altero Codice *Scurla*. Pro *Crollare* dixiſſe etiam veteres videntur *Grollare*; quod animadvertendum. In Vita Sanctæ Zitæ Lucenſis ad diem 26. Aprilis, in Actis Sanctor. Bollandianis legitur Cap. 6. *Ipſe multoties videbat eam Grollantem caput*. Clariſs. P. Papebrochius in Notis ſcribit: *Grollare Teutonibus Grollen*, *Francis Grouler*, *Submurmurare*, *& inconditum quid voce ac geſtis præferre: a Grol*, *quod* Teu-

Tremolar ſimiliterem ſignificat. At in vita vero noſtræ antiquam eſt alloquutus. *Grullare dì eſt Crollare, Scuotere caput.* Vide etiam in Hiſt. Romana, in hoc Opere edita. *Dagli amore un Crollo*, uti in Romana Dialecto tunc dicebatur; quod verbum ad *Corrale* propius accedit. Aliorum erit felicius heic divinare.

Cruſca. Furfur. Tuſcorum vox eſt, & vilis quidem rei nomen, ſed cui illuſtre decus peperere doctiſſimi Florentini, qui Academiam *della Cruſca* fundarunt, & Linguam Italicam ſingulari cum laude illuſtrare pergunt. Ab antiquo Teutonico *Grus*, quod adhuc Belgæ uſurpant, deſcendiſſe hanc vocem auctor eſt Menagius. Sit apud illum fides. Nam quod ille addit, nempe apud Andegavenſes & Normannos appellari *Grus* farinam ex avena, Du-Cangium quoque hanc in rem advocans ad vocem *Grullum*, id omnino extra chorum eſt. Agimus heic de *Furfure*, non de *Farina*. Furterius quoque in Vocabulario Gallico commemorat *Gruau*, hoc eſt *Farinam* ex Avena. Tum ſubdit: *Ce mot vien de Grutellum, diminutif de Grutum. Les Italiens diſent Cruſca & les Flamands Grutte. En quelques lieux on dit Gruel & Grut.* Fallitur vir doctus: neque enim Tuſcorum *Cruſca* ſignificat *Farinam*, ſed *Furfurem*. Tamdem ait Menagius, e *Grus* efformatum fuiſſe *Gruiſcus*, *Gruſcus*, *Gruſca*, *Cruſca*. Dimittamus Menagium, donec Ferrarium audiamus, qui a *Cernere* deducit *Cretum*, *Gretum*, *Cruſca*, aut a *Quiſquiliæ*, *Cruſculia*, *Cruſca*. Quis hæc ferat? Aſt ego vadem me facio nobili Academiæ *della Cruſca*, nomen hoc puram putam eſſe vocem ex Germanica Lingua profectam; nam apud Germanos adhuc ſole clarius eſt uſurpari *Gruſch* & *Kruſch*, *Furfurem* ſignificans. Idem quoque nomen ipſis olim in uſu fuit. Nam in antiquiſſimis Gloſſis Theotiſcis, ex Medicea Bibliotheca deſcriptis, atque a Johanne Georgio Eccardo editis in Appendice ad Tom. 2. Hiſtor. Franciæ Orientalis, legimus *Furfur: Cruſc, vel Chliba.* Et fortaſſe Mutinenſis Dialectus ex hoc ipſo fonte accepit ſuum *Ruſco*, ſignificans *Quiſquilias* ſeu *Purgamenta* rerum, ad ſimilitudinem *Furfuris*, qui Purgamentum farinæ eſt. Unde verò prodierit *Semola*, & *Remolo*, quibus nominibus *Furfur* apud Mutinenſes deſignatur, ſi quis mihi indicaverit, ei gratias habebo.

Cucire. Suere. A Latino Cuſire, cujus mentio eſt in antiquis Gloſſis: inquit Menagius. At hoc ipſum *Cuſire*, peto ego, unde natum? Neque enim Latini veteres hac voce ſunt uſi. A *Conſuere* opinor ego, quod in *Coſire*, & *Cuſire* evaluerit, & apud Tuſcos in *Cucire*. Sed nondum mihi detracta ſuſpicio eſt, quin e *Cudo*, *Cudis*, *Cuſum*, barbarica tempora efformaſſe potuerint *Cuſire*, quum e Supino ſeu Participio alia verba deduxerint, ut *Acquiſtare* ab *Acquiſitum* verbi *Acquiro*, *Conciare* a *Comtum* verbi *Como*, *Peſtare*, ſeu *Piſtare*, a *Piſtum* verbi *Pinſo* &c. Latini ipſi a *Pultum* Supino antiquo verbi *Pello* traxerunt *Pultare*; idque in aliis verbis præſtitere: frequentativa enim ita efformabant. Certe Galli habent *Coudere* pro *Suere*, *Cucire*, quod videtur ipſum *Cudere*, quaſi olim dixerint Majores noſtri, *Seu Cudere* veſtes. Sed nullus heic veterum locus mihi ſuccurrit, ac propterea re tantùm propoſitâ, digito os comprimo.

Culo. Anus. Podex. Sit honos auribus. In prima Vocabularii Florentini editione ita Academici Cruſcani hanc vocem interpretati ſunt. *Parte del corpo, con cui ſi ſiede.* Taſſonius noſter, vir lepidus ſimul & acutiſſimus, definitioni huic notam inuſſit, ſubſcribens: *Con cui ſi caca &c.* Neque inutilis cenſura fuit. Nam ſubſequuti Academici Anno MDCXCI. Vocabularium amplificatum rurſus prœlo tradentes, eamdem ſunt amplexati. At in noviſſima ac ampliore ejuſdem Vocabularii editione mirari forſan Lectores poſſint, cur docti illi Viri, abjectâ germanâ Taſſonii definitione, a præcedentibus quoque Vocabularii illius reſtauratoribus adhibitâ, rurſus ſcripſerint, *con cui ſi ſiede*. Nam etſi interdum hac voce *Nates* deſignentur, id tamen per licentiam, ſive figuram fit. Propria quippe vocabuli ſignificatio ea eſt, quam indicavi. Si honeſtatis causâ illi fecerunt: cur obſcœniora aut fœdiora vocabula ſuo loco recenſuerunt? Vocis autem hujus, qua etiam Galli utuntur, pariterque & Hiſpani, origo, ſi Monoſinio fides, quem Academici *della Cruſca* ſequuti ſunt, e Græco Κῶλος arceſſenda eſt. Et revera in Lexico Suidæ legitur Πρωκτὸς, ὁ Κῶλος, uti Du-Cangius animadvertit. Sed contra ſentiendum eſt, recentiores Græcos a Latinis, ſeu Italis, mutuatos hoc vocabulum fuiſſe, & in Lexica ſua invexiſſe. Nemo enim ex antiquis Græcis eam uſurpavit: neque in editione prima Suidæ, ab Æmilio Porto procuratâ, eadem vox mihi ſe obtulit. Præterea in Lexico Græco-Latino Cyrilli & Philoxeni, edito a Carolo Labbeo legitur: Πρωκτὸς. *Culus*, *Podex*, *Anus*. Et in Latino-Græco: *Culus*, Πρωκτὸς. Ubi vides, *Culum* accipi pro Latina voce, neque per Κῶλος reddi. In Gloſſis Iſidoro tributis, & in Gloſſis a Pythœo excerptis legitur: *Culina*, *Latrina*, *Seceſſum*: quod neſcio, an aliquid rei habeat cum voce iſta. Varro apud Nonium ad vocem *Culina* ait: *In poſtica parte erat Culina*. Sed his dimiſſis, ajo hanc eſſe vocem Latinam, veterumque Latinorum vulgus fœtenti hoc vocabulo uſum paſſim fuiſſe, quamquam Lexicographi idem omittere conſueverint. Martialis Poëtæ cloacam pete, ubi ipſa vox non ſemel recurrit.

Curato. Parochus. Per apocopen a *Curator* Ferrarius efformatum putat *Curato*. Immo ſubdit Menagius, a *Curatus* pro *Curator*, ut *Dictatus* pro *Dictator*. Nullius momenti lis eſt. Norunt omnes, ab animarum *Cura* Parochos appellatos fuiſſe *Curatos*.

D

DAdo. *Cubus. Teſſera. Giocare a' Dadi*, *Taxillorum Ludum* appellare conſuevimus. *Talorum Ludus*, aut *Alea judiciorum* apud veteres Latinos idem fuiſſe creditur

A
ditur a nonnullis. Si audis Adrianum Turnebum, cui Menagius ſubſcribit, a *Datus* nomen hoc emerſit. Contra Du-Cangius Gallicum *Dé*, nobis *Dado*, nihil aliud cenſuit, niſi *Judicium Dei*, converſum in *jeu de Dé*. Habeant illi ſuas opiniones. Mihi veri videtur ſimilius, Arabes importaſſe in Italiam & Hiſpaniam hunc Ludum, ejuſque nomen. Ipſorum enim Lingua uſurpat *Daddon* & *Dadda* pro *Ludo Taxillorum*, uti fidem faciunt Giggeus & Gollius, quos conſulere potes.

Danzare. *Choreas ducere*. *Danza*, *Chorea*. Salmaſio, quem Menagius ſequitur, placuit hanc vocem derivare e Latino *Denſare*, more *Fullonum*, *qui dum veſtimenta cogerent & denſarent*, *ſaltabant*. Sed quis
B
Salmaſium docuit, Fullones olim non fuſtibus, ſed pedibus uſos fuiſſe ad pannos denſandos? Sanctum Jacobum Minorem, unum ex Apoſtolis tradunt antiqua monumenta, *Fullonis* Ethnici *fuſte* interemtum. Hanc vocem *Danzare* & *Danza* Germanica Lingua mihi creditur nobis ſuppeditaſſe, cui eſt *Tanz*, *Chorea*, & *Tantzen*, *Choreas ducere*, ut alias inde compoſitas voces omittam. Facilè verò *T.* in *D.*, ſive *D.* in *T.* immutari, norunt omnes. Hinc etiam *Danſer* Gallicum, & *to Dance* Britannicum. Et ſane in veteri quoque
C
Islandica Lingua, uti Hickeſius Tomo Primo Linguarum Septemtrionalium oſtendit, *Dans Choreas* ſignificat. Hiſpanis pariter eſt adhuc *Danza* pro *Chorea*.

Dardo. *Verutum*. Qui a *Veruto* in mille formas converſo ac detorto hanc vocem hauſere (ii ſunt Ferrarius & Menagius) non ſeriò ſcripſiſſe mihi creduntur. Galli quoque *Dard*, & Angli *Dart*, & Hiſpani *Dardo* habent. In Gloſſario Boxhornii inter Celticas vetuſtiſſimas voces etiam *Dart* numeratur. Quare, dum origo melior prodeat, licebit opinari, vocabulum iſtud apud unum ex hiſce Populis proprium & antiquiſſimum eſſe, ac in
D
alias gentes propagatum: quod facile militaribus vocibus accidit.

Darſena. *Navale*. Vide Diſſertationem XXVI. *de Militia*.

Deſtriere. *Equus procerus*, quo ad prœlium nobiles viri utebantur. *Dextrarium* Scriptores medii ævi ſæpe memorant. Non a *dexteritate* ſic appellati *Dextrarii*, ut Voſſius & alii putarunt, ſed uti Du-Cangius in Gloſſario animadvertit, quod a Scutiferis ſedentibus in equis minoribus ducerentur ad *dexteram* ſine ſeſſore, ut præſto militi eſſent ad prœlium. Vide Diſſertationem XXVI *de Militia*.

Digrignare, *Grignare*. Hoc verbo ſignifica-
E
mus actionem canis irati, quum adverſario dentibus exertis minatur. *Ringi*, ſeu *Ringere* Latini dixere. Ex hoc ipſo Latinorum verbo Menagius Italicum, ſuâ licentiâ uſus, deducit, ſcilicet ex *Ringinare*, *Gringinare*, *Grignare*. Sed quomodo heic interſeritur *G*? Mihi veri videtur ſimilius, e Septemtrionalibus Populis ad nos hanc vocem deſcendiſſe. Apud antiquos Saxones *Grinian* ſignificavit idem. Et inde ſuum *to Grin* didicere Angli. Ita & nos addito *De* noſtrum *Digrignare* efformavimus. A Friderico II. Imperatore Lib. 2. de Arte venandi, Falcones Nidularii, qui *horripilant pennas*, *cooperiendo paſtum ipſorum*, *& roſtro & pedibus defendunt*, appellantur *Grinioſi*. Mutinenſes verò *Arghignare*, aut *Arghignarſi* dicunt, quum quis nauſea affectus, aut etiam irâ ſuccenſus, ita labia corrugat ut dentes oſtendat, quod & de irato cane idemtidem ſolent dicere.

Dileggiare. *Irridere*. *Credo da Deliciare*, inquit Menagius, *Delicium*, *Delicio*, *Delicionis*, *Delicione*, *Dilecione*, *Diligione*. *Ovvero da Deriſus*, *Deriſi*, *Deriſiare*, *Dericiare*, *Deliciare*, *Dileggiare*. Quot verba, tot ſomnia. Sui poſtea oblitus Menagius alio in loco vocem hanc ſibi proponit, veluti hactenus intactam, & ait Ferrarium ipſam deduxiſſe non a *Deliciis*, aut a *Riſu*, ſed quidem a *Deludiare*. Ne hoc quidem nobis perſuadeatur, quum Italica Lingua numquam *V.* mutet in *E.* Veri mihi videtur ſimilius, originem vocis hujus eſſe e *Disleggiato*, *Dileggiato*, quo nomine Tuſci appellare conſueverunt hominem *Exlegem*, utpote qui *ſine Lege* loquitur aut operatur. Eſt enim particulæ *Dis* vis negandi, ut in *Disleale*, *Diſcordare*, *Diſattento*, &c. Veniam dicendi peterem, ſi viverent, ab antiquis doctiſſimis Auctoribus Vocabularii Florentini. Veluti duas diverſas voces ii nobis exhibuerunt *Dileggiato*, & *Dilegiato*. Idem ſunt, idem ſignificant; Veterum exempla, ſi accuratius perpendas, id oſtendunt. Recentiores hoc verbo ſunt uſi ad ſignificandum *Irridere*; at olim ſonabat dumtaxat *Exprobrare alicui mores effrenatos & informes*. Ita *Villaneggiare* efformatum ex appellando aliquem *Villanum*, ideſt morum agreſtium. Neque aliunde natum opinor *Strapazzare*, niſi ab appellantibus aliquem *Strapazzo*, ideſt *Sommamente Pazzo*. Nam uti recte monent Auctores ejuſdem Vocabularii, *Stra e Tra in compoſizione*, *denota accreſcimento*. In nuperrima amplificata editione Vocabularii Florentini ſupra laudati video nullum diſcrimen fieri inter *Dilegiato* & *Dileggiato*, & quidem recte. Infra vide *Strapazzare*.

Dimane, *Domane*, *Domani*. *Cras*. Ab inuſitato Latinorum *De Mane* putavit Menagius derivatum iſtud Adverbium pro *Mane*. Unum is exemplum adfert ex Ariſteneti Epiſtola poſtrema, quaſi Græcus Scriptor Latinorum rituum teſtis idoneus eſſe in ejuſmodi quæſtione poſſit. Ego contra certum reor, noſtrum *Domani* e Latino *De Mane* prodiiſſe, ſive quod Latini in uſu habuerint *Mane* pro ſubſequenti die, ſive quod Hebræorum ritus ac divinæ Literæ, earumve Interpretes *Mane* pro *die craſtini* adhibuerint, eorumque mores in noſtros jamdudum tranſtulerimus. Martialem audi in Epigrammate 53. Libri 6.

Lotus nobiſcum eſt hilaris, cœnavit & idem:
Inventus Mane eſt mortuus Andragoras.

Non dicit *craſtino Mane*, ſed tantùm *Mane*, quemadmodum & nos dicimus *nel Domani*. Alterum ſimile exemplum vide Lib. 6. Epigrammate 12.

Omnia

Omnia promittis, quum tota nocte bibiſti:
Mane nihil præſtas. Poſtume, Mane bibe.

Et hinc habes in priori loco *Mane*, ſignificans *Craſtinum*. Ad hæc Hebræi diem obſervabant a Veſpere in Veſperam. Sub nomine *Veſpera* Noctem computabant; diem verò ſubſequentem ſub nomine *Mane*. In creatione Mundi, *Factum eſt Veſpere & Mane dies unus*, Geneſeos Cap. I. verſ. 5. Rurſus in Exodi Cap. 16. verſ. 6. ita leguntur: *Veſpere ſcietis, quod Dominus eduxerit vos de terra Ægypti. Et Mane videbitis gloriam ejus.* Quibus etiam verbis utitur Eccleſia in Vigilia Nativitatis Domini. Ita Matthæi Cap. 16. verſ. 18. uſurpatum videas *Mane* pro Craſtino, ſive ſubſequenti *Mane*. *Et relictis illis, abiit foras extra Civitatem in Bethaniam: ibique manſit. Mane autem revertens in Civitatem eſuriit.* Neque diſſimile exemplum Marci Cap. XI. verſ. 20. *Et quum Veſpera facta eſſet, egrediebatur de Civitate. Et quum Mane tranſirent, viderunt ficum &c.* Alia exempla prætermitto.

Devenire. *Fieri*, *Evadere*. Nulla dubitatio eſt, quin ex Latino *Devenire* deſcenderit. Sed quomodo diverſa ei a Latino ſignificatio indita fuit in Italica Lingua? Analogiam accipe. Uti Latium ex *Vado* efformavit *Evadere*, ſignificans *Fieri*, ita ſubſequuta Secula ex *Venio* derivarunt *Devenire* & *Divenire* eadem ſignificatione. Simili modo a *Re* & *Exeo*, verbo itidem ſignificante motum, confecere Majores noſtri *Riuſcire*, ejuſdem ſignificationis atque Latinum *Evadere*, & Italicum *Divenire*. Nempe Latini dixere *Devenire ad ſenium, ad paupertatem, in ſublimem fortunam, ad ingentes opes &c.* Brevius poſteri dicere cœperunt. *Divenir vecchio, divenir povero, divenire ſommamente fortunato, ricco &c.* E *Devenio* eſt ſupinum aut participium *Deventum*, & inde proceſſit *Diventare* Italicum, idem ſignificans ac *Divenire*.

Diviſare. Vide ſupra verbum *Avviſare*.

Divario. *Diſcrimen*, *Differentia*. Vox compoſita ex *Di* & *Vario*. Ajebant enim: *Nulla c'è Di Vario fra queſte due coſe*.

Drappo. *Serica*, aut *linea tela*. Nos a Gallica Lingua accepimus, cui eſt *Drap*, antiquiſſimum ejus gentis vocabulum. Inde acceperunt & Angli. Ferrarius, qui a *Raupa* hanc vocem factam putat, minime audiendus. A *Raupa*, ſive *Rauba* emanavit Gallicum *Robe*, *Veſtimentum*, & Italicum *Roba*, non autem *Drappo*.

Dunque. *Igitur*, *Ergo*. Ludovicus Caſtelvetrus, celebris inter Scriptores Mutinenſes, Lib. 3. Additament. ad Proſas Bembi cenſuit, enatum fuiſſe *Dunque* ex Græco Οὖν καὶ, antepoſito *At*, ac *T.* in *D.* immutato. Ingenioſe profectò. Attamen vix ego ad credendum inducar, Majores noſtros e Græcia hauſiſſe Conjunctionem iſtam. Et fortaſſe nec apud ipſos quidem Græcos reperies Οὖν καὶ. Neque aſſentior Ferrario, deducenti *Dunque* a *Tunc*: neque Menagio a *Denique*. Nam *Dunque* nihil eſt niſi primigenium *Adunque* breviatum. Quamobrem inveſtiganda prius eſt origo vocabuli *Adunque*. Equidem ſentio in hac voce Latinum *Ad Hunc*. Fortaſſis heic aliquid ſubintelligitur, exempli gratiâ: *Ad Hunc computum*, *Ad Hunc intuitum*, *Ad Hunc modum*, *Ad Hunc finem &c.* Alia habemus vocabula, ſeu phraſes, e quibus aliquid excidit, ſeu quidpiam deſideratur. Quærendum itaque, num hac viâ deprehendi poſſit origo vocabuli iſtius, quod Italicæ Linguæ more in *E.* aut *A.* veteres terminarint, dicendo *Adunque*, *Dunque*, *Dunqua*, & Galli *Donc*, *Donques*. Ita vox *Però* efformata fuit ex *Per* & *Hoc*.

E

E*lſa*, aut *Elza*. Ferrum capulo enſis appoſitum, ne manus a contrario gladio lædatur. Mutinenſes, aliique Lombardi appellare ſolent *Coccia da ſpada* ferrum hujuſmodi. Alii verò *Guardia*. *Elſa* vox eſt originis Germanicæ. Veteres Saxones nuncupabant *Helt*, & inde Angli hauſere ſuum *Hilt*, Itali demum ſuum *Elza*, ſive *Elſa*. In Gloſſis Theotiſcis Bibliothecæ Mediceæ, ab Eccardo editis habetur, *Capulus*, *Helza*. Ita in Gloſſis Ælfrici *Capulum*, *Hiltu*. Quare Græcum Ἕλιξ, ſignificans *Involucrum*, a quo Menagius malebat deductum fuiſſe *Elza*, explodendum eſſe facile intelligis.

Endica. *Il comperar robe per ſerbarle, e poi a tempo rivenderle, per guadagnarvi*. Ita Auctores Vocabularii Cruſcani. Vereor, ut Germanam vocis ſignificationem nobis dederint. Mihi *Endica* nihil aliud eſt, uti jam monui in Diſſertatione XXX. *de Mercat.*, niſi quod nunc *Magazzino* appellamus, locus nempe, ubi merces adſervantur. *Laſciando i poſſenti colle grandi Endiche*, verba ſunt Johannis Villanii Lib. XI. Cap. 99. Hiſtor., quæ non pro *Incetta*, ſed pro *Reconditorio mercium & annonæ* accipio. Ita & de reliquis exemplis. Hæc autem vox e Græco Ἐνθήκη, idem ſignificante venit. *Enthe̜ca* pariter eodem ſenſu occurrit apud Latinos. Vide Du Cangium ad ipſam vocem. Quare habemus, quàm longe a meta abierit Menagius, qui ſuis fretus ſcalis ab *Emo*, *Emptus*, *Empti*, *Emptica* derivavit *Endica*. Vide etiam Diſſertationem XXX. *de Mercatibus*. Caſſiodorius Lib. 12. Epiſt. 4. inquit: *Comitis Patrimonii relatione declaratum eſt*, *Acinaticium* (ſive *Acinaticum*, ideſt Vinum) *cui nomen ex acino eſt*, *Enthecis aulicis fuiſſe tenuatum*. Clariſs. Marchio Maffejus in Verona Illuſtrata opinatur, ibi legendum *in thecis aulicis*; nam *Enthecæ*, ut is putat, nomine ſignificabantur ruſticorum inſtrumenta, ſive dotes prædiorum. Sed præterquamquod *Thecas Vini* appellare inſuetum fuit, nuper memorata vox *Entheca*, *Reconditorium* ſignificans, commodius ac tutius ibi adhibetur. Nos nunc appellamus *Cantina*, hoc eſt *Cellam Vinariam*

F

F*Accenda*. *Negotium*. Ex habere negotia facienda manavit.

Fagotto. *Faſciculus*. E *Faſciculottus* vocem hanc

A hanc traxit Ferrarius. Inde emerſiſſet
Faſciotto, non *Fagotto*. Menagius ſcalam
ſuam hanc adhibet: *Faſcis*, *Faſcicus*,
Faſcicuttus, *Faſcuttus*, *Faſguttus*, *Fa-
guttus*, *Fagotto*. Et hoc ad ſomnia
amandandum. Antea e Græcia idem Me-
nagius & Monoſinius *Fagotto* traxerant,
conatu minime feliciori. Sunt & apud
Du-Cangium in Gloſſario, quæ ſuſpicio-
nem ingerant, enaſci potuiſſe hanc vocem
e *Faculis*, quarum faſciculi familiares
erant; aut e *Fagis*, e quibus faſces col-
ligebantur. Sed nihil ſatisfacit. Quod
certum mihi videtur, Itali e Gallica Lin-
gua accepere *Fagotto*. Origo autem vo-
B cis ignota aut incerta eſſe pergit, niſi
Boxhornio ſubſcribamus, qui in Gloſſa-
riolo ſuo inter Celticas antiquiſſimas vo-
ces enumerat *Ffagod*, ſignificans *faſcicu-
lum*. Ceterum Auctores Vocabularii Cru-
ſcani nobis exhibuere vocabulum alterum
ejus ſignificationis, videlicet *Fangotto*.
Sed apage. Nemo Italicorum hunc vo
cem, ut opinor, uſurpat. Unicum
exemplum, quod in Vocabulario legi-
tur, excerptum e Rythmis Matthæi Fran-
ceſii, credendum eſt Typographorum
ſphalma.

Falbo. Coloris ſpecies in equis. A *Fulvus*, ſi
Menagium audimus, deſcendit. Mihi po-
C tiùs creditur a *Flavus* corrupto. Nempe
Flabus, *Falbus*, *Falbo*. Sed videndum,
num potiùs hanc vocem e Græcis accepe-
rimus. Theophanes auctor eſt, equum
Heraclii Auguſti appellatum fuiſſe Φάλβας.

Fallare. *Errare*. Vocem hanc e *Falla*, ideſt
Fallacia, Latinorum veterum verbo, de-
ducit Menagius. Æque poterat dicere a
Fallo. Verùm non idem eſt *Fallo*, ſeu
Fallacia, atque *Errare*, ſive *Peccare*. Igi-
tur ex Germanica Lingua noſtrum *Fallare*
prodiiſſe certum puto, hoc eſt a *Fall*, ſi-
gnificante *Caduta*, unde Italicum *Fallo*,
metaphorice uſurpatum pro *Caduta in
Errore*. Germanicum *Fallen Cadere* ſigni-
D ficans, in noſtrum *Fallare* evaſit, ad ſigni-
ficandum *Cadere in errorem*. *Fall* quoque
e Germanico ſumtum uſurpatur ab Anglis.
Et in veteri Islandica Lingua, teſte Kic-
keſio, *Falla* & *Feallan Cadere ſignificat*.
Fall, *Caſus*. *Fell*, *Cado*. Ita in Gloſſis
Rhabani Mauri *Caſus Fal*. Præterea Ger-
manis eſt *Fehl*, *Error*; & *Fehlen*, *Erra-
re*, *Peccare*, *Mancare*. Inde etiam Italica
vox manaſſe potuit. Nam quod eſt ad
Falliren Germanicum, de Mercatore fidem
creditoribus fallente, ex Italica Lingua
in Germaniam migraſſe videtur. Arabum
etiam Lingua habet *Fala*, *Errare*. Didi-
ciſſe & inde potuimus.

E **Falò**. Pyra flammis data ſub dio exulta-
tionis cauſsâ. *Falodium* Barbaro-Latini ap-
pellarunt. Galli *Falot*. A Φάω *Luceo* Me-
nagius: a Φαλός *Splendidus* eam vocem
eliciebant Monoſinius & Pignorius, quo-
rum Etymologia veriſimilis. P Daniel e
Societate Jeſu in Libro *de la Milice*, vo-
cabulum *Falò* a *Phalarica* traxit, ſed mi-
nus recte. Contra contendit Hickeſius,
e Gothico & Saxonico *Bal*, ſignificante
Flammam vehementem, *Rogum*, *Pyram*
deducendum eſſe noſtrum *Falò* & Galli-
cum *Falod*. Facile in Germanica Lingua
Bal immutari potuit in *Val*, & *Val* in *Fal*;
indeque efformari diminutivum *Falot*, &
noſtrum *Falò*. Ego inter iſta dubius hæ-
reo. Albertinus Muſſatus Lib. 13. Ru-
bric. 8. Hiſtor. Auguſt. ait: *Ecce in ſum-
mo Gorgonæ faſtigio ignem emicare, quod
ſignum Falò ipſi nuncupabant, conſpexere.*

Fanfaluca. Hæc vox ita exponitur in Voca-
bulario Cruſcano: *Quella fraſca, che ab-
bruciata ſi leva in aria*. Quod certum eſt,
vulgaris ſignificatio vocis eſt *Nugæ*, *Som-
nia vigilantium*. In Gloſſis Theotiſcis Me-
diceæ Bibliothecæ, ab Eccardo editis, le-
gimus *Fanfaluca Græce*, *Bulla aquatica
Latine*. Ego deſumtam vocem puto e
Græcorum Πομφόλυξ Πομφόλυγες, revera
ſignificante *Bullas* in aqua æſtuante na-
ſcentes. E Græcâ voce Πομφόλυγος *Ponfo-
lugos*, *Ponfoluca*, & demum *Fanfaluca*,
emerſiſſe potuerint. Sunt & qui *Pampa-
luga* dicunt, & *Pampalugo* hominem nihili
Venetorum Dialectum heic conſulas ve-
lim. Itaque hæc germana videtur vocis
origo, & ſignificatio, quam tranſtulimus
ad alia per Metaphoram. Menagius vo-
cabulum hoc minime ſibi propoſuit.

Fango. *Cœnum*. Repugnantibus Etymologiæ
legibus univerſis, a *Fimus* hanc vocem
traxit Menagius. Diſſimiles literæ ſunt,
ac diverſa *Fimi* & *Luti* ſignificatio. Ne-
que meliora dat Ferrarius. Certi aliquid
ne ego quidem adferam. In mentem mi-
hi venerat ſuſpicari, e *Fangen* Germanico,
ſignificante *Captare* Latinum, nobis *Pi-
gliare*, *Prendere*, Italicum *Fango* & *Fan-
goſo* prodiiſſe. Ut enim veteres deſigna-
rent *Cœnum*, fortaſſe dixerunt: *Terra,
che prende i piedi*, idque verbo *Fangen*
exprimere potuerunt. Ita Latinis *Cœnum
tenax* appellabatur. Et Horatius dixit:

Nequicquam Cœno cupiens evellere plantam.

Sed ſomnio proximam conjecturam hanc
judicavi. Habent & Galli *Fange*, quod
Fureterius ex Celtico *Fancg* emanaſſe cen-
ſet. Si id verum, inde vocem accepimus.
Mutinenſes præter *Fango*, & *Pantano* idem
ſignificans, habent etiam *Lezza*, *Begra*, &
Zapello, diverſas *Cœni* & *Luti* ſpecies. Po-
ſtremum neſcio num venerit e Germanico
Zappeln, an e Græco Πηλός ſignificante
Lutum, quaſi ex διὰ πηλὸν, ſeu διὰ πηλοῦ
efformatum fuerit *Zapello*, uti *Zabolus* e
Diabolus olim dictum fuit, & *Zaconus* pro
Diaconus.

Fante. *Famulus*, *Servus*. Effugit vox iſta Me-
nagium. Contendit Hickeſius, e Scandi-
co *Fantur* ſignificante *Famulum*, *Satelli-
tem*, emerſiſſe hanc vocem. *Fanter* iiſdem
Populis appellantur *Famuli*, *Satellites*. Ad
pedites in militia nomen inde translatum.
Sed a Latino *Infans*, varie ab antiquis
uſurpato, vox iſta fortaſſis eſt arceſſenda.
Ita *Famuli* ab antiquis appellati fuere *Pue-
ri*. *Mon enfant* adhuc eſt Gallis.

Farfalla. *Papilio*. Erudite de origine hujus
vocis multa adfert Menagius, eam a Græ-
co Φάλλη deducens. Attamen ſunt, quæ
me deterrent ab ejus ſententia amplecten-
da. Cur enim additum *Far* voci *Falla*?
Deinde Græcum Φάλλη, non *Papilionem*
ſignificat, ſed *Cicindelam*, quam *Lucciola*
nos appellamus. Ejuſmodi Cicindelæ a
Licophrone dicuntur Φάλαι, & Φάλαιναι a
Ni-

Nicandro in Thericis, nempe quod Φῶς, idest Lucem, ſecum ferant. Non ergo veriſimilius ſuerit, tribuendum fuiſſe Φαλλ., ſeu Cicindelæ nomen Papilioni, inſecto ſpeciei diverſæ. At unde *Farfalla*? Potius ab ipſo Latinorum *Papilio*, apud nos Lombardos corrupto. Nimirum nobis *Papilio* eſt *Parpaja*, *Parpaja*. Tuſci pro *Parpaja* dixiſſe videntur *Farfalla*: nam P. facile mutatur in F ut ex aliis vocibus conſtat. Inſuper ipſi retinent *Parpaglione*, idem ſignificans atque *Farfalla*, hoc eſt *Parpalia*, ſeu *Parpaja* Lombardicum: quod *Papilionem* Latinum propius refert.

Faſtello. *Faſciculus*. Recte a Latino *Faſcis* vocem deduxit Menagius, at non ea gradatione, quam ipſe excogitavit, ideſt *Faſciculus*, *Faſcellus*, *Faſtellus*. Aliâ ratione efformata vox fuit, hoc eſt e *Faſcio*, *Faſcetto*, *Faſcettello*, *Faſtello*.

Fegato. *Jecur*, *Hepar*. Nuſquam major quàm hîc controverſia inter Eruditos de origine vocis hujus. Plerique eo feruntur, ut credant, a *Ficis Ficatum* fuiſſe appellatum, quod ſues a Marco Apicio Romanorum famoſiſſimo helluone *Ficis* nutriti, *Jecur* darent gratiſſimi ſaporis quærentibus in menſa delicias. Lagunα, Covaruvias, Salmaſius, Vincentius Tanara, Ferrarius, aliique non pauci hæc narrant. Ego potiùs fabellam puto. Neque enim Romani, apud quos floruit Apicius, hanc Jecinoris metamorphoſin, novumque nomen novere: neque unius hominis culina Populos integros ad immutandum Hepatis nomen adducere potuit. Quod ſi Salmaſius auctor eſt, in recentiorum Græcorum Gloſſariis Ἧπαρ appellari Συκωτὸν, id factum, quod Græci Italis immixti in Sicilia, ac alibi, Italicum vocabulum *Fegato*, ſeu Venetorum *Figào*, aut etiam Hiſpanicum *Higàdo*, Græce reddidere Συκωτὸν, nomen a *Ficubus*, ſeu *Ficis* derivatum arbitrati. Gloſſis veterum non nimis fidendum eſt. Recentiorum additamenta in omnibus ferme Gloſsariis offendes. Præterea non niſi riſu excipienda Menagii opinio, qui ab ipſo *Hepar* incredibili gradatione enatum cenſet Italicum *Fegato*, & *Foye* Gallicum. Sed quid ego? Somnia proferre & mihi liceat. Dubitabam primo, an a Latino *Figere* enaſci potuerit *Fegato*, quum ut Medici ajunt, *incraſſato & coagulato Sanguini* ſimile ſit Jecur. Propterea Furetierius dixit: *Il reſſemble à du Sang Figè, ou caillè*. Ita & Diemerbræchius Hepar *inſtar concreti Sanguinis* appellavit. Cum iſta interpretatione conſonarent Gloſſæ Romano-Theotiſcæ, ab Eccardo editæ, quæ a Provinciali quopiam Gallo antiquiſſimo ſcriptæ creduntur. Ibi enim legitur *Figido*, *Lapari*, pro *Hepar*. Hinc ſaltem habes antiquitatem vocis. Attamen tolerabilior altera mihi opinio ſe obtulit, nempe a Medicis hoc ei ſenſim impoſitum fuiſſe nomen, quod *Jecur* Fellis ope Sanguinis fæces expurgare crederetur, quaſi *Fecator*, ſeu *Defecator* eſſet. Plinium audi Lib. XI. Cap. 37. de Felle agentem: *Eſt autem nihil aliud, quam purgamentum peſſimi Sanguinis, & ideo in materia Jocineris eſt*. Cato quoque *Fecatum vinum* dixit. Præcipue verò Germanicis Medicis hoc ei impoſitum nomen videtur. Ipſis enim *Fegen* eſt *Purgare*: *Auſ-Fegen* quoque eſt *Expurgare*. A quo verbo efformatur *Feger*, & *Auſ-Feger*, *Purgator*, *Defæcator*, ubi expreſſum pæne vides nomen ipſum *Fegato*. Quod etiam veteres *Jecur ſedem Ignis* putarent, Galli *Foye* Hepar fortaſſis appellarunt. Audi Iſidorum Lib. XI. Cap. Primo Origin. *Jecur nomen habet, eo quod Ignis ibi habeat ſedem*. Inde Gallica vox *Foye*, quaſi *Focularе*, ſive ut illi ajunt *Foyer* Sanguinis, non autem ab *Hepar*, quod cenſuit Menagius. Matthæus Silvaticus, qui ait *Fecatum*, *ideſt Hepar animalium* eſſe, Pandectas Medicinæ ſcribens Anno Chriſti MCCCXVII. addit quoque: *Ficatum*, *ideſt Hepar*: *Diaſco*, quo nomine Dioſcoridem commemorare ſolet. Verùm vix credam, vocabulum hoc *Ficatum* in Dioſcoridis Libris legi.

Fiaccare. *Rumpere*, *Frangere*. Menagium audi. *Da Frangere Latino. Frango, Fregi, Fractum, Fractare, Flactare, Flaccare, Fiaccare. E non da Flaccus, primitivo di Flaccidus*. Bardus ſit, qui credat. Aut e *Flaccus* ſignificante *Languidum*, aut e *Flacceo* intranſitivo, ſignificante *Languere*, barbarica Sæcula efformaſſe verbum tranſitivum *Flaccare*, aut *Flacceare*, nimium veriſimile eſt. Nam *Fiaccare* ſignificat etiam *Debilitare*. Nos perſæpe dicimus *Fiacco* pro *Languido*, *Debili*, uti & *Fiaccato* pro *Fracto*, *Rupto*.

Fianco. *Latus*. A Græco Λαγὼν, *Lagonus*, *Lagonum*, *Lagnum*, *Flagnum*, *Flancum*, *Fianco*, ridendâ hac gradatione traxit Menagius. Facile Phantaſiæ indulgentes, quidquid amamus, aſſequimur. Et profecto ſi tanta licentia ferenda eſt, omnium vocum originem in manu pro arbitrio noſtro habebimus. Imperterrite quoque Ferrarius ab *Ile*, *Iliacum*, *Iliancum* deduxit *Fianco*. Nauci hæc omnia facienda. Galli *Flanc Latus* appellant, uti & Angli *Flanck*, quod nos *Fianco*. Veri videtur ſimile, hanc eſſe antiquiſſimam Celtarum ſive Gallorum vocem, quæ in Italiam & Angliam immigrarit; aut potius Germanicam; nam & Germanica Lingua habet *Flanke* & *Lanke* eodem ſenſu. Monui, & monebo ſæpe, Septemtrionales gentes ſeſe effudiſſe per univerſum Occidentem, ibique multa reliquiſſe ſuarum Linguarum veſtigia.

Fiata. *Vix*, *Vicis*. Idem ac *Volta*. *Unâ Vice*. Tuſci reddunt *una Fiata*. Si Menagium auſcultare volumus, e *Vicata* venit, hoc modo. *Vicis*, *Vice*, *Vica*, *Vicata*, *Viata*, *Fiata*. Metamorphoſin iſtam quis credat? Longe veri ſimilius eſt, e *Viata*, compoſito ex *Via*, natum fuiſſe *Fiata*. Nam *V.* conſonans preſſe pronuntiatum evadit F. Atque uti *Volta* (de quo infra) temporis menſuram ſignificat, deſumtam e deambulantium *converſionibus*, ita *Viata* ſignificare videtur unum *Iter*, ſive unam *Deambulationem*. Sic veteres Florentini *Fiale* appellaſſe creduntur *Favum* in Alvearibus *Apum*, quaſi *Viale*.

Ficcare. Vide ſupra verbum **Chiappare**.

Fiebole, **Fievole**. *Debilis*, *Infirmus*. Recte Menagius, a *Flebilis* hanc vocem traxit, non verò a *Flexibilis*, quod Ferrarius fuerat arbitratus. In Lege 18. Langobardor

dor Ludovici Pii Auguſti, uti Codex Eſtenſis nos docuit, atque animadverti Part. II. Tomi I. Rer. Italicar. pag. 129. occurrunt *teſtes Flebiliores* pro *Infirmi*. Vide & Du-Cangium in Gloſſario. Hinc & Gallis *Foible*. In Capitular. Caroli Calvi, pag. 180. occurrit, ita *vapulent Servi, ut in corpore ſuo Debiliores non fiant*. Idem eſt *Debiliores* ac *Flebiliores*, nempe *più Fievoli*. A

Fiera . *Nundinæ* . Vide Diſſertationem XXX. *de Mercatibus* .

Filza . *Series ordinata* rerum mobilium, filo trajecto junctarum. Ab ipſo *Filo*, *Filtia* manavit, *Filza*, *Infilzare*; nam *Filum* tranſvectum margaritas, corallia, papyros, grana precatoria &c. per ordinem jungit. Mutinenſes dicunt etiam *Infilare* pro *Infilzare*, puta *Infilar perle*, *Infilar coralli &c.* uti & Mediolanenſes. B

Fillugello . *Bombyx* . Vide Diſſertationem XXX. *de Mercatibus* .

Fino, ſeu *Fine*, ut Florentini ajunt. *Perfectus*, *Purus*. Eſt quod miremur, Guietum & Menagium e ſomniata quadam Latina voce *Vinus*, deducere voluiſſe *Fino* Italicum, *Fin* Gallicum, & *Fino* Hiſpanicum. *Vinulus*, ſeu potius *Vinnulus* tantummodo fuit Latinis. Uſus eſt Plautus, uſus & Nonius. *Oratio Vinnula*, *venuſtula* occurrit. Sed nondum novimus, quid revera ſignificarit *Vinnulus*. A *Vinno*, ideſt *Cincinno*, *flexuoſam* orationem Janus Duza & Voſſius divinando cenſuerunt. Sed ii facile fumos mercantur, qui ab unis Græcorum, Latinorumve Linguis verba Italicæ, Gallicæ, & Hiſpanicæ derivare conantur, atque interim aut negligunt, aut contemnunt Septemtrionalium Linguas, unde tot nobis accrevere vocabula. Inter antiquiſſimas Germanici ſermonis voces numeratur *Fein*, ſi vera tradit Crammerus, eademque ſignificatione, qua noſtrum *Fino*. En primum fontem. Britannica etiam Lingua e victrici Saxonum gente ſuum *Fine* accepit. Inde poſtea efformavere Majores noſtri Italica vocabula *Finezza*, *Affinare*, *Raffinare*, &c. C D

Fino, *Infino*. *Uſque*. Vide infra vocem *Sino*.

Fio . *Pagare il Fio* . *Luere pœnas* . Pollicitus fuerat Menagius, ſe de hac phraſi proverbiali fore pertractaturum. At nihil tale in ejus Libro reperire potui. Utique *Fio* pro *Feudo* Tuſci Scriptores adhibuiſſe videntur; at hæc notio nihil reſpondet hujuſmodi phraſi. Quid enim ſignificaret *pagare il Feudo*? Quantùm ego conjicere poſſum, *Fio* in phraſi illa ſignificat *Uſuram*. Anglica Lingua habet *Fee*, ſignificans, *Præmium*, *Mercedem*, *Donum*. Anglo-Saxones *Feo* dixere; & Eccardo teſte in Notis ad Tit. IV. Legis Salicæ, *Fio* & *Fihu* ſcribitur Theotiſce, atque ipſo teſtante ſignificat *pecuniam*, *opes*. Fœneratores Gallici & Anglici ultra ſortem ſive pecuniam mutuo datam exigebant ſub nomine *Præmii* ſive *Doni*, Uſuram. Hæc propterea appellata fortaſſe fuit *Fio* etiam ab Italis, in Gallia & Anglia Fœnus facientibus, ut dixi in Diſſertatione XVI. *de Fœneratoribus*. E

Fioco . *Raucus* . A *Faucibus*, ita ut ſignificetur *vox faucibus hærens*, fruſtra originem vocabuli hujus petiit Ferrarius. Sed neque mihi umquam perſuadebit Menagius, ipſam vocem emerſiſſe ex eodem nomine *Raucus*; quamquam is nihil dubitans addat: *Ne viene ſicuro*. E *Raucus* ad nos venit *Roco*, non *Fioco*. Et *Fio* Italicum exſurgere poteſt ex *Flo*, non verò e *Rau*. Tolerabilior proinde conjectura foret, deducere *Fioco* e Latino *Flaccidus*, aut *Flaccus*. Nam etſi inde derivatum fuerit *Fiacco*, fieri tamen potuit, ut *Fioco* etiam originem traxerit. Verùm ego nihil decerno.

Fiſchiare . *Sibilare* . Menagius & Ferrarius a *Fiſtula*, *Fiſtulare*, & inde *Fiſchiare* natum putant. A vero non abhorret ejuſmodi Etymologia. Attamen, quum aliud ſit *Fiſtulæ* ſonus, & oris ſibilus, videndum, an potius a ſono ſibili, aut a Germanico verbo *Biſchen*, quod *Fiſchiare* ſignificat, emanaſſe vox iſta potuerit. Uti jam monui *B.* in *V.* conſonans, & *V.* preſſe pronuntiatum in *F.* facile tranſit. Fieri tamen poteſt, ut æque nos ac illi a ſono vocem efformaverimus, quod in tot aliis factum novimus. Vide ſupra *Buffare*.

Fitto, *Affitto*. Vide Diſſertationem XI. *de Allodiis*.

Floſcio . *Enervatus* . Menagio intentata vox. A Latino *Flaccidus* ſuſpicari quiſquam poſſit hauriendam hanc vocem. Attamen illi potius originem dedit Latinum *Fluxus*, ut *veſtis fluxa* &c.

Foggia . *Modus*, *Ratio*, uti hanc vocem explicant Auctores Vocabularii Florentini. Menagium audiamus. *Da Facies*, *Facia*, *Foccia*, *Foggia*. *O piuttoſto da Fabrica*, *Fabricia*, *Fauricia*, *Faucia*, *Foggia*. Ejuſmodi Etymis ſuum nomen dare nolo. Quanti ſint æſtimanda, prudens Lector, vel me tacente, novit. Mihi creditur Mercatorum vox, e Gallia in Tuſciam olim importata (neque enim illâ Lombardica Dialectus utitur) atque e Gallico *Forge* derivata. Pro *Forgia*, durâ aliquantulum voce, Tuſci veteres dixiſſe videntur *Foggia*, idemque primo ſignificaſſe, quod nunc *la Moda*, quum de veſtibus, telis, aliiſque manufactis agimus. Profectò apud Gallos *Forge* nunc ſignificat *Caminum*, nobis la *Fucina*; at verbum *Forger* latiùs excurrit, ſignificans *Fabricare*, & metaphorice *Comminiſci*, nobis *Inventare*: ita ut ipſum *Forge* videatur olim eodem ſenſu, hoc eſt *Commenti*, nobis *Invenzione* uſurpatum. Quæ nunc *Mode* aut *Invenzioni d'abiti*, *di drappi*, *d'ornamenti* &c. appellamus, olim, ut reor, *Forges* a Gallis, & *Foggie* a Tuſcis nuncupatæ fuerunt. *Un panno*, *una veſte di nuova*, *di diſuſata Forgia*, hoc eſt *Fabbrica*, in uſu fuit. Pro quo Tuſci invexerunt *Foggia*. Atque id certum pæne videtur; quippe iiſdem Tuſcis erat etiam *Foggiare* pro *Fabricare*, *Efformare*, eâque voce uſus eſt Johannes Villanius.

Folla . *Confluxus hominum*, *Turba*. Sunt, quæ mihi perſuadeant, ſubſcribendum eſſe Menagio, qui poſt Scaligerum a *Fullo Fullonis* Italicum hoc vocabulum derivavit. Attamen priſca vox eſt Germanicæ Linguæ *Full*, *Fol*, *Plenus*, & *Fulle* ideſt *Copia*, *Abundantia*, Italice *Pienezza*, *Piena*. Inde *Fullen*, *Replere*, eiſdem Germanis.

menda. A Inde etiam Anglicum *Full*, *Plenum*. Quare non immeritò credere liceat, e Germania ad nos migraſſe noſtrum & Hiſpanicum *Folla*, & Gallicum *Foule*: quum pari ratione dicamus *la Piena* & *la Folla del Popolo*, *della Gente*. Quod ſi ad hoc inſpicies, tam Germanos quàm nos e *Fullonum* arte deduxiſſe hanc vocem, non dubitabo. Multa quidem de *Fullonibus* diſputavit Salmaſius. Nondum tamen evidens eſt, uti ſupra monui, ad eos ſpectaſſe calcare pedibus (ut ille contendit) & denſare pannos. Vide ſupra ad vocem *Dannare*. Certum contra eſt, conſuetum eorum munus fuiſſe purgare, expolire, ac tergere veſtimenta, & pectere pannos. B Quod ſi revera Fullonum fuit, denſare pannos, tunc non incongrue putemus inde emerſiſſe Gallicum *Fouler*, & noſtrum *Affollare*, uti & *Folla*. Quippe Italice quoque dicimus *la Preſſa*, & *la Calca del Popolo* pro *la Folla del Popolo*, ut videas ſignificationem verbi *Premere* incluſam in vocabulis *Folla* & *Foule*.

Folle. *Stultus*, *Inſanus*. A Græco Φελλὸς Monoſinius & Voſſius derivatam vocem opinantur. A Latino *Follis* Menagius deduxit, quaſi ſtultus *ab inanitate Follis* ſit appellatione illâ dignus. Mihi quoties Germanica Lingua vetuſtam ſuam vocem affinem ſuppeditat, C ad eam potius quàm ad Græcam, confugiendum videtur. Huc enim Gothi, Langobardi, Franci, & Germani, cuncti Boreales Populi, copioſam intulere ſuarum vocum ſegetem. Eſt ergo Germanicæ Linguæ *Faul*, ſignificans *hominem nihili*, *inertem*, *corruptum*, *languidum*. Metaphorice appellarint Itali *Folle* hominem *corruptæ*, *aut languidæ mentis*, hominem *cerebro vacuum*, uti infra idem de *Matto* adnotabo, quam vocem vide. Eſt & Gallicæ Linguæ *Fol*, *Fou*, & femininum *Folle*, uti & Anglicæ *Foul*: quæ omnia credere fas eſt profecta e Germanico *Faul*. Hickeſius auctor eſt, Cimbrice D quoque *Fol* ſonare *Iracundus*, *Fatuus*, *Inſipiens*, & *Follsku* ſignificare *Stultitiam*. Denique in Gloſſario Boxhornii inter Celticas vetuſtiſſimas voces enumeratur *Ffoll*, ideſt *Stultus*. Olim ſub nomime Celtarum veniebant Galli atque Germani. Johannes Diaconus in Vita Gregorii Magni Papæ, Cap. 96. ait: *At ille more Gallico ſanctum ſenem increpitans Follem, ab eo quidem virgâ leniter percuſſus eſt*. Vides antiquitatem vocis, ejuſque originem non Latinam, non Græcam, ſed Gallicam. Conſule, ſi lubet, Du-Cangium ad vocem *Follis*.

Folto. Hoc dicimus de rebus disjunctis, ſed ſimul confertis ac ſpiſſatis. E *Folto boſco*, hoc eſt, *nemus denſum dumetis atque arboribus*. *Folto Crine*, *Folta Barba*, *Folta ſchiera d'uomini*. Dicimus etiam *Folta nebbia* &c. Menagius vocis hujus originem attingere fortaſſe non eſt auſus. Vix audeo & ego. Meas tamen conjecturas proferam. Itaque perpendendum, num fortè vox iſta effluxiſſe potuerit ex *Follare*, *Follato*, *Folto*. Vide ſupra vocem *Folla*. Tuſcis certe idem eſt *Affollare* & *Affoltare*. Præterea *Folta* ii dicunt pro *Folla*. Primo dictum fuerit *Panno Folto*, ideſt *ben Follato*; tum ad res alias tranſlata fuerit vox ipſa. In eam quoque opinionem fortaſſe non immeritò quiſquam inclinet, ſcilicet Teutonicum *Full* ſive *Fol*, in Britannicam quoque Linguam tranſlatum, & ſignificans *Plenum*, *Stipatum*, immutatum a Majoribus noſtris fuiſſe in *Folto*. Judicent, qui meliora ſapiunt. Neque enim audeo proponere fontem vocis *Fulcire*, unde *Fultum*, quamquam Latino barbari verbum hoc ad alias ſignificationes contorſerint.

Fondaco. *Mercatorum officina*. Nugantur, pæne dixi, Ferrarius & Menagius, ille ab *Apotheca*, iſte a *Fundum* vocabulum hoc derivantes. Caninius & Corbinellius a ſomniata voce quadam Punica illud arceſſunt. Arabicæ originis ſine dubitatione eſt; Arabes enim Giggeo teſtante *Officinam* appellant *Al-Fondoq* ſeu *Fondoco*. Atque uti Gollius monuit Arabicum *Fondoqon* eſt *Publicum Mercatorum hoſpitium*, *ubi cum ſuis mercibus verſantur*. Apud antiquos Orientalium rerum Hiſtoricos, in Siculorum quoque & Hiſpanorum monumentis *Funda*, *Fundicus*, & *Fundacus* occurrunt. Du-Cangium ad hanc vocem conſule.

Forbire. *Polire*. Si Menagium audis, efformata vox iſta fuit ab inuſitato (ideſt ſomniato) verbo *Purimire*. *Purus*, *Purimus*, *Purimire*, *Purmire*, *Purbire*, *Furbire*, *Forbire*. Si Ferrarium, a *Foria*, *Forire*, *Forbire*, ideſt *alvum citam purgare*, eadem vox emanavit. Uterque in nubibus ædificavit. Gallis quoque *Foubir* in uſu eſt, Anglis *to Furbish*. Aut iis nos vocabulum dedimus, aut ipſi nobis. Meam accipe conjecturam. A Latino *Furvus Niger* natum opinor *Forbire*. Scilicet a *Furvus* compoſitum fuerit *Furvire*; & dictum primo de armis, ideſt *Expolire*, *Lucidum efficere*. Eâdem ratione Majores noſtri *Brunire l'armi*, *l'acciajo*, *l'argento* dixere, & adhuc nos dicere pergimus. Inde *Thoraces*, ſeu *Loricæ* militum a Francis appellatæ *Brunia*, ſeu *Brunea*, quod relucerent. Idem eſt *Brunire* ac *Furvire*, & *Forbire*. Atque hæc quidem conjiciebam. Verùm ubi animadverti, apud vetuſtiſſimos Theotiſcæ Linguæ Scriptores Otfridum, Notkerum, & alios, occurrere verbum *Furben*, ſignificans *Purgare*, *Tergere*, *Expolire*: eo potius feror, ut credam, e Germania nos accepiſſe *Forbire*. An verò Germani e Latino *Furvus* acceperint ſuum *Furben*, ignotum mihi plane eſt.

Foreſtiere. *Advena*. Menagius per hanc ſcalam a *Foras* hanc vocem traxit: *Foras*, *Foris*, *Forenſis*, *Foreſtus*, *Foreſtarius*. Non ex uno *Foras* natum *Foreſtiere*, ſed a *Foras*, ſeu *Foris*, & *Stare*. Ita enim appellati, quicumque ſtabant ſive habitabant *Fuori del Contado e Diſtretto*. Propterea & in exilium acti extra Comitatum, appellati ſunt *Foraſtati*. In Statuto MSto promulgato a Republica Mutinenſi Anno MCCLXXV. hæc ſcripta ſunt: *Et Poteſtas*, *ſeu Rectores Communis Mutinæ*, *teneantur ipſum homicidam Bannitum & Foraſtatum perpetuò tenere*. Ita *Foruſcito* a *Foris* ſeu *Foras* & *Exeo*, nuncupatus eſt Civis, qui ſponte vel coactus exſulabat.

Fornire. *Conficere*, *Perficere*, & *plene Præparare*, ſeu *Inſtruere aliquid*. In utroque ſenſu antiquiſſima vox eſt Italicæ æque ac Gallicæ Linguæ, quæ *Fournir* dicit, &

An-

Anglicæ dedit *to Furniſh* . Utra ab altera manarit , incertum . Brevibus ſe expedit Menagius , inquiens , veri ſimile eſſe , a *Finire* hanc vocem fuiſſe deductam . Hæc inter ſe literarum ſono diſtant . Quæ ergo cauſſa immutandæ hujus vocis *Finire* ? Du-Cangius vero ita ſcribit. *Nata vox* (Fournir) *apud noſtros videtur a Furnis , quum coctúris ſuis plene inſtructi ſunt , ita ut nihil in eis immitti poſſit*. Nimis late exquiſita origo . Sunt enim innumera , quæ replentur, ita ut nil aliud illuc poſſit inferri. Neque *Furnus* deſinit eſſe Furnus, etiam ſi parum aut nihil coquendum habeat . Reliquum igitur eſt, ut diligentius Eruditi perpendant , unde ſit derivanda vox iſta , de cujus origine nil mihi adhuc ſuccurrit, niſi ſuſpicio aliqua , potuiſſe ipſam deſcendere a *Foro*, ſignificante affluentiam rerum comeſtibilium ; aut aliquâ literarum mutatione ex ipſo fonte prodiiſſe , unde fluxerunt *Guarnire* , *Guarnito* , *Guarnimento* , idem ſignificantia ac *Fornire*, *Fornito*, *Fornimento*. Eſt autem *Guarnire* Germanicæ originis . In Capitularibus Caroli Calvi occurrit *de ſuo ſit* Warnitus (Italice *Provveduto*) *& ad hoc omnes ſemper* Warniti *ſint* . Hinc *Garniſio* , quidquid ad muniendam Urbem annona & armis neceſſarium eſt . An autem *Warnire* efformatum fuerit a Germanico *Waëren* , *Servare* , *Conſervare*, uti opinatus eſt Voſſius , aliis perpendendum relinquo . Fieri autem potuiſſe videtur , ut Septemtrionalis aliqua natio ſuâ Dialecto utens , *Fornire* , ſeu *Furnire* pronuntiarit , quod aliæ Nationes *Warnire* , & fortaſſe *Varnire* dicebant. Nam *V.* conſonans preſſe pronuntiatum a Germanis convertitur in *F.* cujus rei exempla obvia ſunt cunctis. Et rurſus idem *V.* conſonans alii Populi in G. & *GV.* mutant , ut *Vaſtare* Latinum , quod nobis eſt *Guaſtare* , & Gallis *Gaſter* , ſive *Gater* , & Anglis *to Waſte* . Ita Latinum *Vomer* a ruſticis noſtris nunc dicitur la *Gmera* , aut la *Goméra* . Et rurſus quod nonnulli Populi per *A.* efferebant , alii per *O.* aut *V.* pronuntiabant. Hæc dixiſſe me non pœnitet , donec alii felicius verum fontem verbi Italici *Fornire* oſtendant , quem certe mihi ignotum fateor .

Frangia. *Fimbria* , ſeu *Lacinia* veſtium . Contendit Menagius , a *Fimbria* enatum fuiſſe *Frangia* per admirabilem hanc gradationem. *Fimbria* , *Frimbia* , *Frimia* , *Frenia*, *Frania* , *Frangia*. A Germanico *Franzen*, aut a Latino *Filitia* , ſecundum Ferrarii mentem vox iſta venit . Docti iſti viri in nubibus Etymon conquiſierunt , quod ante pedes erat. A Latino *Frango* enatum *Frangia* . Nimirum olim in luxum pronæ gentes , veſtium limbos in minutas particulas ſcindebant , aut limbis iiſdem faſciam ſive fimbriam aſſuebant in plures ſectiunculas & minuta filamenta conciſam . Uti Latini *Laciniam* a *Lancino* aut *Lacero* compoſuerunt , ita nos a *Frango* Latino Italicum *Frangia* efformavimus . Et inde Gallicum *Frange* , non verò a *Frimia* Menagiano . Ab *Auri-frigium* , ſive *Phrygium* Du-Cangius deduxit hanc vocem *Frangia* . Sed ab eodem *Phrygium* manavit *Fregio* Italicum, non *Frangia* . Neque tantùm limbos, ſed & ipſas veſtes , veſtiumque facies olim ſciſſuris minutis ornamenti cauſsâ frangebant : quod *Fraſtagliare* Tuſci dixerunt.

Fraſtornare. *Interrumpere* conſilium aut actionem alicujus inchoatam. Ejuſdem originis eſt *Diſtornare* , ſignificans *Avertere* , *Dimovere* . Occurrit etiam *Stornare* , quo utuntur Florentini ut ſignificent *Deterrere* , *Revocare* . Fons harum vocum eſt *Tornare* , quod in ſua primitiva inſtitutione *Convertere* ſignificavit . Intranſitive dicere videmur *Tornare* pro *Redire* . Sed eſt tranſitivum , ſubintelligendo videlicet *Convertere gradum* . Ita ergo invaluit *Diſtornare* , & *Stornare* , Gallis quoque uſitatum in *Detourner* , quo ſignificamus ad motum diverſum , diverſam-ve actionem *Convertere* nos, aut alios, aut etiam quidpiam aliud . Ita *Fraſtornare* ex *Fra* & *Stornare* compoſitum , ſignificat , interjectâ aliquâ re curſum alicujus actionis ſiſtere , aut revocare .

Freſco . Duo diverſa ſignificat . Primo *Recens*, *Novus* , *Vividus* . Secundo *temperatum Frigus habens*. Ferrarius a *Viraſcere* trahit *Freſco* priori ſignificatione . Inconcinne omnino . Nihil dubitandum , quin ſit pura puta Germanicæ Linguæ vox , hoc eſt *Friſch* , quod Germanis idem eſt ac *Recens* , *Novus* . Inde etiam ad Britannos migravit *Freſh*, eâdem ſignificatione uſurpatum : & ad Gallos *Frais* , cujus femininum eſt *Fraiſche* . Neque juſto titulo opinatus eſt Menagius , & poſt eum Fureterius , *Frigeo* , aut *Frigidus* Latinum originem dediſſe Germanico *Friſch* . Propria enim ac primæva illius vocis ſignificatio apud illos non fuit *Frigidus* , ſed *Recens natus* , *Recens factus* , *Vegetus* , *juſto vigore inſtructus* . Hoc ſenſu *Frigidum* Latini numquam extulerunt . Ad alteram ſignificationem quod attinet , conatur quidem Menagius deducere *Freſco* a *Frigidus* , ſed parum feliciter . *Frigidus* ab Italis in *Freddo* converſum eſt. Infelicius quoque opinatus ille eſt , a *Frigo* efformatum fuiſſe *Freſco* . Nihil aliud umquam *Frigo* ſignificavit , quàm *Torrere* aliquid , ut ſit in ſartagine , Italis adhuc *Friggere* : quod non ſolùm nil commune habet cum *Freſco* , ſed contrarium planè eſt . Itaque non aliam originem reor ego tribuendam vocabulo *Freſco* ſub hac altera ſignificatione , niſi idem *Friſch* Germanicum , metaphorice adhibitum. Nam proprie *Freſco* non eſt *Frigidum* , ſed aliquid medium inter *Calorem* & *Frigus* , inter exiguas & nimias ætatis humanæ vires , uti *un' Uomo freſco d'età* . Nata autem ſignificatio a Vento, præcipue in nautica. Galli adhuc appellant *Vent Frais* , qui medius eſt inter *Ventum Eſchars* , nobis *Vento ſcarſo e debole* , & *Ventum Forcè* , nobis *Vento Forzato* . Ejus ope naves feliciter progrediuntur , & eo afflante moderatum ac ſuave frigus ſentitur . Hinc *far Freſco* , quum flat ejuſmodi Ventus , & *Aria Freſca* . Nos *Freſco* reddimus Latinum verbum *Frigidus* , quod aptiori voce careamus . At aliud eſt *Frigidus* , aliud *Freſco* . Illud revera *Frigus* in ſuo ſtatu ſignificat . Alterum verò quum calidus aër in primos fines Frigoris tranſit . Habent etiam Germani *Erfriſchen* , *Rinfreſcare* .

Fretta. *Feſtinatio*. A *Fretum*, ut opinabatur Menagius, nemo hanc vocem eliciendam putet. Subdit ille: *Origine dal Tedeſco Fretter, che vale Frettoloſo. Sub Fretten, cioè Feſtinare. Trovaſi queſta voce nella Franceſca e nelle Riviera*. Hæc veri ſimi- [illegible]. *Fretten* Saxonibus eſt *Accelerare un meſtiere*. Simile huic noſtrum *Affrettare* vidimus. Nam præ feſtinatione opera male confecta evadunt. Germanis eſt *Fertig*, ſignificans *Promtus*, *Expeditus*, *Agilis* &c. Eſt & *Fertigkeit* *Promtitudo*, nobis *Preſtezza*. Inde noſtrum *Fretta*.

Frollare. Teneram carnem, & coctu facilem efficere. Forſitan a *Friculare*, ait Menagius, *diminutivo verbi Fricare. Nam Fricando tenera efficitur caro*. A *Friculare* efformaretur *Frulare*, quod numquam in *Frollare* immutatum fuerit. Meliora tradere poſſe non mihi tribuo. Attamen vide, an fieri potuerit, ut e *Ferulare* emerſerit *Frollare*. Nimirum qui coquinariæ rei ſtudent, carnem tundunt ac verberant, ut molliorem faciant. A *Ferulâ*, *Ferulare*, detracto E exit *Frulare*, quod nullo negotio in *Frolare* & *Frollare* tranſire potuit. E *Frollare* natum poſtea *Frollo*. Ita *Brulare* apud veteres occurrit. Supra vidimus *Brullo* ab *Experulare* enatum *Sbrollare*.

Fromba, *Frombola*. *Funda*. Ab ipſo *Funda*, *Frunda*, *Frumba*, *Frumbola* deducit Menagius *Frombola*. Nondum id mihi perſuaſit: uti neque Ferrarius, qui *a ſtridore*, *quem excuſſi* nomen hoc inditum cenſuit *Fundæ*. Nihil mihi commodi occurrit de origine vocis hujus. Tantummodo animadvertas velim quoddam vocabulum in Vitis Pontificum Ravennatum ſcriptis ab Agnello circiter Annum Chriſti DCCCXL. atque a me editis Tomo II. Rer. Italicarum. Deſcribit ille in Vita Damiani Archiepiſcopi prœlium civile inter Ravennates actum, atque hæc habet: *Alii mugitu Rumbulorum territi, per diverſa fugiebant loca*. Si quid video, *Rumbuli*, hoc eſt exigui *Rumbi*, ſive *Rhombi*, appellantur ab eo Saxa per Fundam projecta. Præpoſito *F.* ſonus accedit ad *Fromba*, *Frombola*. Nempe inde efformatum fuiſſet *Frembulare*, *Frombolare*, & *Fromba*.

Frotta. *Multitudo*, *Agmen*, *Cœtus*. *Forſe da Fultus, cioè Denſus*, inquit Menagius. *Non a Fultus, ſed a Fullonibus*, ſubdit Ferrarius. Mihi neutrum Etymon ſatis veriſimile. Num *Frotta* pro *Flotta* Gallico nomine, adhibitum fuit, translato ex unione rerum natantium ad unionem hominum, aut animalium? Ita *Fleche* Galli Sagittam nuncupant, nos *Freccia* dicimus. Veteres Tuſci facile *L.* in *R.* convertebant, uti Salviatus compluribus exemplis jamdiu oſtendit.

Frugare. *Prætentare* ligno aut ferro aliquid abditum. A *Ferio*, *Ferutum*, *Feruticare*, *Fruticare*, *Frucare*, profectam vocem opinatur Menagius: a *Fodicare* Octavius Ferrarius. Neutra ſententia arrideat. Num ergo a *Ferro Ferrucare* enatum, quum ſcilicet homines ferro immiſſo tentant, an oſtium, ſive arca ſine clavi aperiri poſſit? Alterum par verbum, præter iſtud, Mutinenſes uſurpant, hoc eſt, *Fuligare*, aut e *Feſtuca* corrupto eſſet natum, aut (quod veri videtur ſimilius) a *Fuſte*, *Baculo*, quoties nimirum *Fuſte*, ſive *Virgula* abditum aliquid ſcrutantur.

Fruſtare. Vide Diſſertationem XXIII. *de Moribus Italicorum*.

Fucina. *Caminus*, locus, in quem ferrum, ut ignefcat, injicitur. A Vocabularii Cruſcani Auctoribus Latine redditur *Officina*. Vocem e veſtigio arripuit Menagius, ſine dubitatione ſcribens, *Fucina* efformatum ex *Officina*. Si quid video, utrobique erratum fuit. Neque enim *Officina* umquam adhibitum fuit ad exprimendum locum, in quo Fabri ferrum ignefcere cogunt. *Officina* deſcendiſſe creditur ex *Opificina*, & omnium eſt Artificum. Nos nunc *Bottega* appellamus. Si *Officinæ* nil rei eſt cum *Camino* Fabrorum: ergo neque *Fucina* emerſiſſe inde potuit. At unde *Fucina*? A *Focus* veriſimile eſt efformatum fuiſſe *Focina*, & denique *Fucina*. Ita e *Coquo*, vel *Coquus* manavit *Coquina*, *Cucina*. Aut e *Fundo*, *Fundis*, *Fuſum*, Latinorum verbo, ſignificante *Liquefacere metalla*, Majores noſtri vocem hanc traxere ad deſignandum locum, ubi metalla funduntur. Quippe Lombardis non *Fucina*, ſed *Fuſina* dicitur locus ille. Notum eſt *Fuſores* a Latinis appellatos fuiſſe, qui e metallo opera fundebant. Inde *Ars Fuſoria*, *Vaſa Fuſoria*, *Fuſura*, *Fuſilis*, &c. Eligat prudens Lector, quod propius vero ſibi videatur.

G

GAbbare. *Decipere*. *Fallere*. A *Capere* ſuſpicatur Menagius deductam hanc vocem, ubi ſignificat *Decipere*. Et ſane veri ſimilis videtur ejuſmodi Etymologia, quam invectam ſuſpicari licet a tendentibus laqueos ad capiendas aves & feras. *Cappio* nobis appellatur *Nodus laxus*: quod nomen a *Capiendo* deſumtum, quum iis Nodis illaquearentur volucres & feræ. A *Cappio Cappiare*, quod in *Gabbare* leniter pronuntiatum evaſiſſe potuit. Attamen, quum e *Capiare* potius emerſiſſe putem noſtrum *Chiappare*, inquirendum adhuc eſt, an ex Arabico *Chabba*, *Decepit*, *Seduxit*, nos efformaverimus *Gabbare*. Eſt & illi Linguæ *Chabbon*, *Deceptor*, *Seductor*, *Doloſus*, *Fraudulentus*. Mercatoribus Arabicis, multum olim commercii habentibus cum Italis, in uſu ſæpe fuerit vox iſta: quare eam facile inde Itali didicerint, ſuamque fecerint. Conſule Giggeum & Gollium, qui ſunt mihi teſtes in hac re.

Gagliardo. *Robuſtus*, *Fortis viribus*. Multa de origine vocabuli hujus Borellus, Du-Cangius, Voſſius, Ferrarius, & Menagius habent. Ego incertam adhuc puto. A *Gallus* certe deducenda mihi non creditur. Num a *Gaio*, ſignificante *Hilarem*, *Feſtivum*? Lombardi, Lucenſes, & alii dicunt *Gaiardo*. Et fortaſſis hoc primitivum nomen fuerit, quod Tuſci in *Gagliardo* immutarint. Carrocium Cremonenſium in Chronico Parmenſi, a me in

in Collectione Rer. Italicar. evulgato, appellatum fuiſſe traditur *Gajardus*. Quod ſi *Gagliardo* antiquiorem vocem velis, quum adjectiva deſinentia in Ardo, e ſubſtantivo veniant, ut e *Malia Maliardo*, e *Coda Codardo*, e *Bugia Bugiardo*: erit fortè, qui ſuſpicetur, e *Galia* (Triremis, ut vulgo creditur, Latinis) *Gagliardo* enaſci potuiſſe, voce nimirum adhibitâ ad ſignificandos Nautas, qui Triremem remis impellunt, ad quem laborem robuſtiſſimi virorum deligebantur, & deliguntur adhuc. Cur aliorum ſomniis & iſtud adjungere non liceat? Anno Chriſti MCCII. *facta fuit Societas Gagliardorum in Mediolano*, uti ſcribit Gualvaneus de la Flamma Cap. 235. Manipuli Florum, Tomo XI. Rer. Italicarum. Societas iſta, ut in præcedenti Cap. 233. ſcripſit, erat *quædam Congeries Nobilium Juvenum*. Du Cangius, quum in Concilio Turonenſi Anni MCCXXXI. reperiſſet Cap. 21. *Clericos Ribaldos, maxime qui Goliardi nuncupantur* (quæ appellatio occurrit & in aliis ſubſequentis ætatis Scriptoribus) hæc ſcribit: *Hinc Itali Gagliardo, noſtri Gaillard hauſerunt indubie*. Iſtud *indubie* vellem expunxiſſet vir doctiſſimus. Ante *Goliardos* Clericos erat Italicæ Linguæ *Galiardo*, ſeu *Gajardo*. Hanc vocem adhibebant olim, uti & nunc ad ſignificandum hominem *Robuſtum*. Quare nihil opus fuit noſtris mutuo accipere e Gallia *Goliardus*, ac immutare in *Gagliardo*. Vidiſti vocabulum *Galiardo*, Societati Mediolanenſi inditum, tempore præceſſiſſe, hoc eſt annis viginti novem, vocem alteram *Goliardi* adhibitam in Turonenſi Synodo. Nemo autem putet vocabulum illud *Galiardo* tunc temporis ab Italis adhiberi cœpiſſe. Adde, vocem *Galiardus* ſignificaſſe *Scurram* potius, ſeu *Joculatorem*, quàm hominem *Robuſtum*. Conſule Martene Tom. 4. pag. 727 Theſaur. Nov. Anecdotor. Repeto ego, incertam adhuc, aut ignotam adhuc eſſe iſtius vocabuli originem.

Gaio. *Hilaris*, *Alacer*. Caſtelvetrus noſter a Græco Καλός: Aleander, & Menagius a Latino *Cajus*, ſeu *Gaius*, vocabulum hoc derivant, quod *Cajus* a *gaudio patrum* dictus fuerit. Addit Menagius, Latinum *Cajus* e Græco Γαῖος. manante ab inuſitato Γάω, *Gaudio* proceſſiſſe. Quamquam non deſint, quæ hiſce opponi poſſint, laudare tamen in præſentia malo ejuſmodi Etymon. Sed ſimul moneo, prout jam animadvertit Leibnitius V. Cl. videri vocem *Gahun* (apud Otfridum vetuſtiſſimum Poëtam Germanum) ſignificare idem, quod nobis *Gajo*: ac propterea fieri poſſe, ut e Germania potius ad nos migrarit *Gaio*, & ad Gallos *Gay*, & ad Belgas *Gau*, quo & adhuc Saxones utuntur.

Galèa, aut *Galera*. *Triremis*, genus navigii. Mirum, quantum ſe torqueant in hujus vocabuli origine inveſtiganda Caſtelvetrus, Joſeph Scaliger, Voſſius, Menagius, Covaruvias, & alii. Nil certi quiſquam protuliſſe mihi viſus eſt. Arabica fortaſſe Lingua nomen hoc nobis dedit. Eadem enim habet *Chalaia* ſignificans *Navim magnam*, unde *Galèa* efformari potuit. Habet & *Chalion Navis major*, *ducta nautarum impulſu & remigio*. Hinc noſtrum *Galeone*, oneraria Navis major, & Hiſpanicum *Galeon* hauſtum fuiſſe videtur. In Actis Sancti Eraſmi Epiſcopi ad diem 2. Junii a Papebrochio editis mentio fit *de quodam Galeno Provincialium*, Anno Chriſti MCCC. Originem hanc certam appellarem, niſi aliqua dubitatio ſupereſſet, an Arabes ipſi a nobis eamdem vocem didiciſſe potuerint, quum bellica & nautica nomina facile de una in alteram gentem migrent. Attamen Arabes & arte & tempore in nauticæ & claſſium uſu, meridionalis Europæ Populis præivere poſt Græcos, atque Latinos. In novo Theſauro veterum Inſcriptionum, qui jam ſub prælo eſt, Inſcriptionem Ravennatem adferam, ad Sæcula Romana ſpectantem, in qua occurrit PHALLÆVS GVBER. DE GALEAT. PIERIS. Hæc una indicio eſſe poteſt, vetuſtiorem eſſe, quàm vulgo credatur, nomen *Galea*.

Galoppo. *Galoppare*. Dicitur de equo moderate, ſeu gradatim currente. Salmaſius, cui ſubſcribit Menagius, a Græco Καλπᾶν, ſeu Καλπάζειν, quod *Currere* ſignificat, hanc vocem derivavit. Poterat Salmaſius laudare Budæum hujus Etymologiæ auctorem, Covaruviam, Monoſinium, & alios, qui antea id tradidere. Attamen ego facilem heic ad credendum me nequaquam præbebo, tum quod non eadem heic ſit literarum conditio, tum etiam quod ipſo Salmaſio teſte Καλπᾶν ſit *Trottare*, non *Galoppare*. Adde, præter Italicum *Galoppare*, Gallis eſſe *Galop* & *Galoper*; Hiſpanis *Galope* & *Galopear*; Anglis *Gallop* & *to Gallop*; Germanis denique *Galop*. Tot Populi Græcæ Linguæ ignari quei fieri potuit, ut tanto conſenſu eamdem vocem, iiſdemque literis, converſam in ſuum ſermonem intulerint? Mihi veri videtur ſimilius, vel in Gallia, vel in Germania natum *Galoppo*, in reliqua Occidentis Regna penetraſſe.

Gangaro, *Ganghero* Florentinis. *Portarum cardo*. Ferrarius a *Cancerес* (Italice *Gamberi*) vocem prodiiſſe opinatus eſt. *Quaſi Canceres, quod diſtorti ſint*. Utique diſtortum Etymon. Ecquando enim *Canceres* diſtorti? A Græco Κάγχαλος, ideſt *Canchalus*, vocabulum hoc derivat Menagius, Heſychium teſtem adferens. Verùm Heſychii ætas incerta eſt; multaque additamenta ad ejus Vocabularium a recentioribus facta fuere. Denique Heſychius ait, vocem hanc in uſu fuiſſe apud *Siculos*. Non ergo apud Græcos ea vox nata. Siculi autem Italica gens. Itaque Siculorum uſus indicare potius poſſet, importatum a Germanis fuiſſe vocabulum *Ganghero* in Italiam. Et revera Germanicæ Linguæ *Angel* ad Siculum *Canchalo* accedit. Germanicum *Angel* idem ſignificat quod Italicum *Ganghero*. Sed cur additum *C.* aut *G.* in principio vocis ejuſdem fuerit, me ignorare fateor.

Gara. *Contentio*. *Æmulatio*. Nulla dubitatio eſt, quin Italicum *Guerra*, a Teotiſco *Werre* emerſerit, unde etiam *War* Anglicum, & *Guerre* Gallicum. At inde etiam prodiiſſe *Gara*, ut Menagius cenſet,

ſit, mihi minime perſuadeat, qui diverſam literarum ſtructuram, diverſamque utriuſque vocabuli ſignificationem conſideret. Quare potius confugiendum eſt ad Arabicam Linguam, cui eſt *Ghira*, ſignificans *Invidere*, *Æmulari*, *Zelotypia*, *Laborare*, Giggeo & Gollio teſtibus. Inde Italicam vocem *Gara* deſcendiſſe opinari licet. Ab *Varicare* hanc vocem Ferrarius ineptiſſime trahebat.

Garbo. *Gratia*, *Venuſtas*, *Elegantia*, *Concinnitas*. Ferrarius e *Garba* faſciculo ſpicarum; Gujetus e Græco Γαίρω, Etymon hujus vocis duxere. Nulla mihi dubitatio, quin ii ſomnia narrarint. Hæreo contra ego in vocabuli hujus origine ſignanda. Galli vix eam agnoſcunt, Fureterio teſte, atque a nobis ſe didiciſſe putant. Contra Italis eſt familiaris, & inde aliæ voces efformatæ. Apud Anglos quoque multo in uſu eſt *Garb*. Baileyus Britannus Scriptor auctor eſt, e Saxonico antiquo *Gearwa* deſcendiſſe hanc vocem *Garb*. Hoc ſi ſtatuas, Itali quoque e gentibus Borealibus eam acceperint. Sed fieri etiam potuit, ut a nobis ad Anglos, aliosque Populos ipſa tranſmigrarit. Itaque expendendum Eruditis relinquo, num fieri potuerit, ut per metaphoram appellemus *Garbo elegantiam* hominum in ore, geſtibus, & colloquendo. *Vino Garbo* dicimus *Vinum probi ſaporis*, quod ſummopere placet, ſeque attemperat bibentium guſtui. Mutinenſes quoque ajunt: *Queſto mi aggarba*, ideſt *mi dà nell' umore*, *mi piace*. Num ergo e Vino tranſlata vox fuit ad homines, eam gratiam in agendo præferentes, quæ omnibus placet? Unde verò prodierit *Vin Garbo*, ſi petis, fortaſſe dicam, e *Gauro* Campaniæ monte prope Surrentum, in quo Vinum gignitur præcipuæ bonitatis, atque ab antiquis effuſe commendatum. Vox iſta facile in *Garvo*, ac tandem in *Garbo* immutata fuerit. Conjecturis locus eſt, ubi res certa teneri nequit.

Garbuglio. *Confuſio*, *Tumultus*. Hinc *Ingarbugliare*, idem quod *Intricare*. Galli *Grabuge* dicebant; ſed apud illos jam antiquatum eſt, & Fureterio creditur e *Garbuglio* Italico derivatum. Cavere ſibi Menagius debuiſſet, ne ad riſum Lectores ſerios commoveret, dum ſcripſit intrepide: *Viene ſicuriſſimo da Turba*. Ne craſſiori quidem ſub aëre natus hoc credat. Neque laudabilior Ferrarii opinio, a *Capillis* confuſis, vocabuli hujus originem trahentis. Dicunt, ut aliquid dicant. Davum & ego heic me ſentio. Attamen Eruditi perpendant, num Lombardica Dialectus afferre aliquid lucis heic poſſit. Mutinenſibus *Buia* eſt *confuſio* & motus rixantium aut pugnantium. Ita *Garbuglio* (nobis *Garbuio* & *Ingarbuiar*) confuſionem rerum ſignificat. Num a Latino *Bullio*, conjuncto cum *Gar* Teutonico, ſignificante *Multum* & *Valde*, potuit efformari *Garbuglio*? Ita Metaphorice dicimus *il bollore di una riſſa*, *di una lite*, *d' una battaglia*. Angli quoque *Garboil*, & *to Boil Ebullire* dicunt. Niſi a nobis vocem iſtam acceperunt, videntur & illi e *Gar* Germanico & *Boil* efformaſſe hocce vocabulum, quaſi *Garboil* ſit *magna ebullitio*.

A

Garontoli. Monoſinius apud Florentinam plebem reperit *Dar de' Garontoli*, pro *Infligere pugnos*. Et quamquam is fateatur, vocem hanc majoribus *incognitam* fuiſſe, attamen auctor eſt, eam proceſſiſſe e Græco Γρόνθω, idem ſignificante. *Ottimamente*, ſuum heic epiphonema addit Menagius. At quei, peto ego, tam erudita fuit ante centum annos Florentina Plebs, ut e Græca Lingua vocem hanc acceperit, quam antiqui ignorarunt, & ne ipſi quidem Vocabularii Florentini Auctores recenſendam cenſuerunt? Somnia hæc appellare liceat hominum, ubique Græciam crepantium. Nova verba, novas phraſes, ac translationes & ipſe Populus quotidie procudit, quorum cauſſam & originem fruſtra interdum requiras.

B

Mutinenſis quoque Popellus pro *Dare un pugno*, inquit, *Dare un Garofano*, quod flos quinque foliis (totidem quippe digitos habet utraque manus) conſtet. Inepta profectò Metaphora: cujus tamen memini, ut videas, quaſdam plebejas voces, ſeu populares loquendi formulas, non ut aurum, ſed ut plumbum eſſe accipiendas. Dubitare etiam licet, ne Monoſinius interpretatus fuerit *Pugni*, quod erat *Colpi di Baſtone*, fortaſſis ab Hiſpanico *Garrote*, ſive Gallico *Garrot*, unde traxerit Florentina Plebs ſuum *Garontoli*.

C

Garzuolo. Pars media ac tenerior in cæſpitibus lactucæ, braſſicæ, & quorumdam florum, ac herbarum comeſtibilium. A *Cauliculus* efformatam hanc vocem putavit Ferrarius. Sed repugnat literarum ſonus. Omnino autem abſona opinio Menagii, trahentis hanc vocem a *Turſus* Latino, ſeu Græco *Thyrſus*, hoc pacto: *Turſolus*, *Ciurſolus*, *Ciurſolo*, *Giarſolo*, *Giarſuolo*, *Garzuolo*. Somnianti dumtaxat excidere hæc poſſunt. Præterea *Thyrſus* a *Garzuolo* diverſam rem ſignificat. Interea perpendant Eruditi, num *Garzuolo* potuerit prodiiſſe ex diminutivo *Cardui*, ideſt *Carduolus*. Nobis in Lombardia degentibus *Carduus ſylveſtris* appellatur *Garzo*, *Sgarzo*, *Sgarzone*, uti infra adnotabo ad vocem *Scardaſſare*. Inde dicimus *Sgarzare il panno*, ideſt *ſylveſtribus carduis pannos pectere*.

D

Similis eſt *il Garzuolo* in Roſis, Caryophillis, aliiſque floribus, exiguo *Carduo* ſativo, cui *Carcioffo*, ſeu *Articiocco* nomen dedimus. Ac proinde *Carduolus*, *Garzuolo* ea pars florum atque herbarum fortaſſis appellata fuerit. Sed cur *Garzuolo* nuncupetur pars etiam ſubtilior Lini, & Cannabis purgata, atque in modicos manipulos a carminatoribus contracta, nondum conjecturâ ullâ aſſequi potui; niſi fortè inde nomen ſumſerit, quod ut *Garzuolo* in floribus & herbis pars delicatior, ſubtilior, & media eſt, ita & in Cannabe ac Lino ſit pars illa, de qua Plinius Lib. 19. Cap. 9. ait: *Improbatur cortici proximum, aut medullæ. Laudatiſſimum eſt e medio, quæ meſa dicitur.* Verùm hæc adhuc dubia mihi ſunt ac tenebricoſa.

E

Gazza. *Pica avis*. Ab *Acaccia* Menagius contendit nomen hoc natum. Sed priùs oſtendendum ei erat, quis umquam vete-

rum

rum hoc nomine *Picam* donarit. Mihi creditur, proceſſiſſe vocem ex ipſa *Pica*, quàm *Picazza*, *Pigazza* Majores noſtri nuncupare cœperint, & abjecto ſubinde *Pi*, tamdem *Gazza* dixerint. Ita *Gozzo* ex *Gorgozzo* efformatum fuit, ut infra dicam, & *Fondo* pro *Profondo*. *Picum* quoque avem Tuſci olim *Piculum* diminutive appellarunt, unde emerſit *Picchio*. At Mutinenſes eamdem volucrem dicunt *Pigozzo*. Hiſpanica verò Lingua, quæ *Picam* appellat *Pigaza*, Etymon iſtud confirmat. A

Geloſia delle fineſtre. *Tranſenna*, ſive Cancelli lignei, feneſtris appoſiti, per quos aſpicimus alios, nec aſpicimur. Inditum hoc nomen a *Geloſia* Italico, ſignificante *Zelotypiam*. Hac enim arte Zelotypi ſubtrahere publico aſpectui didicerunt mulierum, ſuarumque uxorum intuitum, neque tamen eis feneſtrarum uſum, & commodum eripiunt. *Geloſia* verò ita dicta a *Zelo*, *Zeloſus*, *Geloſo*, *Geloſia*. Mutinenſes dicunt *Zelosia*. B

Ghetto. *Vicus Hebræorum*. *Giudecca* olim appellatum hunc locum alibi animadverti. Suſpicari quiſquam poſſit, regioni illi nomen *Ghetto* inditum fuiſſe, quod eſſet *luogo Guitto*, ut Tuſci ajunt, ſeu *Ghitto*, uti Mutinenſes, ideſt *Locus Sordidus*, quales Judæorum vici in multis Urbibus eſſe ſolent præ copiâ gentis, & anguſtiâ habitantium, ne dicam, incuriâ. Verùm mihi potiùs creditur vox Hebraicæ originis, ſive Rabbino-Talmudicæ. Quippe, Buxtorfio ſeniore teſte, Rabbini *Ghet* appellant *Divortium*, *Separationem*. Chaldaice *Guet* idem ſignificat. Itaque locus, quem Judæis conſtituere olim quoque in Urbibus Principes Chriſtiani conſueverunt, nomen *Ghet* accepiſſe videtur, quod Locus ſeparatus a Chriſtifidelibus foret. *Vicus Judæorum* olim Romæ fuit. Ita & in aliis Civitatibus. C

Ghiera. *Circulus*, ſeu *Faſcia* ex ferro, ſeu alio metallo. Vocem *Vaginaria* confinxit Menagius, & inde *Ghiera* deduxit, literis quidem & ſignificatione repugnantibus. Pro *Ghiera* Mutinenſes dicunt *Verra*, ſive *Vera*. Videndum, an manaſſe potuerit a Latino *Varus*: nam *Varas Manus* Ovidius, *Vara Brachia* Martialis uſurparunt, ad ſignificandas manus & brachia curvata ad complexandum aliquid. Num *Ligula Vara* olim appellata, quæ nunc nobis eſt *Verra*, & Tuſcis *Ghiera*? Sed ab aliis meliora exſpecto. D

Ghirlanda. *Corona*, *Sertum*. Vocem hanc Caſtelvetrus noſter a *Gyrus* & *Gyrare* deducit. *Certiſſimam* etymologiam appellat hanc Menagius. Sed rem neuter attigit. E Septemtrionalibus Linguis verbum hoc Itali accepimus. Acceperunt & Britanni, apud quos eſt *Garland*, & Galli, qui *Girlande* olim, nunc *Guirlande* nuncupant *Sertum*, vel *Coronam*. A *Gyrus* deduci non poſſe, ſatis prodit addita ſyllaba *Land*. Bollandiani Patres in Notis ad Vitam Sanctæ Franciſcæ Romanæ die IX. Martii, putarunt, Lombardicam hanc, ut illi ajunt, vocem efformatam fuiſſe e Germanico *Wiren*, *Rotare*, vel *Wil*, *Rota*, & *Rande*, *Limbus*. Priorem ſententiam præfero. E

Giallo. *Flavus*, *Croceus*. Salmaſio trahenti hanc vocem a Latino *Galbus*; *Galbinus color*, ſubſcribit Menagius. Sed vide, an potius ſubſcribendum ſit Scaligero ſeniori, e Germanico vocabulo *Gheel*, noſtrum *Giallo* derivanti, quum eadem utrique voci ſit ſignificatio. *Galbus* nihil aliud eſt, quàm *Glaucus*, non idem fortaſſe cum *Flavo*, ſed *Cæruleus* dilutus, & in viridem inclinans. An Germani Latinæ Linguæ nomen *Galbus* (paucis in Italia notum, aut uſurpatum) converterint in *Ghel*, ut idem Menagius arbitratur, incertum eſt. Contra *Gheel*, ſeu *Ghel* vocabulum Germanicæ Linguæ antiquiſſimum atque proprium creditur, ita ut ab eis accepiſſe facile potuerint Itali ſuum *Giallo*, Galli ſuum *Jaulne*, ſuum *Yellow Britanni*, ſuum *Yald* Hiſpani. In hæc omnia Regna victrices Septemtrionis gentes tranſmigrarunt.

Giarra, *Giarro*, *Giara*. *Amphora*, *Poculum*. Ferrarius, & Menagius a Græco Ὕαλος, ſignificante *Vitrum*, deſcendiſſe hanc vocem opinati ſunt. Literæ repugnant, & latior quàm oporteat eſt *Vitri* ſignificatio. Heic ergo Lectorem monere dumtaxat poſſum, ab Arabico Populo *Giarraton* appellari *Hydriam*, ſeu *Vas figlinum ad potandam aquam*. Giggeo quoque teſte apud Arabes *Al-Giarro*, nobis *Il Giarro*, *Hydriam teſtaceam* ſignificat.

Giavellotto. Teli bellici, ſive Jaculi ſpecies. Gallis *Javelot*. Menagius derivat a *Capus*, *Capulus*, *Capellus*, *Capellottus*, *Gapellottus*, *Gavellottus*, *Gavellotto*, *Giavellotto*. Quid rei habeat *Capus* & *Capulus* Latinorum cum Pilis, Jaculis, ac Telis, libenter a Menagio didiciſſem. Tota hæc tela in ejus uno cerebro fabricata. Propius, ut opinor, ad verum accedet, qui putet, non aliunde natum *Giavellotto*, niſi a *Clavus*, *Clavellus*, & *Clavellottus*. Scilicet Jacula hoc nomine donata, quæ longam & acutam cuſpidem præferebant, qualis eſt in *Clavis*, ac diverſa propterea erant ab aliis telis, quibus in cuſpide fuerunt duæ alæ retortæ. Latinum *Cla* nos Lombardi in *Cia* convertimus. Inde *Ciavellotto*, quod Tuſci dixere *Giavellotto*. Non aſſentitur Menagius Ferrario deducenti *Giavarina*, alteram armorum ſpeciem a *Clava*. Iſtam *Chiaverina* appellarunt Tuſci. Sed fortaſſe Ferrarius rem tetigit.

Giorno. *Dies*. Clariſs. Marchio Scipio Maffejus Lib. XI. pag. 313. Veron. Illuſtrat. nos docet, Latinorum Plebi in uſu fuiſſe *Jornus*, cultioribus verò Latinis *Dies*. Sed nullum exemplum adeo antiquæ vocis is protulit, & proferre, ut puto, non poterit. Suſpicatur ille, ab *Hornus* ſignificante *quod eſt hujus anni*, derivatum ſuum *Jornus*. At alterum ab altero nimis diſtat. Achariſio Italo, qui primus hoc vidit, Salmaſio, & Menagio ſubſcribendum eſt, qui jamdiu animadverterunt, *Jorno* & *Giorno* enatum ex tempus *Diurnum* Latinorum. Juvenalis Satyr. 6.

- - - - *Longi relegit tranſverſa diurni*.

Ita *Mattino* prodiit e *Matutino* tempore, & *Verno* ex *Hyberno* tempore.

Gio-

Gioſtra. Ludus Militaris. Vide Diſſertationem XXIX. *de Spectaculis*.

Gire. *Ire*. Neglexit hanc vocem, a Poetis uſurpatam, Menagius. Ab ipſo *Ire* profecta videtur. Sed quâ ratione G ei præfixum? Animadverte, an potius prodierit a Germanico *Gehen*, ſignificante *Proficiſci*, *Ire*. Frater Jacoponus Tudertinus in Rhythmis circiter Annum Chriſti MCCXCVIII compoſitis, multâ licentiâ utitur hoc verbo variis temporibus.

Goffo. *Inexpertus*, *Ineptus*. Salmaſius in Notis ad Hiſtoriam Auguſtam contendit, a *Coſſis vel ſpiſſis & villoſis* proceſſiſſe *Goſſum* & *Goffum*. Adſtipulatur Menagius, ſcribens: *Venne da Goſſus, ſignificante Goffo d'uomo*. Ex poſſibilium, non ex veriſimilium cœtu deſumta hæc origo. Non immeritò quiſquam ſuſpicari poſſit, produſſe vocem iſtam ex Italico *Gufo*, ſignificante *Bubonem* Latinorum. Nomen hoc Tuſci in *Goffo* facilè immutaſſe potuerint: nam Bubonem *Barbagianni* nos Lombardi appellamus, Tuſci *Gufo*. Et revera *Ineptum* hominem dicimus etiam: *Egli è un Barbagianni*. Plura nomina e beſtiis & avibus mutuati ſumus in aliorum contemtum, ut jam monui ad vocem *Briccone*. Attamen legitimam originem vocabuli *Goffo* indicaſſe mihi creditur Monoſinius, qui e κωφὸς Græcorum, noſtrum *Goffo* derivavit. Nam a Græcis ea vox interdum uſurpata fuit ad ſignificandum *Fatuum hominem*, *Stolidum*, *Hebetem*. Vides ipſiſſimam ſignificationem, & fermè eumdem Literarum ſonum. Nullo negotio *Cofo* in *Goffo* pertranſiit. Menagius, qui opportune & importune apud Græcos Italicæ Linguæ vocabula explicatur, quamquam hoc noſſet, parvi fecit, ut e nubibus aliam originem ad nos adveheret. Denique addo, etiam apud Arabes aliquid ſimile reperiri; nam & iis *Goſlon* eſt *experientiâ & uſu carens homo*: & *Goſolon Incogitantia*, *Hallucinatio*, *Socordia*.

Gomona, ſeu *Gomena*. *Funis nauticus*, *Rudens*. Menagium audi: *Forſe da Gemina*, *pro Gemina Corda*, *perchè que' Canapi ſono più groſſi de gli altri*. Gerræ. Vocem hanc Arabum Linguæ nos debere cenſuerunt antea Viri docti. Arabum Populo nimirum eſt *Al-Gommalo*, *Camelus Navis*, ideſt funis, a quo anchoræ pendent, ſeu *Funis craſſior*, vel *Rudens*. Inde nos *Gomona*, Hiſpani *Gumena* accepiſſe videmur. Giggeus rem animadvertit, eamque Bochartus confirmavit.

Gondola. Naviculæ genus apud Venetos. A *Gondus* derivato e κόνδυ Græco, ſignificante exiguum *Scyphum*, ejus originem trahebat Menagius. A *Contus* parum feliciter Ferrarius. Fortaſſis adhuc incomperta eſt nativitas nominis hujus. Id tantummodo animadvertas velim, a Germanis quoque *Gundel* appellari *Naviculam*, Cramero teſte. An illi a Venetis acceperint, dic mihi, ſi potis es.

Gonna. Veſtis plerumque muliebris ſpecies. *Cyclas*, *Tunica*. Hebraicæ originis hoc vocabulum cenſuit Belgicus Varro Voſſius. Ego Menagio arbitranti, e Germanicâ Linguâ deſcendiſſe, lubentius aſſentior, niſi vox ipſa ſit Celtici idiomatis, uti Boxhornius in Gloſſario ſuo memoriæ prodidit, *Gwn* referens inter Celtici ſermonis reliquias.

Gorgia. *Guttur*. Antiquata vox, & nobis tantum in uſu, quum dicimus *la Gorgia Fiorentina*, ad ſignificandum Florentinum Populum, quaſi gutture pronuntiare quaſdam literas ſeu voces. Fruſtra e *Gula* Ferrarius hanc vocem deduxit. Et nihil erat, cur Menagius ſuſpicaretur, profectam illam fuiſſe e *Guttur*, aut ex *Gorus*, vel ex *Gurgum*. Sine dubitatione *Gorga*, & *Gorgia* Italicæ voces, uti & Gallicum adhuc uſitatum *Gorge*, veniunt a *Gurges* Latino, quo nomine metaphorice uſurpato deſignata eſt *Gula*. Neque enim aliud eſt *Ingurgitare* Latinum, niſi mittere in *Gurgitem*, ideſt in *Gulam*. In Gloſſis antiquiſſimis Rhabani Mauri *Reuma* dicitur eſſe *Revelatio Gurgitis*. Sed quid hoc? Nihil aliud mihi creditur, quàm *Rebellatio Gutturis*. Dicimus & *Fare una Gorga*, ad ſignificandos Muſicos vocem criſpantes. Vide ſubſequens *Gozzo*.

Gozzo. *Ingluvies*, *Gurgulio*, Sacculus ſub gutture, in quem aves cibum adducunt. Mutinenſibus eſt *Goſſo*. Audi Menagium. A *Faux*, *Faucis*, *Fauce*, *Faucium*, *Focium*, *Vocium*, *Uocium*, *Guocium*, *Gozzo*. Addit: *Aut potius e Jugulus*, *Juguli*, *Jugulium*, *Gulium*, *Gulicium*, *Gucium*, *Gocium*, *Gozzo*. Brevius poterat deducere e *Gula*. Atque ita vir doctus in cerebro ſuo pro lubito verſabat vocabulorum origines. Sed tantam licentiam nemo ferat. Tu interea vide, an ſcopum felicius attigerim. Uti in *Gorgia* nuper animadverti, *Guttur* ab antiquis appellatum metaphorice fuit *Gurges*, & inde *Ingurgitare*. E *Gurges* efformatum fuit *Gurgutium*, ſive e *Gorgo Gorgozzo*; & detracto *Gor*, reliquum fuit *Gozzo* pro *Gula*, & pro Avium *Ingluvie*. Et ne dubites de ejuſmodi Etymo, memineris etiam Florentinis eſſe *Gargozza*, & *Gorgozzúle*, idem ſignificantia, ſcilicet *Guttur*, & *Ingluviem*. Veneta verò Dialectus familiare habet *Gargozzo* pro *Gutture*. Neque omiſſum volo, fuiſſe quoque Latinis *Gurguſtium*, Feſto teſte, ſignificans *genus habitationis anguſtum*, *a Gurgulione verme ſic dictum*. Atqui *Gurgulio* ex *Gurgite*, ſive *Gutture* nomen ſumſiſſe creditur, ita ut ipſum *Gurguſtium* e *Gurges* efformatum videatur. Fortaſſis etiam per eam vocem noſtrum *Gozzo* ſignificatum fuit, quamquam per metaphoram translatum fuerit ad ſignificandam anguſtiam, quemadmodum & nos nunc dicimus *un Guſcio di caſa*. Atque heic neſcio, num Galli perpenderint, an vox ſua *Gargotte*, qua ſignificatur *vilis Taberna*, deſcendiſſe potuerit e Latinorum *Gurguſtio*, anguſto ſcilicet habitationis genere, quales Tabernæ ſolent eſſe. Nam & *Gur* in *Gar* immutatum vidimus in *Gargozza*. Immo animadverte, inſectum tritico infeſtum, quod Latine dicitur *Gurgulio* & *Curculio*, a Græcis appellari Γαργαρεὼν, *Gargareon*. Varone ac Servio teſtibus, hoc ei nomen inditum, eo quod *nihil pæne aliud ſit quàm Guttur*. Neque aliunde venit *Gargariſmo*, *Gargarizzare*, niſi e Græco Γαργαρίζειν, ſignificante *Abluere Guttur aquâ*, ſeu aliâ potione. Ex eodem fonte manaſſe puto vocabulum *Garga-*

gattone, amplum *Guttur* ſignificans, quod nobis in uſu eſt, aliiſque Lombardis.

Gozzoviglia, *Far Gozzoviglia*. *Genio indulgere*, ſive *Convivari cum amicis* nocturno tempore. *Commeſſatio*, *Compotatio* nocturna. Eſt vocabulum Florentinorum. *Forſe da Gozzo*, inquit Menagius. Immo ſine dubitatione, addo ego. Subdit ille: *Gozzo*, *Gozzovum*, *Gozzovi*, *Gozzovilium*, *Gozzovilia*, *Gozzoviglia*. Ratio ſane per quam commoda fabricandi qualcumque volumus ſcalas. Audi & Ferrarium, Etymon hoc nobis exhibentem: *Gaudium*, inquit, *Godium*, *Gozzo*, *Gozzovum*, *Gozzovilium*. Veram originem vocis *Gozzo* me nuper indicaſſe mihi perſuadeo. Quare inepta hæc omnia. Opinor ergo, non aliud eſſe Florentinum *Gozzoviglia*, niſi compoſitum e *Gozzo*, *Gula*, & *Viglia*, ideſt *Vigilia*. Nam etſi Latinum *Vigilia* convertimus in *Veglia*, & *Vigilare*, in *Vegliare*, veteres tamen *Viglia* dixerunt, & adhuc apud ruſticos Mutinenſes ac Regienſes *Viglia* appellatur *Vigilia* dierum feſtorum. Condiebantur autem majorum noſtrorum familiares Vigiliæ, ſive *le Veglie*, confabulationibus, ludis, ac jocis. At quum accedebat ad Vigilias commeſſatio & compotatio, tunc illæ appellatæ mihi creduntur *Gozzoviglie*, quaſi *Veglie della Gola*, *Veglie Goloſe*,

Graffio. *Harpago*. *Graffare*. *Arripere*. Vide Diſſertationem XXVI. *de Militia*.

Gramo. *Mœſtus*, *Miſer*, *Infelix*. Hinc *Gramaglia*, *Pulla*, ſeu *lugubris veſtis*. Caſtelvetrus noſter, a quo minime heic diſcedunt Ferrarius & Menagius, a *Gramiæ* Latino, ſignificante *Lacrymas conglutinatas*, deduxit hanc vocem, quaſi *Gramioſus* ſit *Lacrymans* & *Mœſtus*. Robertus Stephanus in Lexico eamdem ſententiam amplexus eſt. Verùm nihil aliud Latinis fuere *Gramiæ*, niſi *Oculorum pituita*, Nonio & Feſto hoc idem teſtantibus, cui morbo tam felix quam infelix obnoxius eſt. Itaque veri ſimilius, ne dicam certum, videtur, ex Teutonico *Gremen* ſeu *Gramen*, quod Italice ſonat *Rammaricarſi*, *Corrucciarſi*, ſeu *Mœrere* aut *Iraſci*, deſcendiſſe vocabulum *Gramo*. Hickeſius quoque idem cenſuit, quum in Linguis Borealibus *Gram* ſonet *Iratus*, *Moleſtus*, *Perturbatus*, quales *Miſeri* eſſe ſolent.

Granata. *Mazzo di ſcope*, *col quale ſi ſpazza*. Ita vocem definiunt Florentini Vocabularii Scriptores. Latini *Scopas* appellant. *Granate* (hoc eſt, ramuſculi *granis* ſive ſeminibus ſuis inſtructi) *per lo più ſi tagliano le ſcope*, ſubdit Menagius, originem vocis ſe indicaſſe ratione iſtâ ſibi perſuadens. Nos plantam ſativam in hortis, ſpecioſi aſpectus, & ad hominis ſtaturam interdum ſeſe extollentem vulgari ſermone *Granata*, ſeu *Granada* dicimus. Tantæ interdum proceritatis eſt, ac tot ramulis conſtat, ut una ſiccata ad verrendas ruſticanas areas ſufficiat. Atque iis ſane ruſtici utuntur in ipſis areis mundandis. Quæ a Gaſpare Bauhino appellatur *Linaria Scoparia*, ſeu *Belvedere* in Tuſcia, ſive *Chenopodium Lini folio villoſo* apud Tournefortium, fortaſſis hanc nobis indicat plantam. Num *Granatenſi* ex Urbe planta hæc ad nos advecta, nomen inde accepit? Rem indicaſſe contentus, nihil affirmo.

Grappare. Idem atque *Graffare*. *Arripere*. Vide Diſſertationem XXVI. *de Militia*.

Grappolo. *Racemus uvæ*. Verba Menagii ſunt: *Fortaſſis ab ipſo Racemo*. *Racemus*, *Racepus*, *Rapus*, *Grapus* &c. Ludat ac harioletur, ut vult, vir doctus, fidem ſane a nobis non impetrabit. Quemadmodum Itali *Grappo*, *Graſpe*, *Raſpo*, & *Grappolo* dicunt, ita Gallis & Anglis *Grape* in uſu eſt. A *Traube* Germanico, niſi forcipes adhibeas, non trahas. Dum propior origo ſe offerat, ſuſpicari quis poſſit, antiquiſſimam hanc eſſe vocem Italicam aut Gallicam, quæ ab una in alteram gentem illapſa fuerit. Idem dicas de *Graſpo*. Si quid vetuſtiſſimarum vocum reliquiarum tenemus, id præcipue de iis factum, quæ ad Agriculturam pertinent.

Grattare. *Scabere*, *Scalpere*, *unguibus Radere*. A Latino-Barbaro *Cratare*, quod a *Rado* efformatum fuit, deſcendit, ſi Menagium audimus. Ferrarius ab *Afferere*, ignoto verbo illud derivat. Utique *Cratare* in *Burgundionum* (Du-Cangius ait *Friſionum*) Legibus occurrit, idemque eſt cum Italico *Grattare*. Sed vox iſta nihil aliud eſt, niſi Germanicum *Kratzen*, unde etiam Galli traxere ſuum *Grater*, Angli ſuum *Grate*, nos verò *Grattare*.

Greppa, *Greppo*. *Rupes prærupta*, non verò *Dumetum*. A Græco Κρηπὶς, ſive a Latino *Crepido*, derivabat hanc vocem Guietus. Sed nihil rei eſt Græcæ aut Latinæ voci cum Italica. Videndum, an ita prærupta loca barbaricis temporibus appellata fuerint, quod *Gryphorum*, ſive *Griporum* habitacula crederentur. Mutinenſes ea loca *Grippe*, & *Grippole* nuncupant.

Greppia. *Præſepe*. Vocabulum hoc eâ tantùm de cauſsâ innuo, ut Lector agnoſcat, quouſque proceſſerit confidentia Menagii, viri alioquin doctiſſimi. Veram vocis originem indicarat Ferrarius, nempe Germanicum *Krippe*, quod ipſiſſimum eſt Italico *Greppia*, paucis immutatis. Menagius alteram profert, non dubitantis, ſed ſtatuentis facie in hunc modum *Præſepe*, *Præſepia*, *Creſepia*, *Greſepia*, *Grepia*, *Greppia*. Quid inter ejuſmodi Etymologias & Somnia interſit, percontari liceat.

Gridare. *Clamare*, *Exclamare*. A Græco Κρίζω hanc vocem Nicotius trahebat. Verùm non *Clamare*, ſed *Stridere* Græcis eſt Κρίζειν. Omnium primus Varchius, tum Joſeph Scaliger, Covaruvias, Gerardus Johannes Voſſius, ac alii unanimes, ſcripſere, Latinum *Quiritare* converſum in Italicum *Gridare*, Hiſpanicum *Gritar*, *Crier* Gallicum, & Belgicum *Kriiten*. Quam ſententiam Menagius ambabus manibus eſt amplexus. Neque veri ſimilitune caret. De hac origine tamen fateor me vehementer, immo nimium dubitare. Nihil aliud, Varrone teſte, *Quiritare* fuit, niſi *Quiritium fidem clamando implorare*. Hoc ergo verbum Romanæ tantùm Urbi in uſu fuit, ac tum ſolùm, quum quis auxilium Populi Romani magnis vocibus invocabat: quod in controverſiis præcipuè civilibus exclamationis genus

gnum fuit. Extra Urbis pomœria ignotum, inſertum *Quiritare*. Id uſque adeo verum eſt, ut Ruſtici ipſius Romanis agri, quum exclamarent, non *Quiritare* ſed *Jubilare* dicerentur. Teſtem rei Varronem eumdem habemus. Non ergo credendum, tanto ſucceſſu propagatum fuiſſe *Quiritare* per univerſam Italiam, Galliam, Hiſpaniam, Belgium, ac alias regiones, ut quaſi familiare vocabulum in *Gridare*, *Crier*, *Gritar*, *Krijten*, ii Populi ſenſim immutarint. Non erat, inquam, alibi quam Romæ uſus hujus vocis, & is etiam ad paucos caſus, anguſtamque ſignificationem conſtrictus: quod inſuper patere cuicumque poſſit, conſideranti, apud tot Scriptores Romæ ipſius dominantis, ac deinde apud reliquos Latinos diverſarum gentium, ac ſubſequentium Sæculorum, occurrere numquam illud *Quiritare*, ſed quidem *Clamare*, *Clamitare*, *Inclamare*, *Exclamare*, *Vociferare*, & horum ſimilia. Uſi fuiſſent, & ſæpe, ſi Latinum verbum, & notum, & uſitatum ubique fuiſſet; quod ante ſtatuendum eſt illis, qui inde natum arbitrantur *Gridare*, *Crier* &c. Itaque veri mihi videtur ſimilius, a *Schreyen* Germanico petendam eſſe originem Italici *Gridare*, Gallici *Crier* &c. Idem enim Germanis ſignificat atque aliis gentibus. Galli pro terminatione ſuæ Linguæ primo efformarunt *Scrier*, tum *Crier*, uti & Angli ſuum *to Cry*. Itali verò pro more ſuo confecerunt primo *Scriare*, tum *Sgriare*, *Sgridare* (quod poſtremum verbum adhuc in uſu eſt, & ſignificat *Objurgare*) ac denique *Gridare*. Idem de Hiſpanis & Belgis excogitandum. Præterea addo, Germanis etiam eſſe *Kryten*, ideſt *Plorare*, & Gothicæ Linguæ eſſe *Greitan*, *Flere*: Hickeſium verò opinari, inde hauſtum fuiſſe noſtrum *Gridare*. Ad ejus ſententiam accederem, niſi me deterreret diſcrimen, quod inter *Plorare* & *Clamare* nemo non videt. Attamen ſæpe *Plorantibus* contingere ſolet, ut ploratibus *clamores* intermiſceant.

Grimo. *Rugoſus*, uti interpretantur Auctores Vocabularii Cruſcani. Erythreus a *Rimis*: Ferrarius a *Crinitia* Etymon hoc deduxere. Uti Menagius recte monuit, *aliæ origines vocis hujus quærendæ ſunt*. Quum dicimus *Vecchia grima*, ſi ſignificaretur *una Vecchia arrabbiata*, *Rabbioſa*, ex Theutonico *Grimm*, ſignificante *Iram*, *Rabiem*, fortaſſis enatum fuiſſet Italicum *Grimo*. Gallicum quoque *Grimace* perpendendum eſt, ſignificans *contortiones vultus* (*Smorfie* a Mutinenſibus appellantur), quæ riſum, aut faſtidium creant. Cujus tamen vocis fons eſſe potuit ipſum Germanicum *Grimm*. Nam qui in iram ac furorem abripiuntur, ejuſmodi oris contortionibus obnoxii ſunt. Inde *Grimoaldus*, *Iræ potens*. Quare videndum ſupereſt, num revera Italicum *Grimo* ſignificet *Rugoſum*, uti vulgo creditur.

Grinzo. *Corrugatus*, *Rugoſus*. Ejus compoſita *Grinzare*, *Aggrinzare*, *Grinza &c.* Italicæ vocis vim fortaſſe Menagius non eſt aſſequutus, quum a *Ringere* Latino eamdem traxit. *Ringere* canum eſt, ut nuper dixi, quotieſcumque exertis dentibus in aliquem fremunt. Aliud eſt *Grinzo* & *Aggrinzare*, quo utimur ad deſignandam pellis corrugationem, & Rugas. At undenam hæc Italicæ Linguæ vox? Fortaſſis e Germania. Saxones olim, uti ſupra memini ad vocem *Digrignare*, dixere *Grinian*, hoc eſt *Corrugare labia*. Num ad ceteras Rugas propagata vox fuit? Eadem quoque Germanicæ Linguæ ſunt *Wrinkel*, ſignificans *Grinzo*, *Rugoſus*: unde Anglicum *Wrinkle*. Aliquam affinitatem inter has voces & *Grinzo* fortaſſe ſentias. An inde proceſſiſſe potuerit vox noſtra, alii decernant.

Gruccia. *Sub-axillare fulcrum*, quo claudicantes utuntur, ad inſtar Tau, ſeu furculæ ligneæ confectum. Senenſes, aliique Italiæ Populi *Croccia*, *Crocciola* appellant. Auctor eſt Menagius, a *Crux*, *Crucis*, ſcilicet propter formam, hoc nomen prodiiſſe. Non diſſentio, quamquam Crucis aut nulla, aut exigua ſit ibi figura. Addo tamen inter antiquiſſimas Germaniæ voces occurrere *Grucke*, & *Grukkel*, quæ idem ſignificat; atque apud Belgas, ceteroſque Teutones uſitata eſt. Vox illa in Italicam Linguam ex Germania effluxiſſe rectâ videtur. Sunt & qui *le Cruccie* dicunt. Atque inde & Britanni didicere *Crutch* & *Crutches*. Galli nunc appellant *Potence*, *Bequille*: at olim & ipſi *Croſſes* appellabant, & *Cruchias*. In Vita Sancti Bernardi Pœnitentis, ſcriptâ a Johanne Monacho Bertiniano, & in Vita Beatæ Zitæ Lucenſis, occurrit vox *Crucca*, uti Du Cangius animadvertit. Ita in Vita Sancti Petri Parentii, ſcriptâ Anno Chriſti MCXCIX. & a Papebrochio editâ ad diem 21. Maji, claudus *duas Crucias*, *aſcellis ſuppoſitas habebat*. *Crocciæ* nuncupantur in Vita Sancti Raynerii Piſani, ſcriptâ circiter Annum MCLX., & evulgatâ in Actis Sanctorum ad diem 17. Junii. Adde & in Vita Beatæ Finæ ad diem 12. Martii, ac in Vita Sancti Arnulfi Epiſcopi Metenſis, ab Anonymo Monacho apud Mabillonium exaratâ, claudum *cum Crocis ſuis ad urnam Sancti Viri ſe proſtraviſſe*. Nos Lombardi fulcra iſtiuſmodi appellamus *le Ferle*; quo etiam nomine donantur *Clavi ferrei* ejuſdem figuræ. Inter miracula Beati Simonis Tudertini, Ordinis Sancti Auguſtini, Bononiæ tumulati Anno Chriſti MCCCXXII. claudus quidam *ire non poterat ſine Ferla*. Ita in Vita Beati Jacobi Veneti, in Actis Sanctorum ad diem 31. Maji, memorantur *lignea fulcimenta*, *quæ Ferlas vocant*.

Gruppo, *Groppo*. *Nodus*. Si Menagium audis, vocabulum iſtud quum *Dubium* quid, ac *Difficultatem* ſignificat, e Græco γρῖφος deſcendit. Quum verò *Complexum* rerum, ex *Globus* hauſtum videtur. Salmaſium is unice laudat, Etymi primi teſtem. Rem tetigit Menagius. Nam revera ex Latinorum *Gryphus* Itali efformarunt *Gruppo*, *Groppo*. Sed Menagio commemorandus erat A. Gellius, qui Lib. I. Cap. 2. *Gryphos diſſolvere* ſcripſit, hoc eſt *captionum Dialecticarum laqueos*. Ænigmata quoque appellata fuere *Griphi*, atque ita legendum apud eumdem A. Gellium Lib. 12. Cap. 6. Sed & apud Sui-

Suidam Ænigmata vocantur *Griphi*. Metaphorice videlicet, nomine tranſlato ex rete piſcatorio, cui nomen *Griphus*. Hanc vocem in *Gruppo* & *Groppo* convertit Italica Lingua, ad ſignificandum *Nodum*, aut aliquid implexum & difficile, quemadmodum ex *Gibbus* emerſit Italicum *Gobbo*. PH. Græcorum redditum Latine nonnunquam invenias per P. Neque ad *Globum* confugiendum eſt, quum dicimus *un Gruppo di Figure*. Eadem vox ibi metaphorice adhibetur ad ſignificandum complexum rerum ſimul unitarum. Simili ratione interdum utitur voce *Laccio*. *Griſum* & *Gripum* veteres dixerunt.

Guadagno. *Lucrum*. *Guadagnare*. *Lucrari*. A Græco Κερδαίνειν traxit Monoſinius. Guietus, & Ferrarius a *Vas Vadis* deduxerunt, quaſi efformatum fuerit *Vadanum*, ideſt *pretium Vadationis*: quod inter ſomnia conjicias velim. Ab antiqua Germanica voce *Winnen* Carolus Cato Curtius derivandum *Guadagno* cenſuit. Arbitror & ego, ex Septemtrionalibus Populis in Italiam, Galliam, Hiſpaniam, & Britanniam deſcendiſſe vocabulum iſtud. Nam Hickeſio teſte in Dictionario veteris Islandicæ Linguæ *Gagn* apud Islandos ſignificabat *Utilitatem*. Gothica verò Lingua *Gageigan* appellabat *Lucrari*. Inde Anglicum *Gain*; & Francica *Gain* & *Gagner*; Hiſpanicum *Ganar*, quod & in Charta Æræ MXXVIII. apud Yepez occurrit; & noſtrum *Guadagno*. Germanica quoque Lingua ſervat adhuc *Gewinn*, quod accedit ad aliarum Linguarum voces. Quomodo illud *D.* in Italicum *Guadagno* ſe intruſerit, difficile intelligas.

Guado. *Iſatis* Græcorum. Herba ad tingendos pannos colore cæruleo adhibita. A Latinorum *Guaſtum* proceſſiſſe Menagio creditur, cujus mentio eſt apud Plinium Lib. 22. Cap. primo, prout emendavit Salmaſius in Solinum Cap. 22. non verò *Glaſtum*, ut habent editi. At Salmaſii licentiam in emendandis Codicibus nemo non novit. Quod mihi veri videtur ſimilius, a Teutonico *Weyd*, ſive *Waid*, uti Cramerus legit, Linguæ illius voce, nos accepimus *Guado*. Neque e *Guaſtum* efformatum umquam fuiſſet noſtrum *Guado*, ſed quidem *Guaſto*. Gallis quoque eſt *Guede* & *Guesde*, idem ſignificans, & ex eodem fonte derivatum.

Gualcire. Vide ſupra in hac ipſa Diſſertatione.

Guancia. *Gena*. Ferrarius & Menagius, quibus ſolemne erat, ubicumque poterant, Italicarum vocum originem in Latina, aut in Græca Lingua expiſcari, ac inde adhibitis etiam chordis & machinis trahere: ille a Latino *Gena*, hic a Græco Γνάθος, Italicum *Guancia* hauſere. Sed in Septemtrione, non in Oriente, neque in Occidente, tum aliæ multæ voces, tum iſta ſane quærenda erat. Ipſum *GU.* quod plerumque ex Germanico W. in Italiam venit, iis index ſufficiens eſſe poterat. Eſt ergo noſtrum *Guancia* Teutonicum purum *Wange*, vel *Wangen*, quod Italice expreſſum dat *Guancia*, unde efformavimus *Guanciale*, *Pulvinar*, & *Guanciata*, *Colaphus* &c.

Guardie. *Excubiæ*. Cuſtodes corporis. Si Eruditiſſimum Marchionem Maffejum in egregio Opere Veronæ Illuſtratæ Lib. XI. pag. 315. audimus, falluntur, qui ex Germanica Lingua vocem hanc arceſſunt. Nam inquit ille: *bel paſſo è in Plutarco, dal quale poſſiam conoſcere, tal voce eſſere ſtata in Roma fin da' tempi di Mario; narrandoſi da quell' Autore, come Mario s'era fatto un' accompagnamento di Servi aſtati, a' quali dava egli il nome di Vardie: così porta il teſto Græco*. En textum ipſum: Δορυφόρους ἔχων λογάδας ἐκ τῶν προσπεφοιτηκότων δούλων, οὓς Βαρδιαίους προσηγόρευεν: ideſt; *Circumſeptus delectis Servis, qui ſe contulerant ad eum, quos Bardiæos appellabat*. Ii poſtea ad unum confoſſi a Cinna & Sertorio fuerunt. Antea quoque adnotarat hunc locum Voſſius in Etymologico Linguæ Latinæ ad vocabulum *Bardi*. Verùm Voſſio numquam in mentem venit, inde poſſe deduci Italicum *Guardia*, & Gallicum *Garde*. Incertiſſimum quippe eſt, cur Servi illi appellati fuerint *Bardæi*. Non certe quod facerent excubias, ſive ut nunc dicimus *la Guardia*: nullum enim veſtigium vocis hujus apud Latinos. Salmaſius in Notis ad Pertinacem Capitolini, & Henricus Stephanus in Lexico animadverterunt, *Bardæos* fuiſſe Illyricam gentem efferam, quæ Italiam non ſemel populata eſt. Vatinius in Epiſtol. ad Ciceronem Lib. V. *Dicitur mihi tuus ſervus anagnoſtes fugitivus cum Vardæis eſſe* &c. *Profectò tibi illum reperiam, niſi in Dalmatiam aufugerit*. Plinio quoque Lib. 3. Cap. 22. memorantur *populatores quondam Italiæ Vardæi*. Itaque non a *Guardia*, ſed aliâ ex cauſsâ *Bardæi* & *Vardæi* appellati Mariani Servi, ideſt *Sgherri*. *Bardaici cuculli* inde nomen ſumſiſſe nuper laudato Salmaſio creduntur. Et ſicuti ſi quiſquam nunc opinaretur, ex Germanico *Bart*, ſeu *Barte*, *Securim* (nunc *Alabarda*) ſignificante, inditum fuiſſe nomen *Bardæis*, quaſi *Alabardieri* fuerint, minime id nobis perſuaderet: ita neque ſubſcribendum eſt ſentienti, ex *Bardæis* deſcendiſſe nomen *Guardia*, Satellites & Cuſtodes corporis ſignificans. Unde ergo *Guardia*? Poſt tot alios & ego ex Germanico *Warten* (apud antiquos Teutones *Wardan*) ſignificante *Intueri*, *Videre*, enatum reor. Inde noſtrum *Guardare*, Hiſpanis quoque familiare, & Gallicum *Garder*. Tranſlata vox ad militares excubias ſignificavit, & adhuc ſignificat *Cuſtodire*. Gallicæ Linguæ eſſe dicitur *vocabulum adverbiale* hoc *Gare*: qua nempe voce monentur viatores, ut a periculo ſibi caveant, dicendo *Gare le corps*, *Gare l'eau*. Hæc Fureterius, qui & addit: *Ce mot ſelon Saumaiſe* (quo nomine Salmaſius deſignatur) *vient de Varare Latin* &c. Mira illi nobis narrant. Nihil aliud eſt Gallicum *Gare*, niſi *Garde*, ſeu *prens Garde*, hoc eſt Italicum *Guarda*. Nam & nos hoc dicimus, udituri gentem, ut evitet currum, equum, lignum &c. ſive cuſtodiat caput, crura, corpus ab imminenti periculo.

Guari. *Multum*. Bertetus a Græco Ὀλίγος, *parvus*; Menagius a Latino *Avarius*; a *Valde* Ferrarius derivarunt. Quot ſententiæ, tot ſomnia, quibus Lectores detinentur. Neque felicior opinio Petri

Bembi Cardinalis, qui a Provincialium Lingua in Italiam migraſſe Guari arbitratur. Vox iſta nihil aliud mihi creditur, niſi Gar adverbium Germanorum, atque etiam in eorum Lingua primitivum atque vetuſtiſſimum, quod *Multum* ſignificat. *Non ha Guari* idem nobis eſt, ac *Non ha Molto*. Atque inde ſuum *Guere* traxere Galli. Ad hanc vocem Furetierius ait: *Menage le derive de l'Italien Guare, ou de l'Hebreu Gara, qui ſignifie Retrancher*. Habes heic Etymologiſtarum inconſtantiam; nam nuper Menagius deducebat hanc vocem ab *Avarum*. Habes etiam itinera hoc & illuc ab iis ſuſcepta, ut verborum originem detegant, eo neglecto, quod unice erat ſuſcipiendum.

Guarnacca, *Guarnaccia*. Veſtis talaris genus, fortaſſe *Toga*, aut *Trabea*. Meurſius a Græcorum poſterioris ævi voce Γουρνάτζα, hoc eſt *Gurnatza*, ſignificante veſtem ab Imperatoribus Græcis adhibitam, Italicum *Guarnaccia*, nunc obſoletum, traxit. Laudanda utique docti viri conjectura. Attamen additum volo, antiquis Latinis fuiſſe *Gaunace*, quæ vox & apud Græcos occurrit, ad ſignificandam veſtis ſpeciem. Varronis verba ſunt Lib. 4. de Legibus: *Gaunace, majus ſagum, & Amphimallon Græca*.

Guatare. *Attente Aſpicere*, *Intueri*. Uti ad vocem *Aguato* dixi, repeto, cæſpitaſſe in plana ſuperficie Ferrarium & Menagium, dum ille a *Viſitare*, hic a ſomniato verbo *Cattare* pro *Videre*, noſtrum *Guatare* derivatum ſibi finxerunt. A *Wacta*, *Guetta*, *Guetta*, *Guaita*, Germanica voce (nunc *Wache*) ſignificante *Excubias*, & homines ad ſpeculandum poſitos, an hoſtis adveniat, efformatum fuit vocabulum iſtud, atque e *Wachtare*, *Guatare*, idest *Speculari*. Mutinenſes adhuc *Sguattare* appellant, attente intueri occulta aliorum acta.

Guazzare, *Sguazzare*. Plures habet ſignificationes. *Per dibattere coſe liquide*, ait Menagius, *da Aquatiare*, ideſt a verbo, quod ipſe ſibi confinxit, & quod e propinquitate vocis facile credulis imponat. Subdit: *Per paſſare a Guazzo*, *a Vadum*. Sed hæc omnia nauci facienda. Aliud eſt *Guado* & *Guadare*, quod revera e Latino *Vadum* emerſit, aliud *Guazzo*. Tam *Guazzare*, quàm *Guazzo*, ab uno vocabulo Germanicæ Linguæ *Waſſer*, *Aquam* ſignificante, aut *Watten*, hoc eſt *Flumen Trajicere*, originem trahunt. Repetendum ſemper eſt, Germanicum W. a nobis reddi per GV. Germani e *Waſſer* multas alias voces efformarunt, puta *Gewäſſer*, *Inondazione*, *Waſſern*, *Adacquare* &c. Propterea *Paſſare a Guazzo* ſignificat ſimpliciter *aquam pedibus trajicere* ſine ulla conſideratione Vadi. Mutinenſibus *Sguazzarone* eſt *Nimbus*. *Sguazzare*, *Genio indulgere*, ab anatum more deductum eſt, quarum voluptas major in aqua natare.

Guercio. *Strabo*, *Pætus*, *oculis diſtortis intuens*. Hoc ſenſu utuntur Florentini. Vide Linguarum vices. Mutinenſes, aliique Populi, *Strabonem Loſco* appellant, quum tamen *Luſcus* Latinis *Cocles*, ſive *unoculus* fuiſſe credatur. Rurſus verò *Guercio Monoculum* Mutinenſes dicunt, quum tamen Tuſcis *Strabonem* ſonet. A Latino *Verſus* deducebat Menagius *Guercio*: a *Verticius* formato vocabulo Ferrarius. Sed perpendendum, an potius a Germanico *Welk*, quod *Marcidum*, *Languens* ſignificat, ſubintelligendo *Oculis*, emergere potuerit. Qui mihi audaciæ carere conjecturam hanc ſuadet, eſt Johannes de Janua apud Du-Cangium ſcribens: *Pætus*, *idest Guelcus*, *Strabo aliquantulum*. Pro *Guelcio* poſtea Itali dixerint *Guercio*. Alibi monui, Linguam noſtram aliis in vocibus mutaſſe *L*. in *R*. & vice verſà.

Gufo. *Bubo*. Vox eſt Tuſcorum. Mutinenſes appellant *Barbagianni*. Tam Ferrarius, quàm Menagius, quod repererint apud antiquos *villoſam veſtem* appellatam fuiſſe *Guſam*, *Guſam*, inde ſibi perſuaſere, Buboni inditum fuiſſe nomen *Gufo*, *quod denſis circa roſtrum plumis inhorreſcat*. Numera & hoc inter ſomnia. Si Analogiam inter villoſas veſtes & avem inducere vis, nulla eſt avium, quam Bubonis non deceat nomen. Vide potius, an vox iſta ex antiqua Teutonum Lingua ad Tuſcos veniſſe potuerit. In Gloſſis Rhabani Mauri ab Eccardo editis Tom. 2. Hiſtor. Franc. Oriental. habemus *Bubonem* nuncupatum *Ufun*. Ita quoque in Gloſſis Theotiſcis ex Medicea Bibliotheca depromtis, & ab eodem Eccardo editis, occurrit *Bubo*, *Huvo*. Nos antiquorum *H*. per *CH*. pronuntiare interdum ſolemus, ut in *Mihi*, *Nihilum*. *Huvo*, ſeu *Hufo* Teutonicum in *Gufo* olim apud Tuſcos pertranſiit. Apud Gallos in *Hybou*. *H*. pro *CH*., vel *G*. *poſitum eſt more majorum*, inquit idem Eccardus ad vocem *Hiltu* pro *Giltu* in Appendice ad Tom. I. Hiſtor. Franc. Oriental. Ita *Campa*, nunc *Gamba*, olim *Hamma* Germanis fuit, *Hunni*, *Chunni*, *Haupt Caput*, *Horn Cornu &c.*

Guidare. *Præire*, *Ducere*, *Dux eſſe*. Forſitan a *Vadari*, inquit Menagius, aut a *Dux Ducis*. Ferrarius aut a *Viator*, aut a *Viæ Dux*, aut a *Viæ index* traxit *Guidare*. Sed adhuc propiora vero quærenda ſunt. Hiſpanica Lingua aliquid innuere videtur. Habet enim *Guiar*, quaſi *Viare*. Nam *V*. conſonans interdum in *GV*. converſum fuit. Verùm ne ſic quidem nobis ſatisfiat. Cur enim pro *Guiar* Itali interpoſito *D*. dixere *Guidare*? Illud *D*. nativum in hoc verbo mihi creditur, & abjectum ab Hiſpanis, uti in verbo *Fiarſe*, quod nobis eſt *Fidarſi*, & in *Creer*, nobis *Credere*, ut hujuſmodi alia prætercam. Quare Germanos Eruditos rogo, ut perpendant, num apud illos Italici iſtius verbi origo reperiri poſſit. Eſt ipſis *Weiden*, ſignificans *Paſcere*. Si oſtendi poſſet, Germanos olim adhibuiſſe hoc verbum pro *Ducere ad paſtum*, *ad paſcua*, uti olim *Minare* idem ſignificavit, cujus poſtea ſignificatio apud nos evaſit *Ducere*: haberemus fontem verbi *Guidare*; nam *Weiden* ad Italicam pronuntiationem deductum reapſe dat *Guidare*. Gallicæ quoque & Anglicæ Linguæ eſt *Guide* & *Guidar*.

Guiſa. *Ritus*, *Modus*, *Ratio agendi*. Non a *Diviſa*, ut Caſtelvetrus eſt opinatus: Non a *Viſa*, ut Menagius ſuſpicabatur: Non a *Vice*, ut Ferrarius docuit; ſed certe, uti jamdiu animadverterunt Cluverius,

verius, & Carolus Curtius, a Germanico A *Weiſe*, quod idem ſignificat, Italicum *Guiſa* manavit. Inde etiam accepere Galli, quibus eſt *Guiſe*; & a Gallis, aut a Saxonibus Britanni, qui eâdem ipſa voce utuntur. Petrus Bembus, tam bene de Italica Lingua meritus, vocabulum hoc, uti & alia multa, e Provincialium idiomate ad nos profectum arbitratus eſt. Verùm Linguis Septemtrionalibus ſtudendum eſt, ut veros fontes complurium vocum ſuarum Lingua noſtra deprehendat. In Gloſſis Theotiſcis Rhabani Mauri *Ritus* Germanice redditur *Wiſa*, quod eſt ipſiſſimum noſtrum *Guiſa*.

Guizzare. *Motus piſcium per aquam*. B Confidenter Ferrarius a Latino *Fluitare*, licèt nimis diſtet, hanc vocem derivat. Et heic Germanica Lingua mihi creditur adeunda, cui eſt *Wiſchen*, vel *Witſchen*, Cramero teſte, *Guizzare* ſignificans. Germanicum W. in *GV*. ut ſæpe dixi, immutare Majores noſtri conſuevere. Et quamquam quædam noſtræ voces per *GV*. incipientes, e Latio deſcendant, nos tamen Germanorum pronuntiationem videmur ſequuti, ut *Guaſtare*, non a Latino *Vaſto*, fonte hujus verbi, directe venit, ſed a Germanico *Waſt*. Quare Itali Teutonicum *Wiſchen* in *Guiſcare*, tum *Guizzare*, convertiſſe fortaſſe dicen- C di ſunt.

Guſcio. *Folliculus*, *Putamen*, *Teſta*. Et heic cerebrum ſuum torquent Ferrarius & Menagius. Hic a *Bucium*, aut ab *Excuſſium*; ille a *Cochlitium* originem vocabuli hujus ſumunt. Neſcio an meliorem ego exhibiturus ſim. Sed quando hariolari illis licuit, heic & mihi liceat. Angli *Huſc* dicunt, quod nos *Guſcio* & *Huſche* Belgæ. Vocabulum uterque Populus e Septemtrionalibus Linguis accepiſſe videtur. Nam & adhuc Germani *Hulſe*, parum diſſimili voce, pronuntiant, quod eſt *Putamen*. A vero minime abhorret, potuiſſe & nos inde haurire noſtrum *Guſcio*, D immutata gravi Germanorum aſpiratione *H*. in *G*., ut nuper dixi ad vocabulum *Guſo*. Galli quoque *Gouſſe* dicunt. Animadvertendum tamen, a Mutinenſibus, aliiſque, ut puto, Lombardis diſcrimen aliquod ſtatui inter *Guſcio*, & *Guſcia*. *Guſcia* dicimus nos Mutinenſes de inanimatis, uti ſunt Siliquæ, ſive integumenta leguminum, nucum &c., quod & a Gallis *Gouſſe* appellatur. At *Guſcio* appellare ſolemus de animatis, cujuſmodi ſunt teſtæ ovorum, limacum, cochlearum &c. Poſtremum hoc excogitandum eſt, an fortè efformatum fuerit e *Gurguſtio* Latinorum, ſignificante *genus habita-* E *tionis anguſtum*, uti ſupra innui ad vocabulum *Gozzo*. Nos adhuc ad innuendam anguſtiam Cubiculi, aut Domus alicujus, per metaphoram utimur nomine *Guſcio*. Dicimus enim *un Guſcio di Camera*. Et facile *Gur* exciderit, uti excidit in *Gozzo*, quam vocem vide. Sunt Apuleji verba: *Ergo brevitatem Gurguſtioli noſtri ne ſpernas*. *Peto*, *ſis contentus lare parvulo*. Nos reddere poſſemus *la ſtrettezza del noſtro Guſcio*. Ita Sanctus Ambroſius in Libro de Bono Mortis, Cap. 2. *Anima*, inquit, *decedentis*, *ore emiſſa evolat*, *tanquam carcereo corporis hujus exuta Gurguſtio*: Italice diceres *dal Guſcio di queſto Corpo*.

I

IMbatterſi. *Abbatterſi*. *Fortè pervenire*. Ex verbo *Battere*, *Percutere*, & præpoſitionibus *Ad*, & *In*, efformata fuere hæc vocabula. Sed qua ratione Italicum *Battere* (natum e Latinorum *Batuere*) translatum fuerit ad ſignificandum *Incurrere in aliquem*, aut *in aliquid*, fortaſſe petis. Eâ ipsâ, repono, quâ Latini dixerunt *Offendere*, ſignificans *Lædere*, ſimulque *Invenire præter opinionem*. Tranſlatio ergo deſumta videtur ab homine, qui, dum multi per viam tranſeunt, offendit aliquem, ſcilicet incurrit fortuito in illum, quem videre aut alloqui cupiebat. Propagata eſt phraſis ad quamlibet fortuitam rerum aut hominum inventionem. Vide etiam infra *Incappare*.

Imbiutare. Mutinenſes ajunt *Imbiudare*, ruſtici verò *Imbiedare*. Significat, vaccino ſtercore diluto aream lavare, ut in conſiſtente ſolo fruges terantur. Ejuſmodi quoque maceratione utuntur doliorum Artifices, vaſorum vinariorum aſſulas invicem veluti agglutinantes, atque gluten hoc *Bieda*, aut *Beda* appellant. Menagius a *Biuta* deducit, quod enatum putat ex Latino Barbaro *Bluttare*, ideſt Italice *Stacciare*. Sed quid rei, quæſo, verbo *Imbiutare* ſignificanti *Conſpurcare*, *Illinere*, cum *Stacciare*, ſignificante *Cribrare farinam*? Eſt aliqua mihi ſuſpicio, Langobardicæ, hoc eſt, Germanicæ originis verbum eſſe. Inter Langobardicas Liutprandi Regis Leges Lib. V. Cap. 6. legitur: *Si caſam cujuſcumque Blutaverint*, *aut res eorum tulerint*. Ubi ea vox *Conſpurcare ſtercore* ſignificet, confluere ipſam vides in ſignificationem verbi *Imbiutare*. Putant aliqui, *Blutare* pro *Exſpoliare* ibi adhibitum; ſed quum ſubſequatur, *aut res eorum tulerint*, diverſa res primo verbo indicari videtur. Præterea antiquiſſimum Germanicæ Linguæ eſt *Blut*, *Bloth*, *Sanguis*. A ſimilitudine Sanguinis (quo calido ſi quidquam illinitur, cruſtam contrahit) efformatum fortaſſe fuit *Imbiutare*, quod areæ ſuperficies illita vaccino ſtercore obdureſcit. Hiſce conjecturis ſit venia.

Imbroccare. *Scopum attingere*. Voce *Broccas*, ut in Diſſertatione XXVI. *de Militia* innui, veteres appellarunt *ſudes*, *palos*, *clavos ligneos*, & præcipue *ferreos* & *acutos*. Nos Mutinenſes adhuc retinemus nomen *Brocchette*, ut deſignemus minutos & exiguos clavos ferreos. Et quia in medio quorumdam clypeorum figebatur ſtilus ſeu cuſpis ferrea, ii propterea nuncupati *Brocchieri*. Ex ejuſmodi clypeis exponebatur unus, in quem collineabant, qui peritiæ ſuæ in ſagittando experimentum dare cupiebant. Nunc dicimus *tirare a ſegno*. Quicumque medium clypei, ſive tabulæ in modum clypei expoſitæ, percutiebat, ubi *Brocca* infixa erat, ceteris anteferebatur, & præmium reportabat. Hinc *Imbroccare*, ideſt ſagittâ percu-

percuotere Ripatam, ſive Scopum attingere. *Broche* Gallica vox eſt, idem ſignificans.

Immantinente. *Statim*, *Illico*. Efformatum videtur adverbium hoc ex *In*, & Gallico *Maintenant*. Taſſonus Mutinenſis in Notis MSStis ad Vocabularium Cruſcanum hæc habet: *Immantinente è detto da tenere in mano, e aver pronta la coſa, come volere, che la tenghino in mano*.

Impaccio. *Impedimentum*. *Impacciare*, *Remorari*. An Galli ſuum *Empeſcher* inde traxerint, ipſi conſiderent. Spelmannus & Somnerus vocem illam a Latino *Impetere* accerſunt, quod *in jus vocare* & *accuſare* apud Scriptores medii ævi ſignificavit. Videndum, num potius ad nos veniſſe potuerit e *Pice*, metaphorice adhibita. Nempe *Impeciare negotium* dictum fuerit, pro *impedimentum adferre negotio*. Martialis habet *Piceatus*. Nos etiam dicimus *Impeciato*, quod idem ſignificat atque *Impacciato*. Ex eodem quoque fonte emanaſſe potuit *Spacciare*, *Spacciarſi*, pro *Expedire*, *Solvere impedimenta*, quaſi ex *Expiceare*, & nos Mutinenſes dicimus *Spicciarſi*, *ſemet expedire*. Alteram originem accipe. Hoc eſt, e *Pacto*, *Pactionis* deſcendiſſe potuit *Impactiare*, & inde noſtrum *Impacciare*. E Feſto diſcimus, antiquos dixiſſe *Pacionem* pro *Pactionem*, ſcilicet e *Paciſcor*. Addit ille: *Paciſco*, & *Paceo in uſu remanſit*. E *Paceo* efformatum videtur *Impaceare*, ſcilicet *Pactione ſe ſe*, *aut alios obligare*, *Pacta inire*, *Paciſci*. Pactiones verò *Impedimenta* ſunt, ne aliquid antea liberum agere liceat. Significatio vocis deinde ad alia pro more tranſlata fuerit. Quod ſi fortè ex Gallico *Empeſcher*, noſtrum *Impacciare* traxerimus, (quod ſane mihi difficile perſuadetur) tunc alia quærenda erit vocis origo. Has interim conjecturas meas ne moleſte feras, quouſque meliora quis adferat.

Imparare. *Diſcere*. Inſalutatum hoc verbum dimiſit Menagius. Abſtruſa ſane illius origo. Nihil mihi ſuccurrit, niſi Gallicum *Emparer* ad nos profectum. Videtur hoc a nobis Metaphorice uſurpatum tranſiiſſe in *Imparare*. Nam æque dicimus *Apparare*, quod propius accedit ad *Amparar* Hiſpanicum, quaſi *Diſcere* ſit *Impadronirſi d'una notizia non dianzi ſaputa*. Utrum autem *Emparer* Gallicum ab Hiſpanico *Amparar*, non vero a Latino *Parare* deſcenderit, aliorum erit inveſtigare. Quod mihi perſuadet, non aliunde natum Italicum *Imparare*, eſt uſus alterius vocis, nempe *Apprendere*, quod idem per tranſlationem ſignificat, atque *Emparer Gallicum*. Latini quoque *Percipere*, *Comprehendere* dixerunt pro *Diſcere*; ita ut analogiam ſentias inter ejuſmodi verba.

Impiccare. Vide ſupra verbum *Appiccare*.

Importare. *Referre*. Erudite monuit Carolus Datus Florentinus, nos Italice reddidiſſe ipſum *Ferre*, ſive *Referre* Latinorum. Nam *Ferre* idem eſt ac *Portare*: nos verò *In* addidimus. Mihi tamen veri videtur ſimilius, nos rectâ accepiſſe ab ipſo *Importare* Latinorum noſtrum *Importare*. Scilicet quum dicimus: *queſto non m' Importa: ſe queſto v' Importa*. aliquid eſt ſubintelligendum, quod videlicet Latini diviſiſſent: *Hoc mihi*, *aut vobis nihil utilitatis*, *aut incommodi Importat*.

Imprentare. *Effigiare*. Vide Diſſertationem XVI *de Feneratoribus*.

Inaffiare, *Anaffiare*. *Leviter conſpergere*. Mihi omnino creditur efformatum ex *In* & *Afflare* Latinorum, ſubintelligendo *Aqua*. Metaphorice verbum adhibemus, quaſi *un Soffio d' Acqua*.

Incanto. *Auctio*. *Incantare*. *Sub haſta vendere*. A Latino Barbaro *Incantare* pro *Cantare*, *Intonare* Du-Cangius, Menagius, & Ferrarius hanc vocem profectam cenſent. Sed quum *Incantare* apud Latinos, & antiquiores Barbaro-Latinos nil aliud ſignificarit, niſi magicis cantionibus, & veneficiis operam dare; & *Incantare* pro *Vendere ſub haſta* poſtremis tantùm Sæculis invaluerit in Italia: inquirendum adhuc puto, num fortè Germanica Lingua nobis hanc vocem dediſſe potuerit. Ipſis quippe eſt *Gant*, ſignificans *Auctionem publicam*. Addito noſtro *In*, quod tamen & Germanorum eſt, evaſiſſet *Incanto*, atque uti *Mettere in vendita*, ita *Mettere in Ganto*, *in Canto*, deinde verò *Mettere all' Incanto*, *Incantare*. Illi-ne a nobis, an nos ab illis vocem ſumſerimus, decernere is poterit, qui antiqua & propria Germanicæ Linguæ vocabula indicare queat.

Incappare. *Incidere*, *Incurrere*. Menagius cenſuit ex *Incippare* Latino, cujus verbi aſſertorem dat Iſidorum in Gloſſis, emerſiſſe primo Italicum *Incappare*, tum *Inciampare*. Ferrarius verò ab *Inceſpitare* traxit ipſum *Inciampare*. Verum ab *Inceſpitare* manaſſet *Inceſpare* non *Inciampare*. Et ad Latinum *Incippo*, quod attinet, Iſidori verba ſunt: *Incippat*, *Illudit*: quare Menagius illudere nobis videtur hæc ſcribens: At is ait, legendum apud Iſidorum *Incippat*, *Illidit*, non verò *Illudit*. Nugæ. In Excerptis quoque Pithœanis legitur *Incippat*, *Illudit*, non *Intundit*, ut pro ſuo arbitrio Menagius legendum monet, hanc vocem audacter immutans, ut ſuæ imaginationi inſerviat. Et quamvis *Illidit* ſcriptum fuiſſet, adhuc *Illidere* non idem eſt ac *Impingere*. Quod ſi emendandum eſt *Incipat*, *Illudit*: potius, uti Du-Cangius conjecit, ſcribendum eſt, *Includit*, a Cippo ſignificante Compedes aut Carcerem. Subdit tamen Menagius, Turnebum & Scaligerum animadvertiſſe in Luciliano verſu, Mulos ſagmarios *cippos colliſiſſe omnes*. *Notum porro eſt*, ait Scaliger, *Sepulcrorum olim Cippos ſecundùm vias publicas fuiſſe*. *Itaque collidebantur a mulis*, *quum ea præterirent*. Verùm neque Lucilii verſus, neque Scaligeri germana interpretatio Menagium juvat. Etenim ſepulcrales veterum Cippi prominentes a terra fuere, adeo ut epitaphium inſcriptum in eis legeretur. Nequaquam ergo pede impingere poterant in eos Muli, ſed quidem clitellis ac ſarcinis. At *Inciampare* Italicum, eſt *pede impingere* in aliquid. Undenam verò, inquies, tibi eſt *Inciampare*? Meliora exhibere nequeo. Dicam tamen, inſpiciendum eſſe, an ex *In* & *Zampa*, ſignificante *pedem animalium*, effluxiſſe potuerit *Inzampare*, quod evaſerit in *Inciampare*

re

A *re* apud Tuſcos; quaſi jumenta *Inciampare* dicta fuerint, quod pede, ſive *Zampâ*, incurrerent ſive impingerent in lapidem, aut in aliud offendiculum occurrens. Ita perpendendum, an ex *In* & *Capo* efformatum fuerit alterum verbum *Incapare*, quod nunc Florentini duplici P. pronuntiant *Incappare*: quaſi homo *Capite* incurrat in alterum hominem, aut in quodpiam aliud, quod inquirebat, aut fugiebat. Simile eſt verbum *Inbatterſi*, uti nuper dixi. Habemus etiam *Far Capo*, pro *Conferre ſe*, & *Capitare*, *Pervenire* ſignificans, aut *Incidere*, quæ ejuſdem originis videntur.

Incaſtrare. *Innectere*. Proprie ſignificat, du- B rum aliquid in alteram rem duram excavatam *Immittere* atque *Connectere*. Vocem enatam reor ex annulorum *Pala*, quam Tuſci *Caſtone*, nos *Caſtello*, ideſt *Caſtrum* appellamus. Gemmam inferre ſeu immittere in hujuſmodi *Caſtrum*, dixere Majores noſtri *Incaſtrare*, eamque vocem propagarunt ad alia ſimilia opera. *Engaſtar* dicunt Hiſpani.

Incetta. *Annonæ* aut *Mercium conquiſitio*, ut cariori pretio venumdentur. Ita vocabulum hoc ab *Emo* derivat Menagius: *Emo*, *Emptum*, *Empti*, *Empticus*, *Emptica*, *Empticetta*, *Encetta*, *Incetta*. Nimis longe a ſcopo declinavit Vir doctiſſimus. Meri- C diano Sole clarius eſt, a Latino *Captare* vocem hanc efformatam fuiſſe. *Incaptare*, *Inceptare*, *Incepta*, *Incetta*. Nempe negotiatores *Captare* & præoccupare triticum, oleum, aliaſque merces ſolebant, antequam Populus emeret, ut inde lucrum majus vendendo facerent: quod inter Monopolii Species eſt computandum; quodque ævo noſtro fortaſſis incognitum minime eſt.

Increſcere. Vide infra verbum *Rincreſcere*.

Infingardo. *Piger*, *Lentus*. Recte, quamquam non perfectè, hanc vocem definierunt, ejuſque originem indicarunt Vocabularii Florentini Auctores, quum ſcri- pſere. *Infingardigia è lentezza nell' ope- D rare, infingendoſi di non potere*. Hoc eſt ab *Infingere*, idem ſignificante ac *Fingere*, manavit *Infingardo*, *Infingardigia*. Taſſonius noſter multis exemplis oſtendit, eos etiam, qui Fingunt ſive Mentiuntur, appellatos fuiſſe *Infingardi*. Atque hoc dumtaxat ſenſu in Mutinenſi Dialecto uſurpatur *Fingardo*, idem atque *Infingardo*. Ferrarius a *non faciendo* infeliciſſime deduxit *infingardo*. Poſtremò inſurrexit Menagius, contendens *Infingardo*, quum ſignificat *Pigrum*, deſcendiſſe ab *Impigrare*, *Impigratus*, *Impigartus*, *Infingartus*. Vix, puto, riſum contineas. Pro certiſſima habenda eſt in hoc etiam ſenſu E prior origo. Scilicet illi proprie *Infingardi* appellantur, qui facere quidquam poſſunt, ſed aut nolunt, aut cum pigritia id faciunt, ſimulantes, ſibi vires deeſſe. Hoc potiſſimùm dicimus de validis corpore, mendicare tamen volentibus, aliiſque id genus hominibus ad deſidiam pronis. Vide Adnotationes Julii Ottonelli ad Vocabularium Cruſcanum, quæ in editis Taſſonio tribuuntur. Is ab *Infingere* natam vocem erudite oſtendit.

Infinocchiare. *Blandis verbis ac fabulis decipere*. Salviatus & Monoſinius e Græco Φεναχίζειν traxerunt hoc verbum, quaſi *Fenachizare* evaſerit *Infinocchiare*. Alii e *Finocchio* (quæ vox aperte in iſto verbo ſentitur) quia pueri *Fœniculis* ſaccharo opertis decipiuntur. Hæc ridet Menagius. Is autem imperterrite educit ex *Fino*, ſignificante *Furbo*, *Aſtuto*, hac ratione: *Fino*, *Finocus*, *Finoculus*, *Finoculare*, *Finocchiare*, ac tamdem *Infinocchiare*. Nam qui aſtutus & ſagax eſt, plerumque deceptor eſt. Ita ille. Quæ ſane origo minus mihi videtur excipienda. Neque enim *Fino*, ut ad eam vocem dixi, ex Latino venit, & mera ſomnia ſunt *Finocus*, *Finoculus*, *Finoculare*. Tolerabilius fuiſſet, ſi ab Italicis vocabulis *Fino*, & *Occhio*, ideſt *Occhio furbo*, Menagius derivaſſet *Infinocchiare*. Sed & hoc ſomnium eſſet. Mirum eſt, quei tam abſtruſa ſint principia hujus verbi, quum tamen non eo tantùm Florentini, ſed & Mutinenſes aliique Populi utantur. Ego alienis ſomniis mea nunc addere nolo. Attamen aliqua veri ſimilitudine carere non cenſeo, *Fœniculos* olim exhibitos, ut ad plus bibendum, ſeque inebriandum incitarentur convivantes, ita ut *Finocchiato*, aut *Infinocchiato* appellaſſe potuerint metaphorice Majores noſtri hominem, qui *fœniculorum* eſu ac incitamento in ebrietatem incaute impegiſſet. Ita *Impaſtocchiare*, *Vendere delle Paſtocchie*, ſimili ſenſu uſurpatur. Præterea *Inzampognare* idem ſignificat, deſumtum, ut creditur, e ſono fiſtulæ, quo decipiuntur aves. Sed & hujus verbi incerta adhuc mihi origo eſt. Neque enim *Zampogna* adhibetur ad fallendas volucres. Mutinenſibus quoque familiare eſt *Inſavonare*, ſive *Inſaponare*, ſignificans *Adulari cauſſâ decipiendi, aut emungendi aliquid*, Metaphorâ e Barbitonſoribus deductâ, qui ſapone prius barbam proluunt, ut poſtea radant. Denique Florentinis eſt *Incaſtagnare*, cujus ſignificatio videtur *Dar caſtagne*, pro *Dar parole*. Si vera hæc eſſet, idem dicendum videretur de verbo *Infinocchiare*.

Infruſcato. *Obſcurus*, ajunt Auctores Vocabularii Cruſcani. Menagium audi: *Forſe da Bruno: Brunus*, *Bruni*, *Bruniſcus*, *Bruſcus*, *Bruſcatus*, *Vruſcatus*, *Fruſcatus*, &c. Mira is tradit. Neque meminit Menagius, in Lingua noſtra occurrere *Fruſco* & *Fruſcolo*, ſignificantia fragmentum paleæ, ligni, &c. *Infruſcare* autem metaphorice adhibitum fuerit pro *Tegere*, *Obſcurare*, mentem ſcilicet ſuam non manifeſte aperiendo, ſed veluti ſub feſtucis, exilibuſque fruſtulis, ſive dubiis verbis tegendo. Quamquam vereor ego, ne unicum exemplum, quod ex Davanzato adferunt ejuſdem Vocabularii Scriptores, habeat *Infraſcato*, non *Infruſcato*. Nam *Infraſcare* dicimus per translationem deſumtam e foliis arborum, ſub quibus aves & fructus latent, ſignificat mentem ſuam in loquendo abſcondere.

Ingannare. *Fallere*, *Decipere*. Taſſonius noſter vocem hanc Provincialis Idiomatis eſſe putavit. Si Menagium auſcultas, ab inuſitato Latino *Ingannare*, compoſito ex *In* & *Gannare*, quod *Irridere* ſignificat, manavit noſtrum *Ingannare*. Carolus Datus, *Ingenium* huic verbo dediſſe originem

nem eſt opinatus. Dati ſententia ingenioſa: & ad eam confirmandam monumenta a Du-Cangio congeſta ad vocabulum *Ingannum* inſervire poſſunt. Mihi tamen veri ſimilius eſt, ex Arabica Lingua deſcendiſſe noſtrum *Inganno* & *Ingannare*, uti & Hiſpanicum *Engaño*, & *Engañar*. Arabes enim *Ghana* dicunt *Decipere*, *Violare pactum*, *Perfidus eſſe in eo, quod tibi creditum eſt*. Gollium vide. Si huic verbo in ſeptima Conjugatione præponatur Characteriſtica *In*, efformabitur *Inghana*, *Deceptus eſt*. Vox iſta Mercatoribus familiaris, quales olim Arabes erant, ac propterea facilius in Italiam & Hiſpaniam, illam credere licet invectam. Quæ autem Latina vox Menagio dicitur, nempe *Gannare*, hæc ipſa vox Arabica videtur; nam *Gannum* & *Gannatura* apud medii ævi Auctores occurrit, & pro *Dolo* ac *Fraude* explicari poteſt. In Geſtis Reg. Francor. pag. 716 Tom. Prim. Du-Cheſnii legimus: *Dux Saxonum* &c. *reſpondit cum Ganno*: *Mentitis vos, quum Chlotharium habere dicitis*. Ibi *Gannum* pro *Cachinno*, *irriſione* nonnulli interpretantur. Fortaſſis etiam *Fraudem* ſignificat. Candidus Monachus in Vita Egilis Abbatis Fuldenſis:

> *Cujus judicium etſi non Zabolica fallit*
> *Gannatura &c.*

ideſt, *etſi Diabolica Fraus*, vel *Dolus*, *Inganno*, *non fallit*.

Inguiare. *Devorare*. Originem vocis a Ferrario pete: ab *Inglutire*, is reſpondebit. Menagium interroga: adjiciet, ab inuſitato Latino *Ingumiare*. Baſilice falluntur. Aut ab *Ingergiare*, aut potius ab *Ingulare*, ſeu *Inguliare* nata vox *Ingoiare*. In omnium oculos hæc Etymologia incurrit. Eam tamen viri ſumme ingenioſi non attigere, ut mirari deſinas, ſi interdum quæ ante pedes ſunt, minime intuemur. Ita invenitur *Transgulare* pro *Tramittere in Gulam*. *Trangugiare* Auctores Vocabularii Florentini a *Transgorgiare* recte deduxerunt. Apud Senenſes olim in uſu fuit *Ingollare*. Neſcio, an & nunc hoc vocabulo utantur.

Ingombrare. *Impedire obſtaculo oppoſito*. A Latino *Inumbrare* vocem hanc deduxerat Aleander Italus. Audi nunc Menagium: *S'inganna il dottiſſimo Aleandri*. *Viene ſicuro Ingombrare da Incumulare*, *Incumblare*, &c. Sed & ipſe Menagius heic hallucinatur. Du-Cangium ergo fidentius conſule ad vocabulum *Combri*. In Geſtis Francor. ſub Theoderico Principe: *In Silvam confugit*, *fecitque Combros*. Quem locum ita Gregorius Turonenſis Hiſtor. Franc. Lib 3. Cap. 28. hiſce verbis reddidit: *Et Concides magnas in Silvis illis fecit*. Ergo ſub nomine *Combrorum* venere *Concides*, ſive *Concædes* arborum, *tagliamenti d'alberi*, quibus viæ impediebantur. Hinc natum Gallicum *Encombre*, & *Encombrer*, quod ad Italos delatum *Ingombrare* evaſit. Nos *Barricare* nunc dicimus, Galli *Barricader*. Alia exempla a Du-Cangio allata prætereo. Aliud ergo ſunt *Combri*, aliud *Comble* Gallicum. Atque ipſum *Comble*, minime certum eſt, a *Cumulo* ne, an a *Culmen* manarit, ut aliqui conjecerunt. *Compleo* fortaſſe originem voci illi dedit. Significatio autem verbi *Ingombrare* Impedimentum reſpicit, non Cumulum alicujus rei. Ita inde natum *Sgombrare*, ſive ut alii olim ſcribebant, *Scombrare*, & *Diſgombrare*. In Charta Lucenſi Anno Chriſti MCXXII. Guido Comes fidem ſuam obligat Abbati Fiecchi *contra omnes perſonas*, *excepto contra Regem*, *& Marchionem Tuſciæ*, eique nonnulla Caſtella ſe traditurum pollicetur, *inter quæ Caſtellum & Curtem de Lartiano*, *poſtquam ego Diſgombratum habebo & Caſtellum*, *& Curtem de Cerreto*; *excepto ſi Abbas Vallis Umbroſæ*, *& Domnus Bernardus Cardinalis* Warenta*verint*, *quod cum mihi per allodium reddidiſſent*. Ita ex *Barra* (nunc dicimus *Sbarra*) enatum *Imbarrare*, *Imbarazzare*, *&c.* hoc eſt *Impedire*, aut *Impedimentum apponere* cuipiam viæ, vel loco.

Ingordo. *Avidus*. Hoc præcipue de Helluonibus dicimus. Multum eruditionis heic habet Menagius. *Gordi* a Latinis, vocem ex Hiſpania mutuatis, appellati ſunt *Stolidi*. At hoc nihil ad rem noſtram. *Gordo* adhuc nuncupant Hiſpani hominem *Pinguem*, *Obeſum*. Galli *Pigrum*, *Lentum*. At ne iſta quidem cohærent cum ſignificatione Italici *Ingordo*. Denique ſermonem Menagius hiſce verbis concludit: *Il Signor Ferrari vuole*, *derivi da Ingurgito*. *Non concorro*. Attamen nullum, quàm iſtud, propius vero Etymon hujus vocis mihi videtur. Nam etſi nos Latinum *Gurges* in *Gorgo* convertimus, barbaricis tamen temporibus *Gordus* pro *Gurges* etiam in uſu fuit. Complura exempla habes in Gloſſario Du-Cangii. *Gurges* *Helluonem* Latinis quoque metaphorice adhibitum ſignificavit. *Gurges*, atque *Helluo* idem eſt apud Tullium. Fortaſſis igitur in uſu fuit *Ingordare*, ideſt *avide in Gulam*, ſive *in Gurgitem mittere*, quæ vox jam excidit. Superſunt *Ingordigia* Tuſcis, Mutinenſibus, aliiſque *Ingordiſia*: & *Ingordo*, pro *Ciborum Avido*: quam vocem tranſtulimus ad quamcumque aliam numquam expletam rerum Aviditatem.

Inneſtare. *Anneſtare*. Vide ſupra in hac eadem Diſſertatione.

Inſegnare. *Docere*. Salmaſius in Solinum a Latino *Inſinuare* traxit hoc verbum. Non tam facile mihi perſuadebit. Menagius ab *Inſignare*, hoc eſt a *Signo*, unde & *Significare*, ipſam arceſſit. Et heic difficultas. Cur enim præmittitur Præpoſitio *In*? Numquam *In Signum*, reddit ſignificationem verbi *Docere*, ſeu *Inſegnare*. Donec meliora me doceant alii, veterum Septemtrionalium Linguarum peritos rogo, ut perpendant, an a Germanico vocabulo *Sinn* emanaſſe potuerit noſtrum *Inſegnare*. Uti infra dicam, noſtrum *Senno* ex *Sinn* Germanico venit, ſignificante *Penſiero*, *Senſo*, *Mente*. Adhuc Germani ajunt *In Sinn Kommen*, *Venire in Mente*, *in Penſiero*, uti & *In Sinn Haben*, *Avere in Animo*, *in Penſiero*, *Diſegnare*. Ergo conſiderandum eſt, num ex *In Sinn* efformatum fuerit primo *Inſinniare*, & poſtea, ut *Sinn* apud nos evaſit

ſit *Senno*, ita *Inſenniare* Majores noſtri A dixerint, ac demum *Inſegnare*, ſignificaturi *Mettere in Mente*, *in Penſiero qualche coſa ad altrui*, *ch' egli dianzi non ſapea*. Non diſſimili ratione dicimus *Dimenticare*, quod eſt *Uſcire di Mente*, *Oblivifci*, *Imbavagliare*, *Mettere in Bavaglio*: *Imborſare*, *Mettere in Borſa*: *Impalare*, *Mettere in Palo*: *Inviare*, *Mettere in Via*, &c.

Inſieme. *Simul*. Hanc vocem prætergreſſus eſt Menagius. Nulla mihi dubitatio, quin ab *Inſimul* Latino arceſſi poſſit. Addere tamen liceat, animadvertendum quoque, an ex Germanica Lingua veniſſe rectâ ad nos potuerit. *Sammen* eſt Germanis *Simul* B: *Zu-Sammen*, *Inſimul*. Cur addito *In* voci *Sammen* inde fluxiſſe non potuit noſtrum *Inſieme*? Dubitandum quoque eſt, num Gallicum *Enſemble* ab *In* & *Simul* certò trahendum ſit, uti & *Aſſembler* ab *Ad* & *Simul*. Germanicum primitivum verbum eſt *Sammelen*, ſeu *Sammlen*, ſignificans *Colligere*, *Jungere*, *Congregare*, a nuper memorato vocabulo *Sammen*, *Simul*, enatum. Inde potiùs Gallicum *Enſemble*, *Simul*; & *Enſembler*, *Conjungere*, *Congregare*; primò *Enſamler*, tum *Enſembler*. Uti ergo Gallica Lingua, addito *In*, ſeu *En* ex Germanico *Sammlen*, efformavit prædi- C ctas voces, ita nos ex eodem *Sammen*, præpoſito *In*, derivaſſe potuimus *Inſieme*, niſi fortè nos rectâ a Gallis accepimus hanc vocem, Germanicæ alioquin originis, & ex *Enſemble* efformavimus *Inſieme*. Mutinenſes pronuntiant *Inſemm*, quod Germanico propius accedit. *Enſemora* & *Inſemora* legitur in Canticis Fratris Jacoponi Tudertini, qui floruit circa finem Sæculi Æræ Chriſtianæ Tertiidecimi. Ad hæc perpendendum erit, an ſolidis fundamentis nitatur Menagius, qui *Aſſembrare*, verbum ab antiquis Scriptoribus Tuſcis uſurpatum, nunc autem prorſus obſoletum, D trahit ab *Adſimulare*, quod verbum is compoſitum ait e *Simul*, atque Scriptoribus barbarici ævi in uſu fuiſſe. At unum exemplum optaſſem verbi *Adſimulare* pro *Congregare*, *Ordinare*: quæ eſt ſignificatio verbi *Aſſembrare*. Sed fruſtra fortaſſe quæras: & nullum Du-Cangius novit. Quare quum *Aſſembrare*, *Aſſembrer*, & *Enſemble* ejuſdem ſint originis, unaquæque vox e Germanica Lingua prodiiſſe videtur.

Intanto. *Præterea*. Ad originem hujus Idiotiſmi Italici aſſequendam, nonnulla videntur ſubintelligenda. Nimirum exempli cauſsâ: *In tanto tempore*; *quo heic moror*, aut *tu ſcribis*, E aut *is Civitatem obſidet*, aut *ille reſponſum exſpectat*, & ſimilia. Ita Latinis fuit *Interea temporis*. Dicimus & *Fra tanto*.

Intirizzire, ſeu *Intirizzare*. *Rigere*. *Rigidum fieri*. Menagium audi: *Da Directus*, *Diretto*, *Diritto*, *Dirizzare*, *Indirizzare*, *Intirizzare*. Si me quoque audis, ab *Intiero* venit *Intirizzare*, quum nempe corpus riget, rectum ſtat, ac in nullam partem inflectitur. *Guarda*, *come colui ſta Intero*, dicimus nos Mutinenſes, ad ſignificandum hominem, qui caput numquam flectit, neque ſe ſe majoribus inclinat. Ita in Vocabulario Florentino *Andare*, *o Stare Intero*, *diciamo del tenere*, *o portare la perſona dritta*. Itaque *Intirizzire* eſt *divenire Intero*, *non pieghevole*.

Intoppare. *Incurrere in aliquid*, *Offendere*. Numquam ab *Incippare* (quod ſenſit Menagius) vox iſta deſcendiſſe potuit. Videndum potiùs, an ex Germanico *Toppen*, idem ſignificante manarit. Quod certum cenſerem, ſi certo ſimul ſcirem, eam eſſe propriam & antiquiſſimam Linguæ illius, neque illuc ex Italia translatam. Præterea habemus & alterum Germanicum verbum *Eintolpeln*, *Inciampare*. Vide, an ab iſto deſcendiſſe potuerit *Intoppare*.

Intormentire. Dicunt Florentini de cruribus, manibus &c. quum præ frigore, aut aliâ de cauſsâ obſtupeſcunt. Recte ſubodoravit Menagius, ita dictum fuiſſe pro *Indormentire*. Mutinenſes quoque, ut idem ſignificent, uno verbo *Indormentare* utuntur.

Inverno. Vide infra vocabulum *Verno*.

L

LAcca. *Ripa*. Ita Auctores Vocabularii Cruſcani exponunt hanc vocem. Benevenutus Imolenſis in Commentariis MStis ad Comœdiam Dantis, pro *Coſta* & *Ripa* ipſe quoque ſumſit. Verùm Ruſcellius, & Buti in Commentariis ad ipſam Comœdiam, uti animadvertit Menagius, *Lacca* acceperunt *pro concavo*, *& imo* loco, quod ſane Dantes voluit. Itaque idem Menagius *Lacca* iſto ſenſu ſuſpicatus eſt veniſſe e *Lacus*. Tum addit: *Credo però*, *che venga da Lama*, *Lamica*, *Laca*, *Lacca*. Poſtremum hoc Etymon omnino ineptum. A *Labendo*, quaſi *Labica*, deduxit hanc vocem non majori felicitate Ferrarius. At noveris, purum putum vocabulum Germanicæ Linguæ eſſe *Lacke* (alii ſcribunt *Lache*) a Latino *Lacu* fortaſſe deſumtum, atque olim ſignificans *locum concavum*. Et quia *Lacunæ*, *Paludes*, aliaque ejuſmodi loca ſunt concava, ideo *Lacke* a Germanis nunc appellantur. Inde Majores noſtri ſumſere *Lacca*. In Gloſſis Theotiſcis e Florentina Bibliotheca depromtis, atque ab Eccardo editis, legitur *Botinus*, *Lacha*. Mihi *Botinus* (niſi ſit pro *Bothrinus*) eſt locus *Profundus*, a Germanico *Boden*, ac propterea per *Lacha* redditum fuit.

Lacca. Ab iiſdem Auctoribus Vocabularii Florentini appellari dicitur *Coxa*, ſive *Anca*, e *coſcia degli animali quadrupedi*. Et heic vereor, ut germanum vocis hujus ſenſum ii ſint aſſequuti. Mutinenſes *Lacca della gamba* dicunt partem illam, quæ eſt ſubtus inter *Coxam* & *Crus*. Videtur *Poples* Latinorum. Hæc pars *Lacca* appellata, quod concava ſit, atque adeo ex nuper memorato fonte deſcendit, hoc eſt e Teutonum Lingua. Ab *Anca*, *Lanca*, *Lacca*, pro ſuo more Menagius trahebat, hoc eſt miſcens quadrata rotundis.

Lagnarſi. *Lamentari*, *Dolere*. Verbum obſcuræ originis. Neque enim Menagius umquam nobis perſuadebit, aut a *Lamentum*, aut ab inuſitato, ideſt ſomniato *La-*

... , effinxiſſe hanc vocem. Non ſpernenda tamen Ferrarii opinio, a *Lai* trahentis. Addo ego, perpendendum eſſe, num a Latino *Laniare ſe præ dolore* emergere potuerit Italicum *Lagnarſi*. A *Cruciare* quoque efformatum fuit *Excruciare ſe*, *Crucciarſi*. Utrumque ſignificat, *graviter animo dolere*.

Laido. *Turpis*, *Inhoneſtus*, *Fœdus*. Nonnulli deduxiſſe putant a *Turpiculatus*: Ferrarius ab *Illotus*. Etymologiæ non ferendæ. Illud certum, e Gallico *Laid* nos efformaſſe noſtrum *Laido*. Mutinenſes adhuc dicunt *Lid*. Gallicum *Laid* Du-Cangius a *Lædo* & *Lædere* trahit, quem vide. E Septemtrionalibus Populis profecta illa etiam vox mihi creditur. Apud Hickeſium inter voces veterum Francorum ac Teutonum recenſetur *Lad*, *Leid*, *Deteſtabilis*. Germanicæ quoque Linguæ eſt *Leidig*, *Res turpis*, *ingrata*. En, ut puto, radices Franciſcæ vocis *Laid*, atque Italicæ *Laido*. In Rhabani Mauri Gloſſis Theotiſcis *Abominatur*, *Laidizit*. Vide etiam Schilterum, qui multa de hac voce in ſuo Gloſſario habet.

Largo. *Latus*. Vide quæſo, quàm longe a Latina ſignificatione vocis hujus abierit Lingua noſtra, quæ non alio utitur vocabulo, quàm *Largo*, ad deſignandum, quod Latinis *Latum* fuit. Latinis verò *Largus* erat *Copioſus*, *Abundans*, *Liberalis*.

Laſciare. *Derelinquere*, *Dimittere*. Nulla mihi dubitatio eſt, quin ex Latinorum *Laxare* emerſiſſe potuerit, uti Menagius cenſuit, Italicum *Laſſare*: & a *Laxum*, *Laxiare*, noſtrum *Laſciare*. Attamen quum Latini verbi *Laxo*, ſi rite perpendas, diverſa ſit ſignificatio ab Italico verbo *Laſſare* & *Laſciare*: propterea videndum, an potius e Germanica voce *Laſſen*, ſignificante *Sinere*, *Relinquere*, *Dimittere* &c. prodierit noſtrum *Laſciare*. Ejus Linguæ vetuſtiſſimum verbum eſt *Laſſen*, *Lazen*, uti exempla a Schiltero producta oſtendunt. Quare inde nos veriſimilius, quàm a Latinis, illud accepêrimus. De Gallico *Laiſſer* idem dicendum. Antiqui Franci teſte Hickeſio dicebant *Laazer*.

Laſtra. *Lapis ſæpe quadratus*, *& in ſuperficie planus*. *Laſtricare*, *Lapidibus Sternere*. Hariolantur & heic Etymologiarum venatores. A *Lapis* Menagius: a *Lataſtrum*, a vocabulo nempe omnibus ignoto, Ferrarius: a *Lapis Stratus* Carolus Dati, ejus originem ſibi finxere. Inter voces Germanicæ Linguæ primigenias eſt *Pflaſter*, idem ſignificans ac Italicum *Laſtra*, *Selciata*, unde *Pflaſteren*, *Laſtricare*. Deperditis duabus primis Literis *PF.* nos euphoniæ dulcioriſve ſoni gratiâ, *Laſtra*, ut opinor, efformavimus. Agnellus Scriptor Ravennas Anno Chriſti DCCCXXX. in Vitis Pontificum Ravennatum, Tom. II. Part. I. pag. 106. Rer. Italicarum ſcribit: *Calces & latercula*, *petras & biſales*, *lapides & ligna*, *columnas & Laſtras præparaverunt*. Quum verò idem Scriptor in Vita Agnelli Archiepiſcopi ſcribat: *De prædicta vero Eccleſia*, *cur Latis ſtratis ſic communita ſit*, *nuntiemus*. *Erat quidem Rex Vandalorum*, *qui ex ipſa voluiſſet Eccleſia pavimentum eruere*, *& ad ſuam propriam reportare ſedem*. *Nam quidem dum omnia parata ad evellendum Laſtras fuiſſent* &c. Num ergo *Laſtra* e *Lata ſtrata* breviato produſſe potuit? Tutior prima origo videatur.

Latta. *Lamina ferri ſtanno obducta*. Cenſet Hickeſius, vocem hanc e Cimbrico *Latun*, *Aurichalcum* ſignificante, produſſe. Certe Hiſpani inde ſuum *Laton*, hoc eſt *Aurichalcum*, Galli ſuum *Leton*, ſeu *Laitton*, & nos noſtrum *Ottone* hauſiſſe videmur; non verò, ut Menagius cenſuit, e Græco Ἐλατεω. *Lattam* vulgarem Angli quoque *Latten* & *Lattin* appellant, Belgæ *Laton*. Verùm non deerunt, qui e Germanico *Platte*, ſignificante *Laminam*, aut e Græco Πλατὺς, eliciendum putent nomen *Latta*, P. videlicet excluſo, quum nimium ab *Auricalcho*, ſive a noſtro *Ottone*, differat *la Latta*. Nos verò *Lattæ* folium grandius dicimus *Lattone*. Quæſtionem hanc alii dirimant.

Lavina. *Terræ ſuperficies in montibus*, *ob aquas pluvias in ſinum receptas*, *loco dimota*, *ac in imum decurrens*: quod interdum cum arboribus & caſis ſuperimpoſitis accidit. Tuſci hanc vocem ignorant. Apud nos Lombardos in familiari uſu eſt, & quidem ab antiquitate petita. Eam quippe uſurparunt Sanctus Hieronymus, Iſidorus, Paullus Diaconus, & alii. A *Labendo* efformata primo fuit *Labina*, tum *Lavina* & *Lavinare*. In Etruria ejuſmodi terrarum fluxus quo nomine donetur, nondum reperi.

Leccare. *Lingere*. Græcis eſt Λείχειν, quod idem ſignificat, ac propterea inde Monoſinius ac alii vocem hanc non immeritò trahunt. Sed & Germanica Lingua antiquiſſimum ſuum verbum habet *Leken*, Anglia ſuum *Lick*, Gallia ſuum *Lècher*, eâdem ſignificatione. Undenam ergo manavit *Leccare*? Tu e Græca; ego verò, aliique e Germanica voce derivatum putabimus. Græci numquam Germaniæ, Angliæ, & Galliæ dominati ſunt. Germanicis quidem Populis ſubjecti fuerunt Itali, Galli, & Britanni. Pauciora, quàm credimus, verba nobis dedit Græcia: multa verò Septemtrio. Sed & Germani (inquies) e Græca verbum hoc traxerint. Liceat id tibi opinari.

Leſto. *Alacer*, *Velox*, *Paratus*, *Promtus*. Aut Itali e Gallico *Leſte*, aut ab Italico *Leſto* Galli vocabulum ſuum accepere. Inde compoſitum noſtrum *Alleſtire*. Ceterum vocis originem feliciores alii oſtendent. Nam Latinorum *Subleſtus* contrarium potius ſenſum reddit. Et *Alleſtus* pro *Allectus* ſive *Adlectus*, ſomnium merum foret.

Lindo. *Elegans*, *Venuſtus*, *Bene-comtus*. Hiſpanicæ Linguæ vox eſt. A *Linea* illam Covaruvias; a *Limpidus* Menagius derivarunt. Prima opinio inſulſa, altera ingenioſa potius eſt quàm vera. Numquam enim *Limpidum juvenem*, *Limpidam picturam*, *Limpidum artificium* quiſquam appellavit. *Limpidus* eſt *Perſpicuus*, *Clarus*, *Purus*, *Lucens*, non *Elegans*. Ita dicimus *Limpido Fonte*, *Limpida onda*, *Limpido criſtallo* &c. Itaque origo vocis petenda e Germanico *Lind* & *Gelind*, quod Latine ſonat *Lenis*, *Humanus*, Italice

A lice verò *Morbido* , *Tenero* , *Dolce* , *Soave* . Antiquiſſima illius exempla apud Schilterum proſtant . Ipſi quoque Hiſpani habent *Alindar* , & *Alimpiar* , duas diverſas voces .

Liſca . *Spina piſcium* . Ab ipſa *Spina* & *Spinula* Menagius cenſet efformatum *Spinuliſca* , *Liſca* . Durum plane Etymon . Quod ſolùm habeo , Gallis *Spina* piſcium *Areſte* appellatur , Mediolani & Mutinæ *Reſca* . Num ad Tuſcos progreſſa vox evaſit *Liſca* ? Ita Gallicum *Raquette*, Mutinenſibus aliiſque Lombardis *Racchetta* , a Florentinis dicitur *Lacchetta* , *R*. in *L*. converſo .

B *Liſcio* . *Levis* . Satis futurum Menagio fuerat deduxiſſe hanc vocem a Græco Λισσὸς , quod idem ſignificat . At ille ſubdit , eam quoque potuiſſe deſcendere a *Lævis* , *Leviſcus* , *Leviſcius* , *Leſcius* , *Liſcius* . Incredibilis eſt ejuſmodi gradatio . Neque deduci poteſt a *Lingendo* , quod Ferrarius excogitavit . Attamen adhuc conſiderandum ſupereſt , num e *Liſciare* verbo effluxerit adjectivum *Liſcio* , an contra . Si enim vox primitiva fuiſſet *Liſciare* , ſuſpicandi locus eſſet , e *Lixivio* ſive *Lixiviâ* derivatum illud fuiſſe , quaſi foret *Lixiviare* , ideſt *Lixiviâ* eluere tabulas ac polire . Florentini *Lixivium* C *Ranno* ; nos , aliique Populi *Liſsìa* , aut *Liſcìa* appellamus . Gallica Lingua habet *Liſſe* & *Liſſer* , ideſt *Liſcio* & *Liſciare* . In Annalibus Bertinianis ad Annum Chriſti DCCCLXII. legitur: *Veſtitum lineum, quod Camiſium vulgo vocatur , lævigare* (ideſt lixivio lavare) *incipiens* . Idem *Lævigare* ſonat ac *Liſciare* .

Lobia , *Loggia* . *Deambulatorium in ædibus* . Vide Diſſertationem XXI. *de Statu Italiæ* .

Logorare . *Conſumere* . Tuſcorum verbum . Non enim eo Lombardorum Dialectus utitur . *Forſe da Lacerare* , inquit Menagius . Sed aliud eſt *Logorare* Italicum , aliud Latinum *Lacerare* . Diu verbi hu- D jus originem venatus ſum ; tamdem non aliam reperi , quæ veri videatur ſimilis , & certa fortaſſis eſt , niſi e *Lurcari* , ſeu *Lurcare* , Latinorum verbo , quod veteres Tuſci inverſis literis immutarunt in *Lucrare* , *Lograre* , & euphoniæ cauſsâ addito *O*. in medio vocis , in *Logorare* . Nam *Lurcones* olim appellati , qui intemperantiâ gulæ fortunas ſuas abſumebant , nomine ab ipſo *Lurcare* derivato . Feſto nuncupati ſunt *Lurcones* , *capacis gulæ homines* , & *bonorum ſuorum Conſumtores* . Hic proprius ſenſus Italici verbi *Logorare* olim erat , hoc eſt , *patrimonium gulâ Conſumere* : quod poſtea translatum fuit E ad alia , quæ uſu conſumuntur . Frater Jacoponus Tudertinus , qui circiter Annum Chriſti MCCXCVIII. floruit , Lib. 2. Cant. 25. hæc habet .

Tutto quel , che mangiava ,
E la Gola Lograva .

En ut primo *Lograre* pro *Lurcare* enatum . Johannes Villanius Lib. 2. Cap. 2. inquit : *Più ſi Logora oggi in Popolo di Firenze a taverne , che non ſoleano Logorare i noſtri antichi in tutta la Città* . Et in Vitis Sanctorum Patrum legimus: *Vecchio goloſo , Logoratore , che hai fatto del ventre , Dio* . Ibi *Logoratore* pro *Lurco* , ſive *Lurcator* . Ita in Hiſtoriis Senenſibus Nerii Donati , a me editis Tomo XV. Rer. Italicar. ad pag. 223. habemus : *Saneſi, veduto che gli Ufiziali del Comuno ſi Logravano tutta l' entrata del Comuno di Siena* . En *Logravano* pro *Lurcabant* , ſive *Lurcabantur* .

Lontano . *Longinquus* , & *Longe* . Quomodo efformatum fuerit , ignoro , niſi ſit ex *Longitanus*, cujus tamen vocis nullum apud veteres veſtigium invenio .

Lotto . *Ludi genus* , quo parum pecuniæ exponitur ad ſortem , ſpe capiendi majoris lucri . A Germanico *Lot* , quod eſt *Sors*, vocem trahit Menagius . Germanica Lingua *Los* , non *Lot*, nunc appellat *Sortem*. Ab antiqua ergo Saxonum Lingua videtur vocis origo petenda . Saxonibus quidem *Hlot* fuit *Sors* . Hanc in Britanniam Anglo-Saxones invexerunt, apud quos adhuc *Sors* per vocabulum *Lot* exprimitur. Eadem vox Belgis . Galli quoque *Lot* & *Lotterie* familiaria habent . Ab iis gentibus & nos accepimus noſtrum *Lotto*. Ruſtici noſtri aliâ etiam ſignificatione utuntur vocabulo *Lotto* , ad ſignificandam nempe *glebam terræ* , quam Tuſci *Zolla* appellant . Hunc autem idiotiſmum prodiiſſe e Latina voce *Lutum* , & Italica *Loto* , facile mihi perſuadeo , quod *Lot* , ſeu *Lotto* , a ruſticis noſtris ſolet pronuntiari .

Luſinga . *Blandiciæ* . A *Luſcinia* traxerunt Stiglianus , & alii . A *Luſus* Menagius . Porro Du-Cangius in Gloſſario Latino Gallicam vocem putat ab *Los* ſignificante *Laudem* , quaſi ſit falſa Laus. Veterum exempla is adfert . Schilterus vero Germanicam opinatur ab *Los*, *Dolus*. Adhuc Saxones uſurpant *Læſunge* , & Britanni *Leaſing* pro *Mendacium* . Tu elige. Ego non a Latina , ſed a Borealibus Linguis , ſive a Gallica , profectam vocem opinor.

M

MA . *Sed* Latinum . Particulam hanc disjunctivam trahit Menagius a Latino *Magis* . Traxerat & Caſtelvetrus noſter in Additamentis antea ineditis , quæ ego ſuppeditavi ad noviſſimam editionem Profarum Bembi , Neapoli procuratam . Verùm Latino *Magis* alia eſt ſignificatio . Nam quod Menagius Vergilium dicentem adfert Eclogâ Primâ :

Haud equidem invideo : miror Magis - - -

neutiquam ibi *Magis* pro *Sed* uſurpatum fuit , ſed pro *Potius* . Tullius de Amicitia : *Aut enim nemo (quod quidem Magis credo) aut ſi quiſquam , ille ſapiens fuit.* Abundant & alia ejuſmodi exempla . Neque ego auſim huc Arabicum *Amma* , ſignificans *Sed*, adducere, quaſi illud abjectâ primâ ſyllabâ *Am* , evaſiſſe potuerit apud nos *Ma* . Quare adhuc in Etymon vocis hujus inquirendum videtur .

Macchia . *Sylva* . Vide Diſſertationem XXI. *de Statu Italiæ* .

Macinare . *Molere* . Joſephus Scaliger in No-

tis ad Piſtorem a *Machinis* Italicum *Macinare* dedere? Et ſane Auſonius *Machinalia pondera*, pro *Molis* dixiſſe creditur. *Aſinus Machinarius* in l. *Quum quæreretur ff. de Legatis & Fideicommiſſis*, appellatur *Aſinus*, *qui molit*, ſi Turnebum audimus. Scaligero Menagius adhæret. Ita eorum quidem laudanda ſententia; ſed ea minime certa. Nam Machinæ ſignificatio nimis plura complectitur, atque, uti animadvertit Hotomannus, *Aſinus Machinarius* is dicitur, quo ad omnis generis machinas uti poſſumus. Neque clariora ſunt Auſonii verba. Occurrit etiam apud Ulpianum *Machina frumentaria*, quæ a piſtrino diverſa eſt, ut alia omittam. Ad veri ſimilitudinem propius accedere videatur, qui noſtrum *Macinare* deducat a *Macinare*, ſignificante triticum conterere lapide, quem veteres *Macinum* appellaſſe opinor. Tuſci *Macigno*, nos Lombardi *Maſegna* nuncupamus. Inde illi efformare potuerunt *Macinare*, nos *Maſnare*. Utra verò ex hiſce opinionibus amplectenda ſit, poſſet indicare locus Anaſtaſii Bibliothecarii, ſeu potius ſynchroni illius Auctoris, qui Vitam Hadriani I. Papæ ſcripſit, ſi certi eſſemus, quid revera is ſcripſerit. Memorat ille *Formam Sabbatinam*, *ex qua diverſæ Molæ in geniculo machinabantur aqua*. Sed alii Codices habent *in geniculo macinabant*. Quod heic potiſſimum animadvertendum, antiquiſſima eſt vox *Macina*. Nam in Charta, Anno Christi DCL. ſcriptâ, & a Clariſs. Marchione Scipione Maffejo editâ, legitur *biſſi cum furno*, *Macina*, & *rota*. Immo inter veteres Inſcriptiones, quas jam prælis commiſi, iſta occurrit.

D. M.
Q. MVNNI SE
CVNDI NIPI PO
TABERNARIO
Q. BAEBIVS
COCITATVS
MACINARIVS.

Neſcio, an huc etiam referendum ſit, quod Du-Cangius animadvertit, nempe Latomos, ſive Lapidum ſectores, olim appellatos fuiſſe *Macciones*, unde is putat enatam Gallicam vocem *Maçon*. Utcumque ſit, hæc me adnotaſſe non pœnitet.

Madrina. *Obſtetrix*. Menagius laudat heic Johannem de Janua ſcribentem: *Matrina*, *quæ aliquem de ſacro Fonte levat*, *vel in Eccleſiam introducit*. Populo Mutinenſi proverbium eſt: *Dove vai Beltrame? Io ſto co i Frati*. Aliud eſt *Obſtetrix*, aliud *Mater ſpiritualis*. *Obſtetrix* appellata *Madrina*, quaſi parva *Mater*. Jamdiu excidit hoc nomen, & alterum durat, nempe *Comare*, e Latino-Barbaro *Commater*, quaſi *Obſtetrix* ſit altera Infantium Mater, ipſoſque una cum Matre pariat. Sub iſta etiam ratione olim *Obſtetrici* nomen *Madrina* impoſitum.

Magagna. *Vitium*. *Magagnato*. *Vitiatus*. Vide Diſſertationem XXVI *de Militia*.

Magazzino. Vide Diſſert. eamdem.

Magnano. *Faber Ferrarius*. Vaſtus hariolandi campus ſe aperit inquirenti nominis hujus originem. Menagius ait: *Forſe da Magnus*, *Magnanus*: quod Etymon inſulſum plane. Ejuſdem ſaporis eſt & alterum a Ferrario propoſitum. *Æramen*, *Æramentarius*, *Ramentarius*, *Magnano*. Hæc audiſſe, contemſiſſe eſt. Nomina ſunt nobis complura, quæ non a Latinis, ſed ab ipſis Italis rectà veniunt. Sunt & quæ vel ab uno homine, aut ab uno eventu originem ſumſere, eorumque ſenſus propagatus poſtea per Populos fuit. Ego Lombardicum vocabulum eſſe reor *Magnano*. Olim non Fabri ferrarii, ſed ærarii tantùm, hoc nomine donati fuerunt; & ne omnes quidem ærarii, ſed qui cum bulga circumibant, & adhuc circumeunt, caligine vultum infecti, & horrida voce artem ſuam inclamantes. Mutinæ adhuc in uſu feminarum eſt, ut pueris timorem incutiant, dicere: *E' qui il Magnano*: & ſæpe ſilent, aut parent ad eorum vocem pueri. In Charta Mediolanenſi Anni DCCCLXXXII, quam dabo in Diſſertatione XLI. *de Nominibus*, occurrit *Bonellus*, *qui dicitur Magniano*. Viden antiquitatem vocis? Si quis ergo conjectet, appellatum fuiſſe *Magnano* hoc artificum genus a Lombardico *Magnare*, ideſt *Manducare*, quod matres fingerent, ab iis pueros inobedientes comedi (quod certe adhuc etiam fingere ſolent) tolerabiliorem conjecturam, quàm hactenus compoſitæ, nobis exhibebit. Sed locus eſt aliis meliora & certiora expiſcandi.

Mangano. Vide Diſſertationem XXVI. *de Militia*.

Mai. *Umquam*. Fruſtra originem adverbii hujus rimatus eſt Menagius. Neque enim e Græco Μὰ Δία effluxiſſe potuit, uti Bembus ſuſpicabatur, quum nihil aliud ſignificet Μὰ Δία, niſi *Per Dio*, ac proinde nihil rei habeat cum *Mai*. Aut ergo vox hæc deducenda e Latino *Magis*, uti opinatus eſt Caſtelvetrus in nuper laudatis Additamentis ad Bembum, edition. Neapolitanæ. Videntur enim Majores noſtri adhibuiſſe *Magis* pro *Amplius*; atque idem fere eſt: *Io no'l vedrò Più*, & *no'l vedrò Mai*. Aut apud Germanos inquirenda eſt iſtius adverbialis vocabuli origo. Iis quippe *Mal* ſignificat *una volta*, *una fiata*. Et *ein-mal* eſt ipſis *una volta*. Eorum *Mal* nos in *Mai* convertiſſe videmur. Dicimus enim interrogantes: *Non vieni Mai?* quod idem ſonat atque *Non vieni una volta?* Ac propterea ex inſtitutione ſua noſtrum *Mai* non eſt negantis, ſed propriè tum ſolùm negat, quum negatio additur. Nobis ergo *Mai* ſignificat *in alcun tempo*: quam ſignificationem in Germanico etiam *Mal* deprehendis. Sane dicunt Germani *Ander-mal*, hoc eſt, *altra volta*, *in altro tempo*: & *Alle-Mal*, quod nos *Sempre-Mai*.

Malvagio. *Malus*, *Improbus*. A Latino *Malus* per incredibilem ſcalam veniſſe creditur Menagio. Videndum, an rectâ proceſſerit a Gallico *Mauvais*, ſeu *Mauvaiſe*: quæ vox e duabus conjunctis efformata vide-

[A] videtur . Quamquam *Malvagio* antiquiſſimum eſt apud Tuſcos . Si Lombardi hac voce uterentur in familiari ſermone , ſuſpicatus fuiſſem, iſtorum *Mal-vaſo* , ideſt *Malum-Vas* converſum fuiſſe a Tuſcis in *Malvagio* ; nam noſtrum *Aſio* & *Aſia* evadit apud illos in *Agio* & *Agia* . Sed noſtra Dialectus hujuſmodi vocabulo caret .

Mancia . *Strena* . Donum , quod ſponte inferioribus datur ob rem bene geſtam . Menagius & Ferrarius a *Manu* trahunt. Quomodo ? *E Manus* , *Manitius* , *Manitia* , *Mantia*, *Mancia*, ideſt *Manipulus* , Δραγμὴ . Sed nil rei eſt *Manipulo* cum *Mancia* ; [B] uti neque *Manitio* : nam vox iſta nihil aliud ſignificavit barbaricis Sæculis , niſi *Chirothecam* , quam Lombardi adhuc appellant *Manizza* & *Manizzo*. Et ſiquidem e Latino trahenda vox eſt , e *Manica* eſſet deducenda , quam Galli nuncupant *Manche* : *Manche* verò apud Italos evadit *Mancia* . Nihilominus addunt prælaudati Etymologiſtæ , in uſu etiam eſſe *Dar la buona Mano* pro *la Mancia* . Ita ſane dicimus . Sed non propterea e *Manu* rite deducas *Mancia* . Tolerabilius fortaſſe foret opinari , e Lombardis *Manza* appellantibus , ortum habuiſſe hanc vocem , quaſi primo fuerit *l'Amanza* , ſignificans *Amorem*. [C] Frater Jacoponus Tudertinus circa finem Sæculi Æræ Chriſtianæ Tertiidecimi , Lib. 5. Cant. 14. ajebat :

Non è verace aquiſto
Di Manza (pro *Amanza*) *che non dura.*
Ma chi ben' ama Criſto
Sopra d'ogn' altra cura ,
Quella è Amanza ſicura .

Idem quoque Lib. 6. Cant. 21.

Sopra ogn' altro amore
E' la tua bella Manza (ideſt *Amanza*)

[D] Infra verò ſubdit :

Di te bella Manza .
Jesù vaga Manza .

La Manza , ſive *Mancia* , ſignum *Amoris* eſt . Alia verò videtur eſſe origo phraſis *Dare la buona Mano* .

Mandorla . *Amygdalus* . Ab hac voce Græca Italicum vocabulum *Mandorla* traxit Menagius . Animadvertendum tamen eſt , Germanicæ Linguæ tribui a Cramero vocem *Mandel* , ſignificantem *Amygdalum* . Si hæc ibi antiquiſſima , inde potius eſt arceſſenda vox Italica *Mandorla* (quam [E] Lombardi *Mandola* dicunt , Mutinenſium verò vulgus corrupte *Mandla*) non autem e Græco . Neque enim ſat commode Ἀμύγδαλος *Amygdalus* convertitur in *Mandorla* , ſeu *Mandola* .

Maniera . *Modus* , *Mos* . Voſſius & Menagius a *Manus* Latino , vocabulum iſtud deduxere . Sed nullam :: adferunt cauſſam ejuſmodi derivationis . Videndum an fortè a Germanico *Mann* , ſignificante *Homo* , derivatum fuerit . Nos *Mores* hominum , *Maniere* appellamus , uti *Beſtierie* dicimus actiones hominum , Beſtias imitantium . Angli quoque voce *Manners* ad idem ſignificandum utuntur . Gallis eſt *Maniere* , Hiſpanis *Manera* . Invenio quoque apud Germanos *Manier* , ſed ignoro num antiqua vox, & propria illius Linguæ ſit , an potius adventicia . Si propria : inde reliqui Populi acceperint.

Mannaia . *Bipennis* , *Securis* . De hac voce nihil Menagius ; neſcio , an quod nihil ſuccurrerit ad ejus originem explicandam, an ex incuriâ , aliâve de cauſsâ . Certe ita a primitivo vocabulo eam Tuſci abduxerunt , ut difficile ſit Etymologiam nanciſci . Sed facile eſt Mutinenſibus , aliiſque Lombardis , quorum Dialectus habet *Manara* . Hæc autem a Latino *Manuaria* venit , quo nomine donata fuit Securis illa , quæ ambabus manibus adhibetur . Apud Mabillonium in Sæcul. Benedictin. Auctor Miraculorum Sancti Columbani , qui circiter Annum Chriſti DCCCCL. floruit , Cap. 29. ſcribit : *Juſſit filio* , *ut ei ferramentum* , *quod vulgo Manuariam vocant* , *afferret* , *quatinus arbuſculas ipſius agri ſuccideret* . In Charta Chronici Vulturnenſis pag. 363. Part. II. Tomi I Rer. Italic. ſcriptâ Anno Chriſti DCCLXXIX. lego *Villanos* , *qui cum Mannarias ſuas ſoliti fuerant magiſterium facere* . Fortaſſis ibi ſcribendum *Manuarias* .

Manzo . *Bos* , ajunt Auctores Vocabularii Florentini . At ſcribendum erat *Bos juvenculus* . Lombardorum vocabulum eſt, atque a nobis Florentini didicerunt . Pro *Manſo* opinor ruſticos noſtros invexiſſe *Manzo* . Eſt autem Italicæ Linguæ *Manſo* , idem atque *Manſuetus* & *Manſuefactus* , & inde *Ammanſare* , *Manſueſcere*. Tunc ergo Tauri a ruſticis noſtris appellari incipiunt *Manzi* , quum caſtrati , & manſuefacti jugum ferre addiſcunt . *Manſues Manſuetis* occurrit etiam apud antiquiſſimos Latinorum .

Marcare , *Marchiare* . *Signare* , *Notare* . Nemo revocare in dubium poſſit , quin vox iſta eadem ſit ac Teutonicum *Marcken* , idem ſignificans . Iſlandice *Marke* , *Signum* . Saxonice *Mearc Signum* ; *Mearcan* , *Signare* , *Notare* .

Marcheſita & *Margaſita* . Lapidis ſpecies . Fallitur Menagius, dum a *Narciſſites*, cui originem , ut is ait , dedit Græcum Ναρκισσίτης , hanc vocem derivavit. Arabicæ originis eſt . Arabes enim *Margaſſita* appellant *Pyritem Lapidem*, eumdem nempe , qui nobis eſt *Marcaſita* . *Biſmuthum* nonnulli appellant , ſed hoc nomen aliam rem deſignare mihi creditur .

Marciare . *Procedere* . Certe a Gallico *Marcher* nos hoc verbum accepimus . Unde verò *Marcher* , emerſerit , Menagium interroga . Reſpondebit : a Latino *Varicare* (unde *Varcare* , ut is ait , efformatum eſt) natum *Marcher* . Stipes ſit , qui credat . Vera vocis origo hæc eſt . Germanica & Celtica vetus Lingua *March* appellabat *Equum* . Inde *Marſchalcus* , *Marpais &c.* Vide Pauſaniam in Phocicis, Leges Alamannicas, Bajoaricas, Capitularia Caroli Calvi , Voſſium , Eccardum, & alios . Inde prodiit *Marcher* , idem ſignificans atque *Equitare* , ſive ut Barbaro-Latini dixerunt , *Caballicare* , e quo Italicum *Cavalcare* prodiit. Germanis adhuc *Marſch* eſt *Proceſſus exercitus* , uti

ve-

& *Marſchieren* . Angli quoque retinent *March* , & *to March* eodem ſenſu .

Marrone . *Caſtanea major* . Euſtathius in Odyſſ. Homeri Lib. K varia Caſtanearum nomina recenſet , inter quæ Μάραον , Latine *Marrum* . Itaque inde Menagius noſtrum *Marrone* deducit . Ferrarius arceſſebat a *Balanus* ; quod certe incredibile eſt . Verùm non ejus antiquitatis mihi videtur Euſtathius Homeri Scholiaſtes , ut illum certum originis hujus auctorem habeamus . Is floruiſſe creditur circiter Annum Chriſti MCLXX , niſi etiam ſerius . Quo ſane tempore in uſu Italicæ Linguæ erat vox *Marrone* . Tam multa alia a nobis (ut Meurſii Lexicon teſtatur) accepere Græci recentiores : cur non & hoc vocabulum ? Gloſſæ Græcæ ne verbum quidem de iſta voce habentes , indicio ſunt , uti nequaquam veteres , ita neque recentiores inter Græcos uſurpaſſe ejuſmodi vocabulum . Niſi vox iſta in Italiam importata fuit a Germanis , quibus *Marre* idem ſignificat , juſta ſuſpicio ſupererit , vel ipſis antiquiſſimis Sæculis hanc vocem in Gallia Ciſalpina notam fuiſſe . Neque mirum foret , ſi celeberrimo Poëtæ Virgilio *Maronis* agnomentum inde obveniſſet . Ita apud Romanos *Lentuli* , *Cicerones* , *Fabii* , *Piſones* , &c. a leguminibus aliiſque fructibus appellati fuere , ut alia ejuſmodi Cognomina omittam .

Marzuoli . *Herbæ ſpecies* . Vide Diſſertationem XXIV. *de Artibus* .

Maſnada . *Maſnaderi* . Vide Diſſertationem XIV. *de Servis* .

Maſſaro . *Caput Familiæ ruſticanæ* . Quod *Maſſa* barbaricis Sæculis appellaretur unio aliquot prædiorum , atque unum interdum prædium , propterea *Maſſarii* nomen inditum fuit Colono ejuſdem Maſſæ . Hoc ideo adnotatum volui , quia in antiquis teſtamentis occurrit : *Relinquo uxorem Maſſariam & uſufructuariam* . Bartolus autem traditur ſub nomine *Maſſariæ* intellexiſſe *Supellectilem* . Si id verum , ridenda ſane interpretatio eſt . Nihil aliud ibi *Maſſaria* ſignificat , niſi *la Reggitora della Caſa* , quod Notarii noſtri nunc dicunt : *Laſcio Donna e Madonna* , eamdemque vim habet atque *Uſufructuaria* . Quare neque P. Papebrochius V. Cl. vim vocis *Maſſarius* eſt aſſequutus , quum ipſi ſit *Cuſtos Supellectilis* .

Maſſiccio . *Solidus* , *Denſus* . A Latino *Maſſa* venit , ſignificante quidquid minime ſubtile ac leve , ſive e ſolo cortice conſtat , ſed ſoliditatem internam & craſſitudinem præfert . Ex eodem fonte manavit Gallicum *Maſſif* .

Materazzo . *Culcitra* . Sententiam amplector Alciati , Du Cangii , ac Menagii , putantium hanc vocem effluxiſſe e *Matta* , *Storeum* ſignificante , ejuſque diminutivo . Nimirum pro Culcitra Servi , ac veteres Monachi utebantur Storeis . Attamen quum inter *Culcitras* lanâ , ſtupâ , aut plumis farcitas , ac *Storeas* , nimium diſcriminis intercedat : moneo , ut adhuc perpendatur , an e Germanis , quibus eſt *Matratze* & *Matratze* eadem ſignificatione , ad nos veniſſe potuerit *Materazzo* , niſi & ipſum Germanicum nomen e *Matta* fluxerit , aut ex Italia illuc fuerit delatum . In Vita Sancti Vincentii Ferrerii die V. Aprilis apud Bollandiſtas memoratur *quoddam ſtratum ex lana confectum , quod vulgo vocant Matracium* .

Matto . *Stultus* . Græcum Μάταιος , & inuſitatum Μάω , ſi Caninium , Monoſinium , Menagium , & alios audire volumus , originem dedit Italicæ voci *Matto* . Habeant illi ſuam ſententiam , quam non improbo . Addere poterant , apud Heſychium haberi quoque Μάτταβος , *Fatuus* , *Stolidus* . Mihi tamen advertere liceat , potuiſſe ad nos deferri hanc vocem e Germanica Lingua , cui eſt *Matt* , ideſt *Debilis* , *Languidus* , *Infirmus* . Nam ut metaphorice dicimus *Debile di mente* , *Mentis inops* , *Inſanus* : ita fortaſſis olim *Matt* pro homine Mentis *Infirmæ* dicere cœperunt . Quod ſi inde vocem Italicam arceſſere dubitas , alterum accipe (ſi tamen alterum) Germanicum vocabulum , nempe *Matz* , quod nobis ſonat *Uomo Balordo* , *Uom da niente* , *Homo Infirmæ* , *Inſanæ Mentis* . Ab altera ex hiſce duabus vocibus Angli accepiſſe videntur ſuum *Mad Stultus* , *Mente-captus* . Quare multa coëunt , ut Italicum *Matto* intelligamus originis potiùs Germanicæ eſſe , quàm Græcæ . In antiquis tamen Gloſſis a Turnebo laudatis legitur *Mattus* , *Triſtis* . *Mattus* quoque pro *Maceratus* , ſeu *Subactus* fuiſſe aureo Sæculo Latinorum , ſibi viſus eſt deprehendiſſe Salmaſius . An recte , alii videant .

Mattone . *Later Lateris* . Forſitan a Græco Μάω pro Ναίω , Μάσσω , Μάγμα , Μακτὸν , *Mactum* , inquit Menagius , vox iſta deſcendit . Sed mirari poſſis hominem qui Ναίω tam confidenter immutat in Μάω , ſignificans *Vehementer Cupio* ; & inde fila , in cerebro tantùm ſuo nata , educit ad efformandam aëream hanc telam . A *Meta* non majori laude Ferrarius idem vocabulum traxit . Ego ſuſpiciones dumtaxat adjungam . Num venit a *Maltha* ; ſeu *Malta* , Græcâ & Latinâ voce apud nos adhuc vigente , & ſignificante *Terram mollem* , *aquâ compactam* , *& madefactam* , ita ut primò *Maltone* , tum *Mattone* dictum fuerit ? Præterea Mutinenſes *Madone* appellant glebam ſeu fruſtum terræ aut parum madefactæ , aut aridæ ac duræ , in quod vel agricolæ in campis aratro incurrunt , aut quod pueri ludentes unus adversùs alterum projiciunt . Aratores , quum terra reſiſtit , *groſſi Madoni* educunt . Quod nobis , noſtriſque ruſticis eſt *Madone* , Tuſcis cenſeo eſſe *Mattone* , terræ madefactæ fruſtum ſignificans , poſtea exſiccatum ad Solem , & in fornace demum coctum ad ignem . At æque mihi ignotum , unde prodierit *Madone* Mutinenſium , ac Tuſcorum *Mattone* , niſi primùm e Latino *Madeo* , & *Madidum* velimus profectum fuiſſe .

Mazza . *Clava* , ſive *Baculus* nodoſus , aut etiam *Malleus* e ferro , ſive ligneus , infixos habens interdum acutos clavos , vel cuſpides , aut aliis ad lædendum ferreis inſtrumentis inſtructus . A *Maſſa* deductum nomen putavit Menagius . Diſſentire cogor . Latinum quippe *Maſſa* , purum putum , nilque immutatum , apud nos perdurat . Ego itaque vocem apud Latinos ſive Græcos natam ſuſpicor .

Nempe

Nempe Græcis, quæ nunc nobis eſt *Mazza*, erat olim *Mazuca*, ſeu *Mazzuca*. Occurrit Ματζῦκα & Ματζύκιον apud Heronem Περιεκβολ, apud Leonem in Tacticis, penes Nicetam, alioſque a Rigaltio & Du-Cangio laudatos. Ordericus Vitalis Lib. 8. *Maxucam* memorat; Chronicon Caſaurienſe Lib. 4. *Mazucam*. Ammianus Marcellinus Lib. 21. Cap. 14. hæc habet: *Iter ſuum præire cum Lanceariis, & Mattiariis* (Italice: *Mazzieri*) *& catervis expeditorum præcepit*. Idem alibi *Mattiarios* jungit cum *Lanceariis*. Quod & facit Zoſimus Lib. 3. Hiſtoriarum. *Mattiobarbulos* quoque videas apud Vegetium. Ut *Lancearii* a *Lancea* dicti, ita & *Mattiarii* a *Mattia*, qua hoſtes proſternebant, appellati, ut putos fuere. Proinde a vero non abhorret, Italicum *Mazza* ab eodem *Mattia* originem ſuam ſumſiſſe. Scribit idem Ammianus Lib. 31. Cap. 7. Barbaris fuiſſe *ingentes Clavas ambuſtas*. Rolandinus Lib. XI. Cap. 7. Chronic. prœlium deſcribens ait: *Clavis nodoſis & ferreis, ferientibus ad galeas calyboſas, igneæ reſultarunt ſcintillæ*. Uſum quoque *Clavâ* Ratchiſium Forojulienſium Ducem teſtatur Paullus Diaconus Lib 6. Cap. 62. de Geſtis Langobardorum. Quæ Paullo Diacono, & Rolandino fuit *Clava*, *Mattiam* Vegetio, Zoſimo, & Ammiano Marcellino fuiſſe cenſeo. Num verò arceſſendum ſit a *Mazza* Italico potiùs, quàm a Latino *Mactare*, Italicum verbum *Ammazzare*, aliis decernendum relinquo. Hoc unum adnoto, Germanis nempe eſſe verbum *Matzen*, idem ſignificans ac *Mactare* beſtias, ita ut & ipſi Germani heic audiendi ſint. Videant & Galli, unde petendum ſit ſuum *Maſſacre* & *Maſſacrer*. *Mazzare* pro *Ammazzare* in uſu fuiſſe olim, conjicere poſſumus e vocabulo *Mazia-cane*, ideſt *Occidens-canem*, cujus mentio eſt in Charta Ravennate, adſervatâ in Archivo Eſtenſi, quam exerere heic ſuperfluum non puto, quum conceptis verbis ibi Feudum exprimatur, de qua re egi in Diſſertatione XI. *de Allodiis*.

Inveſtitura Feudi data *Mazia-cani* a Gualterio Archiepiſcopo Ravennate, Anno Chriſti 1130.

I*N nomine Domini. Anno ab Incarnatione Domini Milleſimo Centeſimo Trigeſimo, die XXV. Menſis Januarii, Indictione Octava, Argenta. Et ego* Mazia-canis *dedi tibi Archiepiſcopo de hoc, quod mihi debes, Denariorum Lucenſium viginti Libras. Et tu concedis mihi ad uſum Regni per Feudum in me, & in meis filiis maſculis vel feminis, quantum habui pro pignore quatuor Manſum terre in Maſſa Sandali. Si plus habeo, vobis refuto; & ſi minus habeo, adimpleatur mihi. Et predictus* Donnus Walterius *ita accipiens, per virgam, quam rogavit ibi aſtantes pro futuro teſtimonio hoc factum eſt in præſentia teſtium, Andrea Archipresbiteri Cardinalis, & Archipreſbiteri Sancti Johannis Baptiſte, & Johannis Presbiteri Diaconi Cardinalis, & Rodulfi Diaconi, & Johannis Clerici Romani, Ugo Ramberti, & Salviati. Poſt hæc poſuit ſupraſcriptus* Maziacanis *manum ſuam ſuper Librum Euuangeliorum Dei juravit, dicens:* Ab hac hora in antea fidelis ero Sancte Ravennati Ecclefie, & Donno Archiepiſcopo per bonam fidem, ſi Deus me adjuvet, & Sancta Euuangelia.

Ego Ugo Tabellio Ravennas, & Notarius ſancte Ravennatis Eccleſie interfui, & hec ſcripſi omnia.

Et ſi tu, aut tuus catholicus Succeſſor volueritis mihi, aut meis filiis permutare predictum Feudum ex alia parte Padi, recipere debeamus, ubi voluerimus.

Mazzerare. Tuſcorum verbum eſt, ſignificans, projicere hominem in mare incluſum culeo, aut ſaxo ad collum alligato, ut demergatur. Heic mihi in mentem venit, apud Mutinenſes meos appellari *Máſero* Lacunam, in quam faſciculi Cannabis merguntur, ut filamenta corticis emollita per aquam ſeparentur a ligno. Dicimus etiam *Maſerare la Canape*. *Maſerare* dictum fuit pro *Macerare*, & *Máſero*, idem atque *Maceratorium*. De Lino Plinius Lib. 19. Cap. primo: *Virgæ ipſæ merguntur in aquam ſolibus tepefactam, pondere aliquo depreſſæ. Maceratas indicio eſt membrana laxatior*. An *Mazzerare* Etruſcorum per ſimilitudinem aut per metaphoram emerſerit e Lombardico *Maſerare*, & per originem ex Latino *Macerare* fluxerit, alii decernant.

Mazzo. *Faſciculus*, uti florum, clavium, virgarum, aliarumque rerum ſimul colligatarum. E *Maſſa* Menagius putat efformatum *Maſſo*, *Mazzo*. Verùm planè diverſa eſt ſignificatio vocis *Maſſa*. Aliqua mihi ſuborta ſuſpicio eſt, *Mazzo* Italicum prodiiſſe e Græco Δέσμα Δέσματος, ſignificante *Vinculum*, *Faſcem*. Inde diminutivum Δεσμάτιον *Deſmatium* emerſerit, ſignificans *Faſciculum*, uti e Δέρμα *Pellis*, manavit Δερμάτιον *Pellicula*. Abjecta fortaſſis ex *Deſmation* (converſo in *Deſmazzo*) priore ſyllaba Δες, *Des*, in uſu eſſe cœpit *Mazzo*. Libro Tertio Annal. Genuenſ. Tom. VI. Rer. Italic. pag. 369. a ſynchrono Auctore ad Annum Chriſti MCXCII. memoratos videas *Macios decem Lini*, ideſt *Manipulos*, *Faſciculos*, *Mazzi*.

Medeſimo. *Ipſe*, *Idem*. Menagio ſuus heic honor ſit. Ingenioſe heic deprehendit, natum hoc Pronomen e *Met Ipſiſſimus*, *Metiſiſſimo*, *Mediſiſſimo*, *Medeſimo*. Addendum dumtaxat, dum vera ſit hæc origo, neminem primo ſimpliciter adhibuiſſe *Met-Ipſiſſimus*, ſed cum aliis Pronominibus. Scilicet dicebant *Egomet ipſiſſimus*, *Memet ipſiſſimus*, *Temet ipſiſſimum*, *Illosmet ipſiſſimos*, *Nosmet ipſiſſimi*, *&c.* Et inde ſenſim ſurrexit *Eo* (pro *Ego*) ac deinde *Io Medeſimo*, *Me Medeſimo*, *Te Medeſimo*, *&c.* Denique invaluit ipſum

Mede-

Mel dixere ipſi Provinciales . Atque ex voce a Italicorum *Meloſo* (Poetice *Meloſam*) Franci traxere ſuum *Mielleux* , [illegible] *M*[illegible] , atque Hiſpani ſuum *Meſoſo* , [illegible] *Meloſo* .

Melenſo , & *Melenſa* . *Lentus* , *Piger* , *Tardus* . Per tranſlationem quoque hominem ſtolidum , & *ſtultum* ſignificat . Confinxerat , pro more , Menagius a confecto vocabulo *Nidacenſis* , hanc vocem derivat , more avium nondum e nido avolantium . Incredibilia narrat . Quare perpendas velim , an a *Mel* , *Mellis* emanaſſe potuerit *Melenſa* , metaphorâ ab eo liquore deſumtâ , quia *Lentum* & *Pigrum* Mel defluit . Ita *Viſcoſo* appellamus quid quid *Viſci* tenacitatem imitatur . Vel a ſapore dulci Mellis . Dicimus etiam *Dolce di Sale* hominem *Inſipidum* , *Stolidum* .

Mentre . *Dum* , *Interea* . *Inter hæc* Ferrario viſum fuit origo Italici adverbii *Mentre* : Ejuſmodi Etymon , neque immerito , explodit Menagius , qui ab *Interim* per metatheſin efformatam cenſet hanc vocem . Sed immanem adeo metamorphoſin nemo ferat , nullumque par exemplum adferatur . Locum heic meæ quoque conjecturæ peto . Cur additum in principio *M* fuerit , quærendum omnino eſt . Neque enim excogitari poteſt , finalem literam adverbii *Interim* ita tranſlatam , ut prima evaſerit in vocabulo *Mentre* . Itaque Majores noſtri mihi creduntur , ex *Dum Interea* , aut ex *Dum Interim* efformaſſe *Dumintre* , *Domentre* , ac tamdem compendii gratiâ *Mentre* . Erat certe olim in uſu *Domentre* . Facius de Ubertis in Dittamundo ait :

Dimmi , *Domentre* , *che 'l nocchier ci varca* .

Sed & Latini uſurpabant *Interea Dum* , immo & *Dum Interea* . Vide Terentium in *Eunuch.* & in *Heautontimorumen.* In Vita quoque MSta Felicis , quam in vetuſto Codice adſervat Eſtenſis Bibliotheca , hæc habentur : *Et Domentre che lo Romito diceva queſte parole* . Ferrariæ quoque olim in uſu erat *Domentre* . Aliis exemplis parco .

Menzogna . *Mendacium* . Vide ſupra in hac eadem Diſſertatione .

Merli . *Minæ* Latinis . Vide Diſſertationem XXVI. *de Militia* .

Meſchino . *Pauper* , *Egenus* . Nihil dubitandum . Eſt originis Arabicæ . *Al-Miſchi* in Arabum genti idem deſignat . Vide Golium , & Giggeum . Lipſius Epiſtol. 41. Cent. 3. ad Belgas ſcribit , ſe hanc ipſam vocem reperiſſe in Perſica Lingua .

Mina. *Cuniculus*. Vide Diſſertationem XXVI. *de Militia* .

Minchione . *Bardus* , *Stupidus* . A *Miccio* , ſignificante *Aſinum* apud Florentinos , Menagius deductam hanc vocem ſuſpicabatur . Is autem trahebat *Miccio* ab *Aſinus* , *Aſinicius* , *Nicius* , *Miccio* : quod poſtremum Etymon deridere cuicumque liceat . Apud nos *Mincione* dicitur . Fortaſſe primitivum fuerit *Mincio* , quo agnomine donatum animadvertas *Johannem Velitrenſem Epiſcopum* , qui Anno Ch. 1058. Apoſtolicam Sedem invaſit , & ob ſtupiditatem *Mincius* appellatus fuit. *Minuto* autem ex Gallica Lingua ad nos veniſſe mihi creditur ; ei quippe eſt *Mince* , rem *Levem* ſignificans . Atque , ut ait Furetierius , *Mince ſe dit auſſi figurement de ce qui eſt Superficiel* , *qui eſt Mediocre* , *qui n' a guerres de force* , *de ſolidité* . *Ce Prince eſt bien Mince* . Iſta vero vox , uti is poſt Menagium opinatur , videtur diminutivum vocis *Minutus* , *Minutius* .

Miniera . *Fodina* . Vide eamdem Diſſertationem XXVI.

Mirare . *Intueri* . Mihi ſane perquam veriſimile eſt, vocem hanc deſcendere e Latino *Miror* , quum Mirantium ſit intente contueri rem , quæ cauſſam admirationi præbet. Apud Trebellium Pollionem in Gallienis legitur : *Quidam ſcurræ miſcuerant ſe Perſis diligentiſſime ſcrutantes omnia* , *& uniuſcujuſque vultum mira inhiatione Mirantes* . Uti Salmaſius in hunc locum animadvertit , *Mirari* vel *Mirare* ſignificat attente contemplari . Animadvertendum tamen , Martinio præeunte , Hebraicæ Linguæ eſſe *Mirah* , *Viſus* . Appellata quoque *Mira* fuit linea illa, ad quam oculum ſagittantes apponebant, ut in ſcopum collinearent . Hinc dubitandi cauſſa , num potius e *Mira* emerſiſſe potuerit *Mirare* . Sed unde *Mira* ? Hoc mihi plane ignotum ; ac propterea veriſimilior prima origo . *Speculâ*, *quam Miram dicimus* , occurrit apud Rolandinum Lib. 10. Cap. 9. Chronic. Patavin.

Moine plurali numero. *Far delle Moine*. *Blandiri* . Hanc vocem a Græco Μιμὸς , ſignificante *Simiam*, Menagius derivatam putat. Poterat & a Latino *Mimus* derivare. Sed neque ſignificatio , neque literarum ordo conſentiunt . Mutinenſes , aliique Lombardiæ Populi, quod Latinis eſt *Mollis* , *Madidus* , appellant *Mojo* . Inde nobis *Smojare* , ideſt Pannos aquâ abluere , vel *molles facere* . Tuſci adhuc dicunt *Molle* , quæ vox apud eos etiam ſignificat hominem *Lenem* , *Mitem* , *Mollem* , *Delicatum*, *Effeminatum* . An inde ortum habuerit *Smoinare* & *Smoine* Lombardicum , pro *Emollire* , ſeu *Mollificare blanditiis* , quam vocem Tuſci poſtea adoptarint, dicentes *Moine* , Eruditi videant . Præterea ab Hiſpanis *Moyne* appellatur vir, qui *facile in iracundiam proſilit* : & *Mohina* , *Iracundia* . Inde *Amohinar* , *in Iram adducere* . Aliquem ergo iratum , aut ad iracundiam pronum mulcere , ac blandis verbis ad ſua vota trahere , *Deſamoynar* , aut *Deſmoynar* dictum fortaſſe fuerit , quod nos Lombardi , abjecto pro more *De*, converterimus in *Smoinar* , *Far delle Smoine* . Tuſci verò etiam *S.* detracto dixerint *Far delle Moine* .

Mongana . *Vitulus lactens* . A *Mulgeo* ita Menagius trahit hanc vocem . *Mulgus* , *Mulga* , *Mulganus* , & τροπῇ *Mongano* , Cur non propius ab antiquiſſimo verbo *Mungere* , *Mugnere* , idem ſignificante ac Latinorum *Mulgere* .

Montone . *Aries* . Vocabuli hujus mentionem facio , non ut ejus originem adferam . Hæc enim mihi ignota ; ſed ut animadvertas inane in hac re aliorum ſtudium . Bochartus in Hierozoico a *Monte* vocem hanc trahit , *quia montibus gaudet ovillum pecus* , Etymon plane ineptum . Ferrarius

rius a *Montare*, veriſimilius ipſam deducit. Sed is fallitur; neque enim unius Arietis id proprium eſt. A *Muto Mutonis*, pro *Mutoniatus*, ideſt teſticulos habens, Menagius derivat: *unde Mutunus apud Arnobium, Lactantium, & Auguſtinum pro Priapo*. Sed alia eſt ſignificatio *Mutuni*, & *Mutuniati*. Quod mirere, Gallica Lingua habet *Mouton*, ſed ut ſignificet *Vervecem* (Italice *un Caſtrato*) *non Arietem*, ſignificatione prorſus aliena ab Italico *Montone*. Medii ævi Scriptores appellarunt *Multones* Arietes, quos nunc *Montoni* dicimus; neque tantùm Galli, ſed & Itali, ut conſtat ex Charta Comenſi Anni MXLV. Tom. V. Italiæ Sacræ. Et certe Galli e primæva ſignificatione ſua vocem hanc detorſerunt. Nam in Breviario rerum Fiſcalium Caroli Magni, quod ab Eccardo editum habemus, inventi ſunt in Regia Villa *Verveces cum Agnis octoginta*. *Multones octogintaduo*. Si *Multones* tunc nuncupati ſunt *Arietes*, unde nos *Montone* efformavimus, non vocis Italicæ, ſed illius Barbaro-Latinæ conquirenda eſt origo. At de illa nil certi mihi occurrit.

Mora. *Acervus lapidum*, torrentibus oppoſitus, ne in campos irruant, dum intumeſcunt. A Latino *Mola* pro *Moles* natam hanc vocem Menagius ſtatuit. Mihi veri videtur ſimilius, deſcendiſſe ex Latino *Mora*, ſignificante per translationem *Impedimentum*, *Obſtaculum*. Latini eodem ſenſu uſurparunt *Interponere* atque *Injicere Moram*. Et Statius Thebaid X. dixit: *Frangere Moras portarum*.

Mora. *Giocare alla Mora*. *Ludus* Bajulorum, ac infimæ Plebis. Latini appellaſſe creduntur *Micare digitis* (uti jamdiu Eruditi animadverterunt) eumdem hunc, ut videtur, luſum, quo digitis porrectis duo invicem certant, uterque numerum, quem mavult, pronuntiantes: victor autem eſt, cujus prolato numero reſpondent digiti utriuſque certantis ſimul computati. Quod autem Menagius putat efformatum *Mora* hac ratione: *Micatura*, *Miaura*, *Miura*, *Mura*, *Mora*, me non exſpectabunt Lectores, ut edicam, ſomniantis hominis has eſſe cogitationes. Potiùs inquirendum eſt, an Itali luſum iſtum obliti, illum rurſum ab Arabum, ſive Maurorum Populo didiciſſe potuerint, ac propterea Ludus nucupatus fuerit *Giocare alla Mora*. Nobis dicitur *Donna Mora*, *Vacca Mora*, quæ nigri coloris eſt, &c. Sed fortaſſe ſcribendum *Alla Mora*. Mutinenſes dicunt *Giocare all' Amore*. Nomen corrupiſſe videntur. Attamen quum interdum amantes nutibus ſuum animum exprimere ſoleant, hoc etiam heic adnotatum volui. Galli Italicum hunc luſum appellant *la Mourre*; Hiſpani *Amorra*.

Morbido. *Mollis*, *Delicatus*, *Tener*, cujus contrarium *Rudis*, *Aſper*. Iram pæne mihi excitat Menagius, dum hanc nobis Etymologiam obtrudit. *Mollis*, *Mollidus*, *Molvidus*, *Molbidus*, *Morbidus*, *Morbido*. Animadverte, Germanicæ Linguæ eſſe *Murb*, ſignificans *Tenero*, *Frollo*: & *Murb-Machen*, *Emollire*, *Macerare*. Quare aut ab iis ad nos venit *Morbido*, aut tam illi, quàm nos has voces accepimus e Latinorum *Morbidus*. Iſtud quidem apud Latinos ſignificat Morbo affectum, aut Morbo obnoxium. Verùm ad carnes & fructus primo translata videtur vox: res enim iſtæ, dum ſanæ ſunt, duræ, ac tenaces ſunt; morboſæ fiunt molles, ac teneræ. Germanis ipſis *Murb-apffel*, *Pomum vietum*, *ac marceſcens* ſignificat. Tamdem quidquid ad tactum Molle, ac Tenerum eſt, *Morbido* appellatum fuit.

Morione. *Caſſis criſtata*. Gallice *Morion*: Hiſpanice *Morrion*. *A colore nigro*, inquit Menagius. At ejuſdem coloris fuerunt & reliqua arma. Cur ergo *Caſſis* tantùm ſit appellata *Morione*? Veri videtur ſimilius, quod caput Mauri hominis referret.

Mota, *Motta*. Munitionis, ſeu Arcis genus. Vide Diſſertationem XXVI. *de Militia*.

Mozzare. *Abſcindere*. *Amputare*. Menagius a *Muticus* (ſomniato nempe vocabulo) pro *Mutilus* deducit. Verùm Mathias Cramerus inter Germanicæ Linguæ verba, *Mutzen* exhibet, ſignificans *Mozzare*, *Troncare*. Si hoc certum nihil eſt, quod alibi originem vocis quæramus. Quippe *Mutzen* Teutonicum Italice redditum dat ipſum *Mozzare*. Sed fortaſſe alicui videri poſſit tam Italicos, quàm Germanos e Latinorum *Mutilare* verba *Mutzen*, & *Mozzare* traxiſſe, hocque primo Majores noſtros convertiſſe *in Mutiare*, & demum evaſiſſe *Mozzare*.

Mucchio. *Cumulus*. Exploſis aliis Etymologiis, recte Menagius a *Monticulus* hanc vocem deduxit; aliâ tamen, quàm is cenſuit, viâ. *Admonticulare* veteres primò dixerunt, ſignificaturi *Aggregare in Monticulos*. *Ammonticchiare* pro more Linguæ factum fuerit, eratque olim in uſu. At Populi, præcipue Lombardi, prolixam vocem contraxere, & evaſit *Ammonchiare*, tum *Ammucchiare*, quo adhuc familiariter utuntur. Et inde *Mucchio*.

Muffa. *Mucor*. Scilicet *Lanugo* e ſuperficie rerum putreſcentium emergens. De doliis potiſſimùm id dicimus, unde Vino ingratus odor accedit, quem *puzzore di Muffa* appellamus. Menagius e *Muccus* Latinorum, *Muccus*, *Mucca*, *Muffa*, hercle infeliciter trahebat. Malo ego credere adhuc ignotam vocabuli originem. Cramerus auctor eſt, Saxonibus eſſe verbum *Muffen*, ſignificans *Sentire di Muffa*. Si antiquum, & proprium illius Linguæ verbum eſt, inde Itali accepiſſent ſuum *Muffa*; & *Muffire*, quod de pane, aliiſque eduliis, quum putreſcere incipiunt, dicere ſolemus.

N

NAcchere. Dicimus *Sonare le Nacchere*, quum pueri geminis oſſiculis, aut lignis, aut putaminibus nucum, vel vaſculis ad putaminum ſimilitudinem efformatis (*Caſtagnette* appellamus ex Caſtanearum forma, quam habent) invicem ope digitorum percuſſis, ſonum eliciunt, cujus crepitaculi in choreis interdum eſt uſus. Ab

Ab A[illegible] , ſpecie Tympani vox profe-cta creditur Menagio . Georgium Codinum , ſed nullius ponderis hac in re teſtem , is laudat : quem Codinus Sæculi Chriſtiani Quinctidecimi Scriptor credatur . Menagio paret Voſſius in his [illegible] Lib. 3. Cap. 22. de Vitiis Sermonis . Sed quæ de Naccaris Du-Cangius congeſſit , ſatis indicant , non apud Græcos , ſed apud Arabes quærendam eſſe hujus vocabuli originem . Quippe illi Nacaris ſunt uſi . Et revera Arabicum nomen eſt *Nachera* , e *Nagara* natum , quod verbum , Golio teſte , ſignificat *Percuſſit , & illiſit pollicem medio digito , & inde elevaſit crepitandi ergo* . Atque inde Arabes efformarunt *Nagron* , ſignificans *excitatum violenta colliſione digitorum pollicis & medii vulſione crepitum* . Hæc certa vocabuli *Nacchera* origo videtur , ita ut elapſa mihi fuerit dubitatio , an *Nacchera* produxiſſe potuerit ex Hiſpanico *Nacar* , ſignificante *Concharum teſtam* , quaſi primo pueri eaſdem adhibuerint ad ejuſmodi ſtrepitum edendum . Nos Mutinenſes , aliique , ut puto , Lombardi , dicimus *Gnaccare* , quæ Tuſcis ſunt *Nacchere* .

Nano . *Pumilio* . Purum putum Græciæ vocabulum eſt , de quo Gellius Lib 19. Cap 13. Ariſtoteles , & Scholiaſtes Ariſtophanes uſi ſunt , atque inter Latinos Laberius . Quare inquit idem Gellius , *in conſuetudine quidem imperiti vulgi eſt frequens , ſed barbarum non eſt* . In Gruteriana quoque Inſcriptione *Nanus* occurrit .

Nappo . *Patera* , *Crater* . Menagio ſuſpicio oborta eſt , derivatam fuiſſe hanc vocem aut a *Navis* (quod minime ferendum quiſque agnoſcat) aut ab antiquo Gallico *Hanap* , de quo infra . A Latino *Obba* non rectius eam Ferrarius deduxit . Omnino mihi Germanica eſt vocis origo . Habent enim Germani *Napf* , & *Napp* , ſignificans *Catino* , *Bacino* , quod Vaſis genus ad Vini potum translatum fuit . In antiquiſſimo Gloſſario Germanico Ælfrici *Cymbas* appellatur *Hnæp* . Hinc Gallicum *Hanap* . Scyphum ſignificans , & *Hanapus* Scriptoribus Barbaro Latinis , quorum verba prætereo . De hac voce conſulendus Du-Cangius . Durat adhuc apud Tuſcos ſignificatio priſca , nam *Nappo* fere ſemper pro *Bacino* , ſeu *Bacile* ab ipſis uſurpatur .

Neghittoſo . *Deſidioſus* , *Piger* , *Otio diffluens* . Menagius , cui tamen nil arduum , intactam hanc vocem reliquit . Veri puto ſimile , a *Negligo* , *Neglectum* efformatum fuiſſe *Neglectoſus* , *Neghittoſo* .

Nel , *Nello* . Præpoſitio Italicæ Linguæ . Manifeſtum eſt , efformatum fuiſſe ex *In* , & *Illo* , *Illa* , *Illis* , mutato nempe *Illo* in *Ello* , & detracto poſtea *I*. exempli cauſsâ *In illo tempore* evaſit *Inello tempo* , & denique *Nello tempo* , & *nel tempo* . Ita *Ne'* breviatum fuit ex *In Illis* , *Inelli* , *Nelli* , *Ne i* , *Ne'*.

Neſſuno . *Nemo* . Menagium audi . *Niuno da Ne Unus* . *Gli Spagnuoli da Nec Unus Ninguno* . *Di Ningunus* , *Niguno* , *Nizuno* , *Niſuno* , *Niſſuno* , *Neſſuno* . Certe *Niuno* , & *Neuno* prodiit ex *Nec Unus* , aut ex *Ne Unus quidem* . At *Neſſuno* mihi potius creditur enatum ex *Neſcio Unum* .

Nettare . *Polire* . *Mundare* . Scipio Gentilis a *Retare* Latino ; Menagius æquiori jure a *Nitidare* hanc vocem trahunt . Attamen nihil erat , quod ii antiqua Latinorum verba contorquerent , quando Germanica Lingua illam ipſam vocem , eamque , teſte Cramero , nativitate Germanicam , nobis miniſtrat . Nimirum *Net* , ſive *Nett* , Teutonici dicunt : Saxones , & Angli *Neat* , ſive *Net* : Galli *Net* , *Nette* , *Nettement* , *Nettoyer* , quæ idem ſignificant atque Italicum *Netto* , *Nettare* . Præterquamquod *Nitidare* a *Nettare* Italico multùm abeſt , non facile intelligeremus , qui tot variæ gentes conſenſiſſent in corrumpendo *Nitidus* , ſive *Nitidare* , atque inde in efformando *Netto* , & *Nettare* . Verùm quoties reminiſcimur tot tranſmigrationes Septemtrionalium gentium in Italiam , Galliam , & Britanniam , continuo occurrit modus , quo *Netto* ab una Natione in tot alias fuerit propagatum .

Nicchio . *Concha* , ſive *Teſta Oſtreorum* . Tuſcorum vocabulum . Menagius imperterrite a *Nidus* , *Nidius* , *Nidiculus* , *Niculus* , *Nicchio* , illud deducit , addens : *Ne viene ſicuro* . An rectè , alii videant. Eſt & alia ſignificatio vocis *Nicchio* . Hoc nomine donantur Loculamenta , ſive Concava in parietibus , ubi Statuæ collocantur . Vocabularii Florentini Auctores cenſent , a ſimilitudine *Concharum* appellatas fuiſſe *Nicchi* Cellulas ejuſmodi . Ingenioſe profectò . Neſcio an & verè . Interea norit Lector , Germanicæ Linguæ eſſe *Nitſche* , idem ſignificans . Niſi illi a nobis vocem iſtam acceperint , dediſſe nobis videntur . *Niche* etiam eſt *Gallis* . Quod ſi ferendum eſt Etymon , a Menagio nuper propoſitum , licebit & mihi audacem quamdam conjecturam proponere , quam tamen præſtare nolo . *Ædiculæ* olim appellata fuerunt Loculamenta illa Statuarum . Num ergo inde efformatum *Inædiculare* , ideſt *Inferre* Statuam *in Ædiculam* ? Ita *Inaltare* , *Incappare* , *Incamerare* &c. veteres barbarice dixerunt . Num *Inædiculare* , ſublato *Di* , compendii cauſsâ , evaſit *Inæculare* , *Inichiare* , *Innichiare* , quæ vox Italicæ Linguæ eſt , quamquam in Vocabulario Cruſcano deſideretur ?

Niente . *Nihil* . Cinonius ex *Ne ens quidem* efformatum putat adverbiale hoc vocabulum . Et profectò uti ex *Ne unus quidem* effluxit *Niuno* (veteres dicebant *Neuno*) ita & *Niente* a *Ne ens quidem* deſcendiſſe potuit , ac præcipue , quum Majores noſtri dicerent *Neente* . Verùm vox *Ens* Scholaſticæ Philoſophiæ fœtus eſt , ac proinde non multæ vetuſtatis , Populoque etiam ignota . Minime verò audiendi , qui a *Negans* , aut a *Res* , hanc vocem deducunt apud Menagium . Si vera ſunt , quæ tradit Hickeſius , videlicet veteres Francos ac Teutones pro *Nihil* dixiſſe *Niewith* , *Nieweht* , *Neht* , ſuſpicio oboriri poſſet , inde proceſſiſſe noſtrum *Niente* .

Noja , *Tædium* ſeu *Moleſtia animi* .

In-

Intrepide Menagius vocabulum iſtud a Latino *Noxia* derivat. Aſſentiri non poſſum. Alia eſt ſignificatio vocis *Noxa* & Noxia, ſive *Delictum* & *Crimen*, ſive *Damnum* explices. Gallis eſt *Ennui*, & *Ennoyer*, idem ſignificans ac noſtrum *Noja* & *Annojare*. Ergo aut nos ab iis vocabulum mutuati fuimus, aut illi a nobis accepere. Hiſpani quoque habent *Enojo* & *Enojar*; ſed *iram* & *iraſci* apud eos ſignificat. Præterea Anglis eſt *Annoy*, & *Annoyance* pro *Moleſtia*, *Damno*. Apud quemnam ex his Populis ſtatuenda ſit prima ſedes vocis, unde reliqui poſtea ad ſe traxerint, incertum eſt. Hercle multa eſt illius antiquitas in Italica Lingua. Si a nobis primo profecta fuit (conjecturæ veniam peto) fortaſſis efformata fuerit ab Italico *Nò*, ſive *Non*. Nam qui tœdio & mœrore ſunt capti, ad omnia reſpondere *Non* ſolent. *Pien di noja* dicimus, atque aliâ phraſi *Pien di laſciami ſtare*, quum quis mœſtitiâ victus, nihil vult, omnia recuſat. Id potiſſimùm pueri flentes facere conſueverunt. Ita a *Retro* efformatum *Ritroſo*, quod dicimus, quum quis ab iis abhorrentem ſe prodit, quæ a reliquis amantur, quaſi ipſi negent aut recuſent, vertendo ſe retrorſum. Et quid ſi eâdem ratione nata fuiſſet contraria vox *Gioja*, ſignificans *Hilaritatem* ac *Lætitiam*, nempe a Teutonico *Io*, quod nunc *Ja* a pleriſque pronuntiatur, & noſtro *Sì* reſpondet? *Joye* dicunt Galli. Eſt & Græcæ Linguæ Ἰὼ & Ἰωὴ. Num ex Græcis hauſimus *Gioja*? Nihil affirmo, ſed tantùm hæc tum de voce *Gioia*, tum de altera *Noia* innuiſſe juverit.

Nuca. *Occiput*. Deducitur a Menagio e *Nux*, *Nucis*, unde *Nucula*. Sed quænam analogia inter *Occiput*, & *Nucem*? Duplicem offero conjecturam. Bocharto, Giggeo, & Gollio teſtibus, Arabica Lingua habet *Nacha*, quæ idem eſt ac *Nuca* Italicum. Avicenna non ſemel eſt uſus. Rurſus Germanica Lingua *Nack* & *Nacken* appellat id, quod nos dicimus *Nuca*. Alterutra ex his Linguis hanc vocem fortaſſe nobis dedit. Tu potiorem conjecturam elige, niſi malis utramque contemnere. Mutinenſibus ac Mediolanenſibus *Gnucca*, non verò *Nucca*, nuncupatur *Occiput*. Germani ajunt *Genick*.

O

O*ibò*. Interjectio, ſive Exclamatio abhorrentis. A Græco Οἴμοι trahebat illam Monoſinius. Sed Græcorum Οἴμοι nihil aliud eſt, niſi Latinum *Heu Mihi*, ac Italicum *Oimè*. Carolus Cato ab *Oi buono*, quod per Ironiam dictum Menagius putat, deducit *Oibò*. Nam & Galli eâdem ſignificatione dicunt *ô bon*. Mutinenſes quoque Ironice quandoque dicere ſolent *oh bon*, ſed habent etiam in uſu *Oibò*, idem ſignificans ac *Fy* Gallicum, atque alterius ſignificationis. Perſpiciendum igitur eſt, *Oi* eſſe nobis Οἰ Græcum, ſignificans *Heu* Latinorum. Conjunctum autem *Bo* an efformatum fortè fuerit ab uſitata apud antiquos exclamatione: *Heu*, *bone Deus*! cujus tantùm priores duæ ſyllabæ compendii gratiâ ſuperſint. *Heu*, *bone Deus*, *quid dicis*? *Oibò che dici*? Certe illud *Bò* ſeu *Bo'*, cum accentu, ſeu potius cum circumflexo, indicat, aliquid deeſſe ad complementum vocis.

Oltraggio. *Injuria*. Apud Italos antiquiſſima vox eſt, idemque eſt atque Gallicum *Outrage*. Et quidem terminatio illius Gallicam originem ſapit. *Ultragium* dixere Barbaro-Latini id, quod *Ultra* fas & menſuram eſt. Scilicet exceſſum ſignificat in quavis re, ut Du-Cangius monuit.

Onta. *Injuria*, *Contumelia*. Ab Ὄνημι Græcorum Monoſinius, & Menagius hujus vocabuli originem trahunt. Etymon probo. Simul tamen animadvertas velim, Germanicæ Linguæ antiquiſſimam vocem eſſe *Hohn*, ſeu *Hon*, ſignificans *Onta*, *Scherno*, *Affronto*, *Vergogna*: & *Honnen*, *Far' onta ad alcuno*. Propiorem fontem habemus. Cur ab Oriente petamus? At hoc ipſum, inquies, Germani e Græca Lingua ſumſerint. Parum commercii erat olim Germanis cum Græcis. Epigraphe addita Ordini Militari Periſcelidis Britannicæ, fortaſſis huc referenda eſt: *On* (aut *Hon*, ideſt *Onta*, *Vergogna*) *y ſoit qui mal y pens*.

Oppio. Arboris genus. Vide Diſſertationem XXIV. *de Artib. Italic.*

Ordigno. *Machina*. Quidquid inſtrumenti manualis artificioſe componitur, ut inſerviat ad aliquod aliud opus peragendum, *Ordegno* Mutinenſes appellant. Aut ab *Ordiri*, profectam vocem puto, aut ab *Ordine*, & *Ordinare*, ita ut *Ordinium* primo, tum Italice *Ordigno* emerſerit.

Orlo. *Fimbria*, *Ora*. Menagius ab *Ora*, *Orula*, *Orulum*, *Orlum*, *Orlo* elicuit. Laudandum eſt Etymon. Galli quoque eâdem voce utuntur. Ac inde *Orlare*. At Hickeſius ab *Hurle* Scandico vocabulo, ſignificante *Limbum*, *Faſciam* præſertim pilei, profectum putat hoc nomen.

Orma. *Veſtigium*. A *Forma* Ferrarius: a Græco Ὁρμὴ alii deducunt. *Forma* omnino explodenda. Ὁρμὴ, ideſt *Conatus*, *Impetus*, nil conſenſus habet cum *Veſtigio*. Igitur ex Arabum Lingua deducenda videtur hæc vox, quum iis ſit *Aorma*, ſignificans *Veſtigium*, *Indicium*, ut Giggeus animadvertit. Hiſpanicæ quoque Linguæ eſt *Horma*.

Oſtaggio. *Obſes*. Voſſius Lib. 3. Cap. 14. de Vitiis Sermon. ſcite opinatus eſt ab *Obſidage* efformatum fuiſſe *Oſtaggio*, quum Eutropius & Ammianus ſuo etiam tempore uſi fuerint voce *Obſidatus*. Sententiam laudo. Sed, an certa ſit, dubitare adhuc pergo. Suſpicio quippe mihi hæret, fieri potuiſſe, ut ex *Hoſtis* emerſerit vox iſta, ad ſignificandum *Pignus* ſeu *Vadimonium ab Hoſte* traditum. Litera *T.* interpoſita, originem potiùs ab *Hoſte*, quàm ab *Obſes*, indicare videtur. Scriptam quoque per *H.* reperimus hanc vocem, ſcilicet *Hoſtagius*. Occurrit & *Hoſtaticus*, ſeu *Oſtaticus*, uti Du-Cangius contendit: quæ prima vox propius accedit ad iſtam *Hoſtis* originem, quàm ad alteram *Obſes*. In fine Libri Primi Chronicorum Genuenſium Caffari legitur: *Dederunt centum Saracenos de melioribus Obſtaticos in poteſtate Januenſium*. E Latino verbo *Obſtare* quei rite deduci poſſit hoc vocabulum, non video.

P

Padiglione. *Tentorium, Tabernaculum militare*. Ferrario & Menagio deducentibus hanc vocem ex Latino *Papilio*, nequaquam adverſor. Attamen dubitationem aliquam ingerit mihi illud *P.* converſum in *D.* Fieri ne poterit, ut e *Pando*, *Pandere* prodierit *Pandilio*, ac denique *Padiglione*? Ita certe a *Tendo Tendere* natum *Tentorium* Latinorum, atque Italicum *Tenda*, & *Tenſa*, qua voce uſus eſt Otto Morena. Vide infra verbum *Sbadigliare*. Neque diſſimulandum, Gallos pro *Padiglione* dicere *Pavillon*; Hiſpanos verò *Pabellon*. Quare in origine vocis hujus dubitatio adhuc ſupereſſe poteſt.

Paeſe. *Regio*. Jamdiu rectè monuerunt Scaliger, Bignonius, & alii, vocabulum hoc, uti & *Pais* Gallorum, emerſiſſe e *Pagus*, ſignificante non Vicum, ſed *Regionem*, ſive tractum terrarum. Inde *Pagenſis*, *Pagenſe*, *Paeſe*. Hujus Etymologiæ idcirco mentionem feci, ut ejus confirmationem accipiat e verbis Legendæ Italicæ pervetuſtæ cujuſdam Felicis, quæ in Eſtenſi Bibliotheca adſervatur: *Ceſſaron* (ſunt ejus verba) *li Ambaſſiadori, li quali lo Re haveva mandati per li Pagieſi, a ciò che la gente veniſſe* &c.

Palco. Vide ſupra vocabulum *Balcone*.

Palio. *Bravium*. A Latino *Pallium*, ſignificante olim veſtem, qua Græci & Philoſophi in primis, utebantur, hactenus creditum fuerat, Majores noſtros deſumſiſſe *Palio*. At Menagius addit: *Credo però più toſto da Palmarium, Palmalium, Pamalium, Palium, Palio*. Bone Deus, quàm facile ingenio ſuo indulget vir doctus! Nulla dubitatio futura nobis eſt, quin ex Latino *Pallium* effluxerit Italica vox *Palio*. Pannus ſericus, auro plerumque intertexto pretioſus, barbaricis temporibus *Pallii* nomine diſtinguebatur. Du-Cangium vide, qui teſtes rei complures congerit. Quod iſto panno (*Drappo* etiam appellabant) orneretur frons altaris, propterea *Palio*, *Palliu*, *Palliotto*, a nobis nuncupatur. Umbraculum quoque quadratum, cui nunc nomen *Baldacchino* [ita quippe appellatus pannus, in Urbe *Baldacco* ſive Babylone fabricatus] quod ex ipſo panno conficeretur, *Palio* olim dictum fuit. Denique quòd præmium equis victoribus in Circo exponerentur complures ulnæ ejuſdem panni (qui mos adhuc in Italia perdurat) ideo *il Palio* nuncupatum fuit, & invaluit *correre il Palio*.

Paltoniere. *Mendicans panem*. Vox eſt apud Italos antiquata. Vim vocis minime aſſequutus eſt Du-Cangius in Additamentis ad Gloſſar. Latinum. *Superbum & ferocem* is interpretatur. Sed quæcumque exempla affert, *Mendicum*, *un Birbante* ſignificant. Addit ille, manaſſe vocabulum a *Pallio*, *Pallonis*, quo nomine compellati Publicani. Sed præterquamquod minime conſtat, *Pallonis* nomen inditum Publicanis: nil rei eſt *Publicanis* cum *Mendicis*. Ferrarius a *Poltrone* arceſſens hanc vocem *Paltoniere*, non minus confidentiæ prodidit. *Poltroniere* non *Paltoniere* natum inde fuiſſet. Præterea Francis erat olim *Pautonier*, quod idem eſt ac *Paltoniere*. Sed numquid vox Gallica ab Italico *Poltrone* eſt deducenda? Apage. A Gallis potius, ac præcipue a Provincialibus, nos accepiſſe videmur vocabulum illud. Unde verò illi? Adhuc ignotum. In Satyra XVI. Fratris Jacoponi Tudertini, compoſitâ, dum in carcere ex juſſu Bonifacii VIII. Papæ concluſus, Rhythmos intrepidus effundebat, legitur:

Nihil taſca di Paltone.

Idem eſt *Paltone* & *Paltoniere*. Qui a Latino *Pultare*, idem ſignificante ac *Pulſare*, deduceret nomen hoc, hariolum ageret & ipſe.

Panca. Vide ſupra *Banco*.

Pancia. *Infimus Venter*. Scaliger, Voſſius, Nicotius, Menagius, & alii a *Pantex* Latino derivant. Sed non ſatis explorata ſignificatio eſt vocabuli *Panticis*. Contra certiſſimum eſt, Gallis eſſe *Panſe*, Anglis *Paunch*, Belgis *Panſſe*, Hiſpanis *Panza*, & *Pantz*, ſive *Pantſch* Germanis. Tantus Occidentalium & Borealium Populorum in hujus vocis uſu conſenſus, argumento eſſe poteſt ac debet, e Celtis, aut e Germania potius, quàm aliunde, petendam eſſe illius originem. Et præcipue, quod *Pantex* vocabulum fuerit vel ipſis Latinis parum uſitatum, nedum tot aliis gentibus ab Urbe diſſitis.

Pania. Si heic ſubſcribimus doctiſſimis Vocabularii Florentini Auctoribus, *Viſcum* ſignificat. Nata vox, inquit Menagius, *da Panis, come ſe ſi diceſſe Gluten farinaceum; perchè appiccia inſieme a guiſa di paſta. Ovvero, conforme al parere del Signor Ferrari, da Panus: onde Pana del Latte*. Primum Etymon dicere liceat minime dignum tantæ eruditionis & ingenii viro. Ecquando enim, ut alia omittam, *Panis* adhibitus eſt ad ſignificandum *Gluten farinaceum*? Ex farina diluta, non ex Pane, conficitur Gluten, quod *Colla* appellamus. Alterius Etymologiæ nullam rationem invenio; nam *Panus* Latinorum nihil aliud mihi eſt, niſi *Glomus* in Radium textorium immiſſus, quem nos Mutinenſes nuncupamus *la Spuola*. Hæc enim immittitur in *radiolum* a nobis vulgo dictum *la Navicella*, *la Navetta*, quia Naviculæ ſimilis eſt. Ei quoque apud Gallos nomen eſt *Navette*. At Florentinis *la Spuola* eſt idem ac *Radius*, ſive *Navicella*: *Panus* verò ſeu *Glomus* ſubteminis ab iis dicitur *lo Spoletto*. Caſtigatior eſt fortaſſis Mutinenſium uſus. Nam *Spuola* ex Germanico *Spule* deſcendiſſe videtur, ſignificante non Naviculam, ſed cannam in ea ſitam, quæ involutum ſubtemen continet. Gallis etiam *Eſpeule*, idem ſignificat. Itaque inter *Panum* Latinorum, & Italicum *Pania* nihil analogiæ video. At, inquies, unde tu *Paniam* deducis? Si ſomniis & ego indulgere heic vellem, dicerem, fieri potuiſſe, ut *Pania* a *Pane*, apud Ethnicos Deo venationis & aucupii, nomen acceperit, quaſi *Virgæ Panis* illæ dicerentur, quas Pan excogitaſſet, & quibus aves caperentur. Eſt enim antiquiſſimus ejuſmodi Virgarum uſus. Ovidius Metamorphoſeon. Lib. XV.

Nec

A

- - - - *Nec volucrem Viſcatâ fallite Virgâ.*

Plinius quoque Lib. 16. Cap. 95. auctor eſt, Druides Sacerdotes Gallos magno in honore *Viſcum* habuiſſe, *Omnia ſanantem appellantes ſuo vocabulo*. Hiſce fortaſſis nitatur aliquis, ut *Viſcum* credat olim appellatum *Pan*, *Omnia* ſignificans. Verùm ſincere fateor ego, mihi prorſus ignotam eſſe originem vocis *Pania*. Gallicæ quoque Linguæ eſt *Paneau*, ſeu *Panneau*, nimirum Retis linei genus. Sed & hujus mihi obſcura eſt nativitas. Ceterum *Pania* appellavi *Virgam Viſcatam*, potiùs quàm *Viſcum*: nam utut negare nolim, quin pro *Viſco* uſurpata ab aliquibus fuerit, atque uſurpari poſſit, attamen propria vocis hujus ſignificatio mihi creditur *Virga Viſcata*. Mutinenſes non Viſcum, ſed haſce Virgulas nuncupant *le Páine* pro *le Panie*: quamquam dubitatio aliqua in mente mea obverſetur, an Mutinenſium *Paina* prodierit e *Pagina*. *Pangere* quippe eſt *Figere*. Illæ autem Virgæ figuntur humi, aut in arbuſtis ad aucupium. Dantes Infern. Cap. 21.

Cercate intorno le bollenti Pane.

Ita ille licentiâ Poëticâ pro *Panie*. Benevenutus Imolenſis, qui eodem Sæculo, quo Dantes, floruit, & omnium optimum Commentarium in illius Comœdiam lucubravit, quem MStum Eſtenſis Bibliotheca adſervat, ad eum locum hæc habet: *Pane appellantur Paleæ, vel Virgæ, ductæ & unctæ Viſco, quibus viſcantur & capiuntur aves*. Craſſior etiam pars Lactis, unde Butyrum conficitur (ut hoc quoque obiter moneam) a Mutinenſibus dicitur *La Panna del Latte*. Gallica Lingua identidem habet *Panne*, ſignificans *Alipem ſuillum*. Gallico vocabulo analogia aliqua eſt cum noſtro *Panna*. Sed & Tuſci recentiores *Panno* dixere *ſuperficiem Vini*, & aliorum liquorum. Fortaſſis a nobis vocem hanc ſumſere: ſeu potius nos & illi ex Latino *Pannus*, quaſi ſuperficies pinguior Lactis, *Panni* ſpeciem referat. Ita *Appannare* dictum videtur, ac ſi *Pannus* inducatur in oculos.

Pappagallo. *Pſittacus*. Uliſſes Aldrovandus, celebris Philoſophus, in Ornithologiæ Libro XI. Cap. I. *conſiderandum* propoſuit, *numquid Papagallus ita vulgo dictus fuerit, tamquam Gallus Papa, ideſt dignum Papâ munus; an potiùs tamquam Papa, ideſt princeps, ſeu primus Gallus inter reliquas aves*. Menagius eximium hoc Etymon, Aldrovando tamen neutiquam memorato, arripuit, ſuumque fecit. Poſtquam riſit Sanſovinum a *Papæ* deducentem hanc vocem, imperioſe ait: *Viene Pappagallo da Papa e da Gallo, come ſe ſi diceſſe un padre Gallo, un maeſtro Gallo*. Apage ineptias. Mera hæc ſomnia ſunt Etymologiſtarum. Nihil enim rei eſt Papæ & Gallo cum Pſittacis. Quod & ex aliis Linguis ediſcas. Nam Covaruvia teſte Hiſpani Pſittacum appellant *Papagavo*, ubi vides evaneſcere *Gallo*. Et Gallicè avis eadem dicitur *Perroquet*, & olim *Pappeguais*. In Arreſto Anni Chriſti MCCCXXI. teſte Du-Cangio commemorantur *Papegaldi*. Angli dicunt *Popinjay*, Poloni *Papuga* &c. Itaque meam opinionem accipe. Arabica vox eſt *Papagallo*; nempe *Babaga* ab Arabibus nuncupatur Pſittacus: quod preſſe a nobis pronuntiatum, converſum fuit in *Papagà*, ac deinde in *Papagallo*; & ab Hiſpanis in *Papagayo*, & a Græcis poſteriorum temporum Παπαγᾶς, ſive *Papagàs*. Arabes olim late dominantes, haſce aves in Europam importabant, ſimulque & iſtud importavere nomen. Navem appellatam *Papagaſium* memorant Annales Genuenſes Caffari ad Annum Chriſti MCCV. Nunc diceremus *la Nave Pappagallo*.

B

Parco. *Septum*. Non a *Palus Pali*, ut Ferrarius cenſuit, ſed a *Parc* Celtica, ſive Germanica voce petendum hoc nomen. In Ripuariorum Legibus vetuſtiſſimis eadem vox occurrit, eâdemque utuntur præter Italos Angli, Galli, Belgæ. Eccardus a Germanico *Bergen*, quod eſt *Cuſtodire*, ingenioſe *Parco* deduxit. Mutinenſes, aliique inter Lombardos, adhuc *Barco* dicunt. Si vera eſt ſignificatio iſta verbi Teutonici *Bergen*, addo ego, inde veniſſe Gallicum *Berger*, *Paſtor*, non verò e *Berg*, *Monte*, neque ex *Berbicarius*, uti Menagius perſuadere voluit.

C

Parecchi. *Nonnulli*, *Non pauci*. Tuſcorum vox eſt. Utuntur illâ & ruſtici Mutinenſes. Si habitatori Civitatis noſtræ ea excideret, notam ruſticitatis is minime effugeret. A *Plures* factum *Parecchi* fruſtra cenſuit Ferrarius. A *Plerique* Caninius & Menagius derivarunt. Et primo ſane aſpectu amplectare Etymon iſtud. Sed ubi intime conſideres, dubitare ſenſim cogêris. Nam *Plerique* ſignificat nobis *la maggior parte*; *Parecchi* dumtaxat *Aliquot*, aut *Multos*. Deinde a *Plerique* pro more Linguæ noſtræ efformatum fuiſſet *Pierecchi*, non *Parecchi*. Mihi verò hæc vox nata creditur e *Par Paris*. Atque uti ex *Auricula* Latinorum prodiit noſtrum *Orecchia*, ita ex *Pariculi*, voce diminutivâ barbarici ævi, deductum fuit noſtrum *Parecchi*, & ex *Paricula*, femineum *Parecchie*. Præſertim verò Notarii hanc vocem adhibuerunt in Contractibus, qui quotidie fiebant; nam quibuſque contrahentium cupientibus exemplum Chartæ, Notarius ſingulis ſuam tradebat. Haſce Chartas *Pariculas*, & *Pariclas*, ideſt *paris*, ſive *unius tenoris*, appellabant. Vide accuratiſſimum Du-Cangium in Gloſſar. Latin. plura adferentem exempla. Ita *Pariculas cauſas* legit Baluzius in Additamentis ad Legem Salicam. Et *Charta Paricla* occurrit apud Marculfum Lib. Primo, Formulâ 38. Et *Notitias Paricolas* habemus in Placito Chlodovei III. Regis Francorum. Nihil aliud primo ſignificavit facere *Chartas Pariculas*, niſi Chartas *Pares*. At procedente tempore *Carte parecchie* ſignificavit *fare più d'una Carta*, nempe omnes ejuſdem tenoris. Porro vocis hujus originem certam faciunt veterum Tuſcorum exempla, a Vocabularii Cruſcani Auctoribus producta, e quibus conſtat, *Parecchio*, & *Parecchi* olim adhibitum pro *Pari* & *Simili*. In vetuſtis Italicis Rhythmis legitur:

D

E

E far

E far di' ſuo' begli occhi a' miei duo' ſpecchi,
Che lucon ſì, che non truovan Parecchi.

Eodem quoque ſenſu Dantes & Boccaccius *Parecchio* uſurparunt. Neapolitani dicunt adhuc *Parecchi*, quod propiùs ad ſenſum hujus vocis accedit.

Partigiana. Species Bipennis, *Haſta velitaris*, eadem a nonnullis credita atque *Alabarda*. Quum Galli hanc *Pertuiſane* appellent, Nicotius ejus nomen derivavit a *Pertuis*, *Foramen*, quod facile *Pertundit*. Improbavit hoc Etymon Ferrarius, quippe omnibus telis *Pertundere* convenit. Menagius Ferrarium male conſuti ratiocinii heic arguit. Verum Itali, Germani, Angli, Hiſpani, *Partigiana*, *Parteſana*, appellantes ejuſmodi Haſtam, ſatis oſtendunt, a *Pertuis* Gallico ſe nequaquam hoc nomen traxiſſe. Et quiſnam ex *Pertugio* Italico vocabulum *Partigiana* deducat? Menagius ipſe inconſtans in Origin. Gallicæ Linguæ, ſuum *Pertuiſane* ex Anglico *Partiſan* deduxit: quaſi non & alii Populi eadem voce uterentur. Eruditis Germanis inquirendum potiùs offero, num vox iſta Teutonicæ fuerit originis. Iis enim eſt *Barte*, *Bært*, ſignificans *Securim Bipennem*: & *Langobardi* appellati creduntur, non a *longis barbis*, ſed a *longis bardis*, ſeu *Bartis*, ideſt *Bipennibus*, quas deferebant. Omnes autem norunt, *B.* Germanicum preſſe pronuntiatum in P. facillime mutari.

Paſſare. *Tranſire*, *Excedere &c.* A Latino *Paſſus* hujus *Paſſus* natum procul dubio videtur hoc verbum. *Paſſibus* enim iter habetur, *Paſſibus* ſpatia tranſiliuntur. Uti Du-Cangius animadvertit, in Africa potiſſimùm *Paſſivus* ſignificavit *Vagum*, ejuſque vocabuli exempla miniſtrat Tertullianus contra Valentinum, & adversùs Marcionem, uti & Sanctus Auguſtinus contra Adimantum Cap. 24. & Sanctus Hieronymus in Ezechiel Cap. 16. Attamen Eccardus in Notis ad Titul. 28. Legis Salicæ, e Germanico *Patſchen*, *Ire*, exortum arbitratur Italicum *Paſſare*.

Paſſeggiare. *Deambulare*. Menagius e *Spatium* derivat, ut ſit *Exſpatiari*. Mihi certum videtur, enatam fuiſſe & hanc vocem e *Paſſus*, unde *Paſſare*, *Paſſaggio*, & *Paſſeggio*. Nam ut *Paſſibus* iter habemus, ita *Paſſibus deambulamus*. Inde etiam *Paſſeggiere*, qui iter facit. Nihil aliud eſt *Paſſeggiare*, niſi *Fare de i Paſſi*. Idque etiam de equis incedentibus dicimus.

Paſta. Farina in maſſam aquâ ſubacta. Obſcura eſt mihi vocis origo. Menagius quidem intrepide pro more ait: *Da Pinſo* (cioè *Subigo*) *Piſtum*, *Piſta*, *Paſta*. Sed Latinum *Pinſere* ſignificavit *Piſtillo tundere*, & *Frangere*, unde Tuſcum *Peſtare*, & Mutinenſium *Piſtare*, & *Piſta*, & *Piſto*, ut infra monebo. Quare parum veri videtur ſimile, *Paſta* inde efformatum, ac potiſſimùm *I.* converſo in *A.* Voſſius Lib. 6. de Vitiis Sermonis, *Paſta*, ait, vel a *Latino Paſco*, *quia eâ paſcimur*, vel *Græco Πάσσω*, *Inſpergo*, *unde Παστὴ Inſperſa; puta, farina*. Hæc ingenioſe excogitata; attamen nihil certi

A inde dictus, quum *Paſtus* tantummodo ſignificet *Paſcimento*; & innumera alia ſint, quibus paſcimur, quæ tamen *Paſta* appellare nemo conſuevit, neque nos *Paſta*, ſed *Pane* veſcimur. Ut non ſemel repetam, minus verborum quàm credimus, e Græca Lingua mutuati ſumus. Et in ea quidem opinione ſum, antiquiſſimam eſſe apud nos hanc vocem, neque eâ caruiſſe Latinorum vulgus, quamquam exempla deſiderentur. Fuit enim Latinis ipſis *Paſtillus*, maſſam cujuſcumque materiæ diſſolutæ, & per aquam coactæ ſignificans, unde noſtrum *Paſtello* traximus. *Paſtillum diminutivum a Pane* cenſuit Feſtus,

B ſive Paullus Diaconus. Si *Paſtillus*, immo & *Paſtillum*, Cibi genus, in uſu tunc fuit, cur non & *Paſta*? Ceterum non Itali tantùm, ſed & Galli, Germani, Hiſpani, & Angli hac voce utuntur, ita ut aut Latina Lingua, aut ſaltem Septemtrio ipſam nobis dediſſe videatur: quod aliis accuratius inveſtigandum relinquo.

Paſtoia. *Pedica equorum*. Integram hujus vocabuli ſignificationem eruditi Florentini in Vocabulario minime explicuiſſe mihi videntur. Ajunt enim: *Quella fune, che ſi mette a' piedi delle beſtie da cavalcare, per dar loro l'Ambio*. Iiſdem *Ambio* eſt *Inceſſus tolutaris*, ideſt *Andare di portante, e traino*. Neque inficias ierim,

C quin & funis ad id officii adhibitus *Paſtoja* appelletur. Sed ſimul addo, *Paſtoie* antiquis præſertim fuiſſe impedimenta aut ex ferro, aut ex ligno, aut ex fune, pedibus jumentorum impoſita, ne longius evagentur. A Gallis dicuntur *Entravers*, a Mutinenſibus *Balze da Cavallo*, unde prodiit verbum *Imbalzare*. Apud Schilterum in Gloſſario Teutonico Gloſſæ veteres habent *Walza*, *Pedica*. Latino-Barbari appellarunt ejuſmodi impedimentum *Paſtoria*, *Paſturia*, & inde efformatum *Paſtoia*. Neque vim vocis aſſequutus eſt Voſſius Lib. 3. Cap. 33. de

D Vitiis Sermonis, quum ſcribit: *Paſtorium videtur id, cui imponitur fœnum, vel aliud jumenti pabulum*, quaſi dicat *la Greppia*, *Præſepe*. In Legibus Bajoariorum Tit. 2. Cap. 6. habemus: *Si quis in exercitu aliquid furaverit, Paſtorium, Capiſtrum, Frenum, &c.* Rotharis Rex in Lege 303. Langobardorum, ait: *Si quis Paſtorium de caballo alieno tulerit, componat Solidos ſex*. Mutinenſes Codices legunt *Paſturium*, *Paſturias*: quæ lectio indicat originem Italici *Paſtoia* & *Paſtoie*. Inditum verò fortaſſe fuit nomen *Paſturia* impedimentis equorum, quod ipſis conſtringerentur in pedibus, dum ad pabu-

E lum, ſive *Paſtum* dimittebantur in pratis aut campis. Hoc *Paſturare* veteres appellarunt, quam vocem Italica & Gallica Lingua retinent. Locus autem ubi *Paſturiæ* equis, jumentiſque imponebantur, originem dediſſe videtur Gallicæ voci *Paſturon*, & Anglicæ *Paſtern*.

Paterino. *Hæreticus*. Vide Diſſertationem LX. *de Hæreſibus*.

Paveſe. *Scuti genus*. Vide Diſſertationem XXVI. *de Militia*.

Pazzo. *Stultus*, *Demens*. Sentio & ego cum Menagio, vocabulum hoc deſcendiſſe a *Patior*, non verò a *Fatuus*, uti Ferrarius arbi-

arbitrabatur. In uno tantùm diſcors ſum a Menagio, quod is hac ratione nativitatem vocis inſtruit: *Patior*, *Paticius*, *Pazzus*, *Pazzo*. Difficile hoc ille perſuadeat. Opinor ego, ex *Patior* efformatum fuiſſe *Patiare*, uti ex *Puteo*, *Putiare*, *Puzzare*. Additum fuit *In*, ſignificans *Intus*, ſeu in *Mente* (quemadmodum factum fuit in *Inſtituo* pro *Statuere in mente*) & evaſit *Impatiare*, poſtea *Impazzare*, quod Lombardi ajunt *Inpazzire*, hoc eſt *in Mente Pati*. Et ſicuti ex *Putiare* venit *Puzzo*, & *Puzza*, ita *Pazzo* ex *Patiare* effluxit.

Pellicino. Extremitates ſaccorum, quæ manibus arripi poſſunt, ejuſmodi nomen apud Florentinos obtinent. Diu inſudes, ut originem vocis extrudas. At Mutinenſium Dialectus rem aperiet. Dicimus enim *Pedeſino*, a *Pede* videlicet ſaccorum voce deſumta. Ita Florentini *Pellicello* appellant vermiculum pæne inviſibilem, ſub cute in palma hominum naſcentem, quem nonnulli eſſe *Acarum* Latinorum (neſcio an recte) arbitrantur. Ita Menagius cenſuit, quod inter *Pellem* & *Cutem* naſcatur. Mihi potius corruptum creditur hoc nomen, uti & alterum, de quo nuper egi, a Florentinis. Nam apud Mutinenſes, alioſque Italiæ Populos vermiculo illi nomen eſt *Pedicello*, hoc eſt diminutivum Latini diminutivi *Pediculus*, *Pedicellus*, quem etiam familiariter Mutinenſis Dialectus efferre ſolet per *Piuſello*.

Perla. *Margarita*, *Unio*. Heic Menagius: *Viene ſicuramente dal Latino Perula*. Immo inde pro certo non eſt deducenda. Nihil aliud *Pera* Latinis fuit niſi Italicum *Saccoccia*, *Sacculus*. Quid rei ergo *Peræ* ſeu *Perulæ* cum noſtro *Perle*, & cum *Unionibus*? Ergo uti Hottomanus & Voſſius jamdiu monuerunt, *Perla* Italicum, & Hiſpanicum, *Perle* Gallicum, & *Pearl* Anglicum, ſuam originem alicui Occidentalium aut Borealium Linguarum debent; & uti fert ſimilitudo, Germanicæ, quæ *Perl* appellat *Margaritam*. Si *Perulam* aut *Perulum* reperimus apud Scriptores medii ævi, ii credendi ſunt vulgare vocabulum *Perla* ad Latinam Linguam tranſtuliſſe.

Peſtare. *Tundere*, *Contundere*. A Latino *Pinſo*, quod olim adhibitum eâdem ſignificatione, vox iſta deſcendit, non verò a *Pes*, quaſi ſit *pedibus Premere*. A *Pinſo* *Piſtum*, & inde *Piſtillum*, uti & *Piſtare*, quemadmodum Mutinenſes pronuntiant, & *Peſtare*, uti Tuſci. Fuit & antiquis *Piſito* ex *Piſare*, de quo infra ad verbum *Pigiare*, & *Pinſito* frequentativa, e quibus deduci etiam potuit *Peſtare*.

Pezza, ſeu *Pezzo*. *Fruſtum*, *Fragmentum*, *Pars* alicujus rei. *Pecia*, ſive *Petia de terra* in Chartis barbarici ævi ſæpiſſime occurrit, etiam Sæculo Chriſti Nono, fortaſſis & præcedenti. Gujetus & Menagius a Græco Πτύσσω Gallicum *Piece* (idem nempe atque Italicum *Pezza* & *Pezzo*) derivarunt. Hiſpanica quoque Lingua habet *Pieza*. E Galliâ ſuum *Piece* acceperunt Angli. Sed Græcum vocabulum nihil aliud ſignificat, quàm *Plicare*, *Complicare*, ac proinde repugnans in hanc Etymologiam pertractum. E Septemtrionalibus Linguis ad nos *Pezza* veniſſe Hickeſius putavit, quum in veterum Francorum Lingua occurrat *Blezza*, *Plezza*, quod recentiores Galli in *Piece* immutaſſe potuerint. Addo ego, (ſi fides Mathiæ Cramero habenda eſt) Germanicæ Linguæ eſſe *Pletzen*, ſignificans *Rappezzare*, *Reſarcire*: quod originem Septemtrionalem confirmare poteſt. Tam enim in uſu fuit *Pezza di tela*, *di panno*, quàm *Pezza di terreno*. Schilterus quoque *Blezza* pro *Panni fruſto* invenit apud veteres Germanos. E *Petia*, ſive *Pezza* & *Pezzo* efformatum poſtea fuit *Spezzare*, hoc eſt *Comminuere*, *Ridurre in Pezzi* rem quampiam integram. Additum pro more Italicorum verbo *Pezzare* illud *S.* puto. Vide Diſſertationem IV. *de Officiis dom. Reg.* ubi attuli Chartam Anno Chriſti DCCXXIX exaratam, in qua *Pezza terræ* commemoratur.

Piatto. *Patina*. Græcum Πλατὺς, *Largo*, ſi Menagio credimus, origo vocis. Non contemnenda opinio. Attamen occurrit heic Germanicum *Platt*, ſeu *Platte*. An inde vox rectâ manarit, perpendendum eſt. Hinc *Piattonata*, *Ictus*, obliquo enſe inflictus, ſive planâ enſis ſuperficie. Ita dicimus *Viſo piatto*, *Navi Piatte* &c. hoc eſt *faciem planam*, *planam Navim*. Itaque *Piatti* appellatæ Patinæ planâ, ac latâ figurâ, ad differentiam aliorum vaſorum.

Piazza. *Platea*. Vide Diſſertationem XIX. *de Tributis*.

Picante. Vide ſupra in vocabulo *Becco*.

Picca. *Haſta peditum prælonga*. A *Pungere* per incredibiles ſaltus efformatam vocem Menagius cenſuit. At puram putam hanc vocem, & quidem ſuæ Linguæ propriam, Germani credunt, ideſt *Picke* & *Pike*, Turnebus a Latino *Spicare* traxit *Picca*: ſed minus commode, ut Voſſius animadvertit. Ferrarius a *Spiculum*. Hiſpani quoque, Galli, Angli, & Belgæ eamdem uſurpant vocem. Proinde vix aliam ſtatuas illius originem, niſi Germanicam, aut Celticam.

Picchiare. *Pulſare*, *Pultare*. Ita vocem hanc Menagius e deformatione verbi *Pungo* derivat. *Pungo*, *Punctus*, *Punctare*, *Puncare*, *Puccare*, *Piccare*, *Piculare*, *Picchiare*. Quis credat? Vide, an potiùs a Latinorum ave *Picus* vox iſta manarit. Hanc *Picchio* nunc Tuſci appellant. Notumque eſt, pulſatione illius roſtri arbores perforari. A *Pico* *Picare*, & *Piculare*, *Piclare*, *Picchiare*. Aut a *Picken* Germanico, ſignificante *Beccare*. Vide ſupra vocabulum *Becco*.

Piegeria, Veneta vox. *Fidejuſſio*, ſeu *Cautio*, nobis *Sicurtà*. A Septemtrionali voce *Pleger*, *pro aliquo Spondere*, Hickeſius hanc deducit. Hæc veri ſimilior origo, quàm Salmaſiana. Quippe Salmaſius a Latino *Præs*, *Prædis* Gallicum *Pleige*, *Cautionem* ſignificans, traxit. A *Pleger* verò *Pleigerie* Gallicum, & *Pleggery* Anglicum. Vide Du-Cangium ad vocem *Plegius*, & *Plegium*. Veneti rurſus dicunt *Piezzo*, quod vocabulum Menagius & ipſe derivabat a *Præs*, *Prædis*. Sed & iſtud originis Septemtrionalis eſt.

Pie-

Pietanza. Portio obſoniorum, quæ Monachis, aliiſve perſonis ultra panem ad victum datur. Mirum eſt, quantopere ſe torſerint Eruditi in hujus vocabuli origine inveſtiganda, quantumque inter ſe diſſideant. Ex Italis Aretinus, Pergaminus, & alii, tum Voſſius, Forcterus, Somnerus, Menagius, & alii, a *Pietate* vocem deducunt. Alciatus, Salmaſius, Maranus, Caninius, Ferrarius, aliique a *Pittacio* trahunt. A *Pite*, dodrante unciæ Papebrochius. Browerus itemque a *Pitiſſando*. A *Picta*, Monetâ Comitum Pictavienſium Du-Cangius eam accerſit, quòd ferculum *ad valorem unius Pictæ* daretur. Suus honor ſit aliorum in hanc rem conjecturis, quibus & meam additam volo. Quidni igitur efformari vox illa potuit ex Italico *Piatto*, *Patinam* ſignificante? Certe apud aliquos Italiæ Populos *Piattanza*, non *Pietanza*, appellatur obſonium, ſive cibus quotidianus, non ſolùm Monachis, ſed famulantibus quibuſcumque, ultra panem, & vinum, datus. Singulis enim in una *Patina*, ſive Piatto, præbebatur ſibi portio eſculentorum, hoc eſt *Ferculum*. Florentini nimium ſæpe *A*. in *E*. convertunt, ac proinde *Pietanza* pro *Piattanza* dicere potuerunt. Et quum in Galliam hæc vox immigrarit, Galli *Pitance* nuncupare fortaſſis cœperunt. Adhuc & Angli *Pitance* dicunt. Inter haſce ſententias Eruditi eligant.

Pigiare. *Premere*, *Calcare*. Florentinorum vox. Non a *Pilare* deſcendit, quod Ferrarius opinabatur. *Forſe da Pes*, *Pedis*, inquit Menagius, aut a *Pilum*, ideſt *Piſtillum*. Ego non aliunde, quam a Latino *Piſare*, quod etiam *Pinſare* dixerunt, ſignificante *Tundere*, *Calcare*, eſſe derivandum Italicum verbum *Pigiare*, mihi perſuadeo. Hiſpanis adhuc *Piſar* eſt *Calcare*. Idem verò *Piſar* Hiſpanicum ſignificat, atque *Pigiare* Tuſcum. Eiſdem Hiſpanis *Piſon* eſt idem ac *Malleus ligneus*, quo pavimentum calcatur. *Piſare* pro *Calcare* dixiſſe veteres, docuit ad Feſtum Scaliger. Et apud Senecam *Piſatio* occurrit.

Pigliare. *Accipere*, *Apprehendere*, *Capere*. Obſcura vocis origo. Ferrarius a *Capio*, *Pio*, *Piglio* enatum putat. Et certe Lombardi *Piar* dicunt, quod Tuſci *Pigliar*. Iidem Tuſci nobilem olim Mutinenſem *Pi ran* Familiam, *de' Pigli*, aut *Pigi*, nuncupare conſueverunt. Attamen quei excidit nobis prima ſyllaba verbi *Capio*? Accipe & Menagii Etymon, deducentis hanc vocem a Latino *Pilare*, unde *Expilare*, ſignificans *per vim aliquid alicui tollere*. Et quamquam *Pilare* nihil aliud fuerit, niſi *Pilos Detrahere*; latior tamen fuiſſe videtur illius ſignificatio, unde poſtea Gallicum *Piller*, idem quod *Expilare*. Vide infra *Scompigliare*. Meliora ego adferre non poſſum.

Pignatta. *Olla*. Non arbitror impoſitum hoc nomen, quod in cacumine, veluti *Pinea*, acutæ eſſent Ollæ, ut Menagius ſuſpicatus eſt: quippe Ollæ orificium apertum, latumque habent, & nequaquam deſinunt in acumen. Neque quod Ollæ, dum in fornace coquuntur, ita diſpoſitæ fiat, ut Pinum referant, ſicuti Ferrarius opinabatur; quum alia quoque fictilia ſimili ordine componantur in fornacibus. Suſpicor potiùs inditum *Ollæ* vocabulum *Pignatta*, quod olim in more eſſet operculis Ollarum *Pineæ* formam imponere. Nunc *Pinea* nux a nobis appellatur *Pigna*, ejuſque fructus *Pignuolo*. Ex Olla *Pineata* manaſſe videtur *Pignata*, *Pignatta*.

Piluccare, *Spiluzzicare*. Senſim aliquid carpere, veluti plumas & acinos uvæ. A Latino *Pilus*, *Pilutus*, *Piluticus*, *Pilutiare*, Menagius *Piluccare* enatum cenſuit. E *Pilus*, *Pilutius*, *Expilutiare*, *Spiluccicare*, *Spiluzzare*, *Spiluzzicare* idem Scriptor ad vocem *Spiluzzicare* per aliam ſcalam (multæ ei quippe erant ad omne opus) e *Pilo* tamen petitam, ad originem horum verborum nos deduxit. Et ſane in iis ſentiri vox *Pilus* videtur, quaſi ſit *Pilos* ſenſim detrahere. Sed quei ex *Pilus* emerſerit *Piluccare*, ſomniare quidem potes, at certò oſtendere non potes. Quare mihi veri videtur ſimilius, ex Germania ad nos veniſſe hoc verbum. *Pflucken*, ſignificans *Deplumare*, antiqua & propria eſt vox illius Linguæ. Exciſo pro more *F*. Italice evaſit *Pluccare*, *Piluccare*, & addito *Ex* ſecundùm Mutinenſem Dialectum *Spluccare*, & Gallice *Eſplucher*. Nicotius ab *Explicare*, Menagius ab *Expellicare* ſuum *Eſplucher* traxerunt. Neque vidit Menagius, idem eſſe Italicum *Piluccare*, *Spiluzzicare*, & Gallicum *Eſplucher*.

Pipiſtrello. *Viſpiſtrello*. *Veſpertilio*. Non Ferrario deducenti hoc nomen a *ſonitu ſtridulo*, ſed Menagio aſſentior, cenſenti, nomen ipſum Latinorum immutatum eſſe in hoc vocabulum, e quibus primum eſt uſitatius. Illius mentionem feci, ut ſentiat Lector, quouſque ſenſim Populus corrumpendo antiquas voces, eas e prima ſua ſtructura deflectat. Pro *Veſpertilio* invaluit *Viſpiſtrello*, ac deinde *Pipiſtrello*. Longius etiam proceſſere Mutinenſes, quibus eſt *Palpaſtrello*, ſi tamen adeo diſpar vox e *Veſpertilio* emerſit. Atque heic memini, Cremonenſes lepido nomine uti, appellantes *Veſpertilionem Sgrignapappola*. *Sgrignare* eſt *dentes oſtendere*, quibus præter morem aliarum volucrum armati ſunt Veſpertiliones. In Vocabulario Cruſcano præcedentis editionis *Nottola* appellatur *Veſpertilio*. Vereor, ne unum ibi pro altero nomen irrepſerit. *Nottola* nihil aliud eſt, niſi *Noctua* Latinorum, nobis *Civetta*.

Pizzicare. *Leviter pungere*. Cenſuit Menagius, ab ipſo *Pungere* per complures mutationes (non rarò incredibiles) emerſiſſe tamdem *Pizzicare*. At vide ſupra *Becco*, *Roſtrum*. Inde nata vox iſta. *Beccare* primò efformatum, deinde *Beccicare* frequentativum pro *Andar Beccando*. Converſum id in *Pizzicare*, ad imitationem avium, quæ *Roſtro* cibum captitant. Ita pro *Beccare* Germani dicunt *Picken*. Omnem verò dubitationem aufert vox *Bezzicare*, quæ eodem ſenſu ac *Beccicare* ab Italis adhibita eſt, ut multa Vocabularii Florentini exempla produnt. Atque hinc prodiit *Pizzico*, *Pizzicotto*, qua voce utimur, quum ſummis digitis aufe-

auferimus e maſſa aliqua modicum farinæ, milii, rerumque ſimilium, ad inſtar volucrum captantium roſtro cibum. Aut quum ſummis duobus digitis quiſquam pellem alterius ſubito compreſſionis ictu premit, quod & aves roſtro facere quandoque conſueſcunt. Eſt & verbum *Pitzen* aliquibus Germaniæ Populis, ſignificans *Pizzicare*.

Poltrone. *Ignavus*, *Iners*. Multus eſt Menagius in expiſcanda iſtius vocis origine. Savaro, Lindembrogius, & Salmaſius a *Pollice truncato*; Ferrarius, Voſſius, & alii, a *Murcus*; Alumnus, Galeſinius, Landinus, Taſſonius, aliique, a *Poltro*, ſignificante *Lectum*, vocabulum *Poltrone* derivant. Menagio tamdem quum minime certum videatur, *che Poltro ſignifichi Letto*, in mentem venit, arceſſendum eſſe *Poltrone* a *Pullus*, *Pullitrus* &c. Habeat ille ſibi opinionem ſuam, quam ægre cuiquam perſuadeat. Italis adhæreo ego, derivantibus *Poltrone* & *Poltrire* a *Poltro*, ideſt *Lecto*: quam vocem Germanica Lingua nobis ſuppeditavit. Eſt enim Germanis *Polſter*, *Coltre*, *Guanciale*, *Piumaccio*. Hinc *Polſtro*, *Poltro* efformatum plane videtur. *Poltrire* nihil aliud eſt, quam *Stare troppo in Letto*, ſive *nelle Piume*, aut *ſotto le Coltri*.

Pontare. *Vim facere*, ſeu *Niti in aliquid*. Aut a *Pultare*, aut a *Fultus* Menagius: ab *Impingere* Ferrarius traxerunt. Nihil horum probes. Hiſce conjecturis & meam, quæcumque ſit, addere liceat. A *Ponte* fortaſſe vox emanavit. Pons enim ex utraque parte vim facit, ac nititur in ripas. Metaphorice autem tranſlata videtur Pontis actio ad hominem Nitentem in alterum hominem, aut in alteram rem, quam retinere aut repellere conatur. Tunc enim ad morem Pontis pedibus & manibus ſe componit, & contra Nititur. Aut a *Punta* venit, nam dicimus etiam *Puntare*, & Galli *Pointer* ajunt. Et tunc ab iis, qui Acumine gladii in hoſtem Nituntur, derivata vox fortaſſe fuerit.

Poſticcio. *Fictus*; ut *Capilli*, *& barba*, *poſticci*. Ab *Imponere* eſt *Impoſiticius*, hoc eſt *Fictus*, non naturalis. Hinc *Poſticcio*.

Pozza. *Lacuna*. Vide ſubſequentem vocem.

Pozzánghera. *Lacuna* præſertim in viis, aquam continens. A *Fovea* Ferrarius deduxit, cui nemo ſubſcribat. A *Pozzo*, *Pozza*, *Pozzánghera* Menagius, qui adhuc interrogandus eſt, cur *ánghera* additum fuerit. E Latinorum *Puteus* efformatum quidem fuit noſtrum *Pozzo*. At *Pozza*, ſignificans *Lacunam*, ſive locum in ſuperficie aliqua concavum, in quo aqua, aut alius liquor conſiſtat, utpote diverſæ ſignificationis a *Pozzo*, aliam habuiſſe originem mihi creditur, hoc eſt Germanicam. Nam Germanis *Pozzo* appellatur *Sodbrunne*. Quum verò *Lacunam*, ſeu *locum*, *ubi aqua ſtat*, deſignare volunt, dicunt *Pfutze*, ſeu *Pfotze* feminini generis. Nomen hoc, abjecto *F.* euphoniæ gratiâ, nos convertimus in *Pozza*. Germanis quoque eſt *Geraum*, ideſt *Latus*, *Amplus*. Num ex ambabus hiſce vocibus conjunctis prodiit *Pozzánghera*? Diſſimulare tamen nolo, apud vetuſtiſſimum Germaniæ Poëtam Otfridum occurrere *Puzza* & *Puzzi* pro *Puteo*.

Predica. *Sacra Concio*. Ex Latino *Prædicare* derivatam hanc vocem omnes norunt. Hujus autem vocabuli mentionem tantummodo in eum finem facio, ut Lectorem moneam, in nuper laudati Otfridi Germanici Poëtæ, qui Sæculo Chriſti nono floruit, Poëmatis occurrere eo ſenſu *Predica*.

Pretto. *Purus*, *Merus*. Corbinellius, Menagius, & Carolus Dati cenſent, e *Puretto*, (diminutivo adjectivi *Puro*) per ſyncopen evaſiſſe *Pretto*. Eorum opinioni honor habendus. Attamen, quum nullum, ut puto, ſimile exemplum Tuſci proferre poſſint, neque appareat, cur *Puretto* heic locum habuerit, quum *Puro* potiùs adhibendum foret, ſupervacaneum non ſit monere, inter antiquiſſimas Germaniæ voces numerari *Preht*, *Brecht*, ſignificans *Purum*, *Generoſum*, *Elatum*, *Præſtans*, *Nobile*: ita ut a vero non abhorreat, Vinum merum, ab ipſis olim appellatum *Wein Preht*, peperiſſe in Italia *Vino Pretto*.

Prigione. *Carcer*, & *in Carcere incluſus*. Menagius a *Prendo*, *Priſum*, *Priſium*, *Priſio*, *Priſionis*, trahit *Prigione*. Prima facie videatur certa hæc origo. Verùm poſtquam Olaus Verelius & Hickeſius, Linguarum Septemtrionalium ſcientiſſimi, me docuerunt, veteris Linguæ Gothicæ fuiſſe *Priſund*, quod exemplis depromtis e vetuſtiſſimis MStis confirmant, noſtrum *Prigione* a Borealibus potiùs, quàm a Latinis accepiſſe videmur. Anglo-Saxones quoque *Priſum Carcerem* appellarunt. Borellus Gallicum *Priſon* ex Italico *Prigione* deſumtum cenſuit. Et certe, niſi Franci ex Germania in Galliam attulerint, Italica vox eo immigrarit. An verò Septentrionales Populi a Latino *Prehendo* ſuum *Priſund* traxerint, quis quæſo decernat?

Prode. *Strenuus*. Vide Diſſertationem XXVI. *de Militia*.

Putto. *Puer*. *Putta*, *Puella*. Venetorum, Mutinenſium, aliorumque Populorum voces ſunt. Tuſcis quoque olim *Putto Puer* fuit, uti exempla in Vocabulario Cruſcano congeſta oſtendunt. Quibus adde Fratrem Jacoponum Tudertinum, qui ante quadringentos & ultra annos canebat Lib. 6. Cantic. 23.

> *Di niente fece il tutto*
> *Chi per noi gia ſi fe' Putto.*

Putta olim Tuſcis *Meretricem* ſignificabat. Neſcio num & adhuc id ſonet. In Annalibus Caffari Tom. VI. Rer. Italicar. pag. 304. ad Annum Chriſti MCLXV. ajebant Piſani: *Filii de male Putte*. Nunc apud pleroſque Populos in uſu eſt antiquum vocabulum *Puttana*, *Meretrix*. Si Menagio fides, ex Latino *Putus*, ſignificante *Parvulum* venit *Putto*. Laudat ille Gloſſas, in quibus *Putus* eſt Μικρὸς, ideſt *Parvulus*. Sed incertum eſt, quo tempore Gloſſæ illæ ſcriptæ fuerint; ibique pura nomina Italicæ Linguæ occurrunt, Græce reddita. Joſephus quoque Scaliger viſus eſt ſibi reperire *Putam*, aut *Putillam* in Satyr. 3. Lib. 2. Horatii. Sed non una eſt loci illius lectio. Ego apud Latinos non invenio, niſi *Purum Putum*,

verbi gratiâ *Aurum*, ubi *Putum* certè *Pariſinum* non eſt. Quare donec certiora documenta afferantur, juvat ſuſpendere judicium de origine vocis hujus. Hickeſius autem animadvertit, adhuc appellari ab Islandis *Puta*, *Meretricem*.

Q

QUà e Là. *Hac & illac*. Menagii ſententia eſt, ab *Eccum Hac*, *Ecco Hac*, *Coac*, *Qua*: eſt finiſſe *Qua*, & ex *Illac* efformatum *Là*. Hariolari hîc & mihi liceat. Mos antiquorum fuit dicere *in Hac-ce parte*, *& illa*, ſive *de Hac-ce parte & illa*. Fortaſſe pro *Hac-ce* nonnulli ex Italiæ Populis dicere cœperunt *de Hac-ca parte*, & abjectâ primâ ſyllabâ, ac omiſſo vocabulo eodem *parte* dixerunt *de ca*, uti pronuntiant Neapolitani, aut *di qua*, ut ajunt Tuſci. At Lombardi mollius pronuntiarunt hanc vocem, pro *Hac-ce* dicendo *Hac-za*, & deinde *za*: quod ipſum Gallica Lingua fecit. Ita ex *Illa*, ſcilicet *parte*, efformatum fuit *Là*, ſyllabâ primâ neglectâ. Attamen vide, quæ ſupra adnotavi ad vocem *Coloro*. Interea exemplum utriuſque vocis, nempe *Zà* & *Là*, præbebit Charta Mediolanenſis, quam autographam vide in Tabulario inſignis Monaſterii Ambroſiani. Ibi Anno MCLIII. occurrit nobis *a XL. Anni in Zà*, *a XXV. in Là*; & *a L. Annis in Zà*, *& a XXX. in Là*. Chartam ipſam accipe.

Sententia Oberti Mediolanenſis Archiepiſcopi in controverſia de Hoſpitali Sancti Ambroſii, agitatâ inter Abbatem Sancti Ambroſij, & Fratres ejuſdem Hoſpitalis, Anno Chriſti 1153.

R*Ecordatio ſententiæ, quæ data eſt a* Domno Oberto *Sanctæ* Mediolanenſis Eccleſiæ *venerabili* Archiepiſcopo *ſuper controverſia, que inter* Johannem Monaſterii Sancti Ambroſii Abbatem, *& Fratres Hoſpitalis, quod Hoſpitale Sancti Ambroſii dicitur, agitabatur. Controverſia autem hec erat. Prædictus ſiquidem Abbas dicebat, ipſum Hoſpitale eſſe de Parrochia Eccleſie Sancti Michaëlis, & per ipſam Eccleſiam, quæ Capella eſt Monaſterii Beati Ambroſii, ad ſe pertinere, atque in ipſo Hoſpitali, tamquam in ſua Parrochia, per Capellanos ipſius Eccleſie Sancti Michaëlis per quadraginta annos & ultra jus Parrochiale libere exercuiſſe viſitando, ſepelliendo, & poſt exequias mortuorum aquam benedictam, & in Vigiliis Natalis Domini aquam benedictam & incenſum in eodem Hoſpitali portando, & alia, quæ ad jus ſpectant Parrochiale exercendo. Ad que vera eſſe monſtranda plures teſtes idem Abbas produxit. Econtra præſcripti Fratres reſpondebant, dicentes, prefatum Hoſpitale nec eſſe de Parrochia Eccleſie Sancti Michaëlis, nec ad Abbatem Sancti Ambroſii pertinere: ita quod in eo per ſe, vel per ſuum Capellanum aliquod debeat divinum exercere officium; ſed affirmabant, ſe liberam habere poteſtatem requirendi Sacerdotem, undecunque vellent, qui in celebrandis divinis officiis ei ſerviret. Ad quod probandum quoſdam adduxerunt teſtes. Quibus ita auditis & diligenter inquiſitis Domnus Obertus Archiepiſcopus, communicato cum fratribus ſuis & aliis Sapientibus viris conſilio, hanc promulgavit ſententiam, inquiens:* Si quinque ex teſtibus, qui a parte ſepedicti Abbatis producti ſunt, videlicet Philippus Monachus Monaſterii Sancti Laurentii Novarienſis, & Landus, & Henricus de Magezate, & Milo & Rogerius de Fabrica, preſtito juramento, quod teſtati ſunt, verum eſſe affirmaverint, & ipſe Abbas per ſuum Advocatum juraverit, quod memoratum Hoſpitale eſt de Parrochia Eccleſie Sancti Michaëlis, jus Parrochiale Eccleſie Hoſpitalis eidem Eccleſie Sancti Michaëlis adjudicamus. *Ibi autem ſtatim in preſentiarum & Abbati & teſtibus juramenta, ſicut in ſententia dictum fuerat, facere paratis a Fratribus ipſius Hoſpitalis fuerunt remiſſa. Et ſic finita eſt Cauſa. Teſtium autem teſtimonium hoc eſt:*

Philippus Monachus dixit: Ego ſteti in Monaſterio Sancti Ambroſii tempore Abbatis Johannis, ſcilicet Guazina. Et vidi Domnum Albertum de Incino, qui ſerviebat Capellam Sancti Michaëlis, ſervire Hoſpitale Sancti Ambroſii per viſitationem & ſepellitionem & incenſum in Vigiliis Nativitatis Domini, & ſepellitionem & aquam benedictam poſt ſepellitionem. Et quando non aderat, ſerviebat pro eo aut Domnus Ubertus, aut Domnus Petrus de Ciſtellago, vel Presbyter Ariprandus de Sancto Vitali, vel Presbyter Machagnus de Sancto Martino, per invitationem Monachorum Sancti Ambroſii. Et hoc vidi per Annos octo & plus a terræmotu infra, & a decem Annis in là.

Milo dixit: Ego ſcio, quod eram Major in Scola Sancte Cecilie; & quidam homo de Hoſpitali nobiſcum erat in ea Scola. Quo mortuo, diximus Guilielmo de Moneta, qui erat Major in Hoſpitali: Si vultis ſepellire eum ad Sanctum Michaëlem, dabimus vobis cilicium, & candelas Monachis Sancti Victoris. Et ipſe dixit: Sepellite eum aput Sanctum Victorem. Et nos ivimus, & invitavimus Monachos Sancti Victoris. Et ipſi dixerunt, quod non venirent ſine Capellano Hoſpitalis. Et affuit Capellanus Preſbyter Petrus de Incino. Et hoc fuit a duobus Annis in Zà, & a Menſe in Là. *Et mecum erat Rogerius de Fabrica.*

Rogerius de Fabrica dixit idem, excepto, quod non dixit, quod prius iviſſent ad Dominum Hoſpitalis, & requiſiſſent ab eo, ſi vellet ſepellire aput Sanctum Michaëlem, & quod promiſiſſent cilicium, & alia. Hec non dixit: ſed dixit, quod invitaverunt Abbatem & Monachos; & poſt queſierunt Capellanum, & habuerunt Presbyterum Petrum, & cetera ſicut Milo.

Lando dixit: Ego vidi Domnum Nazarium Rembaldo bis, & plus, portare incenſum in Hoſpitali in Vigiliis Natalis; & Domnum Aripertum de Bargatio ſimiliter ter portare incenſum; & Domnum Albertum de Incino quater id facere. Et hoc faciebant ex parte Monaſterii. Et vidi eoſdem Sacerdotes ſepellire mor-

mortuos Hoſpitalis aput Sanctum Michaëlem. Sed neſcivit dicere quos. Et hoc fuit a XL. Annis in Zà, a XXV. in Là.

Enricus de Magizate dixit idem quod Lando, a L. Annis in Zà, & a XXX. in Là.

Data eſt hæc Sententia Anno Dominice Incarnationis Milleſimo Centeſimo Quinquageſimo Tercio, Menſe Februarii, Indicione Prima.

Ego Obertus *me hìc p. p. ſubſcripſi.*

Ego Galdinus Archidiaconus ſubſcripſi.

Ego Obitius Archipresbyter ſubſcripſi.

Ego Guifredus Presbyter ſubſcripſi.

Ego Milo Presbyter ſubſcripſi & interfui.

Ego Johannes Presbyter ſubſcripſi.

Ego Stefanus Primicerius ſubſcripſi & interfui.

Ego Ardericus Primicerius Notariorum interfui & ſubſcripſi.

Ego Anſelmus indignus Diaconus interfui & ſubſcripſi.

Ego Adelardus Diaconus ſubſcripſi.

Ego Algiſius Diaconus interfui & ſubſcripſi.


Ego Jordanus Diaconus interfui & ſubſcripſi.

Ego Wilielmus *Diaconus ſubſcripſi.*

Ego Gualterius Subdiaconus ſubſcripſi.

Ego Presbyter Subdiaconus ſubſcripſi.

Pendet hæc Bulla cerea.



Quagliare. Nulla dubitatio eſt, quin ſit ipſum *Coagulare* Latinum, uti *Squagliare*, *Excoagulare*

Qualche. *Aliquis*. Si ſciſcitaris, quæ ſit hujus pronominis origo, Menagius e veſtigio reſpondet: *Dal Latino Qualiſque detto per Qualiſcumque*. At *Qualiſque* ſomniata vox eſt, neque Latinis, aut Barbaris nota, nedum uſurpata. Præterea pro *Qualiſcumque* nos dicimus *Qualunque*, non *Qualche*. Denique alia eſt ſignificatio pronominis Italici *Qualche*, & Latini *Qualiſcumque*. Gallicæ quoque Linguæ eſt *Quelque*. Num ex *Aliquis*, aut *Aliquæ*, enatum *Qualche*, ſubtracto videlicet I. & præpoſito *QVI*. Aut QVÆ: quod in aliis pronominibus factum videtur? Ubi fortè Majores noſtri dixiſſent *Si qua aliqua*, *ne qua aliqua*, ridendam phraſem procul dubio adhibuiſſent, ſed non ita peregrinam, quin cadere in indoctum vulgus potuerit, ac inde ſenſim emergere vocabulum *Qualche*.

Quatto. *Occultus*, *& humi reclinatus*. A *Quattare* ignoto verbo, aut a *Captare*, more aucupum, qui ſeſe reclinati celant,

A vocem traxit Menagius. Neutrum probes, ſi attente conſideres. Arbitror ego, a Germanico *Wachte*, quod *Excubias*, nobis *Sentinelle*, ſignificare dicitur, manaſſe *Quatto*. Vide inter Langobardicas Legem Centeſimam Vigeſimam Octavam Caroli Magni. Ibi *Wactæ* occurrunt: quo nomine deſignarunt antiqui in inſidiis poſitos, aut ad ſpeculandum conſtitutos, an hoſtis adveniret. Hinc noſtrum *Aguato*. *Wactæ*, *Wagtæ*, *Gueta*, *Guetta*, *Guaita*, *Gaita*, pari ſenſu occurrunt apud veteres. Ex eo quod ejuſmodi ſpeculatores reclinati & occulti intenti eſſent in hoſtes, inde *Guacto*, & poſtea *Quatto* prodierit. B Addo tamen, Mutinenſibus eſſe, *Star Quaccio*, ideſt *Tacere*: *Acquacciarſi*, hoc eſt, *a loquendo*, ſeu *vociferando deſiſtere*. Hæc vocabula ex *Adquietare ſe*, traxiſſe videmur. Eſt aliquid analogiæ inter Tuſcorum *Quatto* & Mutinenſium *Quaccio*. Iidem Tuſci dicunt *Rimbrotto*, & *Rimproccio*, Latine *Exprobratio*, *Objurgatio*.

Quello. *Ille*, aut *Illud*. Si Caſtelvetrum audimus, compoſitum fuit Pronomen iſtud ex *Hoc* & *Illud*. Caſtelvetrum ſequutus eſt Cittadinius. Verùm Menagius ex *Ecco Ille*, traxit *Quello*. Sit laus eorum conjecturis, quibus & meam adjungere liceat. C Itaque opinor ego, ex *Qui Ille* efformatum fuiſſe pronomen noſtrum *Quello*, quod primùm fuerit pronuntiatum per *I. Quillo*, quemadmodum in Neapolitana Dialecto effertur adhuc per *Chillo*, ac tandem a nobis converſum extiterit in *Quello*. Ita Cittadinius ex *Hic Iſte* deduxit *Queſto*. At mihi veri videtur ſimilius, ex *Qui Iſte* proceſſiſſe, unde Neapolitani ſuum *Chiſto* efformarunt, qui & habent *Cheſſo*, aut *Chiſſo*, uti ſuſpicor ex *Qui Ipſe*. Noſtrum quoque *Codeſto* ſive *Coteſto* ex *Quod Iſtud*, fuiſſe deductum videtur. Atque hæc dixiſſe licuerit, dummodo D Majores noſtri non pronuntiaverint *Ille* & *Iſte*, quaſi cum aſpiratione, ſcilicet *Hille*, *Hiſte*: tunc enim, ut infra dicam, illud H. evaſiſſet *CH*. Vidi in veterum Codicibus *Heos* & *Hiis* ſcriptum, non verò *Hiſte*, aut *Hille*.

Qui. *Heic*, *Hoc in loco*. Ab *Ecco-Hic*, *Coic*, *Coi*, *Qui* per conſuetas ſcalas ſuas deſcendiſſe putat Menagius. In re prorſus mihi obſcura ut aliquid dicam, vide, an veteres dixiſſe primo potuerint *Hic* addito *I.* nempe *Hichi*, quod apud Francos evaſit *Icy*. Tum dimiſſo *Hi*, retinuerint *Chi*, uti adhuc Mutinenſes pronuntiant; alii verò Italiæ Populi converterint *Chi* in *Qui*. Ad vocem *Guſo* ſupra oſtendi, Germano- E rum more *H.* in vocum initio per *CH.* ſæpe pronuntiatum fuiſſe. Germanis eſt *Hi*, idem atque Latinorum *Heic*. Attamen præſtat adhuc obſcuram vocis originem arbitrari.

R

R*abbuffare*. Vide ſupra *Buffare*.

Raccontare. *Enarrare*. Primitivum hujus verbi eſt *Contare*, quod idem ſignificat. Quum *Contare* ſignificat *Enumerare*, procul dubio a Latino *Computare* prodiit. At ubi *Narrare*: aliam fontem habuiſſe cen-

[illegible] eſt. Gallica Lingua uſurpat *Conter* eodem ſenſu; ſed ſimul habet *Conte*, quo vocabulo ſignificatur *Confictus* aliquis rumor, ſive Fabula. Qui fabuloſum quidpiam enarrabat, fortaſſe primo dictus eſt *Conteur*; ac eadem vox deinde tranſlata ad quamcumque rei narrationem. Ita *Conto* (quod ſupra vidimus) ſignificans *Avvenimento*, originem dedit verbo *Contare*. Sed quare *Conte* appellata a Francis fabuloſa narratio? Id mihi ignotum.

Ragazzo. *Servus ad vilia miniſteria adhibitus*. Mirum videtur, quam Menagius tantum ſuæ phantaſiæ permiſerit, ut ex *Verna* Latino efformatum putarit non ſolùm *Garzone*, ſed & *Ragazzo* Italicum, & Gallicum *Laquais*. In ejus ſententia confutanda non immorabor. Certi aliquid ne ego quidem heic habeo. Suſpiciones tantummodo exeram. Eſt Græcis Ῥάκα, *Rhaca*, vel *Raga*, ſignificans genus aliquod Veſtis vilis, pannoſæ, ſeu laceræ, cujus mentio eſt apud Scriptores Græcos. Honorius Auguſtus Anno Chriſti CCCXCIX. ut eſt in l. 3. Lib. 14. Tit. 10. Codicis Theodoſiani, edicto uſum *Ragarum* interdixit, magnificentiæ & decori Urbis conſulens. *Intra Urbem Romam nemo vel Ragis, vel Tzangis utatur*. Num fieri potuit, ut *Ragatii* appellarentur vilis conditionis homines, quales Servi fuere, quia *Ragis* induti? Habuit & Hebraica, ſeu Syriaca Lingua vocabulum *Raca*, ſignificans hominem nihili, hominem pauperem & abjectum, Matthæi Cap. 5. verſ. 22. *Si quis dixerit fratri ſuo Raca* &c. Num hinc *Ragatii* nuncupati viliores Servi? Adde, Gallicam Linguam, cui eſt *Racaille*, nobis *Ciurmaglia*, *Feccia del Popolo*. Appellati demum fuere *Ragazzi* etiam *Pueri*, qua ratione videmus, *Servos* olim *Puerorum* nomine compellatos. *Ragaziorum* verò mentio apud veteres præſertim in militia occurrere conſuevit. Milites enim (quo nomine tunc deſignati *Equites*) *Ragazios* ſecum adducebant, quibus cuſtodiendos & curandos equos tradere mos fuit; ita ut famuli fuiſſe videantur, ſed vilis conditionis. Dominicus de Gravina in Chronico, Tomo XII. Rer. Italicar. pag. 595. de Hungaris equitibus ſcribit: *Hi unanimi deliberato conſilio, datis equis eorum Ragazinis, unuſquiſque pedes, evaginatis gladiis, concivibus Civitatis mortem minantur*.

Rallegrarſi. *Lætari*, *Exſultare*. Ejus origo *Alacer*, *Alacris*, unde *Allegro*, & addito *R.* inde *Rallegrarſi*.

Ramingo. *Solitarius*, *Vagus*, *Profugus*. De avibus rapacibus hæc tradit Creſcentius, uti animadverterunt Academici Cruſcani in Vocabulario: *Quello, che di nidio uſcito, di ramo in ramo va ſeguitando la madre, e ſi chiama Ramingo, è migliore*. Similitudinis cauſsâ putant iidem Academici appellatum *Ramingo*, *quegli, che va pel Mondo errando*. Etymon hoc arripuit Menagius, illudque & ego lubens laudo. Attamen quum vix ulla intercedat ſimilitudo inter hominem *Profugum* per orbem, ſeu *Solitarium*, & avem *di nido in fraſca*, uti dicere ſolemus, volitantem: quumquilibet etiam hominum gradiens, de loco in locum moveatur, neque propterea quilibet *Ramingo* appelletur: dubitandi locus ſupereſt, an potius ab *Eremus Eremingo* emerſiſſe potuerit, quod poſtea *Ramingo* evaſerit. Nam quod *Ra*, & non *Re* occurrat heic, nihil obſtare videtur, quum & ex *Eremita* efformatum fuerit *Romito*. Ita ex Græco Χελώνη non immeritò produiſſe creditur Lombardicum noſtrum *Galana*, *Teſtudinem* ſignificans, ubi vides *Che* in *Ga* fuiſſe converſum. Uti verò ex *Solus* efformatum fuit *Solingo*, ita ex *Eremus* efformari potuit *Ramingo*. Exemplum etiam a Vocabulario ipſo della Cruſca ſuppeditatur: *Perchè ſtai tu così Ramingo nella Strada?* Ideſt tam *Solus*, tam *Solitarius*. Sit conjecturæ forſitan audaci venia. Mutinenſis dialectus habet *Andare a ſmarengo* pari ferme ſenſu atque *Andare ramingo*. Num ut in aliis vocibus factum eſt pro *Smaringo* Tuſci dixerint *Ramingo*?

Rampicone. *Harpago*. Vide Diſſertationem XXVI. *de Militia*.

Rampino. *Uncinus*. Vide eamdem Diſſertationem.

Rampognare. *Conviciari*, *Acriter Arguere*, *Objurgare*. Suſpicatur Menagius, a *Reimpugnare* deductum fuiſſe hoc verbum. Sed *Rimpugnare* inde emerſiſſet. Neque *Reimpugnare* præbet ſpeciem germanam ſignificationis Italici verbi *Rampognare*. Ego metaphoricum vocabulum ſuſpicor a *Rampone* profectum (*Uncum* dixere Latini, ſive *Harpagonem*), quaſi dure objurgantes aliquem, verbis eum lacerarent aculeatis ac retortis, more Uncorum. Sic Latinis in uſu fuit *Lacerare maledictis*; & Galli habent *Eſtriver*, *Staffilare*, ſcilicet contumelioſis verbis. In hujuſmodi ſuſpicione me confirmat Guilielmus Malmeſburienſis Hiſtor. Lib. 6. quo teſte Guilielmus II. Angliæ Rex in iras erupit, quod Helias Cenomannenſis Comes captus temeraria verba ſibi in faciem exprimeret. *Tunc Willielmus præ furore fere extra ſe poſitus, & Obuncans* (ideſt, ut mihi videtur, *Rampognando*) *Heliam*: *Tu*, *inquit*, *nebulo*, *tu quid faceres?* Idem Lib. 3. de Hildebrando Archidiacono, qui poſtea Sedem Romanam ſanctiſſime tenuit ſub nomine Gregorii VII. hæc habet: *Archidiaconus a longe clamans*, *& Abbatem Obuncans*: *Tu tu*, *inquit*, *male cogitaſti*. In antiquis Gloſſis ab Eccardo editis Tom I. Hiſtor. Franc. Orientalis, legitur *Obunco*, *Objurgo*. Itaque omnino veriſimile eſt, ut illi ab *Unco*, *Obuncare* traxerunt, ita & nos a *Rampone* Italico, ſignificante *Uncum*, deduxiſſe noſtrum *Rampognare*, quaſi *Stracciare con parole pungenti*.

Rampollo. *Germen*, *Surculus*. A Latino *Repullulare*, ſive *Reinpullulare* efformatum fuit. Aut a *Ramus* & *Pullulo*.

Randa. Vide vocem ſequentem.

Randello. *Brevis baculus ſæpe in arcum inclinans*, quo funes ad jumentorum ſarcinas ſtringuntur. Inepte Ferrarius a *Raſtrum* derivavit. *Forſe da Ramus*, Menagius ait, *Ramidus*, *Rambdus*, *Randus*, *Randellus*, *Randello*. Et ſane a Mutinenſibus *Ramulus* appellatur *Ramdello*. Attamen Menagianum Etymon abjiciendum eſt, ac potius deducenda vox e *Rand* Germanicæ Linguæ, ſignificante *Gyrum*, *Circulum*, uti

uti & *Orlo*, *Margine*. Dicimus *la Randa di un volto*, *di un' arco*. Et Artificibus quibuſdam apud nos inſtrumentum eſt, *Randa* nuncupatum, quo utuntur ad deſignandum Circulum in rotis, doliis &c. Propterea enatum vocabulum *Randello* videtur, non ut ſignificetur *Ramus*, ſed quidem ut indicetur aut ejus figura, aut actio, qua gyrando ſtringuntur funes ad clitellas, hoc eſt, circumvolvendo fruſtulum baculi curvati. Vide Tuſcorum vocem *Randagio*, quæ ſignificat hominem aut beſtiam libenter vagantem. A *Gyro* & ipſa deſcendit. Dicimus enim *Girar pel Mondo*, *Girar pe' campi* &c. Mutinenſes pro *Randello* dicunt *Rondanello*. Apud Dantem occurrit *a Randa*, *a Randa*, & ſignificat quod nuper innui a Germanis uſurpatum, nempe *Orlo*, *Margine*, non *Vix*, ſive *Appena*, uti Bembus cenſuit. Potiùs *Raſente*, uti Caſtelvetrus eſt interpretatus. In brevi Chronico Piſano, quod in Collectionem Rer. Italic. intuli, legitur *alla Randa del giorno*, ideſt *allo ſpuntare*, ſive metaphorice *ſull' orlo del giorno*.

Rannicchiarſi. *Contrahere ſe*; *Raggrupparſi*. A *Nicchio*, ſignificante *Concham*, ſive *teſtam* Oſtreorum, derivavit Menagius. Atque ejuſmodi origini acquieſcendum puto. Attamen quum *Concha*, ſive *teſta* proprie non ſeſe contrahat, liceat addere, perpendendum ſupereſſe, num potiùs ex *Rana*, & barbaro-Latino *Ranicula*, efformari potuerit *Raniculare*, *Ranicchiare*: neque enim geminum *N*. obſtat. Sæpe Florentini literas geminant, contemtâ originе vocis, ut ſuam pronuntiationem exprimant. Profectò videas, *Ranas* contrahere ſuos pedes ad corpus; atque illud *Ra* hujuſmodi conjecturæ favet.

Rantolo. *Catarrhus in uvulam* (unde Italicum *Ugola*) *cadens*, *ex quo impeditur vox*. Ita definiunt vocabulum iſtud Auctores Vocabularii Florentini. Mihi potius creditur ita appellatus ſonus quidam, ſeu ſibilus, e gutture, ſive ex uvula, quam catarrhus obſidet, prodiens, dum ſpiritus attrahitur. Hunc ſonum vel inviti emittunt, qui ab ejuſmodi catarrho vexantur, etiamſi minime loquantur. *Aſperitas animæ* eâdem ſignificatione apud Plinium ſeniorem occurrit. Βράγχος autem, ſive *Branchus*, appellata eſt a Græcis *Raucedo*. Menagius, cui nihil difficile, a *Branchus*, *Brantus*, *Brantulus*, *Rantulus*, hac ſcilicet ſcalâ *Rantolo* deducit, ac ſubdit: *Ne viene al ſicuro*; tanta eſt confidentia hominis. Apage. Mihi vocis hujus ignota origo, niſi quod monendus eſt Lector, Mutinenſibus eſſe *Rántica*, idem quod Florentinis *Rantolo*. Senenſibus quoque eſt *Rántaco*, atque ab iis *una vecchia Rantacoſa* dicitur, quæ Florentinis foret *Rantoloſa*. Num ergo *Rántica* appellari potuit hic ſonus, quaſi vox *Errantica*?

Raſcia. Species panni lanei. Menagius inquit: *Credo da Raſum*, *Raſicum*, *Raſicium*, *Raſcium*. Ne crede. E loco, ſeu regione, ubi fabricabatur tela hæc, nomen ipſa ſumſit: quod de tot aliis pannis ac telis factum novimus. *Raſcia* Regnum celebre eſt in Hiſtoria medii ævi. Nunc appellatur *la Servia*, & Populi nomen retinent, *Raſciani* nempe appellati.

Raſpare. *Unguibus terram ſcalpere*. Non incongrue Menagius a Latino *Ruſpari*, vocabulum deductum putat. In hac Etymologia adferenda præceſſerat Franciſcus Junius in Notis ad Tertullianum. Neque inficias ierim, quin *Raſpare* reddi Latine poſſit *Ruſpari*, ſed metaphorice loquendo. Nihil enim aliud eſt *Ruſpari*, Nonio teſte, niſi *Scrutari*, ſive *crebro quærere*. Attamen quum nos Mutinenſes *Ruſpare* & *Raſpare* diverſâ ſignificatione habeamus, opinor propterea, verbum *Raſpare* manaſſe e Germanica voce *Raſpel*, ſignificante *una Raſpa*, ſive ferrum, quo ſuperficies rerum abraditur. Apud varios artifices in Italia hoc idem nomen retinet. Quod quum faciant equi terram pedibus contundendo, & gallinæ unguibus tellurem lacerando, propterea nobis *Raſpare dicuntur*, & Germanis *Raſpen*. Dicimus & *Raſcare* nos Lombardi, Tuſci verò *Raſchiare*. Mutinenſes præterea habent *Razzare*, Tuſci *Razzolare*. Primum eſt artificum *Raſpâ* utentium, alterum gallinarum. Quod eſt ad *Raſchiare*, Gallis quoque eſt *Racler* (fortaſſis olim *Raſcler*) ſed neſcio, illi-ne a nobis, an nos ab illis acceperimus. Fureterio Celtica vox creditur, ſignificans *Raſpe*. Anglis idem eſt *to Rake*, ac nobis *Raſchiare*, & Gallis *Racler*. A *Raſchiare* efformatum *Raſchiolare* frequentativum, quod in *Razzolare* evaſit.

Rattoppare. *Reſarcire*. A Græco Ῥάπτειν deſcendere nequit, uti Monoſinius opinabatur. A *Toppa*, ſignificante fruſtum panni, quod inſuitur veſtibus attritis, vocem derivavit Menagius, qui & addit, pro *Stoppa* dici a nobis *Toppa*: *onde Stoppare*. Sed falſum eſt, Italos umquam adhibuiſſe *Toppa* pro *Stupa*. Diverſum quoque *O*. in *Toppa* & *Stoppa*, diverſam originem indicat. Subdit Menagius: *Da Rattoppare vogliono alcuni*, *ſia formato il Franceſe Radouber*. Sed mirari poſſis, eruditum adeo virum nihil ex iſta luce profeciſſe. Gallicum *Radouber* eſt purum putum *Re-Adouber*. *Adouber* verò eſt noſtrum *Adobare*, de qua voce egi in Diſſertatione LIII. *de inſtitut. Milit.* Florentini nunc ſcribunt *Addobbare*: at olim ſcribebatur *Adobare*. Porro idem erat *Adobare una caſa*, *una nave*, atque domum vel navim rebus omnibus neceſſariis ac opportunis inſtruere. Si male habebatur exempli cauſâ Navis a procellis, a prœliis, tunc neceſſe erat ipſam *Re-Adobare*, ſive *Reſarcire*. Nihil autem aliud videtur *Rattoppare*, verbum Florentinum (a Lombardis neutiquam, ut puto, uſurpatum) niſi idem *Re-Adobare*, more Teutonum pronuntiatum: nam ii *D*. convertunt in *T*. & *B*. in P. Atque inde apud paucos e vulgo Florentino invaluit *Toppa* pro fragmento panni ad reſarciendas veſtes. Eſt etiam Mutinenſibus *Toppare*, ſignificans *Verberare*, & *Menar la Toppa*. Quod neſcio, ortum-ne fuerit e ſono verberum, quem dicimus *Tip-Top*, an potiùs e Germanico *Toben*, ſignificante *Furere*, *Sævire*.

Ravanello. *Raphanus*. Neſcio, quid ſibi velit Menagius, quum nobis hoc Etymon venditat. *Ravus*, *Rava*, *Ravanus*, *Ravanellus*. Noſtrum *Ravanello* eſt ipſiſſimus anti-

A [illegible] R[illegible], [illegible] uſurpatum. [illegible] eſt [illegible], nihilque rei habet cum Latino ſeu Græco Raphano.

Regalo. *Donum*. Ferrarius aut ab Hiſpanico *Regalo*, aut a Latino *Regalis* profectam hanc vocem putat. Illud certum eſt, tum Italos tum Francos, Hiſpanos quoque, & Germanos vocabulo illo uti. Itaque videndum, num Germania tot aliarum vocum mater, quæ per Occidentem effuſæ ſunt, hanc etiam nobis dederit. Apud veteres Italos exemplum hujus vocabuli nondum oſtendi, ita ut ſeriùs ad nos veniſſe videatur.

Rematico. In Vocabulario Florentino, quid vox iſta ſignificet hiſce verbis explicatur: B *Rematico in vece di Aromatico. L'uſiamo per faſtidioſo e fantaſtico*. *Difficilis*. Vereor, ut vim vocabuli fuerint aſſequuti doctiſſimi Scriptores. *Coſe Rematiche*, *affare Rematico*, *azione*, *o roba Rematica* nos dicimus: ideſt rem, negotium, actumve, qui ſi audiatur, horrorem excitet, aut ſi agatur, gravi pœnâ ſit dignus. Mutinenſis vulgi Dialectus reapſe concors eſt cum opinantibus, *Rematico* idem eſſe atque *Aromatico*. Dicimus enim *Roba Romatica*. Sed non eam eſſe veram originem vocis mihi perſuadeo, quum *Rematico*, non *Romatico* meliores dicant. Præterea vocabulo iſto deſignare quodammodo volu- C lumus rem *fætentem*: quod certe proprium non eſt *Aromatum*. Davanzatus a *Rheuma* Græco vocem emerſiſſe cenſuit, quaſi res ingratæ *Catarrhum* moveant. Quod Etymon uti nimis longè conquiſitum nemo amplectitur. Mihi verò videtur ſimilius a *Remo* deductum fuiſſe *Rematico*. Scilicet quum dicimus *Roba Rematica*, ſignificare eſt animus *Coſa*, *Roba da Remo*, ideſt quæ ſi fieret, aut vulgaretur, gravis alicujus criminis reum quempiam proderet. Uno verbo, ſignificare videtur facinus, *Remo*, ideſt Triremis pœna dignum. Exemplum hoc adferunt Florentini e Ciriffo Calvaneo.

D *E portan baſtonacci aſſai Rematici*;

ideſt ſimiles *Remo*.

Ribaldo. Vide Diſſertationem XXVI. *de Militia*.

Ribaltare. Vocabularii Florentini Auctores hanc vocem fortaſſe non ſatis accurate interpretati ſunt; *Dar la volta*, *Mandar ſoſſopra*. A *Volta Voltare*, *Rivoltare*, *Rivoltare*, *Ribaltare*: ita ejus originem nobis exhibet Menagius. Tum ſubdit: *Ovvero da Altum*. *Più m'aggrada la prima opinione*. Poſtrema tamen unice vera. Itaque origo vocis eſt *Ab Alto*, E addito *Re*, ſive *Ri* in principio, quod & in compluribus aliis vocabulis Lingua noſtra facere conſuevit. Uti Latina Lingua ab *Ex Alto* peperit *Exaltare*, ita & *Ab Alto* Italica genuit *Ribaltare*, ſicuti ex *A Baſſo* depromſit *Abbaſſare*. Quotieſcumque ergo *Ab Alto* aliquid præceps agitur, aut effunditur, tunc verbo *Ribaltare* utimur, uti *Ribaltare un vaſo d'acqua*, *Ribaltare una Carrozza* &c. Atque hinc *Ribalta*, feneſtra ſcilicet lignea, quæ *Ab Alto* deſcendit, ſuperiori parte ſuis cardinibus hærens, & inferiori mobilis.

Ribrezzo. *Subitus horror corporis*. Multis verbis fortaſſe nihil nos docuit Menagius, dum opinatus eſt, a *Reprimere*, *Repreſſum*, *Repreſſicium*, *Reprezzo*, *Riprezzo*, deſcendiſſe *Ribrezzo*. Illum, ſi imitari vellem, dicerem & ego, ab *Reobrigere*, & *Reobrigicium* breviato efformatum fuiſſe *Ribrezzo*, quum proprie *Obrigere*, non *Reprimere*, ea vox ſignificet. Sed latiùs dico, ignotam adhuc fateri mihi originem vocis.

Rigattiere. *Propola*. Ferrarius a *Reaptare* derivat hanc vocem. Menagius a *Recratarius*, Latino-barbaro vocabulo. Sed cur *Regratarii* appellati *Propolæ*? Quod (ſubdit idem Menagius) *rigrattando le robe vecchie*, *le abbelliſcono*, *e fanle quaſi parer nuove*. Neque diverſa mens Du-Cangio, *Corradere* deſignatum putat a *Regratare*. Sed aliud quàm *Grattare*, ſeu *Radere*, opus eſt ad reconcinnanda vetera veſtimenta. Quare aut amplectenda Ferrarii ſententia, aut mea, opinantis videlicet, *Regratarios* inde nuncupatos fuiſſe, quod *recrearent*, ſeu refarcirent veſtes, a ſe emtas, ut pluris venderent. Hinc *Recreatarii* dicti, & denique *Regratarii*. Florentiæ *Rigattieri* dicuntur, qui redimunt, ac rurſus venum exponunt non tantùm veſtimenta, ſed & cetera appellata *Maſſarizzie uſate*. Latiùs etiam vox uſurpata fuit interdum, hoc eſt propagata ad emtores victualium. In Charta Ludovici VII. Regis Galliæ, Anno Chriſti MCLXXVIII. ſcriptum eſt: *Regratarii non emant victualia infra Banlivam*. Amicus olim meus Ubertus Benvoglientus, Patricius Senenſis, mihi ob raram eruditionem, etiamſi e vivis ſublatus, ſemper cum veneratione memorandus, in literis ad me datis, vocem *Rigattiere* arceſſendam putabat e vocabulo *Raccatto*, ideſt veſtimentis veteribus recuperatis ſive receptis ut reconcinnentur; dictumque primò *Raccattiere*, ac deinde *Rigattiere*, eâ ipsâ ratione, qua *Banchiere*, *Argentiere*, *Droghiere*, *Drappiere* &c. Senenſes mutato *R.* in *L.* dixere *Ligrittiere*. Et ſane laudanda Benvoglienti conjectura, quum Mediolani adhuc *Recattoni* vocentur, qui victualia, reſque alias emunt, ut cariori iterum vendant. Ii ab Hiſpanis, quibus *Recaton* & *Regaton*, idem ſignificant, hanc vocem mutuati ſunt. Nos Mutinenſes nuncupamus *Rivenderuoli*. Quod ubi ſtatuas, origo vocis erit ab *Re-Accattare*, ideſt *Rurſus Emere*, Gallis *Re-acheter*. Cenſet autem Menagius, *che i Franceſi non han preſo altronde il loro Acheter*, *che vale Emere*, *che da Accattare*, Italico nempe verbo, quod is ab *Accaptare* Latino deducit. Et revera adhuc in Sicilia ac Regno Neapolitano *Accattare*, idem eſt ac *Emere*. Utrum verò Neapolitani a Gallis, an Galli ab iſtis hoc verbum acceperint, incertum eſt. Nam Tuſcis *Accattare* eo ſenſu in uſu eſſe non video, ſed pro *emendicare panem*. Et Mutinenſes *Accattare* adhibent pro *Invenire*. Verùm ſi *Rigattiere* a *Re-Acheter*, ſeu *Re-Accattare* derivatum velimus, *Rechatarius* aut *Raccattarius* efformatum fuiſſet, non verò Latinum *Regratarius*, neque Gallicum *Regrattier*, neque Anglicum *Regrater*.

Rimbeccare. *Repercutere*. Mutinenſibus *Rebeccare*. Nulla mihi dubitatio, quin e *Becco*, ſcili-

ſcilicet *Roſtro*, & ex *Beccare*, ideſt *Percutere Roſtro*, addito *Re*, vel *Re* & *In*, efformari potuerit hoc verbum. Attamen vidi, qui de Conviciis agunt, uti eodem verbo ad ſignificandum *Regerere alicui injuriam*: quo ſenſu videtur natum e *Becco*, ſignificante *Hircum*; quod gravi probro ſibi ducunt viri, præſertim conjugati. Vide ſupra vocabula *Briccone* & *Dileggiare*.

***Rimbrotto**. Exprobratio. Rimbrottare. Exprobrare*. Florentinorum vox. Fuerunt & qui *Rimproccio* & *Rimprocciare* dixerunt, idem atque *Rimbrotto*. Quare agnoſcas, ejuſmodi voces e Gallico *Reprocher* in aliquot Scriptorum Tuſcorum officinam migraſſe.

***Rimproverare**. Beneficia Exprobrare*. Ut omnes norunt a *Reimproperare* deſcendit hoc verbum. Id commemoro, ut noſcas P. in *V*. conſonans quandoque immutatum, quod & in verbo *Sceverare* factum fuit, efformato e *Separare*. Ita pro *Sapere* eſt nobis *Savere*.

***Rincreſcere**. Pigere, Tædere, Moleſtum eſſe*. Non ab *Re* & *Increſcere* Latinorum venit, uti arbitrabatur Menagius: poſcitur enim ab hoc verbo aliquod nomen, ut ſenſum pariat. Neque ab *Ægreſcere* ut Ferrarius ſuſpicatur. Nam etſi primo aſpectu proxima ſit vox iſta, & literarum ſono & ſignificatione, noſtro *Rincreſcere*, attamen *In* ſuum locum heic poſcit. Mihi ergo veri ſimilius eſt, immo pæne certum, Italicum verbum proceſſiſſe ab *Ingraveſcere* Latinorum, uti idem Menagius eſt ſuſpicatus *Grave eſt mihi*, ideſt *Moleſtum*, Latinorum phraſis eſt, qua & nos utimur. *Ingraveſcit mihi*, idem ſignificans, adhibere vulgus cœpit, quod ſenſim in *Incraveſcit*, & compendii cauſſâ in *Increſcit*, *Increſce*, evaſit. Addito *Re*, efformatum fuit *Re-Increſcit*, *Rincreſce*. Fredegarius Chronici Francorum Auctor, qui Sæculo Chriſti VII. floruiſſe creditur, Cap. 60. hæc habet: *Nomina concubinarum, eo quod plures fuiſſent, Increvit huic Chronicæ inſerere*: ideſt *Piguit*. Ab *Ingravere* videntur veteres exſculpſiſſe *Increvit*, nunc nobis *Increbbe*, *Rincrebbe*.

***Riotta**. Rixa, Contentio*. En qualis ſecundùm Menagium origo vocis. *Rixia*, *Rixum*. *Rixutum*, *Rixuta*, *Rixota*, *Riota*, *Riotta*. Facili hac arte quamcumque Etymologiam velis, in manibus habes. Niſi ſit ex Latino *Re-Obſtare*, fortaſſis aut Gallicæ, aut Anglicæ originis vocabulum erit. *Riot* & *to Riot* eſt Anglica vox, etiam ab antiquis ejus gentis Scriptoribus uſurpata, & ſignificat *Exceſſum*, *Violentiam*. Gallis quoque eſt *Riotte*, ſignificans *levem Rixam*, & *Rioter*, *Contendere*. Non omnia a Latinis accepimus. Nonnulla adhuc ſuperſunt vocabula ante Latinos uſitata, complura etiam e Linguis Septemtrionalibus deſumta.

***Ripentaglio** & Repentaglio. Periculum*. Trahit hanc vocem Menagius a *Repente*. Ejus ſententiam, uti veriſimillimam laudo. Verùm quum *Repente* adverbium, niſi aliis additis, minime exprimat ſignificationem Italicæ hujus vocis, perpendendum adhuc eſt, an fortè a *Pœnitere* manarit. *Repœnitere alicujus rei*, ſive *Ripentirſi*, originem dediſſe potuerit voci *Repentaglio*, ſive *Ripentaglio*: quum enim dicimus *Mettere la vita*, *la riputazione*, *la roba* &c. *a ripentaglio*, tacite exprimimus *exponere periculo pœnitendi*.

***Riſcuotere**. Exigere, Cogere, Recuperare pecuniam*. Aſſentiri Menagio non poſſum trahenti hanc vocem a *Scotto*, quod ſignificat *Prandium* in taberna ſumtum, ſimulque *Pretium*, a ſingulis convivis pro cœna exſolvendum. Inde efformatum fuiſſet *Scottare* non *Riſcuotere*: idque etiam *Pagare* potiùs ſignificaſſet, quàm contrarium, uti revera in antiquis Anglorum monumentis *Scottare* eſt *Cenſum Perſolvere*. En certam vocabuli originem. *Excutio* Latinum, & addito *Re* ſive *Ri* (quod ſæpe Italica Lingua facit) *Reexcutio*, *Reexcutere*, dedit nobis *Riſcuotere*. Atque uti ab *Excutere Excuſſio* manavit, ita & Itali noſtrum *Riſcoſſione* confecerunt. Nempe ſecundùm veterem Juriſprudentiam *Excutiebantur* Debitores, ut ex eorum pecuniâ & bonis Creditori ſolveretur; ac propterea ſenſim *Excutere*, quod nunc Italice dicitur *Scuotere*, addito *Ri*, in *Riſcuotere* evaſit. Parco Romanis Legibus, hac voce uſis. In Legibus Salicis Tit. X. l. 7. *Si pecora de damno inclaudantur, aut in domum minentur, & ea quivis expellere, aut Excutere præſumſerit* &c. Heic *Excutere* eſt *Recuperare*, ſeu *Riſcuotere per forza*. Sunt & alia hujuſmodi veterum exempla. Vide tamen apud Germanos *Schoſs*, ſignificans *Tributum*, & *Scoſſer*, *qui Tributum exigit*.

***Riſma**. Viginti quaterniones Chartarum*. Menagium audi: *Da Scapus*, *Scapulus*, *Scapuliſmus*, *Scapuliſma*, *Liſma*, *Riſma*. Tum is improbat Ferrarii Etymon deducentis *Riſma* e Græco Ῥαχάνη. A *Racana* (uti ſcribit Anaſtaſius in Silveſtro Papa Primo) certe nimis diſtat *Riſma*. At nihilo melior, aut propior eſt Etymologia ſumta e *Scapus*, quam vocem pro ſuo arbitrio nimis deformat Menagius. Germanam originem me detexiſſe puto. Græcorum Ἀριθμὸς, Latinis *Arithmus*, hoc eſt, *Numerus*, in *Aritma*, *Ariſma*, *Riſma* ſenſim converſum fuit. Falli nos heic non ſinunt veterum Tuſcorum exempla, quibus *Arithmetica* erat *Ariſmetica*, mutantibus nempe Theta Græcum in *S*. Dantes in Convivio, Paſſavantus, ac alii, eâ voce ſunt uſi. Vide Vocabularium Academiæ Furfuraceæ. Uti veteres Græci ac Latini *Numeros* appellabant *Cohortes Militum*, ita Chartarum faſciculos, ſive quingenta folia, hoc ipſo nomine donarunt. Neque una vox *Riſma* adhibetur ad ſignificandos ejuſmodi faſciculos; ſed *Riſma di Carta* dicimus, ad ſignificandum certum *Numerum Chartarum*. A nobis Galli ſuum *Rame*, graviùs deformando, accepere, ac deinde fruſtra in illius origine expiſcanda inſudarunt. Germanos quoque ſuum *Riem*, & Hiſpanos ſuum *Rezma*, idem ſignificantia, ab Italis traxiſſe puto.

***Riſparmiare**, Sparagnare. Parcus eſſe. Parſimoniam adhibere*. Ferrarius a *Parcimonia*, Menagius a *Parcere* per complures ſaltus ac mutationes minime ferendas, *Riſparmiare* deducunt. Salmaſius, ac idem Menagius, *Sparagnare* Italicum, Gallis *Eſpargner*, trahunt ab *Exparcinare* Latino.

Fec-

Ferrarius ab *Experimentare*. Hæc laudet atque amplectatur quicumque velit. Mihi verius haurienda videtur utriuſque vocis origo ex primævâ & propriâ Germanicæ Linguæ voce *Sparen*, quæ idem ſignificat atque Italicum *Riſparmiare* atque *Sparagnare*, ac Latinum *Parcere*. Namque e *Sparen Sparnimen*, & *Sparniare*, *Sparagnare* efformatum fuit, & addita *Ex*, Gallicum *Eſpargner*. Anglica quoque Lingua, in quam Saxones tantam verborum copiam invexere, adhuc retinet *to Spare*, idest *Sparagnare*. Proinde in Gloſſis vetuſtiſſimis Rhabani Mauri *Parſimonia* Germanice redditur *Spari*. Fuerunt in Italia, qui pro *Sparmiare* dixerunt *Sparmiare*, atque *Sparmio*, & adhuc Mutinenſes ita loquuntur, quum tamen & *Sparagnare* retineant. Huic voci præpoſito *Re*, ſeu *Ri*, Tuſci *Riſparmiare* efformarunt. Ratherius Monachus Laubienſis, ac poſtea Epiſcopus Veronenſis, vir celeberrimus ob inconſtantiam animi atque fortunæ, circiter Annum Chriſti DCCCCL. Librum de Grammatica ſcripſit, cui titulum fecit *Sparadorſum*, quaſi *Parce-dorſo*, *Riſparmia la Schiena*, videlicet a verberibus, ſtudium adhibendo.

Rocca, pronuntiato O. preſſius. *Colus* Latinis. Hanc vocem a *Colus*, aut a Κόλος Græco, Menagius deduxit: Ferrarius a *Colicula*. Piget, me toties a magnis viris diſcedere. Certum puto, profectam ad nos ejuſmodi vocem e Germanica Lingua, cui eſt primitivum vocabulum *Rocke*, & *Rocken*, *Colum* ſignificans. Et ne dubites, utuntur & Belgæ, & Dani, & Britanni voce *Rock* eodem ſenſu. Hi autem Germani, aut e Germanis plerique procreati. Ita in Gloſſis vetuſtis ab Eccardo editis *Colus* Germanice effertur *Roccho*.

Rocca, pronuntiatum O aperto. *Arx* Latine. *Rupes*, *Rupis*, *Rupius*, *Rupia*, *Ruchi*, *Roccia*, *Rocca*: ſive *Rupes*, *Rupicus*, *Rupica*, *Ruca*, *Roca*, *Rocca*. En quantum vocem ipſam detorqueat, ſeque contorqueat Menagius, ut phantaſticam ejus originem nobis venditet. Monoſinio, & aliis Ῥὼξ *Rhox* Græcum ſcaturiginem Italico *Rocca* dediſſe putatur. At numquam Græcis Ῥὼξ *Rhox* ſignificavit *Scopulum.*, *Rupem*, *Saxum ingens*. Neque a *Rupe*, niſi ridendis Menagianis machinis adhibitis, *Rocca* deduci poteſt. Ceterum hoc vocabulo utuntur præter Italos, Galli, Hiſpani, Angli. Opinari licet, apud unum ex his Populis antiquiſſimum illud fuiſſe, ac proprium illius Linguæ, quod ceteri finitimi Populi deinde adoptarint, quum facile militaria nomina de una in alteram gentem migrent. Aut Italis, aut Gallis tribui poſſe videtur, quum nobis *Roccia* Rupem ſignificet a vetuſtis temporibus, & inde nomen *Rocca* prodierit, quod in *Rupibus Arces* fabricari mos eſſet. Habent & Galli *Rocher*, *Rupem* & *Scopulum* ſignificans. Annales Francorum ad Annum Chriſti DCCLXVII. *Roccas* & *Speluncas* memorant. Vide vocabuli ipſius Antiquitatem. Addere tamen lubet, nondum mihi ſuſpicionem ereptam eſſe, ab ipſa Latinorum Lingua potuiſſe deſcendere Italicum *Rocca*. *Verrucam* pro *loco edito*, in quo videlicet *Arces* ſtatui conſueverunt, dixiſſe Latinos, auctor eſt Nonius Marcellus; quam in rem verba Catonis laudat: *Quadringentos aliquos milites ad Verrucam illam ire jubeas, eamque uti occupent, imperes*. In montibus ditioni Sereniſſimi Ducis Mutinæ ſubjectis adhuc ſunt Arces duæ, in loco edito & prærupto ſitæ, quibus *Verrucolæ* nomen eſt, diminutivâ formâ pronuntiatum. Sunt & in agro Lunenſi, Piſano, Veronenſi, Urbinate, & in Monteferrato, atque in aliis locis. Num ergo e *Verrucâ* factum fuit *Verroca*, ac tandem brevitatis cauſsâ exciſo *Ver*, dictum *Roca*, *Rocha*, *Rocca*?

Ronca. *Arme in asta, adunca e tagliente*, ajunt Vocabularii Florentini Auctores. *Da Uncus*, *Unca*, *Runca*, *Ronca*, addit Menagius. Sed illum hoc in loco ſua defecit eruditio. Ex antiquo Latio ad nos deſcendit nomen & uſus inſtrumenti ferrei, quod *Ronca* appellamus. Proprie ruſticorum, & agricolarum eſt, atque inſtitutum ad cædendas herbas, ſepes, virgulta: per accidens verò ad offenſionem, defenſionem-ve hominum adhibitum. *Eruncare* notum verbum apud Latinos, uti & *Runcare*. Sanctus Auguſtinus Lib. 4 Cap. 8. de Civitate Dei: *Præfecerunt ergo, quum Runcantur, id eſt a terra auferuntur, Deam Runcinam*. Inde *Runcones*, *quibus vepres ſecantur*, *a runcando dicti*, ait Sanctus Iſidorus Lib. 20. Cap. 14. Inde etiam *Ronca* noſtrum, & *Ronchetta*, & *Roncone*, & *Runcina*, ævo Caroli Magni uſurpata.

Ronzino. *Mannulus*, Equus minoris ſtaturæ, quibus uti conſuevere agaſones ad ſarcinas deferendas, & ſcutiferi, ſive famuli cum Domino equitantes. Voſſio eſt *Cantherius*, hoc eſt, *Equus caſtratus*, Germanis & Belgis *Ruyn*. Menagio eadem eſt ſententia. Non adſtipulor. *Runcinus* apud Barbaro-Latinos Scriptores occurrit, & ſignificat quemcumque Equum humilis ſtaturæ; neque aliud eſt, quàm diminutivum Germanicæ vocis *Roſs*, ſignificantis *Equum*.. Ejuſmodi Mannum Galli adhuc appellant *Rouſſin*, & Hiſpani *Rocin*, & *Rozin*: nos verò interjecto *N. Ronzino*. Inde etiam apud nos invaluiſſe videtur *Rozza*, *Equus ſtrigoſus*, ſive *invalidus*, quem Academici Cruſcani non ſatis concinne interpretantur *Carogna*.

Roſellia, & *Roſolia*. *Puſulæ* (niſi fortè *Puſtulæ*) Latinis. Morbus Rubris maculis more Variolorum in cute hominum apparens. Ab ipſo colore macularum nomen accepit; *Rougeolle* in Gallico idiomate. Animadvertendum autem, hunc morbum a Mutinenſibus, Regienſibus *le Ferſe*, a Parmenſibus *le Sferſe* nuncupari. Hinc etiam *Sufferſato*, maculas rubeſcento in cute e nimiâ æſtuatione enatas (quod infantulis interdum accidere ſolet) appellamus. Hoc ſi noviſſet Du-Cangius, fortaſſis in Gloſſario Latino non ſcripſiſſet *Ferſa*, *Scabies*. Monet idem Scriptor ad vocem *Sturolæ*, Gallicum *Rougeolle* appellari a Michaële Scoto Cap. 10. de Phyſionom. *Sturolas*, vel *Scurolas*. *Oportet*, inquit Aſtrologus ille, *de neceſſitate*, *quod quilibet homo natus*, *tempeſtive*, *aut tarde*, *habeat quatuor paſſiones inevitabiles*, *ſcilicet Variolas*, *Sturolas*, *Ferſas*, *& Scabiem*

A *biem humidam vel ſiccam* . A ſcopo declinavit heic celeberrimus Du-Cangius. Sub *Ferſarum* nomine *Roſoliam*, ſive *Puſulas*, deſignavit Michaël Scotus . Ergo aliud neceſſe eſt , ſignificare ille voluerit ſub altero vocabulo *Sturularum*. Feminæ Mutinenſes , aliorumque ut puto Lombardiæ Populorum mulieres , appellant *Gazoli* alium ſimilem morbum , quo pueri affliguntur. Latinis *Morbilli* fuerunt, Florentinis ſunt *Morviglioni* . *Sturolarum* voce hunc ipſum morbum *de' Gazoli*, vel *Morviglioni* , delineaſſe mihi creditur Scotus. Adde etiam adagium Italicum : *La Madre non può dir*, *che ſia ſuo il Figliuolo* , *finchè non ha avuto la Ferſa* , *e lo Storuolo* . Quod autem alibi ad vocem *Farſa* idem Du-Cangius adnotavit, nempe Italis *Ferſa* ſignificare *calorem immenſum* , loco Dantis adducto , *Sotto la gran Ferſa de' dì Canicular* : ne ipſum quidem ſubſiſtit : *Ferſa* pro *Ferza* , ſive *Sferza* nihil aliud eſt , quàm *Ferula*, metaphorice ibi adhibita , ad ſignificandos ardentiſſimos Solis radios , qui tellurem & ſtellionem apud Dantem verberant & feriunt . B

Roſta . Ita *Flabellum* a Florentinis appellatur. Lombardis *Flabellum* dicitur *Ventaglio* , *Ventaruola* , *Ventalina* &c. A *Ramus* (adverſante qualibet Etymologiarum lege) Menagius vocem hauſtam putat, quod ſibi perſuaſerit , *Roſta* primò ſignificaſſe *Ramulos frondoſos* , auctoritate Dantis ductus, qui Cantic. XIII. Inferni ait : C

Et ecco due alla ſiniſtra coſta
Nudi e graffiati, *fuggendo sì forte*,
Che della ſelva rompieno ogni Roſta.

Attulere hunc Dantis locum & Academici Cruſcani, qui *Roſta* pro *Ramulo* illic interpretantur. Idem antea ſcripſerant Landinus & Vellutellus in Commentar.. ad Tragœd. Dantis. Sed ſinguli decepti ſunt, quod Lombardicam vocem *Roſta* ignorarint, qua metaphorice eo in loco uſus eſt Dantes. D *Roſta* igitur nobis ſignificat *impedimentum* in canali, aut fluvio poſitum , ne aqua defluat, aut viæ interjectum , ut prætereuntibus tranſitus prohibeatur , ab *Obſtare*, *Reobſtare* deductum, unde *Reobſta*, ac demum *Roſta* efformavimus . *Roſta de Longare* , per quam Patavinis erepta fuit aqua Medoaci ſive Bachilionis fluvii , memoratur in Hiſtoria Rolandini Lib. 9. Cap. 9. Ita *Roſtæ* appellatæ catenæ ferreæ, ac trabes , quibus viæ in Civitatibus intercludebantur , ne Equitatus diſcurrere poſſet . *Arroſtare* etiam dicebant , quo verbo adhuc utuntur ruſtici noſtri . Hoc minime animadverterunt Florentini Vocabularii Auctores . E Vide Annales Bononienſes Matthæi de Griffonibus , Tom. XVIII. Rer. Italicar. ut alios omittam . Nihil ergo aliud apud Dantem eſt *Rompere ogni Roſta della Selva* , niſi *frangere quodvis Obſtaculum Sylvæ* . Antiquus Dantis illuſtrator Benevenutus de Imola in ſuis Commentariis MStis , ita & ipſe locum explicat : *Cum tanto impetu & furore* , *quod frangunt omne Clauſtrum arborum* . Benevenuto *Clauſtrum* eſt idem ac quod apud nos *Chiuſa* , a claudendo alveum fluminis, idemque ſonat atque Lombardorum *Roſta* . Frater Jacoponus Tudertinus, ſynchronus ipſius Dantis, Lib. 5. Cantic. 25. ait :

Le Vitia, *che ſtanno a la naſcoſta* ,
Ciaſcheduno ſi briga d'aiutare ,
Fanno d'accordo tutti inſieme Roſta
Di non voler l'albergo ſuo laſſare .

Ideſt impedimentum ponunt, obices ſtruunt , obſtant . Unde verò Florentinum *Roſta* pro *Flabello* deſcenderit , divinare neſcio, niſi fortè Langobardi , Franci, aut Germani *Flabellum* quadrangulare cum ſuppoſito manubrio intuentes perquam ſimile *Craticulæ* , quam *Roſt* ii appellant , irridendi cauſſâ Flabello nomen ejuſmodi contulerint . In tenebris palpanti poſtrema hæc addidiſſe licuerit . Florentinis eſt verbum *Arroſtare* , *ſe defendendo obniti* . A Lombardo *Roſta* manavit .

Rubiglia . Leguminis genus. Vide Diſſertationem XXIV. *de Artibus Italic.*

S

S*Accomanno* . *Miles prædator* . Vide Diſſertationem XXVI. *de Militia* .

Saggio . *Experimentum* , *Specimen* . Vide Diſſertationem XXVII. *de Moneta* . Vide etiam ſupra verbum *Aſſaggiare* .

Salaſſare . *Sanguinem mittere*, *minuere*, *Venam aperire* . Creditur orta vox e *Sanguinem laxare* breviato . Hanc originem non præſto . Id tantùm animadverto, Germanos pari voce uti dicendo *Ader-laſſen* , ideſt *Laxare Venam* .

Salmaſtro . *Salis ſaporem habens* . E Græco Α'λς, Α'λος, Α'λμὸς deſcendit , ſi Menagio credimus. Latinorum *Sal*, originem certe huic vocabulo dediſſe omnino dignoſcitur . Modus autem obſcurus . Fortaſſis e *Salinaſter* vox prodiit , *N.* in *M.* mutato , cujus exemplum habes in *Excarneus* . Nunc *Scarmo* nos dicimus.

Sapa . *Muſtum decoctum*. Vide Diſſertationem XXV. *de Textrina* .

Sarpare, *Salpare*. *Anchoram tollere* . Vitaſſe hanc vocem deditâ operâ Menagius videtur , quod nempe ejus Etymon aſſequi perdifficile ſit . Meam benevolè Lector excipiat conjecturam . Num Græcum Α'ρπῶ pro Α'ρπάζω, ſignificans *Rapio*, addito in principio *Ex*, originem dedit Italico huic verbo ? *Exarpare* evaſiſſe potuit *Sarpare*, ut ſignificaretur *Rapere Anchoram*, eamque ſurſùm trahere .

Savio . *Sapiens* . A *Sapio* Lombardi traxere *Savere* pro *Sapere*, Florentini verò *Sapére*, penultimâ longâ . A *Savere Savio* . Nam *Saggio* (*Sage* Gallica Lingua habet) derivaſſe videtur a *Sagax* .

Sbadigliare . *Oſcitare* . Ferrarius Latinum *Abhalitare* immutatum in *Sbadigliare* putat . Quis umquam credat ? Menagius (ad vocem *Badare*) Gloſſas Iſidoro tributas laudat , in quibus legitur : *Hippitare* . *Oſcitare* , *Badare* . Atque adeo ſibi perſuadet a *Badare Latino* emerſiſſe noſtrum *Badare* Italicum , immo & alterum *Sbadigliare* . Negat Ferrarius ibi ſcriptum *Badare* , contendens *Abhalare* fuiſſe ſcribendum . Uterque tamen in nubibus ædi-

ad ſe... mihi videtur. Meam nunc accipe ſententiam. Mutinenſes habent *Sbadare*, ſignificans late *Aperire*. *Sbadare la Porta*, *Sbadare le fineſtre*. *Il petto Sbadato*, *la Porta Sbadata*. Hinc *Sbadacchio*, ligni aut ferri fruſtum, immiſſum in os hominis, aut jumenti, ut apertum ſtet, atque ore patente articulare verba non poſſit. Ita *Sbadacchiare* appellamus, quod Latini *Oſcitare* dixerunt, quia tunc os aperitur, aut corpus panditur. At unde nam Mutinenſium *Sbadare*? A Latino *Expando*, quod vitioſe *Expandare* dixerunt. Ita Donizo Lib. 2. Cap. 7. de Vita Mathildis celeberrimæ Comitiſſæ, habet *ſe Proſternare* pro *ſe Proſternere*. *Plaudare* etiam pro *Plaudere* legi. Vide ſupra ad verbum *Chiappare* alia ejuſmodi exempla. Facile verò *P.* in *B.* immutarunt veteres, ut inter antiquos etiam animadverterunt Plutarchus, & Scaurus Grammatici, & plura exempla oſtendunt. Itaque N. detracto ab *Exbandare*, efformarunt majores noſtri *Exbadare*, e quo demum *Sbadare* deduxerunt, atque inde *Sbadacculum*, *Sbadaclum*, *Sbadacchio*, *Sbadacchiare*. Hæc habe de Mutinenſi Dialecto. Quod autem eſt ad *Sbadigliare* Italicum, adnotes velim in primis, e *Pando* venire *Pandiculor* verbum, quod vocant deponens, ſignificans actionem *Oſcitandi*. Plautus in Menechm. Act. 5. Scen. 2. *Ut pandiculans oſcitatur*. Feſti quoque verba ſunt: *Pandiculari dicuntur, qui toto corpore Oſcitantes extenduntur, eo quod Pandi fiunt*. Itaque ab *Expandiculare* efformatum fuit *Esbadiclare*, quod Tuſci in *Sbadigliare*, Mutinenſes *in Sbadacchiare* converterunt. Supra ad verbum *Badare*, ejus originem quæſivi, & ad hunc locum ſententiam meam diſtuli. Itaque puto & ipſum a *Pandere*, corrupte poſtmodum *Pandare* pronuntiato, deſcendiſſe. *Bada al Libro*, *Bada al Cavallo*, *Bada al nimico* &c. nihil aliud eſt niſi *Aperi*, *Pande oculos*, *bada gli occhi* ad objectum illud, hoc eſt intentis oculis rem hanc vel illam intuere. Idem ſignificat *ſenza Badare*, ſcilicet oculis minime converſis, apertiſ ve verſus objectum propoſitum. Dilatata poſtea fuit ſignificatio vocis *Badare*, ut ſit *Fare attenzione*, *Fermarſi a conſiderare attentamente qualche coſa* &c. Litera N detracta fuit e *Pandare*, quemadmodum fuit e *Penſare* nunc *Peſare*; e *Prehenſus*, nunc *Preſo*; e *Menſis*, nunc *Meſe*; e *Tonſare* nunc *Toſare*. Ex ipſo Latino *Pando* apud Latinos non *Panſum*, ſed *Paſſum* venit.

Sbandire. Fugare gentem collectam; aut ab exercitu recedere. Efformatum e *Bando* Vexillo, ſive e *Banda*, quo nomine Itali turmam militarem ſignificarunt. Hinc *Sbandare i Soldati*, aut *Sbandarſi*.

Sbaragliare, *Sbarattare* idem ſignificant, nempe *Diſſipare*, *Diſperdere*. Eadem utrique origo, *Barra* videlicet, ſeu *Sbarra*, hoc eſt *Obex*, *Repagulum*. *Exbarrare* ſignificat *Aperire*, *Tollere obices & impedimenta*. Hinc *Exbarraliare*, *Exbarrattare*, *Disbarattare* &c. quæ nos ad Italicæ Linguæ morem compoſuimus. Inde etiam *Imbarazzare*, *Diſimbarazzare*, *Sbarazzare*, quæ a Gallica Lingua petita ſunt. Eſt autem Gallis *Barre*, Anglis *Barr*, ideſt *Palus Pali*, *Claustrum*, *Fuſtis*. Uſi ſunt & Latino-Barbari Scriptores vocabulo *Barra*. Et quoniam ex *Palis* confici conſuevere *Septa*, & *Repagula* urbium, arcium, & caſtrorum, ideo *Barre*, & *Sbarre* ea appellata ſunt. Atque a frangendo, aperiendo, & diſſipando ejuſmodi Repagula, *Sbarattare*, *Sbaragliare* enatum eſt: quod metaphorice poſtea uſurpatum fuit ad ſignificandam violentam diſperſionem exercituum, aliarumque rerum oppoſitarum. Ita nobis eſt *Sbarrare* pro *Aperire* violente, ac late aliquid antea clauſum. Davanzatus in Tacito: *Sbarrate le porte, ſi voltò contro a' vincitori*. Vocabularii Cruſcani Auctores *Sbarrato* heic interpretantur *Occluſum*, ideſt *Clauſum*. Videndum eſt, an contrarium ibi ſonet. Terere tempus nolo in expiſcandis Davanzati verbis. Erunt etiam, qui *Barra* Latinæ originis putent, quum *Vari*, ſeu *Vara* nomen pro *Furcillis* occurrat apud Varronem, Lucanum, Ovidium, & alios. Eſt quoque Germanis vox *Bret*, quæ *Tabulam*, ſeu *Aſſerem* ſignificat, unde *Breter Zaun*, *Septum ex Aſſeribus*, ſeu *Palancato*. Propius iſta accedere videtur ad *Sbarattare*, & *Sbrattare*, quo verbo familiariùs utimur nos Mutinenſes. Hac autem poſtrema voce ſignificamus *Expurgare*, *Expedire* locum aliquem.

Sbaſire. *Occidere*, *e vita Tollere*. Vox Mutinenſis Dialectus. Tuſcis eſt *Baſire* intranſitive uſurpatum pro *Mori*. Hujus autem verbi originem conjicere quiſquam poſſit referendam eſſe ad Græcos, apud quos Σβέννω, *Extinguo*, dat Σβέσω, ἔσβεσα, σβέσαι. Inde emergere potuit *Sbeſire*, *Sbaſire*. Ego nihil heic affirmo.

Sbigottire. *Terrere*. Trahas quidem a Latino *Expavitare* noſtrum *Spavento*, & *Spaventare*, uti Menagius animadvertit; numquam verò *Sbigottire*, ut ille ſubdit, & Ferrarius conſenſit. Somnium meum exercere liceat. In verbo *Sbigottire* occurrunt mihi geminæ Germanicæ voces. *Bi*, *Got*, ut veteres Germani pronuntiabant, nunc *Bey Got*, ſignificantes *Per Dio*. Num ergo *Bigottire* dici olim potuit pro *Timorem Incutere minando & dicendo*, *Per Dio*? Poſtea additum fuerit *S.* quod aliis noſtræ Linguæ verbis adjectum videas. Hoc potiſſimùm Mutinenſes faciunt. Vide ipſam vocem *Spaventare* & *Spavento*, quod a *Paveo* efluxiſſe nemo neget. Hiſpani quoque Patibulum *Picota* nuncupant, & *Bigotes* appellant *i Muſtacchi*, Latine *Myſtaces*. Inde etiam potuit emergere *Sbigottire*, quod ipſi Myſtaces ad incutiendum timorem a militibus adhibeantur. Fortaſſis & iidem ſic dicti a Germanico *Bi Got*, vocibus familiaribus cuilibet Myſtacibus utenti. Ita alio ſenſu iidem Hiſpani dixere *Pordioſiar*, ideſt *Mendicare*, eo quod Pauperes *amore Dei*, hoc eſt *Por Dios* eleemoſynam petant. Hiſce adde vocabulum Gallicæ Linguæ *Bigot*, ad deſignandum hominem aut affectata pietate utentem, aut hypocritam. Chronica Francorum Tomo 3. Du-Cheſnii, Guillielmus Nan-

A Nangius , & alii Hiſtorici tradunt , enatum vocabulum e vetuſtis Nortmannis , qui ad Chriſti Baptiſmum invitati a Carolo Simplice Francorum Rege , reſponderunt : *Non ſo Bei Got* , ideſt *Non Per Deum* , ſive ut alii ſcribunt , eos libenter aſſenſum dando exclamaſſe *Bi Got* , hoc eſt , *da parte di Dio* . Inde verò Nortmanni appellari cœpti ſunt *Bigothi* . Inter *Bigot* & *Sbigottire* , aliquid affinitatis intercedere ſentias .

Sborrare . Stagnanti alicui fluido , aut liquori impedimenta eripere , ut difluat . Ab *Evaporare* Menagius traxit hoc verbum . At is vim vocis hujus minime eſt aſſequutus . *Borra* nihil aliud eſt , niſi lo- B cus limoſus , in quem defluunt aquæ , & ſtagnant . Dicimus ergo *Sborrare* , quum ſtagnantes aquas , remotis obicibus , e *Borra* emittimus . Hinc metaphorice *Sborrare la collera* , ideſt *evomere* , *emittere iracundiam* , ſeu *virus acerbitatis* ; *Sborare Flati* , nempe *ventris crepitus emittere* ; *Sborrare ſegreti* , *o penſieri* , *che per forza ſtavano chiuſi in petto* , ſcilicet *occultas e pectore cogitationes emittere* , ac ſimilia . Unde verò *Borra* proceſſerit , ſi petas , vide ſupra ad vocabulum *Burrone* .

Scalco . *Architriclinus* . Vide Diſſertationem IV. *de Officiis Domus Regiæ* . C

Scalmare . *Æſtu laborare* . Vide ſupra in voce *Calma* .

Scaltrito , **Scaltro** . *Callidus* , *Aſtutus* . Abſtruſa ſane vocis hujus origo : quare condonandum eſt , ſi heic multis aqua hæſit . Nihil tamen difficile Menagio , cui numquam deeſt ſcala quæpiam, in ejus tamen cerebro fabricata , per quam ad abdita quæque aſcendat . A *Calleo* (nobis nunc *Eſſere pratico* , *Sapere*) ita hanc vocem ille deducit . *Calleo* , *Callio* , *Callitus* , *Callitrus* , *Excallitrus* , *Excaltrus* , *Scaltro* . In hanc opinionem inclinavit etiam Ferrarius . Addit Menagius : *Può anche originarſi da Calce Terere . Calce Tero* , D *Exſcalcetero* , *Exſcaltero* , *Excaltro* , *Scaltro* . Hæc , inquam , mera ſunt ſomnia , nulla veterum auctoritate nixa , quæ ut facile proferuntur , ita facile negantur , atque leves evaneſcunt in auras . *Scaltro* a *Scalptum* derivabat Taſſonius noſter , cui nemo ſubſcribat . Mihi , ni fallor , obtigit poſt non remiſſum conatum , ut fontes attingerem Nili iſtius . *Scaltrire* in uſu fuit antiquis Florentinis , ſignificantibus per eam vocem *efficere aliquem callidum* , *cautum* , *aſtutum*. Inde *Scaltrito* , & compendii cauſsâ *Scaltro* , ideſt *Callidus* , nobis *Accorto* , E *Furbo* , *&c.* Barbarica Sæcula verbum novum , uti tot alia efformarunt , *Cauterire* pro *Cautum efficere* . Vulgus pro *Cauterire* dicere cœpit *Calterire* . Ac demum in principio addidit *S.* quod multis in vocibus factum fuit , augmenti tantùm cauſsâ , ut *Battere* , *Sbattere* : *Bandito* , *Sbandito* : *Calpeſtare* , *Scalpicciare* : *Cacciare* , *Scacciare* : *Cambiare* , *Scambiare* , *&c.* Vide Vocabularium Cruſcanum ad Literam *S.* Mutinenſis præcipue Dialectus facile vocibus in principio *S.* adjicit . Denique e *Scalterire* evaſit *Scaltrire* , *Scaltrito*, *&c.* Telæ hujus filamenta nunc accipe . Pro *Cauterire* invaluit *Calterire* : nam uti Leonardus Salviatus , vir inter Florentinos Scriptores eximius , monuit , *Lalda in vece di Lauda* , Florentini Populi vox eſt , *per più agevolezza , e ſpeziale uſo del noſtro Popolo . Ed hallo per sì dimeſtico , che da cotal pronunzia ſpeſſe fiate non ſa guardarſi nelle voci Latine* ; *e dice talvolta Aldio per Audio* , *Galdium* pro *Gaudio* , *ed altre ſomiglianti* . Tum exempla adfert vocis *Lalde* pro *Laude* . *Laldare* quoque pro *Laudare* occurrit in Vocabulario della Cruſca; & in Vita Felicis MSta , quam ſervat Bibliotheca Eſtenſis , etiam legitur *Oldire* pro *Audire* , *Aldace* pro *Audace* . *Calterire* verò & *Calterito* , ejus exempla habes congeſta a doctiſſimis Auctoribus ejuſdem Vocabularii ; & duplici quidem ſignificatione . Nam primò *Calterire* & *Calterito* a *Cauteriare* , ideſt *Cauterio inurere* , *Lædere* , deduxerunt ad ſignificandum exempli gratiâ , *carne mortificata da una percoſſa* . Nempe occurrit , *che la gemma dell' albero non ſi Calteriſca : che il cavallo non ſi Calteriſſe in qualche parte : coſcienza Calterita : piè Calterito : ulive non Calterite* , *&c.* Secundò eidem verbo ſignificationem dederunt *efficiendi Cautum*. *Calterito* propterea appellarunt hominem *Cautum* , *Callidum* , *Sagacem* , ideſt *Accorto* , *Furbo* . Boccacius in Fabula 79. ait : *Ma ove voi mi promettiate ſopra la voſtra grande e Calterita fede* . Cavalca quoque in Speculo Crucis ſcribit : *Siccome ſavia e Calterita e vergognoſa , e temoroſa non gli riſpoſe* . Agnoſcunt ſane Academici Florentini, eſſe heic *Calterita*, idem atque *Scaltrita* . Dixi , duplicem ſignificationem verbo *Calterire* , & *Calterito* fuiſſe tributam . At nunc addo *Conſcientiam Cauteriatam* , cujus eſt mentio apud Apoſtolum in Epiſtola Prima , Cap. 4. verſ 2. ad Timotheum , Sæculis barbaricis eodem fere ſenſu deteriori ſumtam fuiſſe. In Commentariis ad eamdem Paulli Epiſtolam , qui diu tributi ſunt Sancto Ambroſio , nunc alium habuiſſe Auctorem creduntur , certe tamen antiquiſſimum , hæc leguntur : *Quorum Cauteriatam dixit Conſcientiam* , *hoc eſt* , *Simulatione corruptam* (*piena d'Aſtuzia* , *di Furberia*) . *Quia ſicut Cauterium corium corrumpit* , *& notam infligit* : *ita & Fallacia Conſcientiam* . Præterea Majores noſtri , errantes tamen , *Cauterium* putabant efformatum ex *Caveo* & *Cautus*. Iſidorum vide . Quare nil mirum , ſi *Cauteriare*, ſive *Cauterire* accipiebant pro *Cautum reddere* . Senſim verò pro *Calterito* invaluit *Scalterito* & *Scalteritamente* , quarum vocum itidem exempla præſto ſunt in Vocabulario Cruſcano . Denique contracto vocabulo efformatum fuit *Scaltrito* , & compendioſius demum *Scaltro*, cujus originem quærebamus . Sunt , qui ægre ferunt , exhiberi in eodem Vocabulario voces quaſdam jamdiu antiquatas , & obſoletas nimis , quarum nullus uſus nunc eſt, ſuperfluam arbitrantes eorum memoriam . Falluntur . En ut veterum vocabulorum notitia ad detegendas Linguæ noſtræ origines optime inſerviat . Denique ad intelligendos antiquos Scri-

prorſus, eorum perſpectam habere ſignificationem neceſſe omnino eſt.

Scampare, *Scappare*. *Evadere*, *Fugere*. Non a *Gamba*, *Gamba*, ut Ferrarius opinabatur, ſed a *Campo*, uti plerique Etymologiſtæ docuerunt, efformata fuit vox, idest *Excampare*, *e Campo Fugere*. Animadvertendum tamen eſt, non de omni *Campo* hic agi, ſed tantum de *Campo*, idest *Prælio* & *Exercitu*: nam ſub iſta ſignificatione vox *Campus* olim uſurpata fuit, & adhuc uſurpatur a nobis pro Exercitu in campos educto. Ita Galli ajunt *Decamper*, & *Eſchapper*, atque Angli *to Eſcape*. Furetierius a *Scaphare*, hoc eſt, *e Scapha evadere*, aut a Celtica voce *Achap*, Gallicum verbum derivat. Veri ſimilius eſt, olim *Eſcamper* dictum, deinde converſum fuiſſe in *Eſcaper*, *Eſchapper*. Ita *Eſgarer* Gallis, quod *Aberrare e via* ſignificat, non a *Varare*, neque ab *Aguarer*, ut ii opinantur, ſed ab *Ex* & *Scara*, nunc *Schiera*, Latine *Acies* (ſubintelligendo *Declinare*, *Aberrare*) enatum videtur. *Eſcarare* ſenſim in *Eſgarare*, Gallice *Eſgarer*, commutatum fuit. Mutinenſium Dialectus habet *Sgarare* pro *Falli*, *Errare*.

Scandelli. Leguminis genus. Vide Diſſertationem XXIV. *de Artibus Italicorum*.

Scanſia. *Pluteus*, in quo per ordines varios collocantur Libri. *Scancia* etiam appellatur, unde Florentini efformarunt *Scanceria*, vocem Lombardis ignotam. Audi Menagium, imperterrite hæc de horum origine tradentem. *A Scrinium*, *Scrennum*, *Screnum*, *Scrennum*, *Scrannum*, *Scannum*, *Scannicum*, *Scannicium*, *Scannicia*, *Scancia*. Aut ludit, aut ſibi illudit Menagius. E *Scando*, ideſt *Aſcendo*, *Scanſilis* efformavere Latini. Tum Latino-barbari *Scanſilia* appellarunt *Pluteos*, in quibus varii rerum ordines gradatim diſponerentur, ſive quod ſcandere opus eſſet, ut inde res ipſæ, & Libri, exempli cauſſâ, ſumerentur; ſive ut mihi videtur veri ſimilius, quod ita ordines (*le file*) diſpoſiti eſſent, ut unus ſuper alium conſurgeret, & ex infimo gradatim ſcanderetur ad ſupremum. *Scandulæ* eâ ipsâ de cauſſâ appellatæ creduntur a nonnullis tabulæ, ſive aſſulæ illæ, quibus olim tecta (uti & nunc in aliquibus Italiæ locis videmus) gradatim contegebantur, quemadmodum monui in Diſſertatione XXI *de Statu Italiæ*. Illas tamen alii a *Scindo*, *Scindulas* nuncupare malunt. Hac etiam de cauſſâ recte puto deductum a Menagio Etymon vocis *Scandaglio* & *Scandagliare*, non quidem a *Scandulis*, ſed a *Scando*, quum inſtrumenta, quibus altitudinem aquæ, vini, aliarumque rerum perſcrutari olim mos fuit, ordines nodorum aut ſignorum fortaſſis habuerint, unum ſupra alterum gradatim ſcandentes, ut menſura facile colligeretur.

Scaramuccia. *Velitatio*, ***Levis Pugna***. Recte Menagius & Carolus Datus e Germanico *Schirmen*, non verò a *Scaris*, uti Ferrarius, deduxere hanc vocem. Eſt enim nobis *Scherma*, ***una battaglia da burla***, ***ficta pugna***. Huic ſimilis *Velitatio*. Sed quomodo e *Scherma* enatum *Scaramuccia*? Quia aut Germani milites, *Schermuſi*, ſive *Scarmutzel*, leves ejuſmodi concertationes appellabant, aut Lombardi per diminutivum *Schermuzza* dicebant, unde *Schermuzzare*: quæ ſenſim, præcipue apud Tuſcos, evaſerunt *Scaramuccia*, & *Scaramucciare*. Sed & Johannes Villanius dixit *Schermugio* pro *Scaramuccia*, & Jacobus Hemricurtius de Bellis Leodienſibus, *Skermuche*: quæ veram originem vocis indicant. Quare cadit Etymon propoſitum a Du Cangio, immo & definitio vocis *Scaramutia*; is enim putat, *Scaramuccia proprie eſſe conflictum eorum*, *qui ex inſidiis emergunt*. Vocem verò deducit e *Scara*, *Schiera* Italice, & *Muccire*, quod, ut is ait, *Italis eſt Occultare*, *noſtris* (ſcilicet Gallis) *Muſſer*. Sed tanti viri pace, numquam Italica vox fuit *Muccire* pro *Occultare*. Tolerabilius ille dixiſſet, hanc vocem profectam e *Scara* & *Mucciare*, quod in Vocabulario Cruſcano ſignificat *Irridere*, quaſi *Scaramucciare* dictum fuiſſet *Scarâ Ludere*. Verùm & iſta ſunt explodenda, & præcipue quod eo ſenſu unus Matthæus Villanius *Mucciare* dixit, neque ſine errore, ut redderet Gallicum *Moquer*, quod Italice reddendum erat *Mocare* vel *Muccare*. Ceterum Dantes, Frater Jacoponus Tudertinus, & alii veteres *Mucciare* adhibuerunt, ut ſignificarent *Fugere*, *Scappare*. Unde verò natum id verbum (nunc prorſus obſoletum) fruſtra Menagius quæſivit.

Scardaſſare. *Carminare* Latinis, ut Vocabularii Cruſcani Auctores ajunt. Non ſilendum tamen, Mutinenſibus *Scarminare la lana*, *Scarminare i capelli*, eſſe tantummodo eos digitis ſive unguibus attrectare, atque lanam a ſordibus expurgare. *Scartazzare la lana* Mutinenſibus iiſdem eſt *Pectere tabulis*, e quibus uncinuli ferrei prominent, quas *Scartazze* appellamus. Eadem fortaſſis apud antiquos Romanos ſignificatio fuit verbi *Carminare*. Vocem verò *Scardaſſare* Menagius inſalutatam dimiſit. Ejus origo a *Carduis* mihi creditur, quod iis ſimul junctis olim lana pecteretur, quibus ſucceſſere *Cardui ferrei*. *Carduatia* primò natum, inde *Carduatiare*, *Cardaſſare*, & addito S. more Italico *Scardaſſare*. Galli & ipſi uſurpant *Carde*, *Cardaſſe*, *Carder*. Anglis eſt *to Carde*, & Germanis *Kartiſche*, quod Italis *Scardaſſare* & *Scardaſſa*, Mutinenſibus *Scartazza*, qui hoc vocabulo utuntur, quum de Lana pectenda agitur; quum verò de Lino pectendo loquuntur, peculiarem hanc alteram vocem adhibent, nempe *Spinazza*, tabulam ſcilicet, e qua ferreæ cuſpides in ſpinarum modum acutæ prominent. *Lanam Carere*, ſecundâ ſyllabâ brevi, pro *Pectere* Plautus dixit in Menæchm. Act. V. Scen. II. Ab ipſo *Cárere* nomen *Carduus* natum arbitratus eſt Voſſius. Sed hiſce addendum nunc eſt, videlicet, quæ de *Carduis* hactenus dixi, ſi ad Botanicorum tribunal deferantur, male conſuta poſſe deprehendi. Ut enim Matthiolus in Dioſcorid. animadvertit, ad lanificium *Cardui* revera non adhibentur, ſed *Echini*, quorum plantam Græci *Dipſacum*, Latini

La-

Labrum Veneris dixere . Nos Mutinenſes, aliique finitimi Populi eos nuncupamus *Sgarzi* , alii verò *Garzi*, unde evaſit verbum *Sgarzare*, quum nempe hiſce *Echinis* educuntur pili e pannis laneis . Durat adhuc uni viæ Urbis noſtræ nomen *le Sgarzerie* , inditum , quum Ars Lanaria apud nos efflorebat . At quoniam *Labrum Veneris* ab Etruſcis *Cardo* & *Cardone* , & a Germanis *Kartendiſtel* , Matthiolo ipſo teſte , appellatur , vides verbi originem *Scardaſſare* ab eodem ſemper fonte eſſe petendam . In Capitulari Caroli Magni de Villis, Tom. I. Capitular. Baluz. pag. 337. ad textrinam miniſtrari jubentur *linum* , *lana* , *pectines* , *laminæ* , *Cardones* , *ſapo* &c.

Scarpa . *Calceus* . Vide Diſſertationem XXV. *de Textrina* .

Scarſo . *Parcus* , *Mancus* , *Exiguus* . Ut originem vocis hujus attingerent , mirum in modum ſe torſerunt Ferrarius & Menagius . Ille a *Decreſcens* , hic ab *Exparcus* traxit : ſed uterque mira , neque credenda congeſſit . Vix falli me putem , quum dixero, ab *Ex* & *Carpo* vocabulum hoc emerſiſſe . *Excerpere* eſt , portionem ex integra maſſa ſive acervo detrahere : & quæ *Excerpta* dicuntur, indicant minus aliquid in comparatione majoris numeri , aut molis : quod ipſum *Scarſo* ſignificat . Atqui veteres Italici deformantes Linguam Latinam , *Excarpo* pro *Excerpo* dixere , & *Excarpſi* pro *Excerpſi* , & *Excarpſum*, ſive *Excarſum* , pro *Excerptum* . Tamdem ab *Excarpſum* effecere *Eſcarſo* , deinde *Scarſo* . Olim Galli & ipſi dicebant *Eſcars* . Angli verò habent *Scarce* , *Rarus* , *Scarſo* , & *Scarceneſs* ac *Scarſity* , quod eſt noſtrum *Scarſezza* , *Parcitas* . Belgæ quoque *Schaers* dicunt : quæ voces eamdem originem habent cum Italico *Scarſo* . Deinde tranſlata vox ad homines plus quam deceat , *Parcos* . Neque dubitandum de corruptione verbi *Excerpo* , quam innui . Nam uti Du-Cangius in Gloſſar. Latin. animadvertit , in Concilio Turonenſi II. Anno Chriſti DLVII. Cap. 21. legitur *Placuit etiam de voluminibus Librorum pauca perſtringere , & Canonibus inſerere , ut Scarpſa lectio de aliis in unum recitetur ad Populum* : hoc eſt , ut *Excerpta lectio de aliis* voluminibus &c. Ita ex Codice Belluacenſi Sirmondus textum hunc deſcripſit . In Collectione Andegavenſi legitur : *Scarpſum de Epiſtola Leonis ad Ruſticum* , pro *Excerptum*. Vide etiam Baluzium Tom. 2. Capitular. pag. 1067. Inter vetera Analecta a Mabillonio Cl. Viro edita pag. 65. noviſſimæ editionis , occurrit *Libellus Abbatis Pirminii , de ſingulis Libris Canonicis Scarapſus* : ſcribendum profectò *Scarpſus* , ideſt *Excerptus*. Ex his plane habes corruptionem verbi *Excerpo* & *Excerptus* , ſimulque antiquitatem vocabuli Latino-Barbari *Scarpſus* , quod idem eſt ac Italicum *Scarſo* . Neſcio , an irriſionis cauſsâ natum forte fuerit *Scarſella* , ſignificans *Manticam* , quaſi ibi parum pecuniæ plerumque lateret . Eſt Gallis & Hiſpanis hæc ipſa vox , cujus origo adhuc mihi ignota .

Scatola . *Pyxis* . Derivat hanc vocem Menagius a *Capſa* , *Capſula* . Ferrarius vel a *Capſula* , vel a *Scafula* , vel a *Caſtula* . Divinationes inanes . Ex Germanico *Schachtel*, vel *Schatul* , quod ſuæ Linguæ primitivum vocabulum Mathias Cramerus putat , Italicum *Scatola* manavit .

Scemare . *Minuere* . Ferrarius ab *Eximere* , Menagius a *Semiſemus* . Utriuſque ſententia improbanda mihi viſa fuit in Notis ad Legem 68. Lib. 6. Legum Langobard. Liutprandi Regis , Part. II. Tomi I. Rer. Italicar. pag. 75. Aut a *Semis*, aut a *Simus* petenda potius origo iſtius verbi . In Capitular. ad Leges antiquas Alamannorum apud Baluzium legimus : *Si quis auriculam Simaverit , ſolvat Solidos viginti* . *Scematio* & *Sematio corporis* occurrit in Legibus Langobardorum .

Scerre . *Da Eligere s'è fatto Scerre* , inquit Corbinellus in Libr. Dantis de Vulg. Eloquent. *E dice bene* , addit Menagius. Immo a *Seligere*, quod fuit converſum a nobis in *Scegliere*, unde per Syncopen efformatum fuit *Scerre* .

Scheggia . *Fruſtulum e lignis ſciſſis* decidens . A Græco Σχίζω Monoſinius ; a *Schidia* Menagius deducunt . In alteram ex hiſce ſententiis e veſtigio concederem , quæ tamen in idem recidunt , niſi me remoraretur aliquantulum Germanica Lingua , cui antiquiſſima & propria vox eſſe dicitur *Scheit*, idem ſignificans ac noſtrum *Scheggia* . Niſi & ipſi Germani e Græco aut Italico ſermone ſuum *Scheit* fuerint mutuati , nos facilius ab iis, quàm a Græcis, ut complura alia , hoc etiam vocabulum accepiſſe videmur . Animadvertiſſe id tantùm ſufficiat , quum alioqui agnoſcam & ego Græcum *Schidia* egregie reſpondere Italico *Scheggia* .

Schiacciare . *Contundere* , *Confringere premendo* . Tuſcorum vox eſt. Nobis Mutinenſibus eſt *Aſchizzare* . Et heic diſcedere cogor a Ferrario , & Menagio . Ille a *Guaſſare* ignoto verbo ; hic ab *Exguſciare* ſuſpicatur verbum iſtud fluxiſſe . Neuter animadvertit , hoc eſſe Gallicæ Linguæ , nempe *Eſacher* . Baileyus etiam Britannicus Etymologiſta minime perſpexit Anglicum *Squash*, aut *Squeeze*, idem eſſe, ac Gallicum *Eſcacher*, & noſtrum *Schiacciare* . Gallicum verò *Eſcacher* non audeo ego enatum credere ex eorum verbo *Caſſer* , idem ſignificante . Ipſum verò *Caſſer* Gallicæ Linguæ a Latino *Quaſſare* deſcendiſſe, uti idem Menagius contendit, ſupra negavi ad verbum *Caſſare* , quod vide .

Schiaffo . *Colaphus* . Etymon a Menagio & Ferrario propoſitum non improbo. Nempe ex ipſo Latino *Colaphus* , immutato in *Claphus* , & addito *Ex* , emerſiſſe *Exclaphus* , Italice redditum per *Schiaffo* . Si tamen Germanicæ Linguæ vetuſtiſſimum foret vocabulum *Schlappe Colaphum* ſignificans , quo nonnulli Germaniæ Populi utuntur , mihi veri videretur ſimilius , ex ipſa Germania arceſſendum eſſe Italicum *Schiaffo* , pro *Schiappo* a Majoribus noſtris pronuntiatum . Inquies : Germani fortaſſis ab Italis ſuum *Schlappe* accepere . Sit ut velis . Durum ſemper fuit , e *Colaphus* prodiiſſe *Schiaffo* .

Schiatta . *Genus* , *Stirps* , *Progenies* . Nemo ſub-

ſubſcriber Menagio vocem hanc derivanti e *Planta*, *Explanta*, *Schianta*, *Schiatta*. Nam, inquit ille, ab *Explantare* Caſtelvetrus monuit, deductum fuiſſe *Schiantare*. At hoc ipſum falſi arguit Menagianam Etymologiam, quum illud *Ex*, ſive *S.* Italicum, contrarium producat ſenſum, hoc eſt *evellere Plantam*, non propagare Plantam, ſive continuare Progeniem. Præterea quomodo *Anta* illud converſum fuit in *Atta*? Mihi omnino creditur ex Germanica Lingua ad nos vox iſta veniſſe. Nam, uti exempla a Schiltero producta fidem faciunt, antiquitus Germanis in uſu fuit *Schlachte*, *Slachta*, *Slatha*, ſignificans *Genus*, *Progeniem*. Id ab Italis acceptum, evaſit *Schiatta*. Perdurat adhuc apud Germanos *Geſchlecht*, idem ſignificans, additâ nempe particulâ *Ge*.

Schiera. *Turma*. Fruſtra Latinum *Spira* huc per vim traxit Menagius. Nulla dubitatio ſupereſſe poteſt, quin ex Germanico *Scara*, nunc *Schare*, aut *Schaer*, prodierit, uti Voſſius, & alii antea animadverterunt. Neque Teutonicum *Schar* e *Squadra* Italico manavit, uti Ferrarius eſt opinatus. Nam *Squadra* & *Squadrone* aut e *quadrata acie*, apud Latinos memoratâ, originem traxit, aut ab ipſa Germanica Lingua, cui eſt *Geſchwader*.

Schietto. *Purus*, *Merus*, *Simplex*. Ab *Exlectus* Menagio, ab *Excretus* Ferrario deducenda vox videtur. Mihi e Germania vox hæc ad nos deſcendiſſe creditur. Illi quippe Linguæ eſt vocabulum *Schlecht*, ſignificans *Simplex*, *Purum*, hoc eſt, idem, quod nobis *Schietto*, atque Italice redditum dat purum putum noſtrum *Schietto*.

Schifare. *Vitare*, *Declinare*, *Abhorrere*. Menagius contra omnem veriſimilitudinem aut a *Schifo Naviculam* ſignificante, aut a *Scappare*, deduxit hoc verbum. Corbinellius & Ferrarius a *Cavere*, *Excavere*, *Exchifare* non immerito traxerunt. Mihi tamen veri videtur ſimilius, vocem quoque illam ex Germania ad nos rectâ migraſſe. Quippe Germanis *Scheu*, vox ejus Linguæ, ut creditur, propria, ſignificat *Abborrimento*, *Orrore*. Inde noſtrum *Avere a Schifo*, & *a Schivo*, ſignificat *Abhorrere*, *Faſtidire*. Uti verò Germani inde confecere *Scheuen*, ideſt *Abominari*, & *Evitare*, ita & nos *Schivare* efformavimus, quod Lombardi unice uſurpant, Tuſci vero æque *Schivare*, *V.* conſonanti preſſe pronuntiant, & converſo in *F* dicunt *Schifare*. Ex eodem Germanico fonte (niſi potius rectâ a nobis) Galli derivarunt *Eſquiver*, & Britanni *to Eſchew*. Veram Gallicæ vocis originem ignoravit Paſquierius, ut & Borellus. Num verò Germani ex Latino *Excavere* depromſerint ſuum *Scheuen*, aliis decernendum relinquo.

Schiuma. *Spuma*. Ab hac ipſa Latina voce Italicam deſcendiſſe Menagius putat. Sed hanc nobis Germanica potius Lingua ſuppeditaſſe videtur, quum ei ſit *Schaum*, idem ſignificans. Hinc ab Italis factum *Schiuma*, ac deinde *Schiuma*. Inde etiam Dani ſuum *Skum* hauſere, Angli ſuum *Scum*, Galli *Eſcume*, & Islandi *Scum*.

Schizzinoſo. *Delicatulus*; *qui facile perturbatur*. Non attigit hoc vocabulum Menagius. Equum *Phantaſticum* (nos appellamus *Capriccioſo*, *Ritroſo*) Britanni nuncupant *Skittiſh*, ejuſque qualitatem *Skittiſhneſs*. Affinitatem aliquam vocis & ſignificationis heic habes. Attamen videndum, an potius e *Schizzare* natum fuerit *Schizzinoſo*. De Liquoribus, ſive liquidis rebus compreſſis, & erumpentibus dictum fuit *Schizzare*. Ad eorum ſimilitudinem in iram Delicatuli facile erumpunt. Unde verò *Schizzare* prodierit, fruſtra quæſitum a Ferrario, Berteto, Menagio, & aliis. Ortum fuiſſe a *Schieſſen* Germanico, mihi perſuadeo, quod verbum in eorum Lingua præter alias hanc etiam ſignificationem habet, & Italice redditum fuit *Schizzare*. Inde multa compoſita apud illos occurrunt.

Scirocco. *Eurus ventus*. Ab ipſo *Euro* machinis adhibitis invitam hanc vocem Menagius trahere conatus eſt. Arabicæ originis eſt. Hunc enim ventum, ſive *Vulturnum*, Arabes *Soroqon*, ſive *Sorocon* appellant. Hiſpanis eſt *Siroco*, aut *Xaloque*. Inde & ipſi didicerunt. Taſſonius V. Cl. Mutinenſis in Notis MStis ad Vocabularium Cruſcanum putat, a *Syria* efformatum fuiſſe Ventum *Scirocco*. Laudandum & hoc Etymon. Ita ventus *Libecchio*, quod ex *Lybia* veniat, nomen ſuum accepit.

Sciugare. *Siccare*. Vide ſupra ad verbum *Aſciugare*.

Scompigliare. *Perturbare*, *Confundere*. Menagium audi: *Forſe da Excomplicularo*. *Plica*, *Plicula*, *Pliculare*, *Complicularo*, *Excompliculare*, *Scompiegulare*, *Scompigliare*. Multum laboravit, ut nihil nos edoceret. Longius etiam ab hoc Etymo receſſit Ferrarius, a *Combullire* vocem iſtam derivans. Ante pedes originem hujus verbi habemus, neque illam perſpexere Viri docti. Ab *Excompilare* venit. Nempe *Compilare*, auctore Feſto, etiam apud antiquos Latinos ſignificavit *Cogere*, & *in unum Condere*. Quare ſequiori ævo *Compilare Librum* dicebantur Auctores, qui aliunde ſumtas ſententias in unum Librum inferebant, atque *ordinabant*. Dantes quoque Cant. Purgator. 21. *Compilare* adhibuit pro *Ordinare*. Propterea invaluit *Excompilare*, verbum ſignificationis contrariæ, quod proprie ſignificat *rem Ordinatam perturbare*, Italice *Diſordinare*, *Porre in Diſordine*. Hinc pro more Linguæ noſtræ verbum ipſum *Excompilare* evaſit in *Scompilare*, *Scompigliare*. Brevius Mutinenſis Dialectus pronuntiat *Sgombiare*.

Scorgere. *Cernere*, *Diſcernere*, *Perſpicere*. En Menagii verba: *Da Excorrigere*, *cioè Dirigere*. *Il Signor Ferrari da Cernere*. *Non ſi può*. Et revera ab *Excernere* prodiit *Scernere*, non vero *Scorgere*. Sed neque ab *Excorrigere* efformari potuit *Scorgere*, uti opinatur Menagius. Utriuſque vocis ſenſum compone. *Scorgere* apud Tuſcos (neque enim Lombardiæ Populis in uſu eſt hoc verbum) ſignificat aut *Intueri*, aut *Ducem ſe alteri præbere*. Quid rei, amabo, eſt verbo huic cum *Corrigere*, cujus familiaris ac uſitatior ſignificatio eſt *Emendare*? At unde tu hanc vocem deducendam putas? inquis. Conjecturæ veniam

niam imploro. Olim belli tempore, uti & nunc, quum commeatus deducebantur ad caſtra, aut ad arces, adjungebatur equitum turma, qui cuſtodiæ cauſâ cum curribus & jumentis comitabantur. Horum mos fuit *Excurritare*, ut diſcernerent, an hoſtis adveniret, inſidiæve poſitæ fuiſſent. *Scorridori* propterea ſunt appellati. Ab *Excurritare* detracto *I.* emerſit vox *Scortare*, qua voce adhuc utuntur Galli, utimur & nos. Inde etiam *Scorta* noſtrum, & Gallicum *Eſcorte*, quod non a Latino *Cohors*, ut quidam opinati ſunt, ſed a *Scortare* deſcendit. Florentini verò e *Scortare* & *Scorta* efformaſſe videntur verbum *Scorgere*, eique duplicem ſignificationem indidiſſe ex gemina actione militum *Excurſantium*. Nam primò ſignificarunt *Præire*, *Ducem ſe præbere alteri*, uti Petrarcha:

Scorgimi al miglior guado.

Munus autem fuit militum prædictorum *Deducere*, ac *Præire* commeatuum vectoribus. Altera ſignificatio fuit *Intueri*, aut *Perſpicere*. Scilicet cuſtodes ii milites ſolicite perſpiciebant, ne hoſtes & pericula commeatui in via imminerent. Eâdem ratione ex Germanico *Warten*, ſignificante *Cuſtodire*, efformarunt Itali *Guardare*, quod æque ſignificat *Aſpicere*, atque *Cuſtodire*. Latini quoque *Obſervare* adhibuerunt duplici ſignificatione, ſcilicet pro intentis oculis *Intueri*, & *Cuſtodire*. At petas, quei Tuſciæ Populus efformare potuerit e *Scorta Scorgere*. Alterum verbum eſt Italicæ Linguæ commune, quo ſcilicet & nos Lombardi utimur, hoc eſt *Accorgerſi*, *Accorto*, ſignificans *Animadvertere id*, *quod antea latebat*. Ad ejus ſimilitudinem Tuſci procudere potuerunt *Scorgere*. Utrum vero *Scorgere* & *Accorgerſi* ejuſdem ſint originis, alii decernant. Mihi veri videtur ſimile (quod jam ante me alii ſunt arbitrati) *Accorgerſi* proceſſiſſe ab *Adcorrigere ſe*. Quum nempe aliquid credimus, quod poſtea aliter ſe habere animadvertimus; aut aliquid antea latens detegimus: tunc dicimus *Accorgerſi*, ideſt *Corrigere ſe*, ſive errorem antecedentem, aut incogitantiam noſtram. Etymon iſtud Ferrario nequaquam probatur. Nihil obſtat, quominus veri ſimilitudinem in eo nos reperiamus. Contra, ſi quid video, Ferrario ipſi nemo aſſentiatur, dum *Accorgerſi* ab *Adcernere* deducit. Fuit etiam antiquis Tuſciæ Scriptoribus, at nunc obſoletum eſt, *Scorto*, idem ſignificans atque *Accorto*, ſcilicet *Sagax*, *Callidus*. Utrum a *Scorgere*, an ab *Accorgerſi*, deſcenderit, inquirere non vacat.

Scottare. *Adurere*, *Exurere*, *Uſtulare*. Verbi hujus non memini, quaſi ignota ſit illius origo, quum quiſque animadvertere poſſit, ab *Excoquo*, & *Excoctum* proceſſiſſe *Scottare* & *Scottato*; ſed ut repetam, quod ſæpe animadverti, Majores noſtros e Supinis, aut ex Participiis nova eduxiſſe verba. Scilicet ab *Excoctus* aut ab *Excoctum* efformarunt *Excoctare*, *Scottare*. Ipſi quoque Latini ab *Adiutum* Supino verbi *Adjuvo*, vetuſtiſſimum ſuum *Adjutare* traxerunt, unde noſtrum *Aiutare*.

Sunt & alia complura exempla.

Scotto. *Symbolum*. Pretium, quod quiſque pro Cœna ad Tabernam ſumtâ ſolvit, & ipſa etiam Cœna. Si Menagium auſcultamus, a *Coactus* (nam *Cogere pecuniam* veteres dixere) aut a Germanico *Schot*, ad nos venit vocabulum. Prima derivatio nihili facienda. Ad alteram quod attinet, mihi apud Germanos non occurrit *Schot* illud, ſed quidem apud Anglos *Shot*, & *Scot*, uti etiam apud Gallos *Eſcot*, & apud Hiſpanos *Eſcote*, eâdemque ſignificatione, qua Italicum *Pagar lo Scotto*. Nos ab iis fortaſſe didicimus. Porro perpendatur velim, num nos & illi e Latino *Quot*, vel *Quotum*, vel *Quota*, efformaſſe potuerimus hanc vocem, præpoſito *Ex*, compendii cauſâ converſo pro more in *S*. Nam poſtquam convivantes ſaturi e taberna erant receſſuri, computabatur *Quota* pars pretii ſingulis perſolvenda foret. Mutinæ, aliiſque in Urbibus Italiæ, adhuc dicimus *Pagar la ſua Quota*. Idem ſignificat nobis, quod Tuſcis *Pagare lo Scotto*: & hanc vocem tranſtulimus ad publica Tributa, aliaſque pecuniæ indictiones, quas viritim unuſquiſque pro ſua portione confert.

Scranna. *Sella*. *Subſellium*. Ad hanc vocem Menagius: *Viene ella ſenza dubbio da Scamnum*. In ea quoque ſententia Chimentellius fuit. Sed quare interpoſitum *R*? E *Scamnum* venit utique *Scanno*, Mediolanenſibus *Scagno*, *Scagnello*. Itaque e Germanico *Schranne* veriſimiliùs ad nos vocabulum *Scranna* deſcendit, dummodo antiqua ſit Linguæ illius vox iſta.

Scroccare. Nobis Mutinenſibus, aliiſque finitimis Populis ſignificat, impudenter ex alieno vivere, aut proficere, nullum pendendo pretium. *Eſcroquer* habent & Galli. Ferrarius e *Scurra*, *Scurricus*, *Scroccus* deducit, unde *Scrocco*, *Scroccare*. Sed *Scurricus* imaginaria prorſus & conficta vox eſt; neque facile e *Scurricus* emerſiſſet *Scrocco*. At minus audiendi, qui ab altero conficto verbo *Croccare*, aut a Græco Αἰσχροκερδεῖν, vocabulum hoc derivant. Menagius ex Italico *Scroccare* natum putat Gallicum *Eſcroquer*. At mihi pæne certum videtur, verbum hoc ad nos e Gallia veniſſe, utpote qùod efformatum fuit e Gallico *Croc*, ſignificante *Uncum*, nobis *Uncino*. Scilicet *Excrocare*, ſive *Scroccare* dictum fuit, ad metaphorice ſignificandam illorum artem, qui vel e nolentibus nummos, victum, aliaſque res ſine pudore extorquent, a nobis propterea uſitatius dicti *Scrocchi*, *Scrocconi*. In Lege Salica Titul. 69. occurrit *Incroccare*, ideſt *Unco ſuſpendere*. Detrahere ex Unco eſt *Excroccare*, *Scroccare*.

Scuriada. *Scutica*, *Flagellum*, quo equi plectuntur. En quomodo ejus originem Menagius exprimat. *Da Scutica*, *Scuticarus*, *Scuticarius*, *Scuticariata*, *Scuriata*, *Scuriada*. Hac ratione quid non exſculpas? Sed a *Corio* enata eſt vox iſta. Nihil aliud eſt *Scuriada*, niſi *Scutica ex Corio*. *Excoriare*, detrahere Corium, ſeu pellem, ſignificat. Inde prodiit *Scuriada*, quaſi appellata primo fuerit *Scutica Excoriata*, & denique ſuppreſſo *Scuticâ*,

piccola Scodella, Scutella, ſeu Scutica e Catino.

Sdrucciolare. Ita dicimus, quum per lubricum labimur. Non a *Lubricus*, *Delubricare*, *Deslubricare &c.* Non ab *Extraerbulare*. Non a *Abstruſiclare*, vocis hujus origo petenda, ut alii conjecerunt. Propius fortaſſis accedet ad verum, qui putet, Etymon deducendum e *Rotula*, quam *Ruzzola* nos Mutinenſes appellamus, ideſt parvula *Rota*, unde noſtrum *Ruzzolare*, hoc eſt *Rotare*, *Circumagere*, efformavimus. Rotulâ projectâ apud nos luditur, penes illum victoriâ ſtante, qui poſt aliquot projectiones majus ſpatium ſuâ Rotulâ emenſus eſt. Hinc *Ruzzolare* ex *Rotulare* nuncupavimus. Tuſci *Rotolare* dicunt. Itaque ab *Ex-rotulare* deductum *Sdruzzolare*, quod Tuſcis eſt *Sdrucciolare*. Qui per clivum ruit, a nobis dicitur *Ruzzolar giù*, idque intranſitive. Sed & active uſurpatur. *Sdrucciolo* ex eodem fonte venit.

Secchia. *Situla*. Negari non poteſt, quin Menagio fuerit juſta cauſſa arbitrandi, ipſum Latinorum *Situla*, converſum ſenſim fuiſſe in *Sicla*, *Secla*, *Secchia*. Opinari tamen quiſquam poſſit, ex alio fonte prodiiſſe hanc vocem, quando tanta eſt illius antiquitas. Tomo I. pag. 376. Operum S. Johannis Damaſceni, Oration. 3 de Imagin. laudatur Theodori Lectoris locus e Lib. 4 Hiſtor. ubi *Sicle*, nunc *Secchia*, mentio habetur: Τρεῖς Σίκλαις ὕδατος περιχέαντά μοι: *Tres Siclis aquæ calidæ infundentem mihi*. Legendum Σίτλαις, Latine *Situlas*, monet ad eum locum Clariſs. Lequien Ordin. Prædicatorum. Sed retinendum Σίκλαις. Nam & Victor Tunnunenſis, ſive Tunnenſis, qui eodem Sæculo Chriſti Sexto, quo Theodorus floruit, idem Olympii facinus narrans, tam in Caniſii, quàm in Joſephi Scaligeri editione habet: *Tribus ignis Siclis, Angelo miniſtrante, inviſibiliter in piſcina aquæ frigidæ perfuſus*. Ergo tam apud Græcos, quàm apud Latinos Sæculo Sexto Æræ Chriſtianæ, *Sicla*, *Hydriam*, ſeu *Situlam* ſignificans, in uſu fuit. Ita Cap. 22. Legis Alemannorum a Dagoberto Rege Anno Chriſti DCXXX promulgatæ, Tom. I. Capitular. Francor. Edition. Baluzian. memorari videas *quindecim Siclas de cervisa*. Vide & Du Cangium tam in Latino, quàm in Græco Gloſſario, qui alia congerit exempla vocis *Sicli*, *Sigli*, *Sycli*, apud antiquos occurrentia. Adde & Agnellum Ravennatem Scriptorem, qui Anno Chriſti DCCCXXX. Vitam Maximiani Archiepiſcopi Ravennatis ſcribens, Tom. II. pag. 109 Rer. Italicar. inquit: *Allatum eſt nobis æreum vaſculum, quod vulgo Siclum vocamus* (nos Mutinenſes dicimus etiam *Secchio*, & *Secchia*). *Et projecti ſunt Sicli pleni aqua*. Quum igitur tantæ vetuſtatis ſit *Siclæ*, *Sicli*, & *Siclum*: aut minime certum eſt, hanc vocem e *Situla* corrupta efformatam fuiſſe; aut certum ſaltem futurum eſt, corruptionem vocabuli illius tribuendam eſſe Sæculis ipſis vetuſtis. E *Situla* prodiit olim *Sitella*, & inde *Sitellinum*, & *Sitellina*, quo nomine Mediolanenſes *Situlam* ad hauriendam aquam ſignificant. In Gloſſis Fuldenſibus ab Eccardo evulgatis legitur *Sicleola*, *Sclella*, *Ampra*. Num pro *Amphora*? Tuſci appellant *Secchia* Situlam æream. Mutinenſes ligneam, quam utroque genere, maſculino ſcilicet ac fœminino, ac etiam per utrumque numerum pronuntiant *Secchio*, *Secchia*, *Secchie*, *Secchi*. Nobis verò *Situla* ærea, per quam hauritur aqua, dicitur *Parolo*, Tuſcè *Paiuolo*, cujus vocis adhuc obſcura eſt origo. Eſt etiam in uſu Bononienſium *Calcedro* ex Græco Χαλκὸς, & ὑδρία: quæ voces unitæ efformantes *Calchydria*, ſignificant *æream Urnam* ad hauriendam aquam.

Sembiante. Vide ſubſequens *Sembrare*.

Sembrare. *Videri*. A *Similare* Latino traxit Menagius. Et recte quidem. Sed quomodo *BR*. ſe huc intruſerit, tacuit ille. Dicam ego. E *Similare* nos efformavimus *Simigliare*, *Somigliare*. Gallica verò Lingua ipſum *Similare* convertit in *Similre*, *Semlar*, atque addito *B*. fecit *Sembler*, & inde *il me Semble*, nobis *mi Pare*. Gallicum *Sembler* Tuſci immutarunt in *Sembrare*. Ita Sæculis Barbaricis *Contempnere*, *Temptare* ſcribebant, & adhuc vulgo ſcribitur *Contemptus*, *Promptus*, *Emptus &c.*, quum tamen veteres uſurparint *Emtus*, *Promtus*, *Contemtus*, *Comtus &c.* Sed cur verbum *Similare*, ſive *Sembrare* ſignificationem induit verbi *Videri*, Italice *Parere*? Aliquid ibi ſubintelligendum, ſcilicet *Vero*. Quum dicimus, *mi ſembra*, idem eſt ac ſi dicas: *Certò hinc rem non teneo, ſed Aſſimilatur Vero in mente mea, hanc rem ita ſe habere*. Sive: *Certa non eſt mihi res iſta, ſed ſimilis Vero, aut Veriſimilis*. Ex eodem fonte manavit noſtrum *Sembiante*, Gallice *Semblant*, ſignificans *Aſpectum*, ſive *Apparentiam rerum*.

Senno. *Intellectus*, *Mens*, *Sapientia*. Fons hujus vocabuli creditur Latinum *Senſus* Ferrario ac Menagio. Verùm Itali non a Latio, ſed ex Germania vocem hanc traxere, nempe e *Sinn*, ſignificante *Senſum*, *Cogitationem*, *Animum*, *Mentem*, quæ ſunt idem ac Italicum *Senno*. Quum igitur propria illius Linguæ ſit vox *Sinn*, fruſtra contendas, ipſam pariter efformatam fuiſſe ex Latino *Senſus*. Inde Itali *Senſo*, non *Senno*, deduxere. Non abnuo, veteres Italos Germanico more vocabulum *Senno* interdum etiam uſurpaſſe pro *Senſu*. Hoc ajo, ab eodem Teutonico *Sinn* potius, quàm a *Senium*, uti opinatus eſt Menagius, deſcendiſſe Gallicum *Soin*, niſi malimus, ex antiquo *Soniare* derivatum, de quo conſulendus eſt Du-Cangius. Quum enim *Cogitationem* quoque ſonet Germanis vox *Sinn*, ei reſpondet *Soin*. Uti nos dicimus *Pigliarſi Penſiero d'una coſa*, ita Galli dicunt, *Prendre Soin*. Digna eſt, quæ heic memoretur Mutinenſis Dialectus vox *Diſennare i Fanciulli*, ſignificans, *eis Indulgere quidquid volunt*: quod improvidi parentes faciunt. Fortaſſis inde natum vocabulum, quod tanta hæc indulgentia filios imprudentes efficiat, ſeu *li tragga di Senno*.

Senſale. *Proxeneta*. Rideas fortaſſe, Ferrarium audiens derivantem hanc vocem aut a *Xenialis*, aut a nundinis Venetis, quæ *Aſcen-*

Aſcenſa & *Senſa* dicuntur. Ex Arabum Gente hanc mercatorum vocem accepimus. Ii *Simſaron Proxenetam*, *Amicorum Conciliatorem vocant*. Exinde *Sinſar*, *Sinſale*, *&* *Senſale* manavit. Pro *Senſale* Senenſes dicunt *Senſaro*. A

Sentinella. *Vigiliæ*, *Excubiæ*. Menagium laudo a *Sentire* pro *Auſcultare* trahentem Etymon hujus vocis. Quippe revera *Excubiæ* barbaricis temporibus appellatæ fuerunt *Scultæ* & *Scultatores*. Attamen inquirendum reſtat, qua ratione e *Sentio* efformatum fuerit *Sentinella*. Certe novimus, excubias agi, ut præſentiatur, an hoſtes veniant, immineatve ex iis periculum. Itaque animadvertas velim, Latinis in uſu fuiſſe *Sentinare* pro *Satagere*, & *ſubtiliter periculum vitare*. Quam in rem Feſtus Cæcilii verſum laudat: B

Capit conſilium, poſtquam Sentinat ſatis.

Sentinare non aliunde efformatum Voſſio creditur, niſi e *Sentio*. Quamobrem vide, an hæc animadverſio referri poſſit ad originem vocis *Sentinella*.

Senza. *Sine*. Præpoſitio. Ab ipſo *Sine* Menagius eam ita efformavit: *Sine*, *Sines*, *Senes*, *Senſe*, *Senſa*, *Senza*. Ferrarius a *Sine etiam*: Ab *abſentia* Cittadinius. Quod certum eſt, noſtrum *Senza* ejuſdem originis eſt ac Gallicum *Sens*, nam & veteres dixere *Sanza*, ut proinde a Gallis vocem nos accepiſſe videamur. An verò Gallicum *Sens*, ſeu *Sans*, e *Sine* Latino manarit, incertum eſt. C

Serchio. Etruriæ fluvius qui per Carfanianam, & agrum Lucenſem atque Piſanum in mare exoneratur, *Auſer* Latinis. Ex hoc ipſo *Auſere* corrupto efformatum fuit *Serchio*. Fortaſſe miraris. Attamen rem certam præbeo. Vide Diſſertationem XIX. *de Tributis*, ubi in Charta Lucenſi Anni Chriſti DCCCCXXIV. memoratur flumen *Auſerclo* ab *Auſerculus*, ſcilicet diminutivo nomine. Excidit ſenſim *Au*; & *Serculus* pro more Linguæ noſtræ evaſit *Serchio*, uti e *Circulus Cerchio* &c. Si Etymon ejuſmodi noviſſet Menagius, is fortaſſe ſibi plauſiſſet, quod inverſis ſæpe Latinorum verbis, pro ſuo arbitrio inde Italica pertraxerit. D

Seta. *Sericum*. Ex nomine Civitatis Hiſpanicæ *Setabis* derivatum nomen cenſuit Juſtulus Spoletanus in Poëmate de *Serico*. *Immo* inquit Menagius, *contrarium verum eſt*. Nam *Setabis* nomen ſumſit a *Seta*. Heic ille nos amandat ad Bochartum Lib. I. Cap. 35. de Phœniciis Coloniis, ubi is nomen datum Urbi cenſet ex Hebraicis vocibus *Seti buts*, *ideſt Stamine vel telâ byſſi*, *quæ ibi texebatur*. Silius Lib 3. E

Setabis & telas Arabum ſpreviſſe ſuperbas,
Et Peluſiaco filum componere Nilo.

Sed in iis Silii verſibus aliquid deſiderari videtur. Et quod plus eſt, nihil aliud inde extundas, niſi telam lineam, illamque egregiam, *Setabi* fabricatam fuiſſe. Nempe *Byſſus* nihil aliud fuit, niſi pretioſa Lini ſpecies. Propterea Catullus *Sudaria* ex Urbe *Setabitanâ* ad ſe miſſa laudat. Quei ergo *Serici* nomen (Italice *Seta*) inde profectum velis? Neque ex Latino *Setum*, ſive *Seta*, ſignificante *Pilos* duriores, præcipue *Suum*, hoc vocabulum deducas; nam inde quidem noſtrum *Setola* venit. Hoc autem nomen Serico inditum fuiſſe nemini perſuadeas, quum Sericum filamentis, iiſque ſupra modum mollibus ac ſubtiliſſimis conſtet; contra verò *Setæ* aprorum duræ, rigidæ, atque a filo diverſæ, noſcantur. Plautus propterea in Caſin. Act. V. Sc. 2. ait:

Ita, quaſi Setis, labra mihi compungit barba.

At unde *Seta* Italicum? A me ne pete. Quod tantummodo animadvertas velim, *Sericum* a Germanis appellatur *Seide*, a nobis Lombardis *Seda*, & *Seda* quoque ab Hiſpanis. Num Tuſci vocem hanc in *Seta* mutarunt? Germanicæ originis eam appellare non audeo; quippe Germani a nobis Sericum accepere, non verò nos ab iis didicimus. Anglica Lingua *Silk* Sericum nuncupat. Mutinenſes autem, apud quos ingens copia Serici, & ſane præſtantiſſimi, quotannis conficitur, *Sirga* dicunt folliculos Bombycum, poſtquam inde papiliones enati ſunt, e quibus in aqua maceratis fabricatur *Bavella*. E *Sirica* nomen hoc ſumtum. *Siricum* verò pro *Sericum* in uſu fuit apud Latino-Barbaros.

Sgherro. *Thraſo*, *Satelles*, *Miles glorioſus*, *Verbis minax*, *ſed re pavidus*. Non a *Gerro Gerronis*, *Gerrus*, *Exgerrus* (quod opinatus eſt Menagius) deſcendiſſe hanc vocem puto. Aliud eſt enim *Nugator*, ideſt *Gerro*; aliud *Thraſo*, hoc eſt, *Sgherro*. Veriſimilius e *Scara*, ſignificante *Aciem* militum, vox emerſit. Quos nunc appellamus *Sgherri*, veteres dixere *Scaranos*. Petrus Azarius in Chronico pag. 413. Tom. XVI. Rer. Italicar. de Comite de Lando hæc habet: *Univerſa Italia ipſum formidavit, & a Scaranis, & inermibus peditibus ipſe Comes aſtutus exſtitit ſuffocatus*. Mutinenſes adhuc uſurpant verbum *Sgarrare* pro *Jactare ſe fortem*, ſive *Farla da Sgherro*. Id ab Hiſpanis accepimus, quibus *Exgarrar* eſt *Minari verbis*, *inceſſu*, *vultu* &c. *Fare il Bravo*. Uti e *Scara* prodiit *Schiera*, ita & *Sgherro* proceſſiſſe potuit.

Sgombrare. Vide ſupra ad verbum *Ingombrare*.

Sgomentarſi. *Cadere animo*, *Conſternari*. *Sgomentare* etiam tum activâ, tum neutrâ ſignificatione reperitur. *Sgomentire* quoque familiare eſt Mutinenſibus. Abſtruſam verbi originem fortaſſe Menagius ſenſit, quum nihil de illo habeat. Ego, donec vero propiora adferant alii, conjecturam meam, qualiſcumque ſit, proponam. *Mentem* in hoc verbo nemo non ſentit. Inquirendum igitur, an ex *Commentari* Latinorum prodiiſſe potuerit Italicum *Sgomentare*, ſicut ab *Ementiri* venit nobis *Smentire*. Nempe *Commentari* eſt *Cum Mente ſua volvere*, aut *inire conſilia*, *Meditari*. Addito a Majoribus noſtris *Ex*, quod privationem inducit, potuerunt veteres ſignificare actionem illius, qui improviſo aliquo terrore, impedimento, infortunio, correptus, conſternatur animo, quo tempore ex ejus mente cogitationes, ex ejus ore verba cadunt. *Reſta confuſo*, *sbalordito*,

[illegible] , *Perdere*. Nil mirabilius hactenus mihi occurrit.

Sgurare. Argentum, Æs, Ferrum, aut alias res tergere, & in ſplendorem dare. Ferrarius *Exacerare*, aut *Excurare* originem huic verbo præbuiſſe credunt. Recte excogitatum ab *Expurgare*, nempe tollere *Scoriam*. Contra Menagius a Latino *Excurare* deduxit, quum apud Fauſtum Rejenſem, ut is ait, occurrat *Excurare caliginem*. Et ſane adhuc in Gallica Lingua uſurpatur *Ecurer* eâdem ſignificatione, qua noſtrum *Sgurare*. Noſtrum, inquam, nam etſi in Vocabularium Florentinum illata minime fuerit vox iſta, ad Italicam tamen Linguam ſpectat, & eſt uſitatiſſima inter Langobardos. Sed ne Menagii quidem ſententiæ acquieſcendum. Apud Fauſtum Rejenſem in editis legitur *Excutit caliginem*, non verò *Excurat*. Deinde, quod plus eſt, Germania verbum habet, illudque proprium, uti videtur, ac priſcum ſuæ Linguæ, unde natum opinari licet Italicum *Sgurare*. Videlicet ipſis eſt *Schuren*, ſive *Scheuren* pro *Expolire*, *Tergere*, *Nitidum efficere*. Inde etiam Angli mutuati fuere ſuum *to Scour*, vel *Scower*, cui eſt ipſiſſima ſignificatio. Quæ verba ſi ad Italicam Linguam transferas, reddunt *Scurare*, *Sgurare*, ita pronunciatum, ut diſcrimen eſſet inter *Scurare*, ideſt *Obſcurare*, atque *Expolire*. Quænam verò præferenda ſit ex hiſce ſententiis, Eruditorum judicium eſto. Neque enim audeo ab *Exobſcurare* vocis hujus originem petere.

Sino, *Inſino*. *Uſque*. Idem ſignificat *Fino* & *Infino*: & vix ulla dubitandi ratio eſt, quin primitiva vox dicenda ſit *Fino*, ſeu *Infino*, quæ poſtea converſa ſenſim fuerit in *Sino*, & *Inſino*. Mutinenſibus in uſu tantùm eſt *Fino* & *Infino*, non verò *Sino* & *Inſino*. Quod tamen mirum videatur, aliud ſimile exemplum *F.* immutati in *S* difficile oſtendas. Menagius *Fini* pro *Uſque* uſurpatum ab antiquis Juriſconſultis in Digeſtis animadvertit, Duareno, & Scipione Gentili præeuntibus. Immo Cato, atque Hirtius de Bello Africano, eâ voce uſi dicuntur. Sed mihi ſuſpecta ſunt, quæcumque veterum Latinorum exempla in hanc rem adferuntur. Neque enim ullus Grammaticorum veterum nos monuit, *Fini* adhibitum fuiſſe loco præpoſitionis aut adverbii. Exempla ipſa, quæ producuntur, explicanda fortaſſe ſunt aliter, & MStos Codices diligentius ſcrutari opus eſſet. Ceterum conſentio & ego, Sæculis ſaltem Barbaricis e *Finis* enatum fuiſſe *Fino*, pro *Uſque*, ac propterea non *Infino*, ſed *Infine* occurrit apud quoſdam ex antiquis Scriptoribus Italicis. Nam *Finis* eſt *Limes*, *Terminus*, præſertim apud Scriptores Gromaticos, ſive Rei Agrariæ. Exempli cauſſâ dicere conſueverunt. *Finis ad Kalendas Julias*, ideſt *Terminus*, *Uſque*. In Charta Anni Chriſti MLII. quam produxi Cap. 24. pag. 237. Antiquitat. Eſtenſium legitur *Fine al capo del Monte* eâdem ſignificatione. In Charta Vulturnenſis Cœnobii Anno Chriſti DCCC-XLIX. exaratâ, pag. 393. Vulturnenſis Chronici legitur: *Qui habet fines de capu fine via publica antiqua: de alio latu finem flumen Calore; de alia parte fine flumen Cetis*. Et pag. 419. *habente fines ab una parte fine monte; de ſecunda parte terra de Venaſtrum, & fine flumio, qui vocatur Ceſio*. Sunt & alia plura, quæ prætereo, ibi, atque in Additamentis ad Chronicon Caſaurienſe Part. II. Tomi II. Rer. Italicarum.

Smacco. *Ludibrium*, *Irriſio*, *Contumelia*. *Smaccare*. *Famam alicujus denigrare*. Exempla non admodum antiqua habes in Vocabulario Cruſcano, ita ut non nata vox apud nos, ſed aliunde importata dignoſcatur. Apud Mutinenſes familiaris eſt. Illam Menagius neglexit. Erunt, qui ex Arabica Lingua arceſſant. Illi quippe eſt *Smachi*, ſignificans *Ludibrio & joco exponere*. Compoſitum verò *Masſmachaton*, *Ludibrium* ſonat. Mihi tamen veri videtur ſimilius, e Germanica Lingua, cui eſt *Schmach* ſignificans *Affronto*, *Diſonore*, cum aliis compoſitis, profectum ad nos fuiſſe *Smacco*. Quod tamen ſtatuo, dum vetuſta ſit apud illos vox iſta, neque a nobis Germani iidem acceperint. Quum verò ſit recens in Italia, nos potiùs ab iis didiciſſe videmur. Apud Schilterum in Gloſſario antiquo Teotonico *Smac* eſt *Fœtor*: quod minime abludit ab Etymo nuper indicato.

Smaltire. *Digerere*, *Concoquere*. Dicimus de cibo in ſtomachum invecto. Dicimus etiam metaphorice nos Mutinenſes de rebus comeſtibilibus, aliiſque quibuſdam mercibus, quæ pretio divenduntur, aut copioſe diſtrahuntur, puta *Quel Fornaio ha ſmaltito molto pane; quel Bettoliere ha ſmaltito molto vino; quel Pizzicagnolo ha ſmaltito molto ſalume* &c. Cuinam perſuadere poſſit Menagius, vocabulum hoc e *Malthâ* proceſſiſſe, non video. Aliquid ſimile fortaſſis habent Germani, quibus *Schmeltzen* ſignificat *Liquefacere*, *Diſſolvere*. Eodem quoque ſenſu Mutinenſium Dialectus adhibet *Padire*, hoc eſt *Digerere*, cujus verbi adhuc ignotam mihi originem fateor. *Patire* hoc ſenſu dicunt Florentini.

Smilzo. De eo dicitur, qui gracilem ventrem præ inedia, aut alia de cauſſâ gerit. Titubans ajo, perpendendum eſſe Medicis, num ex Germanico *Miltz*, ſignificante *Lienem*, ſive *Splenem*, unde Italicum *Milza*, manaſſe umquam potuerit hæc vox *Smilzo*; quaſi qui Liene aut carent, aut laborant, in maciem vergant, atque extenuatum ventrem habeant, ita ut *Smilzo* ſit veluti *ſine Liene*, aut Liene laborans.

Smorzare. Vide infra ad verbum *Spegnere*.

Soffice. *Mollis*, ad tactum manus cedens. Tuſcorum vocabulum eſt. Efformatum, ait Ferrarius, a *Suffultus*. Quis credat? Menagius hanc ei nativitatem tribuit: *Supplex*, *Supplicis*, *Supplice*, *Sufflice*, *Soffice*, *Soffice*. Tum addit: *Viene ſicuro da Supplice*. Erunt, qui confidentiam docti hominis mirentur. Germanicæ Linguæ eſt *Sanfft*, idem quod Italicum *Soffice*, & *Sanfftigen*, *Ammorbidire*, *Ammollire*. Antiqui Saxones *Soft* voce utebantur, idem ſignificante. Et inde ad Britannos penetravit *Soft*, & *to Soften*, quibus verbis par ſenſus eſt. Quare conſiderandum eſt, num in *Soffice* converti potuerit Saxonicum illud vocabulum.

Soia. *Dar la Soia*. *Adulari illudendo*. A *Solum*, quia *Plenum eſt*, derivat hanc vocem Ferrarius. Nemini hæc ille perſuadeat. Mutinenſes quoque dicunt *Dar la Soia*, & *Soiare*. Vide, an potius vox iſta a Gallis in Italiam deſcenderit, quibus *Choyer* eſt *molliter attrectare aliquid*, *mollia verba de aliquo aut ad aliquem dicere*. Idem fortaſſis a nobis translatum ad irriſores, quotieſcumque ironice adulantur. A

Soldato. *Miles*. Vide Diſſertationem XXVI. *de Militia*.

Solleticare. *Titillare*. Nemo non videat, fruſtra cenſuiſſe Ferrarium, ab ipſo *Titillare* prodiiſſe *Solleticare*. Neque dignior plauſu ſententia Menagii, deducentis hoc verbum e *Sublecto*, *Sublectico*. Mihi potiùs enatum creditur aut ex *Sollicitare digitis*, aut ex *Sub* & *Allicio*, ſeu *Illicio*, converſis in frequentativum *Allicitare*, *Illicitare*. Sed ut ut obſcura adhuc ſit Tuſcæ hujus vocis origo, certe ſubodorare poſſumus, unde Mutinenſe vocabulum, *Far le Bletiche*, ac verbum ipſum *Bleticare*, ideſt *Titillare*, venerit. Uſi ſunt Latini & verbo *Vellicare* ad ſignificandum *Pizzicare*, quod leviter factum ſignificat *Titillare*. Ex ipſo in *Velliticare* frequentativum converſo prodiit *Belleticare* ſeu *Bleticare* Mutinenſium, idem ſignificans atque Tuſcum *Solleticare*. B

Sorgente. *Scaturigo*. Unde hæc vox manarit, facile quiſquis intelligat, nempe a Latino *Surgo*, vel *Exſurgo*. Quinctilianus Lib. 8. Cap 3. nobis exhibet *fontes Surgentes*, videlicet ex humo ſcaturientes; & Ovidius Lib. I. Triſtium, Elegiâ X. *Surgit aqua*. Ita ut ignorem, cur Cl. V. Marchio Scipio Maffejus Lib. I. Cap. 14. de Amphitheatris, poſtquam *Salientes* in Veronenſi Inſcriptione memoratos interpretatus eſt *ciò, che in oggi diciam Fontane*, poſtea ſubdat: *Anzi io penſo, da quella voce Latina* (Salientes) *eſſer venuta in noſtra Lingua quella di Sorgente, benchè ſoglia uſarſi in ſenſo alquanto diverſo*. Eſt & alia vox paris ſignificationis Mutinenſibus, nempe *Sortía*, quam e Gallico *Sortir* traxiſſe videntur, aut potiùs ab ipſo *Surgere* Latino, e quo vel antiqui Grammatici teſtantur, efformatum fuiſſe participium *Sorctus*, vel *Sortus*, unde *Surto* & *Sorto*, & in compoſitis *Riſorto* apud Italos. Ex ipſo *Sortus*, ſeu *Sorto*, *Sortía*. C D

Sorgo. Leguminis genus. Vide Diſſertationem XXIV. *de Artibus Italicorum*.

Sottana. Veſtis genus. Vide Diſſertationem XXV. *de Textrina*.

Spaccare. *Per medium Findere*. Si Menagium auſcultamus, hoc verbum deſcendit ab *Expactare*, verbo nempe compoſito a *Pango*, *Compingo*, *Compactus*, cujus contrarium *Expactus*, ideſt *non Compactus*. Inde *Expactare*, *Expacare*, *Spacare*. Non ſubſcribo. Ab *Expactare* efformaſſent Itali *Spattare*, non *Spaccare*. Legitima verbi origo apud Teutonicos reperitur. Habet eorum Lingua *Packen* ſignificans *Compingere*, nobis *Imballare*, *Avviluppare*, *Congiugnere in un faſcio, o involto varie coſe*. Inde *Pack*, *Faſciculus*, nobis *Involto*, *Faſcio*. Ex iſta Germanica voce nos Itali efformavimus diminutivum *Pachetto*, & Galli *Paquet*. Angli ex eodem fonte duxerunt ſuum *Pack* & *Packet*. Germanicum verò *Packen*, quod Italice redditum daret *Paccare*, nos numquam uſurpavimus, ſed quidem ejus contrarium, nempe *Expaccare*, *Spaccare*, reapſe ſignificans *Diſſolvere*, ſeu *Findere*, quod prius unitum erat. An verò Teutonicum *Packen* e Latino *Pango* deſcenderit, decernent alii, non ego. E

Spacciare. *Expedire* Latinis. Gallis *Depecher*, Anglis *to Diſparch*, Hiſpanis *Deſpachar*. Incertum, num nos a Gallis, an illi a nobis acceperint. Vide ſupra *Impaccio*.

Spalancare. *Aliquid clauſum aperire*. Menagius deducit ab *Expalancare*. *Palanca* enim ſignificat ipſi Menagio palum diviſum per longum. Mihi dubitatio aliqua ſupereſt, num a *Palancato* potiùs quàm a *Palanca*, natum fuerit *Expalancare*, ſive *Spalancare*. Erant *Palancata* clauſtra ex Palis, quibus Civitatum antemuralia, aut Portarum aditus muniebantur, nunc appellata voce Gallicâ *Palizzate*. Frangere, hoc eſt, aperire *Palancatum*, nuncupatum eſt *Spalancare*. Quod verbum propagatum deinde fuit ad latiorem ſignificationem, hoc eſt quotieſcumque reſeratur & panditur aliquid antea clauſum.

Sparagnare. Vide ſupra ad verbum *Riſparmiare*.

Sparpagliare. *Diſpergere*. Menagii verba hæc ſunt. *Credo da Spargo, Spargico, Spargiculo, Spargiculare, Sparglare, Spargliare; e con la reduplicazione Sparpagliare*. Quod mirum addit: *E' coſa certa*: Immo nihil magis alienum ac diſſonum ab Etymologiæ legibus, uti dignoſcet, quiſquis mirabiles excogitatæ hujus ſcalæ gradus ſeriò perpendat. Mihi nulla certa origo vocis. Quamdam nihilominus conjecturam proferam, quæ ſi non vera, ſaltem toleranda apparere poſſit. Quæ Tuſcis *Farfalle* appellantur, Latinis *Papiliones*, apud nos Lombardos *Parpaglie*, ſive *Parpaie* (quod idem eſt) nomen retinent. *Papilionum* proprium omnes norunt non recto volatu incedere, ſed huc & illuc, & in omnem partem per aëra ferri. Hinc neſcio, an ſuſpicari liceat enatum *Sparpagliare*, quum nempe *Papilionum* more aliquid diſpergimus huc & illuc. Porro incertum quoque eſt, num Itali a Gallis, an Galli ab Italis vocem hanc didicerint: nam etiam Gallis eſt *Eſparpiller*, & Hiſpanis *Deſparpaiar*. Bononienſibus in uſu eſt *Sparpaiare*. Mutinenſes vocem corruperunt dicendo *Spargagnare*, qui præterea a *Spargo* traxerunt alterum verbum, ideſt *Sparguiare*, diverſæ quidem originis, ſed ejuſdem ſignificationis.

Spazzare. *Verrere*, *Everrere*. Si Ferrarius & Menagius heic audiendi, verbum iſtud e *Spatium* Latino deducendum eſt. Difficile credam. At, inquiunt, *Spazzo* pro *Pavimentum* & ipſi noſtri Majores uſurparunt. Ita quoque locum Dantis Cant. 14. Infern. interpretati ſunt Academici *della Cruſca*. Inquit Dantes:

Lo Spazzo era una rena arida e ſpeſſa.

Verum *Spazzo* ibi non *Pavimentum*, ſed *Spatium*, ſive *Area*, exponitur ab antiquiſſimo Dantis Interprete, Benevenuto de Imola, qui ſcribit in Commentariis

novaſtum editis: *Lo Spazzo, hoc eſt, totum planum ſpatium, quod continetur intra illum circulum*. Rurſus ait Dantes Cant. 23. Purgator.

E non pur' una volta queſto Spazzo.

Benvenutus addit: *Queſto Spazzo, ideſt, iſta Deambulatio*. At quamvis *Pavimentum* ſignificaret, non idcirco nativam verbi *Spazzare* ſignificationem inde colligimus. Aliud eſt *Pavimentum*, aliud ſordes *everrere* e Pavimento. At tu meliora adfer, reponentem audio. Nihil mihi ſuccurrit. Eruditi duntaxat Germani perpendant, num eorum *Putzen*, ſignificans *Purgare*, *Mundare*, converſo *V*. in *A*. dediſſe nobis potuerit *Spazzare*, quod factum fuiſſet, ſi in aliis Septemtrionalium Linguarum Dialectis pro *Putzen* dictum fuiſſet *Patzen*. Infra *Dumpff* & *Dampff* occurret ad vocabulum *Tanfo*. Facile verò Lingua noſtra *S*. initiale addere potuiſſet, immo & *V*. in *A*. immutare, ut hoc verbum diſtingueret a *Puzzare*. Vide quoque, num *Spazzare* & *Spacciare*, ejuſdem fortè fuerint originis, & conſule ſupra vocem *Impaccio*. In Concilio Triburienſi Anno Chriſti DCCCXXI. legitur: *Si Presbyter male tractatus fuerit, & Spaſſaverit*. Du-Cangius *Spaſſare* pro *Male accipere*, *Caſtigare*, interpretatus eſt. Sed nihil aliud ibi *Spaſſare*, niſi *Convaleſcere*, ut antecedentia oſtendunt.

Spengere, *Spegnere*. *Extinguere*. Tuſcorum verbum eſt, a Lombardis in loquendo minime uſurpatum. Ab *Extingo*, aut a *Stinguo* enatum fuiſſe cenſet Menagius. Facilius quadrata rotundis aptes. Originem vocis fruſtra quæſivi. Ejus tamen veſtigium aliquod an fortè ſubolfecerim, judicabunt Eruditi. Neque enim mihi tribuo, rem certò tetigiſſe. Si Italicæ Linguæ morem conſideramus, noſtrum *Spengere* manaſſet ab *Expengo*, quod verbum univerſo Latio ignotum fuit. Quid ſi ab *Expungere*, ſignificante *Delere*, quod corruptum Majores noſtri in *Expengere*, *Spengere* mutarint? Quid ſi ab *Expingere*, ideſt *Delere*, *quod antea Pictum fuerat*? Poſtrema hæc vox rectius quoque ſeſe in rem noſtram accommodat. Nam Itali Latinum *I*. in *E*. interdum convertunt. E *Findere* fecimus *Fendere*: e *Pignus*, *Pegno*; e *Signare* & *Signum*, *Segno* & *Segnare* &c. Porro, etſi videatur propria ſignificatio verbi *Spengere* reſpicere Ignem, ſeu Lumen, æque tamen per Metaphoram Italice dicimus, *Spegnere la ſete*; *Spegnere la ſcrittura*; *Spegnere la pittura*: *una Famiglia Spenta*: *La voglia è ſpenta* &c. Latini *Expungere* dixerunt, quod nos *Caſſare*, *Cancellare*. Veri quoque ſimile eſt, Latino-Barbaros uſurpaſſe *Expingere* pro *Delere picturam*; ac deinde uſos aut illo verbo, aut iſto, converſo in *Spengere*, ſignificatione latiori, ac metaphorice poſtmodum ad Ignem, Lumen, Sitim, Stirpem, Deſiderium &c. Ita *Smorzare*, & *Ammorzare* ſignificat *Extinguere*, vox a *Morte* barbaricis temporibus efformata. Eâ autem utimur, ſive proprie, ſive tranſlate, ſignificaturi extinctionem Ignis, Luminis, Sitis, Iræ &c.

Sperone. *Calcar*. *Speroni*. *Calcaria*. A *Calo* ignoto mihi vocabulo, deducebat Ferrarius. Audiendum non puto. Clariſſimus verò Maffejus in Verona illuſtrata arbitratus eſt, e Latio petendam vocis originem, quippe in Synodica Ratherii, ut eſt in Codice Friſingenſi, legitur: *Cum Calcariis, quos Sparones ruſtice dicimus*. In editis Dacherii tantùm legitur *cum Calcaribus*. Et fortaſſe Ratherium virum doctum non decuit dicere *cum Calcariis, quos*. Vide inter Concilia Labbei ad Annum Chriſti MIX. parum diſſimilem Synodicam. Fuerunt autem *Spara*, Feſto teſte, leviſſimi generis jacula, *ab eo quod Spargantur*, *dicta*. Ingenioſum ſane eſt Etymon Ratherio tributum, quaſi Calcarium acumina & cuſpides ad *Sparorum* imitationem conficerentur. Ab eo tamen amplectendo deterreor, atque additamentum ab Exſcriptore ſeu Amanuenſi aliquo textui Ratheriano intertextum facile ſuſpicor. Nam præterquam quod nullam ſimilitudinem inter *Calcaria* invenias, & *Spara*, quæ, uti Servius ſcripſit, Tela *recurva* & miſſilia fuere: neutiquam *Sparones* apud Ratherium legendum eſt, ſed *Sporones* vel *Speurones*. Du Cangium vide ad hanc vocem. Quare tutius eſt cum Menagio ſentire, qui ex Germanica Lingua deduxit *Sperone*. Antiqui Saxones *Spora* appellabant *Calcar*. Germanis hodie eſt *Sporen*, Anglis *Spurr*. Itali inde efformarunt *Sprone*, *Sperone*, & Galli (fortaſſis a nobis) ſuum *Eſperon*. Quum Ratherius ait, *Calcariis, quos Sparones Ruſtice dicimus*, reipſa ſignificat, *Sparones* non Latinæ, ſed Vulgaris Linguæ vocem fuiſſe, utique ex Germania profectam.

Speſa, pro *Alimonia*. Dicimus enim *Dar le ſpeſe ad alcuno*. Dubius ſum, an ab *Expendo* & *Expensâ* manarit, an verò a Germanico *Spieſs*, ſignificante *Nutrimentum*, *Alimentum*, *Cibus*. Inde *Speiſen*, quod nos dicimus *Speſare*, hoc eſt *Paſcere*, *Nutrire*, atque aliæ voces compoſitæ in Germanica Lingua. Niſi & ipſi Germani ſuum *Spieſs* ex Latino *Expenſa* deduxerint, nos fortaſſis ab iis hanc vocem mutuati fuerimus.

Spezzare. Vide ſupra ad vocabulum *Pezza*.

Spia. *Explorator*. *Spiare*, *Explorare*. Gallicæ Linguæ eſt *Eſpie*, *Eſpier*. Fureterius a *Spicis ſervandis*, aut a *Specula* Latino, aut ab Italico *Spia* Gallicam vocem arceſſit. Menagius ab antiquo ac inuſitato *Spicare* pro *Aſpicere*, hanc traxit. Caninius ab *Explorare*, Ferrarius a *Speculor* deduxere. Denique Voſſius a Germanico *Spien*, ipſam derivavit. Mihi quoque veri videtur ſimilius ab ea Lingua, non autem a Latina, diffuſum fuiſſe vocabulum in reliquas Europæ gentes, quaſi ſibi Arctoi Populi ſubdidere. Germani *Spiare* dicunt *Speen*, & *Spehen*. Præter Gallos Hiſpani quoque *Eſpia* dicunt, Angli verò *a Spy*, & *to Spy*. Saxones antiqui *Spyrian*, Belgæ *Spien*. Difficile tot Populi conſenſiſſent in convertendo *Speculor*, *Spico*, & horum ſimilia in eamdem vocem *Spia*. Facile verò ab una Septemtrionalium gentium Linguâ ſinguli iſti Populi antiquiſſimum *Spia* deduxerint. Rolandinus

Lib.

Lib. 4. Cap. 11. Chronici ad Annum Chriſti MCCXXXIX. ſcribit, ab Eccelino de Romano *Spiones quosdam* collocatos fuiſſe, ut adnotarent, qui amicitiâ juncti forent cum Marchione Eſtenſi. A

Spigolo . *Angulus* in corporibus ſolidis. Ita appellatum fortaſſe fuit, quod anguli acuti in portis, in arcubus &c. *Spiculi* cuſpidem imitari videantur.

Spilorcio . *Avarus*. Nomen fortaſſis enatum ab *Expilando Urceos*, ſive ex Italico *Spillare gli Orci*, quod de Avaris, aut de Mendicis dictum, qui reliquias vini ex alienis urceis ſugunt, ut proprio parcant; aut ex anguſtiore urcei roſtro (*Beccuccio* Tuſcis) bibunt, ut minus bibant. B

Spola , ***Spuola*** . Vide ſupra ad vocem *Pania*.

Spranga . Vide ſupra in vocabulo *Branca*.

Sprecare . *Prodigere*, *Conſumere*, *Diſpergere*. Romanæ, aut Neapolitanæ Dialecti verbum puto. Academici Florentini unum exemplum offerunt, deſumtum ex Rhythmis Fratris Jacoponi Tudertini. Perpende, num noſtrum *Sbrigare* in ore Apulorum evaſiſſe potuerit *Sprecare*.

Spruzzare . *Conſpergere*, *Aſpergere*. Menagio origo verbi hujus eſt *Spargere*. Sed aliud eſt *Spargere*, aliud *Conſpergere*; præterquam quod nimia eſt diverſitas inter *Spruzzare* & *Spargere*. Vox eſt Germanica, ad nos translata. C Germanis *Spritzen*, ſeu *Sprutzen*, idem ſignificat atque Italicum *Spruzzare*. Italis quoque in uſu eſt *Sprizzare*, ſed ſignificat *Proſilire*. Mutinenſis Dialectus adhibet *Spruzzare* & *Spriccare*, idem ſignificantia atque *Conſpergere*. Præterea Italice dicimus *Sbruffare*, quod a ſono vocis enatum videtur.

Squadra , ***Squadrone*** . Vide ſupra ad vocem *Schiera*.

Stalla . *Stabulum*. Ab hoc ipſo Latino vocabulo Italicum Menagius efformatum putat. Non improbo. Attamen quum ſit antiquiſſima ac propria Germanicæ Linguæ vox *Stall*, neque illa e *Stabulum* nata videatur, ex Germania potiùs quàm ex Latio D fortaſſe petenda origo vocabuli noſtri *Stalla*. Sed nihil decerno.

Stanco . *Feſſus*. Numquam a *Siniſter*, *Siniſtra*, *Siniſtracus*, *Stracus*, *Stacus*, *Stancus*, hanc vocem cum Menagio deducas. Id genus Etymologiarum ſomniantem, non verò accuratum virum, decet. Germanicæ originis eſt *Stanco*. Veteres enim Saxones *Stankt*, ad deſignandum *debilem* & *fatigatum*, uſurparunt, atque in Angliam detulere, ubi adhuc in uſu *Stank*. Siniſtra verò manus appellata a nobis fuit *Stanca*, eo quod præ Dexterâ ſit debilis, ac infirma, & ſcribendo, aliorumque operum uſui minus apta: qua ratione etiam E *Manca* a Latino *Mancus* dicta eſt. Ceterum poſtquam ex Germanico *Stant* Itali ſuum *Stanco* deduxere, ita ex hac voce alias derivarunt, puta *Stanchezza*, *Stancare*, *Stancarſi*.

Stecco . *Fruſtulum rami*. Jure Scaligerum ſeniorem Menagius arguit, quod a Græco Στίλιχος hanc vocem traxerit. Arceſſit ipſe e Germanica Lingua, & meritò. Eſt enim Germanis *Stecken* & *Steck*.. Angli quoque appellant a *Stick*, & *to Stick*, uti & Belgæ *Steck*, & *Stecken*, quod nos *Stecco* dicimus, & *Inſteccare*, *pungere con uno Stecco*. Sed & *Pali* appellati fuere *Stecchi*, unde vox *Steccato*. Nicolaus de Jamſilla Tom. VIII. Rer. Italicar. pag. 573. *Sticchatos*, *ſive Paliciata circum circa Civitatem*, memorat.

Stentare . *Rebus neceſſariis laborare*, *Difficultatem pati*. Inde *Stento*, ideſt *Labor*, *Incommodum*. Primo aſpectu obvia videtur vocis origo. At in ſyrtes conjectum continuò te ſentias. Accipe quid viris doctis in mentem heic venerit. Nonnulli a *Tenuis*, inquit Menagius, *Tenuitare*, *Stenuitare*, *Stentare*, vocem trahunt. Etymon ſane non uno titulo ridendum. Subdit ille: *Potiùs ab Abſtineo*, *Abſtinentum*, *Stentum facere*. Sed alienum prorſus a ſignificatione verbi *Stentare* Italici eſt Latinum *Abſtinere*. Ferrarius a *Suſtinere* derivat. At *Suſtentare*, quod e *Suſtinere* deſumitur, nil rei habet cum ſignificatione verbi alterius. Me quoque audire ne te pigeat. In militia potiſſimum innumera *Tentantur*, ac præcipue in obſidionibus. Ubi militibus tentantibus vallum, mœnia, turrim, & ſimilia, occurrebant difficultates & labores ingentes ſine fructu, ii cedebant, atque a *Tentando* deſiſtebant, donec reſumtis viribus, animoque, iterum Tentabant. Inde ortum *Biſtentare*, hoc eſt *Bis Tentare*, quod poſtea propagatum fuit ad ſignificandum quidquid cum difficultate, labore, & incommodo agimus, aut patimur. Itaque primo dictum fuit *Biſtento*, cujus vocis exempla apud Boccaccium, & Johannem Villanium habes in Vocabulario Cruſcano. Deinde pro *Biſtento* venit *Stento*. Olim credebam ab *Exſtentare* natum hoc vocabulum, ad ſignificandum *Deſiſtere a Tentando*, ſive *ab Incepto*, ob difficultates objectas. At propior vero poſtea mihi viſa eſt origo e *Biſtentare*: quod tantummodo fit in arduis rebus. Vocabulari Florentini Auctores, quum apud Johannem Villanium Lib. 9. Cap. 347. vitioſum Codicem ſequuti inveniſſent *Biſtendare*, verbum hoc interpretati fuerunt *levar la tenda*. Taſſonius noſter errorem indicavit, docens, ibi ſcriptum *Biſtentare*, idem atque *Stentare*. Ego quoque in editione Villanii Tom. XIII. Rer. Italicar. auctoritate Codicis Recanati veram lectionem reſtitui. Quare e nupera editione Vocabularii ejuſdem expunctum videas *Biſtendare*. Atque heic animadverte, Italicum *Storto* non ab *Extortus*, ſed a *Biſtortus* prodiiſſe. Uſi ſunt quoque Scriptores Tuſci voce *Biſtorto*.

Stizza . Vide ſupra ad verbum *Adizzare*.

Stordire . Attonitum, ſeu ſtupidum ictu aut ſtrepitu aliquem efficere. Inde *Stordito*. Gallicæ quoque eſt Linguæ *Eſtourdir*, *Eſtourdi*. Menagium audi, *Da Stolidus*, *Stolidire*, *Stolidito*, *Stoldito*, *Stordito*. *Ovvero da Storpeo* (Americanum verbum puto, non Latinum) *Extorpeo*, *Extorpio*, *Extorpire*, *Storpire*, *Storpire*, *Stordire*, *Stordire*. *Più m'aggrada la prima maniera*, Nihil difficile Menagio, quippe cujus ingenio facile eſt ſcalas fabricare, per quas in abſtruſa quæque loca penetret. Ab *Exſurdatus* hanc vocem non feliciori minervâ deduxit Ferrarius. Nobis eſt *Aſſordare*, & *Aſſordire*. Additur *T.* in *Stordire*, atque hoc aliam ori-

ginem

quem cohors. Attamen tamen, & perpenſa compertam doctiſſimi Du Cangii in Gloſſar. Latin. ad vocem *Surdatus*, putantis e *Sturmus*, (ſignificante *Pugnam*, quod veteres Galli vernaculâ Linguâ appellabant *Eſtour*) efformatum fuiſſe *Stordito* Italicum, & Gallicum *Eſtourdi*, hominem videlicet ſignificans, qui a prœlio venit, non ſatis ſui compos *præ certaminis horrore & fragore*. Dicimus etiam eodem ſenſu *Imbalordito* & *Sbalordito*. Mutinenſis Dialectus habet *Stornire* & *Inſtornire* pro *Stordire*: quod propius accedit ad *Sturmus*. Sed quomodo *D.* ſeſe intruſerit in ejuſmodi vocem, nemo edicit: quare adhuc anceps hæreo.

Stormo. Subitus ad pugnam hominum concurſus. Menagius a Græco Στόλος, aut potius a *Turma* Latino, Superis invitis hanc vocem educendam ſuſpicatur. Si Linguis Septentrionalium majorem operam navaſſet, certam vocis originem nullo negotio deteximet. Nempe Saxonum, Danorum, Belgarum, & Anglorum propria vox eſt *Sturm*, per quam *Procella*, & *ventorum digladiatio* ſignificatur. Hanc ii Populi tranſtulere ad ſignificandum *congreſſum*, *prœlium*, ſeu *tumultum hominum*, irâ aut aliâ de cauſſâ excitatum. *Sturm* Germanis idem ſonat. Nihil eſt, quod obtorto collo Latinorum Linguam huc advocemus, quando nobis purum putum vocabulum ſuum Germanica Lingua ſuppeditat, quæ antiquitate Latinam ſi non ſuperat, certe æquat. Neque *Sonare a Storno* umquam dictum fuit, quaſi ad congregandum Populum more Sturnorum; ſed *Sonare a Stormo*. Pauciſſimi, ac fere nulli, nedum Lombardiæ, ſed & Italiæ Populi vocis hujus uſum nunc retinent; ſed Mutinæ perdurat *la Stormida*, ſive *la Stermida*, hoc eſt, pulſatio Campanæ majoris, idem atque *ſonar Campana a martello*, quum Populus eſt congregandus. A *Sturmis* ſive *Stormis* orta vox, quum nempe inchoato rumore aut pugnâ inter Cives, aut cum hoſte, Populus ad arma per campanam convocabatur. *Sturmen* adhuc Germani appellant *Claſſicum canere*. Dantes quoque *Stormire* pro *Perſtrepere* uſurpavit. *Pulſare Campanam ad Sturmum*, legitur in Chronico Dominici de Gravina Tomo XII. Rer. Italicar. pag. 620. Occurrit etiam vox *Sturmita* in Annalib. Genuenſib. Caffari, Lib. 6 & in antiquis Statutis Civitatum Italicarum. Immo & in eiſdem Annalibus Genuenſibus legitur *Bruida*, eâdem ſignificatione, e Gallico *Bruit*, *Strepitus*, *Tumultus*, *Rumor*. In Statutis Piſtorienſibus, quæ heic edita Lector habebit, §. 130. legimus: *Si aliquis Piſtorienſis Civis detulerit adſteritium, vel adallevantium, Spedum, vel Lanceam, vel Barionem, vel Malatiyam* &c. Vereor, ne heic error non unus cubet. Pro *Adſteritium* legendum fortaſſis *ad Stermitium*. Fortaſſis etiam *ad Levantiam* legendum eſt, & neſcio, an ſignificet *Levare rumore*. Itaque in ejuſmodi caſibus interdicitur Civibus accurrere illuc *cum Spedo* (*Spiedo* Italice) *vel Lancea* &c.

Storpio. *Mancus*, *Mutilus*, aliquo membro captus, uti ſunt pedes, crura, latera, brachia &c. Inde *Storpiare*. Dicimus & *Stroppio*, *Stroppiare*. Ferrarius a *Torquco* fruſtra hanc vocem arceſſit. Alii a Græco Στρέφω. Sed ne apud Græcos quidem uſitata ſignificatio verbi Στρέφω (pro quo Menagius nobis obtruſit Στρέφω) Etymon ejuſmodi juvat. Quare mihi veri videtur ſimilius, a *Turpi* Latino efformatum primo fuiſſe barbaricis Sæculis *Turpiare*, & *Turpiatus*, idem atque *Deformatus membris*, & inde dici cœpiſſe *Storpiato*, *Storpio*, *Sterpiare*, *Stroppio*, *Stroppiare*, *Stroppiato*. Additum fortaſſe fuit *S.* pro more Italorum, ut *Torcere*, *Storcere*, *Tirare*, *Stirare* &c. Gallis quoque eſt *Eſtropier*. Sed opinor, hanc eſſe unam ex tot vocibus, quas Itali in Galliam importarunt, ut alibi oſtendi.

Storto. *Obliquus*, *Indirectus*. Vide ſupra ad vocabulum *Stento*.

Stoviglie, & *Stovigli*. *Vaſa Coquinaria*. Vox Tuſcorum, qua Lombardi carent. Ab illâ Menagius abſtinuit. Neſcio, an videri poſſit nomen hoc ex Germanico *Stube* profectum, quo ſignificatur *Hypocauſtum*, nunc *la Stufa*, Mutinenſibus, aliiſque finitimis Populis *la Stuva*. Si Majores noſtri uſi forte fuere ipſo Hypocauſto ad parandas dapes, ideſt ſi Culinæ loco fuit eis Hypocauſtum, jam haberemus, cur Vaſa Coquinaria appellata fuiſſent *Vaſa Stubilia*, unde *Stoviglie*. Ego tamen rem dubiam relinquo.

Stracciare. *Lacerare*, *Diſcindere*. Guietus ab *Extraho* progenitum putavit hoc verbum, quaſi *Straccio* ſit pars detracta e veſtimento. Scipio Gentilis, & Monoſinius e Græco Ῥάκος derivarunt. In hanc opinionem inclinat Menagius. Carolus Datus a *Strazio*, *Straziare* efformatum ſuſpicatur *Straccio* & *Stracciare*; tum cenſet cum Menagio, *Straziare* manaſſe e *Strages*. His aliorum ſententiis ſit ſuus honor. Attamen cum Octavio Ferrario ſtatuendum mihi creditur, verbum Italicum *Stracciare* deſcendiſſe ex Latino *Diſtraho*, *Diſtractum*, *Diſtractio*, a quo poſtremo vocabulo vulgus exſculpſit *Diſtractiare*, ac denique pro conſuetudine Italicæ Linguæ *Stractiare*, *Stracciare*. Ita ex *Allicio*, *Allectum*, *Allectare*, *Allettare*; ex *Devenio*, *Divenire*, atque e *Deventum*, *Diventare* &c. Majores noſtri deduxere. Similiter a *Diſtraho*, *Diſtractio*, ſignificante *Dividere*, *Dilaniare*, *Separare*, *Straccio* enatum. *Membra divellere ac Diſtrahere*, Tulliana phraſis eſt, uti & *Lacerare ac Diſtrahere*. Durat eadem ſignificatio in Italico verbo *Stracciare*. Et fortaſſis ex hoc ipſo fonte, potius quàm e *Strages*, manavit *Straziare* & *Strazio*.

Stracco. *Feſſus*, *Laſſus*. Eſt unius Italicæ Linguæ vox. Habet quidem Germanica *Strack*: ſed ſignificat *Rectum*, *Directum*, eique propterea nihil rei eſt cum *Stracco* Italicorum. Uti nuper ad vocabulum *Stanco* animadverti, puerile Etymon mihi videtur Menagianum illud, hoc eſt, e *Siniſter*, *Siniſtracus*, deducere *Stracco*. Sed & ego heic omnino cæcutio. Attamen, non quod aliquid me reperiſſe mihi perſuadeam, ſed ut aliorum ingenium excitem ad perſcrutandam abſtruſam vocis hujus originem, unum ſubjicio. Nempe per

perpendendum eſſe, num e paulo ante A memorato verbo Latino *Diſtrahere*, ſubintelligendo vires, & hoc alterum, *Straccare* nimirum, manaſſe potuerit, unde poſtea *Stracco*. Non ſemel monui, Veteres convertiſſe verba tertiæ conjugationis Latinorum in modulum primæ. Pro *Diſtrahere* dixiſſe potuerunt *Diſtrahare*, quemadmodum Lucifer Caralitanus Epiſcopus Sæculo Chriſti Quarto pro *Abigere* dixit *Abigare*. Alibi quoque animadverti, Majores noſtros *H.* per *CH.* reddidiſſe. Vide ſupra ad vocabulum *Gufo*. Num ergo *Diſtrahere* immutatum in *Diſtrahare* genuiſſe tamdem potuit *Diſtrachare*, ac demum brevitatis ergo *Straccare* B, uti ex *Diſtractum & Diſtractio*, verbum alterum *Stracciare* ſeu *Straziare*, & *Straccio* vel *Strazio*, veriſimiliter effluxiſſe nuper monui?

Strale. *Sagitta*. Si Ferrario & Menagio fides, a *Traho* & *Tragula* Latino Italicum *Strale* deſcendit. In mentem prius venerat eidem Menagio, vocabulum hoc arceſſendum e Germanico *Straal*, ſeu *Stral*, ſignificante *Radium Solis*; ſed hujuſmodi opinionem abjecit. Attamen verum eſt, uti jam Hickeſius monuit, ex Germanica Lingua ad nos hanc vocem migraſſe. Nam Gothicum vel Francicum eſt *Stral* vel *Strala*, proprie ſignificans *Sagittam*, C *Telum*, *Spiculum*, *Jaculum*. Veteres quoque Saxones dixere *Strael*, & *Straela*. Supereſt ergo, ut dicamus, ſervare adhuc Germanos hanc vocem, eam tamen metaphorice dumtaxat uſurpantes, appellando *Radios Solis Strali del Sole*.

Strappare. *Evellere*. Nihil dubitans, ab *Exſtirpare* trahit Menagius. Ab *Extirpo* nos efformavimus *Sterpare*. Non ergo *Strappare*. Quare perpendas velim, an ex *Extra Rapere* confici potuerit *Extrarapare*, uti de tot aliis verbis apud Latinos tertiæ Conjugationis factum fuit, quæ in *Are* Itali antiquitus deflexerunt. Vide *Branche*, & *Chiappare*. Num ſenſim D *Strarapare* compendii cauſsâ *Strappare* evaſit?

Strapazzare. *Probris aliquem onerare*, *Contumeliis afficere*. Ferrarius ex *Depretiare*, *Expretiare*, *Tranſpretiare*, reluctantibus Superis & inferis, deducebat hoc verbum. Neque felicius Menagio ſucceſſit, dum e *Tranſpatiare*, aut *Tranſpaſſare* enatum voluit. Uti ſupra ad verbum *Dileggiare* dixi, veteres appellabant *Strapazzo*, ideſt *grandemente Pazzo*, quem probris appetebant. *Strapazzare* nihil aliud mihi eſt, niſi ingerere alicui contumelioſum hoc nomen *Stra-pazzo*. Ita *Dileggiare* e *Dileggiato* emerſit, & *Villaneggiare* e *Villano*. E

Striſcia. *Segmentum rei alicujus*. En Menagii Etymon. A *Stringo*, *Strigo*, *Strixi*, *Strixus*, *Strixius*, *Strixia*, *Striſcia*. Ego Germanicæ potius originis hanc vocem opinor: quippe Germanis eſt *Strich*, ſignificans *Linea*, *Riga*, *Liſta*. Gallorum more pronuntiando *Striſc*. Itali fortaſſis efformarunt *Striſcia*. Et quemadmodum Germani dicunt *ein Strich landes*, ita nos *una Striſcia di paeſe* dicimus, & *Striſcia di panno*, *di carta* &c. Anglica quoque Lingua ex Germanis hanc vocem mutuata videtur, ac durius eam pronuntians, habet *Streak*, ſignificans *Striſcia*, *Riga*. Belgis eſt *Streek*.

Strozzare. *Jugulare*, *Strangulare*. Vox omiſſa Menagio. Cramerus Germanicum verbum *Strotzen* uti proprium illius Linguæ, atque idem ſignificans, nobis exhibuit. An ita res ſe habeat, eruditis Germanis decernendum dimitto. *Strozza* pro *Gutture* nonnulli uſurparunt.

Stufa. *Hypocauſtum*, *Cubiculum clauſum ab igne calefactum*. Salmaſius a Græco Τύφειν, quod eſt *Accendere*, hoc vocabulum deduxit, cui ſe jungit Menagius. Lipſius verò a *Tubo* derivavit. Verùm uti Voſſio, aliiſque viſum eſt, ſine dubitatione tribuenda videtur origo vocis hujus Germanicæ Linguæ, quæ *Stube Vaporarium* appellat. Lombardi per *V.* conſonans adhuc pronuntiant *Stuva*, ſed Tuſci preſſius pronuntiantes, *Stufa* dixere, Saxonum more, qui *Stofa* ajunt. Galli quoque effecerunt *Eſtuve*. Angli & Belgæ *Stove*; ut videas antiquis temporibus Septemtrionales Populos potiùs per *V.* conſonans inflexiſſe hanc vocem: quod & adhuc Lombardi noſtri faciunt. Neque erat, cur Voſſius & alii quærerent, an ipſum Germanicum *Stub*, ſive *Stube*, a Latino *Æſtuo*, aut a Græco Τύφειν deſcenderit: Pura puta vox Germanica illa videtur, a *Stoven*, quod eſt *Fovere*, profecta. Simile verbum ex Germania acceptum uſurpant Angli, nempe *Stow*, cujus ſignificatio eſt *Claudere*, *Cuſtodire*. Nimirum: *Stube* & *Stufa* appellata *Cuſtodia* ſive *Cubiculum clauſum*, quo ſe recipiebant homines, arcendi frigoris cauſsâ. Atque hinc itidem prodiiſſe videtur *Stufato* Italicum inter dapes, quod caro in olla bene concluſa cum butiro, vino, ſale, & aromatibus paullatim coquatur. Angli vocabulum a *Stow* diverſum uſurpant, hoc eſt *to Stew*. Sed Dani appellant *Eſtuver*, quod a *Stuva* factum. *Stuffato* etiam & *Stuffo* Mutinenſibus in uſu eſt, ac ſignificat hominem tœdio affectum, quod Tuſci per voces *Stucco* & *Riſtucco* exprimunt. An a *Stufis* deſumtum fuerit vocabulum iſtud, inquirendum aliis relinquo.

Subbiſſare. *In profundum dejicere*. Fallitur Menagius, qui a *Subaſſare* hoc verbum hauriendum docet. Suam originem debet a Barbaro-Latino verbo *Subabyſſare*, hoc eſt, *ſub abyſſum mittere*. Contractum poſtea pro more Italicæ Linguæ in *Subbiſſare* evaſit.

Succiare. *Exſugere*. Vide ad verbum *Aſciugare*.

Svellere. *Eripere*. *Svelto*. *Ereptus*, *Agilis*. Norunt omnes, Latinum *Evellere*, ſive *Exvellere* ita redditum ab Italis, qui ejus poſtea inflexionem corrumpentes, pro *Evulſi*, *Evulſum* dixere *Evelſi*, *Eveltum*, unde *Svelto*. Dicimus etiam *Svelto* pro *Agilis*, ac ſolutis membris habilis. Utuntur & Hiſpani. Eâ ſignificatione Ferrarius natum cenſet *Svelto* ab *Evolutus*. Difficile credam. Ab *Exvolvere*, ſeu *Evolvere* traximus *Svolvere*, & *Svolto*. Mihi potius creditur, ab eodem *Evello* manaſſe *Svelto* ad ſignificandam membrorum *Agilitatem*, mutuo acceptâ ſignificatione a Pictoribus, quibus *una Figura Svelta* appellatur, quæ ita efformata eſt, ut

ut vulgus *[illegible] e ſentirſi muovere* ſe videatur, & quamdam Agitationem membrorum per ſe ſentiat.

Svezzare. *Ablactare*, ut opinantur Vocabularii Florentini Scriptores. *Da Vezzo nel ſignificato di coſtume* prodiit hoc verbum, inquit Menagius. Illud certum eſt, *Svezzare* nihil aliud eſſe niſi *Diſavvezzare*, ſeu *Diſvezzare* contractum. Neque enim proprie *Svezzare* ſignificat *Ablactare*, uti ſibi perſuaſere iidem Scriptores, ſed quidem *Deſueſcere*, aut *Deſuefacere*. *Svezzato dalla poppa*, *Svezzato di mangiare*, *Svezzato di vedere* exempla ſunt a Florentinis producta. Menagius vero ad vocem *Vezzo* putat, *Avvezzo* natum e *Vitium* Latino. Mihi veriſimilius creditur, ex *Aſſuetus* efformatum fuiſſe *Aſſuetiare*, *Aſſuezzare*, *Avvezzare*, unde *Avvezzo*; ac inde deſumtum *Diſavvezzare*, *Diſvezzare* & *Svezzare*.

Suppa. Jus carnium cum pane. Vide Diſſertationem XXV. *de Textrina*.

Suſina. *Prunum*. A Syriâ, ubi magno in pretio fuere *Pruna Damaſcena*, putat Menagius, derivatam eſſe vocem *Suſina*, quaſi *Syriaca*. Ejuſmodi Etymologiam non fert literarum nimia diverſitas. Arbitror ego, uti *Pruna Damaſcena* e Civitate Damaſci nomen accepere, ita *Suſina* e *Suſa* celebri Civitate Perſiæ originem traxiſſe, quæ olim Regni caput fuit. Plinio memoratur *Oleum Suſinum*, & ex ea Urbe ejuſmodi appellatio venit.

T

Taccia. *Macula*, *Labes*, *Infamia*. *Tacciare*, *Inſimulare*, *crimen alicui inferre*. Ab antiquo *Taxo*, quod idem eſt atque *Tangere*, trahit hanc vocem Menagius, Salmaſium ſequutus. Animadverte, an expeditiori viâ deduci poſſit e Latino *Taxare*. Teſtibus Plinio ſeniore & Feſto, apud veteres *Taxare* ſignificavit etiam *Maledictis tangere*. Nos Lombardi adhuc retinemus *Taſſare* eâdem ſignificatione. Tuſci e *Taxare*, *Taſſare*, ſenſim efformaſſe potuerunt *Tacciare*, & inde *Taccia*, uti & Galli, qui *Taxe* immutarunt in *Tache*. Fortaſſis etiam Gallicum *Tache* nobis dedit *Taccia*. Habet Dialectus Mutinenſium *Tecca*, ſignificans *Labeculam*, *Mendam*. Minime videtur diverſæ originis a *Taccia*. Quare conſiderandum, num *Tecla*, *Teclare*, *Teclatura*, quæ vocabula in Legibus Langobardorum occurrunt ad ſignificandam *inciſionem* factam in arboribus terminorum indicibus, originem dediſſe potuerint ejuſmodi voci. Eſt nobis etiam *Tacca*, proprie ſignificans, uti monuerunt Academici *della Cruſca* in Vocabulario, *piccola inciſionem*. Sed & ipſum *Tacca* ſignificat *Maculam*, *Vitium*, *Labem*, ita ut non diſtinguatur neque a *Taccia*, neque a *Tecca*. Certe non ſubſcribas Menagio, derivanti *Tacca* a *Taliare*; neque Ferrario, deducenti ab *Attaccare* Italico verbo. Primum literis nimium diſtat a *Tacca*: alterum ſignificatione diverſum eſt. Neque Du-Cangius facile perſuadebit mihi *Teclaturam* Langobardicam perdurare in vocabulis Gallicis *Eclats* & *Ecla*-

turet, nobis *Schegge*, *Fruſtula*. Diverſa eſt harum vocum ſignificatio, ac T. fruſtra illa requiras.

Taffeta. *Panni ſericum*. Perſæ *Taftah* hunc ipſum pannum appellant. Quare ad eos fortaſſe referenda eſt vocis origo, aut ad Germanicum *Taffet*, ut vult Ferrarius.

Tagliuola. *Laqueus*, quo pedes animalium irretiuntur. *Pedica* dicitur in Vocabulario Florentino. Non attigit hanc vocem Menagius. Ut *Pedica* a *Pede*, ita *Taliola* a *Talo* appellata, quod laqueo conſtringerentur feratum *Tali*. In Lege 315 Rotharis Langobardorum Regis: *Si in Pedica, aut in Taliola, fera tenta fuerit*. Ita & in ſubſequenti Lege. Quare inter *Pedicam*, & *Taliolam* aliqua diverſitas fuit.

Tana. *Antrum*. Vide Diſſertationem XXV. *de Textrina*.

Tanſo. *Situs*, *Mephitis*, ut ajunt Florentini Vocabularii Auctores. Rectius fortaſſe *Graveolentia*. Hæc enim vox ad omnes moleſtos odores extenditur. Ab *Olfacitus* eam derivabat Ferrarius. A *Muffa* deducebat Menagius. Uterque a ſcopo declinavit. Puram putam Germanicam vocem *Dampff*, quæ *Fumum*, *Vaporem*, *Exhalationem* ſignificat, nos in *Tanſo* convertimus. Germanis quoque eſt *Dampf*, eadem, ut puto, vox. Inde Mutinenſibus *Tuffo*, ut ſupra in hac ipſa Diſſertatione monui.

Tarpare l'ale. *Alas volucrum debilitare curtando*. Verbum eſt ab uſu vulgi remotum. Fruſtra adhuc inveſtigata eſt ab Eruditis vocis hujus origo. Ignota eſt & mihi. Ejus tantummodo mentionem feci, ut moneam, confidentiâ ſuâ pro more uti Menagium, quum *Tarpare* a Latino *Exſtirpare* prodiiſſe cenſet, addendo etiam: *Viene ſicuro*. Aliud eſt *Exſtirpare*, quod nos in *Sterpare* convertimus, aliud *Tarpare*, quod *Debilitare*, *Decurtare* ſignificat, ut ex vocis definitione conſtat. Immo neque certum eſt, ab ipſo *Exſtirpare* progenitum fuiſſe Italicum *Strappare*, uti ſupra adnotavi.

Tarra, ſeu *Tara*. Mutinenſibus hoc vocabulum ſignificat, quidquid ſuperflui e rebus ad ſtateram venumdatis detrahendum eſt. Oleum una cum utre ipſum continente, Farinam cum Sacco appendere ſolemus. Poſtea utris, & ſacci pondus detrahimus. Detractionem iſtiuſmodi, *Tarra* vulgari ſermone noſtro nuncupamus. Ita capſæ, urcei &c. occaſione pari, la *Tarra* dicuntur. Puram putam Arabicam vocem ſuſpicor, quam mercatura invexerit. Arabicæ videlicet Linguæ eſt *Tarra*, ſignificans *Reſectum fuit*, *Projecit*, *Removit*, uti fidem faciunt Giggæus & Gollius. Vocabulum iſtud non agnoſcunt Auctores Vocabularii *della Cruſca*. Habent quidem *Tara*, idem quod *Tarare*, quod ita explicant. *Si dice dal Saldar de' conti, e vale ridurre al giuſto il ſoverchio prezzo, domandato dall'Artefice o Venditore*. Quicumque intime rem perſpiciat, conſentiet, ut puto, ex eodem Arabico fonte & hanc vocem deſcendiſſe. Scilicet *Tarare* proprie ſignificat detrahere, ſive reſecare, quidquid in contractibus, aut in rati ne dati & accepti, ſubducendum eſt, ac minime computandum.

Tar-

Tartagliare . Balbutire . Fu detto per reduplicazione da Tagliare . Tagliare , Tatagliare , Tartagliare . Ovvero da Intertaliare. A Verba ſunt Menagii . Sed quid rei, quæſo , eſt verbo *Tagliare* cum hæſitantia linguæ ? Neque a Τραυλίζειν cum Ferrario verbum hoc deducas . Uti *Balbutire* Latinum a ſono vocis efformatum jure creditur , quod *Balbi* pronuntiaturi vocabulum , in quo *Ba* ſyllaba prima ſit , illam repetunt dicendo *Ba-ba* : ita *Tartagliare* inde enatum videtur, quod hæſitantes linguâ *Tar-tar* , ſive *Ta-ta* pronuntient.

Taſſello . Pezzo di panno attaccato di fuora ſotto 'l bavero del mantello , ajunt Auctores Vocabularii Florentini . B Significat etiam quamdam incudis ſpeciem ; & fruſtum ligni , aut lateris , quo pavimentum reſarcitur . Multa quidem habet Menagius de origine vocis hujus , quæ recte conſiderata , in auras evolant . Inquit præcipue, a *Pecia* efformatum fuiſſe *Taſſello* hac ratione : *Pecia* , *Peciare* , *Peciata* , *Peciatare*, *Peciatacium*, *Tacium*, *Taſſium*, *Taſſum*, *Taſſa*, *Taſſello*. Vix hæc legens, riſum contineas . Unus Ricordani Malaſpinæ locus adfertur , ubi commemorat *una gonnella ſtretta , e di groſſo ſcarlattino di Proino* (vocem hanc emendat Menagius ſcribens : *E' da leggere d'Ipro* . Sed fallitur. Vide Diſſertationem XXVIII. C *de diverſis Pecuniæ generibus*, ubi oſtendi, Oppidum Gallicum *Pruvin* celebre olim extitiſſe ob pannorum ſtructuram) *e un mantello foderato di vaio , col Taſſello di ſopra* . Mihi *Taſſello* nihil aliud eſt , niſi ipſa panni pars , addita ſuperiori limbo Pallii, quam appellamus *Bavero* . Nempe Pannus ſuperimpoſitus Panno . A Mutinenſibus frequentiſſime adhibetur *Taſſello*, ſignificandi cauſsâ *Tabulatum* in ædibus , & in rebus per ordinem diſpoſitis ad Tabulati ſimilitudinem . Ficus , ova, atque aliæ hujuſmodi res convehendæ , collocantur in ciſtis per Tabulata, ſive Strata, quæ nos *Taſſelli* dicimus . D Gallicum *Tas Seriem* & *Congeriem* rerum ſignificat, ſed fere ſemper ſine ordine conjunctarum . Acceperunt autem Mutinenſes hoc nomen in poſteriori ſignificatione e Græco Τάξις, hoc eſt, *Ordo*, quod in *Taxellum* , *Taſſello* , diminutivum vocabulum, converterunt .

Taſta. *Lemniſcus*, aut *Turunda* (ſi tamen poſtremæ huic voci fidendum eſt) ideſt filamenta , quæ in vulnera immittuntur . Piget me , adferre Menagianam Etymologiam petitam e Græco Μοτός , hac ratione : *Motos*, *Mota*, *Motaſtus*, *Motaſta* , *Taſta* . Quid inter mera phantaſmata, ac hujuſmodi Etyma interſit , non video . E Non diſpar Ferrarii opinio, putantis *a Taxilli ſimilitudine* veniſſe *Taſta* . Malo ego fateri me heic plane cæcutientem , quàm Etymon nullo fundamento fultum proponere . Dicam potius , videri mihi , Salmaſium rarâ illâ eruditione , qua pollebat, tum uſum non fuiſſe, quum in Notis ad Vopiſcum in Vita Aureliani, pag. 407. ſcripſit, *Pannos fuiſſe faſcias & zonas , quibus veſtes ornabantur* , addens ſubinde: *Vegetius Lemniſcos & Pannos indifferenter pro eâdem re uſurpat Lib* 3. *Cap*. 18. Artis ſcilicet Veterinariæ. En Vegetii verba: *Contra inciſuras quatuor foraminibus cautere pertunde , & Pannos , vel Lemniſcos ex aceto ſub cute per foramina trajicies* . Non animadvertit vir, Criticorum ſui temporis princeps , *Pannos* & *Lemniſcos* apud Vegetium nihil aliud eſſe, niſi noſtrum *Taſta* . Cornelius Celſus ſub Tiberio Auguſto *Linamenta* & *Lemniſcos* appellavit filamenta in vulnus indita . Rurſus eodem Sæculo Columella *Pannorum* nomine eoſdem *Lemniſcos* deſignavit . Quippe *Panni* fuere lintea uſu obtrita, teſtibus Suetonio in Caligula Cap. 35. Terentio , & aliis ; unde *Pannoſus* . Atque alibi Vegetius ſupra laudatus & *Pannum* & *Lemniſcos* eâdem ſignificatione uſurpat. Lib. 2. Cap.48. inquit : *Ficus Aphros contundes in pila , & induces in Panno* &c. *Per foramina etiam uſtionis Lemniſcum trahi debere* &c. Docet nos idem Menagius, ex Italico *Taſta* efformatum fuiſſe *Tanſta* , ac deinde *Tanta*, & denique Gallicum *Tente*, ſignificans *Lemniſcum* . Ne hoc quidem facile credas. Gallica vox dubitationem potius ingerere nobis poſſet , an adhibita olim *Taſta* fuerit , ad explorandum, quæ foret ulceris ſive plagæ altitudo . Nam idem nomen *Tenta* Florentiæ in uſu eſt ad deſignandum *Specillum* , ſive ſubtilem haſtam ferream , qua Chirurgi ſcrutantur profunditatem vulnerum . Si hoc olim factum fuiſſet, intelligeremus, cur Lemniſcum Galli *Tente* appellent , a *Tentare*, ut puto ; nos verò *Taſta* a *Taſtare* , hoc eſt, *Explorare*. Sed quia ad alium finem Lemniſcus in vulneribus adhibetur , in conjectura hac conſiſtere non audeo , Tagaultius in ſuis Inſtitutionib. Chirurgic ſcribit , adhiberi *Turundas* , *ſeu Penicilla, & Linamenta* (*quæ & Lichinia vocant*) *quum vulnera ſunt amplianda vel detergenda , vel quum aliquid ab eorum fundo vacuandum eſt* . An ex hoc fine Italicum *Taſta* , & Gallicum *Tente* , nomen acceperint , Eruditis dijudicandum relinquo.

Tattera . Hanc vocem *Malore vergognoſo* &c. Menagius explicat , atque ait , a ſimilitudine fructuum palmæ, qui Italice *Datteri*, Græce & Latine *Dactyli* appellantur , invaluiſſe vocabulum *Tattera* . Mera ſomnia . Quod alicubi *Tattera* nuncupatus fuerit is morbus, nihil moror, quamquam hanc vocem ſub eâ ſignificatione minime agnoſcat communis Italicorum Lingua : neque eam ſub hoc ſenſu commemoravit Vocabularium Florentinum . Irridendi cauſsâ ejuſmodi morbum aliqua gens eo nomine donarit . Numquam certe e *Datteri* effluxit vocabulum *Tattera* . Mihi plane ignota eſt origo illius . Nota tamen ſignificatio, quam apud Mutinenſes, alioſque finitimos Lombardiæ ac Italiæ Populos retinet; nempe *Tattere* appellantur *Le Robe, o ſia Mobili di poco valore*, uti fere ſunt, quæ in pauperum tuguriis conduntur . Quod præcipue animadvertendum , eadem vox communis eſt & Anglicæ Linguæ , cui *Tatter* , idem ſignificat atque Italicum *Tattera* . Uter Populus ab altero acceperit , decernere non auſim. Fortaſſis uterque ab antiquiſſimis Borealium regionum Linguis didicerit .

Tazza . *Cyathus*, *Poculum* . Arbitratur Menagius a Græco Πλατύς *Latus* , *Lata* &c. hanc

A hanc vocem deſcendiſſe per hanc metaleſin Italam: Plattus, Plata, Plataſſus, Plataſſa, Taſſa, Tazza. Apage ejuſmodi nugas. Neque felicius Ferrarius e Teſſeris trahit. Apud Arabes occurrit mihi Alcaſſa, ſignificans Crateram, aut Calicem ad bibendum. Hiſpani quoque unde ſumſiſſe ſuum Taza credendi ſunt.

Tema. Vide ſupra ad vocabulum *Tanto*.

Tempellare. Menagio vox inſalutata. Vocabularii Florentini Auctores vim & originem verbi minime aſſequuti mihi videntur. Ajunt enim ſignificari per illud, *pianamente crollare*, *dimenare*. *Forſe detto dal tempo dell' orivolo*. Accipe originem veram e B Langobardorum uſu. Lignea tabula, in cujus media ſuperficie mobilia duo vel plura veluti manubria e ferro utrimque infixa ſunt, a Monachis appellabatur, & adhuc vocatur *Tempella*. Tabula hæc noctu manibus agitata, Monachos excitabat, ut ad chorum accederent. Quare facile intelligimus, ideo crepitaculo ejuſmodi inditum nomen *Tempellæ*, quod *Tempus* deſignaret, e lectulo conſurgendi. Hinc manavit *Tempellare*, ideſt ſtrepitum facere agitatione alicujus rei, quod ad alia metaphorice tranſlatum eſt. Mutinenſes, Regienſes, aliique finitimi Populi, nomen illud corrupere; nam *Tamperla* pro *Tempella* dicunt. C

Tenzone. *Concertatio*. Nil de hac voce Menagius. Illam Bembus Cardinalis e Provincialium Lingua ad nos migraſſe arbitratus eſt. Et profectò a Provincialibus Poetis *Tenſons* appellabantur Diſputationes quædam de Amore profano. Attamen nihil aliud eſt *Tenzone*, niſi Latinum *Contentio Contentionis*, abjectâ præpoſitione *Cum*, ſive *Con*. Inde *Tenzonare*, Diſputare cum aliquo.

Tetta. *Mamilla*. Ferrarius & Menagius Eſychii Gloſſarium ſcrutati, ibi offenderunt *Τιτθὴ*, *μαστὸς*, ἢ *τροφὸς*: ideſt *Mamma*, *Nutrix*. Satis ſuperque id fuit, ut Italicum *Tetta* & *Tettare*, Græcæ originis eſſe D pronuntiarent. Non ſemel dixi, parum nobis eſſe fidendum Gloſſariis, quum recentiores Græci multas Italicas voces in ſuam Linguam invexerint. Itaque ajo, hanc e Germanica Lingua eſſe petendam. Nam etſi nunc *Dutte Mamilla* ab ipſis appelletur, veteres tamen more mutandi *D.* in *T.* dixerit *Titte* & *Tette*. Et revera Angli Germanorum filii dicunt *Teat*, ſive *Tet*. Saxones antiqui dixere *Titte*: Franci *Teton*: Cambro-Britanni *Teth*. Hickeſius quoque hanc Etymologiam olfecit.

Toccare. *Tangere*. Ab ipſo *Tangere* derivavit Menagius. Neque a vero abhorret Etymon, quamquam multa ibi ſint immutanda. E Hickeſii nuper laudati ſententia eſt, *Toccare* ex veteri Gothico *Tekan* manaſſe. Antiqui Saxones *Tekan*, *Tacan* pronuntiarunt. Cimbri *Tika* & *Tikia*. Hinc autem prodiiſſe videtur & Gallicum *Toucher*, & *Toucher*, & Hiſpanicum *Tocar*, & Britannicum *to Touch*. Horum Populorum conſenſus, quibus olim dominatæ ſunt gentes Septemtrionales, originem hujus vocis confirmare videtur.

Tomare. *Cadere*. *Labi*. Eſt verbum antiquatum. Apud Mutinenſes perdurat phraſis, *Fare una Tomma*, ideſt *Saltando Cadere*. Et inde natum videtur diminutivum ſeu frequentativum *Tombolare*, quod in uſu eſt. Bertetus & Ferrarius a Latino *Tumba*, quaſi idem ſit ac ruere in Tumbam, traxere hanc vocem. Menagius e *Titubare* deduxit *Tomare*. Hickeſius verò, Septemtrionalium Linguarum peritiſſimus, ex iis enatum ſtatuit Italicum *Tomare*. Eſt enim Cimbricum *Tumba*, ſignificans *Cadere*, *Ruere*, *Præcipitare*. Inde Gallicum verbum *Tomber*. Attamen Græcæ potius originis hoc vocabulum eſſe, contendere potes, quum Græcis ſit Πτῶμα, quo ſignificatur *Caſus* ſeu *Lapſus*. Detracto Π. vides ſupereſſe Τωμα *Toma*, e quo *Tomare* emerſiſſe videtur.

Torcia, *Torchio*. *Funale*. *Intortitium* Barbaro Latini poſtremis hiſce Sæculis appellarunt quatuor candelas conjunctas, quæ uno tempore accendi ſolent. *Torqueo*, *Tortus* dediſſe originem voci, quòd *Funalia funes intortos referrent*, cenſuerunt Menagius & Ferrarius. Quod Etymon mihi quoque creditur amplectendum. Et ſane quæ nobis appellantur *Torcie da vento*, e fune contorto & pice ſaturato conficiuntur. Attamen (inquies) Germanicæ Linguæ eſt *Dorſche*, *Torſche*, *Tortſche*, idem ſignificans ac Italicum *Torcia*. Non abnuo. Si verum ſit, quod Cramerus contendit, hanc vocem eſſe propriam Linguæ illius, neque ab Italia in Germaniam migraſſe, nos ab iis accepiſſe, credendum foret. In ceteris Funalibus noſtri temporis candelas contortas minime intuemur: ac proinde non a *Torqueo* deducenda videtur eorum origo, niſi velimus, piceorum Funalium nomen ad Cerea tranſlatum fuiſſe.

Torſello. *Volumen telæ*, aut *panni*. Vide Diſſertationem XXX. *de Mercatibus*.

Toſto. *Cito*, *Subito*, *Feſtinanter*. Mirum eſt, quàm abſtruſa ſit hujus adverbii nativitas. Propterea ingens heic bellum inter Etymologiſtas, ad quod ſedandum imparem me quoque ſentio. Antiquiſſima vox eſt Italicæ Linguæ. Immo apud veteres etiam invenias *Toſtamente*, *Toſtanza*, *Toſtano* &c. Apud Mutinenſes uſurpatum non audio hoc ſenſu *Toſto*, ſed tantummodo *Più Toſto*, commune Italis fere omnibus: Nam uti dicimus: *Più preſto vorrei andarmene con Dio, che ſofferir queſto oltraggio*, ita in uſu eſt *Più Toſto*, idem ſignificans, atque *Più preſto*. Manavit autem *Preſto* Italicum e *Præſtò* Latinorum adverbio. Dicitur etiam a Mutinenſibus, *Stare con volto Toſto*, *Avere una ciera Toſta*, ſcilicet de iis, qui neque ob minas, neque ob improperia vultum mutant. A Latino *Toſtus* deſcendiſſe videtur. Quo ſenſu etiam dicimus *Avere una ciera Bronzina*. Præterea appellamus *un Uovo toſto*, quod cum ſuo putamine ad ignem coctum, ac induratum fuit. Id ſane e *Torreo*, *Toſtum* emerſit. Sed unde *Toſto* adverbium Italicum, pro *Confeſtim*? Caſtelvetrus noſter a *Torreo*, *Toſtus*, *Infocato*, illud derivavit. Guietus, Ferrarius, & Menagius aut ab *Ocyus*, aut a *Tantocyus*. Sed cur in *Oſto* evaſerit *Ocyus*, numquam rite oſtendas. Nicotius a *Statim*, vel *Cito*, invitis Etymologiæ legibus traxit. Denique Menagius idem, *Iſto iſto*, ſubintelligendo

tempo-

tempore vel *momento*, dediſſe originem adverbio *Toſto* cenſuit. Neque hoc quidem Etymon quiſquam amplectatur. Miror etiam, cur non ab *Actutum* ii efformaverint *Toſto*, quod propiùs quàm *Ocyus* accedit ad *Toſto*. Sed ne huic quidem origini aſſentiendum. Itaque id unum adnotabo, videlicet, difficilè trahi poſſe a Latinorum *Torreo* adverbium noſtrum *Toſto*: aliquam tamen apparere analogiam inter hoc verbum, ac Italicum *Toſto*. Nam *Torreo* eſt etiam *Inflammare*, *Igne Urere*, ut Feſtus ait. Quare uti *Ardens* metaphorice pro *Feſtinans* adhibitum fuit, ita *Toſtus* eodem ſenſu uſurpatus fuiſſe videtur. Vergilius I. Æneid. inquit:

A

B

Inſtant ardentes Tyrii. - - - - - - -

ideſt, ut Servius ait, *multum Feſtinantes*. Et Lib. 12. Æneid. legimus:

Ardet in arma magis. - - - - - -

hoc eſt, *Properat acrius in arma*. Sed & in voce *Torrens*, velocitatis ineſt ſignificatio. Tullius Lib. 2. de Finibus: *Fertur quaſi Torrens oratio*; qui & poſt pauca ſubdit: *Nuſquam orationem Rapidam coërceas*. Verùm cogitanti mihi, quantùm interſit inter *Torrens* & *Toſtus*, quamquam utrumque e *Torreo* deſcendat, durum ſemper videtur, inde arceſſere Italicum *Toſto*. Quum Francis etiam ſit *Toſt* pari ſignificatione, Boxhornius Celticam vocem eſt arbitratus. Quod ubi des, ad nos e Gallia veniſſet adverbium *Toſto*.

C

Tovaglia. *Mantile*. Itali hac voce *Mappam lineam* ſignificant, quâ menſa tegitur. A Latino *Torale*, ſi Ferrarium, Menagium, ac Bertetum audimus, efformata fuit. Dubitavit Carolus Dati, an ex *Tavola*, ſcilicet *Tabula*, emerſiſſe potuerit *Tovaglia*. Verùm prælaudatus Hickeſius oſtendit, ex veteri Francorum voce *Tuele*, *Duele*, *Duvahilo*, Italicam eſſe deducendam. Gallis etiamnum eſt *Tovaille*, quod Fureterius ex Italis mutuatos eſſe Gallos opinatur. Apud Latino-Barbaros *Tobalea*, *Toacula*, *Toalia* &c. occurrit. Vide Du-Cangium. Porro Franci, uti omnibus notum, Germanica gens fuere; ipſiſque Germanis in uſu hoc idem nomen fuiſſe produnt vetuſtiſſimæ Gloſſæ Florentinæ ab Eccardo editæ, ubi Latinum *Manutergia* redditur per Teotiſcum *Tuvahilla*.

D

Tozzo di pane. *Fruſtulum panis*. *Da Fruſtum*, inquit Menagius, *Fruſticium*, *Tucium*, *Tozzo*. Hæc pro arbitrio excogitata. Mutinenſes aliique Lombardi pro *Tozzo* dicunt *Tocco*, ſeu *Tocc*, *O.* aperte pronuntiato. *Un Tocco di pane*, *un Tocco di ſalame*, *un Tocco di formaggio* &c. ideſt *un Pezzo*, *un Tozzo*. Ita etiam metaphorice dicunt *un Tocco di Furbo*, *un Tocco di Forfante* &c. Fortaſſis & iſta vox Germanicæ originis eſt: nam *Pezzo*, ſive *Fruſtum* ab iis appellatur *Stuck*, quod Lombardi in *Stocco*, *Stocc*, & denique abjecto *S.* initiali, in *Tocco*, *Tocc* immutaſſe potuerunt; Tuſci verò in *Tozzo*. Videant Neapolitani, num *Tozzolare*, ab ipſis adhibitum, ut ſignificent *Battere alla porta*, natum fuerit e *Toccare*, *Toccolare*, an a *Tozzolo* diminutivo, ſive fruſto mobili ligni ſeu ferri in oſtiis domorum fixo.

E

Traballare. *Clam captos dimittere*, uti ajunt Florentini Vocabularii Auctores, ac propterea idem atque *Traſugare*. Mutinenſibus *Traballone* hominem ſignificat, cui veſtium, ſive opum ſuarum aut alienarum nulla eſt cura, quippe eas improvide abſumit, unde *Traballdare* & *Strabaldare* eodem ſenſu dicimus. Ab aliis iſtorum verborum originem expecto.

Tracollare. *Corruere*, *Collabi*. *Tracollo*. *Lapſus in terram*. In Diſſertatione XXIII *de Moribus Italicor.* opinabar ego, verbum hoc effluxiſſe ab Italico *Collare*, quo verbo Florentini deſignant tormentum *della Corda*. Additur *Tra* ex *Trans* vel *Ultra*, augmentum ſignificans. Animadverte, eoſdem Florentinos fuiſſe uſos verbo *Collare* pro *Calare*; quare ſuſpicari licet *Tracollare* inde fuiſſe efformatum.

Trafficare. *Negotiari*. *Traffico*. *Negotium*, *Mercatura*. Nemo adſentiatur, ut puto, Menagio deducenti *Trafficare* a *Trasferire*, *Trasfericium*, *Trasficium*, *Traficium*, *Traficum*, *Traffico*. Eoque minus in ſententiam Ferrarii concedat, qui ex *Trajicere* traxit *Trafficare*. Mihi nil ſolidi ſeſe offert, ubi pedem figam. Attamen ajo, tolerabilius fortaſſe acturum, qui ab *Extra* & *Facere* ſuſpicetur enatum *Extraficare*, & demum *Traficare*: nihil enim moror duplex *F.* a Florentinis additum. *Ficare* pro *Facere* in compoſitis uſurparunt Latini ipſi, *Magnificare*, *Amplificare*, *Ædificare*, & alia plura dicentes. Num ergo *Extraficare* merces, quaſi extra officinam, aut extra regionem ducere, ſive divendere merces, efformare potuerunt Majores noſtri? Non abſimili ſenſu Horatius Lib. 2. Epiſtol. 2. dixit:

Laudat venales, qui vult Extrudere merces.

Tragettare, **Traghettare**. A *Transjactare*, ſeu *Transjectare*. Inde *Trajectum Civitas*, & Italica vocabula *Traghetto*, *Tragitto*.

Tralcio. *Palmes vitis*. Etymon hujus vocis accipe, quale ſibi finxit Menagius: *Forſe*, ait, *da Ramus*, *Ramulus*, *Ramulicus*, *Ramulicius*, *Ramulcius*, *Tramulcius*, *Tralcius*, *Tralcio*. Grandi hæc exclamatione excipienda. Voſſius de Vitiis Sermonis, cenſet a *Tranice*, cujus mentio eſt in Lege CCC. Rotharis Langobardorum Regis, *Tralcio* prodiiſſe. Hæc propior vocis origo, immo certa. Addendum quippe eſt, non *Tranicem* eo in loco eſſe legendum, ſed *Traucem*. Ita enim vetuſti MSti Codices Mutinenſes præferunt. E *Trauce* efformatum *Traucio*, & denique *Tralcio*. Vide ſupra ad vocem *Scaltrito*, ubi diximus *AV.* in *AL.* immutari. Opinari ergo fas eſt, aut Germanicæ originis, aut antiquiſſimæ Italicæ Linguæ fuiſſe vocabulum iſtud. Ego tamen dubitare adhuc pergo, Latinum *Tradux Traducis* converſum primo, corruptumque fuiſſe in *Trauce*, ac demum in *Tralcio* evaſiſſe.

Trappola. *Decipula*. In Latio atque in Græcia quæſivit hanc vocem Octavius Ferrarius, & a *Tribolum*, machinâ Græcis etiam notâ, derivatam putavit. In Germaniam eundum erat. Habet enim illorum

quam Linguæ vetuſtiſſimam vocem *Drepen*, *Ferire*, et Eccardus animadvertit, a qua prodiit *Trappa*, in Lege Salic. Tit. 7. memorata, pro *Decipula*, ſive *Muſcipula*. A
Hinc *Trappe* Saxonicum, *Trappe* Gallicum, *Trap* Anglicum, ac Italicum *Trappola*. A *Trappa* eſt quidem Gallicum *Attraper*, *Capere*, *Decipere*: quemadmodum a *Trappola* Mutinenſibus eſt *Attrappolare*, quod idem ſignificat; non verò *Tromper* a *Trappe* Galli deduxerunt, uti Menagius eſt arbitratus. Furetierius e Celtica, ſive minoris Britanniæ voce *Trompa*, quæ *Decipere* ſignificat, & *Trompler*, *Deceptor*, ortum cenſet *Tromper* Gallicum.

Traſtullare, *Oblectare*. *Traſtullarſi*, *Oblectari*. B
Traſtullo, *Oblectamentum*. Menagius heic nobis exultans occurrit, & ait: *Chi cerca, trova, dice il proverbio. Ho lungamente cercata l'origine di queſta voce, e finalmente l'ho trovata*. Accipe felix inventum. *Viene ſicuro da Trans, e da Oblectulare*. Tum conſuetâ licentiâ transformat, immutat, obtruncat hoc verbum, inquiens: *Oblectulare*, *Tulare*, *Tullare*, *Transtullare*, *Traſtullare*. Octavius Ferrarius hanc notam appoſuit: *Otium oblectant* (*idest paſſano il tempo canzonando*) *qui ab Oblectare*, *Oblectulare*, *Traſtullare trahi poſſe ſibi perſuadent*. Et juſta quidem cenſura. Neque enim *Trans* cum C
Oblectulare congruit. Ipſum verò *Oblectulare* ſomniatum plane verbum, & in ſola Menagii officina procuſum, nemo non novit. Neque felicius Etymon a Ferrario ipſo excogitatum, qui ab *Interluſitare* derivat *Traſtullare*. Nimis unum ab altero diſtat. Ne ego quidem quidquam certi habeo. Conjecturam tamen meam (ſomnium ſi appelles, non iraſcor) & ego proferam. *Traſtullo*, uti animadverterunt etiam Academici *della Cruſca* in Vocabulario, *oblectamentum puerile* ſignificat: & *Traſtullarſi*, *Oblectari* ludis inanibus ac puerilibus. Inter hoſce ludos fuit olim & adhuc eſt *Tolleno*, quem in Lege 83. Liut- D
prandi Regis Lib. 6. *Tolenum* appellatum vides. Tabula nempe mobilis, librata ſuper trabem, cujus unum caput dum attollitur, alterum deprimitur. In utroque capite ſedentes pueri, ſeſe oblectant. *Altalena* a Tuſcis nuncupatur, de quo vocabulo dixi ſupra in Diſſertatione iſta. Num prodiiſſe potuit *Traſtullare* e Latino-Barbaro *Transtollenare*, converſo, temporis tractu, in *Transtollare*, & demum *Traſtullare*: & præcipue quod veterum exempla adeſſe videantur, uſurpatum etiam fuiſſe pro *Tolleno*, *Tollo Tollonis*? Iſtud oblectationis puerilis genus ad alia ſenſim oblectamenta, quæ puerile ſapiunt, pro- E
pagari potuit. *Altalena* vox eſt Populi Tuſci, aut Florentinorum dumtaxat, ut puto, ex *Tolenus*, ſeu *Tolleno* ita corrupto; *Traſtullo* & *Traſtullare* totius Italiæ. Fuit & Latinis *Tolutim*, ſeu *Tollutim* incedere, dictum de equis: nunc *Trottare* dicimus. Hoc quoque innuo, ut conſideretur, an e *Transtolutare* emerſiſſe potuerit *Traſtullare*. Denique num e *Trans* & *Tollo*? Licuerit ſuſpiciones haſce producere, donec veri ſimiliora adferant alii.

Tratto. *Modus*, *Aſpectus*. Hoc ſenſu ad nos veniſſe videtur e Germanico *Tracht* ſignificante *Amictum*, *Habitum*, *Formam*, Italice *Portatura*. Atque inde Gallicum quoque *Trait*. Sunt & aliæ ſignificationes vocis *Tratto*, quæ a Latinorum *Tractu* & *Tractus* deſcendiſſe videntur, uti *ad un Tratto*: *al primo Tratto*: *Tratto di corda* &c.

Travaglio. *Labor*, *Moleſtia*, *Cura*. Non contemnenda opinio Caroli Dati, hanc vocem derivantis e *Travaglio*, ſepto nempe ligneo, in quo boves aut equi, ferreis ſoleis armandi, aut curandi includuntur. Sed non ſatisfacit; neque enim ſeptum illud *Travaglio* appellatum videtur, quod jumenta ibi violente claudantur, ſed quod e Trabibus conſtructum ſit. Neque ejus vocis antiqua exempla adferuntur, quum contra antiquiſſima vox ſit noſtræ Linguæ *Travaglio*, *Laborem*, & *Curam* ſignificans; uti & Gallicæ, cui eſt *Travail*; & *Anglicæ*, quæ *Travel* habet. Minus autem probanda ſententia Jacobi Silvii, putantis a *Transviglia* enatum *Travaglio*: uti neque Ferrarii, illud deducentis ex *Tribulatio*, aut ex *Tribulum*. Nimis enim diſtat literarum ſonus atque ſtructura. Sunt & qui a Germanico *Draven*, *Laborare*, vocem deducunt. Adde, recenſeri quoque in Gloſſario Celtico Boxhornii vocabulum *Traſaël*, veluti antiquiſſimum, ſub hac eadem ſignificatione. Et ſane ſi nos a Gallis hanc vocem accepimus, fieri poteſt, ut iſta illius ſit origo. At ſi in Italia vox nata eſt, liceat & mihi meam proferre conjecturam. Scilicet a vero minime abhorrere videtur, ex *Vaglio* ſignificante *Vannum* & *Cribrum*, petendam eſſe originem hujus vocabuli. Nihil autem aliud eſt *Vagliare*, quàm *Concutere* & *Agitare* triticum: ac proinde metaphorice homo *labori* intentus, & operi inſudans, *Travagliare ſe ſteſſo*, ideſt *Agitare ſe ipſum dictus eſt*. Et *Jactatus curis*, *Travagliato*, more nempe tritici in cribro agitati. Ac proinde etiam ipſa *Cura* appellata fuerit *Travaglio*. Et antiquiſſima quidem eſt translatio. Lucæ Cap. 22. verſ. 31. ait Dominus: *Ecce Satan expetivit vos*, *ut Cribraret ſicut triticum*, ideſt *ventilaret*, *conturbaret*, *affligeret*. Verbo *Vagliare* præmittitur *Tra*, ideſt *Ultra* breviatum, quod in compoſitione *Ultra morem*, & *Multum* quandoque ſignificat; aut *Trans*, idem ſonans. Ita *Traantico*, *Valde antiquus*, *Tragrande*, *Prægrandis*, &c. *Travalicare*, *Ultra Proficiſci*, *aut Transgredi* &c.

Treſca. Choreæ ſpecies. Recte Menagius animadvertit, non a Θρησκεύειν Græco deſcendiſſe hanc vocem: quod antea Caſtelvetrus, Monoſinius, & Academici *della Cruſca* cenſuerunt. An autem e Provincialium Lingua (quod Taſſonius eſt opinatus) ipſam Itali acceperint, incertum eſt. Illud quidem pro certo habeo, nugas agere Menagium, quando a *Reſtis* derivat *Treſca*, mirabili iſtâ gradatione: *Reſtis*, *Reſtius*, *Reſticus*, *Reſtico*, *Reſtca*, *Reſca*, *Treſca*. Etymologia Ferrarii eſt, a Latinorum *Triturare*, *Triſcare*, *Treſcare* enatum *Treſca*. Cenſeo ego veri ſimilius, e *Treſchen* Germanicæ Linguæ vetuſtiſſimo verbo, ſignificante *Trebbiare*,

Bat-

Battere il grano, prodiiſſe Italicum *Treſca*, nempe a ſimilitudine. Pro Tuſcorum *Trebbio* & *Trebbiatura*, Mutinenſes, Regienſes, Parmenſes, Mantuani, ac alii dicunt *Tibbia*, & Choreas etiam ruſticanas *Tibbie* nos appellare ſolemus. A Latino *Tribulare* emerſit *Tribbiare* ſeu *Trebbiare*, Mutinenſibus *Tibbiare*. Quod agentes choreas, Triturantibus ſimiles videantur, idcirco Germanicâ voce *Treſcare* dicti fuerunt. Accipe nunc, quæ Sæculo Chriſti Quartodecimo Benevenutus Imolenſis in Commentario MSto ad Comœdiam Dantis ſcripſit Cant. XIV. Inferni, verſ. 40. *Treſcha eſt quædam Danza, ſive genus tripudii, quod fit Neapoli artificialiter valde. Nam eſt Ludus nimis intricatus. Stant enim plures ſibi invicem oppoſiti. Et unus elevabit manum ad unam partem, & ſubito alii intenti facient idem Deinde movebit manum ad aliam partem, & ita facient ceteri. Et aliquando ambas manus ſimul; aliquando vertetur ad unam partem, aliquando ad aliam; & ad omnes motus ceteri habent reſpondere proportionabiliter. Unde eſt mirabile videre tantam dimicationem manuum, & omnium membrorum.* Quod verò, ut ſuſpicor, minus promti maſculi, aut deditâ operâ fallerentur in manuum motibus, ut feminarum vultum aut collum tangerent: hinc *Treſcare* apud Italos, & præcipue apud Mutinenſes, adhiberi cœptum eſt ſignificatione ſiniſtrâ ad eos indicandos, qui cum mulieribus parum pudice manibus utuntur. Hinc etiam *non Treſcare con l'Orſo*, *non Treſcare con gli Archibugi*; *Non Treſcare con chi è da più di te* &c.

Trinciare. *In minutas partes conſcindere*. E *Truncus*, *Truncius*, *Trinciare* deductum fuiſſe, decernit Menagius. Mihi incerta res adhuc eſt. Nam e *Truncus*, ſive e *Truncare* Latinorum habemus *Troncare*. Cur alterum inde verbum plane diſſimile traxerint Majores noſtri? Potius e *Trunculare*, aut *Truncillare* naſci potuit *Trinciare*. Sed animadvertendum, Gallicæ Linguæ eſſe *Trancher*, vel *Trencher*, noſtrum *Tagliare* ſignificans: & inde *Trenchant*, & *Trenchée*. Num inde Italicum *Trinciare*? An illi a nobis?

Trivello. *Terebra*. Vox intentata Menagio, immo neque a Tuſcis uſurpata. Lombardi eam in uſu habent. Florentini appellant *Succhio*, *Succhiello*, quod a *Subula* Menagius fruſtra deducit, quum diverſæ literæ ſint, neque *Subula Terebræ* ſimilis ſit. Noſtrum ergo *Trivello* eſt eadem Latinorum *Terebra*, cujus diminutivum *Terebrellum* nos in *Trivello* immutavimus. *Trivello* dicimus, & *Trivelli*, ac *Trivella*. *Truelle* appellant Galli, quam vocem ii a nobis accepiſſe videntur, non autem a *Trua* & *Truare*, uti opinabatur Menagius. Nihil enim aliud *Trua* fuit Latinis, niſi ingens Cochlear, quo cibus in ollis inter coquendum agitatur, nobis dictum *Cucchiaro*, ac etiam ab immiſcendo *Meſcola*. Quid ergo rei eſt *Truæ* cum *Terebra*?

Troja. *Scrofa*, *Porca*, *Sus femina*. Nihil heic ſpeculatione eſt opus, ſi Menagium audimus. Nam ut ipſe animadvertit, aurei Sæculi Latini vox iſta eſt, ſcribente Meſſalâ Corvino in Libello de Progenie Auguſti ad ipſum Octavium Auguſtum: *Troja namque vulgo Italice*, *Latineque Scrofa*, vel *Sus dicitur*. Sed Menagio diligentius circumſpiciendum erat, ne ſuppoſiticio Scriptore heic uteretur, quando nemo alius inter veteres Latinos Scrofam appellavit *Trojam*. Et revera Opuſculum illud, uti jam Voſſius, ac alii ſubodorarunt, a ſciolo quopiam temporibus barbaricis confictum fuit, indignumque eſt, quod celeberrimo illi Viro, ac Oratori tribuatur. Cujus rei indicio hic ipſe locus eſſe poteſt. Neque enim Scriptor ævi Auguſtæi dixiſſet, Scrofam *vulgo Italice Latineque Trojam* appellari. Si enim *Latina* vox ea fuit, cur *Italicam* quoque appellaſſet? Præterquamquod dum ſpurius ille Meſſala Vergilii verba, nempe *armaque fixit Troja*, a nonnullis explicata ait *de armorum inſigni*, nempe de *Sue fœta*: inſulſam rem nobis propinat. Quare id unum mihi dicendum ſupereſt, latere adhuc originem vocis *Troja* pro *Scrofa*, qua utuntur etiam Mutinenſes. Galli quoque *Truye* dicunt. Ii aut a nobis accepere, aut nobis dedere hanc vocem, quam a voce Scrofarum emerſiſſe ſuſpicari quis poſſit. Antiquiſſimam verò eſſe produnt Gloſſæ Romano-Theotiſcæ, quæ in Gallia ſcriptæ creduntur ante complura Sæcula, ab Eccardo evulgatæ, ubi legitur *Troja*, *Suu*.

Troppo. *Nimis*, *Nimium*. Forſe da *Turba*, inquit Menagius. Suſpicor ego, a *Troppum*, ſignificante *Gregem* rectâ proceſſiſſe Italicum *Troppo*, & Gallicum *Trop*. In Legibus Alamannorum, Tit. 72 legitur: *Si in Troppo de jumentis illam ductricem quis involaverit*. Ita apud Goldaſtum Tom. 2. num. 15. Rer. Alamann. *De Caballis domalibus cum cetero Troppo*. Vides antiquitatem vocabuli. Itaque primo veteres, ut ſignificarent *Multum* aliquorum animantium, dixerunt *Troppum*, quod ad omnia, ſignificantia copiam grandem rerum, ſenſim translatum fuit. Et adhuc Itali hanc vocem uſurpant ad ſignificandum non ſolùm exceſſum, ſed & *Multum* aliquarum rerum. *Troppo più*: *Troppo bene*, &c. Vide Vocabularium Florentinum. An verò *Troppum*, & *Troupe*, ac *Troupeaux* Gallicum, atque Italicum *Truppa*, efformata fuerint e *Turba* (quod opinatus eſt Voſſius) aliis accuratius examinandum erit. Ego difficilè credam.

Trovare. *Invenire*, *Reperire*. Mirum, quantis tenebris circumſita ſit origo hujus verbi. Eas depellere poſſe ne ego quidem mihi tribuo. A *Recuperare* Menagius; a *Reperire* Ferrarius conantur vocem hanc trahere. Quis, quæſo, ſubſcribat? Du-Cangius antiquum vocabulum Gallicum *Treu*, quod *Tributum* ſignificat, nobis offert, inde natum *Trovare* opinatus, quaſi Tributorum exactores dicerentur *avoir Treuvé*, quum *Tributum*, ſeu *le Treu* exegiſſent. Pacato animo conſideranti, nullius pretii & iſtud Etymon videatur. Alii a Græco Εὑρισκω, ſed non felicius derivant. Ego unum addam, nempe perpendendum eſſe, an e Germanica voce *Treffen*, Italicum *Trovare*, & Gallicum *Trouver* manaſſe potuerint. Ger-

Germanis [illegible] illud verbum *Colpire nel ſegno*, *Toccare il ſegno*, *Incontrarſi in qualche coſa*. Per translationem fortaſſis adhibita est hæc vox ad ſignificandam inventionem rei alicujus. Eſt & Germanis eadem *Getroffen*, & *Angetroffen*, *Colpito*, *Indovinato*, *Trovato*, quod propius ad *Trovare* accedit. Anglis idem eſt *to retrieve*, ac noſtrum *Ritrovare*: ſed hoc illi a Gallico *Retrouver* ſumſiſſe videntur.

Trucco. Ludi genus apud Italos, in quo ſuper tabula panno tectâ, & ſpondis circumclusâ, pilis eburneis luditur. *Billard* a Gallis appellatur parum diſparis ſpeciei Ludus, apud quos *Bille* eſt *Pila*, unde venit idem nomen. In uſu eſt etiam nobis *il Trucco da Terra*, cujus fortaſſis inventio alteram præceſſit. Huic autem Ludo juventus robuſtior operam interdum dare ſolet, ligneas quatuor pilas mole ac pondere graves per ferreum mobilem circulum, humi infixum, jactu trajicere, ſeu traducere contendens. Ego ab Hiſpanico *Trocar*, ideſt *Cambiare*, *Permutare*, nobis *Barattare*, & ab Anglico *to Truck*, quod idem ſignificat, deduxiſſem Italicum *Trucco*, quòd ludentes pulſando pilam adverſarii, ſuamque ibi locantes, locum pilarum ſæpe mutant. Sed Covaruvias in Theſauro Linguæ Hiſpanicæ, recentem apud Hiſpanos, & ex Italia illuc advectum Ludum hunc appellat: *De pocos annos* (inquit) *a eſta parte ſe ha entroduzido en Eſpanna, y truxoſe de Italia*. Baileyus verò Anglus luſum a ſuis nuncupatum *Trucks* appellat *an Italian Game*, ideſt *Ludum Italicum*. Quare non ab iis nos, ſed ii a nobis accepiſſe videntur. A Græco Τρέχω, ſive Τρόχος, ſignificante *Currere*, & *Curſum*, deduxit Minſhew: ſed latior, quam par ſit, Analogia videtur. Germani quoque habent *Trock*; verùm & ipſos a nobis didiciſſe opinor. Quum tamen & Gallica Lingua habeat *Troquer*, ideſt *Permutare*, & *Troch*; veri videtur ſimile, Italicam gentem, ad eum Ludum deſignandum, uſam fuiſſe aut Hiſpanico, aut Gallico verbo.

Tuorlo. *Vitellus*, pars rubra ovi. A *Torus*, ſignificante aliquid *rotundum*, unde *Torulus*, trahit hanc vocem Menagius. Hanc *Tori* ſignificationem numquam ille oſtendat apud veteres Latinos, penes quos etiam *Torulus* nihil aliud fuit, niſi *Funiculus*, aut aliquid plane diverſum ab eo, quod arbitratus eſt Menagius. Videant Eruditi, num aliquid conferre poſſit ad hujus vocis originem Mutinenſium Dialectus. Latinorum *Tornus* apud nos evaſit *Torlo*, *N*. converſo in L., uti in *Bologna* e *Bononia*, in *Girolamo* ex *Hieronymus &c.* Animadvertant etiam, an Gallicum *Tour* quidquam conferre poſſit ad hujus vocis originem. Mihi, fateor, nihil occurrit, quod vel levem ſimilitudinem veri præ ſe ferat.

V

V*ago*. *Cupidus*, *Amator*, *Venuſtus*. Menagius & Ferrarius ab *Avidus* hanc vocem petunt. Toto cælo unius ſonus ab

A

altero diſtat. Et quiſnam acquieſcat Menagianæ phantaſiæ, hanc pro ſuo arbitrio metamorphoſin vocis *Avidus* inducenti? *Avidus*, *Avidius*, *Avadius*, *Vadius*, *Vaius*, *Vagus*, *Vago*. Ad hæc habemus *Vaghezza*, qua ſignificatur *Elegantia* & *Venuſtas*, uti & *Vago* pro *Elegans* & *Venuſtus*. Num hæc omnia ex *Avidus*? Nonnulla ſunt nomina, quorum origo nos plane fugiat oportet; caſus enim nobis ignotus, aut conſuetudo vulgi eas peperit. Cur ergo Latinum *Vagus* tot ab inſtitutione ſua diverſas ſignificationes apud Italos poſterioris ævi acceperit, divinare nimium difficile eſt. Finge tibi, olim, Juvenes peculiari titulo appellatos fuiſſe *Vagos*, quod in amores proni, & avidi huc & illuc vagarentur, quæritantes aſpectum feminarum, aut alloqui virgines, aliaſve mulieres adamatas. Et ſane *Vagam juventutem* Martialis appellavit Lib. 2. Epigrammat. 90. inquiens:

B

Quintiliane, Vagæ moderator ſummæ juventæ.

Poſtea invaluiſſe potuit *Vagus* pro *Juvenis Venuſtus*, & *Amator Mulierum*, quemadmodum nunc *il Galante*, *il Cicisbeo*. Aut a *Feminis Vagis*, quæ vagando virorum ſe cupidas produnt. *Uſquequo deliciis diſſolveris, filia Vaga?* habetur Hieremiæ Cap. 31. verſ. 22. Sint hæc ſomnia: non repugno. Certe *Galante* apud nos æque ſignificat *Venuſtum*, & *Amaſium*.

C

Vaglio. *Cribrum*, *Vannus*. Ab ipſo *Vannus* gradatione iſtâ Menagius Italicam vocem traxit. *Vannus*, *Vannulus*, *Vallus*, *Vallius*, *Vallio*, *Vaglio*. Unum ego novi, ſcilicet ſub hoc ſenſu vocem *Vallum* ſeu *Vallus* uſurpatam fuiſſe a Varrone de Re Ruſtica Lib. I. Cap. 52. *Oportet* (inquit) *e terra ſubjactari Vallis, aut Ventilabris*. Ita quod Anglos *to Wallow*, ſignificante *Voltare*, *Rivoltare*, *Dimenare*, *Gittare di ſotto in ſopra*. Accepiſſe hoc verbum Britanni videntur ab eodem fonte, a quo Itali. Mutinenſes pro *Vaglio* dicunt *Vallo*, & diminutivâ formâ *Valletto*, quod primum cum Varrone conſonat. Nunc Germani dicunt *Waltzen*. Fortaſſis olim hoc verbum aliter efferebant.

D

Vaio. *Nigricans*. Latinum *Varius* originem vocabulo huic dediſſe creditur Menagio. Conjecturam illius laudo. Sed meam præferre mihi liceat. E Græco Φαιὸς effluxiſſe puto noſtrum *Vaio*. Inter Nazianzeni Carmina a me evulgata in Anecdotis Græcis, Ducenteſimum quartum hæc habet.

E

Λεύκου, καὶ Μέλανος μικτὴ φύσις ἐστὶ τὸ Φαιόν.

Ideſt: *Ex albo nigroque mixta natura colorem Phajum*, ſeu *Fuſcum parit*. Idem tradit Alexander Aphrodiſæus, cujus verba in Notis attuli. Græcorum *Phaios* nos facile convertimus in *Vaio*, Macedonum more, qui pro Φ. uſurpabant B. Plutarcho teſte; immo & Latinorum, uti Quintilianus fidem facit. Non unum exemplum attulit Feſtus ad vocem *Balæna*. Procopius Lib. I. Cap. 18. de Bello Gothico, Beli-

A Beliſarii equum deſcribit, *qui toto Fuſcus corpore, anteriorem corporis partem a ſumma fronte ad nares eximio candore inſignem habebat. Equum ejuſmodi vocitant Græci* Φαλιὸν (*Phalium*) *Barbari verò* Βαλὰν (*Balan*). Ibi ſcribendum Φαιὸν, & Βαιὸν, quod *Vaio* poſtea evaſerit. Certe idem Equus, ut antea ſcribit idem Procopius, Φαιὸς ἦν, hoc eſt, *Fuſcus, Nigricans erat*, nempe *Vaio*.

Vanga. *Bipalium*. Vide ſupra in hac eâdem Diſſertatione.

Vantaggio. Vide ſupra ad vocabulum *Avvantaggio*.

Varare. *Navem in aquam deducere*. Nihil hæret Menagius *A Latino Vara*, inquit, B *ſignificante Trabem, Palum, Perticam*. Hæreo ego. Apud Latinos *Varus*, *Vara* ſignificabat aliquid *Incurvum*. Tibiis *Varis* homo dicebatur, qui Crura Diſtorta habebat. *Vari* quoque appellatæ *furcillæ*, quod in ſummitate obtortæ & curvatæ forent. Numquam verò *Trabes*. *Palangæ* vocabantur fuſtes, qui carinis advehendis in mare ſupponebantur. Eſt Latinis *Varicare*. Eſt antiquæ Germanicæ Linguæ *Varan*, *Faran*, quod Italicæ redditum dat *Varare*, atque ſignificat *Ire*, *Procedere*, *Progredi*. Inde *Vart*, *Rota*, *Progreſſio*. Tu vide, an inde *Varare* ad nos venire potuerit.

C *Varcare*. *Pertranſire* volando, aut eundo. *Varicare* Latinum in *Varcare* immutatum Menagius pronuntiat. Ferrarius contra a *Vadum* deducit. *Varco*, ideſt *Vadum*, Benevenutus Imolenſis ad Cantic. XII. Infern. Dantis, explicat. Menagiana ſententia tamen mihi prorſus veriſimilis. Vide, quæ Voſſius habet ad vocem *Varus* in Etymolog. Addere tamen liceat conjecturam amici cujuſdam mei. Idem eſt Italis *Varcare* & *Valicare*. Num ergo a Latino *Vallis* eæ voces deducendæ, ut primo ſignificarent *Vallem Superare*, deinde verò ad cujuſcumque ſpatii aut loci tranſitum fuerint translatæ? Certe ſimili ratio- D ne dicimus *Montare* & *Poggiare*, pro *Aſcendere montem*: *Sormontare* pro *Superare montem*; & *Smontare* pro *Deſcendere*: quod idem ſignificat Italicum *Avvallare*, & Gallicum *Avaler*, quod proprie *Deſcendere* ſignificat, translatè verò *Glutire*. Hæc omnia a prima ſignificatione ſua translata fuerunt ad alia complura. Inde *Varco*, & *Valico*, *anguſtus tranſitus*, qualis eſt *Vallium*. Accuratius iſta Eruditis perpendenda dimitto.

Vernia. *Ululatus*. Vide Diſſertationem XXVI. *de Militia*.

Verno. *Hyems*. Si fides Eruditiſſimo Maffejo Lib. XI. pag. 314. Veron. Illuſtrat. E florente Latinorum Linguâ, *i dotti diceano Hyems, e la plebe Vernus. Onde noi Verno e Inverno; delle quali voci Niuno ha Mai aſſegnata la derivazione. Abbiam ciò imparato da quel prezioſo Codice del noſtro Capitolo, che contiene il Salterio d'antica verſione, perchè in eſſo in vece di Æſtatem & Ver, ſi legge Æſtatem & Vernum: il che corriſponde all' Ebreo. E con più proprietà, per denotar tutto l'anno, ſi dice l'Eſtate e il Verno, che l'Eſtate e la Primavera*. Recte adnotavit Vir doctiſſimus, *Æſtatem & Hyemem* in Pſalmo 73. verſ. 16. reſpondere Hebraicæ voci. At non propterea *Vernum* Codicis Veronenſis ſignificat *Hyemem*, ſed *Ver*. Quippe olim tam doctis quàm indoctis Latinis *Vernum* in uſu fuit, & dumtaxat *tempus Veris* ſignificavit. Ideo *Æſtatem & Ver* Vulgata legit, & antiquior Verſio *Vernum* (quod idem eſt) quia utraque ſequuta eſt Verſionem Septuaginta, in qua habetur Θίρος καὶ Ἔαρ σὺ ἐποίησας, ideſt *Æſtatem & Ver tu feciſti*. *Vernum* pro *Ver* olim dictum jamdiu adnotavit Barthius Adverſar. Lib. 10. Cap. 11. Quare nil peregrini nos docet Veronenſis Codex. Neminem verò hactenus attuliſſe originem vocis *Inverno* & *Verno*, ii certe non credent, qui Salmaſii Exercitationes in Solinum legerint, cui Menagius poſtea meritò ſubſcripſit. Nempe animadvertit Salmaſius, noſtrum *Inverno* deſcendere e Latinorum *Hibernum*. Videlicet Latino Barbari pro *Hyems* dixere *Hibernum*, ſubintelligendo *tempus*. Vide Capitularia Regum Francorum ad Annum Chriſti DCCCIX. & Du Cangium in Gloſſario. Inde ſuum *Hiver* Galli ſumſere, Hiſpani ſuum *Invierno*, & nos *Inverno*. Tuſci verò, & Poëtæ per aphæreſim dixere *Verno*. Ita *Mattino* ex *Matutinum tempus* efformatum.

Verza. *Braſſica*. Vide ſupra in hac Diſſertatione.

Vetta. *Vertex*, Summa pars altæ alicujus rei. A *Vertex* Ferrarius; a *Vita* inuſitato pro *Vimine* Menagius, derivarunt. Nihil opus eſt immorari ad improbandas ejuſmodi Etymologias. Mea conjectura eſt, nihil aliud eſſe *Vetta*, niſi *Vedetta*, ſeu *Veletta* breviatum. *Vedetta* appellant Tuſci locum altum, in quo homines conſtituuntur ad ſpeculandum, an veniant hoſtes, aut quid ſimile, a *Videndo*; ſive *Valetta* ab altiori malo navis in quo Supparum, exiguum velum collocatur, & inde advenientes naves a longe conſpiciuntur. Nempe *andare alla Vedetta in qualche luogo* olim dicebatur, & ſenſim invectum puto *Andare in Vetta*. Ita ex *Ver* Hiſpanico, ſignificante *Videre*, prodiiſſe cenſeo *Veta* Hiſpanicæ item Linguæ, ſignificans *Vedetta*, *Cima d'albero*.

Via, aut *Vie*, Adverbium. *Multum*, ſeu potius *Multo*. Ferrarius a *Via* Latino deduxit; Menagius a Latino *Vis*. Primus certe fallitur. Nil rei eſt *Viæ* cum adverbiali *Via*, *Multo*. Quod eſt ad Menagium, ejus ſententiam juvare videtur locus Sancti Auguſtini Lib. 4 Cap. 106. Operis Imperfecti contra Julianum, ubi ait: *Exclama, exclama, quantum potes. Adde exclamationibus tuis; o bia*: a Græco videlicet ὦ βία, *o Vis*. Attamen purum putum Germanicæ Linguæ vocabulum eſſe noſtrum *Via* mihi creditur, ab Italis jamdiu adoptatum. Germanis quippe eſt *Biel*, aut *Viel*, quod *Multum* ſignificat, ex quo nos L. finale euphoniæ cauſâ abjecimus. Hinc in Germanica Lingua *Sehr Vel*, *Plurimùm*, aliaque vocabula, & hinc noſtrum *Vie più*, *Multo plus*.

Viterbo. Illuſtris Civitas, quæ nullis indiget fabulis, ut inter Italicas ex multis prærogativis effulgeat. Non defuere tamen tem-

temporibus noſtris, qui Annos impoſitos nominibus ſuis jungentes, et mirum vetuſtatem conciliare, nomenque illius, vel ab ipſis primordialibus Sæculis, atque ex Hebræorum Lingua, machinis compluribus adhibitis, trahere conati ſunt. Sub Langobardis aut natum videtur *Caſtrum Viterbium*, aut ſaltem ei nomen tunc impoſitum, quum nullum illius veſtigium in Latinorum monumentis appareat. Quare potius inquirendum eſſet, an Langobardicum, ſeu Germanicum foret illius nomen. Mylio teſte in Archæolog. Teuton. antiquis Germanis fuit vox *Biderve*, ſignificans *Bonum*, *Aptum*, *Utile*. Inde *Piderben*, *Expedire*, *Utile eſſe*. Itaque Caſtrum illud *Biterbium* appellatum fortaſſe fuerit *Caſtrum Forte*, *Caſtrum Utile*, *& bene compactum*, quale opus erat ad fines hoſtium Romanorum.

Volta. Adverbium temporis. *Più Volte*, idem ac *Più Fiate*, ſeu *pluribus Vicibus*. A *Volvo*, *Volutum* effluxiſſe mihi creditur, deſumtâ, ut videtur, ſignificatione, a deambulantibus in certo loco, qui gradiuntur, atque identidem regrediuntur.

Urtare. *Impellere*, ideſt corpus aliquod altero corpore movere, ut locum mutet, aut cadat. Galli eodem ſenſu adhibent *Heurter*. Ab *Arietare* Latino, verbum hoc deſcendiſſe opinatus eſt Menagius. Potius deducendum videretur, uti Mathias Martinius in Lexico Philologico docuit, ab antiqua Germanorum Lingua, quam Belgæ retinent in ſua voce *Hurten* & *Hort*. Angli quoque *to Hurt* uſurpant, ſed ſignificatione latiori, ſcilicet pro *inferre vulnus*, *damnum*, *injuriam*. In Lege Alamann. Cap. 99. l. 2. habemus: *Si porcarius ligatus de via Hortatus*, *vel battutus fuerit*, ideſt, violenter detruſus. Baluzius legit *oſtatus*. Ita in Leg. Salic. Tit. 34. *Si quis Baronem de via Ortaverit*. Attamen tam Itali, quàm ceteri Populi a Latino *Urgere* deduxiſſe mihi creduntur *Hurtare*. Nam barbarice ex *Urgeo*, & *Urſi* efformarunt *Urtum*, ac denique *Urtare*.

Uvetta. Veſtis uſque ad talos, qua domi hyeme utuntur Lombardi, aliique ad arcendum frigus. Pura puta Germanicæ Linguæ vox eſt. In Gloſſis Rhabani Mauri *Uvat* dicitur *Deplendis amictus uſque ad pedes contingens*. Multa inde derivata Eccardus adfert, Tom. I, Hiſtor. Franc. Oriental.

Z

Zaffi. Apud Venetos *Lictorem*, *Satellitem*, *Apparitorem* ſignificat. A *Capere*, *Captare*, *Chiappare*, *Zaffare* Octavius Ferrarius traxit vocem. Habeat ſibi ſuum Etymon. Illud nemini perſuadebit. Menagius ſincere fatetur ignotam ſibi originem vocabuli hujus. Idem fateor & ego. Duo tamen addam. Nempe *Zafio* apud Hiſpanos ſignificare hominem ruſticum, inurbanum, & communi odio obnoxium, quales eſſe conſueverunt Lictores, & Satellites. Ad hæc *Abripere*, ſeu *Tollere* Arabes dicunt *Zafa*. Munus *Zafforum* (nos *Birri*, & *Sbirri* appellamus, cujus vocis origo adhuc latet) eſt reos capere, eoſque Magiſtratui ſiſtere. Hi *Zaſſones*, & *Berruarii* fuerunt etiam nuncupati, atque olim ad militiam adhibiti lanceis utebantur, miráque audaciâ, Huſſarorum temporis noſtri more, prædam undique conquirebant, ac ſine ordine in hoſtes irruebant.

Zanchi, Florentinis *Trampoli*. Calcei lignei ſpecies. Vide Diſſertat. XXV. *de Textrina*.

Zanna, *Sanna*. *Ferarum Dens*. Dantes Cantic. 33. Inferni ſcribit:

> *e coll' acute Scane*
> *Mi parea lor veder ſender li fianchi*.

Ad explicandam vocem hanc *Scana*; Taſſonius noſter, Auctores Vocabularii Florentini, Menagius, ac alii, multa attulerunt, quum nuſquam alibi occurrat. Omnes pro *Sanna*, ſive *Zanna* interpretantur; & ſane aliter interpretari non licet. Ad me quod attinet, vereor, ne Dantes heic dormitarit, rationem Rhytmi non ſatis accurate retinens: ſequitur enim *Dimane*, & *Pane*. Hoc eſt, vereor, ne is revera *Sanne* ſcripſerit, non *Scane*, quod poſtremum Librarii ſubſtituerint, ut a Rhythmo diſcordiam removerent. In antiquiſſimo Codice MSto Eſtenſis Bibliothecæ, Dantis Comœdiam complectente, legitur *con l'acute Schinne*. Tum in Commentariis MStis Benevenuti de Imola, ad idem Poëma circiter Annum MCCCXC. exaratis, ita hic locus ſe habet: *Con l'acute Sanne*, ideſt, *Sanis*, ſive *Dentibus*. Neſcio autem, cur prælaudati Vocabularii Auctores *Sanna*, & *Zanna* Latine appellari *Sanna* ſcripſerint. Difficillimum iis foret oſtendere, vocem hanc in uſu Latinorum fuiſſe ad ſignificandos ferarum dentes. Sed quæ origo vocis *Sanna*? Ferrarius, & Menagius a *Gena* deducunt, quæ olim pro *Dente* uſurpata. Unum tamen Apuleji exemplum adfert Menagius, ubi pro *Genis hac illac jactatis*, opinor ego legendum *Genuinis*, quo nomine donati olim dentes. Certe apud reliquos Latinos alius ſenſus voci *Genæ* non fuit, niſi id, quod nunc Itali *Guancia* appellant, de qua jam ſupra ſermo fuit. Legitimam ergo vocabuli originem accipe, nempe *Zan*, ſive *Zanch*, quod Germanicæ Linguæ eſt, *Dentem* ſignificans, propriumque, & primitivum in eorum Lingua, & unde aliæ non paucæ voces compoſitæ fuere. Hinc rectâ Italicum *Sanna*, & *Zanna*.

Zara. *Ludus talorum*, ſive *teſſerarum*, *Periculum*, *Damnum*. Inde *Dare in Zara*, *Cadére in Zara*, *Vinci in ludo*, *Errare*. Ejuſdem originis creditur a nonnullis Gallicum *Hazarder*, ſignificans *Mettere a zara*, *a riſchio*: & *Hazard*, *Riſchio*, *Pericolo*: uti & Italicum proverbium *Zara a chi tocca*, ideſt, *Chi falla*, *ſuo danno*. Ab *Alea* per vim Ferrarius hanc vocem trahebat. Videndum, num ab Arabum Populo nos illam mutuati fuerimus. Eſt enim in Lingua illa, Gollio interprete, *Dzhara*, *Nocuit*, *Noxa affecit*, *læſit*: unde efformatum *Dzharron*, *Noxa*, *Læſio*, *malus* & *noxius ſtatus*,

tus, *Anguſtia*, *Detrimentum*. Covaruvias quoque Hiſpanicum *Azar* ex Arabica Lingua deducit.

Zecca, *Moneta*, *Officina*, ubi nummi cuduntur. Caninius & Menagius a Græco Θήκη, ſive *Theca*: Ferrarius a Ζυγὸς *Libra*, derivatam vocem divinando ſibi perſuaſere. At nos a Perſarum aut Arabum Linguâ didiciſſe videmur. Perſæ enim, teſtante Angelo a Sancto Joſeph, *Monetam* appellant *Secca*. Eâdem voce uſos fuiſſe & Arabes puto, quum Hiſpani adhuc *Seca* dicant, prætereaque apud Covaruviam Guadixius pro certo habeat, eam eſſe vocem Arabicæ originis. Et revera, Gollio teſte, *Sikkaton* Arabibus ſignificat *Typum chalybeum*, *quo ſignatur Moneta*. Quam in rem is laudat Gieuharem Auctorem. Hic autem, ſi Pockio in Hiſtor. Arab. fides, vixit circiter Annum Hegiræ CCCXC.

Zecca. *R:cinus*. Eam vocem ab ipſo *Ricinus*, aut e Græco Τζιβίκιον Menagius; Ferrarius vero è ſomniato vocabulo Latino *Sugica*, deduxere. Neuter animadvertit, Germanicam vocem *Zeck*, ſeu *Zecke* fontem eſſe, unde noſtrum *Zecca*, *Ricinum* hauſimus. Significat enim apud Germanos idem quod Italicum *Zecca*.

Zimarra. Veſtis genus. Vide Diſſertationem XXV *de Textrina*.

Zingaro. Vide Diſſertationem XVI. *de Fœneratoribus*.

Zoppo. *Claudus*. Ingenioſe Etymon hoc derivavit Menagius e Græco Χωλίπους, ſignificante *Claudus*. Contra Ferrarius a *Claudus*, *Clodus*, *Clottus*, *Ciotto*, *Cioppo*, *Zoppo* derivavit. Ego adhuc inquirendum reor in originem vocis. Suſpicari autem non deſino, ex Germania potius, aut e Gallia, quàm ex Græcia, ad nos rectâ veniſſe ejuſmodi vocabulum. Uti Du-Cangius antea animadvertit, in Alamannorum Lege Cap. 65. §. 31. *Cloppus* pro *Claudus* occurrit. Et in Capitulari Caroli Magni de Villis, ad Annum Chriſti DCCC. memoratos videas *boves non Cloppos*, *non languidos*. Eſt etiam Gallicæ Linguæ *Chopper*, ſignificans *Impingere*, nobis *Inciampare*, quod Italice vertas *Scioppare*, *Zoppare*, atque eamdem habere videtur originem atque *Zoppo*. Germani verò aut Galli vetuſtum-ne ſuum *Cloppus* ex Græcia acceperint, an ab antiqua ſuæ gentis voce, erit Eruditorum in Germania virorum decernere. Ad me quod attinet, inter Græcos veteres, & Francos ſive Germanos, aut modicum aut nullum Linguarum commercium fuiſſe, opinor.

Zuffa. Vide ſupra ad vocabulum *Ciuffo*.

Zuppa, ſeu *Suppa*, Vide Diſſertationem XXV. *de Textrina*.

Atque hactenus, quas potui, Etymologias Italicarum vocum collegi, quarum inveſtigatio & ad Eruditionem utilis eſt, & jucundior, quàm putetur, non paucis videtur. Ejuſmodi autem ſtudio qui ſeſe tradit, neceſſe quidem eſt, ut ingenium & perſpicaciam non mediocrem ad illud ſecum ferat, ſed præſertim conterminarum, veterumque Linguarum peritiam; quod enim irrito labore in una quæritur, in

A aliis interdum reperitur. Ad hæc barbaricis antiquis Scriptoribus operam dare opus eſt; mirumque etiam in modum prodeſſet antiquiſſimos Auctores vulgarium Linguarum in promtu habere, quibus tamen fateri cogimur carere Italiam, Galliam, atque Hiſpaniam. Feliciores hac in re novimus Germanos atque Britannos. Denique non parum præſidii ſperandum foret e multiplici varietate tot Dialectorum, quibus non Italia minus quàm ceteræ gentes abundant. Unius enim Provinciæ, immo & unius interdum Urbis, Dialectus facem præferre poſſet ad detegendam originem Vocum alibi corruptarum, aut ob immutatas, aut ob tranſpoſitas literas. Ceterum quod animadverti B in hac piſcationis ſpecie, nihil facilius eſt Etymologiarum ſtudioſis, quàm ſomnia fabricare, eiſque ita affici, ut ipſa demum credant ſtare non ſecus atque certa rerum documenta, illaque veluti certiſſima aliis etiam propinent. Neque mihi eo uſque blandior, aut fidere didici, quin eamdem calamitatem, quam ego in aliorum ſcriptis videre mihi viſus ſum, aliique in quiſquiliis hiſce meis offendere poſſint. Homini enim in tenebris alterum hominem conquirenti, unus facile ſeſe pro altero objicit. Quod etiam uſu venit, habentur interdum ante pedes veri fontes vocum, neque diſcernuntur in caligine poſito, donec alius poſt hæc ſupervenit, qui felicius detectum fontem digito C oſtendit. Attamen dum nimia licentia, atque audacia abſit ab Etymologiarum venatoribus, & veri ſimilitudo aliqua, ſive acuminis aliquid in eorum conjecturis inſit, ipſa quoque hac in re tentamina benevolo ſunt excipienda animo; nam & ipſa aliis viam ſternere queunt, ut in abdita penetrent, deprehenſamque tamdem veritatem ex antris educant. Eo etiam facilius erudita gens in dulcia ſomnia dilabitur, ubi primordia veterum Linguarum illuſtranda ſuſcipit. Habemus Germanos aliquot minus cautos, quos quum invaſiſſet admiranda ſuæ Linguæ veneratio & amor, non puduit in lepidam illam opinionem concedere, videlicet Græcam Linguam ex Germanicâ prodiiſſe; nul- D laque nomina piſcibus olim impoſita fuiſſe, niſi ex aliqua piſcium propriâ qualitate inſpectâ. Fuerunt & ex noſtris, qui reperiſſe ſibi viſi ſunt in Urbium Italicarum nominibus, multiſque in vocibus noſtris, veſtigia vetuſtiſſimarum Orientalium Linguarum. Immo tam felices nonnulli ſibi eſſe videntur, ut veluti ſuis oculis conſpexerint, nobis deſcribant generis humani primam propagationem & tranſmigrationem per Europæ regiones, hoſce vel illos Populos in Germaniam, in Italiam, in Galliam prolapſos indicando. Fabulis profectò & ſomniis nimium obnoxia eſt ejuſmodi inquiſitio; quibus ſi ipſa antiquitas laborat, quid ſperandum ſit nobis, continuo intelligamus. Neque E is ego ſum, qui Eruditorum conatus hiſce etiam in rebus caligine circumſeptis improbem. Dummodo modeſte in his procedatur, & veri tantum ſimilia nequaquam nobis obtrudantur pro veris & certis, commendandus eſt illorum labor atque eruditio. At in his video nos facile ab opinionibus noſtris abripi, & urgente amore novitatis interdum ædificare in nubibus, atque ex cathedra opiniones meras, veluti oracula, ac rara inventa, profundere. Optandum eſt, ut ab hiſce fallaciis atque præſtigiis unuſquiſque ſibi caveat.

F I N I S.

FINITO DI STAMPARE IN BOLOGNA NEL GIUGNO 1965
PRESSO LA CASA EDITRICE ARNALDO FORNI

Antiquitates
2
29460

Muratori, L.A. - Antiquitates
italicae medii aevi.

v. 2

PONTIFICAL INSTITUTE
OF MEDIAEVAL STUDIES
59 QUEEN'S PARK
TORONTO 5, CANADA

29460